- 1071 XIV

R. 188

S. Ca.

# SACROSANCTA CONCILIA
## AD REGIAM EDITIONEM EXACTA

QUÆ OLIM QUARTA PARTE PRODIIT AUCTIOR

*Studio* PHILIP. LABBEI, & GABR. COSSARTII, *Soc.* JESU *Presbyterorum*;

Nunc verò integre inſertis STEPHANI BALUZII, & JOANNIS HARDUINI additamentis, plurimis præterea undecunque conquiſitis monumentis, notis inſuper ac obſervationibus, firmiori fundamento Conciliorum epochas præcipue fulcientibus, longè locupletior, & emendatior exhibetur,

CURANTE NICOLAO COLETI

*Eccleſiæ S. Moyſis Venetiarum Sacerdote Alumno.*

## TOMUS XIV.

*Ab Anno* MCCXLIII. *ad annum* MCCCX.



VENETIIS. MDCCXXXI.

Apud { SEBASTIANUM COLETI ET JO: BAPTISTAM ALBRIZZI HIERON. FIL.

*CUM VENETI SENATUS PRIVILEGIO.*

R. 61.652

# SYLLABUS

## EORUM QUÆ TOMO XIV. CONTINENTUR.

*Quæ aſteriſco * notata ſunt, non erant in prioribus aliis editionibus; quibus hæc nota † impreſſa eſt, eorum incertus eſt annus: quibus vero præmiſſus eſt* ☞ *index, ea huic editioni adjecta ſunt.*


| Anno Christi | | |
|---|---|---|
| 1243. | VITA INNOCENTII PAPÆ IV. | 1 |
| 1243. | *Innocentii IV. Epiſtolæ XII.* | ibidem *& ſeq.* |
| | * *Ejuſdem aliæ VII.* | 23. *& ſeq.* |
| 1244. | ☞ Tarraconenſe Concilium | 37 |
| 1245. | * Othonienſe. | *ibid.* |
| | LUGDUNENSE I. OECUMENICUM | 39 |
| | Innocentii Papæ epiſtolæ quatuor | 42, & ſeq. |
| | Brevis nota eorum quæ in I. concilio Lugdunenſi generali geſta ſunt | 43 |
| | Sententia in Fridericum imperatorem | 47. |
| | Inſtitutiones XVII. factæ in eodem concilio | 52 |
| | Acta concilii Lugdunenſis I. ex Matthæo Pariſienſi. | 65 |
| | * Capitula IX. concilii ejuſdem a Binio non edita | 78 |
| 1246. | * Lancicienſe concilium | 83 |
| | * Biterrenſe | 85 |
| | * *Ejuſdem concilii conſilium de modo procedendi in inquiſitione contra hæreticos* | 99 |
| | ☞ Tarraconenſe | 107 |
| | ☞ Ilerdenſe | *ibid.* |
| | * Arelatenſe concilium | 109 |
| 1247. | ☞ Colonienſe | *ibid.* |
| | ☞ Tarraconenſe | *ibid.* |
| 1248. | * Schenningenſe | 109 |
| | * Valentinum in Gallia | 111 |
| | ☞ Tarraconenſe | 119 |
| | * Uratislavienſe. | *ibid.* |
| | ☞ Muldorfenſe | 121 |
| | * Conſtitutio Hugonis in Regno Cypri. Tom. XV. | 737 |
| 1250. | * Eboracenſe | 121 |
| | * Eboracenſe | 123 |
| 1251. | Inſulanum | 125 |
| | * *Statuta eccleſiæ Lugdunenſis.* | 127 |
| | Conſtitutio Hugonis, Nicoſienſis. Tom. XV. | 735 |
| 1252. | * *Statutum Odonis in Oriente legati de non probibendis a baptiſmo Saracenis.* Tom. XV. | 717 |
| | * Senonenſe | 133 |
| 1253. | ☞ Tarraconenſe | *ibid.* |
| | ☞ Ravennenſe | *ibid.* |
| | * Salmurienſe | 135 |
| | * Apud Caſtrum Gonterii | 145 |
| | * *Hugonis archiepiſcopi Nicoſienſis ſtatuta contra avaritiam clericorum*, Tom. XV. | 718 |
| | * *Ejuſdem ſtatuta alia duo.* | ibid. & ſeq. |
| 1254. | VITA ALEXANDRI PAPÆ IV. | 145 |
| | *Ejuſdem epiſtolæ tres.* | 147. *& ſeq.* |
| | * Albienſe concilium | 151 |
| | * Conſtitutio Odonis contra Simoniacos, Tom. XV. | 742 |
| 1255. | * Pariſienſe | 173 |
| | * Burdegalenſe | *ibid.* |
| † | * Copriniacenſe | 183 |
| 1255. | * Biterrenſe | 191 |
| | * *Statuta Sancti Ludovici regis pro reformatione morum anno* 1254. *edita, in Biterr. concilio relecta* | 193. |
| | ☞ Conſtitutiones Synodales Valentinæ diœceſis. | 199 |
| | * *Dunelmenſis ſynodus* | 209 |
| | * *Norvvicenſis* | 217 |
| 1256. | * *Sarumenſis* | 219 |
| 1257. | ☞ Ilerdenſis Conventus | 221 |
| | * Danicum concilium. | 225 |
| | * *Hugonis Nicoſienſis archiepiſcopi ſtatutum contra uſurarios*, Tom. XV. | 719 |
| 1258. | * Lancicienſe concilium | 225 |
| | * Mertonenſe | 227 |
| 1258. | * Roffiacenſe | *ibid.* |
| | * Monſpelienſe | 233 |
| | * *De Clericis facinoroſis capiendis* | 237. |


Sco-

# SYLLABUS TOMI DECIMIQUARTI.


Anno Christi

1259. * Scoticum concilium 237
* Ravennenſe ibid.
1260. * Arelatenſe 239
☞ Cypria ſynodus 249
* Colonienſe ibid.
* Pariſienſe 265
* *Statuta Guidonis archiepiſcopi Narbonenſis* 267
* Copriniacenſe concilium 269
* *Alexandri Papæ IV. conſtitutio Cypria.* 273
1261. ☞ Conſtitutiones Synodales Arnaldi Epiſcopi Valentini. 281
* Lambethenſe 289
* *Additio ad idem concilium* 302
* Concilia ubique terrarum celebrata adverſus Tartarorum incurſiones 303
* Britannica duo Londini ac Beverlaci ibid.
* Moguntinum 305

1261. VITA URBANI PAPÆ IV. *ibid.*

*Ejuſdem epiſtolæ duæ* 306. & *ſeq.*

1262. * Copriniacenſe concilium 311
* Burdegalenſe 313
1263. * Pariſienſe 315
☞ Maſſilienſis ſynodus. 317
1264. * *Præceptum Henrici Anglorum regis contra non reſidentiam prælatorum* *ibid.*
* Nannetenſe concilium 319
* Pariſienſe [illegible]
* Bononienſe in Gallia ibid.

1265. VITA CLEMENTIS IV. 325

*Ejuſdem epiſtolæ tres* *ibid.* & *ſeq.*

* Londinenſe concilium 329
1266. * Colonienſe ibid.
☞ Bremenſe 353
1267. Ad Pontem Audomari 357
* Northamptonienſe 359
* Uratislavienſe ibid.
Viennenſe in Germania ibid.
* Sedenenſe 369
☞ Dignienſis ſynodus. 371
☞ Decreta Hungarorum, quæ de Guidone Cardinale ſuſceperunt. 373
1268. ☞ Claromontenſis ſynodus. 375
* Londinenſe Concil. 401
* *Sancti Ludovici Francorum regis pragmatica ſanctio* 445
* Apud Caſtrum Gonterii concilium 447
1269. * Andegavenſe 449
* Senonenſe 451
1270. * Ravennenſe 455
* Compendienſe ibid.
* Avenionenſe 459. *per errorem* 463
1271. * Quintinopolitanum 461
* *Electio Thealdi archidiaconi Leodienſis in ſummum Pontificem Gregorium X.* 463.

1271. VITA GREGORII PAPÆ X. 467

*Epiſtola ejuſdem unica ad epiſcopum Leodienſem.* 469

1273. * Redonenſe concilium 473
1274. Conſtantinopolitanum. 477
LUGDUNENSE II. OECUMENICUM ibid.

Epiſtola Gregorii X. qua convocat ad concilium 480
* Ejuſdem aliæ tres epiſtolæ 483
* Michaelis Palæologi imp. ad Gregorium X. epiſtola. 491
☞ *Epiſtola Gregorii Encyclica ad omnes Prælatos.* 495
☞ *Ejuſdem Encyclica ad Reges, Principes, & Civitates.* 498
☞ *Ejuſdem Epiſtola ad Armeniæ Regem.* 499
Brevis nota eorum quæ in II. Lugdunenſi concilio generali acta ſunt 500.
Litteræ Michaelis Palæologi imp. Græcorum ad Gregorium X. Gr. Lat. 507
* Ejuſdem ſacramentum. 513
Litteræ prælatorum Græciæ. ibid.
Epiſtolæ quatuor Gregorii papæ X. 517
Conſtitutiones a Gregorio X. in concilio Lugdunenſi ſancitæ. 520
De actis concilii Lugdunenſis excerpta e variis authoribus per Binium 540
1274. Saltzburgenſe concilium 545
1275. * Arelatenſe. 553

1276. VITA INNOCENTII PAPÆ V. 561

1276. VITA HADRIANI PAPÆ V. *ibid.*

* *Dunelmenſis ſynodus* ibid.
* Salmurienſe concilium 565
* Bituricenſe 571

1276. VITA JOANNIS PAPÆ XIX. 583

*Epiſtola Joannis XIX. ad Eduardum regem Angliæ* 586

1277. * Compendienſe concilium 587
* Conſtantinopolitanum 589
* Conſtantinopolitanum alterum 593

1277. VITA NICOLAI PAPÆ III. 595

1278. ☞ Aureliacenſe concilium ibid.
* Langeſienſe 597
1279. * Auſcenſe. 601
* Apud Pontem Audomari. 603
☞ Appendix ad dictum Concilium. 612
* Avenionenſe 615
* Biterrenſe 627
* Redingenſe 633
* *Ordinationes Joannis Cantuarienſis archiepiſcopi in domibus religioſis* 635
* Budenſe concilium 637
* Andegavenſe 673
Tarraconenſe 675
☞ Uratislavienſis Synodus. ibid.
1280. * *Colonienſis ſynodus* 679
* Lambethenſe concilium 697
* Biterrenſe ibid.
☞ Bituricenſe 699
* Conſtantinopolitanum Gr. Lat. *ibid.*
* Noviomenſe. 707
* Ravennenſe 709
* Santonenſis ſynodus. 711
* Pictavenſis. 715

1281. VITA MARTINI PAPÆ II. *vulgo* IV. 721

*Ejuſdem epiſtola V.* ibid.

Saltzburgenſe concilium 729
* Lambethenſe 735
* *Litteræ Joannis archiepiſc. Cantuarienſis ad Eduvardum Angliæ Regem* 751
* *Statutum archiepiſcopi Cantuarienſis* 754
1282. * Avenionenſe concilium ibid.
* *Santonenſis ſynodus* 761
* Turonenſe concilium 763
* *Proceſſus habitus a Martino IV. contra Petrum regem Aragonum* 767
1284. ☞ Apud S. Hippolytum Synodus. 781
☞ Pataviensis. 793
* Pariſienſe Concilium 1534
* *Nemauſenſis ſynodus* 795
* *Pictavenſis* 831
1285. ☞ Regienſe concilium 835
☞ Antelmi Notæ. 843

1285. VITA HONORII IV. PAPÆ 851

* Lancicienſe concilium 853
☞ Conſtantinopolitanum Gr. L. *ibid.*
1286. * *Ordinationes archiepiſcopi Lugdun. & epiſcopi Eduenſis, pro ſedibus ſuis vacantibus,* 865
☞ Matiſconenſe concilium. 867
Ravennate 871
* Bituricenſe 879
* Additio ad dictum concilium. 895
☞ Addenda dicto concilio. 896
☞ Ejuſdem concilii ſtatuta contra exemptos. 897
☞ Provinciæ Burdegalenſis Viſitatio. 901
☞ Statuta ſynodalia Magdeburgenſis Provinciæ. 1005
* *Hæreticæ opiniones per Joannem archiep. Cantuarienſ. declaratæ & damnatæ* 1534
1287. *Sedes vacat per annum.*
* *Articuli obſervandi per rectores, &c. Cantuar. diœceſis.* 1017
* *Exonienſis ſynodus.* 1019
* Remenſe concilium 1077
Herbipolenſe 1079
Mediolanenſe 1095
☞ Ejuſdem Concilii Decreta. 1096
☞ Conſtitutiones Cœleſtini Legati in Lombardia. 1107
☞ Statuta Synodalia Joannis Epiſcopi Leodienſis. 1111

1288. VITA NICOLAI PAPÆ IV. 1161

* Inſulanum concilium 1163
1289. * *Ciceſtrenſis ſynodus* 1175
* Viennenſe in Gallia concilium 1183
1290. ☞ Ebredunenſe 1185
* Nugarolienſe ibid.
* Pariſienſe 1191
☞ Uratislavienſis ſynodus. ibid.
☞ Apud Nobiliacum. 1193
1291. Saltzburgenſe ibid.
Londinenſe 1197
Mediolanenſe ibid.

*Sedes vacans.*

1292. Aſchaffemburgenſe concilium ibid.
☞ Bremenſe. 1197
* *Ciceſtrenſis ſynodus* 1201
☞ Patavienſis 1206
☞ Apud S. Hippolytum. ibid.

1294. VITA CÆLESTINI PAPÆ V. 1206

☞ Apud Aureliacum concilium. 1207


VI-

* Sal-

| Anno Christi | | |
|---|---|---|
| | * Salmurienſe Concilium | 1211 |
| | ☞ Statuta Synodalia Trajectenſis diœceſis | 1215 |
| 1294. | VITA BONIFACII PAPÆ VIII. | 1221 |
| | *Ejuſdem epiſtola II.* | 1223 |
| | *Roberti arch. Cantuar. epiſt. ad Bonifacium VIII.* | 1226 |
| | *Alia Edwardi regis Angliæ ad eumdem* | 1229 |
| 1295. | * *Statuta Roberti de Winchels, arch. Cantuar.* | ibid. |
| | ☞ Gradenſe concilium. | 1247 |
| | ☞ Torcellana ſynodus. | *ibid.* |
| 1297. | * Londinenſe concilium | 1253 |
| | ☞ Trajectenſis ſynodus | 1259 |
| | Lugdunenſe fictitium | 1259 |
| 1298. | * *Santonenſis ſynodus* | 1261 |
| | * Nimocienſe concilium | *Tom. XV.* 747 |
| 1299. | * Rotomagenſe concilium | *ibid.* |
| | * Biterrenſe | 1265 |
| | ☞ Decreta hujus concilii. | 1268 |
| 1300. | * Melodunenſe | 1271 |
| | * Mertonenſe | 1273 |
| | * *Conſtitutiones tres Roberti de Winchels, archiep. Cantuar.* | 1277. & ſeq. |
| | * *Colonienſis ſynodus* | 1279 |
| | ☞ Synodalia præcepta Conſtantienſis eccleſiæ. | 1287 |
| | * *Bajocenſis* | 1317 |
| 1301. | * Auſcitanum concilium | 1339 |
| 1302. | * Compendienſe | 1343 |

| Anno Christi | | |
|---|---|---|
| | * *Pariſienſis conventus* | 1345 |
| | Romanum concilium | 1347 |
| | Apud Peñam Fidelem | 1349 |
| 1303. | VITA BENEDICTI PAPÆ XI. | 1359 |
| | * Nugarolienſe concilium | *ibid.* |
| | * Compendienſe | 1365 |
| 1304. | ☞ Apud Pintervillam | 1369 |
| 1305. | VITA CLEMENTIS PAPÆ V. | *ibid.* |
| | * *Electio ejuſdem* | ibid. |
| | * *Diploma ejuſdem in gratiam regum Franc. quo declaratur caput,* Unam ſanctam | 1374 |
| | ☞ Apud Pontem Audomari concilium. | 1373 |
| | ☞ Siſenſe | 1377 |
| 1307. | * Ravennenſe | 1383 |
| | * Auſcitanum | 1385 |
| 1308. | * Londonienſe | 1387 |
| 1309. | * Poſonienſe in Hungaria. | 1399 |
| | Saltzburgenſe I. | 1409 |
| 1310. | Saltzburgenſe II. | *ibid.* |
| | * Colonienſe | 1413 |
| | ☞ Trevirenſe concilium | 1429 |
| | * Ravennenſia duo | 1475 |
| | * Salmanticenſe | 1477 |
| | * Pariſienſe | *ibid.* |
| | Moguntinum. | 1479 |
| | ☞ Biterrenſe concilium. | 1526 |
| | ☞ Acta hujus Concilii. | *ibid.* |





# VITA ET EPISTOLÆ INNOCENTII PAPÆ IV.

INNOCENTIUS IV. priſtino nomine Sinibaldus appellatus, patria Genuenſis, ex nobili Fliſcorum Lavaniæ comitum familia, communi conſenſu cardinalium, per interceſſionem Balduini Conſtantinopolitani imperatoris, & Ludovici Francorum regis, e carceribus Friderici liberatorum, Anagniæ poſt interregnum unius anni & octo fere menſium, electus eſt ſucceſſor Cœleſtini die vigeſima quarta Junii, anno Chriſti 1243. tempore Friderici ſecundi: cui iſta electio non admodum grata fuit, eo quod generoſi & honeſti animi virum eſſe ſciebat; adeoque timebat, ne ex cardinale amico pontificem hoſtem experiretur. Volens tamen pontifex antiquam amicitiam cum Friderico
B confirmare, urbem Caſtellanam petebat: quo in itinere cum ſibi inſidias tendi per exploratores compertum haberet, Genuenſium navibus impoſitus, felici navigio uſus, in Franciam delatus eſt. Eodem deveniens, concilium anno 1245. habuit, quo Fridericum, qui citatus venire detrectabat, imperio & regno ſimul ſpoliavit, eique adhuc viventi, poſt Henricum Lantgravium Haſſiæ & Thuringiæ, Wilielmum comitem Hollandiæ in regno Germaniæ ſubrogari procuravit. Cumque hac de cauſa Fridericus excandeſcens, multa ædificia amicorum parentumque pontificis Parmæ exiſtentia dejici & funditus erui curaret:
C profectus eo legatus apoſtolicus Fridericum poſt biennalem Parmenſis urbis obſidionem devicit, omneſque ejus copias fudit. Et cum iſtiuſmodi calamitatibus nihilo melior fieret, ſed magis atque magis peſſum iret: pontifex concilium dimiſit, ac deinceps ad reintegrandam ſanctam militiam, omnem cogitatum ſuum convertit. Populum ad ſequenda Ludovici Franciæ regis vexilla, qui in Africam trajicere decreverat, modis quibus potuit, omnibus adhortatus fuit. Poſtquam Edmundum Cantuarienſem archiepiſcopum in ſanctorum, numerum retuliſſet, in Italiam reverſus, & Peruſiam ingreſſus, Petrum martyrem inter ſanctos ha-
D bendum declaravit. Idem de Staniſlao Cracovienſi epiſcopo judicium tulit. A nobilibus Neapolitanis advocatus, comparere ſtatuit. Verum in ea expeditione mortem ſubiit, VI. Decembris, anno Domini MCCLIV. quando XI. annis, V. menſibus, & XII. diebus pontifex fuiſſet. Sepulturam vero non in ſancto Laurentio, ut habet Platina, ſed in eccleſia cathedrali ſortitus eſt, ut adhuc hodie videre licet. Innocentius in concilio Lugduni habito plures cardinales creavit, primuſque fuit qui cardinalitiam dignitatem rubeo pileo adauxit: ea intentione, ut admonerentur, teſte Martino Po-
E lono, ſe ſemper paratos eſſe debere ſanguinem pro Chriſtiana religione profundere, præſertim eo tempore, quo Romana eccleſia a Friderico II. quondam imperatore vehementer oppugnabatur. Multa volumina in tanta rerum difficultate compoſuit. Inter cetera, commentaria in quintum li-
A brum decretalium compoſuit: authentica & apologetica edidit. Proinde viros litteratos amabat, & colebat. Cardinalem Hugonem inſtituti Dominicani unice dilexit, qui gloſſas & concordantias in biblia compoſuit, atque libros ſacros in capitula diſtinxit. Hujus inſtinctu plurimi ac doctiſſimi homines ad ſcribendum ſeſe applicuerunt. Inter eos Alexander de Ales, Bernardus Parmenſis, & Compoſtellanus. Ejus etiam inſtitutum fuit, ut nativitas beatæ Mariæ cum octava celebraretur. Primus roſam auream ſolenni ceremonia ac ritu benedixit, eamque canonicis ſancti Juſti hoſpitibus ſuis Lugduni dono dedit. Circa finem
B pontificatus Innocentii anno Chriſti MCCL. defunctus eſt Fridericus II. Quo loco, quove mortis genere, ſcriptores variant. Krantzius lib. VIII. Saxoniæ, aliique (quos refert Sanderus de viſibili monarchia) ſcribunt in Apuliam profectum, ibidem morbo correptum eſſe: a quo dum convaleſceret, a Manfredo filio, impoſito ori pulvino oppreſſum eſſe. Gobelinus ætate ſexta cap. LXIV. Et deinde, inquit, ad regnum Siciliæ ſe totum contulit, & ibi tandem morbo correptus, ſine ſacramentorum perceptione, &, ut dicebatur, ſine pœnitentia defunctus eſt. Abbas Stadenſis & Matthæus Pariſ. hujus temporis ſcriptores ambo,
C ſcribunt, eum poſt inſignem pœnitentiam peractam ab epiſcopo Panormitano abſolutum, & in Sicilia tumulatum fuiſſe. Quidquid horum ſit, ſine dubio meruerat impiiſſimus pater talia pati a filio carnali, qui Romanam eccleſiam matrem ſuam, patremque ſuum ſpiritualem Romanum pontificem, tot modis per tot annos nefarie admodum perſecutus fuerat. Poſt Fridericum imperio amotum, fuit interregnum viginti octo annorum, uſque ad Rodulphum primum imperatorem.

EPISTOLA I.

D

## INNOCENTII PAPÆ IV.

### AD PRÆLATOS ANGLIÆ.

Auxilium pecuniæ ab Anglis expetit.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei abbatibus eorumque conventibus, exemptis & non exemptis, in Cantuarienſi diœceſi conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

E ILlam de veſtræ ſinceritatis affectibus ſpem gerimus, & fiduciam obtinemus, ut quoties ſedi apoſtolicæ matri veſtræ neceſſitatis articulus imminet, ad vos, tanquam dilectos ejus filios & devotos, ac pro ipſius oneribus relevandis ſemper paratos & promptos, incunctanter cum omni fi-

ducia recurrere valeamus. Cum igitur ſedes ipſa apoſtolica prædicta, per ea quæ piæ memoriæ Gregorii papæ prædeceſſoris noſtri authoritate in Anglia aliiſque regnis populi Chriſtiani, pro ejuſdem ſedis ſubſidio ſunt collata & collecta, non adhuc a debitorum ſuorum, quæ pro catholicæ fidei, eccleſiaſticæ libertatis, & patrimonii ſui defenſione, contraxerat, onere valeat relevari, ad veſtræ devotionis effectum, neceſſitate cogente, fiducialiter recurrentes, univerſitatem veſtram, de conſilio fratrum noſtrorum, rogamus, attentius monemus, per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, & mandando præcipientes, quatenus præſcriptæ neceſſitatis & oneris inſtantia, qua Romana eccleſia, mater veſtra ſpiritualis, graviter perurgetur, affligitur, & pene opprimitur, affectione penſantes, ut convenit, filiali, & compaſſionem ſuper hoc habentes debitam erga ipſam, nobis & ſibi, pro ſolutione debitorum illorum prædictorum, in ea ſubvenire curetis pecuniæ quantitate & ſumma, qualem & quantam dilectus filius noſter magiſter Martinus, cameræ noſtræ clericus, & lator præſentium, vobis ex parte noſtra duxerit declarandam exprimendamque. Eamque ipſam pecuniam, per vos collatam, dicto magiſtro Martino, aut ipſius nunciis, infra terminum, quem idem vobis præfiget, aſſignetis; preces noſtras taliter impleturi, quod nos devotionem veſtram merito commendare poſſimus, & ſuper hoc aliter procedere non cogamur. Datum Laterani ſeptimo Idus Januarii, pontificatus noſtri anno primo.

## II. AD HENRICUM III. REGEM ANGLIÆ.

Pro epiſcopo Wintonienſi exule.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio regi Angliæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

POſtquam Dei benignitas humilitatem noſtram ad apoſtolicæ [illegible] lam concepimus de tua ſerenitate fiduciam, quod in his quæ ſunt ad honorem eccleſiæ, ſe promptam haberet & vigilem exhiberet. Provenit ex hoc, quod cum venerabilem fratrem noſtrum, quondam Norwicenſem, Wintonienſi eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio conceſſimus in paſtorem, preces tibi direximus ſpeciales, ut eidem pro Divina & noſtra reverentia te redderes affectu benevolum & effectu ſerenum, ac ſi quæ caſtra & maneria ipſius eccleſiæ, prompta benignitate ei faceres aſſignari. Tu vero, ſicut mirantes audivimus & dolemus, nedum preces hujuſmodi voluiſti deducere ad effectum: immo, quod eſt gravius, in verba, nihil debitæ modeſtiæ vel reverentiæ filialis habentia prorupiſti; aſſerens quod nulla poſtulatio in regno Angliæ per ſedem apoſtolicam admitti poſſit vel debeat, te invito, & quod illam quam nos in ſpiritualibus, tu in temporalibus habeas poteſtatem: nec quis poſtulatus poſſit abſque tuo conſenſu poſſeſſionem temporalium obtinere. Adjeciſti præterea quod tranſlationem ipſius epiſcopi reputares invalidam, tanquam a nobis per vitium ſubreptionis obtentam. Hæc ſiquidem, fili cariſſime, non Dei, non eccleſiæ, non tuæ reſonant ſublimitatis honorem, non ſapiunt juſtitiam, non redolent æquitatem: præſertim cum teneat omnium credulitas pia fidelium, quod apoſtolicæ ſedis authoritas liberam habeat in eccleſiis univerſis poteſtatem a Dei providentia: nec arbitrio principum ipſa ſtare cogitur, ut eorum, in electionum vel poſtulationum negotiis requirat aſſenſum. In quibus tamen, Dominum habendo præ oculis, ſic provide procedit & caute, quod per illam nullius poſſit honori detrahi, vel juſtitiæ derogari. Sicut etiam in tranſlatione ipſius epiſcopi dignoſcitur proceſſiſſe, in quo promovit hominem ſcientia, moribus & honeſtate perſpicuum, ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, olim tibi carum & amabilem, ac ſemper tuis beneplacitis ſecundum Dominum totis viribus intendere cupientem, per cujus induſtriam probatam in plurimis honoris & commodi proficere poteris incrementis. Sed tamen non ſuggerat aſtutia ſuſurronum, a quibus parare diſpendia virtuoſis pro indifferenti ducitur, dummodo ſua ſpecialia commoda vel privata deſideria conſequantur. Tuam itaque celſitudinem affectione qua poſſumus exhortamur, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, quatenus ab impia ſuggeſtione talium, regiæ pietatis avertens auditum, eccleſiam Dei continuo proſequaris honore, & indultæ ſibi deſuper libertatis privilegium conſervare ſtudeas illibatum: & nunc & in poſterum tui regni prælatos, ea quæ in ſpiritualibus ſeu temporalibus ſpectant ad ipſorum eccleſias, libere conſequi & pacifice poſſidere permittas. Ceterum ſolerti conſiderans meditatione, quod in apoſtolici proſecutione officii Divini nominis deſervimus honori, quæ de præfato epiſcopo cum ſolenni deliberatione fecimus, non ad animum revoces, non aliquo impedimento perturbes. Sed qui cordi noſtro ſtatuimus, ut te ſpecialem inter alios terræ principes habeamus, in ipſo impartiri procurans honorem, ſibi caſtra & maneria cum fructibus inde perceptis a tempore tranſlationis hujuſmodi, omni poſtpoſita difficultate reſignes, ac benevola benignitate concedas, quod ſolicitudinem ei creditam poſſit cum effectu proſequi, tua favente gratia ſpeciali. Alias autem cum libertatem eccleſiaſticam in diebus noſtris velimus non minui, ſed Deo propitio augeri cupiamus: nullatenus ſuſtinere poterimus, quod nos in ipſo epiſcopo tam [illegible] injuriam patiamur.

Datum Laterani tertio Kalendas Martii, pontificatus noſtri anno primo.

## III. AD FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM.

Fratres Prædicatores a tramite diſciplinæ S. Benedicti exorbitantes corriguntur, & in viam meliorem diriguntur.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei magiſtro & fratribus ordinis Prædicatorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

NOn ſolum in favorem converſi, ſed etiam monaſterii, probationis tempus a ſanctis patribus eſt indultum, ut ille aſperitates illius, & iſtud mores illius valeat experiri. In regula quoque B. Benedicti præcipitur, ut ad converſionem noviter venientibus non facilis tribuatur ingreſſus, ſed, ſicut docet Apoſtolus, an ſit ex Deo ſpiritus comprobetur, & dura & aſpera, per quæ itur ad Dominum, exponantur. Poſtea in eadem regula ſubjungitur, ut dicatur: Ecce lex ſub qua militare deſideras; ſi eam obſervare potes, ingredere; alioquin, liber veniſti, liber diſcedas. Inſuper felicis recordationis Gregorius papa prædeceſſor noſter ſtatuit, ut poſiti in probatione novitii ante ſuſceptum religionis habitum, qui dari profitentibus conſuevit, ſeu ante profeſſionem emiſſam, ad ſtatum priſtinum redire poſſint libere infra annum. Et ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibuſdam locis religioſi novitiorum habitus non diſtinguatur ab habitu profeſſorum, profeſſionis tempore benedicantur veſtes quæ profitentibus



tibus conceduntur, ut novitiorum ac profeſſorum habitus diſcernatur. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino ſolicite cupiatis: quia tamen decet & expedit ut conſcientiæ puritati non deſit judicium rationis, ne unde ſpiritualis profectus quæritur, inde ſalutis diſpendium ſubſequatur, vobis de fratrum noſtrorum conſilio in virtute obedientiæ ſub pœna excommunicationis, authoritate præſentium, diſtrictius inhibemus, ne ante annum probationis elapſum, qui eſt maxime in ſubſidium fragilitatis humanæ regulariter inſtitutus, quemquam ad profeſſionem veſtri ordinis, ſeu renunciationem ſæculi faciendam, recipere præſumatis; nec conſtitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quo minus infra eumdem annum probationis ad aliam religionem, quam maluerit, tranſeat, ſicut de ſua proceſſerit libera voluntate, non obſtante ſtatuto contracto, ſi quod a nobis eſt editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris a ſede apoſtolica impetratis, ſeu etiam impetrandis, quæ de præmiſſis expreſſam non fecerint mentionem. Quod ſi forte contra hujuſmodi inhibitionem quemcumque recipere præſumpſeritis: decernimus eum qui taliter receptus fuerit, nullatenus veſtro eſſe ordini alligatum, voſque a receptione quorumlibet ad profeſſionem ejuſdem ordinis fore ipſo facto ſuſpenſos, & inſuper pœnæ ſubjiciendos, quæ fratribus ipſius ordinis pro culpis infligi gravioribus conſuevit. Nulli ergo, &c.

Datum apud civitatem Caſtellanam 15. Kalendas Julii, pontificatus noſtri anno primo.

## IV. AD CONVENTUM ET PRIOREM ECCLESIÆ Chriſti Cantuarienſis.

Dirimitur lis inter epiſcopum Lincolnienſem & conventum Cantuarienſem.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis conventui & priori eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

EXhibita nobis venerabilis fratris noſtri epiſcopi Lincolnienſis petitio continebat, quod cum, vobis contendentibus juriſdictionem metropolitani, quam ad vos Cantuarienſi ſede vacante in provinciam Cantuarienſem, tam ex privilegio ſedis apoſtolicæ, quo nunquam adhuc uſi fuiſtis, quam de jure communi pertinere dicitis, in eum & ſuos ſubditos committendo eorum cauſas & appellationes ab eis interpoſitas exercere; ipſe grave ſibi ex hoc præjudicium generari conſpiciens, ad ſedem apoſtolicam, cujus intereſt quæſtiones tam arduas metropolitana ſede vacante dirimere, provocaſſet, vos in eum & in ejus ſubditos ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias occaſione hujuſmodi pro veſtræ voluntatis arbitrio promulgaſtis. Quare nobis humiliter ſupplicavit, ut provideri ſibi ſuper hoc paterna ſolicitudine curaremus. Volentes igitur ex officio noſtro ſic eidem epiſcopo & ſuis ſubditis ſubvenire, quod jus alterius non lædamus, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus infra octo dies poſt receptionem præſentium, abſque veſtro & partis alterius præjudicio, relaxetis prædictas ſententias ad cautelam. Alioquin venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopo Eboracenſi, & epiſcopo Dunelmenſi, damus litteris noſtris in mandatis, ut ipſi ex tunc ſine præjudicio partium, tam ſuper petitorio, quam etiam ſuper poſſeſſorio, ſententias relaxent eaſdem, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Datum Anagniæ [1] decimo Kalendas Septembris, pontificatus noſtri anno primo.

## V. AD PRÆLATOS ANGLIÆ.

De ſubſidio pecuniario, regi de redditibus ſuis conferendo.

*Innocentius epiſcopus, &c. archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, & aliis eccleſiarum prælatis, & clericis per regnum Angliæ conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

DEbet mater eccleſia hos qui regali præeminent dignitate, illa prærogativa proſequi, & ea muneris gratia prævenire, quod in ipſius devotione poteſtas ſemper ferveat, & ad ejus per conſequens ſubjectorum obſequia pervigil habeatur. Cum igitur inter reges ceteros orbis terræ cariſſimum in Chriſto filium noſtrum regem Angliæ illuſtrem ſingularis dilectionis brachiis amplectamur, qui veluti princeps catholicus & devotus Romanam eccleſiam matrem ſuam filiali ſubjectione & obſequio devotionis ſic ſemper ſtuduit venerari, quod nequaquam ab ipſius beneplacitis declinaret, quinimo quæ ipſi grata novit & placita, ſolicitudine prompta peregit: non eſt mirum, immo condecens eſt & condignum, ſi ipſius precibus facilius annuamus, ſi honoris ipſius & ſtatus quæramus gloriam & augmentum, ſi ad quod affectus ipſius dirigatur, veſtræ liberalitatis effectus conſonet in idipſum. Sane cum idem rex, ſicut ex parte ipſius fuit propoſitum coram nobis, pro quibuſdam negotiis magnis & arduis quæ ſibi imminebant, adeo ſubierit gravia, & ſubire adhuc ipſum oporteat onera expenſarum, quod veſtræ ſubventionis indigere ſubſidio dignoſcatur: univerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus attendentes prudenter, quod vos decet & convenit, eo libentius ipſius regis ſupportare labores, & gravamina relevare, quo minus poſſet ſine veſtri ſtatus & honoris diſpendio alicujus jacturæ vel incommoditatis onere prægravari, ſibi de veſtris reditibus honeſtum ſubſidium liberaliter conferatis: ut idem expenſarum ſuarum, veſtræ ſubventionis propitiante dextera, perferre levius onus poſſit, voſque proinde vobis ejuſdem regis, cujus bonorum eſtis participes, honoris & gloriæ non expertes, favorem & gratiam, quibus procul dubio indigetis, valeatis futuris temporibus vendicare; & nos, qui haberi volumus ex hoc ad veſtra & veſtrarum eccleſiarum commoda promptiores, devotionis veſtræ promptitudinem non immerito commendemus.

Datum Januæ quarto Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno ſecundo.

## VI. AD ARCHIEPISC. ET CAPITUL. COLONIENSE.

De trium Magorum miraculis ac cultu.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei fratri archiepiſcopo & dilectis filiis capitulo Colonienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

LIcet is, de cujus munere venit ut ſibi a fidelibus ſuis digne ac laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus multo majora retribuat,



1 Cum Innocentius IV. ſummus Pontifex electus fuerit an. 1243. die 24. Junii D. Joanni Baptiſtæ feſto, hæc epiſtola data 10. Kal. Septemb. ejus Pontificatus anno primo, anno ſcilicet 1243. præcedere debet tres ſuperiores datas 7. Idus Januarii, 3. Kal. Martii, & 15. Kal. Julii, anni nempe 1244. ut ſcite admonuit doctiſſimus Salmon in libro Gallice exarato, *Traité de l'etude des Conciles p. 54.*

quam valeant promereri: nihilo minus tamen deſiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei, quaſi quibuſdam illectivis muneribus, indulgentiis ſcilicet & remiſſionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores.

Cupientes igitur ut eccleſia veſtra, in qua trium ſanctorum Magorum corpora coruſcantia multis miraculis ſub veneranda cuſtodia conſervantur, congruis honoribus frequentetur: omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam ipſam in feſtivitate ipſorum ſanctorum venerabiliter viſitaverint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus authoritate confiſi, quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia annis ſingulis miſericorditer relaxamus.

Datum Lugduni ſexto Kalendas Aprilis, pontificatus noſtri anno quarto.

## VII. AD RAIMUNDUM DE PENNAFORTI ORDINIS PRÆDICATORUM MAGISTRUM, & provincialem Hiſpaniæ.

### De hæreſi extirpanda.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Priori provinciali in Hiſpania, & fratri Raimundo de Pennaforti ordinis Prædicatorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

INter alia deſiderabilia cordis noſtri ſpecialiter id optamus, & ad illud potiſſime dirigimus noſtræ intentionis affectum, per quod ſalus provenit animarum, & nomen Domini glorioſum plenius collaudatur. Quia igitur Deo non eſt acceptabile obſequium abſque fide, ad propagationem & corroborationem ipſius, & Chriſtianæ religionis augmentum, quanta poſſumus ſolicitudine vigilare debemus, & hoc per nos & alios inceſſanter verbo & opere procurare, ut diffundatur per orbem latius cultus Dei, & meſſe agri multiplicata Dominici, frumentum in cœleſtia horrea inferatur. In his autem, nobis fratres veſtri ordinis Dominus ſpecialiter voluit eſſe adjutores, qui ſpretis mundi diſſoluti blanditiis, ſub religionis arctæ rigore, in voluntate Chriſto ad placitum famulantes, de fidelium campo extirpare noxia, & in eo plantare ſalubria, nec non muniti ſpirituali pro defenſione fidei armatura, errorum laqueis irretitos eripere, ac in regione diſſimilitudinis converſantes ad unitatem matris eccleſiæ revocare diligentia indefeſſa procurant; proficientes ſibi per vitæ meritum, & aliis verbo pariter & exemplo. Unde quia in inquiſitione facienda contra hæreticos eorumdem fratrum ſolertiam novimus plurimum opportunam, ipſis hujuſmodi negotium providimus ſpecialiter committendum. Ideoque devotionem veſtram monemus & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, vobis per apoſtolica ſcripta mandantes: quatenus ad ipſius proſecutionem negotii ſolicite intendens, aliquos fratres ejuſdem ordinis de regno Aragoniæ, quos ad hoc idoneos fore noveritis, inquiſitores hæreticæ pravitatis in provincia Narbonenſi, per diſtrictum tantum cariſſimi in Chriſto filii noſtri Jacobi Aragonum regis illuſtris, authoritate noſtra deputare curetis: injungentes eiſdem, ut in negotio ipſo ſecundum formam a bonæ memoriæ Gregorio papa prædeceſſore noſtro editam, & a nobis poſtmodum innovatam, juxta quam ſiquidem procedunt fratres dicti ordinis in ipſa Provincia, ſicut eidem negotio expedire viderint, tam contra hæreticos, & ad ipſos accedentes, & fautores, & receptatores, ac defenſores eorum, quam alios ipſi negotio adverſantes, neminem præter Deum in hac parte timendo, efficaciter procedere non omittant. Tu vero, Prior, de conſilio ſeniorum & diſcretorum fratrum præfati ordinis, ejuſdem regni inquiſitores hujuſmodi authoritate noſtra removeas transferaſque, alios ſubſtituas, vel ſuperſedere facias, cum ex cauſa rationabili id videris faciendum.

Datum Lugduni decimotertio Kalendas Novembris, pontificatus noſtri anno ſexto.

## VIII. AD POTESTATES, RECTORES, CONSILIA, ET COMMUNITATES per Lombardiam.

### Conſtitutiones contra hæreticos a magiſtratibus ſæcularibus obſervandæ.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis poteſtatibus, ſive rectoribus, conſiliis, & communitatibus civitatum, aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & marchiam Treviſinam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

AD extirpanda de medio populi Chriſtiani hæreticæ pravitatis zizania, quæ abundantius ſolito ſuccreverunt, ſuperſeminante illa licentius his diebus hominis inimico, tanto ſtudioſius juxta commiſſam nobis ſolicitudinem inſudare proponimus, quanto pernicioſius negligeremus eadem in necem catholici ſeminis pervagari. Volentes autem ut adverſus hujuſmodi nequitiæ operarios conſurgant, ſtentque nobiſcum eccleſiæ filii, ac orthodoxæ fidei zelatores: conſtitutiones quaſdam ad extirpationem hæreticæ peſtis edidimus, a vobis ut fidelibus ejuſdem fidei defenſoribus exacta diligentia obſervandas, quæ ſeriatim inferius continentur. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli conſtitutiones eaſdem conſcribi in veſtris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, ſecundum eas contra omnem hæreſim ſe adverſus ſanctam hanc eccleſiam extollentem ſine omiſſione aliqua procedatis: alioquin dilectis filiis Priori provinciali, & fratribus inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ordinis Prædicatorum in Lombardia, marchia Treviſina, & Romaniola, damus noſtris litteris in mandatis, ut ſingulos veſtrum ad id per excommunicationem in perſonas & interdictum in terram appellatione remota compellant.

*Conſtitutiones autem ſunt hæ.*

I.

Statuimus, ut poteſtas, ſeu rector, qui civitati præeſt, vel loco alii ad præſens, aut pro tempore præfuerit in futurum, in Lombardia, Romaniola, vel marchia Treviſina, juret præciſe & ſine tenore aliquo attendere inviolabiliter & ſervare, & facere ab omnibus obſervari, toto tempore ſui regiminis, tam in civitate vel loco ſui regiminis, quam in terris ſuæ ditioni ſubjectis, omnes & ſingulas tam infra ſcriptas, quam alias conſtitutiones & leges, tam canonicas quam civiles, editas contra hæreticam pravitatem, & ſuper his præciſe obſervandis recipiant a quibuslibet ſibi in poteſtaria vel regimine ſuccedentibus juramenta: quæ qui præſtare noluerint, pro poteſtatibus vel rectoribus nullatenus habeantur, & quæ ut poteſtates vel rectores fecerint, nullam habeant penitus firmitatem, nec ullus teneatur aut debeat ſequi eos, etiamſi de ſequela præſtanda eis exhibuerit juramentum. Quod ſi poteſtas vel rector aliquis hæc omnia & ſingula ſervare noluerit, vel neglexerit, præter notam perjurii, & perpetuæ jacturam infamiæ, ducentarum marcarum pœnam incurrat, quæ irremiſſibiliter exigantur ab eo, & in utilitatem communis integra convertantur: & nihilo minus ut perjurus & infamis, & tanquam hæreticorum fautor, de fide ſuſpectus, officio & honore ſui regiminis ſpolietur: nec ulterius poteſtas ſeu rector in aliquo habeatur, aut de cetero ad aliquam dignitatem vel officium publicum nullatenus aſſumatur.

II.

Idem quoque Poteſtas, ſeu rector, cujuſlibet civitatis vel loci in principio ſui regiminis, in publica concione more ſolito congregata banno civitatis vel loci ſupponat tanquam pro maleficio omnes hæreticos utriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur, & teneatur bannum hujuſmodi a ſuis prædeceſſoribus poſitum confirmare. Præcipue autem quod nullus hæreticus vel hæretica de cetero habitet, vel moretur, vel ſubſiſtat in civitate, ſeu aliquo loco juriſdictionis aut diſtrictus ejuſdem: & quicumque ipſum vel ipſam invenerit, libere capiat, & capere poſſit impune, & omnes res ipſius vel ipſorum eis licenter auferre, quæ ſint auferentium pleno jure; niſi auferentes hujuſmodi ſint in officio conſtituti.

III.

Idem quoque Poteſtas, ſeu rector, infra tertium diem poſt introitum regiminis ſui, duodecim viros probos & catholicos, & duos notarios, & duos ſervitores, vel quotquot fuerint neceſſarii, inſtituere teneatur: quos diœceſanus, ſi præſens extiterit, & intereſſe voluerit, & duo fratres Prædicatores, & duo Minores, ad hoc a ſuis Prioribus, ſi conventus ibi fuerint eorumdem ordinum, deputati, duxerint eligendos.

IV.

Inſtituti autem hujuſmodi & electi poſſint & debeant hæreticos & hæreticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hæc tam in civitate quam in tota ejus juriſdictione atque diſtrictu plenarie adimpleri, & eos ducere, & duci facere in poteſtatem diœceſani, vel vicariorum ejuſdem.

V.

Teneatur autem Poteſtas ſeu rector quilibet, in expenſis communis cui præeſt, facere duci eoſdem hæreticos ita captos, quocumque diœceſanus, vel ejus vicarii, ſeu inquiſitores vel inquiſitor, in juriſdictione vel diſtrictu diœceſani epiſcopi, ſeu civitatis vel loci, voluerit illos duci.

VI.

Officialibus vero prædictis plena fides de his omnibus habeatur, quæ ad eorum officium pertinere noſcuntur, ſine aliquo ſpecialiter præſtito juramento, probatione aliqua in contrarium non admiſſa, ubi duo vel tres vel plures præſentes fuerint ex eiſdem.

VII.

Porro cum officiales hujuſmodi eliguntur, jurent hæc omnia exequi fideliter & pro poſſe, ac ſuper his ſemper meram dicere veritatem: quibus ab omnibus in his quæ ad officium eorum pertinent plenius pareatur.

VIII.

Et tam dicti duodecim quam ſervitores & notarii prætaxati, ſimul vel diviſim plenariam præcipiendi ſub pœna & banno quæ ad officium ſuum pertinent habeant poteſtatem.

IX.

Poteſtas autem, vel rector, teneatur habere firma & rata omnia præcepta, quæ occaſione officii ſui fecerit, & pœnas exigere non ſervantium.





X.

Quod ſi dictis officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit in perſonis vel rebus, pro ſuis officiis exequendis, a communi civitatis vel loci, per reſtitutionem plenariam ſerventur indemnes.

XI.

Nec ipſi officiales vel eorum hæredes poſſint aliquo tempore conveniri de his quæ fecerint, vel pertinent ad eorum officium, niſi ſecundum quod eidem diœceſano & fratribus videbitur expedire.

XII.

Ipſorum autem officium duret tantummodo per ſex menſes: quibus completis, poteſtas teneatur totidem ſubrogare officiales ſecundum formam præſcriptam; qui prædictum officium ſecundum formam eamdem in aliis ſex menſibus ſequentibus exequantur.

XIII.

Sane ipſis officialibus dentur de camera communis civitatis vel loci, quando exeunt civitatem vel locum pro hoc officio exequendo, unicuique pro qualibet die decem & octo imperiales in pecunia numerata, quas poteſtas vel rector teneatur eis dare, vel dari facere, infra diem tertium, poſtquam ad eamdem redierint civitatem vel locum.

XIV.

Et inſuper habeant tertiam partem bonorum hæreticorum quæ occupaverunt, & mulctarum ad quas fuerunt condemnati, ſecundum quod inferius continetur, & hoc ſalario ſint contenti.

XV.

Sed ad nullum aliud, quod iſtud officium impediat vel impedire poſſit ullo modo, officium, vel etiam exercitium, compellantur.

XVI.

Nullum etiam ſtatutum conditum vel condendum, eorum officium ullo modo valeat impedire.

XVII.

Et ſi quis horum officialium propter ineptitudinem, vel inertiam, vel occupationem aliquam, vel exceſſum, diœceſano & fratribus ſupradictis viſus fuerit amovendus: ipſum ad mandatum vel dictum eorum teneatur amovere Poteſtas aut rector, & alium ſecundum formam præſcriptam ſubſtituere loco ejus.

XVIII.

Quod ſi quis eorum, contra fidem & ſinceritatem officii ſui, in favorem hæreſis deprehenſus fuerit exceſſiſſe: præter notam infamiæ perpetuæ, quam tanquam fautor hæreticorum incurrat, per poteſtatem vel rectorem ad diœceſani loci & dictorum fratrum arbitrium puniatur.

XIX.

Poteſtas præterea militem ſuum, vel alium aſſeſſorem, ſi diœceſanus vel ejus vicarius, aut inquiſitores a ſede apoſtolica deputati, ſeu dicti officiales petiverint, cum ipſi officialibus mittere teneatur, & cum ipſis eorum officium fideliter exercere. Quilibet etiam ſi præſens in terra, vel requiſitus fuerit, teneatur tam in civitate quam in juriſdictione vel in diſtrictu quolibet, dare ipſis officialibus vel eorum ſociis conſilium & juvamen, quando voluerint hæreticum, vel hæreticam capere, vel ſpoliare aut inquirere: ſeu domum vel locum, aut auditum aliquem introire pro hæreticis capiendis, ſub vigintiquinque librarum imperialium pœna vel banno. Univerſitas autem burgi, ſub pœna & banno librarum centum, villa vero librarum quinquaginta imperialium pro qualibet vice ſolvenda in pecunia numerata.

per magiſtros errorum ſub prædicti Ezelini præſidio ad ſubvertendas fidelium mentes in marchiæ Terviſinæ partibus emergentes, in publicum perverſa infectionis hæreticæ dogmata ſuggerantur. Execrans præterea commune omnibus gentibus & magnum in Chriſto & eccleſia matrimonii ſacramentum, quod non humanæ voluntatis inventio ſtatuit, ſed Divinæ inſtitutionis commendat authoritas, quod temporaliter orientis ex homine Salvatoris nativitas honoravit, quodque cunctis fere animantibus ſuggerit in eis inſitus ordo naturæ, damnabili & de typho abominationis hæreticæ procedente præſumptionis audacia ſeparat contra legis evangelicæ interdictum legitimæ conjunctionis fœdere copulatos, adeo inter complices ſuos fœda connubia & adulterina conjugia conjungendo, ex quibus ſpuria vitulamina prodeunt, radices altas poſteritatis proſpere non datura. Nos itaque, quos licet immeritos ſummus fidelium paſtor ad arcendos a redempto Chriſti ſanguine grege ferales impetus ſalutem Chriſtiani populi lædentes & vitam, nec non ad hujuſmodi inveſtigandas aſſiduis vigiliis capiendaſque vulpeculas eccleſiæ ſuæ voluit præſidere, valido clamore Chriſtiani ſanguinis, quo idem Ezelinus terram operuit, nec minus evangelicæ fidei, quam molitur evertere, periculo excitati, per religioſos viros diſcernere curavimus, & videre, an idem Ezelinus illud circa fidem catholicam naufragium pateretur, quod de ipſo deteſtanda nunciabant opera, & vulgata infamia prædicabat. Cum autem ipſi religioſi ſuper his cum diligentia inquirentes, eumdemque de fide Chriſti non recte ſentire, & haberi debere ſuſpectum veris indiciis comperiſſent: tandem ipſe ad ſedem apoſtolicam nuncios deſtinavit, quibus bonæ memoriæ Sabinenſem epiſcopum conceſſimus auditorem, coram quo ad jurandum in ipſius Ezelini anima ſe obtulere paratos, quod idem de Deo & catholica fide credebat ſecundum quod Romana tenet eccleſia & docet eſſe credendum. Sed quoniam a dicto epiſcopo vel a nobis hujuſmodi purgatio admiſſa [illegible] cum in tanto crim[illegible] per propriam perſonam præſtanda eſſet purgatio: coram nobis ſibi præfiximus terminum, quo apoſtolico ſe conſpectui præſentaret, facturus ſuper his quod ordo exigeret rationis, oblata ſibi de ſecuritate perſonæ in veniendo & redeundo plenaria cautione. Unde quia nec in eodem termino, nec poſt ipſum, venire vel mittere procuravit, ipſum, qui plurium erat alias excommunicationum laqueis irretitus, & quod de fide catholica male ſentiret certa ratione ſuſpectus, anathematis vinculo duximus innodandum; alium ei terminum aſſignantes, quo in noſtra compareat præſentia, ſuper præmiſſis mandatis eccleſiæ pariturus; denunciando publice, quod niſi uſque ad terminum ipſum id faceret, extunc procederemus gravius contra eum juxta legitimas & canonicas ſanctiones. Cum autem venire ſeu mittere, licet ultra terminum diutius expectatus, obſtinatione damnabili deſpexiſſet, & non ſolum per annum, ſed per biennium vilipenſis eccleſiæ clavibus prædictum ſuſtinuiſſet contemptibiliter anathema: nos, quia non debebamus ulterius canonicum contra eum differre judicium, quem tam longum diffugium, & tam dura pertinacia reum tanti criminis oſtendebant, præſertim quia hujuſmodi judicii tarditas periculoſam forte aliquibus præbebat audaciam, & quos a malis feſtinata unius pœna compeſceret, protelata forſitan ad illam laxaret: eumdem Ezelinum tanquam hæreticum reputantes, decrevimus ipſum, habito fratrum noſtrorum conſilio, promulgatis adverſus hæreticos ſanctionibus ſubjacere; niſi uſque ad Kalendas Auguſti tunc proxime ſecuturas coram nobis comparere curaret, noſtris & eccleſiæ pariturus præciſe beneplacitis & mandatis, Quem ſiquidem terminum tunc ſibi ex multa benignitate apoſtolicæ ſedis præfiximus, cum eum ſalvari vellemus potius quam perire. Ipſo vero contra Deum & contra homines collo rebellionis extento, & ad omnem fidei Chriſtianæ inobedientiam ſpiritu obfirmato, tanquam prolapſus in deſperationis abyſſum, & humani pudoris, Divini judicii, ac ſalutaris conſilii pertinax aſpernator, imminentia ſibi diſcrimina quæcumque contempſit: & perire potius eligens quam parere, nec in termino ſibi ex multa eccleſiæ miſerationis lenitate conceſſo, nec poſtmodum diutius expectatus venire curavit. Nos autem illius periculo condolentes, adhuc voluimus ejus duritiam ſolita ſedis apoſtolicæ benignitate mulcere, ſi forte ad ſuſcipiendum ſalutis remedium aliqua in eo ſcintilla ſanioris conſilii remanſiſſet: ipſumque non ſemel vel ſecundo, ſed pluries immo multoties ad . . . . . judicium edictis legitimis evocatum, duximus prolixis ad convincendum inexcuſabilem ejus malitiam temporum ſpatiis expectandum. Porro idem, ſicut aſpidis ſurdiſſimæ filius, ad omnem monitoris vocem obturans auditum, jam per ſex annos & amplius vocationis longanimitate & expectationis noſtræ patientia eſt abuſus. Nos igitur ex his attendentes quod diuturnioris erga eumdem Ezelinum tolerantiæ pietas in communem multorum poſſet redundare perniciem, & ulterior expectatio nihil operaretur in eo niſi contumaciam & contemptum: ne tantum malum in medio Chriſtiani populi diutius toleratum latius pervagetur, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio, præſente fidelium populo, qui in die cœnæ Domini ex diverſis Mundi partibus ad apoſtolorum limina confluxit, præd[illegible] Ezeli[illegible] ſicut manifeſtum hæreticum ſententialiter judicamus, ipſum [illegible]municatum & anathematizatum cum [illegible] hæreticis deputando, adſcripta illis damnationis ſtipendia recepturum, niſi forſitan eum, uſque ad feſtum aſcenſionis Dominicæ proxime venturum, ad præſentiam noſtram perſonaliter venire audiemus: quod de abundantiſſima apoſtolicæ ſedis clementia duximus adjungendum.

Datum Laterani quinto Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno undecimo.

## X. AD OTTONEM CARDINALEM TUSCULANUM.

De controverſia orta inter archiepiſcopum Nicoſienſem Latinum ex una parte, & epiſcopos Græcos regni Cypri ex altera.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri epiſcopo Tuſculano apoſtolicæ ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SUb catholicæ profeſſione fidei atque cultu conſiſtere ac proficere univerſos, ceteris noſtræ mentis deſiderabilibus præferentes, illud tanquam acceptabilius pleniori deſiderio cupimus, & ad hoc velut operativum ſalutis præcipuum intimis affectibus anxius aſpiramus. Hæc, inquam, unio ſive connexio cordi noſtro ineſtimabilis gaudii rorem infunderet, ſi varias gentium nationes ejuſdem obſervantia fidei in unum acceptabilem Chriſto populum adunaret. Id utique anxiæ mentis noſtræ ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, ſi omnes quos olim in unum catholicum gregem ovile collegit Domini, cum multi ab eo diſceſſerint, in idem individuum collegium unius paſtoris ſolidaret magiſterium, & cuſtodia communiret. O ſi orientalibus Oriens ex alto luceret, & ſui luminis illuſtratione ipſos ad catholicam reduceret unitatem: ut cum reliquis orthodoxis in unius aulæ collecti gremio, de matris eccleſiæ ubere fluenta doctrinæ ſalutaris haurirent. Tunc ipſi eccleſiæ proveniret magnum & deſiderabile ſalutare: tunc ejus uterus ſobole geminata concreſceret: tunc orientalibus oriretur ſupernæ illuminationis aurora: tunc eis clareſceret Lucifer veritatis: tunc per univerſam eccleſiam inundantis gaudii erumperet plenitudo: tunc exultatione nimia clareſceret totus orbis, quia valde bonum & jucundum exiſteret fratres ſimul in domo Domini habitare: tunc eadem eccleſia, multiplicata lætitia, novæ jucunditatis canticum perſonaret. Verum quia nonnulli Græcorum jamdudum ad devotionem ſedis apoſtolicæ redeuntes, ei reverenter obediunt & intendunt: licet & expedit ut mores ac ritus eorum, quantum cum Deo poſſumus, tolerantes, ipſos in Romanæ eccleſiæ obedientia præſervemus: quamquam in iis quæ animarum periculum parerent, vel honeſtati eccleſiaſticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Sane inter venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Nicoſienſem, & ejus ſuffraganeos Latinos ex parte una, & epiſcopos Græcos regni Cypri ex altera, de quibuſdam certis articulis diſcordiam & turbationem fore ſubortam, & eorumdem tenorem articulorum ac reſponſiones ipſorum Græcorum ad illos, nobis, ut melius poſſimus inſtrui ſuper eis, plene ac provide per tuas litteras intimaſti, ſolicite requirendo, ut providere ſuper hoc apoſtolica diligentia curaremus. Nos autem litteris ipſis affectuoſe receptis, earum ſeriem, & ipſos articulos, ac reſponſiones eaſdem, & cetera quæ continebantur in illis, una cum fratribus noſtris perlegimus & intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, & meditantes ac deliberantes ſuper his, prout rei qualitas exigebat. Circa hæc itaque ſic deliberatio noſtra reſedit.

I.

Ut Græci ejuſdem regni in unctionibus quæ circa baptiſma fiunt, morem eccleſiæ Romanæ teneant & obſervent.

II.

Ritus vero ſeu conſuetudo quam habere dicuntur, unguendi per totum baptizandorum corpora, ſi tolli ſine ſcandalo vel removeri non poteſt, cum ſive fiat, ſive non, quantum ad baptiſmi efficaciam vel effectum, non multum referat, toleretur.

III.

Nec refert etiam, utrum in frigida vel calida aqua baptizent, cum parem vim & effectum in utraque baptiſmum habere, aſſeverare dicantur.

IV.

Soli autem epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet niſi per epiſcopos exhiberi: quoniam ſoli apoſtoli, quorum vices gerunt epiſcopi, per manus impoſitionem, quam confirmatio vel frontis chriſmatio repræſentat, Spiritum ſanctum tribuiſſe leguntur.

V.

Singuli quoque epiſcopi in ſuis eccleſiis, in die cœnæ Domini poſſunt ſecundum formam eccleſiæ chriſma conficere, ex balſamo quidem & oleo olivarum. Nam Spiritus ſancti donum in chriſmatis unctione confertur, & columba utique, quæ ipſum deſignat Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retuliſſe. Sed ſi ſuum antiquum ritum in hoc Græci potius ſervare voluerint, videlicet quod patriarcha una cum archiepiſcopis & epiſcopis ejus ſuffraganeis, & archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis, ſimul chriſma conficiant, in tali eorum conſuetudine tolerentur.

VI.

Nulli autem per ſacerdotes vel confeſſores, pro ſatisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua ſolummodo injungatur.

VII.

Infirmis vero, juxta verbum Jacobi apoſtoli, unctio exhibeatur extrema.

VIII.

Porro in appoſitione aquæ, ſive frigidæ, ſive calidæ, vel tepidæ, in altaris ſacrificio, ſuam ſi velint conſuetudinem, Græci ſequantur; dummodo credant & aſſerant, quod ſervata canonis forma conficiatur pariter de utraque.

IX.

Sed Euchariſtiam in die cœnæ Domini conſecratam uſque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipſos communicent, non reſervent: liceat tamen eis pro infirmis ipſis corpus Chriſti conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis ſpatio, conſervare: ne per diutinam ipſius reſervationem, alteratis forſitan ſpeciebus, reddatur minus habile ad ſumendum: licet veritas & efficacia ſemper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate ſeu volubilitate temporis evaneſcat.

X.

In celebratione vero ſolennium, & aliarum Miſſarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel conſecratione formam verborum a Domino expreſſam & traditam obſervent, & celebrando non tranſgrediantur horam nonam, ſuam ſequi conſuetudinem permittantur.

XI.

Sacerdotes autem dicant horas canonicas more ſuo: ſed Miſſam celebrare, priuſquam officium matutinale compleverint, non præſumant.

XII.

Promovendi vero ad ſacerdotium, & presbyteri qui præficiendi fuerint eccleſiarum regimini, examinentur antea diligenter, ſi præcipue de horis canonicis & Miſſarum officiis ſecundum diſtinctionem temporum exequendis ſint ſufficienter inſtructi; ut ad hæc non niſi digni & idonei admittantur.

XIII.

Ceterum unuſquiſque ſacerdos in aureo, vel argenteo ſolum, aut ſaltem ſtanneo calice ſacrificet: habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis veſtimentis opertum, vel decentibus paramentis.

XIV.

Mulieres autem ſervire ad altare non audeant, ſed ab illius miniſterio omnino repellantur.

XV.

De jejunio vero diei ſabbati quadrageſimali tempore, quamquam honeſtius & ſalubrius Græci agerent, ſi ſic toto illo tempore abſtinerent, ut nec unico die inſtitutum jejunium violarent, teneant & ſervent pro libito morem ſuum.

XVI.

Sacerdotes quoque conjugati, & alii quibus parochiarum cura vel eccleſiarum parochialium regimen

men per epiſcopos ſuos committitur, licite ac libere poſſint parochianorum ſuorum confeſſiones audire, ipſiſque pœnitentiam injungere pro peccatis: quia cui licet vel conceditur quod eſt majus, competit nimirum, nec negari convenit, quod eſt minus.

XVII.

Liberum tamen ſit ipſis epiſcopis viros alios idoneos coadjutores & cooperatores habere in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, ac ceteris quæ ad ſalutem pertinent animarum, ipſiſque in his per eorum diœceſes, abſque ſacerdotum ipſorum præjudicio & gravamine, committere vices ſuas; cum propter occupationes multiplices, & occaſiones varias poſſit contingere, quod nequeant per eaſdem diœceſes officium ſuum exequi per ſeipſos.

XVIII.

De fornicatione autem, quam ſolutus cum ſoluta committit, quin ſit mortale peccatum, non eſt aliquatenus ambigendum: cum tam fornicarios quam adulteros a regno Dei apoſtolus aſſerat alienos.

XIX.

Ad hæc volumus & expreſſe præcipimus quod epiſcopi Græci ſeptem ordines ſecundum morem eccleſiæ Romanæ de cetero conferant, cum hucuſque tres de minoribus circa ordinandos neglexiſſe vel prætermiſiſſe dicantur. Illi tamen qui jam ſunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipſorum multitudinem, in ſic ſuſceptis ordinibus tolerentur.

XX.

Quia vero ſecundum Apoſtolum mulier mortuo viro ab ipſius eſt lege ſoluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, ſecundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec contemnant, ſed potius illas approbent inter perſonas quæ alias licite adinvicem matrimonio jungi poſſunt.

XXI.

Secundo tamen nubentes presbyteri non benedicant.

XXII.

Et quoniam apud eos conſueverunt contrahi matrimonia inter perſonas contingentes ſc. juxta eorum computationem octavo gradu, qui ſecundum computationem & diſtinctionem graduum, quam nos facimus apud nos, quartus habetur: ne id præſumatur deinceps firmiter prohibemus; diſtricte præcipientes, ut, cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto conſanguinitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non præſumant; ſtatutum in hoc generalis concilii obſervantes. Illos tamen qui jam in gradu hujuſmodi contraxerunt, diſpenſative permittimus in ſic contracto matrimonio remanere.

XXIII.

*Matth. 12.* Denique cum Veritas in evangelio aſſerat, quod ſi quis in Spiritum ſanctum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo, neque in futuro dimittetur ei: per quod datur intelligi, quaſdam culpas in præſenti, quaſdam vero in futuro ſæculo relaxari; & Apoſtolus dicat quod *uniuſcujuſque opus quale ſit* *1. Cor. 3.* *ignis probabit: & cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*: & ipſi Græci vere ac indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum, qui ſuſcepta pœnitentia, ea non peracta, vel qui ſine mortali peccato, cum venialibus tamen & minutis decedunt, purgari poſt mortem, & poſſe ſuffragiis eccleſiæ adjuvari: nos, quia locum purgationis hujuſmodi dicunt non fuiſſe ſibi ab eorum doctoribus certo & proprio nomine indicatum, illum quidem juxta traditiones & authoritates ſanctorum patrum purgatorium nominantes, volumus quod de cetero apud illos iſto nomine appelletur. Illo enim tranſitorio igne peccata utique, non tamen criminalia ſeu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remiſſa, ſed parva & minuta purgantur: quæ poſt mortem etiam gravant, ſi in vita non fuerint relaxata.

XXIV.

Si quis autem abſque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur.

XXV.

Animæ vero parvulorum, poſt baptiſmi lavacrum, & adultorum etiam in caritate decedentium, qui nec peccato, nec ad ſatisfactionem aliquam pro ipſo tenentur, ad patriam protinus tranſvolant ſempiternam.

XXVI.

Ordinationes demum & inſtituta regularia ſanctorum patrum de vita & ſtatu monachorum præcipimus ab abbatibus & monachis Græcis inviolabiliter obſervari.

Fraternitatem itaque tuam hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus præmiſſa omnia epiſcopis Græcis præfati regni ſeriatim & diligenter exponi facias: diſtricte ipſis injungens, ut ea ſolicite attendere, ſtudioſe tenere, ac efficaciter obſervare procurent, & a ſuis faciant ſubditis obſervari. Memoratis autem archiepiſcopo Nicoſienſi, & ejus ſuffraganeis Latinis, firmiter authoritate noſtra præcipias, ut eoſdem Græcos ſuper præmiſſis contra hujuſmodi proviſionem & deliberationem noſtram non inquietent aliquatenus, nec moleſtent. Contradictores eadem authoritate, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtantibus, ſi præfatis archiepiſcopo & ſuffraganeis, vel quibuſcumque aliis, a ſede apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras apoſtolicas plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Laterani 11. Nonas Martii, pontificatus noſtri anno undecimo.

## XI. AD OMNES FIDELES.

Contra hæreticos.

*Innocentius IV. ſervus ſervorum Dei univerſis Chriſti fidelibus.*

NOverit univerſitas veſtra, quod nos ad inſtar felicis recordationis Gregorii papæ prædeceſſoris noſtri excommunicamus & anathematizamus univerſos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Paſſaginos, Joſepinos, Arnaldiſtas, Speroniſtas, & alios, quibuſcumque nominibus cenſeantur, facies quidem habentes diverſas, ſed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipſum. Damnati vero per eccleſiam ſæculari judicio relinquantur animadverſione debita puniendi; clericis prius a ſuis ordinibus degradatis.

Si qui autem de prædictis, poſtquam fuerint deprehenſi, redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur.

Credentes autem eorum erroribus, ſimiliter hæreticos judicamus.

Item receptatores, defenſores, & fautores hæ-



reticorum, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere: firmiter ſtatuentes, ut ſi poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a ſua ſuper hoc non curaverit præſumptione ceſſare, ipſo jure ſit factus infamis, nec ad publica officia, ſeu conſilia, nec ad eligendos aliquos ad hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtamenti habeat factionem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ipſi ſuper quocumque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quod ſi forte judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, inſtrumenta confecta per ipſum nullius penitus ſint momenti, ſed cum authore damnato damnentur: & in ſimilibus idem præcipimus obſervari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem tales, poſtquam ab eccleſia fuerint denotati, evitare contempſerit: excommunicationis ſententia percellantur, alias animadverſione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi juxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtraverint, anathematis gladio feriantur, & uſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod ſi per annum in excommunicatione perſtiterit, extunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes aut appellationes hujuſmodi perſonarum minime audiantur. Item judices, advocati & notarii, nulli eorum officium ſuum impendant: alioquin eodem officio perpetuo ſint privati. Item clerici non exhibeant hujuſmodi peſtilentibus eccleſiaſtica ſacramenta; nec eleemoſynas aut oblationes eorum recipiant. Similiter Hoſpitalarii, aut Templarii, ac quilibet regulares. Alioquin ſuo priventur officio, ad quod nunquam reſtituantur abſque indulto ſedis apoſtolicæ ſpeciali. Item quicumque tales præſumpſerint eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, uſque ad ſatisfactionem idoneam, excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere, nec abſolutionis beneficium mereantur, niſi propriis manibus publice extumulent & projiciant hujuſmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat ſepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam perſonæ laicæ liceat publice vel privatim de fide catholica diſputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item ſi quis hæreticos ſciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, ſeu a communi converſatione fidelium vita & moribus diſſidentes, eos ſtudeat indicare confeſſori ſuo, vel alii, per quem credat ad prælati ſui & inquiſitorum hæreticæ pravitatis notitiam pervenire: alioquin excommunicationis ſententia percellatur. Hæretici autem & receptatores, defenſores & fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem, ad nullum eccleſiaſticum beneficium ſeu officium admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim prædictos & quoſcumque viros eccleſiaſticos, qui ad preces hujuſmodi peſtilentium perſonarum, dignitates, perſonatus, & quæcumque alia eccleſiaſtica beneficia, ſunt adepti, exnunc privamus taliter acquiſitis: volentes ut tales & habitis perpetuo careant, & ad alia vel ſimilia nequaquam in poſterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem nullius momenti eſſe volumus, quorum parentes poſt emancipationem hujuſmodi ad viam ſuperſtitionis hæreticæ a via declinaſſe conſtiterit veritatis.

Datum Anagniæ decimoſeptimo Kalendas Julii, pontificatus noſtri anno undecimo.

## XII. AD FRATRES PRÆDICATORES.

De hæreſi extirpanda.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis fratribus ordinis Prædicatorum inquiſitoribus hæreticæ pravitatis præſentibus & futuris in Lombardia & marchia Januenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

MAlitia hujus temporis in diverſis mundi partibus, & maxime in provincia Lombardiæ perverſorum morum peperit corruptelam, ex quibus letifera peſtis hæreticæ pravitatis abundantius ſolito noſcitur pullulaſſe. Ad extirpationem igitur ejuſdem peſtis juxta officii noſtri debitum ex animo intendentes, volumus adverſus hujuſmodi iniquitatis operarios, qui maſſam catholicæ puritatis fermento propriæ contagionis inficiunt, fideles, ut conſurgant ſtentque nobiſcum pro evangelicis, quas profeſſi ſunt, legibus defendendis, ſalubribus adhortationibus incitari.

Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in locis ubi contra hæreticos vobis inquiſitionis officium commiſſum eſt, curetis ſinguli opportuna inſtantia contra eoſdem hæreticos eorumque fautores proponere populis publice verbum crucis: & eos qui tacti zelo fidei ad extirpandam pravitatem eamdem votum aſſumpſerint, crucis charactere conſignare.

Ut autem vobis de prædicatione hujuſmodi, & fidelibus qui ejuſdem crucis ob hoc votum aſſumpſerint, copioſæ mercedis præmium afferatur, vobis & eiſdem fidelibus illam indulgentiam illudque privilegium elargimur, quæ tranſeuntibus in terræ ſanctæ ſubſidium in generali concilio conceduntur. Cum autem hujuſmodi crucis verbum per vos proponi contigerit: relaxandi omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad audiendum verbum ipſum devote adfuerint, quadraginta vel viginti dies de injunctis pœnitentiis libera ſit vobis & ſingulis veſtrum de noſtra conceſſione facultas. Quod ſi forte, quod non credimus, aliqua civitas, communitas, vel perſona, cujuſcumque conditionis vel gradus, huic tam ſalubri negotio ſe opponere, ſeu illud præſumpſerit aliquatenus impedire, ut per vos, vel per alios authoritate noſtra ad hoc deputatos, vel in poſterum deputandos, libere procedi non valeat in eodem; immo ſi quicumque requiſiti illud fovere neglexerint; & juxta officium & poſſe ſuum ſtudioſe juvare: contra eos, tanquam defenſores & fautores hæreticorum, ſublato appellationis obſtaculo, vos vel veſtrum ſinguli authoritate noſtra intrepide procedatis. Contra quos, prout audacia ipſorum exegerit, reges & principes Chriſtianos, nec non crucelignatos pro terræ ſanctæ ſuccurſu, curabimus invocare: cum non minus expediat, immo magis, fidem in locis prope poſitis, quam procul diſtantibus defenſare.

Porro ut non ſolum inquiſitionis vobis ſuper hæretica pravitate commiſſæ, ſed & hujuſmodi prædicationis crucis officium in manibus veſtris congruis favoribus adjuvetur, abſolvendi juxta formam eccleſiæ, omnes qui contra pravitatem hæreticam aſſumpſerint ſignum crucis, ab interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationum ſententiis canonicis, & præſertim ab illis quas pro incendiis, vel

vel effractionibus eccleſiarum, ſeu injectione manuum violenta in perſonas eccleſiaſticas, incurrerunt: & aliis quoque ſententiis a nobis vel authoritate noſtra generaliter promulgatis, niſi adeo gravis & enormis exceſſus fuerit perſonarum, quod ab his oporteat abſolutionis beneficium per ſedem apoſtolicam obtineri: nec non & ab illis ſententiis, quas, adhærendo & favendo contra eccleſiam quondam Friderico, ſe tum pro imperatore gerenti, ſeu Conrado nato ejus, vel ipſorum fautoribus, incurrerunt: Ezelino de Romanis, Uberto marchione Pelavicino, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, poteſtatibus, rectoribuſque civitatum atque locorum, ſimilibuſque perſonis, qui in eccleſias & perſonas eccleſiaſticas ſæva exercuiſſe noſcuntur, aut eorum bona nequiter occupaſſe, dumtaxat exceptis: dummodo aſſumpto crucis ſignaculo, votum hujuſmodi, qui abſoluti fuerint, efficaciter proſequantur; & ipſi caveant quod de cetero contra eccleſiam nunquam erunt; & tam ab ipſis, quam ab aliis præmiſſis, plena de damnis & injuriis, propter quæ excommunicati noſcuntur, ſatisfactio, vel ſatisfaciendi ſufficiens ſecuritas, impendatur. Nec non & diſpenſandi cum clericis ſuper irregularitatibus, quas celebrando Divina ligati ſententiis canonicis contraxerunt: commutandi quoque vota eorumdem cruceſignatorum, voventium & votorum qualitate penſata: terræ ſanctæ votis, aliiſque perpetuis, quæ commutationis non admittunt remedium, dumtaxat exceptis. Concedendis quoque cruceſignatis iiſdem, quod tempore generalis interdicti poſſint intereſſe Divinis officiis, & eccleſiaſtica ſacramenta recipere, in locis in quibus eadem ex indulto ſedis apoſtolicæ celebrantur: dummodo, ſi in præmiſſis caſibus, eccleſiaſticis tenentur ligati ſententiis, prius beneficium abſolutionis aſſequantur: vobis & ſingulis veſtrum authoritate præſentium concedimus facultatem.

Datum Anagniæ decimotertio Kalendas Julii, pontificatus noſtri anno undecimo.

## XIII. AD LOMBARDIÆ, ROMANIOLÆ, ET MARCHIÆ TARVISINÆ RECTORES.

Approbat leges a Friderico imp. contra hæreticos, eorumque fautores editas.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis poteſtatibus, conſiliis, & communitatibus civitatum, aliorumque locorum Lombardiæ, marchiæ Tarviſinæ, ac Romaniolæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Ex Bullario.

CUm adverſus hæreticam pravitatem quondam Fridericus Romanorum imperator promulgaverit quaſdam leges, per quas ne pervagetur, compeſci poterit peſtis illa: nos illas volentes ad robur fidei, ac ſalutem fidelium obſervari, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eas, quorum tenores vobis mittimus inſertos præſentibus, faciatis ſinguli in veſtris capitularibus annotari, contra hæreticos ſectæ cujuslibet ſecundum eas exacta diligentia proceſſuri. Alioquin dilectis filiis Priori, provinciali & fratribus inquiſitoribus hæreticæ pravitatis ordinis Prædicatorum in Lombardia, marchia Tarviſina, & Romaniola litteris noſtris injungimus, ut vos ad id per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

*Sequuntur leges dom. Friderici imperatoris.*

Ex lib. Epiſt. Petri de Vineis ep. [illegible]

FRidericus Dei gratia Romanorum imperator, & ſemper auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ rex, dilectis principibus ſuis, venerabilibus archiepiſcopis, aliiſque prælatis eccleſiarum, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, poteſtatibus, ſcultetis, burgaviis, advocatis, judicibus, miniſterialibus, officialibus, & omnibus per totum imperium conſtitutis, præſentes litteras inſpecturis fidelibus ſuis, gratiam ſuam, & omne bonum.

Commiſſi nobis cœlitus cura regiminis & imperialis, cui dante Domino præſidemus, faſtigium dignitatis, materialem, quo diviſim a ſacerdotio fungimur, gladium adverſus hoſtes fidei & in exterminium hæreticæ pravitatis exigunt exerendum: ut perfidiæ vipereos filios contra Deum & eccleſiam inſultantes, tanquam materni uteri corroſores, in judicio & juſtitia perſequamur, maleficos vivere non paſſuri, per quorum ſcientiam ſeducentem mundus inficitur, & in gregem fidelium per oves has morbidas gravior infligitur corruptela.

Statuimus itaque ſancientes, ut hæretici, quocumque nomine cenſeantur, ubicumque per imperium damnati fuerint ab eccleſia, & ſæculari judicio aſſignati, animadverſione debita puniantur.

Si qui vero de prædictis, poſtquam fuerint deprehenſi, territi metu mortis, redire voluerint ad fidei unitatem, juxta canonicas ſanctiones ad agendum pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

Præterea, quicumque hæretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, ſeu aliis locis imperii per inquiſitores ab apoſtolica ſede datos, & alios orthodoxæ fidei zelatores: hi qui juriſdictionem ibidem habuerint, ad inquiſitorum & aliorum catholicorum virorum inſinuationem eos capere teneantur, & eos captos arctius cuſtodire, donec per cenſuram eccleſiaſticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei ſacramenta & vitæ damnabant.

Simili quoque pœna plecti cenſemus omnes, quos ad fovendum hæreticorum errorem callidus hoſtis ſuſcitat advocatos, vel parat illicitos defenſores: maxime cum facinus quos inquinat, æquat: niſi monitione præmiſſa deſtiterint, & eorum vitæ duxerint conſulendum.

Eos præterea qui convicti in uno loco de hæreſi, ad alia loca ſe transferunt, ut cautius poſſint effundere virus hæreticæ pravitatis, debitam cenſemus ſubire vindictam: ut ſuper hoc per viros ab eodem errore converſos ad fidem, nec non & per alios, qui eos de hæreſi convicerunt, quod & in hoc caſu concedimus licite faciendum, evidens teſtimonium habeatur.

Item mortis ſententiæ ducimus addicendos, ſi quos hæreticorum ad judicium tractos, in extremæ vitæ periculo hæreſim abjurantes, poſtmodum de falſo juramento conſtiterit, & fide mentita convinci, ac eos contigerit ejuſdem morbi ſpontaneam incurrere recidivam: ut ſibi damnabilius iniquitas ſit mentita, & pœnam debitam mendacium non evadat.

Omne inſuper proclamationis & appellationis beneficium, ab hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorumdem, penitus amovemus: volentes ut de finibus imperii, in quibus ſemper debet exiſtere fida fides, hæreticæ labis germina modis omnibus deleantur.

Ceterum quia quanto majora Divinæ nutu miſera-



tionis accepimus, & altiorem locum præ filiis hominum obtinemus, tanto devotiora debemus obſequia gratitudinis conferenti: ſi quando in noſtri nominis contemptores noſtri culminis excandeſcit authoritas, ſi reos læſæ majeſtatis, in perſonis eorum & liberorum ſuorum exhæredatione damnamus, multo fortius, juſtiuſque contra Dei blaſphematores nominis, & catholicæ fidei detractores provocamur, eorumdem hæreticorum, receptatorum, fautorum, & advocatorum ſuorum, hæredes & poſteros, uſque ad ſecundam progeniem, beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis & honoribus, imperiali authoritate privantes, ut in paterni memoria criminis continuo mœrore tabeſcant: vere ſcientes, quod Deus zelotes eſt, peccata patrum in filios potenter ulciſcens.

Exod. 20. 5.

Nec quidem a miſericordiæ finibus duximus excludendum, ut ſi qui paternæ hæreſis non ſequaces, latentem patrum perfidiam revelaverint: quacumque reatus illorum animadverſione plectantur, prædictæ punitioni non ſubjaceant innocentiæ filiorum.

Ad hæc, notum fieri volumus, fratres Prædicatores de ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus imperii noſtri contra hereticos deputatos, ceteros quoque qui ad hæreticos judicandos acceſſerint, niſi aliqui eorum ab imperio fuerint proſcripti, eundo, morando, & redeundo, ſub noſtri imperii ſpeciali defenſione receptos, & quos apud omnes, ſub ope ac recommendatione fidelium imperii eſſe volumus inoffenſos. Univerſitati veſtræ mandantes, quatenus quocumque, & apud quemcumque veſtrum pervenerint, benigne recipiatis eoſdem; & perſonas ab incurſu hæreticorum eis inſidiantium conſervantes indemnes, omne conſilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis.

Hæreticos vero, quos & oſtenderint ipſi vobis, in juriſdictione veſtra ſinguli capientes, diligenti cuſtodia detinendos, donec poſt eccleſiaſticæ damnationis judicium, pœnam ſubeant, quam merentur. Scituri quod in executione ipſius negotii, gratum Deo, & laudabile nobis obſequium conferetis, ſi ad expellendam de partibus noſtri imperii novam & inſolitam hæreticæ pravitatis infamiam, opem, & operam, una cum eiſdem fratribus, præſtiteritis efficacem, & ſi quis foret exinde negligens & remiſſus, ac etiam inutilis, coram Domino & in conſpectu noſtro poterit merito culpabilis apparere.

Datum Paduæ XXII. Februarii, XII. indictione.

*Frideric s Dei gratia, &c.*

Ex eodem lib. 1. epiſt. Petri de Vineis ep. 26.

INconſutilem tunicam Dei noſtri diſſuere conantur hæretici, & vocabuli vitio ſervientes, quod ſignificationem diviſionis enunciat, in ipſius indiviſibilis fidei unitate nituntur inducere ſectionem: & oves a Petri cuſtodia, cui paſcendæ a paſtore bono ſunt creditæ, ſegregare. Hi ſunt lupi rapaces intrinſecus, eo uſque manſuetudinem prætendentes ovium, quouſque ovile poſſint ſubintrare Dominicum. Hi ſunt angeli peſſimi. Hi ſunt filii pravitatum, a patre nequitiæ, & fraudis authore, ad animas ſimplices deſtinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt. Hi ſerpentes, qui latenter videntur inſerpere, & ſub mellis dulcedine, virus evomere. Ut vitæ cibum miniſtrare ſe ſimulent, a cauda feriunt: & mortis poculum, velut quoddam duriſſimum venenum immiſcent. Horum ſectæ, veteribus, vel ne in publicum prodeant, non ſunt notatæ nominibus, vel, quod eſt forte nefandius, non contentæ, ut vel ab Ario Ariani, vel a Neſtore Neſtoriani, aut a ſimilibus ſimiles nuncupentur: ſed in exemplum martyrum, qui pro fide catholica martyria ſubierant, Patarenos ſe nominant, velut expoſitos paſſioni. Hujuſmodi miſeri Patareni, a quibus abeſt ſancta credulitas divinitatis æternæ, ſub uno contextu nequitiæ inſimul tres offendunt; Deum videlicet, proximos, & ſeipſos. Deum, dum Dei fidem, & Filium non agnoſcunt. Decipiunt proximos, dum ipſis ſub ſpe ſpiritualis alimoniæ, hæreticæ pravitatis oblectamenta miniſtrant. Crudelius etiam ſæviunt in ſe ipſos, dum poſt animarum diſpendium, corpora denique ſeveræ mortis illecebris, quam per agnitionem veram & veræ fidei poſſent evadere, vitæ prodigi, & necis improvidi ſectatores, involvunt: &, quod eſt ipſo dictu diriſſimum, ſuperſtites etiam non terrentur exemplo.

Contra tales, ſibi Deo, & hominibus ſic infeſtos, continere non poſſumus motus noſtros, quin debitæ ultionis in eos gladium exeramus: tanto ipſos inſtantius perſequentes, quanto in evidentiorem delaſionem fidei Chriſtianæ, prope Romanam eccleſiam, quæ caput eccleſiarum omnium judicatur, ſuperſtitionis ſuæ ſcelera latius exercere noſcuntur. Adeo quod ab Italiæ finibus præſertim a partibus Lombardiæ, in quibus pro certo perpendimus ipſorum nequitiam latius abundare, jamque uſque ad regnum noſtrum Siciliæ, ſuæ perfidiæ rivulos derivarunt. Quod acerbiſſimum reputantes, ſtatuimus in primis, ut crimen hæreſeos, & damnatæ ſectæ cujuſlibet, quocumq; nomine cenſeantur ſectatores, prout veteribus legibus eſt indictum, inter publica crimina numerentur. Immo crimine læſæ majeſtatis noſtræ debet ab omnibus horribilius judicari, quod in Divinæ majeſtatis injuriam noſcitur attentatum, quamvis judicii poteſtate alterum alteri non excellat. Nam ſicuti perduellionis crimen perſonas admittit damnatorum, & bona, & damnat poſt obitum memoriam defunctorum: ſic & in prædicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus obſervari.

Et ut ipſorum nequitia, qui, quia Dominum non ſequuntur, in tenebris ambulant, detegatur: nemine etiam deferente, inveſtigari volumus diligenter hujuſmodi ſcelerum patratores; & per officiales noſtros, ſicut & alios malefactores inquiri. Ac inquiſitione notatos, etſi levis ſuperſtitionis argumento tangantur, a viris eccleſiaſticis, & prælatis examinari jubemus. Per quos ſi inventi fuerint a fide catholica ſaltem in articulo deviare, ac per ipſos paſtorali more commoniti, tenebroſi diaboli relictis inſidiis, noluerint agnoſcere Deum lucis, ſed in erroris concepta inſtantia perſeverent: præſentis noſtræ legis edicto damnatos mortem pati Patarenos alioſque hereticos, quocumque nomine cenſeantur, decernimus, quam affectant: ut vivi in conſpectu hominum comburantur, flammarum commiſſi judicio. Nec dolemus, quod in hoc ipſorum ſatisfacimus voluntati, ex quo pœnam ſolummodo, nec fructum alium conſequuntur erroris.

Apud nos pro talibus nemo intervenire præſumat: quod qui fecerit, in ipſum noſtræ indignationis aculeos non immerito convertemus.

Datum Paduæ XXII. Februarii, XII. indict.

*Imperator Fridericus ſemper auguſtus, &c.*

PAtarenorum receptatores, & complices, & quocumque modo fautores, qui ut a pœna alios poſſint eximere, de ſe velut improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum eſſe cenſemus.

Et ipſorum filii ad honores aliquos nullatenus admittantur. Si tamen aliquis fautorum hujuſmodi, detexerit aliquem Patarenum, de cujus perfidia manifeſte probatur: in fidei præmium quam agnovit, famæ priſtinæ de imperiali clementia reſtitutionis beneficium in integrum conſequatur.

*Incipiunt capitula conſtitutionis contra Patarenos edita per eumdem Fridericum illuſtrem virum, Romanorum imperatorem ſemper auguſtum, Hieruſalem, & Siciliæ regem.*

Ex epiſt. 27. lib. 1. Petri de Vineis.

CAtharos, Patarenos, Speroniſtas, Leoniſtas, Arnaldiſtas, Circumciſos, Paſſaginos, Joſepinos, Garatenſes, Albanenſes, Franciſcos, Bagnarolos, Commiſtos, Waldenſes, Roncarolos, Communellos, Warinos, & Ortolenos, cum illis de Aquanigra, & omnes hæreticos utriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus. Cenſentes ut bona talium confiſcentur, nec ad eos ulterius revertantur: ita quod filii eorum ad ſucceſſionem pervenire non poſſint, cum longe ſit gravius æternam, quam temporalem offendere majeſtatem.

Qui autem inventi fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad mandatum eccleſiæ, juxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtraverint: tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur, ita quod ſi per annum permanſerint, ex tunc eos ſicut hæreticos condemnamus.

Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut poteſtates, & conſules, ſeu rectores, quibuſcumque fungantur officiis, pro defenſione fidei præſtent publicum juramentum, quod de terris ſuæ ditioni ſubjectis univerſos hæreticos ab eccleſia denotatos, bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt. Ita quod amodo quandocumque quis fuerit in perpetuam honeſtatem *, vel temporalem aſſumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Alioquin neque pro poteſtatibus, neque pro conſulibus, ſeu conſimilibus habeantur: eorumque ſententias ex tunc decernimus inutiles & inanes. Si vero dominus temporalis, requiſitus & monitus ab eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pravitate: poſt annum a tempore monitionis elapſum, terram ipſius exponimus catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, abſque ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent, ſalvo jure dominii temporalis: dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege ſervata, contra eos qui non habent dominos principales.

* f. poteſtatem

Credentes præterea, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorum bannimus. Statuentes, ut ſi poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, ſatisfacere contempſerit infra annum, extunc ipſo jure ſit factus infamis, & ad publica officia, ſeu conſilia, vel ad aliquos eligendos hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus ei præterea ſuper quocumque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quod ſi judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, ejus inſtrumenta confecta per manum ipſius nullius penitus ſint momenti. Adjicimus inſuper, quod hæreticus per hæreticum convinci poſſit, & quod domus Patarenorum, receptatorum, & defenſorum, & fautorum, ſive ubi docuerint, ſive ubi aliis manus impoſuerint, deſtruantur, nullo tempore [a] reſtituendæ.

[a] al. re- rundæ.

Datum Paduæ XXII. Februarii, XII. Indict.

Rex Regum apoſtatantes a fide Catholica penitus execramur, inſequimur ultionibus, bonis ſuis omnibus ſpoliamus. Et ut a profeſſione vel vita naufragantes, legibus coarctamus. Succeſſiones tollimus, ab eis omne jus legitimum abdicamus.

Datum Peruſii, ſecundo Kal. Novemb. pontificatus noſtri anno primo.

## XV. AD S. LUDOVICUM FRANCORUM REGEM.

*Hortatur ut libros Talmudicos cremari jubeat.*

IMpia Judæorum perfidia, de quorum cordibus propter immenſitatem ſuorum ſcelerum redemptor noſter velamen non abſtulit, ſed in cæcitate, quæ contingit ex parte in Iſrael, adhuc manere permittit, prout convenit, non attendens, quod ex ſola miſericordia, pietas ipſos Chriſtiana recepet, & cohabitationem illorum ſuſtineat patienter, illa committit enormia, quæ ſtupori audientibus, & referentibus ſunt horrori. Ipſi enim ingrati Domino Jeſu Chriſto, qui converſionem eorum ex ſuæ longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam prætendentes verecundiam culpæ ſuæ, nec reverentes honorem fidei Chriſtianæ, omiſſis ſeu contemptis lege Moſaica & Prophetis, quaſdam traditiones ſuorum ſeniorum ſequuntur. Super quibus eos in evangelio Dominus objurgat dicens: *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei, & irritum feciſtis propter traditiones veſtras, hominum doctrinas & mandata docentes?*

Matth.

In hujuſmodi namque traditionibus (quæ Talmud Hebraice nuncupantur, & magnus liber eſt apud eos, excedens textum Bibliæ in immenſum, in quo ſunt blaſphemiæ in Deum, & Chriſtum ejus, ac beatam Virginem, manifeſtæ, intricabiles fabulæ, abuſiones erroneæ, ac ſtultitiæ inauditæ) filios ſuos docent, ac nutriunt, & a legis & prophetarum doctrina reddunt ipſos penitus alienos. Verentes ne veritate, quæ in eiſdem lege ac Prophetis eſt, intellecta, aperte de unigenito Dei Filio venturo in carne, teſtimonium perhibente, convertantur ad fidem, & ad redemptorem ſuum humiliter revertantur.

Et his non contenti, faciunt Chriſtianas filiorum ſuorum nutrices in contumeliam fidei Chriſtianæ, cum quibus turpia multa committunt. Propter quæ fidelibus eſt verendum, ne Divinam indignationem incurrant, dum eos perpetrare patientur indigne, quæ fidei noſtræ confuſionem inducunt.

Et licet dilectus filius cancellarius Pariſienſis, & doctores regentes Pariſiis in ſacra pagina, de mandato felicis recordationis Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri, tam prædictum abuſionis librum, quam alios quoſdam cum omnibus gloſſis ſuis perlectis in poteſtate, ac examinatos, ad confuſionem perfidiæ Judæorum, publice coram clero, & populo, incendio concremarint, prout in litteris eorum perſpeximus contineri, quibus tu tanquam catholicus Rex & princeps Chriſtianiſſimus impendiſti ſuper hoc auxilium congruum & favorem, pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus, ac proſequimur actionibus gratiarum: quia tamen nondum Judæorum ipſorum abuſio profana quievit,



quievit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celſitudinem regiam rogamus & obſecramus in domino Jeſu Chriſto, ut qui exceſſus hujuſmodi deteſtabiles & enormes, commiſſos in contumeliam creatoris, & injuriam nominis Chriſtiani, pie incœpiſti, laudabiliter proſequendo, facias debita ſeveritate percelli. Et tam prædictos abuſionis libros, reprobatos per doctores eoſdem, quam generaliter omnes cum gloſſis ſuis, qui per ipſos examinati & reprobati fuerint, mandes per totum Regnum tuum, ubicumque reperiri poterunt, igne cremari.

Firmiter inhibendo, ne de cetero nutrices ſeu ſervientes habeant Chriſtianos, ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ. Sed tanquam ſervi reprobati a Domino, in cujus mortem nequiter conſpirarunt, ſaltem per effectum operis, ſervos ſe recognoſcant illorum, quos Chriſti mors & iſtos liberos, & illos conſtituit eſſe ſervos: ut proinde ſinceritatis tuæ zelum poſſimus in Domino dignis laudibus commendare.

Datum Lateran. V. Idus Maji, anno primo.

## XV. AD BLANCAM FRANCORUM REGINAM S. LUDOVICI MATREM.

*Super profectione filiorum ſuorum in ſubſidium terræ ſanctæ.*

SOlicita valde, cariſſima filia, de tuis abſentibus filiis turbaris nimium, intrinſecus pericula extrinſeca cogitans, quibus proximo devote ac intrepide ſuas expoſuere perſonas. Anxia quidem nimis tua mens, propter tot & tantorum natorum abſentiam, nequit utique vel ad horam quietam habere quietem, quin quocumque ſe vertat quibuſcumque agendis conſiderationis inſtantia incumbat, ſemper ſe convertat ad ipſos, & tanquam de proceſſu & ſtatu eorum pendula, de illis propenſius meditetur. Materna quippe ſolicitudine pervigil, tremens, amore tenero, ſedula rememoratione ſuſpirans, & avida expectatione langueſcens. Nam licet terræ mariſque ſpatio interpoſito longe abſis corpore, ipſis tamen proxime ades corde. Verum prudenter te attendere volumus, quod etſi eorumdem natorum diſceſſus aliqua tibi materia turbationis exiſtat: eſt & aliud quod cauſa conſolationis non modica eſſe debet. Multo enim potes gaudio merito exultare quod ipſi recognoſcentes humiliter magnifica Dei beneficia, quibus eos inter ceteros orbis principes ſpecialiter exaltavit, & cupientes ei digne retribuere pro receptis: ſic ad exequendum arduum ejus placitumque ſibi negotium aſſurrexerunt magnanimiter & potenter, quod univerſos alios in hoc devotionis exercitio excellentes, principaliter in ſe pondus illius in vigore ſpiritus & robore corporis aſſumpſerunt: propter quod omnium fidelium linguæ ipſorum laudem cum exultatione loquuntur, tuæ pariter bonitatis reſonantes præconium, cum ſic eos ab infantia in timore Domini erudieris, & amore, quod ſemper recta & ſalutaria diligentes, in ipſius fuerint beneplacitis continue delectati, quod terra ſancta redemptoris rubricata ſanguine, quæ inconſolabiliter hactenus ſub jugi jugo gemuit paganorum, ſperat jam te * ipſorum natorum conſilia ſuccurſu ad lætitiam ſurgere de lamentis. Hos namque veluti ſingulares athletas fidei Chriſtianæ ardenti deſiderio diutius expectavit, & quaſi per ipſos a longævæ ſervitutis oppreſſionibus potiſſime relevanda, præſentiam appetiit eorumdem. Non turberis itaque nec hæſites de ipſis, Chriſtianiſſima filia, firma quoque ſemper confidens, & fiducia certa ſperans quod idem redemptor qui ſuis dilectoribus præſto adeſt, eorum greſſus proſpere dirigens, prædictis natis ſuo totaliter ſervitio inhærentibus adſit propitius, ipſorum iter ſalutare diſponens, ab adverſis eorum eos clementer conſervando, cum adverſus ipſius adverſarios agant fideliter ejus cauſam: quodque te ac ipſos eorumque poſteros, grandium tuorum, ac natorum, eorumque intuitu meritorum, & in præſenti multiplicabit propagine ſanguinis, ac ſublimibus magnificabit honoribus, & in futuro inæſtimabilibus dilatabit præmiis, & electorum ſuorum conſortio congregabit. Conſortare igitur & animo fortis eſto, jactans tuum penitus in Domino cogitatum, de præfatis natis plus timoris quam expediat non habendo, & pro ipſis, ut eos cum ſuis idem Dominus ducat incolumes, cum alacritate ac proſperitate reducat, eodem certe negotio, quod illud, cooperante veritate, conſummatione concludat optata, nec non & benedicto regno Franciæ ut ipſum in bono & tranquillo ſtatu conſervet, inſtes & inſiſti facias attentis & crebris ſupplicationibus apud eum. Nos enim circa hoc ſolicite vigilantes ſibi pro iis devotarum orationum ſacrificia inceſſanter offerimus, & ad ipſum fieri ab aliis diligenti ſtudio procuramus. Ceterum quia de te mater eccleſia ſicut de præcordiali filia & virtute præcipua gerit confidentiam pleniorem, cum in cunctis ſuis neceſſitatibus tuum ſibi auxilium ſenſerit favorabiliter affuiſſe: celſitudini tuæ ipſius eccleſiæ commendamus negotium, cum fiducia ſpeciali, cujus promotionem plena voluntate novimus affectare. Ideoque ſerenitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, quod illud pro Divina & B. Petri reverentia tuaque ſalute habens quamplurimum commendatum, ipſum conſilio utili, opportuno favore, ac efficaci adjutorio perſequaris: ita quod te ſemper eadem eccleſia ſui honoris potiorem reperiat promotricem.

* f. tuorum

## XVI. AD S. LUDOVICUM FRANCORUM REGEM.

*Conſolatur, cum captus eſſet ultra mare cum ſuis.*

GUſtaſti plurimum, cariſſime fili, de amaritudinis calice, quem Chriſtiano populo in ſiniſtra indignationis pavendum & mirandum diſpoſitionis Divinæ myſterium propinavit, quem & nos tecum hauſimus pleno hauſtu in dolore cordis, in anguſtia ſpiritus, in tribulatione mentis nimia, & in multo profluvio lacrymarum. Dolemus quidem, & utinam non inconſolabiliter, ſed in infirmiorem hominem, triſtiſſimum caſum illum, qui crucis Chriſti vexilla ferentes humiliavit ante oculos hoſtium nominis Chriſtiani. Sed anxiamur vehementius non audentes diſcutere conſilii Divini majeſtatem, ex qua videlicet cauſa judicii ejus juſtitia, & diſpoſitionis infallibilis rectitudo, permiſerit in bello ſuo arcum fortium ſuperari, perire arma bellica, & cedere alienigenis triumphum victoriæ Chriſtianæ. Liceat, quæſo, Domine Jeſu, ſervorum tuorum ſervis, ſciſcitari pauliſper, quid tam aſpere purgandum fuit in chriſto tuo, Chriſtianiſſimo principum, tibi ſe ſuos & ſua in tanto fervore fidei exponente? aut quid duxiſti tam ſevere plectendum in devotiſſimo populorum populo, ducem ſuum tanta promptitudine in præceptorum tuorum laboribus ſubſequente? Oſtende, clemens pater, oſtende ne fidelium tuorum devotio ruat in ſcandalo, tibique cedant ſeverius judicandi. Si punire voluiſti zelo animadverſionis congruæ peccatores; aut probare juſtorum patientiam, glorioſius coronandam. Si enim decre-

decreviſti eos ideo tanto tribulationis igne purgandos, A ut fierent parato ipſis inenarrabilis mercedis, quæ merita ſupplicum & vota præcellit, præmio digniores: tibi laus, tibi actio gratiarum, qui per hoc dignatus es prærogare laborantibus fructum quem eis ſpes productior edidiſſet. Si autem punire tam acriter, ſed temporaliter, voluiſti tuorum vel ingratitudinem, vel peccatum, miſericorditer cum illis diſpenſans ne perpetuo damnarentur: qui dixerit tuum hoc quantumlibet durum in hominibus iniquum eſſe judicium, qui terrenum habent & ſordidum fundamentum, in coinquinatione inevitabili domos luteas habitantes, cum luna non ſit munda in conſpectu tuo, & in ſtellis repereris pravitatem. Intende, rex inclyte. Dei potentia Damietam Ægypti januam, quæ vix humanis B laboribus obtineri multo tempore potuiſſet, miraculoſa facilitate in manibus tuis dedit, in quo forte tibi, & iis quos tecum diſpoſuit de hoſtium futura decipula eruendos, benigna miſeratione providit, ut liberandis opportunum redemptionis præmium non deeſſet. Sed quis ſcit ſi quiſquam congratulantium ſucceſſibus, vel aliorum fidelium animus ex hoc in jactantiam erectus humanam, homini aliquatenus, & non totaliter nomini Domini gloriam arrogaret? Ceſſemus igitur a curioſitate inquiſitionis hujus quæ forſitan venia opus habet, & confiteamur in humilitate ſpirituum Domino Deo noſtro, benedicentes nomen ipſius excellentiſſimæ poteſtatis, & cantemus ei in conſolationis ubere, in gaudio ſpiritus, & dicamus quod omnia quæ C feciſti nobis Domine, in vero judicio feciſti, qui vincis per incommutabilem tuæ juſtitiæ veritatem, cum a ſuperbæ cecitatis ignorantia de injuſtitia judicaris. Aſſume hinc quæſumus conſtantiam, fili, quin immo eam omni erga Deum pietate cuſtodi, cum eam te habere credamus, ſicut ſublimem principem, & invictiſſimum regem decet, cui & a progenitoribus ſingularis & eximiæ claritatis, & ab inſtitutione propria competit animus inclytus & erectus, quem ſerena celſius erigere nequeant, aut nubila inclinare, quot de tui pectoris firmitate ſubditi tui, & ceteri [illegible] Chriſtianitatis cadit opprobrium, in animos ſuos ignei zeli poſſint haurire vigorem. Exigit ſiquidem in te regalis excellentia mentem quandam cœ- D leſtis habitus conformitate divinam, interritam periculis, inter adverſa felicem, in tempeſtatibus placidam, omnia talia ut minora calcantem, & tanquam infirmiora ridentem. Talis itaque mens exiſtat extra jus ditionemq; fortunæ, ſecunda temperans, adverſa comminuens, & aliis ponenda contemnens. Vulgus autem, cujus non eſt lucidum cum ratione diſcrimen, illum dumtaxat magnum & potentem exiſtimat virum, qui plures in alios viros poteſt expendere facultates. Non, ſed magnus eſt verius qui poteſt animo violentiores exterioris inſultus impetus tolerare. Oportet itaque ut inſuperabilis virtutis conſtantia vincas adverſa, qui circumſpectionis prudentia noſti proſpera moderari: quia non magnum eſt in tranquillitate non concu- E ti, ubi quivis conſtat intrepidus: ſed illud magnificum eſt atque mirificum, ibi altius præeminere ubi ceteri deprimuntur, & ibi non dejici ubi alii conſternantur: quia felicitas ſuffertur facili animo, calamitas vero forti. Sed vis ſcire, clariſſime regum, quos irruens adverſitas frangit, non credimus tuam latere prudentiam illos eſſe præcipue, qui felicitati ſuæ, ac ſi nulli alterationi ſubjaceant, innituntur. Quid autem natura eorum a periculo mutationis eripit? non terram quæ præ ceteris ſenſibilibus perſtat immota, non cœlum a conditione corporeæ corruptionis exemptum, non hanc viſibilium machinam, quæ quamvis Deo agente ducatur, non tamen ſemper hunc felicem ſui curſus ordinem obtinebit, & ab illo eam aliquando dejiciet. Dies una ad exterminationem ſpeciei, eſt in ſecreto præſcientiæ Divinæ conſilio aſſignata. Exulet igitur mœror omnis ab animo, & ſpera uberem de gravi tentatione proventum; cum quo quidem obveniet, quia quod acerbum fuit perpeti, adhuc erit retuliſſe jocundum: cum naturale ſit, quemlibet mali ſui fine gaudere. Fortis nempe vir in ipſis difficultatibus, ſuccreſcente ſibi animo conſtitutus, & in arduam ſpem melioris ſortis ſecuturæ ſubjectus, ſine conſolatore homine ſibi blanditur, & dicit: Forſan & hæc olim meminiſſe juvabit. Suſtinenda eſt igitur animoſo pectoris objectu quævis adverſitas: quia ſicut pernicioſior eſt fugientibus hoſtis inſtantia, ſic fugientes & adverſos omne fortuitum incommodum magis premit. Porro ſi qua juſti doloris eſt cauſa, illa forte videbitur in tam multo fidelium excidio attendenda, quorum ab impiis glorioſus fuſus eſt ſanguis in ſacrificium Deo Patri ſuper ſanguinem unigeniti filii ejus, quem ei non impar hoſtilium manuum impietas immolavit. Sed quis ſuper illis dolendum acriter cenſeat, qui ratione fidei ſuadente in meliorem per modica diſpendia emiſſi ſunt vitam? Lucidius quidem quam inter hæc humanæ labilitatis incommoda. Itaque tranquillius inter Divina manſuri. Nam etſi viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem pretioſæ in conſpectu Domini mortis compendio ſunt in pace, ubi non erit amplius neque luctus, neque clamor, nec etiam ullus dolor, quoniam priora velut in profundum oblivionis obruta tranſierunt. Deſiiſſe quidem nobis ad tempus, non periiſſe, dolendi ſunt, quorum vita interrupta eſt quodammodo non perempta, & cito qui venturus eſt veniet, ipſorum dies repoſiturus in lucem: propter quod æquanimiter ferendum eſt illos felicius redituros exiſſe. Non autem regali excellentiæ idcirco hæc duximus ſuggerenda, quia in tribulationibus per quas Dominus non [illegible] reprobationis, ſed ad probationis indicium, tuam voluit patientiam ad majus meritum experiri, credamus te regii animi magnificentiam non tenere: ſed ut de præſenti exhortatione, qua penes te inſiſtimus, valde neceſſariam nobis in amaritudine multa, quam ut deceret expurgare non poſſumus, conſolationis alicujus dulcedinem capiamus: cum minor compatientem ex animo affligat moleſtia, qui proprios dolores & gemitus communicat patienti. Rogamus denique ſerenitatem tuam, Chriſtianiſſime rex, attente depoſcimus, & per Deum obſecramus, quatenus terram Jeroſolymitanam, quæ nunc præſertim ſub tui nominis umbra reſpirat, reſpicias oculo pietatis: providens ſicut expedire cognoveris, ne res tam cara totiens empta pretio, alienari valeat a cultu Chriſti Domini Dei tui, & cum periculo fidelium in exterorum redigi poteſtatem. Nos enim in hoc cooperatores tui eſſe volumus juxta poſſe; & prout nobis tuæ beneplacitum voluntatis innuerit, parati ſumus quidquid defenſioni ejuſdem terræ opportunum judicaveris pro viribus perſequi diligenter. Demum majeſtatis Divinæ clementiam imploramus, ut te in die tribulationis exaudiens mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te, cariſſime nobis in Domino fili, ac ſingularis propugnator fidei Chriſtianæ. Ceterum dilecte fili...... ad celſitudinem tuam duximus tranſmittendos, a quibus audire velis & attendere benignitatis tuæ clementia conſuetum, quæ per eos tibi proponenda providimus viva voce.

Datum Lugd. II, Auguſt. anno VIII.



## XVII. AD ARCHIEPISCOPUM ROTOMAGENSEM.

*Ut ipſe & ſui ſubditi orent pro rege Franciæ & ſuis captis per Saracenos.*

PRopinatum nuper ab Oriente diræ amaritudinis calicem cum lacrymis haurientes, in amara nimis & triſtia prorumpere cogimur, & potiſſimum quem graviter ſentimus intrinſecus, inſinuare dolorem: quia ubi mœſtitudine tanta deprimimur, quo poſſumus ſermonem lugubrem non proferre? licet forte hujus paginæ curſum præcurrentis famæ celerior greſſus præceſſerit, & jam rumore preloquente noveritis quid noſtrarum lingua loquitur litterarum. Sæpe quidem illa orientalis regio abſinthii poculo examaricavit eccleſiam, B ſæpe pavit ipſam eſca fellis & duræ tribulationis punctura confodit: ſed nunc ei amariſſimam intulit potionem, nunc eam immenſæ triſtitiæ ferculo ſaturavit, & ſui furoris gladio acerrime pupugit, quin immo ad ejus interiora uſque pertinxit. Illato itaque adverſitatis inopinatę calici ſuperfundimus eccleſiæ fletum, & potui tam acerbo uberem lacrymarum pluviam immiſcemus. Liquet namque omnibus quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Franciæ rex illuſtris pro deliberatione terræ ſanctæ, quam in contemptum Chriſti & fidelium ejus opprobrium occupatam detinent Agareni, crucis olim ſuſcepit ſignaculum, & cum copioſa comitum, baronum, nobilium, & aliorum multitudine, tanquam ultionis injuriarum C Domini anxius illuc ferventi deſiderio transfretavit, ſub cujus ſtudioſo ducatu ſic proſpere ipſius terræ negotium dirigere cœpit Altiſſimus, quod Rex ipſe civitatem Damietam in interitu ſicut fertur Ægypti tanquam ſeram difficilem fortemque clavim multo robore ſtabilitam, quam dudum populus Chriſtianus non abſque magna ſui ſanguinis effuſione obtinuit, & tandem eventu ſiniſtro perdidit, mox ut ad ipſam applicuit Divino adjutorio profligatis exinde fidei hoſtibus conquiſivit. De quo ingenti concepto gaudio in laudis ſupernę canticum ſurrexit eccleſia, & univerſi Chriſticolę hujus communis lætitiæ participio pariter exultarunt, quia dragma quæ longo fuerat tempore perdita, cœleſti erat munere reinventa: & ovis quæ D diu per deſertum gentilitatis erraverat, ad gregem revocata Dominicum jam cum aliis paſcuis ſalutaribus paſcebatur. Sed proh dolor! ceſſavit nunc tantum gaudium & in mœrorem nimium eſt converſum: ipſaquemet civitas, quæ grandis cauſam alacritatis attulerat, magni facta materia eſt lamenti. Nam cum poſtmodum idem Rex contra Soldanum Damaſci & Babyloniæ ſuo exercitu comitante proceſſerit, tandem clarę memorię R. comite Attrebatenſi germano Regis ejuſdem, & Magiſtro & fratribus dictum "militem templi Jeroſolimytani, ac aliis quam multis commilitonibus, validum cum Sarracenis committentibus bellum, & poſt non modicum Sarracenorum ipſorum excidium in bello ipſo, non abſque ſalutaris triumpho E martyrii, paucis evadentibus intentatis, prefatus Rex cum exercitui conſtanter inſiſteret, furorem irruentium ſuſtinuit paganorum: qui ſic illico terrę ac fluminis tranſitus arctaverunt, quod idem exercitus defectum victualium patiebatur extremum, propter cujus intolerabilem tolerantiam, & prę ſuorum multitudine infirmorum vehementer obſtupuit, nec potuit non vereri, quoniam urgentibus undique incommodis premebatur. Cumq; mutuis congreſſibus fieret hinc inde ruina maxima pugnatorum, demum innumerabilitate hoſtium prevalente, Chriſtianæ militię agmina fere penitus corruere, dictuſque Rex cum his qui ſecum ſupererant, hoſtilium populorum circumſtantium vallo cinctus & coanguſtatus nimium, coactus eſt reſtituere ad ultimum Damietam, & eo poſtea ingreſſo navigium ad receſſum, nonnullos de ſuis qui in civitate ipſa in lectis egritudinis decumbebant, & aliis qui navali caruere preſidio, indifferenter manus inimica peremit, non adfuit illis defenſionis brachium, nec pro eis locus refugii eſt inventus. Ah Domine Deus! ubi ſunt inclyti athletę tui? ubi robuſti pugiles? ubi propugnatores electi, qui fide fulgentes, ferventes devotione, & experientia precipui, ad tuum prelium contra tui blaſphemos nominis ſalvificę crucis armis inſignibus ſe accinxerant preliandum. Ah Deus ubi eſt populus tuus egregius, gens illuſtris, & ſtrenua multitudo, qui pro te relictis ſuis omnibus tam longa terrarum & marium ſpatia tranſierunt contra fidei emulos Chriſtianę intrepide pugnaturi! Ah Domine quomodo viri belligeri ſic potuere a talibus debellari!, quomodo fortes tui tam graviter in prelio ceciderunt! Ecce inebriatus eſt juſtorum ſanguine, ac ſaturatus eorum carnibus gladius impiorum, & turbam illam quam ejuſdem regis ardens devotio ad tuum tam acceptabile obſequium accenderat, voravit mucro feritatis Sarracenicę fere totam. Madent agri tuorum effuſo pro te cruore fidelium, terra rutilantis eorum ſanguinis aſperſione coruſcat. Jacent tuorum corpora martyrum inhumata, in eſcam cœli volatilibus & terræ beſtiis derelicta. Heu quam funereus hic conflictus, qui tot & tantorum Chriſtianorum vitam debacchante in eos infidelium mucrone finivit! heu quam dolenda ſtrages, in qua tantum tuorum occubuit collegium bellatorum. Sed nequaquam ambigimus, quin hi feliciter concluſerint dies ſuos, quin tu Domine pro quo dormitionem acceperunt, in vitam eos tranſtuleris abſque termino duraturam. Non mirum ergo ſi de tam adverſo ſucceſſu tota gemit eccleſia, cum vix ei caſus contingere gravior potuiſſet, propter quod exacerbatum eſt nimium cor ipſius, & ſuas præ anguſtia ſpiritus aſſiduis fletibus rigat genas, quia non ei dolor ſimilis ſicut iſte: plorat quippe multorum interitum filiorum, licet non exiſtimandi ſint illi mortui, ſed ad vitam renati potius meliorem. Suſpirat etiam de omiſſione tot ſumptuum & laborum, qui ſic ſteriles abiere, cum ſit probroſe perditum quod per ipſos fuerat honorifice acquiſitum. Dure inſuper ingemiſcit de illorum jactura ethnicorum, qui forſan de hujuſmodi temporali jactura fidelium gloriantes inſultant ipſis, improperant dicendo: Ubi eſt Deus eorum? ubi eſt ipſorum adjutor, de cujus auxilio confidebant. Lugent etiam omnes eccleſiæ filii, ac in plateis & viis publicis voces communiter dant mœroris, nullius facies jocunda cernitur, unuſquiſque in terram oculos præ pudore declinat, alter cum altero condolet, & conceptam meſtitiam mutua de tam flebili eventu relatione recenſent: vixque de ore alicujus, verbum percipitur niſi triſte, nec eſt aliquis qui alium conſoletur. O fallax Oriens, quam ſerenus in principio illuxiſti regi Francorum illuſtri, & claro exercitui Chriſtiano! quam amicabilis eis in ingreſſu Ægypti, & quam favorabilis adfuiſti! Noviſſime autem quam torvum oſtendiſti te illis & turbidum, & quam inhumanum! ipſi quamquam contrarium te ſenſerunt! Venerant enim ut te quaſi deſertum incultum excolerent, & ſalutaribus plantariis conſitum, agro Dominico ſociarent: ſed illorum, væ tibi, conſortium repuliſti, viſitationis tuæ tempora non agnoſcens. O nimis infelix tenebrarum Ægypte, cur illum inclytum Deo carum virorum illuſtrium cœtum, per

"ſ. dictis militibus

quem tibi ad effugandam ignorantię tuę caliginem lumen claręfidei effulſiſſet, a tua excluſiſti cohabitatione, ac tam exprobrabiliter devitaſti? quem profectò velut indicem vię vitę debueras libentius invitare, in hujus quidem propulſione repuliſti. Heu tibi! ſpreviſti & diſtuliſti Chriſtum filium unicum ſummi Patris. O dilecta Jeruſalem regis ſuperni civitas: quot ad te pro ſubventione tua miſit huc uſque mater eccleſia bellatores, quot hactenus crucis armavit ſignaculo, ut a diro te jugo eriperet ſervitutis, & quot in hoc obſequio captivati ſunt, mutilati, cęſi & aliis innumeris tribulationibus cruciati? Quot etiam in hujus perſecutione ſervitii vitæ ſuæ ſpatium finierunt? O Jeroſalem, Jeruſalem, pro cujus liberatione occiſi ſunt innumeri ad te miſſi; quando ſperatam refundes jocunditatem eccleſiæ, cui tandiu acris triſtitiæ materiam infudiſti? O utinam ſuſcipiat aliquando eccleſia ipſa de tua optata recuperatione lætitiam, pro qua infinitas amaritudines jam guſtavit! Porro nec ex parte ipſius eccleſiæ, nec ex parte regia in præmiſſo negotio commiſſam fuiſſe credimus negligentiam vel defectum, cum & eadem eccleſia omnem quam potuit ad illius profectum diligentiam & ſolicitudinem adhibuerit, & grandia inſuper impendia miniſtrarit, & prædictus rex ſic ex animo negotium ipſum aſſumpſerit, quod pro eo, ſuo pretioſo, magnifico, & famoſo regno relicto, ad partes illas cum fratribus ſuis, ceteriſque ipſius regni magnatibus ardenti affectione proceſſerit: quin immo propriis illud præferens commodis ſe ipſum & ſua eidem totaliter deputavit. Unde aliqua forte peccata populi, Divinæ Majeſtatis oculos graviter offenderunt, propter quæ provocatus Dominus caſum iſtum ad correctionem ſuorum, quos ſalvare deſiderat, evenire permiſit. Non enim odit quos corripit, nec ſalutem illorum negligit quos flagellat: quin immo eum percutit, quem diligit: tunc oſtendit, quia filio quem diligit aſſidue parat virgam, nec reſtringit in ira miſericordiam, nec cum indignatur, eſt immemor pietatis, [illegible] continuo propitius [illegible] & in proſperis, & adverſis gratiarum reddendæ ſunt actiones, & benedicendum in omnibus nomẽ ſuum, ut in nullo eventu, nullo in tempore ſuorum lingua taceat laudem ejus: & ſub ipſius potenti dextera humiliari debent magni communiter & puſilli, ut mereantur neceſſitatis tempore ſuæ clementiæ beneficio exaltari, quoniam hic eſt Dominus qui humiliat, & ſublimat, qui mites benigne reſpicit, & de longe intuetur excelſos, qui vulnerat & medetur, & poſt triſtitiam exultationem inducit. Quamobrem firmiter eſt ſperandum, quod poſt hujuſmodi percuſſionis dolorem conſolationis opportunæ medelam miſericorditer adhibebit. Verum quia pernéceſſariæ ſunt in iis deprecationes fidelium, cum devotæ orationes & crebro aures Divinæ pietatis inclinent, & ipſarum interventione illius propitiatio facilius impetretur: providimus fore apud Deum in hujuſmodi neceſſitatis articulis attentis & ſedulis ſupplicationibus inſiſtendum, quoniam multum valent aſſidua juſtorum precamina penes ipſum: & ſi forte ſit fœtore peccatorum offenſus, orationum odore non abnuit complacari, ſed cito devotis lenitur precibus, ubi culparum eſt enormitate commotus. Ideoque univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, mandantes quatenus hoc univerſale diſcrimen pia moderatione penſantes, erigatis toto affectu ad Dominum corda veſtra, & in conſpectu ejus orationes continuas effundatis, & faciatis per veſtras civitates & diœceſes a clero & populo generaliter ſupplicari, ut eccleſiam ſuam tanto conſolari diſpendio non retardet, & memorato Francorum regi, Chriſtianiſſimo utique principi, liberum iter præbeat & ſecurum, ipſumque cum ſuis omnibus a quolibet nocumento cuſtodiat, & ad ſui gloriam & totius Chriſtianitatis honorem in incolumitate ac proſperitate præſervet, ſibique vires augeat, & corroboret contra paganicas nationes, & ad Jeroſolymitanum negotium clementer proſpiciat, eique celeriter ſubvenirę dignetur, terram illam quam ſua ſanctificavit præſentia de infidelium manibus eruendo. Speramus etenim dictum negotium poſſe hujus precum ſubſidiis efficaciter adjuvari & non minus ipſum per hęc ſpiritualia quam per temporalia ſuffragia promoveri, quoniam orationes etſi non aperte, utilius tamen pugnant. Unde cum certabat legifer ille precibus, mox Iſrael in prælio ſuperabat, & per illius occultum agonem manifeſtam ipſe victoriam obtinebat. Ut autem hæc adjutoria frequentius & devotius prębeantur, præcipimus ut qualibet hebdomada ſermonem admonitionis & exhortationis Chriſti fidelibus proponatis per vos vel per alios in veſtris eccleſiis & in aliis earumdem civitatum & diœceſum, & per ipſarum prælatos vel rectores proponi ſimiliter faciatis, ut ſuper his effectuoſe ac ſine intermiſſione Dominum deprecentur, & nihilo minus ad præfatæ terræ ſuccurſum eo celerius & fortius ſe ſtudeant properare, quo feſtinantiori & potiori conſilio & auxilio illa modo noſcitur indigere, nec pro hac adverſitate a tam pii, neceſſarii, & ſalubris negotii proſecutione torpeſcant: quin immo ex hujuſmodi caſu tanquam firmi & ſtabiles animo, quos tribulationis tentatio non evertit, exurgant ad illius ſubſidium fortiores, quia nihil grave, nihilque adverſum debet ipſos retrahere a tam digno & placito ſervitio Jeſu Chriſti: mandatum noſtrum taliter impleturi, quod præter grande præmium, quod exinde a Domino conſequemini, noſtram & apoſtolicæ ſedis gratiam obtineatis plenius, & favorem.

## XVIII. AD S. LUD. FRANC. REGEM.

Qeod nemini licet regnum Franc. excommunicationi & interdicto ſubjicere.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio illuſtri regi Francorum ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

APoſtolicæ ſedis benignitas ſincera obſequentium vota fidelium, favore benevolo proſequi conſuevit, & illuſtrium virorum perſonas, quas in ſua devotione promptas invenit & ferventes, quibuſlibet titulis decentius decorare. Ut igitur ex devotione, quam ad nos & Romanam eccleſiam habere dinoſceris, favorem apoſtolicum tibi ſentias accreviſſe: tuis devotis ſupplicationibus inclinati, authoritate tibi præſentium indulgemus, ut nullus in terram tuam excommunicationis vel interdicti ſententiam proferat, abſque mandato ſedis apoſtolicæ ſpeciali. Nos enim decrevimus irritum & inane, ſi quid contra præmiſſæ indulgentiæ noſtræ tenorem contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Laterani XVIII. Kal. Jan. pontificatus noſtri anno I.



## XIX. AD GALLIARUM PRÆLATOS.

NE CRUCE-SIGNATOS IN SUIS CRIMINIBUS defendant.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopis, epiſcopis, ac dilectis filiis decanis, archidiaconis, officialibus, & univerſis eccleſiarum prælatis per regnum Franciæ conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

EX parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri regis Franciæ illuſtris, fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli Cruce-ſignati regni ſui, cum deberent ab exceſſibus abſtinere, propter libertatem ab eis indultam furta, homicidia, raptus mulierum, & alia perpetrant deteſtanda. Nolentes igitur, ut aliqui Cruce-ſignati occaſione libertatis eis indultæ præſumant ad talia extendere manus ſuas: univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Cruce-ſignatos eoſdem in hujuſmodi criminibus minime defendatis.

Datum Lugduni VIII. Idus Novembris, pontificatus noſtri anno IV.

*Quatuor aliæ ſunt ejuſdem Innocentii epiſtolæ, infra, in concilio Lugdunenſi.*

ANNO CHRISTI 1244.

# CONCILIUM TARRACONENSE

ANNO CHRISTI 1244.

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO

Archiepiſcopo, celebratum anno Domini MCCXLIV.

Ex Card. de Aguire Concil. Hiſpan. tom. 3. p. 502.

ANno 1244. pridie Idus Januarias, Petrus Archiepiſcopus Tarraconenſis Concilium celebravit apud Tarraconem, cui interfuere Pontius Epiſcopus Dertuſenſis, R. Ilerdenſis, Vincentius Cæſarauguſtanus, Petrus Pampilonenſis, Petrus Barcinonenſis, & procuratores abſentium. In eo ſtatutum eſt imprimis, ut conſtitutiones Concilii Lateranenſis, & Concilii Ilerdenſis a Joanne Cardinale coacti, quæ in deſuetudinem abierant, obſervarentur inviolabiliter. Excommunicati ſunt omnes conſpiratores, & colligationes illicitas facientes in clero, ac præterea invaſores, raptores, & deprædatores perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum. *Baluzius lib. 4. Marcæ Hiſpanicæ.*

ANNO CHRISTI 1245.

# CONCILIUM OTHONIENSE

ANNO CHRISTI 1245.

IN DANIA

Ex Coſſartii Append. ad tom. XI.

Adverſus bonorum eccleſiaſticorum prædatores, & contemptores cæremoniarum, anno MCCXLV. celebratum.

A*Uthorem habemus hujus coacti concilii Joannem Iſacium Pontanum, Danicæ hiſtoriæ lib.* VII. *cujus hæc ſunt verba, ad annum MCCXLV.* Per idem, *inquit*, tempus, Uffo archiepiſcopus Lundenſis, ſynodum contraxit Othoniæ apud Fionios, cui præter ceteros interfuere epiſcopi ac ſuffraganei ejuſdem, Gunarus Vibargenſis, Nicolaus Stigothus Roſchildenſis, Petrus Arhuſienſis, Gunarus Ripenſis, Joannes Burglavienſis, Eſchillus Sleſvicenſis, cum Petro coadjutore, & Ivaro epiſcopo Othonienſi. Miſerat & nuncium ſuum Joannem Placentinum pontifex. Hic decreto ſancitum, aut repetitum potius, quod Leo olim adverſus eccleſiæ prædatores promulgaverat, eos anathematis reos haberi, ſicuti & illos quibus eccleſiaſticæ ceremoniæ contemptui eſſent. Viſumque tum etiam, ut idem pontificis decretum feſtis omnibus diebus Danice recitaretur: ac publicę ſimul diris devoverentur, cujuſcumque ſtatus aut conditionis eſſent, qui rei iſtius facinoris convincerentur. Simile huic eſt decretum Gregorii IX. quod is anno octavo pontificatus ſui Peruſiæ in gratiam earumdem eccleſiarum evulgavit. Et volunt quidam notatos hiſce edictis ipſos etiam principes, Ericum præſertim, ejuſque fratrem Abelem, quod, dum illi mutuis inter ſe odiis flagrant, multa præter fas & æquum, cum ab ipſis, tum a milite ipſorum, in ædes & ædificia ſacra ſint perpetrata, collationes quoque & onera eccleſiaſticis eorumque miniſtris impoſita. Quæ cum ægre ferrent, nec mutare poſſent epiſcopi, pontificum tandem opem ab ipſis imploratam. Et conſtat, celebrata ſuperiori ſynodo Nicolaum Stigotum Roſchildenſem epiſcopum, oborta inter ipſum & regem ſimultate, e Dania ad Norvagios ſeceſſiſſe, & inde conſcenſa navi in Gallias Claravallam abiiſſe, ubi quadriennio circiter poſt in fata conceſſit.

G. C. Quo ſit anni tempore celebrata hæc ſynodus, Pontanus non indicat: Joannes vero Meurſius, qui Danicam hiſtoriam poſt eum ſcripſit, cum eadem omnia de ſynodo commemorat, tum illud addit, vere novo celebratam eſſe. Locus igitur illi ante Lugdunenſe concilium tribuendus.

1 Hujus concilii decreta ex Martene Theſauro Anecdot. Tom. 4. dabimus in tomo ſequenti cum Concilio Tarraconenſi anni 1329.

CON-

ANNO CHRISTI 1245.

# CONCILIUM LUGDUNENSE I. GENERALE AB INNOCENTIO IV. CELEBRATUM.

## HISTORIA CONCILII.

QUONIAM ſingularis Friderici II. Romanorum imperatoris inſolentia Innocentium quartum pontificem maximum præcipue ad convocandum Lugdunenſe concilium incitavit: res ipſa poſtulat, ut ſimultates, quas ipſe Fridericus cum hoc pontifice & cum aliis geſſit, & belli acerbiſſimi quod eiſdem intulit, initia & cauſas breviter explicemus. Hic igitur Fridericus, Henrici quinti filius, & Friderici I. nepos, maximis eſt a ſede apoſtolica beneficiis affectus. Puer enim parentibus orbatus, in tutela fuerat Innocentii tertii: ejuſdemque pontificis opera ad ejus dignitatis gradum aſcenderat, pulſoque Ottone quarto imperator fuerat deſignatus. Cui non modo parem gratiam non retulit, ſed etiam eccleſiam Romanam multos annos divexavit; & arma, quæ voto obſtrictus pro ſalute communi contra Saracenos capere debuit, magno Chriſtianorum omnium detrimento ingrato animo atque impio contra ipſos pontifices cepit. Et quamquam principio tamdiu Innocentio tertio & reliquis pontificibus obſecutus eſt, quamdiu id ſuis rationibus conducere putavit: tamen ubi mortuo Innocentio inſignia imperatoris ab Honorio [illegible] accepit, ſtatim cum illo graves inimicitias ſuſcepit. Cum enim & eccleſiarum juriſdictiones, & bona uſurparet, & a clericis & eccleſiis tributa exigeret, ac ſæpe ab Honorio pontifice, ut ab incepto deſiſteret, admonitus reſipiſcere nollet, ab eodem Honorio fidelium communione privatus eſt: quam ſententiam Gregorius quoque nonus, qui in Honorii locum ſucceſſerat, confirmavit. Et licet aliquando in gratiam cum Gregorio IX. pontifice maximo imperator rediiſſet, & ab eo monitus fuiſſet, ut votum quo tenebatur perſolveret, regnumque Hieroſolymitanum, quod in ſummo diſcrimine, expugnata jam a Saracenis Hieroſolyma, eo tempore verſabatur, in priſtinum ſtatum reſtitueret: ipſe adeo ab hac expeditione refugit, ut eam ob cauſam in omnium fere Chriſtianorum, præſertim vero Gregorii pontificis offenſionem incurrerit. Attulit præterea maximam moleſtiam eidem pontifici Fridericus. Cum enim ipſius regnum quibuſdam pontificis urbibus & oppidis finitimum eſſet, multa quæ ad ſedem apoſtolicam pertinebant, auſus eſt occupare, & militum præſidio munire. Qua injuria commotus pontifex vim vi repellere coactus eſt, & eccleſiæ patrimonium, ne in poteſtatem Friderici veniret, armis tueri. Et quamvis longo tandem intervallo conſcripto exercitu imperator in Syriam ſit profectus: tamen, cum nullo commiſſo prælio, ſtatim cum Ægypti rege, qui Syriam oppreſſam tenebat, pacem feciſſet, & verbo tantum ex pacto A Hieroſolymam recepiſſet, non ſolum pontificis animum non placavit, verum etiam exulceravit vehementius. Itaque Fridericus apertas inimicitias cum Gregorio geſſit, bellumque illi tam acerbum intulit, ut magnam Piceni & Latii partem in ſuam redegerit poteſtatem: Romaque obſeſſa, ſi quos interdum cives in obſidione caperet, crudeliter trucidaret: Cum autem Guelphorum & Gibellinorum factiones eodem tempore ad Italiæ perniciem erupiſſent; omneſque fere civitates in contrarias partes diſtraherentur, civeſque ipſi, quaſi furiis quibuſdam agitati, alii alios in exi- B lium pellerent, fortuniſque ſpoliarent: Fridericus, cujus erat flammam naſcentem opprimere, illam potius auxit, ſibique Gibellinis adjunctis, Guelphos, qui pontificis defenſionem ſuſceperant, bello ſtatim aggreſſus eſt. His igitur malis ut mederetur Gregorius, hominiſque ſuperbi furore atque amentia cæci, qui neque cum Saracenis unquam bellum gerere, neque cum Chriſtianis pacem firmam habere voluiſſet, aut omnino, aut aliqua [illegible] ex parte nefarios conatus reprimeret, concilium generale convocavit, Romamque tum epiſcopos, tum alios patres venire juſſit. At C cum multi ex Gallia & Hiſpania dicto audientes Romam navigarent, Genuenſiumque triremibus veherentur, in Friderici claſſem inciderunt, victiſque Genuenſibus capti ſunt epiſcopi & cardinales, & ad ipſum imperatorem perducti. Gravem hunc epiſcoporum caſum ita ægro tulit vir optimus Gregorius, ut præ animi dolore e vita paucis diebus exceſſerit, cum quatuordecim annos, menſes quinque, ſumma æquitate & prudentia eccleſiam adminiſtraſſet, maximoſque labores ejus cauſa pertuliſſet. Succeſſit Gregorio Cæleſtinus quartus, qui cum ſtatim de vita mi- D graſſet, cardinales vix poſt viginti menſes Innocentium quartum, virum doctrina & virtute præſtantem pontificem maximum delegerunt. Hic pontifex ſtatim cum Friderico de pace egit; homineſque graviſſimos ad illum miſit, qui æquiſſimas ei pacis conditiones proponerent & poſtularent, ut patres, qui in pugna navali capti fuerant, ut ſæpe promiſerat, liberos dimitteret. His pontificis cohortationibus cum Fridericus obtemperare nollet, nullaque amplius conciliandæ pacis reliqua ſpes eſſet: Innocentius, ut hominis temeritatem reprimeret, atque aliis eccleſiæ com- E modis conſuleret, Gregorii conſilium ſecutus, ſynodum ſtatim coegit. Verumtamen quia difficile erat patres Romam venire propter bella & ſeditiones quæ longe lateque diffuſæ totam jam Italiam occuparant, ſe ipſe pontifex in Galliam contulit: Lugdunumque urbem clariſſimam habendo concilio delegit.

Joannes Villanus lib. . hiſt. c. 18. Idem libro 5. c. 36.

Vincentius Belvacenſis lib. 30. c. 129. & Joannes Villanus lib. 6. c. 15. & ſequentibus.

Vincentius lib. 30. cap. 138. Matthæus Pariſ. hiſt. in Henrico III. & Joannes Villanus loco citato.

Vincentius l. 30. c. ... l. 31. c. ... Villanus l. 6. c. 24. & ſequentibus & alii.



ANNO CHRISTI 1245.

Quæ ſequuntur, ex actis concilii excerpta ſunt.

Fridericus igitur ad dicendam cauſam evocatus non venit: miſit tamen legatos, in primiſque Thadæum quemdam eloquentem virum & eruditum, qui advocati officio fungeretur, dilueretque crimina, de quibus ipſe poſtulabatur. Hic Thadæus ita obiit munus ſuum, ut & Imperatorem acerrime defenderet, & accuſatoribus multa objiceret, illorumque rationes & argumenta refutaret. Sed tandem in ultima actione, cauſa cognita, diligenterque perſpecta, Innocentius de ſententia ſynodi Imperatorem damnavit: cumque e piorum communione ejectum, imperii dignitate & Siciliæ regno privavit.

Præter hanc Imperatoris cauſam, fuerunt item ab Innocentio alia negotia maximi momenti ad ſynodum relata. Cum enim omnes pontifices de Chriſtianis qui Syriam incolebant eſſent eo tempore ſoliciti, in illiſque tuendis & confirmandis, repellendiſque Saracenis, aſſiduam curam & diligentiam adhiberent, cumque tunc magnus eſſet neceſſario mittendus exercitus, ne regio illa in poteſtatem Saracenorum iterum perveniret: Innocentius, ne officio ſuo deeſſet, omnes ad hanc expeditionem cohortatus eſt.

Præterea eodem tempore ardebat bello Græcia. Balduinum, qui primus ex Latinis Conſtantinopolitanus imperator fuit, quidam Græci principes iniquo animo in Græcia dominari patiebantur, qui non ſolum ab imperatore defecerant, verum etiam & ipſi Balduino, & aliis qui poſtea rerum potiti ſunt, bellum acerrimum ac diuturnum intulerant, & modo aperto Marte, modo inſidiis & dolo, ita eos vexabant, ut tandem imperator qui eo tempore Conſtantinopoli regnabat, de ſuo ſtatu ampliſſimo fere dejectus, vix nomen imperatoris & majeſtatem obtineret. Hoc igitur negotium ad eccleſiam magnopere pertinere Innocentius exiſtimabat. Cernebat enim animo, ſi Græci Latinos expellerent, periculum eſſe, ne tota ſtatim Græcia ad priſtinam conſuetudinem moremque relaberetur, & a Romana eccleſia diſſideret.

Pariſ. in Henrico III.

Egreſſi item fuerant paulo ante Tartari, qui olim Scythæ Aſiatici nominabantur, extra regiones quas incolebant, & multas Aſiæ provincias depopulati, tandem Europæ bellum intulerant: magnæque illius parti incredibiles calamitates importarant: & in primis Pannoniæ inferiori, quæ nunc Hungaria dicitur, quam cæde & incendiis vaſtatam, in ſuam redegerant poteſtatem. Occurrebant itaque uno eodemque tempore res magnæ & vehementer arduæ, quæ ſine generali concilio vix pro dignitate poterant explicari. Illud etiam accedebat, quod ſuperiores pontifices ad convocanda concilia commovit: mores enim hominum longe a majorum diſciplina deflexerant, quotidieque in vitia graviora dilabebantur. Quare optabat pontifex ut eccleſia priſtinum illum, qui hiſce moribus obſoleverat, dignitatis ſplendorem recuperaret. Hæc autem cura tantopere illum ſolicitabat, ut cum reliquæ cauſæ eſſent graviſſimæ, de hac tamen primo loco in concilio verba fecerit: & quamquam hæc omnia ſunt ad ſynodum delata; tamen præcipue in omnibus actionibus actum eſt de cauſa Friderici imperatoris, & ad exitum perducta.

Vincentius lib. 31. c. 2. & ſequentibus.

Fuit autem habitum hoc concilium in templo maximo Lugduni, anno a Chriſto nato milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto, pontificatus Innocentii quarti anno ſecundo. Convenerunt multi cardinales, epiſcopi centum quadraginta, abbateſque complures. Acceſſerunt multi viri A clariſſimi, & præter ceteros Conſtantinopolitanus imperator: qui prope pontificem conſedit. Interfuit patriarcha Conſtantinopolitanus, & Antiochenus.

ANNO CHRISTI 1179. Pariſ. ut ſupra.

Abſolutum fuit hoc concilium brevi temporis ſpatio. Prima enim actio habita eſt quarto Kalendas Julii, ſecunda octo poſt diebus, & paulo poſt tertia, eademque poſtrema. In his actionibus præter negotium Friderici, in tertia actione de tuendo regno Hieroſolymitano eadem innovata ſunt, quæ ab Innocentio tertio in generali concilio ſtatuta fuerant. Demum de mittendo imperatori Conſtantinopolitano ſubſidio, & de Tartarorum impetu, ferociaque comprimenda nonnulla conſtituta. Illud præterea ſancitum fuit, ut B dies natalis beatæ Mariæ virginis, Deique matris, octo dierum ſpatio celebraretur. Alia item decreta edita ſunt, quæ majori ex parte in manuſcripto Innocentii regeſto continentur, & in hanc generalium conciliorum editionem conjiciuntur.

### EPISTOLÆ INNOCENTII PAPÆ IV.

#### *ARCHIEPISCOPO SENONENSI.*

DEI virtus & Dei ſapientia Dominus Jeſus C Chriſtus, cujus ineffabili ſubjecta ſunt omnia majeſtati, a fundationis initio ſplendore virtutum ſuam illuſtravit eccleſiam: & ſic inſignem reddidit ſingularis privilegio poteſtatis, ut per ejus miniſterium, ſuum juſtitia conſequatur effectum, & ſedato guerrarum turbine, mundo poſſit tranquillitas provenire. Hujus enim præeminentiam dignitatis dum nos reverenter attendimus, qui regimini generalis eccleſiæ licet immeriti Divina providentia præſidemus, reddimur corde ſoliciti; quod tempeſtatis horror, qua ipſa turbatur eccleſia, & religio Chriſtiana concutitur, per noſtræ proviſionis auxilium cœleſti pietate propitia propulſetur. Hinc eſt quod nos, ut ipſa eccleſia per fidelium D ſalubre conſilium & auxilium fructuoſum, ſtatus debiti poſſit habere decorem, & deplorando terræ ſanctæ diſcrimini, & afflicto Romano imperio, propere valeat ſubveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei, ac perſecutores populi Chriſtiani, nec non pro negotio, quod inter eccleſiam & principem vertitur, reges terræ, prælatos eccleſiarum, ac alios mundi principes duximus advocandos. Rogamus itaque fraternitatem tuam, & hortamur attente, præcipiendo mandantes, quatenus ad præſentiam noſtram, omni prorſus * occaſione poſtpoſita, uſque ad proximum feſtum ſancti Joannis Baptiſtæ perſonaliter venire procures; ut ipſa eccleſia ex tuæ viſitationis ho- E nore ſpirituale gaudium, & ex tua induſtria conſilium percipiat profuturum; ſciturus quod nos dictum principem in prædicatione noſtra citavimus, ut per ſe vel ſuos nuncios in concilio celebrando compareat reſponſurus, nobis & aliis qui aliquid contra ipſum proponendum duxerint, ſatisfactionem idoneam præſtiturus. De perſonarum autem & evectionum moderato numero illam, cum veneris, providentiam habeas, quod tuæ nimis oneroſus eccleſiæ non exiſtas. Ceterum volumus & mandamus, ut ſuffraganeis tuis, quod eodem termino pro his ad præſentiam noſtram accedant, eorum vero capitulis

* excuſatione

ANNO CHRISTI 1245.

tulis, quod mittant providos nuncios & fideles, qui vice ipſorum utile nobis conſilium largiantur, auctoritate noſtra præcipere non poſtponas.

Datum Lugduni tertio Nonas Januarii, anno ſecundo.

*CAPITULO SENONENSI.*

DEi virtus, *& cetera uſque*, feſtum ſancti Joannis Baptiſtæ providos & fideles nuncios deſtinetis: ut ipſa eccleſia ex hujuſmodi viſitationis honore ſpirituale gaudium, ac ex illorum induſtria, *& cetera, ut in alia uſque ad*, præſtiturus.

Datum, *&c. ut in proxima.*

*ILLUSTRI REGI FRANCIÆ.*

DEi virtus, *& cetera uſque ad*, advocandos. Rogamus itaque ſerenitatem tuam, & hortamur attente, quatenus ad præſentiam noſtram, *& cetera uſque ad*, proximum feſtum S. Joannis Baptiſtæ mittas providos nuncios & fideles, *&c. uſque ad*, præſtiturus. Hujuſmodi autem noſtrum deſiderium ſic, fili benedictionis, adimpleas, ut nos in te gaudentes zelatorem honoris eccleſiæ reperiſſe, quæ ſecundum Deum in futurum tibi grata ſenſerimus, paternis affectibus proſequamur.

Datum, *ut ſupra in proxima.*

*EPISCOPO OSTIENSI.*

PRo magnis & arduis negotiis, quæ incumbunt eccleſiæ, tuam & aliorum fratrum noſtrorum abſentium habere præſentiam, nos & fratres noſtri jugiter affectamus: maxime cum multum honoris & commodi poſſit eidem eccleſiæ per induſtriæ veſtræ conſilium provenire. Cum itaque nos de ipſorum fratrum conſilio concilium duxerimus advocandum: proximo feſto beati Joannis Baptiſtæ [illegible] aſſignato, fraternitati tuæ præſentium auctoritate mandamus, quatenus te ad iter noſtram adeundi præſentiam præparare ſtudeas, ut ſi forte ita cito, ſicut in deſiderio noſtro vertitur, venire non poſſis, ſaltem ad nos, Deo duce, in termino pervenias memorato.

Datum Lugduni ſecundo Kalendas Februarii anno ſecundo.

*In eodem modo S. tituli ſanctæ Mariæ trans Tiberim presbytero cardinali.*

*In eodem modo R. ſanctæ Mariæ in Coſmedin diacono cardinali.*

*In eodem modo R. ſancti Angeli diacono cardinali.*

# BREVIS NOTA EORUM

## QUÆ IN PRIMO CONCILIO LUGDUNENSI generali geſta ſunt.

*IN NOMINE DOMINI, AMEN. Anno ejuſdem milleſimo ducenteſimo quadrageſimoquinto.*

CUm dominus Innocentius papa quartus ad partes Galliæ propter multa pericula quæ imminebant generali eccleſiæ ſe tranſtuliſſet, concilium advocavit apud Lugdunum: & in vigilia Petri apoſtoli concilio convocato in majori eccleſia, dominus papa, Miſſa celebrata, locum eminentiorem aſcendit: imperator vero Conſtantinopolitanus ſedit ad dexteram, & quidam alii principes laici ſederunt ad ſiniſtram, & diaconus cardinalis vicecancellarius magiſter Martinus Neapolitanus cum notariis, auditore, & correctore, capellanis, ſubdiaconis, & quibuſdam aliis: inferius vero ſic prælati ſederunt. Ex oppoſito tres patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Conſtantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus, Aquilejenſis tertio; de quo ſcandalum eſt exortum, ex eo quod, ut alii patriarchæ dicebant, ſedere non debebat juxta eos, cum non eſſet de quatuor patriarchis, & deſtructa eſt ſedes ejus. [a] Et tandem, ut vitaretur ſcandalum, de voluntate domini papæ, ut creditur, eſt refecta. In navi vero eccleſiæ ad dexteram, & in eminentioribus locis ſederunt epiſcopi cardinales, ex altera vero presbyteri cardinales, archiepiſcopi, & epiſcopi poſt eos: in ſedibus autem conſtitutis in navi eccleſiæ ſederunt aliqui de epiſcopis, abbates, procuratores capitulorum, nuncii regum, & imperatoris Friderici, & multi alii erant ibi. Tunc dominus papa incepit. Veni Creator Spiritus: & illo hymno communiter ab omnibus decantato, dixit: Dominus vobiſcum: & reſponderunt omnes: Et cum Spiritu tuo. Oremus. Ægidius cardinalis dixit: Flectamus genua. Octavianus reſpondit: Levate: & ſic dixit dominus papa propriam orationem: qua dicta, Galeatius capellanus incœpit litanias. Quibus expletis dominus papa dixit: Oremus, cum oratione de Spiritu ſancto, Deus qui corda fidelium: nec dixit Dominus vobiſcum. Quibus peractis incepit prædicare de auctoritate prophetiæ: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes*, &c. incipiens, quod multiplex erat dolor ſuus, quia quinque dolores circumdederant eum. Primus erat de difformitate prælatorum & ſubditorum. Secundus erat de inſolentia Saracenorum. Tertius de ſchiſmate Græcorum. Quartus de ſævitia Tartarorum. Quintus de perſecutione Friderici imperatoris.

[a] Forte, tantum.
Pſal. 93.

Rediens ad primum articulum de difformitate prælatorum & ſubditorum, quia non erant tales quales conſueverant, & debebant eſſe, & de eorum exceſſibus multa dixit. Poſtea de inſolentia Saracenorum, referens rumores de iis quæ tunc acciderant ultra mare, quando Jeruſalem occupaverant, & everterant ſepulcrum Domini, & cetera ſacra loca de partibus illis, & Chriſtianos interfecerant infinitos, & quæcumque ibi per eos fuerant perpetrata. Tertio de ſchiſmate Græcorum, quomodo [b] Vicarius imperator Græcorum cum Græcis ſchiſmaticis occupaverunt & deſtruxerant fere uſque ad Conſtantinopolim, & de civitate timeri poterat, niſi a Chriſtianis velocem ſuccurſum haberent. Quarto de ſævitia Tartarorum, quomodo terram Chriſtianorum intraverant, & Hungariam occupaverant, non parcentes, quia omnes interficerent, ſexui vel ætati. Quinto de perſecutione dicti imperatoris, quomodo perſequebatur eccleſiam, & ſuum prædeceſſorem Gregorium fuerat perſecutus: & in litteris, quas dictus imperator per mundum mittebat, referebat publice quod non perſequebatur eccleſiam, ſed perſonam: quod verum non fuerat, prout manifeſtiſſime apparebat, quia in vacatione eccleſiæ eam perſequi non ceſſavit. Immo

[b] Batacius.

tunc



ANNO CHRISTI 1245.

tunc clerum & eccleſiam magis afflixit. Et poſtquam de afflictione plurima dixit, fecit legi quoddam privilegium aurea bulla munitum ab eodem imperatore, cum eſſet rex, Honorio prædeceſſori ſuo conceſſum: in quo inter alia potiſſimum habebatur, quomodo eidem juramentum fidelitatis præſtiterat, tanquam vaſſallus ſuo domino, & quoddam aliud privilegium, in quo ipſe fatebatur, quod regnum Siciliæ & Apuliæ erat ſpeciale patrimonium beati Petri, & illud ab eccleſia tenebat in feudum, & concedebat ac quitabat ſi aliquod jus habuiſſet in electionibus eccleſiarum regni prædicti, & faciebat eaſdem eccleſias liberas, francas, & immunes ab omni præſtatione. Item fecit legi plura alia privilegia aurea bulla munita, eccleſiæ, dum eſſet rex, & poſtea imperator, conceſſa, in quibus habebatur, quod ipſe quitabat, donabat, & concedebat, & confirmabat totam terram a caſtro Radicofani, uſque ad caſtrum Ceprani, marchiam Anconitanam, ducatum Spoleti, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, comitatum Romandiolæ, & terram comitiſſæ Mathildis: & multa alia erant ibi. Quibus dictis judex Thadæus, unus de nunciis imperatoris, ſurrexit, & fere reſpondit ad ſingula quæ dixerat dominus papa, & mirabiliter videbatur imperatorem excuſare: & aſſeruit multa quæ feciſſe & procuraſſe dicebat eccleſiam contra eum, & oſtendit ibi plurima ex contentis litterarum, & multis reſponſio ejus fuit grata. Sed dominus papa reſpondit ad ſingula bene, ac ſi prævidiſſet, ſe & eccleſiam excuſando. Et ſic illius diei ſeſſio fuit terminata.

Secunda ſeſſio fuit ad octo dies poſtea, & quoad ſeſſionem & officia idem factum fuit quod & in prima. Quibus peractis, ſurrexit epiſcopus Calmenſis, Ciſtercienſis ordinis de Apulia, qui exul erat, & mirabiliter deſcripſit vitam malam, & ignominioſam, & progreſſum dicti imperatoris a pueritia ſua, & quæ erat ſua intentio, quia ad hoc intendebat præcipue, ut prælati & clerus ad illam reverterentur paupertatem, in qua fuerant tempore eccleſiæ primitivæ: quod maxime patebat per litteras, quas per mundum contra eccleſiam & clerum tranſmittebat. Poſtmodum ſurrexit archiepiſcopus de Hiſpania, qui multum dominum papam animavit ad procedendum contra imperatorem, referendo plurima quæ contra eccleſiam fecerat, & quomodo tota ſua fuit intentio ut deprimeret eccleſiam juxta poſſe, promittens quod ipſe & alii prælati Hiſpaniæ. qui multum magnifice & generaliter pluſquam aliqua alia natio ad concilium venerant; domino papæ aſſiſterent in perſonis & in rebus, juxta ſuæ voluntatis beneplacitum. Hæc eadem promiſerunt plures alii in ſynodo prælatorum. Tunc ſurrexit prædictus judex Thadæus, & multa gravia propoſuit contra dictum epiſcopum Calmenſem, quod non zelo juſtitiæ, ſed ex malevolentia, ex eo quod ipſum & ſuos pro manifeſtis exceſſibus punierat, talia contra imperatorem proponere curavit, & ſic in prædicta ſeſſione nihil aliud factum fuit. Verumtamen dictus judex Thadæus ſupplicabat inſtanter ut prorogaretur tertia ſeſſio, pro eo quod imperatorem expectabat, prout ipſe per certos habebat nuncios, ac ipſe ad eum plures alios, qui in civitate Taurinenſi fuerant, miſerat, quod iter arripuerat ad concilium veniendi. Et quia dictus papa hæc quamplurimum affectabat, ut poſſet inter eos pacis fœdera reformare, uſque ad diem Lunæ, poſt octavam ſeſſionis ſecundæ, quæ fuerat in die Mercurii, contra multorum prælatorum voluntatem prorogavit tertiam ſeſſionem. Quod non fuit ſine tædio multorum prælatorum, & aliorum Templariorum & Hoſpitalariorum, qui multos armatos ad cuſtodiam domini papæ & concilii ſtuduerant deſtinare, & propter preſſuram hominum, & dubitationem quæ in ipſa civitate, quæ cuſtodiebatur per armatos plurimos die ac nocte, fortiter aſſiſtebat. Et quia pro certo, domino papæ conſtitit quod ipſe non veniebat, nec cum mandato ſolenniter facto aliquos principes deſtinabat, dicta die Lunæ conſtituit tertiam ſeſſionem, & peractis officiis, ut in prima, poſt multa dicta hincinde & audita, antequam ad feſtum accederetur nativitatis beatæ Mariæ virginis glorioſæ, ordinavit octavam, ſacro concilio approbante. Deinde dominus papa quaſdam conſtitutiones, quæ pro recuperatione terræ ſanctæ, ac aliis, quæ pro ſubſidiis Romani imperii, & etiam alias quæ contra Tartaros factæ fuerant, fecit legi.

Item poſtmodum dominus papa dixit, quod omnia privilegia, quæ Romanæ eccleſiæ a principibus mundi tam ab imperatoribus quam a regibus conceſſa fuerant, eidem exemplari fecerit, & in eis apponi fecit omnium qui aderant prælatorum ſigilla, & volebat quod vigorem haberent, ſicut ipſa originalia quæ ibi lecta erant. Tunc ſurrexerunt nuncii regis Angliæ pro authenticatione quorumdam privilegiorum conceſſorum a rege Angliæ ipſi eccleſiæ, quæ aſſerebant facta præter conſilium principum terræ, licet privilegiis illis contrarium diceretur adfuturum pontificem, & quibuſdam conſtitutionibus quæ pro ſubſidio fiendo eccleſiæ factæ fuerunt. Tunc ſurrexit judex Thadæus, percipiens quod jam ſecuris erat poſita ad radicem pro multorum privilegiorum authenticatione: & ſi contra dictum imperatorem vellet procedere, appellaret ad futurum ſummum pontificem, & concilium generale. Ad quæ dominus papa reſpondit humiliter & benigne, quod illud erat concilium generale, quia tam principes ſæculares quam clerici ad illud fuerant invitati: ſed omnes qui in juriſdictione imperatoris fuerant, ad illud eos accedere non permiſit, propter quod appellationem non admittebat eamdem. Et ſtatim incepit recitare quantum eum dilexerat antequam eſſet in papam aſſumptus, & quantum ſibi dimiſerat poſtmodum, & etiam poſtquam fuerat concilium ordinatum, eum ſemper verbis mirabiliter honorando, ita quod vix credebatur ab aliquibus quod aliquam deberet ferri facere ſententiam contra eum: & ſtatim incepit omnia promere ore tenus, & ferre ſententiam contra eum, privans ipſum omni honore & imperio, & aliis regnis ſuis: & poſtmodum ſententia in ſcriptis in ipſa ſynodo lecta fuit. Qua lecta dominus papa ſurrexit, & incepit, Te Deum laudamus: quo hymno decantato; per omnes fuit concilium diſſolutum.

SEN-

ANNO CHRISTI 1245.

# SENTENTIA CONTRA FRIDERICUM IMPERATOREM AB INNOCENTIO PAPA IV. IN CONCILIO LATA.

*Sacro præſente concilio, ad rei memoriam ſempiternam.*

AD apoſtolicæ dignitatis apicem, licet indigni, dignatione Divinę majeſtatis aſſumpti, omnium Chriſtianorum curam vigili ſedulaque ſolertia gerere, ac intimę conſiderationis oculo ſingulorum diſcernere merita, & providę deliberationis ſtatera librare debemus: ut quos juſti vigor examinis dignos oſtenderit, congruis attollamus favoribus, quos autem reos, pœnis debitis deprimamus; appendentes ſemper meritum & pręmium ęqua lance, retribuendo cuique, juxta qualitatem operis, pœnę vel gratię quantitatem. Sane cum dira guerrarum commotio nonnullas profeſſionis Chriſtianæ provincias diutius afflixiſſet, nos toto cupientes affectu mentis tranquillitatem & pacem ecclęſię ſanctę Dei ac generaliter cuncto populo Chriſtiano reſtituere ac reducere, ad pręcipuum principem ſęcularem, hujus diſſenſionis & tribulationis auctorem, a felicis recordationis Gregorio papa prędeceſſore noſtro pro ſuis exceſſibus anathematis vinculo innodatum, ſpeciales nuncios magnę auctoritatis viros, videlicet venerabilem fratrem noſtrum P. Albanenſem, tunc Rothomagenſem archiepiſcopum, & C. Sabinenſem tunc, quondam Mutinenſem, epiſcopos, ac dilectum filium noſtrum Guillelmum baſilicę duodecim apoſtolorum preſbyterum cardinalem, tunc abbatem ſancti Facundi, qui ſalutem zelabantur ipſius, duximus deſtinandos; facientes ſibi proponi per ipſos, quod nos & fratres noſtri, quantum in nobis erat, pacem per omnia ſecum habere, necnon cum omnibus hominibus, optabamus, parati ſibi pacem & tranquillitatem dare, ac mundo etiam univerſo. Et quia prelatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam clericorum quam laicorum quos ceperat in galeis reſtitutio poterat eſſe pacis plurimum inductiva, cum, ut illos reſtitueret, cum hoc idem tam ipſe, quam ſui nuncii, antequam ad apoſtolatus vocati eſſemus officium, promiſiſſent, rogari & peti ab ipſo fecimus per eoſdem, ac proponi inſuper, quod iidem parati erant pro nobis audire, & tractare pacem, ac etiam audire ſatiſfactionem quam facere vellet princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis aſtrictus, & offerri preterea, quod ſi eccleſia eum in aliquo contra debitum lęſerat, (quod non credebat) parata erat corrigere, ac in ſtatum debitum reformare. Et ſi diceret ipſe quod in nullo contra juſtitiam lęſerat eccleſiam, vel quod nos eum contra juſtitiam lęſiſſemus, parati eramus vocare reges, prelatos, & principes tam eccleſiaſticos quam ſeculares, ad aliquem tutum locum, ubi per ſe vel ſolemnes nuncios convenirent; eratque parata eccleſia de conſilio concilii ſibi ſatisfacere, ſi eum lęſiſſet in aliquo, ac revocare ſententiam, ſi quam contra ipſum injuſte tuliſſet, & cum omni manſuetudine ac miſericordia, quantum cum Deo & honore ſuo fieri poterat, recipere de injuriis & offenſis ipſi eccleſiæ ſuiſque per eum irrogatis ſatisfactionem ab ipſo. Volebat etiam eccleſia omnes amicos ſuos ſibique adhęrentes in pace ponere, plenaque ſecuritate gaudere; ut nunquam hac occaſione poſſet aliquod ſubire diſcrimen. Sed licet ſic apud eum pro pace paternis monitis & precum inſiſtere curaverimus lenitate: idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aſpidis aures ſuas, hujuſmodi preces & monita elata obſtinatione ac obſtinata elatione deſpexit. Et licet proceſſu temporis in die cœnæ Domini proxima nuper præterita, præcedente coram nobis & fratribus noſtris cardinalibus præſentibus cariſſimo in Chriſto filio noſtro Conſtantinopolitano imperatore illuſtri, cœtu quoque non modico prælatorum, ſenatoribus populi Romani, & maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter ſolemnitatem ipſius de diverſis mundi partibus ad apoſtolicam ſedem convenerant, quod ſtaret noſtris & eccleſiæ mandatis per nobilem virum comitem Toloſanum, ac magiſtro P. de Vinea, & T. de Sueſſa curiæ ſuæ judices, & nuncios, & procuratores ſuos, ſpeciale ſuper hoc ab ipſo mandatum habentes, præſtiterit juramentum: poſtmodum tamen quod juraverat non implevit; quinimmo ea intentione ipſum præſtitiſſe juramentum probabiliter creditur, ſicut ex factis ſequentibus colligitur evidenter: ut eidem eccleſiæ ac nobis illuderet potius quam pareret: cum anno & amplius jam elapſo, nec ad ipſius eccleſiæ gremium revocari potuerit, nec ſibi de illatis ei damnis & injuriis curaverit ſatisfacere, licet ſuper hoc extiterit requiſitus. Propter quod non valentes abſque gravi Chriſti offenſa ejus iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente nos conſcientia juſte animadvertere in eumdem. Et ut ad præſens de ceteris ejus ſceleribus taceamus, quatuor graviſſima, quæ nulla poſſunt celari tergiverſatione, commiſit. Dejeravit enim multoties, pacem quondam inter eccleſiam & imperium reformatam temere violando. Perpetravit etiam ſacrilegium, capi faciendo cardinales ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac aliarum eccleſiarum prælatos & clericos religioſos & ſæculares venientes ad concilium, quod idem prædeceſſor noſter duxerat convocandum. De hæreſi quoque non dubiis & levibus, ſed evidentibus argumentis ſuſpectus habetur: plura ſiquidem eum commiſiſſe perjuria ſatis patet. Nam olim cum in Siciliæ partibus morabatur, priuſquam eſſet ad imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ *C. ſancti Theodori diacono cardinali, apoſtolicę ſedis legato, felicis recordationis Innocentio papę prędeceſſori noſtro, & ſucceſſoribus ejus, eccleſięque Romanę, pro conceſſione regni Sicilię ab eadem eccleſia ſibi facta, fidelitatis prędtitit juramentum: &, ſicut dicitur, illud idem, poſtquam ad eamdem dignitatem electus extitit, & venit ad Urbem, coram eodem Innocentio, ſuiſque fratribus cardinalibus, & aliis multis pręſentibus, ligium *hominium in ejus faciens manibus innovavit. Deinde cum in Alemannia eſſet eidem I. & ipſo defuncto bonę memorię Honorio papę prędeceſſori noſtro, & ejus ſucceſſoribus, ac ipſi eccleſię Romanę, pręſentibus imperii principibus atque nobilibus, juravit, honores, jura, & poſſeſſiones Romanę eccleſię pro poſſe ſuo ſervare, ac protegere bona fide, & quod quęcumque ad manus ſuas devenirent, ſine difficultate reſtituere procuraret, nominatis & expreſſe dictis poſſeſſionibus in hujuſmodi juramento, quod poſtmodum confirmavit, coronam imperii jam adeptus. Sed



ANNO CHRISTI 1245.

horum trium juramentorum temerarius extitit violator non ſine proditionis nota, & læſæ crimine majeſtatis. Nam contra præfatum prædeceſſorem G. & fratres ſuos comminatorias litteras eiſdem fratribus deſtinare, ac dictum G. apud fratres ipſos, ſicut apparet per litteras ab eo tunc directas eiſdem, & etiam, prout fertur, per univerſum fere orbem terrarum multipliciter diffamare præſumpſit, ac venerabilem fratrem noſtrum O. Portuenſem, tunc ſancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, & bonæ memoriæ I. Præneſtinum, epiſcopos, apoſtolicæ ſedis legatos, nobilia & magnæ Romanę eccleſiæ membra, perſonaliter capi fecit, & bonis omnibus ſpoliatos, ac per diverſa loca non ſemel ignominioſe deductos, carceribus mancipari. Privilegium inſuper, quod beato Petro & ſucceſſoribus ejus in ipſo tradidit Dominus Jeſus Chriſtus, videlicet, *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, in quo utique auctoritas & poteſtas eccleſiæ Romanæ conſiſtit, pro viribus diminuere, vel ipſi eccleſiæ auferre ſategit: ſcribens ſe præfati G. ſententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipſum, non ſolum, contemptis eccleſiæ clavibus, non ſervando, verum etiam per ſe ac officiales ſuos & illam & alias excommunicationis vel interdicti ſententias, quas idem omnino contempſit, cogendo alios non ſervare. Poſſeſſiones quoque præfatæ Romanæ eccleſiæ, videlicet Marchiam, Ducatum, Beneventum, cujus muros & turres dirui fecit, ac alias, quas in Tuſciæ & Lombardiæ partibus. Et quibuſdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eos adhuc detinet occupatos. Et tanquam ei non ſufficeret, quod manifeſte contra juramenta præmiſſa, præſumendo talia, veniebat per ſe vel ſuos officiales, earumdem poſſeſſionum homines dejerare compulit: ipſos a juramentis fidelitatis, quibus Romanæ tenebantur eccleſiæ, de facto, cum de jure non poſſet, abſolvens, & faciens eoſdem fidelitatem nihilo minus abjurare prædictam, ſibique fidelitatis hujuſmodi juramenta præſtare. Pacis vero ipſum violatorem exiſtere plane conſtat, quia cum olim tempore pacis inter ipſum & eccleſiam reformatæ juraſſet coram bonæ memoriæ I. de Abbatiſvilla epiſcopo Sabinenſi, & magiſtro Th. tituli ſanctæ Sabinæ presbytero cardinali, præſentibus multis prælatis, principibus, & baronibus, quod ſtaret & pareret præciſe abſque ulla contradictione omnibus mandatis eccleſiæ, ſuper iis pro quibus erat vinculo excommunicationis adſtrictus, cauſis excommunicationis ejuſdem expreſſis, per ordinem coram eo, tunc omnibus Teutonicis hominibus regni Siciliæ, ac quibuſlibet aliis, qui eccleſiæ contra ipſum adhæſerant omnem remittens offenſam, & pœnam; & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipſos, pro eo quod eccleſiæ aſtiterant, præſtari in anima ſua per comitem Acerrarum faciens juramentum, poſtmodum pacem & juramentum hujuſmodi, nequaquam erubeſcens *irretiri perjuriis, non ſervavit. Nonnullos enim ex ipſis hominibus, tam nobiles, quam alios, poſtea capi & incarcerari fecit, & eis bonis ſuis omnibus ſpoliatis, uxores eorum & filios captivari, ac inſuper terras eccleſiæ contra promiſſionem, quam eidem T. Sabinenſi epiſcopo & Thomaſo cardinali fecerat, irreverenter invaſit, licet ipſi extunc in eum præſentem, ſi ullo modo prædictis articulis aut conditionibus contraveniret, excommunicationis ſententiam promulgarant. Et cum iidem apoſtolica ei auctoritate mandaſſent, ut nec per ſe nec per alium impediret quin poſtulationes, electiones, & confirmationes eccleſiarum & monaſteriorum in regno præfato libere de cetero fierent, ſecundum ſtatuta concilii generalis, & quod nullas deinceps in eodem regno viris eccleſiaſticis ac rebus eorum imponeret tallias, vel collectas, quodque nullus ibidem clericus, vel perſona eccleſiaſtica de cetero in civili vel criminali cauſa conveniretur coram judice ſæculari, niſi ſuper feudis quæſtio civiliter haberetur, ac Templariis, Hoſpitalariis, & aliis perſonis eccleſiaſticis de damnis & injuriis irrogatis eiſdem ſatisfaceret competenter, ipſe mandatum hujuſmodi adimplere contempſit. Liquet namque undecim aut plures archiepiſcopales, & multas epiſcopales ſedes, abbatias quoque, ac alias eccleſias, ad præſens vacare in regno prædicto, eaſque, procurante ipſo, ſicut aperte patet, fuiſſe diutius prælatorum regimine deſtitutas, in grave ipſarum præjudicium & periculum animarum. Et licet forte in aliquibus ejuſdem regni eccleſiis electiones ſint a capitulis celebratæ: quia tamen per illa ejuſdem familiares clerici ſunt electi, probabili poteſt argumento concludi, quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Eccleſiarum autem ipſius regni non ſolum facultates & bona fecit, prout voluit, occupari: ſed etiam cruces, thuribula, calices, & alios ſacros earum theſauros, & pannos ſericos, velut cultus Divini contemptor, auferri, licet, ut dicitur, ipſis eccleſiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint reſtituti. Clerici quippe collectis & talliis multipliciter affliguntur, non ſolum trahuntur ad judicium ſæculare, ſed, ut aſſeritur, coguntur ſubire duella, incarcerantur, occiduntur: & patibulis cruciantur, in confuſionem & opprobrium ordinis clericalis: præfatis autem Templariis, Hoſpitalariis, & perſonis eccleſiaſticis, non eſt de damnis illatis eiſdem & injuriis ſatisfactum. Eum quoque certum eſt fore ſacrilegii patratorem. Nam cum præfati Portuenſis & Præneſtinus epiſcopi, & complures eccleſiarum prælati, & clerici tam religioſi quam ſæculares, ad apoſtolicam ſedem pro celebrando concilio, quod prius ipſe petiverat, convocati per mare venirent, viis terræ ipſis de mandato ejus omnino præcluſis, idem deſtinato Enſio filio ſuo cum multitudine galearum, & per alios complures longe ante ſerie præparatos in partibus Tuſciæ maritimis inſidiis poſitis contra eos, ut gravius poſſet virus vomere præconceptum, ipſos auſu ſacrilego capi fecit, quibuſdam prælatorum ipſorum, & aliis in hujuſmodi captione ſubmerſis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus hoſtili inſecutione fugatis, reliquis autem bonis ſpoliatis omnibus, & de loco ad locum in regnum Sicilię opprobrioſe deductis, ac ibidem diris, carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati ſqualoribus & inedia preſſi, miſerabiliter defecerunt.

Merito inſuper contra eum de hęretica pravitate ſuſpicio eſt exorta, cum poſtquam excommunicationis ſententiam a pręfatis I. epiſcopo Sabinenſi, & T. cardinalibus prolatam incurrerit, & dictus G. papa ipſum anathematis vinculo innodavit, ac poſt eccleſię Romanę cardinalium, prelatorum & clericorum, ac aliorum etiam diverſis *temporibus ad ſedem apoſtolicam venientium captionem claves eccleſię contempſerit, & contemnat, *ſibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo eſt, profanari Divina: & conſtanter aſſeruit, ut ſuperius eſt narratum, ſe pręfati G. papę ſententias excommunicationis non vere-

Matth. 16.

* G.

* Homagium

* irritare; vel irretire.

* partibus

* ibi

ANNO CHRISTI 1245.

vereri. Pręterea conjunctus amicitia deteſtabili
Saracenis, nuncios & munera pluries deſtinaverit
eiſdem, & ab eis viciſſim cum honorificentia &
hilaritate receperit, ipſorumque ritus amplecti-
tur, illos in quotidianis ejus obſequiis notabili-
ter ſecum tenens. Eorumdem etiam more uxori-
bus quas habuit de ſtirpe regia deſcendentibus,
eunuchos Capuç, quos, ut dicitur, ſerio caſtra-
ri fecerat, non erubuit deputare cuſtodes, &,
quod execrabilius eſt, olim exiſtens in partibus
tranſmarinis, facta compoſitione quadam, im-
mo colluſione verius, cum Soldano, Machometi
nomen in templo Domini diebus & noctibus pu-
blice proclamari permiſit, & nuper nuncios Sol-
dani Babylonię, poſtquam idem Soldanus terrę
ſanctę ac Chriſtianis habitatoribus ejus per ſe ac
ſuos damna graviſſima & ineſtimabiles injurias
irrogarat, facit per regnum Sicilię cum laudibus
ad ejuſdem Soldani extollentiam, &, ſicut fer-
tur, honorifice ſuſcipi, & magnifice procurari.
Aliorum quoque infidelium pernicioſis & horren-
dis obſequiis contra fideles abutens, & illis qui
damnabiliter vilipendentes apoſtolicam ſedem, ab
unitate eccleſię diſceſſerunt, procurans affinitate
ac amicitia copulari, clarę memorię ducem Bava-
rię, ſpecialem ecclrſię Romanę devotum, fecit,
ſicut pro certo aſſeritur, Chriſtiana religione de-
ſpecta per aſſaſſinos occidi, & Battatio Dei & ec-
cleſię inimico a communione fidelium per excom-
municationis ſententiam cum adjutoribus, conſi-
liatoribus, & fautoribus ſuis, ſolenniter ſepara-
to, filiam ſuam tradidit in uxorem. Catholicorum
vero principum actus & mores reſpuens, neglector
ſalutis & famę, pietatis operibus non intendit:
quinimmo, ut de ſuis nefariis diſſolutionibus ſi-
leamus, cum didicerit tantum opprimere, non
curat oppreſſos misericorditer relevare, manu
ejus, ut decet principem Chriſtianum, ad elee-
moſynas inextenta, cum deſtructioni eccleſiarum
inſtiterit, religioſas ac alias eccleſiaſticas jungi
attriverit afflictione & perſecutione perſonas, nec
eccleſias, nec monaſteria, nec alia pia loca [illegible]
nitur conſtruxiſſe. Nonne igitur hęc non levia,
ſed efficacia ſunt argumenta de ſuſpicione hęreſis
contra eum, cum hęreticorum vocabulo illos jus
civile contineri aſſerat, & latis adverſus eos ſen-
tentiis debere ſuccumbere, qui vel levi argumen-
to a judicio catholicę religionis & tramite derecti
fuerint deviare? Pręter hęc, regnum Sicilię quod
eſt ſpeciale patrimonium beati Petri, & idem
princeps ab apoſtolica ſede tenebat in feudum,
jam ad tantam in clericis & laicis exinanitionem
ſervitutemque redegit, quod eis pene penitus ni-
hil habentibus, & omnibus exinde probis fere eje-
ctis, illos qui remanſerunt ibidem ſub ſervili
quaſi conditione vivere, ac Romanam eccleſiam,
cujus principaliter ſunt homines & vaſſalli, of-
fendere multipliciter & hoſtiliter impugnare com-
pellit. Poſſet etiam merito reprehendi, quod
ſquifatorum annuam penſionem, in qua pro eo-
dem regno ipſi eccleſię Romanę tenetur, per no-
vem annos & amplius ſolvere pretermiſit. Nos
itaque ſuper pręmiſſis & compluribus aliis ejus
nefandis exceſſibus, cum fratribus noſtris & ſacro
concilio deliberatione prehabita diligenti, cum
Jeſu Chriſti vices licet immeriti teneamus in ter-
ris, nobiſque in beati Petri apoſtoli perſona ſit
dictum: *Quodcumque ligaveris ſuper terram*, &c.
memoratum principem, qui ſe imperio & regnis
omnique honore ac dignitate reddidit tam indi-
gnum, quique propter ſuas iniquitates a Deo ne
regnet vel imperet eſt abjectus, ſuis ligatum pec-
catis, & abjectum, omnique honore & dignita-
te privatum a Domino oſtendimus, denunciamus, ac nihilo minus ſententiando privamus; omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adſtricti, a juramento hujuſmodi perpetuo abſolventes: auctoritate apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cetero ſibi tanquam imperatori vel regi pareat vel intendat, & decernendo quoſlibet, qui deinceps ei velut imperatori aut regi conſilium vel auxilium præſtiterint ſeu favorem, ipſo facto excommunicationis vinculo ſubjacere. Illi autem ad quos in eodem imperio imperatoris ſpectat electio, eligant libere ſucceſſorem. De præfato vero Siciliæ regno providere curabimus, cum eorumdem fratrum noſtrorum conſilio, ſicut viderimus expedire.

Datum Lugduni decimoſexto Kalendas Auguſti, anno tertio.

# INSTITUTIONES FACTÆ IN CONCILIO GENERALI apud Lugdunum.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *De reſcriptis.*
2. *De eodem.*
3. *De electione & electi poteſtate.*
4. *De officio & poteſtate judicis delegati.*
5. *De judiciis.*
6. *De litis conteſtatione.*
7. *De dolo & contumacia.*
8. *De reſcriptis.*
9. *De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.*
10. *De confeſſis.*
11. *De appellationibus & recuſationibus.*
12. *De ſententia excommunicationis.*
13. *De uſuris.*
14. *De ſubſidio imperii Conſtantinopolitani.*
15. *De admonitio prælatorum ad populum ſibi commiſſum.*
16. *De Tartaris.*
17. *Super Cruciata.*

## CAPITULA

### I. *De reſcriptis.*

CUM in multis juris articulis infinitas reprobetur, ʺproinde duximus ſtatuendum, ut per illam generalem clauſulam, Quidam alii, quæ frequenter in noſtris litteris inſeritur, ultra tres vel quatuor in judicium non trahantur; quorum nomina in primo citatorio exprimat impetrator, ne fraudi locus forſitan relinquatur, ſi circa ea poſſit libere variare.

*De reſcript. in 6. ʺ proœm.*

### II. *De eodem.*

Præſenti decreto duximus ſtatuendum, ne a ſede apoſtolica, vel delegatis ipſius, cauſæ aliquibus committantur, niſi perſonis quæ vel dignitate ſint præditæ, vel in eccleſiis cathedralibus, ſeu aliis collegatis honorabilibus conſtitutæ, nec alibi quam in civitatibus, vel locis magnis & inſignibus, ubi haberi valeat juris copiaʺ peritorum, cauſæ hujuſmodi agitentur. Judicibus vero, qui contra hoc ſtatutum ad alia loca alterutram partium citaverint vel utramque, non pareatur impune: niſi citatio de communi utriuſque partis præceſſerit voluntate.

*ʺ copia ſ[illegible]*



ANNO CHRISTI 1245.

### III. *De electione & electi poteſtate.*

*De elect. in 6.*

In electionibus & poſtulationibus, ac ſcrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa & incerta penitus reprobamus: ſtatuentes ut, hujuſmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris conſenſibus celebretur electio, voce illorum qui non pure conſenſerint ea vice in alios recidente.

### IV. *De officio & poteſtate judicis delegati.*

*De off. & pot. jud. deleg. in 6.*

Statuimus ut conſervatores, quos plerumque concedimus, a manifeſtis injuriis & violentiis defendere poſſint quos eis committimus defendendos, nec ad alia quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam valeant extendere poteſtatem.

### V. *De judiciis.*

*De jud. in 6.*

Juris eſſe ambiguum non videtur, judicem delegatum (qui a ſede apoſtolica ad hoc mandatum non receperit ſpeciale) jubere non poſſe alterutram partium coram ſe perſonaliter in judicio comparere: niſi cauſa fuerit criminalis, vel niſi pro veritate dicenda, vel juramento calumniæ faciendo, juris neceſſitas partes coram eo perſonaliter exegerit præſentari.

### VI. *De litis conteſtatione.*

Exceptionis peremptoriæ, ſeu defenſionis cujuslibet principalis cognitionem negotii continentis ante litem conteſtatam objectus, niſi de re judicata vel tranſacta ſeu finita excipiat litigator, litis conteſtationem non impediat, nec retardet, licet dicat objector non fuiſſe reſcriptum obtentum, ſi, quæ ſunt impetranti oppoſita, fuiſſent expoſita deleganti.

### VII. *De dolo & contumacia.*

Actor qui venire ad terminum ad quem citari adverſarium fecerat, non curavit, venienti reo in expenſis propter hoc factis legitime condemnetur; ad citationem aliam, niſi ſufficienter caverit quod in termino fideliter compareat, minime admittendus.

### VIII. *De reſcriptis.*

Diſpendia litium æquitatis compendio volentes qua poſſumus induſtria coarctare, ſtatutum felicis recordationis ʺ Innocentii papæ III. ſuper hoc editum ampliantes, decrevimus ut ſi quis contra alium plures perſonales voluerit movere quæſtiones, non ad diverſos judices, ſed eoſdem, ſuper omnibus hujuſmodi quæſtionibus litteras ſtudeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat litterarum, nec proceſſus valeat habitus, per eaſdem alias reo, ſi eum per ipſas fatigaverit, in expenſis legitimis condemnandus. Reus quoque, ſi eodem durante judicio actorem ſibi obnoxium dixerit reconventionis beneficio, vel conventionis, ſi litteras contra eum impetrare maluerit, de jure ſuo debet apud eoſdem judices experiri, niſi ut eos ſuſpectos poterat recuſare, ſimili pœna, ſi contra fecerit, puniendus.

*ʺ Gregorii papæ IX. prædeceſſoris noſtri.*



### IX. *De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.*

Eum qui ſuper dignitate, perſonatu, vel beneficio eccleſiaſtico obtinendis, cum aliquo litigat poſſeſſore, ob partis adverſæ contumaciam cauſa rei ſervandæ: in ipſorum poſſeſſionem ſtatuimus non mittendum, ne per hoc ad ea ingreſſus patere valeat vitioſus; ſed liceat in hoc caſu contumacis abſentiam Divina replente præſentia, etiam lite non conteſtata, diligenter examinato negotio, ipſum fine debito terminare.

### X. *De confeſſis.*

Statuimus ut poſitiones negativas quæ probari non poſſunt niſi per confeſſionem adverſarii, judices admittere poſſint; ſi æquitate ſuadente viderint expedire,

### XI. *De appellationibus & recuſationibus.*

Legitima ſuſpicionis cauſa contra judicem aſſignata, & arbitris a partibus ſecundum formam juris electis, qui de ipſa cognoſcant, ſæpe contingit, quod ipſis in idem convenire nolentibus, nec tertium advocantibus, cum quo ambo, vel alter ipſorum, procedant ad deciſionem ipſius negotii, ut tenentur, judex proferat excommunicationis ſententiam contra eos, quam ipſi tum propter odium, tum propter favorem partium, diutius vilipendunt. Quare cauſa ipſa plus debito prorogata, non proceditur ad cognitionem negotii principalis. Volentes igitur morbo hujuſmodi neceſſariam adhibere medelam, ſtatuimus, ut ipſis arbitris per judicem terminus competens præfigatur; infra quem in idem conveniant, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo, vel alter ipſorum, ejuſdem ſuſpicionis negotium terminare procurent. Alioquin judex extunc ſin principali negotio procedere non omittat.

Anno Christi 1245.

*XII. De ſententia excommunicationis.*

Statuimus, ut nullus judicum participantes cum excommunicatis ab eo in locutione, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante commonitionem canonicam, excommunicare majori excommunicatione præſumat: ſalvis conſtitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præſumunt participare damnato. Quod ſi ex locutione, & aliis, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indureſcat: poterit judex poſt commonitionem canonicam hujuſmodi participantes conſimili damnare cenſura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.

*XIII. De uſuris.*

Cura nos paſtoralis ſolicitat & hortatur, ut lapſis conſulamus eccleſiis, & ne labantur in poſterum, provideamus conſtitutione ſalubri. Cum igitur uſurarum vorago multas eccleſias pene deſtruxerit, & nonnulli prælati circa ſolutionem debitorum, præſertim a ſuis prædeceſſoribus contractorum, negligentes inveniantur admodum & remiſſi, ac ad contrahenda majora debita, & obligandas res eccleſiæ nimis proni, deſides etiam in cuſtodiendis rebus inventis, malentes in propriam laudem modicum novi facere, quam bona cuſtodire, dimiſſa recuperare, deperdita reſtaurare, ac reſarcire ruinas: nos, ne de cetero ſe de adminiſtratione tamen utili excuſare, ac in prædeceſſores ſive alios fundere valeant culpam ſuam, præſentis concilii approbatione ſancimus, ut pontifices, abbates, decani, ceterique legitimam & communem adminiſtrationem gerentes, infra unum menſem, poſtquám adminiſtrationem adjerint, intimato prius proxime ſuperiori, ut per ſe vel per aliquam perſonam eccleſiaſticam idoneam & fidelem interſit, præſentibuſque capitulo vel conventu propter hoc ſpecialiter evocatis, inventarium rerum adminiſtrationis ſuſceptæ confici faciant, in quo mobilia & immobilia, libri, chartæ, inſtrumenta, privilegia, ornamenta, ſeu paramenta eccleſiaſtica, & cuncta quæ ad inſtructionem urbani fundi ſeu ruſtici pertinent, necnon debita ac credita, diligentiſſime conſcribantur: ut in quo ſtatu eccleſiam vel adminiſtrationem ſuſceperint, & procedente tempore gubernarint, ac in morte vel ceſſione dimiſerint, per ſuperiorem, ſi neceſſe fuerit, & eos qui ſunt eccleſiarum deputati ſervitiis, liquido cognoſcatur. Archiepiſcopi vero, qui præter Romanum pontificem ſuperiorem non habent, aliquem ex ſuffraganeis, ut perſonaliter, vel per alium, ut eſt expreſſum ſuperius, & abbates, ac alii prælati minores exempti, unum vicinum epiſcopum, qui nihil juris in exempta eccleſia ſibi vindicet, ad id ſtudeant evocare: dictumque inventarium tam ſubſtituti prælati, quam ſui collegii, necnon & ſuperioris ſuffraganei, ſeu vicini epiſcopi, ad hoc vocatorum, muniatur ſigillis, in archiviis eccleſiæ cum cautela debita conſervandum. Et nihil minus inventarii ejuſdem tranſcriptum tam idem inſtitutus, quam prælatus ad hoc vocatus, penes ſe habeat ſimile ſigillatum. Inventa quoque cuſtodiantur fideliter, & de ipſis adminiſtratio digna geratur: & comperta debita, de mobilibus eccleſiæ, ſi fieri poteſt, cum celeritate ſolvantur. Si vero mobilia non ſufficiant ad ſolutionem celerem faciendam, omnes proventus in ſolutionem convertantur debitorum, quæ uſuraria fuerint, vel etiam oneroſa, deductis de ipſis proventibus expenſis dumtaxat neceſſariis, prælato collegioque rationabiliter computandis. Si autem debita non fuerint oneroſa, vel uſuraria, tertia pars eorumdem proventuum, vel major, cum illorum conſilio quos ad conficiendum inventarium vocandos diximus, pro ſatisfactione hujuſmodi deputentur. Porro ejuſdem concilii auctoritate firmiter inhibemus, ne prædicti perſonas ſuas, vel eccleſias ſibi commiſſas, pro aliis obligent, nec pro ſe vel ipſis eccleſiis contrahant debita, quibus poſſit imminere gravamen. Si vero evidens urgeat neceſſitas, vel eccleſiarum rationabilis ſuadeat utilitas: prælati cum ſuperiorum, archiepiſcopi & abbates exempti cum prædictorum collegiorumque ſuorum conſilio & conſenſu, debita non uſuraria, ſi poteſt fieri, nunquam tamen in nundinis vel mercatibus publicis contrahant. Et contractum litteris debitorum & creditorum nomina, & cauſæ quare contrahatur debitum, etiamſi in utilitatem eccleſiæ ſit converſum*: & ad id perſonas eccleſiaſticas, vel eccleſias, nullatenus volumus obligari. Privilegia ſiquidem eccleſiarum, quæ ſecuro loco fideliter cuſtodiri mandamus, nequaquam pignori obligentur, nec etiam res aliæ, niſi forte pro neceſſariis & utilibus debitis cum prædicta ſolennitate contractis. Ut autem hæc ſalubris conſtitutio inviolabiliter obſervetur, & fructus appareat quem ex ipſa provenire ſperamus: ordinandum duximus, & irrefragabiliter ſtatuendum, quod omnes abbates, & priores, nec non & decani, vel præpoſiti cathedralium ſeu aliarum eccleſiarum, ſemel ſaltem in anno in ipſorum collegiis diſtrictam ſuæ adminiſtrationis faciant rationem: & coram ſuperiore viſitante

* Deeſt [illegible]





Anno Christi 1245.

te conſcripta & conſignata hujuſmodi ratio fideliter recitetur. Archiepiſcopi vero, & epiſcopi, ſtatum adminiſtrationis bonorum ad menſam propriam pertinentium, ſimiliter ſingulis annis capitulis ſuis, & nihilo minus epiſcopi metropolitanis, & metropolitani legatis apoſtolicæ ſedis, vel aliis, quibus fuerit ab eadem ſede ſuarum eccleſiarum viſitatio delegata, inſinuare debita fidelitate procurent. Computationes vero conſcriptæ, ſemper in theſauro eccleſiæ ad memoriam reſerventur, ut in computatione annorum ſequentium præteriti temporis & inſtantis diligens habeatur collatio, ex qua ſuperior adminiſtrantis diligentiam vel negligentiam comprehendat: quam ſiquidem negligentiam, ſolum Deum habens præ oculis, hominis amore, odio, vel timore poſtpoſitis, tanta & tali animadverſione caſtiget, quod nec a Deo, nec a ſuo ſuperiore, vel ſede apoſtolica, mereatur propter hoc recipere ultionem. Non ſolum autem a futuris prælatis, ſed etiam a jam promotis præſentem conſtitutionem præcipimus obſervari.

*XIV. De ſubſidio imperii Conſtantinopolitani.*

Arduis mens noſtra occupata negotiis, curiſque diſtracta diverſis, inter cetera, circa quæ attentionis invigilat oculo, ad Conſtantinopolitani liberationem imperii ſuæ conſiderationis aciem ſpecialiter dirigit; hanc ardenti deſiderio concupiſcit; erga eam jugi cogitatione verſatur. Et licet apoſtolica ſedes pro ipſa grandis diligentiæ ſtudio & multiplicis ſubventionis remedio ferventer inſtiterit, ac diu catholici non ſine gravibus laboribus, & oneroſis ſumptibus, anxiiſque ſudoribus, & deflenda ſanguinis effuſione, certaverint. nec tanti auxilii dextera imperium ipſum totaliter de inimicorum jugo potuerit, impedientibus peccatis, eripere, propter quod non immerito dolore turbamur: quia tamen eccleſiæ corpus ex membri cauſa cari, videlicet imperii præfati carentia, notam probroſæ deformitatis incurreret, & ſuſtineret debilitatis dolendæ jacturam, poſſetque digne noſtræ ac ipſius eccleſiæ deſidiæ imputari, ſi fidelium deſtitueretur ſuffragio, & relinqueretur hoſtibus libere opprimendum, firma intentione proponimus, eidem imperio efficaci & celeri ſubſidio ſubvenire, ut, eccleſia ferventi ad illius exurgente ſuccurſum manumque porrigente munitam, imperium ipſum de adverſariorum dominio erui valeat, & reduci, auctore Domino, ad ejuſdem corporis unitatem, ſentiatque poſt conterentem inimicorum malleum dexteram matris eccleſiæ conſolantem, & poſt aſſertionis erroneæ cæcitatem, viſum, catholicæ fidei profeſſione, reſumat. Ad liberationem autem ipſius eo magis eccleſiarum prælatos, alioſque viros eccleſiaſticos vigiles & intentos exiſtere, ac opem & operam convenit exhibere, quo amplius ejuſdem fidei eccleſiaſticæ libertatis augmentum, quod per liberationem hujuſmodi principaliter proveniret, procurare tenentur: maxime quia dum prædicto ſubvenitur imperio, conſequenter ſubſidium impenditur terræ ſanctæ. Sane ut feſtina fiat & utilis imperio præfato ſubventio, ex communi concilii approbatione ſtatuimus, ut medietas omnium proventuum, tam dignitatum, & perſonatuum, quam præbendarum eccleſiaſticarum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum, perſonarum illarum, quæ in ipſis reſidentiam non faciunt perſonalem, per ſex menſes ad minus, ſive unum habeant, ſive plura, eis qui noſtris, & fratrum noſtrorum, ac ſuorum prælatorum immorantur obſequiis, aut ſunt in peregrinatione, vel ſcholis, ſeu eccleſiarum ſuarum negotia de ipſorum mandato procurant, aut aſſumpſerunt vel aſſument crucis ſignaculum in prædictæ terræ, vel perſonaliter in ejuſdem imperii proficiſcentur ſuccurſum, exceptis, & ſi aliqui eorumdem exceptorum, præter hujuſmodi cruceſignatos, & proficiſcentes, de redditibus eccleſiaſticis ultra valentiam centum marcarum argenti percipiunt; annuatim tertia pars reſidui, ipſius imperii ſubſidio colligenda, per eos qui hoc ab apoſtolica fuerint ordinati providentia, uſque ad triennium integre deputentur. Non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus vel ſtatutis eccleſiarum, ſeu quibuslibet indulgentiis ipſis eccleſiis vel perſonis ab apoſtolica ſede conceſſis, juramento aut quacumque firmitate alia roboratis. Et ſi forte ſuper hoc ſcienter fraudem commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Nos vero de obventionibus eccleſiæ Romanæ, deducta prius ex eis decima ſuccurſui terræ deputanda prædictæ, decimam prædicti pro ſubventione imperii plenarie tribuemus. Porro, cum idem juvatur imperium, auxilium præſtatur potiſſime ipſi terræ, ac ad recuperationem ejus præcipue inſiſtitur, dum ad ipſius liberationem imperii laboratur, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum auctoritate confiſi, ex illa quam nobis, licet indignis, ligandi atque ſolvendi contulit poteſtate, omnibus eidem imperio ſuccurrentibus illam ſuorum peccaminum veniam indulgemus, ipſoſque illo privilegio, eaque volumus immunitate gaudere, quæ prædictæ terræ ſubvenientibus conceduntur.

ANNO CHRISTI 1245.

*XV. Admonitio prælatorum ad populum ſibi commiſſum.*

Perennis obtentu patriæ a longis retro temporibus pro redimenda terra, quam Dei Filius aſperſione ſui ſanguinis conſecravit, univerſitas filiorum eccleſiæ non ſolum expenſas innumeras, ſed inæſtimabilem cruoris affluentiam noſcitur effudiſſe: ſicut ex eo mœſti corde colligimus, quod pridem contra fideles pugnantibus impiis accidit in partibus tranſmarinis. Verum cum propter hoc ſit in ſedis apoſtolicæ voto potiſſimum, ut de ipſius redemptione terræ, communis deſiderii cito Deo propitio proveniat complementum: digne providimus, ut ad procurandum Dei favorem vos noſtris litteris excitemus. Rogamus itaque univerſitatem veſtram, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, mandantes quatenus ſinguli veſtrum fideles populos veſtræ curæ commiſſos in veſtris prædicationibus, vel quando pœnitentiam ipſis injungitis, piis monitis inducatis, conceſſa ſuper hoc, prout expedire videritis, indulgentia ſpeciali, ut in teſtamentis, quæ pro tempore fecerint, aliquid in terræ ſanctæ, vel imperii Romaniæ ſubſidium, pro ſuorum peccaminum remiſſione relinquat: attentius proviſuri, ut quod ipſi ad Crucifixi reverentiam habendo reſpectum in pecunia pro hujuſmodi ſubventione dederint, in certis locis ſub ſigillis veſtris conſervari fideliter, & illa, quæ in rebus aliis ad hoc legata fuerint, diligenter in ſcriptis redigi faciatis. Hoc autem pietatis opus, in quo ſola cauſa Dei quæritur, & ſalus fidelium procuratur, ſic veſtra ſinceritas promptis proſequatur affectibus, ut tandem ſecuri de manu ſuperni Judicis cœleſtis gloriæ præmium expectetis.

*XVI. De Tartaris.*

Chriſtianæ religionis cultum longius latiuſque per orbem diffundi ſuper omnia cupientes, inæſtimabilis doloris telo transfodimur, ſi quando aliqui ſic noſtro in hac parte obviant deſiderio, affectu contrario & effectu, quod ipſum cultum delere penitus de terræ ſuperficie omni ſtudio totaque potentia moliuntur. Sane Tartarorum gens impia, Chriſtianum populum ſubjugare ſibi, vel potius perimere, appetens, collectis jamdudum ſuarum viribus nationum, Poloniam, Ruſciam, Hungariam, aliaſque Chriſtianorum regiones, ingreſſa, ſic in eas depopulatrix inſævit, ut gladio ejus nec ætati parcente nec ſexui, ſed in omnes indifferenter crudelitate horribili debacchante, inaudito ipſas exterminio devaſtarit, ac aliorum regna continuato progreſſu, illa ſibi, eodem in vagina otiari gladio neſciente, inceſſabili perſecutione ſubſternit; ut ſubſequenter in robore fortiores exercitus Chriſtianos invadens, ſuam plenius in ipſo poſſit ſævitiam exercere, ſicque orbato, quod abſit, fidelibus orbe, fides exorbitet, dum ſublatos ſibi gemuerit ipſius gentis feritate cultores. Ne igitur tam deteſtanda gentis ejuſdem intentio proficere valeat, ſed deficiat auctore Deo potius, & contrario concludatur eventu: ab univerſis Chriſticolis attenta eſt conſideratione penſandum, & procurandum ſtudio diligenti, ut ſic illius impediatur proceſſus, quod nequeat ad ipſos ulterius quantumcumque potenti armato brachio pertranſire. Ideoque, ſacro ſuadente concilio, univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur, attente mandantes, quatenus viam & aditus, unde in terram noſtram gens ipſa poſſet ingredi, ſolertiſſime perſcrutantes, illos foſſatis vel muris, ſeu aliis ædificiis, aut artificiis, prout expedire videritis, taliter præmunire curetis, quod ejuſdem gentis ad vos ingreſſus patere de facili nequeat. Sed prius apoſtolicæ ſedi ſuus denunciari poſſit adventus: ut, ea vobis fidelium deſtinante ſuccurſum, contra conatus & inſultus gentis ipſius tuti eſſe, adjutore Domino, valeatis. Nos enim in tam neceſſariis & utilibus expenſis, quas ob id feceritis, contribuemus magnifice, ac ab omnibus Chriſtianorum regionibus, cum per hoc occurratur communibus periculis, proportionaliter contribui faciemus, & nihilo minus ſuper iis aliis Chriſti fidelibus, per quorum partes habere poſſet aditum gens prædicta, litteras præſentibus ſimiles deſtinamus.

*XVII. Super Cruciata.*

Afflicti corde pro deplorandis terræ ſanctæ periculis, ſed pro illis præcipue, quæ conſtitutis in ipſa fidelibus noſcuntur noviter accidiſſe, ad liberandam ipſam, Deo propitio, de impiorum manibus, totis affectibus aſpiramus, diffinientes, ſacro approbante concilio, ut ita crueeſignati ſe præparent, quod opportuno tempore univerſis inſinuando fidelibus per prædicatores, & noſtros nuncios ſpeciales, omnes, qui diſpoſuerint transfretare, in locis idoneis ad hoc conveniant; de quibus in ejuſdem terræ ſubſidium cum Divina & apoſtolica benedictione procedant. Sacerdotes autem, & alii clerici qui fuerint in exercitu Chriſtiano, tam ſubditi quam prælati, orationi & exhortationi diligenter inſiſtant, docentes eos verbo pariter & exemplo, ut timorem & amorem Domini ſemper habeant ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod æterni Regis majeſtatem of-

fendat.



ANNO CHRISTI 1245.

fendat. Et ſi quando in peccatum lapſi fuerint, per veram pœnitentiam mox reſurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu quam in veſtitu mediocritatem ſervantes, diſſenſiones & æmulationes omnino evitando, rancore ac livore a ſe penitus relegatis; ut ſic ſpiritualibus & materialibus armis muniti, adverſus hoſtes fidei ſecurius prælientur, non de ſua præſumentes potentia, ſed de Divina virtute ſperantes. Nobiles quidem & potentes exercitus ac omnes divitiis abundantes, piis prælatorum monitis inducantur, ut intuitu crucifixi, pro quo crucis ſignaculum aſſumpſerunt, ab expenſis inutilibus & ſuperfluis, ſed ab illis præcipue quæ fiunt in comeſſationibus & conviviis, abſtinentes, eas commutent in perſonarum illarum ſubſidium, per quas Dei negotium valeat proſperari; & eis propter hoc, juxta prælatorum ipſorum providentiam, peccatorum ſuorum indulgentia tribuatur. Prædictis autem clericis indulgemus, ut beneficia ſua integre percipiant per triennium, ac ſi eſſent in eccleſiis reſidentes, &, ſi neceſſe fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare. Ne igitur hoc ſanctum propoſitum impediri vel retardari contingat, univerſis eccleſiarum prælatis diſtricte præcipimus, ut ſinguli per loca ſua illos, qui ſignum crucis depoſuerunt, reſumere, ac tam ipſos quam alios crueeſignatos, & quos adhuc ſignari contigerit, ad reddendum Domino vota ſua diligenter moneant, inducant, &, ſi neceſſe fuerit, per excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententias in terras ipſorum, omni tergiverſatione ceſſante, compellant. Adhuc, ne quid in negotio Domini noſtri Jeſu Chriſti de contingentibus omittatur, volumus & mandamus, ut patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, & alii qui curam obtinent animarum, ſtudioſe proponant commiſſis ſibi verbum crucis, obſecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum, ſolum, verum, æternum Deum, reges, duces, principes, marchiones, comites & barones, alioſque magnates, nec non communia civitatum, villarum & oppidorum, ut qui perſonaliter non acceſſerint in ſubſidium terræ ſanctæ, competentem conferant numerum bellatorum, cum expenſis ad triennium neceſſariis, ſecundum proprias facultates, in remiſſionem ſuorum peccaminum, prout in generalibus litteris, quas pridem per orbem terræ miſimus, eſt expreſſum, & ad majorem cautelam inferius etiam exprimetur.

Hujus remiſſionis volumus eſſe participes non ſolum eos qui ad hoc naves proprias exhibebunt; ſed illos etiam, qui propter hoc opus naves ſtuduerint fabricare. Renuentibus autem, ſi qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo noſtro, ex parte apoſtolica firmiter proteſtentur, ut ſe ſciant ſuper hoc nobis in noviſſimo diſtricti examinis die coram tremendo judice reſponſuros: prius tamen cōſiderantes, qua ſcientia quave ſecuritate comparere poterunt coram unigenito Dei Filio Jeſu Chriſto, cui omnia dedit Pater in manus, ſi ei pro peccatoribus crucifixo ſervire renuerint in hoc negotio quaſi proprie ſibi proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio ſuſtentantur, quin etiam cujus ſanguine ſunt redempti. Ceterum ex communi concilii approbatione ſtatuimus, ut omnes omnino clerici, tam ſubditi quam prælati, vigeſimam eccleſiarum proventuum uſque ad triennium conferant in ſubſidium terræ ſanctæ per manus eorum, qui ad hoc apoſtolica fuerint providencia ordinati, quibuſdam dumtaxat religioſis exceptis, ab hac præſtatione merito eximendis, illiſque ſimiliter qui aſſumpto vel aſſumendo crucis ſignaculo ſunt perſonaliter profecturi. Nos & fratres noſtri ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales plenarie decimam perſolvemus, ſciantque ſe omnes ad hoc fideliter obſervandum per excommunicationis ſententiam obligatos: ita quod illi, qui ſuper hoc fraudem ſcienter commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant.

Sane quia juſto judicio, cœleſtis imperatoris obſequiis inhærentes, ſpeciali decet prærogativa gaudere, crueeſignati a collectis vel talliis aliiſque gravaminibus ſint immunes, quorum perſonas & bona poſt crucem aſſumptam ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus: ſtatuentes ut ſub archiepiſcoporum, epiſcoporum, ac omnium prælatorum eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant: propriis nihilominus protectoribus ad hoc ſpecialiter deputandis, ita ut, donec de ipſorum reditu vel obitu certiſſime cognoſcatur, integra maneant & quieta: & ſi quiſquam contra præſumpſerit, per cenſuras eccleſiaſticas compeſcatur.

Si qui vero proficiſcentium illuc ad præſtandas uſuras juramento tenentur adſtricti, creditores eorum ut remittant eis præſtitum juramentum, & ab uſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtrictione compelli. Quod ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coegerit uſurarum, eum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animadverſione mandamus.

Judæos vero ad remittendas uſuras per ſæcularem compelli præcipimus poteſtatem, & donec illas remiſerint, ab univerſis Chriſti fidelibus per excommunicationis ſententiam eis omnino communio denegetur. Iis qui Judæi nequeunt ſolvere de-

bita

ANNO CHRISTI 1245.

bita in præſenti, ſic principes ſæculares utili dilatione provideant, quod poſt iter arreptum, quouſque de ipſorum reditu vel obitu cognoſcatur, uſurarum incommoda non incurrant, compulſis Judæis proventus pignorum, quos ipſi interim perceperint, in ſortem, expenſis deductis neceſſariis computare: cum hujuſmodi beneficium non multum videatur habere diſpendii, quod ſolutionem ſic prorogat, quod debitum non abſorbet. Porro eccleſiarum prælati, qui in exhibenda juſtitia crueeſignatis & eorum familiis negligentes extiterint, ſciant ſe graviter puniendos.

Ceterum quia curſarii & piratæ nimis impediunt ſubſidium terræ ſanctæ, capiendo & ſpoliando tranſeuntes ad illam; & redeuntes ab ipſa: nos, eos & principales adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus; ſub interminatione anathematis inhibentes, ne quis ſcienter cum eis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, & injungentes rectoribus civitatum, & locorum ſuorum, ut eos ab hac iniquitate revocent, & compeſcant. Alioquin, quia nolle perturbare perverſos, nihil eſt aliud quam fovere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ qui manifeſto facinori deſinit obviare, in perſonas & terras eorum per eccleſiarum prælatos ſeveritatem eccleſiaſticam volumus & præcipimus exerceri. Excommunicamus prætérea & anathematizamus illos falſos & impios Chriſtianos, qui contra ipſum Chriſtum & populum Chriſtianum arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum: eos etiam qui galeas eis vendunt, vel naves, quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis, aliquod eis impendunt auxilium vel conſilium, in diſpendium terræ ſanctæ, ipſoſque rerum ſuarum privatione mulctari, & capientium fore cenſemus ſervos. Præcipientes, ut per omnes urbes maritimas omnibus diebus dominicis & feſtivis hujuſmodi ſententia publice innovetur, & talibus gremium non aperiatur eccleſiæ, niſi totum quod de commercio tam damnato perceperunt, & tantumdem de ſuo, in ſubſidium prædictæ terræ tranſmiſerint, ut æquo judicio in quo peccaverint, puniantur. Quod ſi forte non fuerint ſolvendo, ſic alias reatus talium caſtigetur, quod in pœna ipſorum aliis interdicatur audacia ſimilia præſumendi.

Prohibemus inſuper omnibus Chriſtianis, & ſub anathemate interdicimus, ne in terras Saracenorum, qui partes orientales inhabitant, uſque ad quadriennium tranſmittant vel tranſvehant naves ſuas, ut per has volentibus transfretare in ſubſidium terræ ſanctæ major navigii copia præparetur, & Saracenis prædictis ſubtrahatur auxilium quod eis conſuevit ex hoc non modicum provenire. Licet autem torneamenta ſint in diverſis conciliis ſub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negotium per ea plurimum impeditur, nos ea ſub pœna excommunicationis firmiter inhibemus uſque ad triennium exerceri. Quia vero ad hoc negotium exequendum eſt permaxime neceſſarium ut principes & populi Chriſtiani adinvicem pacem obſervent, ſancta & univerſali ſynodo ſuadente, ſtatuimus ut per quadriennium in toto orbe Chriſtiano pax generaliter obſervetur, ita quod per eccleſiarum prælatos diſcordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inviolabiliter obſervandam: & qui acquieſcere forte contempſerint, per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras, arctiſſime compellantur, niſi tanta fuerit injuriarum malitia, quod ipſi non gaudere debeant tali pace. Quod ſi forte cenſuram eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per authoritatem eccleſiæ contra eos, tanquam perturbatores negotii crucifixi, ſæcularis potentia inducatur. Nos ergo de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli authoritate confiſi, ex illa quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque ſolvendi contulit, poteſtate, omnibus, qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubjerint & expenſis, plenam ſuorum peccaminum, de quibus fuerint corde contriti & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis perſonis illuc acceſſerint, ſed in ſuis dumtaxat expenſis juxta facultatem & qualitatem ſuam viros idoneos deſtinaverint, & illis ſimiliter, qui licet in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis acceſſerint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujuſmodi quoque remiſſionis concedimus eſſe participes, juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum, omnes qui ad ſubventionem ipſius terræ de bonis ſuis congrue miniſtrabunt, aut circa prædicta conſilium & auxilium impenderit opportunum. Omnibus etiam pie proficiſcentibus in hoc opere ſancta & univerſalis ſynodus orationum & beneficiorum ſuorum ſuffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad ſalutem. Amen.

ACTA



ANNO CHRISTI 1245.

# ACTA CONCILII LUGDUNENSIS PRIMI.

## Ex Matthæi Pariſii Hiſtor. Anglic. ad ann. MCCXLV.

Altius igitur ſolis orbita curſum ſuum peragente, videlicet circa æſtatis medium, congregati ſunt Lugduni ex totius fere Chriſtianitatis latitudine prælati venerabiles, vel eorum idonei, imperatoris quoque, & multorum principum, aliorumque, procuratores, ſecundum papalis mandati tenorem concilium celebraturi. Abſentes autem quamplurimi prælatorum per eos quos promiſerunt procuratores ſeſe ex legitimis cauſis ſufficienter excuſarunt: ſicut quidam ex Anglorum regno, ut ſupra latius dictum eſt. Inter quos abbas ſancti Albani, corpore gravis, & jam ad ſenilem declinans ætatem, magiſtro Martino, qui tunc temporis in Anglia proſpere commorabatur, teſtimonium veritati ſuper hoc perhibente, ſe rationaliter per quemdam monachum ſuum, Joannem videlicet de Bulum, & quemdam clericum ſuum magiſtrum Rogerum de Holdene, ſuam excuſavit abſentiam, & ſic indemnis & quietus remanſit, domino papa per ipſos civiliter ſalutato. Verumtamen de regno Hungariæ, quæ pro multa ſui parte per Tartaros eſt vaſtata, nulli venerunt. De Alemannia bello imperiali perturbata, pauci prælati ad concilium minime convenire potuerunt. De terra vero ſancta quæ multo patuit diſcrimini, nullus penitus potuit illuc advenire, ſed nec advocari. Occaſionaliter tamen illuc advenit de terra ſancta epiſcopus Berytenſis, totius Syriæ nuncius generalis, & ſyndicus omnium Chriſtianorum terræ ſanctæ, mandatum bajulans lugubre de exterminio, permittente Deo, in terra ſancta perpetrato.

Quando ſynodus inchoata.

Dum autem dominus papa multos jam prælatos, licet tamen non omnes, vidiſſet congregatos, die Lunæ proxima poſt feſtum nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, intravit dominus papa cum fratribus cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis prælatis, ad concilium convocatis, ſimul & procuratoribus abſentium tam principum quam prælatorum, in refectorium religioſorum ſancti Juſti apud Lugdunum. Fuerunt itaque ibidem, abſque cardinalibus, duo patriarchæ, ſcilicet Conſtantinopolitanus, qui & Antiochenus, & patriarcha Aquilejæ, qui & Venetiæ, imperator quoque Conſtantinopolitanus, comes etiam Toloſanus, & procuratores Angliæ, comes Bigod, cum ſociis ſuis nobilibus, archiepiſcopi vero & epiſcopi centum & quadraginta.

1. Propoſitio.

Propoſuitque patriarcha Conſtantinopolitanus ſtatum & neceſſitates eccleſiæ ſuæ, aſſerens quod olim habuit ſub ſe ſuffraganeos pluſquam triginta, quorum vix jam tres remanſerunt. Subjungens inſuper, quod Græci, & quidam alii inimici eccleſiæ Romanæ, totum jam imperium Romaniæ fere uſque ad portas civitatis Conſtantinopolis violenter occuparunt, qui in nullo Romanæ eccleſiæ obedientes, ipſamque deteſtantes, hoſtiliter eidem adverſantur. Unde dolor & confuſio omnium Chriſtianorum imminet, cum ipſa ſua eccleſia primo fuiſſet privilegiata, & merito plus ceteris honoranda: primo enim conſtat beatum Petrum Antiochiæ, quæ civitas Græcorum imperio vel regno ſubjecta eſt, ab antiquo ſediſſe, & inde Simonem magum & alios hæreticos confuſos aufugaſſe. Ad quod papa tacuit.

2. Propoſitio.

Conſequenter propoſitus fuit ſermo fidelis, & omni acceptione dignus, de canonizatione ſcilicet beati Edmundi Cantuarienſis archiepiſcopi, quem Dominus evidentiſſimis miraculorum ſignis illuſtravit. Cujus rei aſſertioni cum conſtanter teſtimonium octo archiepiſcopi & circiter viginti epiſcopi perhibuiſſent, & inſtanter ut in ipſo concilio veneranter ad majorem ſolemnitatem canonizaretur poſtularent, ait dominus papa, non ſuo, ſed aliorum ſpiritu invidorum averſus, dicens: Urgent nos dilationem non capientia eccleſiæ nimis ardua negotia, quare hoc merito ad præſens tempus ſuſpendere debeat expectatum. Sed, vita comite, in poſterum neglectui non commendabitur: & quia Deus & mundus ſanctitati & virtutibus ejus perhibent teſtimonium, in Domino gaudemus, & gratias ipſi referimus uberiores.

Thadæus Frider. II. procurator.

Adfuit etiam præſens ibidem Thadæus de Sueſſa, domini imperatoris Friderici procurator, vir prudens, & eloquentiæ ſingularis, miles, & legum doctor, & ſacri palatii judex imperialis, pro domino ſuo imperatore, tam conſtanter quam diligenter reſponſurus. Pro cujus pace, & priſtinæ amicitiæ reformatione, obtulit pro domino ſuo imperatore confidenter, ad unitatem Romanæ eccleſiæ totum Romaniæ, id eſt Græciæ, imperium revocare: & quod ſeſe Tartaris, & Choroſminis, & Saracenis, & aliis eccleſiæ hoſtibus & contemptoribus, Chriſto fideliter militando, potenter opponet, & quod ſtatum terræ ſanctæ, diſcrimini magno & manifeſto periculo jam patentem, ſuis ſumptibus propriis perſonaliter, pro poſſe ſuo, reformabit, & ablata Romanæ eccleſiæ reſtituendo, de injuriis ſatisfacere. Ad quæ omnia reſpondit dominus papa, dicens exclamando: O quam multa & quam magna ſunt promiſſa, nunquam vel nuſquam tamen adimpleta vel adimpienda. Sed & hæc, ut conſtat, ſunt promiſſa, ut ſecuris jam ad radicem poſita, illuſo concilio & ſoluto, per dilationem avertatur. Pacem nuper in anima ſua juratam ſecundum formam præſtiti ſacramenti teneat, & aquieſco. Porro

Acta primæ ſeſſionis quæ?

*Quo teneam nodo mutantem Protea vultus?*

Et ſi concederem ſibi poſtulata, & reſilire vellet, nec aliud ſpero, quis nunc pro eo cavens fidejuberet, ut cogeret reſilientem? Et cum duos reges, videlicet Francorum & Anglorum, Thadæus ad hoc ſpopondiſſet fidejuſſores, reſpondit dominus papa: Nolumus. Quia ſi pacta commutaſſet, vel penitus infirmaſſet, (nec aliud credimus, propter frequentiam) aliquo tempore in poſterum oporteret nos animadvertere in eoſdem: & tunc haberet eccleſia tres, quibus non ſunt in ſæculari potentia majores, immo nec pares, inimicos. Et cum procuratio Thadæi ad hoc non ſufficeret, neque temporis ſatis habuerit ut hæc conſummarentur competenter, ſiluit contriſtatus.

Epiſcopus autem Berytenſis, nomine Gualerannus, qui jam ſex menſibus per maris & uno per terrarum diſcrimina labores itinerum, ut prædictum eſt, continuaverat, ut caſum terræ ſanctæ nunciaret, auxilium & conſilium impetrando, legi fecit litteras, quas magnates qui reſidui erant in terra ſancta, omnibus Chriſtianis occidentalibus miſerant conſignatas, per os fratris Arnulphi de ordine Prædicatorum, in publico: quæ litteræ præſcribuntur in præcedentibus. Quorum tenor lugubris omnes audientes ad lacrymarum, nec immerito, movit effuſionem.

Seſſio 2. acta.

Feria vero quarta ſequente intravit dominus papa eccleſiam ſancti Joannis, indutus pontificalibus, cum omnibus aliis ſupradictis, veſte nuptiali, prout ſingulis pertinuit, adornatis. Et facta invocatione Spiritus ſancti, cum litania ſequente, & aliis rite peractis, prædicavit dominus papa,

Anno Christi 1245.

Thren. 1.

pa, præponens & ſingultibus interpoſitis proponens hoc thema: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Et ſatis eleganter ſermonem continuans, comparavit quinque dolores ſuos maximos quinque vulneribus & plagis Crucifixi. Unum, de inhumanis & feraliter Chriſtianitatem vaſtantibus Tartaris. Alium pro ſchiſmate Romaniæ, id eſt Græcæ eccleſiæ, quæ noſtris temporibus & paucis evolutis annis a gremio matris ſuæ, velut novercæ, inſolenter & inſolerter deciſa eſt & averſa. Alium, pro ſerpigine novarum hæreſum, ſcilicet Paterenorum, Bulgarorum, Jovinianorum, & aliorum ſchiſmatum, ſectarum, & errorum, quæ jam multas civitates Chriſtianitatis, præcipue tamen Lombardiæ, ſubrependo maculavit. Alium, de terra ſancta: in qua Choroſmini deteſtabiles domos Templi & Hoſpitalis, civitatem quoque Jeruſalem, & alias multas Chriſtianorum civitates, cum magno Chriſtiani ſanguinis profluvio uſque ad internecionem, ſolo tenus diruendo deſtruxerunt. Alium vero, de principe, id eſt imperatore. Qui cum eſſe teneretur ſummus ſecularium œconomus, & protector eccleſiæ, hoſtis factus familiaris, eccleſiæ Chriſti efficax & validus factus eſt inimicus, & miniſtrorum ejus adverſarius jam manifeſtus. Et proſecutus dominus papa materiam hanc quantum videbatur expedire, cunctos audientes dolore compaſſionis ſalubriter ſauciavit. Exitus enim aquarum deduxerunt oculi ejus, & ſingultus ſermonem proruperunt. In fine autem prædicationis ſuæ propoſuit enormitates imperatoris Friderici, ſcilicet hæreſim, ſacrilegium, & inter alia mala, quod civitatem quamdam in Chriſtianitate conſtruxerat novam, fortem & magnam, quam Saracenis populaverat, ipſorum utens, ſed potius abutens, ritibus & ſuperſticionibus, ſpreto Chriſtianorum conſilio & religione: familiaritatemque ſpecialem contraxerat, ut aſſerebat, cum Soldano Babyloniæ, & quibuſdam aliis Saracenorum primatibus: diſtractuſque & obſcœnis illectus illecebris, concubitu mulierculorum, vel potius meretricularum Saracenicarum, indifferenter & impudenter polluebatur. Imponebatque ei multiplex perjurium: & quod ſpreto veritatis tenore, nunquam pacta, nuſquam promiſſa conſervabat. Super quibus, ut magis hæc audientes certificaret, ſignorum imperialium de auro appenſione communitas oſtendit epiſtolas multas & multiplices, quibus evidenter arguit & redarguit ipſum imperatorem ſuper perjurio.

Quibus etiam verbis alacriter ſe oppoſuit Thadeus, ſe tunc erigens imperterritus in publico, oſtendens econtra litteras papales bullatas, quæ videbantur jam dictis obviare. Verumtamen diligenter inſpecto utrarumque tenore, quem longum eſſet in hoc ſcripto dilucidare, & plenius demonſtrare, non ſibi adinvicem contradictorie adverſabantur, cum papales epiſtolę conditionales fuiſſent, imperatorię vero abſolutę: & apparuit lęſio fidei manifeſte ex parte imperatoris, qui cum omnia abſolute promiſerat, nec inde aliquid ſecundum promiſſa compleverat. Ad quod Thadeus diligenter & multipliciter, ſecundum ſaltem apparentes rationes, nitebatur reſpondere, dominum ſuum imperatorem excuſando, litteras alias ex adverſo papales oſtendens, & aſſerens quod in eis continebatur non fuiſſe obſervatum: unde dominum ſuum imperatorem ſuis promiſſis parere non debuiſſe. Ad hoc autem quod de hereſi dominus imperator accuſabatur, reſpondit, reſpiciens omnes ibidem congregatos, quaſi omnes alloquens: Domini mei, ſuper iſto articulo, qui eſt graviſſimus, non poſſit quis certificari, niſi eſſet dominus meus imperator preſens, ut ex oris ſui aſſertione elici poſſit quod in cordis ſui latet ſecretario. Sed quod non ſit hereticus, probabile poteſt haberi argumentum. Non enim in imperio, vel regnis ſuis, aliquem uſurarium habitare permittit; in hoc curiam Romanam redarguens, quam conſtat hoc vitio maxime laborantem.

Anno Christi 1245.

Ad hoc autem, quod objectum fuerat, quod imperator ſpecialem habet familiaritatem, & ſuſpectam nimis, cum Soldano Babylonię, & quibuſdam aliis Saracenis, quos terram ſuam permittit inhabitare: reſpondit Thadeus, hoc ultro factum & prudenter eſſe; ad rebellionem ſcilicet quorumdam & inſolentiam reprimendam ſibi jure ſubditorum, & ſeditionem expurgandam. Utitur enim ipſis in expeditionibus, quorum non eſtimat caſum alicui Chriſtiano deplorandum, & ſic parcit Chriſtiano ſanguini, ne fruſtra effundatur. Mulierculárum itaque Saracenorum non utitur concubitu: & quis hoc poſſet probare? ſed joculatione, & quibuſdam artificiis muliebribus, quas jam, quia ſuſpectas, amovit irredituras.

Hęc autem cum Thadeus dicta conſummaſſet, ſupplicavit humiliter ſibi concedi modicam ſaltem dilationem inducialem, ut domino ſuo imperatori nunciare poſſet, & tam affectuoſe quam efficaciter conſulendo perſuadere, ut perſonaliter ad concilium, quod eum expectavit, venire properaret, aut ulteriorem concederet eidem poteſtatem. Ad quod dominus papa reſpondit: Abſit hoc. Timeo laqueos quos vix evaſi. Si enim veniret, ſtatim recederem. Non adhuc opto ſanguinem, nec me ſentio aptum aut paratum martyrio vel cuſtodiæ carcerali.

Sequenti vero die, ad inſtantiam procuratorum regum Francorum & Anglorum, maxime vero Anglorum, qui periculo & dedecori ejus plus aliis, propter affinitatem inter ipſum imperatorem & regem Anglorum, & fœdus amicitiæ contractum, tanti principis condoluerunt, conceſſæ ſunt ipſi Thadæo induciæ fere duarum hebdomadarum, non ſine multorum gravamine Lugduni expectantium. Hæc cum ipſi imperatori per ordinem omnia nunciarentur, in moleſtia magna dixiſſe perhibetur: Video luce clarius, quod ad confuſionem meam toto conamine aſpirat papa. Stimulat enim eum libido & pruritus ulciſcendi in me, eo quod parentes ejus Januenſes piraticos, antiquos & publicos imperii inimicos, ſimul cum prælatis, quorum duces erant & tutores, in mari capi fecerim & incarcerari. Quia nec ob aliud conſtat eum concilium convocaſſe, nec ſacrum decet imperium maxime adverſanti judicio ſiſti ſynodali.

Hæc cum ad notitiam domini papæ & totius univerſitatis pervenerunt, quod ſcilicet, ſic dicens noluit juri pariturus accedere, receſſerunt a favore ejus multi qui hactenus certatim cum eo ſteterunt, Anglis pro eo maxime redargutis. Conſtanter igitur & acerrime in pleno & jam pleniſſimo concilio imperator Fridericus, quaſi toti eccleſiæ contumax & rebellis, a quatuor Mundi partes inhabitantibus accuſatur. Ex quibus cum unus aſſurgens archiepiſcopus ipſum inſtantius accuſaret, objiciens ei nimis enorme crimen; læſæ ſcilicet majeſtatis in dictis prelatorum captione, & aliis gravibus criminibus, reſpondit jam fere ſolus ſtans Thadæus pro domino ſuo imperatore, ipſum reſpiciens accuſantem: Non tibi fides adhibenda eſt, ſed nec verbis tuis ſilentium accommodandum: filius enim es proditoris, judicialiter in curia domini mei convicti & ſuſpenſi, cujus tu ſequens



Anno Christi 1245.

ſequens veſtigia, niteris parriſſare. Siluit igitur ille accuſator, amplius mutire nec auſus nec permiſſus. Eodemque modo quorumdam aliorum accuſationes tam prudenter quam audacter contradicendo caſſavit magiſter Thadæus.

Verumtamen cum a multis in mari ſubmerſorum & incarceratorum conſanguineis & amicis, reſumpto adhuc ſermone & ſpiritu redivivo, eo fortius & confidentius quo jam favorem ejus declinare viderent, ipſe imperator de captione ſæpedicta accuſaretur, reſpondit Thadeus: Vere doluit ſuper hoc dominus meus, & hoc præter intentionem ſuam & occaſionaliter contigit. Sed non potuit ipſos prælatos ab inimicis ſuis in illo repentino & vehementi aſſultu & navali prælio, ut bene ſciri potuit, ſequeſtrare, quin indifferenter cum hoſtibus involverentur. Et ſi præſens dominus meus imperator ibidem extitiſſet, utique diligenter liberationi eorum inſudaſſet. Ad hoc dominus papa replicavit: Poſt eorum captionem, quare inſontes, aliis retentis, liberos abire non permiſit, licet injuria multiformiter afflictos? Ad quod Thadeus: Recolendum eſt quod alterata forma convocationis & adventus prælatorum ad concilium ſub Gregorio papa celebrandum convocandorum, mutabatur in deterius, & merito cor domini mei imperatoris etiam immutatum exaſperabatur. Quia idem papa cum vocandos tantum vocare debuiſſet, publicos imperii convocavit inimicos: laicos nempe armata manu communitos, utpote comitem de Provincia, & alios: ut patet in epiſtola regi Anglorum ſcripta, quam ſuperius recitavimus. Quos conſtabat non eſſe propter eorum ſapientiam vocatos, vel ad pacem componendam, ſed ſeditionem potius commovendam. Unde tam in Angliam quam alias miſſis epiſtolis regiones, amicabiliter prælatis ſingulis ſupplicavit dominus meus imperator, ne ad tam ſubdolum convenirent concilium, prenoſcens eos, ſi venirent cum hoſtibus ſuis & imperii, invadendos: denegavitque eis per ſuam ſecurum tranſitum ditionem: ſicque miſericorditer & civiliter ipſos de imminenti periculo premunivit. Unde non immerito tradidit eos Dominus in manus ejus quem ſuperbe contempſerunt. Adhuc tamen cum iratus fuit, miſericordiæ recordatus, voluit ipſos prælatos & alios imbelles in pace dimittere, ſuorum emollitus conſiliis fidelium: cum ecce Præneſtinus, & quidam alii procaces, minas minis accumulantes, dominum meum in facie, etiam vinculati, non deſiſtebant excommunicare, immemores illius ſalubris conſilii: *Humiliamini ſub potenti manu.* Sicque imbelles de rebellibus, immo imbecilles, ſic facti ſunt de amicis inimici merito incarcerandi. Ad quod papa: Præſumpſiſſe debuit dominus tuus imperator, quod tam bonorum, & tanta congregatio virorum, niſi de ſua cauſa diffideret, eum potius abſolviſſet, ſi abſolvendus fuiſſet, quam ligaſſet. Sed ex hoc manifeſte patet, quod ſua ipſum conſcientia remordebat, & peccatum, quo reus extitit, ſauciarat. Ad quod Thadeus: Quomodo confidere poſſet dominus meus, ut conjunctos hoſtibus haberet propitios in concilio, ubi preſidere habuit domini mei inimicus capitalis, ſcilicet papa Gregorius, cum recalcitrantes videret eos & comminantes etiam compeditos? Ad quod papa: Et ſi unus objurgans gratiam demeruiſſet, quare alios innocuos communi involvit calamitate? Multiplici merito nihil aliud quam ſua ignominioſa imminet depoſitio. Quod cum intellexiſſent Angli, reclamaverunt pro prole ſua, ne filius patris iniquitatem portaret, nec rivus ſanguinis ab origine contaminaretur.

1. Petr. 5.

In tertia vero ſeſſione Thadeus nimis timens & dolens de domini ſui periculo, maxime pro eo quod filia ducis Auſtrię, vel ipſi imperatori copulata, vel in proximo copulanda matrimonio, amplexus ejus abhorrens evitabat, eo quod excommunicationi ſubjacenti depoſitionis periculum imminebat, apparuit in concilio pro domino ſuo reſponſurus & appellaturus. Et cum cœpiſſet eum multiformiter excuſare, nec audiretur, appellavit pro eo ad concilium proxime futurum generalius. Nec enim nunc omnes prælati, vel eorum, vel principum procuratores, apparent hic impræſentiarum. Cui papa: Satis eſt concilium generale multorum, qui domini tui humilitatem inutiliter non ſine gravamine expectarunt, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & aliorum de diverſis Mundi partibus nobilium, vel eorum procuratorum. Et qui abſunt, laqueis domini tui impediuntur irretiti. Unde propter hoc indignum eſt ut ſententia depoſitionis in ipſum deferenda retardetur, ne ex malitia ſua commodum videatur reportare, cum non debeat alicui fraus patrocinari.

Anno Christi 1245.

Querela Anglorum.

Aſſidentibus autem ibidem Anglicanæ univerſitatis procuratoribus prænominatis, magiſter Willielmus de Powerie eorum procurator aſſurgens, gravamina regni Angliæ ex parte univerſitatis Angliæ proponens ſatis eleganter, conqueſtus eſt graviter quod tempore belli per curiam Romanam extortum eſt tributum injurioſe, in quod nunquam patres nobilium regni vel ipſi conſenſerunt, nec conſentiunt, neque in futurum conſentient. Unde ſibi expetunt exhiberi juſtitiam cum remedio. Ad quod papa nec oculos elevans, nec vocem, verbum non reſpondit. Et poſt paululum ſilentii, dictus Willielmus propoſuit de multiformi redituum extorſione in Anglia per curiam Romanam factam, hanc oſtendens epiſtolam:

*Reverendo in Chriſto patri Innocentio Dei gratia ſummo pontifici magnates & univerſitas regni Angliæ recommendationem, cum pedum oſculo beatorum.*

Epistola Anglorũ.

MAtrem noſtram Romanam eccleſiam totis viſceribus diligimus & amamus, ut debemus, & ipſius honoris incrementum & augmentum affectione quanta poſſumus affectamus: ad quam habere refugium nos oportet temporibus opportunis, ut dolor aggravans filialis materno ſolatio mitigetur. Quod quidem ſolatium mater filio eo tenetur mitius & facilius impertiri, quo ipſum maternæ dulcedinis alimento gratum reperit & devotum. Eſſe quidem non poteſt immemor mater illa illius gratitudinis, quam ei a longe retroactis temporibus regnum Anglicanum impendit, concedendo eidem, ad exaltationem ſuam, & conſervationem majorem, ſubſidium decens, & non modice fructuoſum, ut per hoc inter eccleſiam ipſam & regnum prædictum, fœdus dilectionis firmius ineretur: quod quidem ſubſidium proceſſu temporis beati Petri denarius extiterit nuncupatum. Ipſa vero eccleſia hujuſmodi ſubſidio non contenta, aliis temporibus, tam per legatos quam per alios nuncios multiplicatos, ſubſidia petebat diverſa in regno prædicto, quę ei a filiis ſuis tanquam devotis, & matrem ſuam ſincerę dilectionis brachiis amplexantibus, fuerunt conceſſa liberaliter & libenter. Paternitatem etiam veſtram non credimus ignorare, quod predeceſſores noſtri, ſicut viri catholici, creatorem ſuum diligentes pariter & timentes, animarum ſuarum & predeceſſorum ſuorum, necnon & ſucceſſorum, ſaluti inſiſtere cupientes, monaſteria fundaverant, & bo-

ANNO CHRISTI 1245.

& bonis ſuis, tam terris dominicis quam eccleſiarum patronatibus, ditaverunt, ut viri religioſi in monaſteriis illis primam religionem laudabiliter exercentes, & cum ſumma devotione Altiſſimo famulantes, pace & plena tranquillitate poſſent gratulari, prout religioni dignoſcitur convenire, de dictis dominicis neceſſaria capientes. Et ut clerici ſui, patronatuum ſuorum eccleſias obtinentes, pro eis labores ſubirent exteriores, & eos defenderent, inhærentes religioni ſecundæ, ab incurſibus aliorum. Quapropter non ſine magna moleſtia noſtra, & gravamine intolerabili nobis valde, præfati religioſi poſſent patronatibus ſuis, aut eccleſiarum collationibus, aliquatenus defraudari. Sed ecce per vos & prædeceſſores veſtros, nullam conſiderationem habentes, quod præter ſubſidia ſupradicta, jam ditantur in Anglia Italici, quorum eſt jam numerus infinitus, eccleſiis ad ipſorum religioſorum ſpectantibus patronatus, qui rectores eccleſiarum dicuntur, præfatos religioſos, quos deberent defendere, relinquentes penitus indefenſos, nullam curam animarum gerentes, ſed lupos rapaciſſimos gregem diſpergere & oves rapere permittentes. Unde vere dicere poſſunt, quod non ſunt boni paſtores, quoniam oves ſuas non cognoſcunt, nec paſtorum notitiam oves habent: hoſpitalitati eleemoſynarumque largitioni, ſicut ſtatutum eſt in eccleſia, non inſiſtunt, ſed fructus tantum percipiunt, extra regnum aſportantes, regnum non mediocriter depauperando, & redditus occupando. Quibus reditibus fratres, nepotes, conſanguinei noſtri, & ceteri bene meriti de regno Angliæ prædicto, beneficiari tenerentur, qui poſſent & vellent dicta caritatis opera, & etiam plura alia miſericorditer & pie exercere, & eccleſiis ipſis perſonaliter deſervire, ut qui altari deſerviunt, vivant etiam de altari, ſecundum dictum Pauli. Ipſi vero nunc neceſſitate compulſi laici & exules ſunt effecti. Ut autem vobis veritas plenius innoteſcat, Italici percipientes in Anglia ſexaginta millia marcarum, & complius, annuatim, aliis perceptionibus diverſis exceptis, plus emolumenti meri redditus de regno reportant, quam ipſe rex, qui eſt tutor eccleſiæ, & regni gubernacula moderatur. Porro poſt creationem veſtram firmiter ſperabamus, & adhuc ſperamus, eam de vobis fiduciam reportantes, quod veſtræ paternitatis miſericordia mediante, gaudebimus eleemoſynas noſtras prędictas tempore veſtro fore ſtatui debito & priſtino reformandas. Sed tacere non poſſumus gravamen noſtrum, quo non ſolum gravamur, ſed etiam opprimimur ultra modum: videlicet, quod magiſter Martinus præfatum regnum ſine domini regis licentia, cum majori poteſtate quam unquam vidimus habere legatum a domino rege poſtulatum, nuper ingreſſus, licet non utens legationis inſigniis, multiplicato tamen legationis officio, novas quotidie proferens poteſtates inauditas, excedens excedit: quædam beneficia jam vacantia triginta marcas vel amplius annuatim valentia perſonis Italicis conferendo: quibus decedentibus, & patronis ignorantibus, alii ſupponuntur, & ſic patroni ſuis collationibus defraudantur. Adhuc etiam idem magiſter Martinus beneficia conſimilia, cum ea vacare contigerit, perſonis nititur aſſignare. Quorumdam beneficiorum collationem ſedi apoſtolicæ reſervando, & a viris religioſis penſiones immoderatas inſuper extorquendo: contradictores & reſiſtentes excommunicationis & interdicti ſententiis paſſim, non abſque magno diſcrimine & animarum periculo, ſupponendo. Cum igitur præfatus magiſter Martinus, non ſine totius regni perturbatione non modica, juriſdictionem exercens memoratam, quam a conſcientia veſtra credere non poſſumus emanaſſe, eo quod in multis majori fungeretur officio, quam unquam fungi legatum aliquem viderimus, privilegio domini regis admodum derogando, per quod ei a ſede apoſtolica ſpecialiter indulgetur, ne quis in Anglia legationis fungatur officio, niſi a domino rege ſpecialiter poſtulatus, ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicamus quantum poſſumus humiliter & devote, quatenus, cum pius pater ad relevationem oppreſſionis filiorum manum miſericordiæ teneatur extendere, ab oppreſſionibus & gravaminibus memoratis nos velit veſtræ paternitatis benignitas tempeſtivo ac efficaci remedio cito relevare. Quantumcumque namque dominus noſter rex, qui eſt princeps catholicus, & jugi vigilatione obſequiis Divinis intendit, corporis ſui conſumptionem non conſiderans, in obſequio Jeſu Chriſti ſedem velit apoſtolicam revereri, & eccleſiæ Romanæ, ſicut filius ejus cariſſimus, commodi & honoris deſideret incrementum & augmentum; jure tamen regio dignitateque regia plenius conſervatis: nos tamen qui in negotiis ſuis portamus pondus dierum & æſtus, & quibus una cum ipſo domino rege intendere conſervationi regni diligenter incumbit, dictas oppreſſiones Deo & hominibus deteſtabiles, & gravamina nobis intolerabilia, non poſſumus æquanimiter tolerare, nec per Dei gratiam amplius tolerabimus, veſtræ pietatis remedio mediante, quod feſtinum & tempeſtivum habere credimus & ſperamus. Placeat igitur paternitati veſtræ hanc ſupplicationem noſtram taliter exaudire, quod a magnatibus & univerſitate regni Angliæ, tanquam a filiis in Chriſto cariſſimis, ſpeciales gratias debeatis merito reportare.

Cum autem per prædictos nuncios in medio concilio legerentur, & in propatulo manifeſto, facto optimo ſilentio, proponerentur, dominus papa non reſpondit: quia, ut aſſeruit, tam arduum negotium moroſa indiguit deliberatione. Suſpendit igitur ad tempus reſponſionem, licet urgenter inſtarent nuncii tam ſolemnes & magnifici; indiſtanter tamen ſe reſponſa daturum pollicendo. Addebant quoque iidem nuncii prioribus querimoniam gravem & ſeriam, videlicet de violenta oppreſſione, intolerabili gravamine, & impudenti exactione, quæ per hanc inviſam adjectionem, papalibus litteris frequenter inſertam, *Non obſtante*, &c. exercetur.

Altiori igitur inſiſtens negotio dominus papa, licet in contrarium eleganter magiſter Thadæus procurator imperialis allegaſſet, in imperatorem Fridericum ſine aliqua palpatione, vel diſſimulatione, vel dilationis indulto, talem ſententiam excommunicationis in pleno concilio, non ſine omnium audientium & circumſtantium ſtupore & horrore, terribiliter fulguravit.

*Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c. ſacro præſente concilio, ad rei memoriam ſempiternam.*

Ad apoſtolicæ dignitatis apicem, licet indigni, *&c. ut ſupra pagina* 47.

Hæc igitur in medio concilio prolata, cunctis audientibus, ad inſtar coruſcantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incuſſerunt, Magiſtri



ANNO CHRISTI 1245.

giſtri igitur Thadæus de Sueſſa, & Walterus de Ocra, & alii procuratores imperatoris, & qui cum ipſis erant, emiſſo ejulatu flebili, hic femur, hic pectus in indicium doloris percutientes, vix a profluvio lacrymarum ſeſe continuerunt. Et ait magiſter Thadæus memoratus: Dies iſta, dies iræ, calamitatis & miſeriæ. Dominus igitur papa & prælati aſſiſtentes concilio, candelis accenſis, in dictum imperatorem Fridericum, qui jamjam imperator non eſt nominandus, terribiliter, recedentibus & confuſis ejus procuratoribus, fulgurarunt.

Procuratores imperatoris recedunt confuſi.

Statuta de reparatione terræ ſanctæ, & negotio crucis.

De reparatione autem terræ ſanctæ, & negotio crucis, dominus papa ſolicitus, hæc duxit in concilio ſtatuenda hoc modo:

Afflicti corde pro deplorandis terræ ſanctæ periculis, *&c. ut ſupra pagina* 60.

Eccleſiaſtica cenſura judices damnabiliter abutuntur, cum de matris eccleſiæ gremio ex alterius culpa indiſcrete per eam attentent evellere innocentes: ex qua illicite notatus non læditur, ſed errante clavi converti dicitur in damnantem. Volentes igitur inſolentiæ, vel potius inſolertiæ talium obviare, conſtitutionem præſenti decreto ſancimus, ut judicum nullus excommunicato, *&c. ut ſupra pagina* 55. c. 12.

Eum qui ſuper dignitate, perſonatu, vel aliquo alio beneficio eccleſiaſtico obtinendis, *&c. ut ſupra pag.* 54.

Exceptionis peremptoriæ, ſeu defenſionis cujuslibet principalis, *&c. ut ſupra pagina* 53.

Expediendis atque abſolvendis cauſarum negotiis obſcuritas eſt inviſa & contemptibilis: perſonarum vero claritas, & locorum celebritas, plurimum opportuna, & commendabilis valde. Proinde præſenti decreto duximus providendum, & arctiſſime ſtatuendum, ne a ſede apoſtolica, vel delegatis ipſius, cauſæ aliquibus committantur, *&c. ut ſupra pag.* 52. c. 2.

Actor qui venire ad terminum, ad quem adverſarium ſuum citari fecerat, contempſerit, vel non curaverit, venienti reo in expenſis propter hoc factis legitime condemnetur; ad citationem aliam minime admittendus, niſi ſufficienter caverit quod in termino debeat fideliter comparere, *ut ſupra pag.* 53.

Diſpendia litium æquitatis compendio volentes qua poſſumus induſtria coarctare, ac minuere, ſtatutum, *&c. ut ſup. pag.* 53.

Juris eſſe ambiguum non videtur, *&c. ut ſupra pagina* 53.

Statuimus atque ordinamus ut poſitiones negativas, *&c. ut ſupra pagina* 55.

De electione.

Cum actus legitimi dies & conditiones abhorreant ſanctione legali, inter legitimos actus electio pontificum celeberrimus habeatur, cum per eam inter eligentes & electum ſpiritualis quædam matrimonii fœdera copulentur, atque reconcilientur in electionibus, ſeu poſtulationibus, vel ſcrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi: vota conditionalia, alternativa & incerta reprobamus & prohibemus; ſtatuentes ut, hujuſmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris conſenſibus ſurgat electio.



ANNO CHRISTI 1246.

De officio delegati in 6. ut ſupra pag. 646.

In multis juris articulis numeroſitas & infinitas reprobatur. Et ideo provide duximus ſtatuendum, ut per generalem clauſulam, Quidam alii, quæ frequenter in litteris noſtris inſeritur, ultra tres vel quatuor diætas in judicio non trahantur. Statuentes, ut ſi conſervatores, quos pleriſque concedimus, a manifeſtis injuriis & violentiis defendere poſſint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia quæ judicialem indaginem & examinationem exigunt, ſuam poſſint extendere poteſtatem.

Cap. 1. de electione & electi poteſtate in 6.

Statuimus, ut ſi aliquis electiones, poſtulationes, vel proviſiones factas impugnat, in formam objiciens aliquid, vel perſonam, & propter hoc ad nos appellari contingat, tam is qui opponit, quam qui defendit, & generaliter omnes quorum intereſt, & quos cauſa contingit, per ſe, vel per procuratores ad cauſas inſtructos, ad ſedem apoſtolicam a die objectionis iter arripiant infra menſem. Sed ſi pars aliqua non venerit poſt viginti dies poſt adventum alterius expectata, in electionis negotio, non obſtante cujuſquam abſentia, ſicut de jure fuerit, procedetur. Hæc autem in dignitatibus, perſonatibus, & canonicis, obſervari volumus, & mandamus.

Pœna deficientium in probatione in eodem 6.

Adjicimus, ut qui non plene probaverit quod in forma proponit, ad expenſas, quas propter hoc pars altera feciſſe docuerit, condemnetur. Qui vero in probatione defecerit ejus quod in perſonam objicit, a beneficiis eccleſiaſticis triennio noverit ſe ſuſpenſum. Atque ſi infra illud tempus propria ſe temeritate ingeſſerit, illis ipſo jure perpetuo ſit privatus, nullam ſuper hoc de miſericordia ſpem aut fiduciam habiturus: niſi manifeſtiſſimis conſtiterit documentis, quod ipſum a calumniæ vitio cauſa probabilis & ſufficiens excuſet.

De officiis legati in 6.

Officii noſtri debitum remediis invigilat ſubjectorum. Quia dum eorum excutimus onera, dum ſcandala removemus, nos in ipſorum quiete quieſcimus, & fovemur in pace. Proinde præſenti decreto ſtatuimus, ut eccleſiæ Romanæ legati, quantumcumque plenam legationem obtineant, ſive a nobis miſſi fuerint, ſive ſuarum eccleſiarum prætextu legationis ſibi vindicent dignitatem, ex ipſius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant poteſtatem; niſi hoc ſpecialiter duxerimus indulgendum. Quod tamen in fratribus noſtris legatione fungentibus nolumus obſervari: quia ſicut honoris prærogativa lætantur, ſic eos authoritate fungi volumus ampliori.

De reſtitutione ſpoliatorum in 6.

Frequens & aſſidua nos querela circumſtre-

ANNO CHRISTI 1246.

ſtrepit, quod ſpoliationis exceptio nonnunquam in judiciis calumnioſe propoſita, cauſas eccleſiaſticas impedit & perturbat. Dum enim exceptioni inſiſtitur, appellationes interponi contingit. Et ſic intermittitur, & plerumque perimitur cauſæ cognitio principalis. Et præterea nos, qui voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis præparemus, finem litibus cupientes imponi, & calumniæ materiam amputari, ſtatuimus, ut in civilibus negotiis propter ſpoliationis objectionem, quæ ab alio quam ab actore facta proponitur, judex in principali procedere non poſtponat. Sed ſi in civilibus ab actore, in criminalibus autem ſe ſpoliatum reus aſſerat a quocumque: infra quindecim dierum ſpatium poſt diem in quo proponitur, quod aſſeruit comprobabit. Alioquin in expenſis, quas actor interim ob hoc fecerit, judiciali taxatione præhabita condemnetur; alias etiam, ſi æquum judici viſum ſit, puniendus. Illum autem ſpoliatum intelligi volumus in hoc caſu, cum criminaliter accuſatur, qui tota ſubſtantia ſua, vel majori parte ipſius, per violentiam ſe deſtitutum affirmat. Et ſecundum hoc loqui canones ſano credendum eſt intellectu: quia nec nudi contendere, nec in errore inermes opponere nos debemus, habet enim ſpoliatus privilegium, ut non poſſit exui jam nudatus. Solet autem inter ſcholaſticos dubitari, ſi ſpoliatus a tertia, de ſpoliatione contra ſuum accuſatorem excipiat, an ei tempus a judice debeat indulgeri, infra quod reſtitutionem imploret; ne forte ſic velit exiſtere, ut omnem accuſatorem eludat; quod ſatis æquitati conſonum æſtimamus. Et ſi infra tempus indultum reſtitutionem non petierit, & cauſam, cum potuerit, non perducat ad finem: non obſtante ſpoliationis exceptione, deinceps poterit accuſari. Ad hæc ſtatuimus, ut rerum privatarum exſpoliatio agenti ſuper eccleſiaſticis, vel e contrario nullatenus opponatur.

De accuſationibus. De excep. in 6. decr.

Pia conſideratione ſtatuit mater eccleſia, quod majoris excommunicationis exceptio in quacumque parte judiciorum oppoſita, lites differat & repellat agentes: ut ex hoc magis cenſura eccleſiaſtica timeatur, excommunicationis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur: & excommunicati dum a communibus actibus excluduntur, rubore ſuffuſi & confuſi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur. Sed hominum ſuccreſcente malitia, quod proviſum eſt ad remedium, tendit ad noxas. Dum enim in cauſis eccleſiaſticis hæc frequentius exceptio per malitiam apponatur, contingit differri negotia, & partes fatigari laboribus & expenſis. Proinde quia morbus iſte quaſi communis irrepſerit, dignum duximus communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponat, ſpeciem ipſius & nomen excommunicatoris exprimat; ſciturus eam rem a ſe deferri in publicam notionem, quam infra octo dierum ſpatium, die in quo proponitur minime computato, probare valeat apertiſſimis documentis. Quod ſi non probaverit, judex in cauſa procedere non omittat, reum in expenſis, quas actor ob hoc diebus illis ſe feciſſe docuerit, præhabita taxatione condemnans. Si vero poſtmodum inſtantia durante judicii, & probandi copia ſuccedente, de eadem excommunicatione vel alia excipiatur iterum, & probetur, actor in ſequentibus excludatur, donec meruerit gratiam abſolutionis obtinere: his quæ præceſſerunt nihilo minus in ſuo robore duraturis: proviſo ut ultra duas vices non proponatur hæc exceptio, præterquam ſi excommunicatio nova emerſerit, vel evidens & prompta probatio ſupervenerit de antiqua. Sed ſi poſt rem judicatam ſit, talis exceptio proponatur, excuſationem impediet: ſed ſententia, quæ præceſſit, non minus robur debitum obtinebit: eo tamen ſalvo, ut ſi actor excommunicatus ſit publice, & hoc judex noverit quandocumque, etſi hoc reus non excipiat, judex actorem ex ſuo officio repellere non poſtponat.

ANNO CHRISTI 1246.

De ſententia & re judicata in 6.

Cum æterni tribunal Judicis illum reum non habeat quem injuſte judex condemnat teſtante propheta, & dicente: *Nec damnabit eum cum judicabitur illi*, caveant eccleſiaſtici judices, & prudenter attendant, ut in cauſarum proceſſionibus nihil vindicet odium, nihil favor uſurpet; timor exulet, præmium & expectatio præmii juſtitiam non evertat. Sed ſtateram gerant in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententiis & ferendis, præ oculis habeat ſolum Deum. Illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingreſſus ad Dominum referebat, ut ſecundum ejus imperium judicaret. Si quis autem judex eccleſiaſticus ordinarius, ſeu etiam delegatus, famæ prodigus, & proprii perſecutor honoris, contra conſcientiam & contra juſtitiam, in gravamen partis alterius, in judicio quidquam fecerit per gratiam vel per ſordes, ab executione officii per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad æſtimationem litis parti quam læſerit nihilo minus condemnandus. Sciturus quod ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ingeſſerit ſe Divinis, irregularitatis laqueo involvetur, ſecundum canonicas ſanctiones; a

quo



ANNO CHRISTI 1246.

quo non niſi per ſedem apoſtolicam poterit liberari. Salvis aliis conſtitutionibus, quæ judicibus male judicantibus pœnas congerunt & infligunt. Dignum eſt etenim ut qui in tot præſumpſerit offendere, pœna multiplici caſtigetur.

De appellationibus, in 6.

Cordi nobis eſt lites minuere, & a laboribus relevare ſubjectos. Sancimus igitur, ut ſi quis in judicio, vel extra, ſuper interlocutoria, vel gravamine, ad nos duxerit appellandum, cauſam appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet, petat apoſtillos, quos ei præcipimus exhiberi. In quibus appellationis cauſam judex exprimat. Et cum appellatio non ſit admiſſa, vel ſi appellationi forſitan ex ſuperioris reverentia ſit delatum, poſt hoc appellatori ſecundum locorum diſtantiam, & negotii qualitatem, tempore proſecutionis indulto, ſi appellans voluerit, & principales petierint, per ſe & per procuratores inſtructus, cum mandato ad agendum, rationibus & munimentis ad cauſam ſpectantibus, accedant ad ſedem apoſtolicam ſic parati, ut, ſi nobis viſum fuerit expedire, finito appellationis articulo, vel partium voluntate omiſſa, procedant in negotio principali quantum poterit, & de jure debebit; his quæ in appellationibus a diffinitivis ſententiis interpoſitis antiquitas ſtatuit, non mutatis. Quod ſi appellator quæ præmiſſa ſunt non obſervet, reputabitur non appellans, & ad prioris judicis redibit examen, in expenſis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempſerit hoc ſtatutum, in eum, tanquam contumacem, tam in expenſis, quam in cauſa, quantum a jure permittitur, procedetur. Juſtum eſt equidem ut in eum jura inſurgant, qui jus, judicem & partem eludit*.

*al. illudit.

De ſententia excommunicationis, cap. 1. in 6.

Cum excommunicatio ſit medicinalis, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, dum tamen in quem lata fuerit non contemnat: caute provideat judex eccleſiaſticus, ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi quod corrigentis eſt & medentis. Quiſquis ergo excommunicat, in ſcriptis proferat, & cauſam expreſſe conſcribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero ſcripturæ hujuſmodi teneatur excommunicato tradendum infra menſem poſt diem ſententiæ, ſi fuerit requiſitus: ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum, vel litteras teſtimoniales confici ſigillo authentico conſignatas. Si quis autem judicum hujuſmodi conſtitutionis temerarius violator exiſtat, per menſem unum ab ingreſſu eccleſiæ & Divinis noverit ſe ſuſpenſum. Superior vero, ad quem recurritur, ſententiam ipſam ſine difficultate relaxans, latorem excommunicationis ad expenſas omnes & intereſſe condemnet, & alias puniat animadverſione condigna, ut pœna docente, diſcant judices, quam grave ſit excommunicationum ſententias ſine maturitate debita in aliquem fulminare. Et hæc eadem etiam in ſuſpenſionis & interdicti ſententia volumus obſervari. Caveant autem prælati, & judices univerſi, ne prædictam ſuſpenſionis pœnam incurrant. Quoniam ſi contigerit eos ſic ſuſpenſos Divina officia exequi, ſicut prius, irregularitatem non effugient, juxta canonicas ſanctiones: ſuper qua non niſi per ſummum pontificem poterit diſpenſari.

ANNO CHRISTI 1246.

De ſententia excommunicationis, cap. 2. in 6.

Solet autem a nonnullis in dubium revocari, an cum aliquis per ſuperiorem abſolvi poſtulat ad cautelam, dum in ſe latam excommunicationis ſententiam aſſerit eſſe nullam, ſine contradictionis obſtaculo munus debeat ei abſolutionis impendi. Et ante abſolutionem hujuſmodi, qui ſe offert in judicio probaturum ſe poſt appellationem legitimam in excommunicatione notatum, vel intolerabilem errorem in ſententia fuiſſe patenter expreſſum, ſit in ceteris, excepto probationis illius articulo, evitandus. In prima igitur dubitatione ſic ſtatuimus obſervandum, ut petenti abſolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator, vel adverſarius, ſe opponat. In quo caſu tres tantummodo octo dierum indulgebuntur dilationes, ſic dicenti, ut ſi probaverit quod opponit, nec relaxetur ſententia, niſi prius ſufficiens præſtetur emenda, vel competens cautio de juri parendo, ſi offenſa dubia proponatur. In ſecunda vero quæſtione ſtatuimus, ut ſi is qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, etiam ceteris, quæ ut actor in judiciis, acceptaverit, interim evitetur. Extra judicium vero, in officiis, poſtulationibus, & electionibus, & aliis legitimis actibus, nihilo minus admittatur.

## CAPITULA

### LUGDUNENSIS CONCILII

a Binio non edita, collecta ex ſexto decretalium.

I.

*De poteſtate archiepiſcopi, & ejus officialis, in ſuffraganeos.*

De offic. ordin. in 6.

ROmana eccleſia: *Et infra*. Prohibemus quoque, ne Remenſis archiepiſcopus diœceſ. ſuffraganeorum ſuorum foraneos officiales conſtituat. Quia cum metropolitanis, ne ſuorum ſuffraganeorum ingrediantur diœceſes, ut in eis authoritate propria judicent, diſponant, aliquidve aliud agant, canonica prohibeant inſtituta: nequaquam hoc poſſunt in illis per

alios

ANNO CHRISTI 1245.

alios exercere. Nec pro eo, quod cauſas per appellationem delatas ad ipſos, poſſunt in ſuffraganeorum ſuorum diœceſ. delegare: ſimiliter licet eis tales officiales inſtituere in eiſdem, qui eorum vice, cum appellatur ad ipſos, citationes, vel inhibitiones faciant, ſeu compeſcant in hac parte rebelles. Quia in cauſis per appellationem devolutis ad ipſos, jam juriſdictionem obtinere noſcuntur: propter quod licite poſſunt ſuper illis committere vices ſuas. Non ſic autem in aliis in quibus nondum extitit appellatum: & idcirco non debent aliquos conſtituere pro citationibus in futuris cauſis appellationum, & inhibitionibus faciendis: niſi aliud Remenſis eccleſia, circa talium officialium inſtitutionem de conſuetudine obtineat ſpeciali. A quibus etiam ſi de conſuetudine hujuſmodi poſſint in Remenſi provincia conſtitui: inhibitionis tamen ne procedatur in cauſis prius, quam ad Remenſem curiam appelletur, fieri penitus inhibemus.

Officiales autem Remenſis archiepiſcopi, quamdiu in ſua provincia vel circa illam extiterit, in ſuffraganeos interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis proferre ſententias non attentent. Et hoc idem ab officialibus aliorum metropolitanorum, circa ipſorum ſuffraganeos, quibus ob reverentiam pontificalis officii deferri volumus in hac parte, præcipimus obſervari.

## II.

*Ut advocatus ne accipiatur in teſtem.*

*De teſtibus in 6.*

Romana eccleſia. *Et infra*: In appellationis cauſa, is qui appellantis procurator vel advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in teſtem. Neque indiſtincte ipſi appellanti, præſumptione faciente pro eo, deferatur etiam juramentum: ſed tunc cum inſpectis perſonarum & ipſius cauſæ circumſtantiis, id fuerit faciendum.

## III.

*Ut qui facit aliquem interfici, ſit excommunicatus & depoſitus.*

*De homicid. in 6.*

Pro humani redemptione generis, de ſummis cœlorum ad ima mundi deſcendens, & mortem tandem ſubiens temporalem Dei Filius Jeſus Chriſtus, ne gregem ſui pretio ſanguinis glorioſi redemptum, aſcenſurus poſt reſurrectionem ad Patrem abſque paſtore dereſeret, ipſius curam beato Petro apoſtolo, ut ſuæ ſtabilitate fidei, ceteros in Chriſtiana religione firmaret, eorumque mentes ad ſalutis operæ ſuæ accenderet devotionis ardore, commiſit. Unde nos ejuſdem apoſtoli effecti, diſponente Domino, licet immeriti, ſucceſſores, & ipſius redemptoris locum in terris quamquam indigne tenentes: circa gregis ejuſdem cuſtodiam ſolicitis excitati vigiliis, & animarum ſaluti jugis attentione cogitationis intendere ſummovendo noxia, & agendo profutura debemus: ut excuſſo a nobis negligentię ſomno, noſtrique cordis oculis diligentia ſedula vigilantibus, animas Deo lucrifacere, ſua nobis cooperante gratia, valeamus.

Quia igitur illi qui ſic horrenda inhumanitate, deteſtandaque ſævitia mortem ſitiunt aliorum, ut ipſos faciant per aſſaſſinos occidi, non ſolum corporum, ſed mortem procurent etiam animarum, niſi eos exuberans gratia Divina prævenerit, ut ſint armis ſpiritualibus præmuniti, ac omnis poteſtas tribuatur a Domino ad juſtitiam rectumque judicium exercendum, nos tanto periculo volentes occurrere animarum, & tam nefarias præſumptiones eccleſiaſticæ animadverſionis mucrone ferire, ut metus pœnæ, meta ejuſmodi præſumptionis exiſtat, præſertim cum nonnulli magnates taliter perimi formidantes, coacti fuerint ſecuritatem ab eorumdem aſſaſſinorum domino impetrare, ſicque ab eo non abſque Chriſtianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam ſuam: Sacri approbatione concilii ſtatuimus, ut quicumque princeps, prælatus, ſeu quævis alia eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, quempiam Chriſtianorum per prædictos aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quamquam mors ex hoc forſitan non ſequatur, aut eos receptaverit, vel defenderit, ſeu occultaverit, excommunicationis & depoſitionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat ſententias ipſo facto: & illa libere aliis, per illos ad quos eorum collatio pertinet, conferantur. Sit etiam cum ſuis bonis mundanis omnibus, tanquam Chriſtianæ religionis æmulus, a toto Chriſtiano populo perpetuo diffidatus: & poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis, aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, vel depoſitionis, ſeu diffidationis, adverſus eum ſententia requiratur.

## IV.

*Ut exempti ac privilegiati non reſpondeant, niſi ſub certo judice, excepto ſi res acta in loco non exempto.*

*De privil. in 6.*

Volentes libertatem, quam nonnullis apoſtolica ſedes privilegio exemptionis indulſit, ſic integram obſervari, ut & illam alii non infringant, & ipſi ejus limites non excedant: declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque ſic exempti gaudeant libertate, nihilo minus tamen ratione delicti, ſive contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite poſſunt coram locorum ordinariis conveniri, & illi quoad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem prout jus exigit exercere. Numquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique: quia nec coram ordinariis ipſis, dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum, vel contractus initus, aut res litigioſa, nec ubi domicilium habent, ſi alibi delinquant vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt aliquatenus ſuper iſtis: nec domiciliorum prætextu, locorum diœceſani (ſi ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipſa conſiſtit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipſis ut illic reſpondeant, injungendi habeant aliquam poteſtatem: ſalvis nihilo minus caſibus aliis, in quibus eos epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta. Et id ipſum decernimus circa illos, quibus, ut nonniſi ſub uno certo judice teneantur de ſe conquerentibus reſpondere, apoſtolico privilegio eſt conceſſum.

In eos autem, quibus ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari a quoquam valeant, à ſede apoſtolica eſt indultum, ſicut ſunt religioſi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quiſquam epiſcopus, vel archiepiſcopus monaſteriorum ſuorum monachos pro ulla cauſa ullove loco interdicere, ſuſpendere vel excommunicare præſumat: iidem ordinarii juriſdictionem ſuam quantum ad iſta, ubicumque illi fuerint, penitus exercere non poſſint, niſi forſan ipſi monachi



ANNO CHRISTI 1245.

monachi ad monaſteriorum ſuorum prioratus ordinariis eiſdem ſubjectos (ut vel gerant eorum regimen, vel in eis tanquam proprii locorum ipſorum monachi reſideant) fuerint deſtinati. Tunc enim, etſi libere poſſint ad eadem monaſteria revocari, ac tam illorum, quam ipſorum prioratuum monachi reputentur (cum non ſit inconveniens aliquem utrobique locum habere monachicum) unum alteri ſubeſſe monaſterio, vel ab ipſo noſcitur dependere: ratione tamen eorumdem prioratuum, dicti ordinarii ſua juriſdictione in ipſis, etiam quoad præmiſſa, quandiu morantur in illis, licite uti poſſunt.

## V.

*De pœnit. in 6.*

*De poteſtate archiepiſcopi.*

Romana eccleſia. *Et infra*: Quæſtoribus autem fabricæ Remenſis eccleſiæ, Remenſis archiepiſcopus ſive ejus officiales, citandi ſuffraganeorum ipſius eccleſiæ ſubditos (quos iidem quæſtores ſibi reſiſtere, aut nolle parere dixerint) ut ſuper hoc compareant coram ipſis, nequaquam tribuant poteſtatem. Super benigna vero ipſorum receptione, ac ſubventione ipſi fabricæ facienda: poſſunt eoſdem ſuffraganeos & alios Chriſti fideles Remenſis provinciæ caritative monere. In concedendis quoque indulgentiis non excedat Remenſis archiepiſcopus ſtatutum concilii generalis.

## VI.

*De ſentent. excomm. in 6.*

*Excommunicatio lata in communicantes excommunicatis abſque monitione prævia, non tenet.*

Statuimus, ut nullus judicum, participantes cum excommunicatis ab eo in locutione & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicam excommunicare majori excommunicatione præſumat: ſalvis conſtitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præſumunt participare damnato. Quod ſi ex locutione, & aliis quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indureſcat: poterit judex poſt monitionem canonicam hujuſmodi participantes conſimili damnare cenſura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat: & proferentes, pœnam legitimam poterunt formidare.

## VII.

*Eod. in 6.*

*Ut epiſcopi interdictum & ſuſpenſionem non incurrant, niſi in ſententia ſint expreſſi.*

Quia periculoſum eſt epiſcopis, & eorum ſuperioribus, propter executionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo caſu, interdicti vel ſuſpenſionis incurrant ſententiam ipſo facto: nos deliberatione provida duximus ſtatuendum, ut epiſcopi & alii ſuperiores prælati, nullius conſtitutionis occaſione, ſententiæ, ſive mandati, prædictam incurrant ſententiam ullatenus ipſo jure: niſi in ipſis de epiſcopis expreſſa mentio habeatur.



## VIII.

*Eod. in 6.*

*De poteſtate prælatorum in ferenda excommunicatione.*

Romana eccleſia. *Et infra*. Ceterum interdicti, vel excommunicationis ſententias latas ab officialibus archidiaconorum, ſeu quibuslibet aliis juriſdictionem habentibus, ſuffraganeorum Remenſis eccleſiæ ſubditis, Remenſis archiepiſcopus, & ejus officiales (omiſſis ipſis excommunicatoribus) non relaxent: ſalva contraria ſuper hoc conſuetudine, ſi quam habent. Porro excommunicationum ſententiæ a Remenſi archiepiſcopo ſuiſque officialibus generaliter promulgatæ, ſubjectos ejuſdem juriſdictioni archiepiſcopi tantum ligant. Sed nec in ſpecie, nec in genere, pro culpis & offenſis præteritis vel præſentibus, excommunicationum ſententias abſque competenti monitione præmiſſa promulgent: & ſi contra præſumpſerint, injuſtas noverint eſſe illas. Caveant etiam, ne tales ſententias excommunicationis, ſive ſpecialiter, ſive generaliter, in aliquos, pro futuris culpis, videlicet ſi tale quid fecerint, vel etiam pro jam commiſſis, ſub hac forma, ſi de illis intra tale tempus minime ſatisfecerint, proferre præſumant: niſi mora in exhibenda ſatisfactione, vel culpa, ſeu offenſa præceſſerit, quibus merito ad injungendam ſatisfactionem hujuſmodi, & taliter prohibenda ſimilia inducantur: aut alia rationabilis (quam in ipſis ſententiis exprimant) cauſa ſubſit. In univerſitatem vel collegium proferri excommunicationis ſententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde ſequi poſſet, cum nonnunquam contingeret innoxios hujuſmodi ſententia irretiri: ſed in illos dumtaxat de collegio vel univerſitate, quos culpabiles eſſe conſtiterit, promulgentur.

## IX.

*Eod. in 6.*

*Quod decano licet tueri ſe ſpirituali gladio adverſus potentiam bailivi temporalem.*

Dilecto filio decano Aurelianenſi. *Et infra*: Præterea cum omnes leges, omniaque jura vim vi repellere, cunctiſque ſeſe defenſare permittant: licuit utique ipſi decano, ſi prædictus bailivus eum bonis ſuis mundanis injurioſe ſpoliare, vel ea violenter occupare præſumpſerit, ut ſuperius eſt expreſſum, contra illius violentiam injuriamque ſe tueri. Et quoniam adverſus ejus nimiam potentiam ſufficiens temporalis defenſio ſibi forte non aderat: potuit ſe etiam ſpiritaliter, gladio videlicet utendo eccleſiaſtico, defenſare, ac recurrere propter hoc ad arma ſpiritualia; quæ ſunt eccleſiæ propria, & pro ſuo munimine illis uti: præſertim cum dictus bailivus, poſt latas in eum ab eodem decano, ex aliis cauſis, excommunicationis ſententias (ſicut idem decanus aſſeruit) ipſum, tanquam exinde provocatus, ſententiis ipſis contemptis, bonis ſpoliaſſet eiſdem: & propter hoc poſtmodum ipſe decanus ſententiam tulerit interdicti, tanquam ſpiritali ſe mucrone defendens contra illius injuriam & violentiam ſibi ab eodem, occaſione prædictarum ſententiarum, & in ipſarum contemptum, illatam. Et quidem cum liceat cuilibet, ſuo vicino vel proximo pro repellenda ipſius injuria ſuum impartiri auxilium, immo, ſi poteſt & negligit, videatur injuriantem fovere, ac eſſe particeps ejus culpæ: licuit profecto ipſi decano, proprio ſibimet ſub-

ANNO CHRISTI 1245.

venire ſubſidio, & ſuammet temporalem injuriam ſua propria ſpiritali defenſione tueri: ſicque utrumque quodammodo gladium, & temporalem, & eccleſiaſticum, alterum videlicet altero adjuvare: maxime quia hi duo gladii conſueverunt, exigente neceſſitate, ſibi adinvicem ſuffragari, & in juvamen alterius ſubventione mutua frequentius exerceri.

### NOTÆ SEVERINI BINII.

G. C. *In notas ſuas incluſerat Binius ea quæ jam edidimus ex Matthæo Pariſio: quæ nos proprio nomine acta inſcripſimus. Ceteris quæ in Binii notis ex Stadenſi & Trithemio ſequuntur, notarum nomen relinquimus.*

EAdem acta conciſe & breviter recitantur apud abbatem Stadenſem in chronico his verbis: *Anno Domini 1245. papa in Burgundiam Lugdunum, quæ prima ſedes eſt Galliarum, veniens, poſt feſtum Joannis Baptiſtæ ibidem concilium celebravit, & quintam partem ab eccleſiis redituum requiſivit. Imperator pro ſe nuntios miſit, inter quos erat quidam Thadæus doctor legum, qui pro eo elegantiſſime allegavit, ita ut plurimorum ſibi audientiam conquireret & favorem. Nihilo minus autem Papa Imperatorem in die Iacobi feria tertia, quæ tertia dies erat concilii, excommunicavit. Papa per totam terram Teutoniæ lugubrem litteram principibus eccleſiaſticis deſtinavit, conquerens flebiliter quod a gente quadam Saracena, quam Choreſminorum populum appellant, ſepulcrum Domini eſſet enormiter violatum,* &c. Et paulo infra, cum alia quædam de Saracenis & prodigioſis orbium cœleſtium aſpectibus recenſuiſſet, ſubjungit: *Papa in jam dicto concilio, ſcilicet die Jacobi, contra Imperatorem excommunicationis ſententiam renovavit, & eum ab imperiali culmine authoritate propria depoſuit, & hanc depoſitionem per totam eccleſiam promulgavit: præcipiens ſub interminatione excommunicationis, ut nullus eum Imperatorem de cetero nominaret. Qua ſententia per mundum volante, quidam principum cum multis aliis reclamabant, dicentes, ad papam non pertinere imperatorem vel inſtituere vel deſtituere; ſed electum a principibus coronare. Interea Papa ſolicitari fecit principes, quos ad imperium regendum credidit idoneos, ut aliquis eorum onus imperii ſumeret & laborem, promittens ei, quicumque imperium aſſumeret, conſilium & auxilium pariter & favorem. Tandem Henricus Lantgravius, cognomento Raſpe, multis evictus precibus, imperium accepit.*

Trithemius in chronico Hirſaugienſi: *Fridericus imperator ſecundus,* ait, *in concilio Lugdunenſi a papa Innocentio citatus, & non comparens, a Cæſarea majeſtate deponitur, & omni dignitate privatur: vacavitque deinceps, ut quidam volunt, Romanum imperium per annos viginti octo, uſque ad Rodulphum de Habsburg; quamvis tres interea ſucceſſive per principes fuerint electi, plures autem in diſſenſione, principibus non concordantibus. Et primo quidem poſt depoſitionem Friderici, Papa mandavit principibus, ut imperatorem, quem vellent, eligerent: quorum aliqui Fridericum ſequentes, mandatum papæ non curaverunt; ceteri in unum convenientes, Henricum provincialem comitem Haſſiæ in regem contra Fridericum eligentes, partes ejus quantum potuerunt defendebant. Electus autem Henricus, bellum cum Conrado habuit filio Imperatoris in campis juxta Francofordiam, & victor evadens Conradum ſuperavit.*

*Annis igitur quinque nomen gerens regium, nihil memoria dignum patravit, ſed obiit, imperii coronam minime conſecutus. Quamdiu enim vixit imperator Fridericus, per annos ferme ſex prævalere contra eum nec papa nec aliquis principum potuit: ſed non advertens ſententiam papæ, quam injuſtam & frivolam dicebat, ſe imperatorem geſſit; magnamque principum, nobilium & civitatum adhærentiam habuit uſque ad mortem. Intravit poſt depoſitionem ſui in Italiam, & tantis malis papam ſubjectoſque illi populos afflixit, ut pontificem vivere tæderet, voluiſſeſque ſe nunquam depoſitionem illius cogitaviſſe. Maxima enim partialitas populorum in Italia ſubſecuta eſt, quæ uſque in præſentem ferme diem per annos ducentos & ſexaginta, non ſine multorum effuſione ſanguinis duravit. Enimvero qui Romani pontificis ſequebantur partes, quorum poſtis inditum nomen erat Guelforum, fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni ſtudio omnique virtute perſequi & delere penitus ſatagebant. Nec minore ſtudio Guelfos Gibellini perſequebantur.* Hæc Trithemius.

G. C. Quod ait Albertus Stadenſis, pontificem in hoc concilio, *quintam partem ab eccleſiis redituum requiſiviſſe*: fallitur. Nam vigeſimam tantum petitam eſſe, idque in triennium, ſupra legiſti c. 17. inſtitutionum hic factarum. Quintam autem exactam a Polonis adverſus Fridericum Imper. mox videbimus, ad ann. MCCXLVIII.

G. C. URATISLAVIENSE concilium ad ann. MCCXLV. commemorat Staravolſcius: Sed male illud collocat, cum ſit anni MCCXLVIII. ut infra ad illum annum leges.

ANNO CHRISTI 1246.

# ** CONCILIUM LANCICIENSE

## CONTRA CONRADUM DUCEM MAZOVIÆ,

## Bonorum eccleſiaſticorum invaſorem.

MAtthias Michovienſis, *hiſtor. Polonicæ, lib. III. cap.* XLI. In Prandotham, *inquit*, epiſcopum Cracovienſem, quia Boleslao Pudico *Poloniæ regi* adhærebat, Conradus dux Mazoviæ ſuos armigeros miſit, & curias epiſcopales tres expilatas, cum villis ipſarum incendit, & prædam in Mazoviam intulit. Propter quod Prandotha epiſcopus Cracovienſis, cum authoritate propria anathematizavit. Cujus proceſſus Fulco archiepiſcopus Gneſnenſis in ſynodo Lancicienſi confirmavit, & in ſingulis eccleſiis denunciari mandavit.

G. C. Hæc Michovienſis ad annum MCCXLIV. quæ cum eadem Cromerus lib. VIII. referat paulo ante annum MCCXLVII. annum, quo Staravolſcius Polonus hoc concilium in epitome ſua conſignavit, mutare nolui.

CON-



ANNO CHRISTI 1246.

# CONCILIUM BITERRENSE

## PROVINCIALE

XIII. Kal. Maii, ann. Dom. M. CC. XLVI. celebratum.

Ex Sirmondi MS. nunc primum editum.

## Statuta concilii Biterrenſis provincialis, per Dominum G*. archiepiſcopum Narbonenſem.

* Guillelmum.

### TITULI CAPITULORUM.


1. *Ut ſint laici qui diligenter hæreticos perquirant.*
2. *Ut nemo hæreticum in terra ſua morari permittat.*
3. *Quando confiſcanda bona eorum, qui accuſantur.*
4. *Ut hæreticorum bona quæ tenebant ab eccleſiis, ad eccleſias revertantur.*
5. *Ut quæſtores nihil prædicent, niſi quod in papæ & epiſcopi ſui litteris continetur.*
6. *Ut pœnitentibus, quibus ob hæreſis crimen crux eſt impoſita, irriſio non fiat.*
7. *Ut parochiales ſacerdotes articulos fidei ſimpliciter doceant diebus Dominicis.*
8. *Ut hæretici, & eorum fautores, ſingulis Dominicis excommunicentur.*
9. *Ut poteſtates ſæculares adjuvent eccleſiam contra hæreticos.*
10. *De iis qui conſilium vel patrocinium præſtant hæreticis & fautoribus.*
11. *De notariis qui conficiunt iiſdem inſtrumenta.*
12. *De medicis eorumdem.*
13. *Ut hæretici, vel ſuſpecti, a bajuliis amoveantur.*
14. *Ut excommunicentur qui tales in bajuliis conſtituunt.*
15. *Ut eccleſiarum rectores hoc populo ſæpe exponant.*
16. *Ut juramentum pacis renovetur.*
17. *Ut nullus a poſſeſſione pellatur ſine ordine judiciario.*
18. *Ut excommunicentur qui eccleſiaſticam libertatem impediunt.*
19. *De vita & honeſtate clericorum.*
20. *Ut monachi, clerici regulares, & presbyteri, in foro ſæculari advocare non præſumant.*
21. *Ut qui curam animarum habere debent, ad ſacerdotium promoveantur.*
22. *Ut canonici ſæculares ſint in ſacris ordinibus.*
23. *Ut regularium habitus non ſit reprehenſibilis.*
24. *Ut iidem proprium non habeant.*
25. *Ut monachi commatres ſibi non faciant.*
26. *Ut presbyteris idonea portio aſſignetur in eccleſiis.*
27. *Ut regulares in eccleſiis ſint ſaltem duo vel tres.*
28. *Ut clerici, occaſione patrimonii, non tallientur.*
29. *Ut nova pedagia non imponantur.*
30. *De Divino officio in ruralibus eccleſiis.*
31. *Ut eccleſiis de libris, calicibus, & aliis, provideatur.*
32. *Ut ſæculares poteſtates manus non extendant in laicum pro illata clerico injuria excommunicatum.*
33. *Quinam excommunicandi, Dominicis & feſtis.*
34. *De ſimonia.*
35. *Ut animarum cura perſonis idoneis committatur.*
36. *De ſententiis excommunicationis.*
37. *De Judæorum uſuris comprimendis.*
38. *Varia de Judæis.*
39. *Ut a Chriſtianis iidem ſigno diſcernantur.*
40. *Ut publice non operentur diebus feſtis.*
41. *Ut a die cœnæ uſque ad Paſcha domo non prodeant: & ut illa ſeptimana non vexentur a Chriſtianis.*
42. *Ut quotannis ſex denarios perſolvant eccleſiæ.*
43. *Ut iis Chriſtiani cauſa medicinæ non utantur.*
44. *De teſtamentis.*
45. *Ut pejuri puniantur.*
46. *De fidelium confeſſionibus audiendis.*


### PRÆFATIO.

REctitudo conditionis humanæ, hoſtis antiqui calliditate diſtorta & miſerabiliter ſauciata, ad ſtatum juſtitiæ non poterat reparari: niſi verus Samaritanus vinum & oleum ſauciati vulneribus infudiſſet. Quia vero frequenter patitur recidivum, adhiberi debuit medicina, quæ foret utilis ad ſalutem juxta qualitatem morbi, nunc fomenta, nunc acriora remedia ſalubriter apponendo. Propter quod ſacroſancta Romana eccleſia diverſos canones edidit, nos quandoque magiſterio edocens, quandoque pro moderamine puniens tranſgreſſores. Ceterum quia fides catholica & pax ſecura, totius Chriſtianæ religionis fundamentum exiſtunt: ad horum obſervantiam ſedes apoſtolica per ſe ſuoſque legatos diverſis temporibus contra hæreticos ac violatores pacis varia edidit inſtrumenta. Quibus prout expedit cum debita veneratione ſuſceptis: Nos G. Dei gratia Narbonenſis archiepiſcopus, aſſenſu venerabilium fratrum ſuffraganeorum noſtrorum, & capituli noſtri, ac toto concilio approbante, aliquid ad penſum ſanctæ inſtitutionis adjicere cupientes ad firmitatem fidei orthodoxæ, paciſque ſecuritatem habendam, pro ſalute maxime animarum & pro eccleſiaſtica libertate ac bono ſtatu terræ, conſcripta inferius authore Domino promulgamus.

CA-

ANNO CHRISTI 1246.

## CAPITULA.

### I.

*Ut ſint laici qui diligenter hæreticos perquirant.*

FIdei Catholicæ cultum ampliare volentes, ad hæreticam rabiem de Narbonenſi provincia penitus extirpandam, de conſilio ſuffraganeorum eccleſiæ Narbonenſis, & totius approbatione concilii ſtatuimus, ut epiſcopi per ſuam diœceſim in locis ſuſpectis, bonæ opinionis viros laicos, duos vel tres cum rectore eccleſiæ, vel eo qui ejus curam gerit, inſtituant, & juramenti religione adſtringant, quod diligentem curam & ſollicitudinem adhibeant circa hæreticos, credentes, receptatores, fautores, defenſores eorumdem, perquirendos: ut ſi quos tales repererint, epiſcopo loci vel dominis locorum ſive bailivis vel officialibus eorumdem, ſtudeant cum omni feſtinantia intimare. Cautela tamen adhibita circa hæreticos ne fugere valeant, ſi eos non potuerint detinere.

Conc. Avenion. c. 2. Later. IV. c. 3.

### II.

*Ut qui hæreticum in terra ſua morari permiſerit, excommunicetur.*

Statuimus etiam ut quicumque in terra ſua ſcienter hæreticum morari permiſerit propter pecuniam vel aliam quamcumque cauſam, quod ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, præter alias pœnas contra tales editas in concilio Toloſano ¹. Si quis autem de hoc convictus fuerit vel confeſſus, tamdiu excommunicatus nominatim & publice nuncietur, donec de tanto exceſſu ſanctæ matri eccleſiæ ad cognitionem diœceſani ſatisfecerit competenter.

¹ An. 1229.

### III.

*Quando confiſcanda bona eorum, qui ſuper hæreſis crimine impetuntur.*

Bona eorum qui ſuper crimine hæreſis impetuntur, nullatenus confiſcentur, donec per ſententiam fuerint condemnati, niſi ſcienter eiſdem criminoſis in eodem crimine adhæſiſſent, poſtquam eos infectos hujuſmodi crimine cognoverint. Idem quoque dicimus obſervandum circa eos qui deponunt vel commendant aliquid, aut contrahunt alias cum talibus bona fide qui Catholici publice reputantur: quod contrahentes hujuſmodi nihil amittant, licet illi cum quibus contrahunt, hæretici ſint occulte: niſi ſcientes eos eſſe tales, contraxiſſent cum ipſis, fraude ſuper " penitus excludenda.

### IV.

*Ut hæreticorum bona quæ tenebant ab eccleſiis, ad eccleſias revertantur.*

Quia vero plures de hæreſi condemnantur, qui ab eccleſiis, monaſteriis, ſeu viris eccleſiaſticis, poſſeſſiones, cenſus, aut alia bona tenebant mobilia vel immobilia: ſtatuimus quod bona hujuſmodi ad eccleſias ſive monaſteria vel perſonas eccleſiaſticas, a quibus dicta bona quoquo modo tenentur, libere revertantur, conditione cujuſquam in aliquo non obſtante. Qui vero ſtatutum hujuſmodi violare præſumpſerit, niſi monitus legitime, a ſua præſumptione deſtiterit, ex tunc excommunicetur. Idem de bonis fayditorum præcipimus obſervari.

### V.

*Ut quæſtores nihil prædicent, niſi quod in papæ & epiſcopi ſui litteris continetur.*

Ad quorumdam inſolentiam reformandam, ne profectus fidei retardetur, præcipimus quod quæſtores non permittantur in eccleſiis aliud populo prædicare, quam in indulgentiis domini papæ, & ſui diœceſani litteris continetur, nec cartelli vel cellulæ " recipiantur ab eiſdem, nec ad hoc de cetero aliquis admittatur, niſi frater fuerit, vel alia perſona idonea, majoris ſui teſtimoniales litteras ſecum portans. Cum certum ſit per venales ac conductores quæſtores, tum ex prava ipſorum vita, tum ex prædicatione erronea, multa ſcandaloſa proveniſſe, damnatis in inferno liberationem pro modica pecunia promittentes.

### VI.

*Ut pœnitentibus, quibus ob hæreſis crimen crux eſt impoſita, irriſio non fiat.*

Cum peccatores ſint ad pœnitentiam invitandi juxta Dominicam vocem, gaudere oportet ſi pœnitentiam impoſitam libenter ſuſcipiunt & ſupportant. Quocirca ſtatuimus, & in virtute ſancti Spiritus inhibemus, ne pœnitentibus, quibus cruces pro crimine hæreſis imponuntur, irriſio ulla fiat, nec a locis propriis ſeu communibus commerciis excludantur, ne retardetur converſio peccatorum, & ne converſi propter ſcandalum abjecta pœnitentia relabantur. Et ſi moniti deſiſtere noluerint, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.



### VII.

*Ut parochiales ſacerdotes articulos fidei ſimpliciter doceant diebus Dominicis.*

Præcipimus etiam quod ſacerdotes parochiales ſtudeant exponere populo diebus Dominicis articulos fidei ſimpliciter ac diſtincte, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quiſquam poſſit, & hoc in ſynodis præcipiatur eiſdem. Pueri quoque a ſeptimo & ſupra, ad eccleſiam a parentibus adducantur diebus Dominicis & feſtivis, & in fide catholica inſtruantur, & doceant eos ſalutationes B. Mariæ, *Pater noſter*, & *Credo in Deum*.

### VIII.

*Ut hæretici, & eorum fautores ſingulis Dominicis excommunicentur.*

Adjicientes ut hæretici, vel eorum credentes, fautores & receptatores & defenſores eorum, ſingulis diebus Dominicis excommunicentur. Et ſi quis prædictorum credentium, fautorum, receptatorum, & defenſorum, perſonaliter monitus & excommunicatus nominatim, infra quadraginta dies reſipiſcere noluerit, ſed in eorum defenſione perſtiterit, vel inquiſitionem impediverit eorumdem: tanquam hæreticus puniatur, cum perſeverantia & defenſio erroris hominem in talibus faciat hæreticum judicari.

### IX.

*Ut poteſtates ſæculares adjuvent eccleſiam contra hæreticos.*

Moneantur etiam comites, barones, rectores & conſules civitatum, & aliorum locorum, ac aliæ poteſtates ſæculares quibuſcumque fungantur officiis, quod ad commonitionem diœceſanorum promittant juramento corporaliter præſtito, quod fideliter & efficaciter contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt eccleſiam bona fide juxta officium & poſſe ſuum, & quod de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis univerſos hæreticos ab eccleſia denotatos pro viribus exterminare curabunt: & ad hoc, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

### X.

*De iis qui conſilium vel patrocinium præſtant hæreticis & fautoribus.*

Item & omnes alii qui conſilium, patrocinium, vel favorem occulte vel aperte hæreticis, receptatoribus, & eorum credentibus præſtabunt.

### XI.

*De notariis qui conficiunt iiſdem inſtrumenta.*

Idem præcipimus de notariis ſive ſcriptoribus qui in vita vel in morte ſcienter conficiunt inſtrumenta hæreticis vel fautoribus eorumdem.

### XII.

*De medicis eorumdem.*

Idem de medicis eorumdem præcipimus obſervari.

### XIII.

*Ut hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti, a bajuliis amoveantur.*

Qui vero quondam hæretici veſtiti vel notati fuerint, aut merito ſuſpecti ſunt, a bajuliis & officiis publicis, ſi qua habent, præcipimus amoveri ex toto, nec de cetero ad hujuſmodi aſſumantur. Narbon. an. 1228. c. 16.

### XIV.

*Ut excommunicentur qui tales in bajuliis conſtituunt.*

Si vero aliqui ſint qui in ſuis bajuliis hujuſmodi perſonas conſtituunt, niſi legitime moniti eos amoverint, excommunicentur.

### XV.

*Ut eccleſiarum rectores hoc populo ſæpe exponant.*

Sint etiam ſolliciti eccleſiarum rectores, vel eorum locum tenentes, quod pœnas contra prædictos editas ſæpius publicent populo & exponant.

### XVI.

*Ut juramentum pacis renovetur.*

Cum tempore pacis fides liberius valeat præ-

ANNO CHRISTI 1245.

prædicari, & inquiſitio contra hæreticos fieri, & ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrari: tranquillitati pacis congaudentes, ſtatuimus quod juramentum pacis in caſtris, villis, ac civitatibus, renovetur ſecundum ſtatuta concilii Toloſani ", juxta formam hactenus obſervatam. Præterea libertatem eccleſiaſticam cum Dei reverentia juxta ſtatuta canonica amplectentes, præcipimus, quod epiſcopi, abbates, & alii viri eccleſiaſtici cum ſuis hominibus pacem ſequantur contra turbatores pacis, cum a vobis fuerint requiſiti, ſalvo jure epiſcoporum in ſubditis eorumdem.

" an. 1229.

## XVII.

*Ut nullus a ſua poſſeſſione expellatur ſine ordine judiciario.*

Item ut ſtatuta pacis melius obſerventur, præcipimus ut nullus a ſua poſſeſſione expellatur ordine judiciario prætermiſſo, & ſi expulſus fuerit, plenarie reſtituatur.

## XVIII.

*Ut excommunicentur qui eccleſiaſticam libertatem impediunt.*

Item legitima monitione præmiſſa excommunicentur ſtatuarii ", ſcriptores, conſules & rectores locorum ubi ſtatuta ſunt edita contra eccleſiaſticam libertatem: necnon & illi qui ſecundum ea præſumpſerint judicare, vel in publicam [illegible] redigere judicata: & illi ſimiliter qui interdicunt clericis ac viris religioſis introitum caſtrorum ac villarum ſuarum, aquas, molendina, furnos, & alia quæ conſueverunt eis & aliis omnibus eſſe communia. Et illi qui vineis, bladis, arboribus, talam faciunt, & aliis bonis quæ ad eccleſiam pertinent, deſtruunt & confundunt.

" f. ſtatutarii,

## XIX.

*De vita & honeſtate clericorum.*

Circa rubricam iſtam legantur conſtitutiones de vita & honeſtate clericorum editæ in concilio generali, quæ ſic incipiunt, Ut *clericorum mores*, &c. *A crapula*, &c. *Clerici*, &c. Volumus etiam & præcipimus, ut nulli rectores eccleſiarum, vel clerici in ſacris ordinibus conſtituti, mulieres ſecum teneant, de quibus ſiniſtra ſuſpicio poſſit haberi.

Lateran. IV. c. 14. 15. 16.

## XX.

*Ut monachi, clerici regulares, & presbyteri, in foro ſæculari advocare non præſumant.*

Adjicimus inſuper ut monachi vel canonici regulares, vel etiam ſacerdotes, niſi pro eccleſiis ſuis & miſerabilibus perſonis, in foro ſæculari & in ſæcularibus negotiis advocare nullatenus præſumant. Quod ſi forte pars adverſa tales repellere neglexerit, vel noluerit, a judice repellantur omnino.

## XXI.

*Ut qui curam animarum habere debent, ad ſacerdotium promoveantur.*

Præterea quod in multis canonibus & frequenter ordinatum eſt & ſtatutum, ut archipresbyteri, præpoſiti, abbates, & alii qui curam habent animarum, debeant ad ſacerdotium promoveri, mandamus & præcipimus, ut tales, & illi qui eccleſias parochiales habent, ad ſacerdotii gradum promoveantur, & ibi ſerviant ut teneantur. Ad quod per ſubtractionem beneficiorum, ſi neceſſe fuerit, compellantur.

## XXII.

*Ut canonici ſæculares ſint in ſacris ordinibus.*

Inhibemus ne aliqui ſæculares canonici ſtallum in choro, vel vocem habeant in capitulo, niſi fuerint in ſacris ordinibus conſtituti: niſi ex cauſa cum eis ab epiſcopo fuerit diſpenſatum.

## XXIII.

*Ut regularium habitus non ſit reprehenſibilis.*

Regularibus autem tam monachis quam canonicis prohibemus, ne ſit eorum habitus notabilis vel reprehenſibilis, nec affectent veſtibus placere, ſed moribus. Cappis etiam & palliis, caligis de aliqua bruneta clara vel nigra, vel ſtamine forti, vel cameloto, vel aliquo alio colorato panno, non utantur: nec accipiant a ſuo majore aliquam pro veſtibus pecuniæ quantitatem, quia ex hoc datur eis materia proprium retinendi; ſed omnes de eodem veſtiario veſtiantur.





ANNO CHRISTI 1246.

## XXIV.

*Ut iidem proprium non habeant.*

Quod autem proprium non habeant, ſub atteſtatione Divini judicii, & in virtute obedientiæ penitus inhibemus.

## XXV.

*Ut monachi commatres ſibi non faciant.*

Prohibemus etiam ne monachi commatres ſibi faciant.

## XXVI.

*Ut presbyteris idonea portio aſſignetur in eccleſiis.*

Later. IV. c. 32. Narbon. an. 1228. c. 9.

Item cum in concilio Lateranenſi & aliis conſequenter ſit per Romanum Pontificem conſtitutum, quod presbyteris in eccleſiis monachorum vel aliarum perſonarum ad ſuam & ſuorum ſuſtentationem portio ſufficiens adſignetur: ne a domino papa poſſimus merito reprehendi, vobis abbatibus, prioribus, & aliis regularibus & ſæcularibus, qui habetis vel tenetis eccleſias hujuſmodi, præcipimus ut in veſtris eccleſiis, epiſcopis perſonas præſentetis idoneas, quibus per epiſcopos animarum cura commiſſa, uſque ad feſtum Pentecoſtes proxime venturum ſecundum facultates eccleſiarum, arbitrio bonorum virorum portionem idoneam adſignetis. Videlicet qua tam ipſi quam ſui valeant ſuſtentari honeſte, & alia facere quæ continentur in pluribus conſtitutionibus, quæ jamdudum ſuper hoc a ſede apoſtolica emanarunt. Et ſuper hoc legatur decretalis de ſuppl. negl. *Sicut nobis*.

## XXVII.

*Ut in eccleſiis regulares non pauciores quam duo vel tres morentur.*

Illud præterea duximus exprimendum, ut in eccleſiis veſtris non pauciores faciant moram, quam duo vel tres monachi, vel canonici regulares, ſicut alia vice per dominum Petrum Beneventanum, tunc Apoſtolicæ ſedis legatum, fuit in provinciali concilio conſtitutum & poſtmodum obſervatum.

Conc. Monſpel. an. 1214. c. 30. Narbon. 1228. c. 10.

## XXVIII.

*Ut clerici, occaſione patrimonii, non tallientur.*

Item ſtatuimus ut clerici occaſione patrimonii ſui vel perſonæ nullatenus tallientur, & tam domini locorum, quam conſules & alii laici, ab hujuſmodi talliis & exactionibus per cenſuram eccleſiaſticam, ſi neceſſe fuerit, compeſcantur. Idem de eccleſiis & hominibus eccleſiarum præcipimus obſervari.

Ibid. c. 12.

## XXIX.

*Ut nova pedagia non imponantur.*

Excommunicamus etiam omnes illos qui ſcienter impoſuerint nova pedagia, ſive imponunt vel augent antiqua.

Ibid. c. 13.

## XXX.

*De Divino officio in ruralibus eccleſiis frequentando.*

De ruralibus eccleſiis hoc mandamus inviolabiliter obſervari, ut in eis Divinum officium frequentetur, ne fraudentur animæ defunctorum, & omni occaſione poſtpoſita reparentur.

## XXXI.

*Ut eccleſiis, de libris, calicibus, & aliis provideatur.*

Item præcipimus de libris & aliis eccleſiæ ornamentis neceſſariis providere. Generaliter autem præcipimus omnibus eccleſiis de calicibus argenteis, libris, & ornamentis neceſſariis provideri.

## XXXII.

*Ut ſæculares poteſtates manus non extendant in laicum pro illata clerico injuria excommunicatum.*

Item inhibemus & ſub atteſtatione Divini judicii præcipimus principibus, baronibus, baillivis & conſulibus, ne ſi contingat aliquem laicum pro injuria dicto vel facto illata clerico, vel aliqua alia quæſtione eccleſiaſtica, excommunicari per ordinarium vel judicem delegatum, vel alias pro tali cauſa, ut ad res vel bona ejuſdem ſeu parentum ſuorum occaſione prædicta manus ſuas extendere non præſumant, aut interdicere ei furnum, molendinum, aut aliquod aliud commercium commune. Quod ſi fecerint, niſi legitime moniti ceſſaverint, excommunicentur.

A

XXXIII.

*Quinam ſint excommunicandi ſingulis Dominicis & feſtis.*

Conc. Narbon. an. 1227. c. 8. De publicis uſurariis, inceſtuoſis, concubinariis, adulteris, ſortilegis, divinis, & raptoribus, eſt in præſenti concilio conſtitutum, ut ſingulis diebus Dominicis & feſtivis publice in eccleſia excommunicentur. Similiter & illi qui teſtamenta defunctorum publicare & complere poſt competentem admonitionem noluerunt, excommunicationi ſubdantur. Item illi qui ſcienter inſtrumenta vel chartas retinent, poſtquam eis plene fuerit ſatisfactum.

XXXIV.

*De ſimonia.*

Conc. Biterr. an. 1233. c. 8. Ad abolendam etiam ſimoniæ corruptelam, quæ in eis partibus inolevit, ſuper eo videlicet quod epiſcopi clericos ad ſacros ordines promovendos nolunt aliquatenus promovere, niſi prius præſtito juramento vel alia cautione, quod ratione tituli patrimonialis, vel alterius minus idonei, ipſos vel eorum non impetant ſucceſſores, diſtrictius inhibemus ne talia præſumant de cetero attentare. Quod ſi fecerint, a celebratione ordinis noverint ſe ſuſpenſos, quia ſanctius eſt, maxime in ordine ſacerdotii, paucos quam multos malos habere miniſtros, ſicut eſt in Lateranenſi concilio conſtitutum.

XXXV.

*Ut animarum cura perſonis idoneis committatur.*

Quia circa majora periculum vertitur, præcipimus quod animarum cura perſonis idoneis committatur. Talibus enim ſunt eccleſiæ parochiales & dignitates maxime concedendæ, qui verbo poſſunt proficere pariter & exemplo. Cum autem eccleſias & eccleſiaſticas dignitates vacare contigerit, fructus extantes, & qui medio tempore colligentur, futuro ſucceſſori fideliter reſerventur, deductis miniſtrorum & ſibi ſervientium expenſis, qui eccleſiam interim decantabunt, donec de rectore eccleſiæ ſit proviſum.

XXXVI.

*De ſententia excommunicationis.*

De ſententia excommunicationis legantur; *Sacro approbante concilio*, *&c. Cum medicinalis*, *& ſoli*, *Quia periculoſum*. Felicis recordationis Lodoicus rex Francorum, attendens quanta pertinacia laici provinciæ Narbonenſis, & quarumdam partium adjacentium, in præjudicium animarum ſuarum, ſententiam excommunicationis con- B temnerent: contra hujuſmodi pertinaciam olim apud Apamiam conſtituit de conſilio domini Romani S. Angeli diaconi cardinalis, apoſtolicæ ſedis legati, omnium etiam prælatorum & baronum de Francia, qui præſentes fuerant pro eccleſiaſtica libertate, conſtituit, ut quicumque poſt legitimam admonitionem ſe excommunicari permiſerit, in novem libris & uno denario Turonenſi puniatur. Si vero per annum contumaciter in ſententia excommunicationis permanſerit, bona ejus omnia cadant in commiſſum. Quam C conſtitutionem nos G. archiepiſcopus Narbonenſis de concilio fratrum & ſuffraganeorum noſtrorum, & approbatione totius provincialis concilii mandamus & ſtatuimus atque præcipimus de cetero in provincia Narbonenſi ab omnibus inviolabiliter obſervari, ſicut a prælatis Franciæ obſervatur. Ita videlicet, quod ſi forte excommunicatus in prædicta ſumma puniri nequiverit; minori, vel alias ſecundum providentiam ſui epiſcopi, puniatur. Si autem univerſitas culpa ſua fuerit interdicta, pœna puniatur eadem. Si vero pro culpa domini, ipſe dominus pœ- D na ſimili puniatur.

XXXVII.

*De Judæorum uſuris comprimendis.*

Quia Judæi uſurariis exactionibus plurimum opprimunt Chriſtianos, cum a Domino generaliter prohibeantur uſuræ: provinciali concilio duximus providendum, ne Judæi a Chriſtianis aliquatenus immodi- E cas uſuras accipiant. Quod ſi fecerint, eas ab eccleſia reſtituere compellantur. Videlicet per excommunicationem in Chriſtianos, qui cum eis in commercio vel aliis participationem habebunt.

XXXVIII.

*Varia de Judæis.*

Ibid. c. 2. Nec in domibus ſuis habeant Chriſtiana mancipia vel nutrices, nec carnes venales teneant publice diebus quibus abſti- A nent Chriſtiani, nec in bajuliis, vel aliquibus officiis, Chriſtianis permittantur præeſſe. Carnes etiam quas ipſi faciunt, privatim tantum in domibus ſuis vendant, & non in Chriſtianorum macellis.



XXXIX.

*Ut a Chriſtianis iidem ſigno diſcernantur.*

Ibid. c. 3. Ad hoc ut Judæi a Chriſtianis diſcerni poſſint, ſtatuimus & diſtricte præcipimus, B ut in medio pectoris deferant ſignum rotæ, cujus circulus ſit latitudinis unius digiti, altitudo vero unius dimidii palmi de canna.

XL.

*Ut publice non operentur diebus feſtis.*

Ibid. c. 3. Nihilominus inhibemus eiſdem, diebus Dominicis & feſtivis publice operari, ne C Chriſtianos ſcandalizent, vel ſcandalizentur ab eis.

XLI.

*Ut a die cœnæ uſque ad Paſcha domo non prodeant, & ut illa ſeptimana non vexentur a Chriſtianis.*

Ibid. c. 5. Ad hoc capitulum pertinent videntur extrema verba præcedentis. Volumus & mandamus, ut in ſeptimana ſancta a die cœnæ mane uſque ad diem reſurrectionis Domini, nullatenus, niſi cauſa neceſſitatis, exeant domos ſuas: & prælati D tunc faciant eos a Chriſtianorum vexationibus cuſtodiri, maxime in ſeptimana prædicta.

XLII.

*Ut quotannis ſex denarios perſolvant eccleſiæ.*

Ibid. c. 4. Statuimus inſuper, ut Judæi ſingulis annis in feſto Dominicæ reſurrectionis ſex denarios Melgorienſis monetæ, pro ſingulis familiis, pro oblationibus, eccleſiæ paro- E chiali perſolvant.

XLIII.

*Ut iis Chriſtiani cauſa medicinæ non utantur.*

Præterea excommunicentur Chriſtiani, qui in infirmitate poſiti, cauſa medicinæ ſe committunt curæ Judæorum.

XLIV.

*De teſtamentis.*

Quia ultima voluntas defuncti debet inviolabiliter obſervari: volumus & præcipimus, ut teſtamentum, vel ultima voluntas cujuſque, in præſentia ſemper catholicorum virorum & parochialis ſacerdotis, vel alterius eccleſiaſticæ perſonæ, locum ipſius tenentis, condatur. Præſertim ut idem ſacerdos, vel locum ejus tenens, valeat de ipſo teſtatore laudabile teſtimonium perhibere, ne de ipſo aliqua infidelitatis ſuſpicio poſſit haberi: & maxime ut ea quæ in piis cauſis reliquerit, fidelius & citius ſine fraude ſolvantur. Quod ſi teſtator vocare, ut diximus, ſacerdotem aut viros catholicos contempſerit: careat eccleſiaſtica ſepultura, donec de hujuſmodi mandati contemptu eccleſiæ ſatisfactum fuerit competenter. Notariis vero, qui abſque ſolennitate ſuperius expreſſa notare, vel ſcribere præſumpſerint teſtamenta vel ultimas voluntates, eccleſiæ introitus interdicatur uſque ad ſatisfactionem condignam. Narbon. an. 1227. c. 5.

XLV.

*Ut perjuri puniantur.*

Cum religio juramenti, peccatis exigentibus, fere ab omnibus in iſtis partibus contemnatur: contra hujuſmodi contemptores aliquid ſecuritatis pro ſalute animarum duxit præſens concilium ſtatuendum. Videlicet ut quicumque in tranſgreſſione iſta juramenti de cetero manifeſte deprehenſus fuerit, in eccleſia publice pronuncietur eſſe perjurus. Quod ſi admonitus, ſatisfacere noluerit, excommunicetur, accenſis candelis & pulſatis campanis, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, & denuncietur inteſtabilis & infamis: & nec ad teſtimonium, nec ad alios actus legitimos admittatur. Ibid. c. 6.

XLVI.

*Ut confeſſionum diligens ratio habeatur.*

Statuit etiam præſens concilium, quod nomina illorum omnium, qui peccata ſua confeſſi fuerint, ſcribantur a propriis capellanis, qui confeſſiones audierunt eorumdem, ut laudabile teſtimonium de confeſſionibus eorum valeant perhibere. Illis vero, qui confiteri proprio ſacerdoti contempſerint, ſaltem ſemel in anno, a quatuordecim annis ſupra, vivis introitus eccleſiæ uſque ad ſatisfactionem condignam; mortuis vero interdicatur eccleſiaſtica ſepultu- Ibid. c. 7.

ANNO CHRISTI 1246.

ra. Qui autem confeſſiones eorum audierint, in loco patenti audiant, non in occulto. Qui vero proprio ſacerdoti ſemel in anno confeſſi non fuerint, vel alii de ejuſdem capellani licentia ſpeciali, ad ſacramenta eccleſiaſtica minime admittantur. Et hoc præcipimus, diebus Dominicis & præcipuis feſtivitatibus, per rectores eccleſiarum in eccleſiis publice nunciari.

# CONSILIUM

## CONCILII PROVINCIALIS

Archiepiſcopi Narbonenſis & ſuffraganeorum ſuorum, qualiter ſit in inquiſitione procedendum contra hæreticos, habitum Biterris.

Corr. G. ſcilicet Guillelmus de Broa, qui tunc erat archiep. Narbon.

*B" DEI GRATIA NARBONENSIS archiepiſcopus dilectis in Chriſto inquiſitoribus contra hæreticos, in Arelatenſi, Aquenſi, Ebredunenſi, & Viennenſi provinciis, authoritate Apoſtolica conſtitutis, fratribus ordinis Prædicatorum, ſalutem in Domino.*

" Petri

Litteras reverendiſſimi patris P" Dei gratia epiſcopi Albanenſis recepimus ſub hac forma.
» Venerabili in Chriſto patri & amico cariſſimo
» Dei gratia archiepiſcopo Narbonenſi. P. ejuſdem
» miſeratione Albanenſis epiſcopus, ſalutem in Do-
» mino. Etſi olim in partibus Provinciæ domini
» papæ vicem gerentes, vobis ſcripſimus, ut man-
» daretis inquiſitoribus hæreticorum, quod cum ve-
» ſtro & diœceſanorum (quos ipſi expedire viderent)
» conſilio, in inquiſitione hæreticæ pravitatis pro-
» cederent, juxta conſuetam formam eis ſuper his
» traditam in pœnitentiis injungendis: negotii ta-
» men qualitate penſata, volumus, & authoritate
» domini papæ vobis mandamus, [illegible]
» ctis inquiſitoribus [illegible] nego-
» tio cum veſtro, diœceſanorum, ſeu aliorum præ-
» latorum conſilio quos expedire viderint, juxta
» formam in talibus conſuetam, & litteras apoſto-
» licas eis miſſas, procedere non omittant. De ex-
» penſis vero eidem negotio opportunis, juxta con-
» cilium apud Montempeſſulanum per reverendiſ-
» ſimum patrem Avenionenſem epiſcopum, tum
» Apoſtolicæ ſedis legatum, proinde celebratum,
» faciatis eiſdem inquiſitoribus providere. Da-
» tum Lugduni nonis Martii.

Hujus igitur authoritate mandati vobis injungimus quatenus in præfato inquiſitionis negotio vobis commiſſo procedere ſecundum tenorem mandati ejuſdem ſine moræ diſpendio procuretis.

1. Raymundus. 2. Clarus. 3. Berengarius. 4. Guillelmus. 5. Petrus. 6. Raimundus.

Ad hæc nos epiſcopus memoratus: R 1 Toloſanus: C 2 Carcaſſonenſis: B 3 Helenenſis: G 4 Lodovenſis: P 5 Agathenſis: Biterrenſis. R 6 Nemauſenſis: Uticenſis: Dei gratia epiſcopi, abbates, ceterique prælati provinciæ Narbonenſis apud Biterras in provinciali concilio congregati, quorum ſigilla præſentibus ſunt appenſa, veſtris devotis precibus annuentes libenter, quibus a nobis petiſtis humiliter, noſtris conſiliis in toto memorato negotio dirigi & muniri, veſtraſque dubitationes prout poſſumus amputantes, ſimulque devotionem veſtram adjuvare volentes, ſicut nobis ab ipſa ſede apoſtolica mandatum eſt: ut qui noſtra portatis onera, conſilium a nobis & auxilium in ipſo noſtro negotio caritate mutua reportetis.

### CAP. I.

Conſulimus, ut infra terminos inquiſitionis limitatæ vobis, ad locum de quo expedire videritis, juxta mandatum Apoſtolicum declinetis, ut inquiſitionem de illo, vel de locis aliis faciatis: cum tutum non ſit vos ad loca ſingula declinare: atque ibi convocatis clero & populo, & propoſito verbo Dei, mandatum vobis factum, & adventus veſtri cauſam, lectis litteris, quarum authoritate procedere habetis, ſicut oportere noveritis, exponatis. Ac deinde mandetis, ut omnes qui ſe vel alios ſciverint in crimine labis hæreticæ deliquiſſe, compareant coram vobis veritatem dicturi.

### CAP. II.

Aſſignato eis termino competenti, quod tempus gratiæ vocare ſoletis, quibus tamen alias hujuſmodi gratia non eſt facta: infra quem terminum venientes pœnitentes, & dicentes plenam de ſe & de aliis veritatem, habeant impunitatem mortis, immurationis exilii, & confiſcationis bonorum.

### CAP. III.

Ut cum de locis aliis fuerit inquiſitio facienda, hujuſmodi generalem faciatis citationem, ac tempus gratiæ aſſignetis: clericis & laicis in loco illo, de quo fiet citatio, convocatis, per aliquam perſonam eccleſiaſticam, cui hoc per veſtras patentes litteras committatis: qui in teſtimonium recepti mandati ſigillum ſuum litteris eiſdem appendat, & nihilo minus reſcribat per ſuas patentes ſimiliter litteras cum ſuo ſigillo pendenti, qualiter, & coram quibus, & quando, mandatum impleverit ſibi factum.

### CAP. IV.

Ab illis qui ſic citati coram vobis infra tempus comparuerint aſſignatum, recipiatis juramenta de mera & plena ſuper facto labis hæreticæ, tam de ſe quam de aliis vivis & mortuis, dicenda, quam noverint, veritate. Ac poſtmodum per vos, vel per ſcriptores, diligenter interrogantes eoſdem de ſingulis, de quibus requirendi videbuntur, faciatis confeſſiones ac depoſitiones ipſorum fideliter ſcribi, & in actis inquiſitionis deponi, aut per publicam, ſi poteſtis habere perſonam, aut per aliam idoneam, & juratum, cui & alius vir idoneus juratus ſimiliter adjungatur: ut ſic ſcriptura hujuſmodi vel per manum publicam, vel per duos, ut tetigimus, viros idoneos in actis repoſita & conſcripta, ac ei qui confitetur, & deponit coram inquiſitore & notario, vel dictis duobus viris idoneis recitata, robur obtineat firmitatis. Juramenta vero ſupradicta publice ac præſentibus omnibus, qui ad confitendum conveniunt, recipere procuretis: ut ex forma juramenti ſecundum quam exigitur, quilibet tam de ſe, quam de aliis teneatur dicere veritatem. Intelligant ſinguli, quod ſit contra ipſos inquiſitio, & de quibus: atque ita capitula, de quibus inquiritur, ſingulis quaſi expoſita videantur. Propter quod nec ſit neceſſe, ut teſtes qui ſemel depoſuerint in tam generali ac notoria inquiſitione, producantur iterum, ſi etiam poſt hujuſmodi depoſitionem contra quemcumque de quo quid noverint, dixerint, fieri cœperit inquiſitio ſpecialiter: niſi de aliquibus circumſtantiis, de quibus requiſiti non fuerant, viderentur forſitan requirendi: præſertim cum, ſicut tangemus inferius, teſtium nomina nullatenus ſint in hac cauſa favorabili, tanquam privilegiato negotio publicanda.



ANNO CHRISTI 1246.

### CAP. V.

Talibus infra tempus gratiæ ſponte ac plene confitentibus, & ad eccleſiaſticam ſe redire dicentibus unitatem, beneficium juxta formam eccleſiæ abſolutionis impendatis, facientes videlicet ipſos abjurare omnem hæreſim extollentem ſe adverſus ſanctam & Romanam eccleſiam & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeatur: & jurare quod fidem catholicam, quam eadem ſacroſancta Romana tenet eccleſia & prædicat, ſervabunt pariter ac defendent: & hæreticos cujuſcumque ſectæ, veſtitos pariter & condemnatos, credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum perſequentur pro viribus: inveſtigando, accuſando, & capiendo, vel ſaltem eos inquiſitoribus ſeu aliis fidelibus, qui eos opportunius capere velint & valeant, bona fide manifeſtando: & quod ſuper his, qui inventi ſunt, vel fuerint in eodem crimine deliquiſſe, ſtabunt mandatis inquiſitorum, & eccleſiæ, ac pœnitentiam quæ ſibi fuerit quandocumque per ipſos injuncta, recipient & implebunt: pro ea recipienda & implenda, bona ſua omnia inquiſitioni & eccleſiæ ſolemniter obligantes.

### CAP. VI.

Illos, qui cum ſint culpabiles, contemnunt comparere infra tempus gratiæ, aut malitioſe ſupprimunt veritatem, citetis ſuo tempore nominatim.

### CAP. VII.

Eiſque, ſi veritatem contra ſe inventam confiteri noluerint, exponatis capitula, ſuper quibus inventi ſunt culpabiles, & dicta ſimiliter teſtium publicetis.

### CAP. VIII.

Ac datis dilationibus competentibus, & defendendi facultate conceſſa, benigne admittatis exceptiones & replicationes legitimas eorumdem.

### CAP. IX.

Et ſi quidem in ſua defenſione defecerint, niſi culpam probatam gratis confiteri voluerint, aſſignato ad ſententiam termino peremptorio competenti, damnetis eoſdem; non enim ſunt ad miſericordiam admittendi, dum in ſua negatione perſiſtunt, quantumcumque voluntati eccleſiæ ſe ſupponant.

### CAP. X.

Illud autem caveatis ſecundum providam ſedis Apoſtolicæ voluntatem, ne teſtium nomina ſigno, vel verbo aliquo publicentur. Sed ſi inſtat contra quem inquiſitio fit, dicens forte ſe habere inimicos, vel in ſe aliquos conſpiraſſe: inimicorum ab eo, ſeu conſpiratorum nomina, inimicitiarum ſeu conſpirationis cauſa, & veritas, exigantur, ut ſic & teſtibus conſulatur, & ipſis etiam convincendis.

### CAP. XI.

Ad nullius vero condemnationem procedatis ſine confeſſione propria, vel probationibus dilucidis & apertis: ſatius enim eſt relinquere facinus impunitum, quam innocentem damnare.

### CAP. XII.

Quamvis in hujuſmodi crimine omnes criminoſi & infames, ac participes criminis, ad accuſationem & teſtimonium admittantur.

### CAP. XIII.

Illis tantum exceptionibus fidem teſtium evacuantibus in totum, quæ non ex zelo juſtitiæ, ſed de malignitatis fomite procedere videantur: ut ſunt conſpirationes & inimicitiæ capitales. Alia vero crimina, etſi debilitent, non repellunt: maxime ubi teſtes de crimine fuerint emendati.

### CAP. XIV.

Eos qui ſe contumaciter abſentant, faciatis citari ſolemniter in parochiali, ſeu cathedrali eccleſia eorumdem: & in locis in quibus domicilium vel habent, vel habere ſolebant; & ita contra eos legitimis edictis propoſitis, præcedenti expectatione matura, diligenti etiam diſcuſſione habita ſuper actis: ac prælatorum, de quibus expedire videritis conſilio ſigillato ad talium condemnationem, eorum abſentiam Dei & evangeliorum ſupplente præſentia, pro culparum exigentia procedatis.

### CAP. XV.

A quibus poſtmodum redire atque obedire volentibus, & generaliter ab omnibus, qui prius contumaces, ſeu inobedientes fuerunt, vel de quorum fuga merito timere poſſetis, cautiones recipiatis fidejuſſorias: vel faciatis detineri eoſdem ubi magis videbitis expedire.

### CAP. XVI.

Perfectos hæreticos ſeu veſtitos coram diſcretis aliquibus & fidelibus examinetis ſecreto, ipſos ad converſionem prout poteritis inducentes, & converti volentibus vos exhibeatis favorabiles, & benignos, cum per tales multum fuerit illuminatum negotium & promotum. Ac ipſorum pœnitentias pro qualitate converſionis & meriti mitigetis, vel quantum vobis viſum fuerit, deferatis.

### CAP. XVII.

Converti nolentes, ubi commode poteritis, damnare tardetis, ipſos frequenter tam per vos, quam per alios ad converſionem monentes. Ac tandem in ſua malitia pertinaces, faciatis errores ſuos, ad eorum deteſtationem publice confiteri: & ſic eos damnatos præſentibus ſæcularibus poteſtatibus, eorumve baillivis ſecundum mandatum Apoſtolicum relinquentes.

### CAP. XVIII.

Ad hæreticorum ſeu credentium condemnationem, qui non fuerunt reconciliati canonice ante mortem, citatis eorum hæredibus, ſive aliis, qui de jure citandi fuerint, & conceſſa eiſdem opportuna copia defendendi, ſimiliter procedatis.

## CAP. XIX.

Ab eorum hæredibus, qui confeſſi & reconciliati, non accepta pœnitentia deceſſerunt, ſatiſfactionem congruam exigatis; ne tantum ac tale crimen, quod etiam publice in judicio confeſſi ſunt, remaneat in aliquibus impunitum. Et idem faciatis de illis qui deceſſerunt accepta pœnitentia, nec impleta: Si eſſe in mora cœperint, vel pro illa implenda obligaverint, ut ſupra tetigimus, bona ſua, vel injunctus fuerit tranſitus tranſmarinus.

## CAP. XX.

Damnatos hæreticos relapſos, contumaces, & fugitivos redire volentes, ſimiliter etiam deprehenſos, qui videlicet poſt tempus gratiæ, non niſi nominatim citati venire curarunt, aut veritatem ſuppreſſerunt ſcienter & contra proprium juramentum: ex apoſtolico mandato in perpetuo carcere detrudatis, nec injungatis alicui pœnitentiam carceris temporalis, ſed hujuſmodi perpetui carceris pœnam ſeu pœnitentiam, ex domini Papæ indulgentia ſuper hoc vobis conceſſa, mitigare vel commutare poteritis de prælatorum, quorum juriſdictioni ſubſunt, conſilio, poſtquam fuerint in carcere aliquandiu detenti veſtris humiliter parendo mandatis, & ſigna pœnitentiæ apparuerint in eiſdem, quæ vos ad miſericordiam moveant, ſimulque noveritis expedire.

## CAP. XXI.

Receptis prius ab illis bonis ſatisdationibus, quod injunctas ſibi pro poſſe faciant pœnitentias, & juramentis de perſequenda hæreſi, & fide catholica defendenda, ſicut in reconciliandis ſuperius eſt expreſſum: lata etiam in ipſos ſententia, quod ſi levi argumento comperiri poterit, eos de cetero deviare a fide, pœna ſine miſericordia, debita puniantur.

## CAP. XXII.

Hac ſemper vobis poteſtate retenta, ut ſi videritis negotio fidei expedire, ſine nova etiam cauſa, poſſitis ad carcerem reducere ſupradictos. In damnatis etiam fugitivis, relapſis & contumacibus adhibeatur ante immurationem ipſorum de juramentis & ſatisfactionibus cautela ſuperius memorata.

## CAP XXII.

Curetis tamen ut talibus immurandis, fiant juxta ſedis Apoſtolicæ ordinationem, ſeparatæ & occultæ camerulæ, ſicut fieri poterit in ſingulis civitatibus diœceſum corruptarum, ut alterutrum vel ſe, vel alios pervertere nequeant; & eos enormis rigor carceris non extinguat, quod ab illis, qui bona illorum tenuerint, fieri, & in neceſſariis provideri faciatis eiſdem, ſecundum ſtatuta concilii Toloſani.

## CAP. XXIV.

Hæc autem perpetui carceris pœna ſeu pœnitentia nulli ab initio de præfatis culpabilibus remittatur, aut in aliam commutetur: niſi vel hæreticos redderet, vel propter ejus abſentiam evidens mortis periculum ejus liberis vel parentibus immineret: vel propter aliam cauſam, quæ multum juſta & rationabilis videretur.

## CAP. XXV.

Sit autem liber acceſſus uxori ad virum immuratum, & e converſo, ne cohabitatio denegetur eiſdem, ſive ambo immurati fuerint, ſive alter.

## CAP. XXVI.

Ceteris qui propter vel promiſſam gratiam, vel propter qualitatem delicti, vel propter aliam rationabilem cauſam, immurandi non fuerint, hujuſmodi pœnitentias injungatis: videlicet ut fidem, & eccleſiam, quam taliter offenderunt, defendant ad tempus, pro veſtro arbitrio deſignatum, per ſe, vel per alios magis idoneos ultra mare, vel citra, contra Saracenos, vel hæreticos, & fautores eorum, aut aliter fidei & eccleſiæ rebellantes. In deteſtationem etiam erroris veteris, portent in ſuperiore veſte duas cruces coloris crocei, longitudinis duorum palmorum & dimidii, latitudiniſque duorum, & in ſe trium digitorum habentes latitudinem, unam anterius in pectore, & aliam poſterius inter ſcapulas. Veſtes, in quibus cruces portaverint, crocei coloris non habentes, ſuperiori veſte intellecta, ſupra quam in domo, vel extra, alia non portetur. Et ſi fuerint veſtiti hæretici, vel damnati, portent crucem tertiam competentis quantitatis, ſeu coloris ejuſdem in caputio vel in velo. Et ſi forte dejeraverint, aut induxerint alios ad dejerandum, portent in ſuperiori parte duarum crucem (quas portare habent in pectore, & inter ſcapulas,) brachium tranſverſale palmi unius vel circa. Qui autem transfretare debebunt, portent cruces prædictas donec applicuerint ultra mare: & eas ulterius non teneantur portare, donec in littore tranſmarino navem ad redeundum intrantes reſumant eaſdem circa mare, & in mari, & in inſulis eas exinde perpetuo portent. Interſint diebus Dominicis & feſtivis Miſſæ ac Veſperis, & Sermoni, ſi fiat in villa, in [illegible] ac ceteris ſimiliter diebus; vel Miſſas audiant, vel ſaltem ante prandium ad eccleſiam veniant ad orandum: niſi impedimentum habuerint, ſine fraude. Et in Miſſa cujuſlibet diei Dominicæ ac feſtivæ, inter epiſtolam & evangelium, veſte ſuperiori & velo ſive capuccio depoſitis, niſi & in velo ſeu capuccio portent cruces, ſacerdoti Miſſam præſenti populo celebranti, cum virgis in manu publice ſe præſentent: ibique data illis diſciplina, exponat ſacerdos, quod propter culpam labis hæreticæ pœnitentiam illam agunt. Sequantur etiam proceſſiones, quæ fiunt in villis, in quibus fuerint quandocumque: ita videlicet, ut ſuperiori veſte depoſita, & capitibus velo ſeu capuccio denudatis, niſi & in eis cruces portaverint, a proceſſionis initio portent alte in manu dextra inter clerum & populum, virgas longas: & in ſtatione ultima, præſentent ſe illi, qui proceſſioni præfuerit, ut exponat populo, quod talem pœnitentiam faciunt propter illa quæ in crimine commiſerunt hæreticæ pravitatis.

## CAP. XXVII.

Peregrinationes ſimiliter, ac pœnas ſeu pœnitentias pecuniarias pro carceribus conſtruendis, & miniſtrandis neceſſariis expenſis, immurandis pauperibus, ac perſonis negotio inquiſitionis neceſſariis injungatis culpabilibus memoratis: & ne uſuras exerceant, ac reſtituant jam acceptas.

## CAP. XXVIII.

Et ne bailivias ſeu adminiſtrationes teneant, nec ſint





ſint in conſiliis, vel familiis potentum: neque utantur vel medici vel notarii officio: nec ad alia officia publica, vel ad actus accedant legitimos: nec portent aurifriſia, vel ſimilia ornamenta, vel vittas croceas, nec ſericum, vel corrigias auro vel argento membratas, vel ſotulares inciſos, ſeu pictos: & ubi expediens viſum fuerit, ejiciantur de villa in qua converſati fuerant, in alia certa villa ſeu provincia moraturi ad tempus.

## CAP. XXIX.

Hæc autem de pœnitentiis arbitrariis ita perſtrinximus, non ut vos omnes, vel æqualiter omnibus imponatis: ſed ut eas ſecundum diſcretionem vobis traditam a Domino, negotii utilitate, qualitate perſonarum, culparum quantitate, aliiſque penſatis circumſtantiis, ita caute ac provide diſpenſetis: ut ſive plectendo ſive ignoſcendo, vita culpabilium corrigatur: aut ſaltem apparere valeat, quis in tenebris ambulet, quis in luce, quis vere ſit pœnitens, quis ficte converſus. Hujuſmodi autem pœnitentias injungatis publice: niſi ubi eſſet peccatum occultum, quod neque eſſet revelatum per alium, nec revelari ſperaretur. Facientes eos culpas ſuas convocatis clero & populo publice confiteri: & abjurare ac jurare, ſicut in reconciliandis eſt expreſſum. Ita quod ſinguli mandent inde fieri publica inſtrumenta continentia culpas, abjurationes, promiſſiones, & pœnitentias eorumdem. Et ſingulis dentur teſtimoniales veſtræ litteræ, hæc eadem continentes. Vobis ſemper poteſtate retenta, ut poſſitis ex cauſa rationabili, pœnitentiis injunctis addere, vel detrahere, vel ipſas etiam commutare. Et hac poteſtate conſulimus vos uſuros, quotieſcumque ſaluti animarum & utilitati negotii videritis expedire. Quibus autem fuerint peregrinationes injunctæ, teneantur dictas teſtimoniales litteras oſtendere in ſingulis peregrinationibus, ei qui præfuerit eccleſiæ quam viſitaverint: & ejuſdem litteras de peregrinatione illa peracta, vobis reportare. Qui vero transfretaverint, cum fuerint ultra mare, ut citius poterunt, præſentent ſe cum veſtris litteris, venerabilibus patribus, vel patriarchis Hieroſolymitano, vel Aconenſi, aut cuicumque epiſcopo, vel eorum cujuſlibet locum tenenti: & reportent vobis cum redierint de ſua peregrinatione laudabiliter ibi completa, litteras cujuſlibet epiſcopi tranſmarini.

## CAP. XXX.

Ne autem per tales religionis corrumpatur ſimplicitas, nullum de præfatis culpabilibus, ſine apertis converſionis ſignis, & niſi omne ſcandalum atque periculum abeſſe noveritis, religionem quamcumque ingredi permittatis: & ſi ſecus actum fuerit, revocetis.

## CAP. XXXI.

Ut autem, adjuvante Domino, hæreſis melius extirpetur & citius, fideſque plantetur in terra: ſtatuta & jura per ſedem Apoſtolicam, ejuſque legatos, ac principes, ſuper his edita, faciatis pleniſſime obſervari. Præterea univerſos tam mares, quam fœminas, maſculos a XIV. fœminas a XII. anno & ſupra, faciatis abjurare omnem hæreſim: & jurare quod fidem ſervent & defendant catholicam, & hæreticos perſequantur, prout ſupra in juramento, quod reconciliandi habent facere, plenius de his & latius continetur: conſcriptis ſingulorum nominibus, tam in actis inquiſitionis, quam in parochiis eorumdem. Et qui præſentes infra tempus aſſignatum, vel abſentes infra XV. dies poſt ſuum reditum, tale juramentum non præſtiterunt, ſuſpecti de hæreſi habeantur. Hanc autem univerſalem abjurationem fieri procuretis quam citius, vel per vos ipſos, vel per veſtros notarios ſeu ſcriptores, vel per alios eccleſiaſticos viros, quibus hoc duxeritis committendum.

## CAP. XXXII.

Adjecto in juramento comitum, baronum, rectorum & conſulum, ac bailivorum civitatum, ac aliorum locorum, quod fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerit requiſitum, eccleſiam contra hæreticos, & eorum complices adjuvabunt juxta officium & poſſe ſuum: & de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt univerſos hæreticos ab eccleſia denotatos.

## CAP. XXXIII.

Poſt hujuſmodi autem abjurationem, quicumque lapſi fuerint, & qui non ſervaverint, vel fecerint injunctas ſibi pœnitentias, pœna relapſis debita puniantur.

## CAP. XXXIV.

In ſingulis etiam parochiis, tam in civitatibus, quam extra, ſacerdos unus, vel duo, vel tres bonæ opinionis laici, vel plures ſi opus fuerit, juramenti vinculo aſtringantur, amovendi vel mutandi, quando vobis viſum fuerit: qui diligenter, fideliter, & frequenter, inveſtigent hæreticos in villis & extra domos ſingulorum, & cameras ſubterraneas, cabannas, & clauſella, & alia latibula perquirendo: quæ omnia obturari, vel deſtrui faciatis. Præfatis etiam ſacerdoti, & laicis ſic juratis, committatis curam obſervationis pœnitentiarum, quæ ſingulis de ſua parochia injungentur: ita ut ipſi penes ſe habentes ſingulorum parochianorum pœnitentias, & circa earum obſervationem ſolicite vigilantes, contemptores, ſi qui fuerint, vobis denuncient ſine mora, in eos tanquam in relapſos, ut dictum eſt proxime, proceſſuris.

## CAP. XXXV.

Domos etiam in quibus inventi ſunt, vel fuerint hæretici vivi, vel mortui, veſtiti ſeu damnati, ſcientibus & conſentientibus dominis domorum exiſtentibus legitimæ ætatis, dirui faciatis, & bona omnium ibidem tunc habitantium confiſcari: niſi ſuam innocentiam & juſtam ignorantiam probare poterunt manifeſte. Bona quoque hæreticorum & credentium, quos damnaveritis, vel pro hæreticis, vel ad murum, faciatis ſimiliter confiſcari: & marchas ſolvi capientibus hæreticos, ab his, qui ſecundum ſtatuta ſolvere tenebuntur.

## CAP. XXXVI.

De bailivis negligentibus, vel ſuſpectis, & aliis culpabilibus non ponendis in adminiſtrationibus, vel officiis publicis, vel conſiliis ſeu familiis potentum, & de libris theologicis non tenendis etiam a laicis in Latino, & neque ab ipſis, neque a clericis in vulgari, & de pœnis contra prædictos; necnon & contra ſacerdotes qui circa

ANNO CHRISTI 1246.

hujuſmodi, ad quæ ex officio, vel ex commiſſione tenentur, negligentes extiterint, & de confeſſione peccatorum, & communione ter in anno facienda, de Miſſis etiam & ſermonibus audiendis ex integro diebus Dominicis & feſtivis, & de omnibus aliis, quæ ad hæreſim extirpandam, fidemque plantandam pertinent, tenori faciatis ad plenum, quicquid juſtum noveritis & ſtatutum: & expreſſe de filiis hæreticorum, receptatorum, & defenſorum, uſque ad ſecundam generationem, ad nullum beneficium eccleſiaſticum vel officium admittendis.

CAP. XXXVII.

Inter alia, quæ ad veſtrum laborioſum latiſſimumque ſpectant officium, hoc ſummopere providere curetis, ut juris ordinem (niſi in quantum privilegiatum eſt hoc negotium, & nos ſupra expreſſimus, & conſuſimus) ſervare ſtudeatis: & omnia quæ feceritis, videlicet citationes, gratias ſive indulgentias, interrogationes, confeſſiones, depoſitiones, abjurationes, & obligationes, ſententias & pœnitentias, & cetera omnia quæ occurrerint, taliter in actis inquiſitionis, vel per manum publicam, vel per duos viros idoneos, ut prædiximus, & juratos deſignatis locis, & temporibus, & perſonis, competenti conſcribi ordine faciatis. Quod ſi ſuper proceſſu veſtro fuerit in aliquo ſuborta contentio, per hæc poſſit veritas declarari. Datum apud Biterras XIII. Calend. Maii, anno Domini MCCXLVI.

Ex Card. de Aguirre Concil. Hiſpan. tom. 3. p. 502.

## CONCILIUM TARRACONENSE

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO ARCHIEPISCOPO,

Celebratum anno Domini MCCXLVI.

ANno 1246. Kalendis Maii celebratum eſt Concilium a Petro Archiepiſcopo Tarraconenſi, Pontio Epiſcopo Dertuſenſi, R. Ilerdenſi, Petro Barcinonenſi, Arnaldo Valentino, Roderico Cæſarauguſtano, & Berengario Gerundenſi. Confirmata eſt in eo Concilio excommunicatio, quæ anno 244. decreta fuerat adverſus invaſores, raptores, & deprædatores perſonarum, & rerum Eccleſiaſticarum. Et quoniam nonnulli ſuperiorem conſtitutionem coercebant ad res modicas, & ad ea quæ non ex propoſito nocendi, ſed ex neceſſitate aliqua a non credentibus offerre capiuntur; præſens ſynodus declaravit illos tantum intelligi excommunicatos, qui ex propoſito cum armis violenter invaſerint, & deſtruxerint loca eccleſiarum, & ceperint homines ipſarum. Decrevit prætetea, ut Sarraceni captivi, qui ficte veniunt ad baptiſmum, ut jugum poſſint evadere ſervitutis, diebus aliquot apud Rectorem eccleſiæ illius ad quam veniunt pro baptiſmo ſuſcipiendo permaneant; ut dignoſci poſſint, utrum in tenebris ambulent, vel in luce; & ſi perſeveraverint in propoſito baptizandi, baptiſmus eis ulterius non negetur. *Baluzius lib. 4. Marca Hiſpanica.*

Ex Card. de Aguirre Concil. Hiſpan. tom. 3. p. 503.

## CONCILIUM ILERDENSE

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO

Archiepiſcopo Tarraconenſi celebratum anno Domini MCCXLVI.

ANno 1246. habitum eſt aliud Concilium apud Ilerdam ob cauſas Berengarii Epiſcopi Gerundenſis, cui Rex Aragonum linguam abſcindi juſſerat, ob hoc quia Innocentium IV. Papam ſecreto monuerat, injuſte Regem facere, qui Violantem Reginam repudiaret. Miſſi ab Innocentio in Cataloniam Epiſcopus Camerinus, & Deſiderius presbyter cum poteſtate reconciliandi Regem (nam is excommunicatus erat, & terra ejus interdicto ſuppoſita); modo pœniteret. Ilerdæ Conventus Epiſcoporum & procerum eſt habitus. Affuerunt Archiepiſcopus Tarraconenſis, Epiſcopi Cæſarauguſtanus, Urgellitanus, Oſcenſis, & Helenenſis. His præſentibus Rex verbis graviſſimis caſtigatus, criminis venia donatus eſt ea lege, ſi monaſterium Benefacianum, quod in Dertuſæ montibus ante 20. annos poſt captum Morellam oppidum inchoatum, tardis incrementis ſurgebat, magnis ipſe molibus, & cæmentis ad culmen uſque ſuo ſumptu perduceret, & argenti pondo 140. circiter annua tribueret, unde Ciſtercienſes in eo Monachi vitam ſuſtentarent. Alia quoque addita. Accepit Rex conditiones, & 14. Kal. Novemb. Ilerdæ ſolenni cæremonia piorum ſocietati, templiſque redditus eſt. *Baluzius lib. 4. Marca Hiſpanica.*

† Hujus Concilii Canones habes in tomo ſequenti Concilio Tarraconenſi anni 1329. inſertos.

CON-



ANNO CHRISTI 1246.

## ** CONCILIUM ARELATENSE

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

Anno MCCXLVI. III. Idus Decembr. celebratum.

*HUjus concilii nulla, quod quidem ſciam, extat memoria, niſi quæ ſuperius habetur ad calcem alterius Arelatenſis concilii, anno MCCXXXIV. habiti.*

ANNO CHRISTI 1247.

## CONCILIUM COLONIENSE

PRO ELECTIONE IMPERATORIS,

Anno MCCXLVII. celebratum.

D*E eo Abbas Stadenſis in Chronico hæc habet ad an.* 1247. Papa Heinricum Landgravium mortuum intelligens, Petrum Capucium de aureo velo Diaconum Cardinalem miſit in Teutoniam, qui evocatis Archiepiſcopis & Epiſcopis, quos potuit, Concilium prope Coloniam celebravit feſto Michaelis: & feria quinta poſt Michaelis Willelmus frater Comitis Hollandiæ a quibuſdam Epiſcopis & Comitibus in Regem Romanorum ad gubernandum Imperium eſt electus.

Ex Card. de Aguirre Concil. Hiſpan. tom. 3. p. 504.

## CONCILIUM TARRACONENSE

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO

Archiepiſcopo celebratum.

ANno 1247. ſeptimum Concilium Tarracone celebravit Petrus Albalatius Archiepiſcopus, in quo prohibitum eſt, ne donationes beneficiorum Eccleſiaſticorum occulte fiant: quod ſtatutum antea fuerat anno 1239. in primo ejuſdem Archiepiſcopi Concilio. *Baluz. lib. 4. Marca Hiſpan.*

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

## ** CONCILIUM SCHENINGENSE

ADVERSUS PRESBYTERORUM CONIUGIA,

A Guillelmo cardinale Sabinenſi, Innocentii IV. legato celebratum anno circiter MCCXLVIII.

J*Oannes Magnus archiepiſcopus Upſalenſis libro Gothicæ hiſtoriæ XIX. cap. XV. hoc præſertim concilio inſigne fuiſſe memorat regnum Henrici Sueonum regis: qui viginti octo, quibus regnavit, annis,* multa, *inquit*, ſui optimi regiminis teſtimonia ad poſteros tranſmiſit: inter quæ non infimum locum habent quæ in Scheningenſi concilio acta fuere per Guillelmum cardinalem & epiſcopum Sabinenſem, ſummi pontificis Gregorii IX. legatum, pro reſtituendis moribus fidei Chriſtianæ, tam ipſo Rege ac proceribus præſentibus & approbantibus, quam Jarlero archiepiſcopo Upſalenſi cum omnibus coepiſcopis ſuis, ad omnia ejuſdem concilii decreta conſentientibus. Quæ ſi hactenus æque diligenter obſervata fuiſſent, quemadmodum pie & ad publicam concordiam inſtituta fuerunt, non ſolum Chriſtianam remp. felicem haberemus, ſed regnum ex omni parte beatum ad noſtros ſucceſſores tranſmitteremus.

Prima intentio & cura cardinalis Sabinenſis in hoc concilio erat, revocare Suecos & Gothos a ſchiſmate Græcorum, in quod presbyteri & ſacerdotes ductis publice uxoribus conſenſiſſe videbantur: effecitque cooperantibus rege Erico, & Birgero duce, ut abjuratis conjugibus & concubinis cœlibatum amplecterentur, Tranſgreſſores vero hujus ſtatuti, omnibus proventibus,

a Hujus Concilii decretum in tomo ſequenti invenies in Concilio Tarracon. anni 1329.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

bus, & dignitatibus, ac privilegiis & libertatibus clericali ordini annexis, privavit, gravibuſque pœnis & cenſuris ac judicio ſæculari ſubjecit.

## G. COSS.

Gregorii IX. legatum fuiſſe Guillelmum cardinalem, cum huic præfuit concilio, falſo Joannes Magnus aſſerit. Ad Boreales populos prædicandi evangelii cauſa miſſus fuit ab Honorio III. primum, tum a Gregorio IX. ſed nondum cardinalis. Qua dignitate auctus eſt ab Innocentio IV. ab eoque in Septentrionem tertium legatus eſt. Auctores, Ciacconius & alii. Miſſum autem ab Innocentio IV. in Norvegiam, & Sueciam, jam cardinalem, eoque conſilio in Angliam anno MCCXLVII. veniſſet, ut inde verſus Septentrionem ſolveret, teſtatur Matthæus Weſtmonaſterienſis, qui præcipue fuiſſe legatum ait, *ut regem Norvegiæ Haconem in regem inungeret*. In Norvegiam ergo primum anno MCCXLVII. profectus, deinde in Sueciam, ubi Scheningenſe concilium coegit, anno, ut probabile eſt, conſequenti. Certum eſt, non potuiſſe ante annum MCCXLVII. quo profectus eſt; neque poſt MCCL. quo Henricus rex, qui concilio interfuit, obiit.

Errorem ſuum emendavit Joannes Magnus in Metropoli, quod opus poſtea conſcripſit. *Concilium*, inquit, *Guillelmi cardinalis Sabinenſis in Scheningia, vetuſtiſſimo Oſtrogothorum oppido, ſub Innocentio IV. celebratum eſt, deinde per papam Alexandrum IV. Anagniæ anno ejus quinto, atque alios pontifices ſummos perpetuo confirmatum.*

Odoricus Raynaldus vocat Scherungenſe, litterarum affinitate inter exſcribendum deceptus: collocatque anno MCCXXXV. cum Gregorii IX. tempore putet habitum: & ad Danos legatum ait, ibique huic præfuiſſe ſynodo, perinde quaſi Scheningia Daniæ urbs eſſet, non Sueciæ; & Olaum Magnum auctorem citat, cum Joannem debuiſſet.

# ** CONCILIUM VALENTINUM IN GALLIA

Pro fide, pace, & libertate eccleſiæ, a Petro Albanenſi epiſcopo, & Hugone S. Sabinæ presbytero, cardinalibus, cum epiſcopis IV. provinciarum, ſabbato poſt feſtum S. Andreæ, anno Dom. MCCXLVIII. Innocentio IV. pontifice celebratum.

Ex Sirmondi apographo recens editum.

## TITULI CAPITULORUM.


I. *Ut conciliorum ſtatuta inviolabiliter obſerventur.*

II. *Ut pax juretur de triennio in triennium: & Friderico Imp. auxilium non detur.*

III. *Ut qui ſunt in ſacris ordinibus, & qui ſunt beneficiati, officium publicum in ſæculari curia non recipiant.*

IV. *Ut clerici beneficiati recipiant ordines ſacros, cum neceſſitas exigit, & epiſcopus jubet.*

V. *De Judæis, ut ſignum portent.*

VI. *Ut perjuri puniantur.*

VII. *Et præſertim qui jurarunt pro fide, pace, & libertate eccleſiæ.*

VIII. *Ut perjuri, publice denuncientur.*

IX. *De non exequentibus ſententiam inquiſitorum.*

X. *De epiſcopis nolentibus denuntiare vel ſervare ſententiam diœceſani vel inquiſitoris.*

XI. *Ut ab inquiſitoribus non admittantur in proceſſibus advocati.*

XII. *De ſacrilegis & ſortiariis.*

XIII. *De deponentibus crucem ſibi impoſitam propter hæreſim: de aufugientibus e carcere: de contemptoribus excommunicationum.*

XIV. *Ut excommunicati, ad officia publica non eligantur.*

XV. *De iis qui banna faciunt contra excommunicatores vel denunciatores.*

XVI. *Ut prælati excommunicatos ſibi a diœceſano denunciatos denuncient, & vitent.*

XVII. *De iis qui excommunicati publice, ſe officiis eccleſiaſticis ingerunt,*

XVIII. *De iis qui communicant frequenter cum excommunicatis.*

XIX. *Ut ſerventur ſtatuta de clericorum interfectoribus, &c.*

XX. *Ut conjurationes & confratriæ non fiant.*

XXI. *Ut excommunicentur qui pacem, requiſiti, non jurant.*

XXII. *Excommunicatio Friderici imp. & fautorum ejus.*

XXIII. *De iis qui Friderico auxilium dederint, vel advocaverint.*


## PRÆFATIO.

UNiverſis Chriſti fidelibus ad quos præſens pagina pervenerit, miſeratione divina P. Albanenſis epiſcopus, & H. tituli S. Sabinæ presbyter cardinalis, æternam in Domino ſalutem. Noveritis quod cum dominus Papa archiepiſcopos, epiſcopos, & alios prælatos quamplures Narbonenſis, Viennenſis, Arelatenſis, Aquenſis, provinciarum, ac etiam quoſdam epiſcopos & prælatos quarumdam circumvicinarum diœceſium ad concilium celebrandum apud Montilium Valentinæ diœceſis, pro fide, pace, & libertate eccleſiæ, convocaſſet, & nos pro eodem cum prælatis ad partes illas duxerit deſtinandos, qui ad dictum locum vocati venerant apud Valentiam de mandato noſtro ad celebrandum dictum concilium, ex cauſa neceſſaria congregatis, de dictis tractavimus cum eiſdem. Quoniam igitur multorum conciliorum ſtatuta ſalubria, non ſunt, ſicut debuit & decuit, hactenus obſervata, ex quo in contemptum & in oblivionem quaſi totaliter devenerunt: ideo neceſſarium fore providimus prædictorum conciliorum ſtatuta renovare, & quaſdam pœnas ad ipſorum obſervantiam, ac quædam alia ſtatuere, quibus vita delinquentibus arceatur.

## CAPITULA.

### I.

*Ut conciliorum ſtatuta inviolabiliter obſerventur.*

AUctoritate igitur præſentis concilii ordinamus & ſtatuimus, quod antiqua concilia per legatos apoſtolicæ ſedis edita, ac etiam præſentis concilii ſtatuta, inviolabiliter obſerventur, & a prelatis omnibus habeantur.

II. Ut



ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

### II.

*Ut pax juretur de triennio in triennium: & Friderico imp. auxilium non detur.*

Item ſtatuimus quod ſtatuta pacis omnino ſerventur, & juretur pax de triennio in triennium, & renovetur, prout in ſtatutis conciliorum continetur; & addatur nunc in ſacramento, quod Friderico ſchiſmatico, qui eſt auctor diſcordiarum & turbator pacis, non dabunt auxilium, vel favorem, nec ipſum ad provincias iſtas forſitan venientem, vel nuncium ſuum, ſuam poteſtatem exercentes vel exercere volentes, recipient, nec obedient eis, cum ipſi nihil intendant aliud, niſi ut unitatem eccleſiæ dividant, & catholicorum pacem perturbent.

### III.

*Ut qui ſunt in ſacris ordinibus, & qui ſunt beneficiati, officium publicum in ſæculari curia non recipiant.*

Item ſtatuimus, ut nulli clerici in ſacris ordinibus conſtituti, ſeu canonici cathedralium eccleſiarum, ſeu beneficiati, judicatum, conſulatum, aſſiſoriam, vel alia officia publica in curia ſæculari, electi a populo vel a ſæculari perſona, recipiant; & ſi receperint, niſi infra menſem poſtquam publicata fuerint in ſuis diœceſibus hæc ſtatuta, dimiſerint, ab officio & beneficio ſuſpendantur. Et ſi per annum in contumacia perſtiterint, vel cum ſimile officium receperint, iterum ſuis beneficiis per epiſcopos ſuos ſine ſpe reſtitutionis priventur.

### IV.

*Ut clerici beneficiati recipiant ordines ſacros, cum neceſſitas exigit, & epiſcopus jubet.*

Item de canonicis eccleſiarum ſæcularium & regularium, & aliis beneficiatis clericis renuentibus ordines ſubdiaconatus, diaconatus recipere, vel ordinem ſacerdotii, quando neceſſitas hoc requirit, & a ſuis epiſcopis requiruntur, conſtitutiones & concilia ſuper hoc edita mandamus inviolabiliter obſervari.

### V.

*De Judæis, ut ſignum portent.*

Item de Judæis etiam concilia & conſtitutiones ſerventur: & ſi domini ſæculares admoniti non compellunt eos ſignum portare, prælati procedant contra ipſos Judæos, interdicendo commercia Chriſtianorum cum eis, & alias puniendo, ſicut in concilio & conſtitutionibus continetur.

### VI.

*Ut perjuri puniantur.*

Item de puniendis perjuris qui aperte pejerant, & juramenti religionem contemnunt, ſtatuta conciliorum & conſtitutionum jura obſervari præcipimus: ſtatuentes quod cum ſalutaria ſtatuta ſuper iis edita propter prælatorum negligentiam contemnantur, unde a perjuriorum frequentia non ceſſatur, prælati de cetero prædicta ſtatuta inviolabiliter obſervent, & in ſynodis ſuis ea publicantes, præcipiant ſubditis inviolabiliter obſervari.

### VII.

*Et præſertim qui jurarunt pro fide, pace, & libertate eccleſiæ.*

Præſertim de illis perjuris, qui juraverunt pro pace, pro fide, pro defenſione eccleſiæ, ſeu etiam libertate. Et ſi univerſitas aliqua in hoc culpabilis ſit reperta, ſupponatur eccleſiaſtico interdicto, & perſonæ culpabiles pœnis ſubjaceant editis in conciliis memoratis.

### VIII.

*Ut perjuri publice denuncientur.*

Statuta vero conciliorum ſuper his edita per epiſcopos in ſynodis, ut ſupradictum eſt, & in eccleſiis ſeu aliis ſolennibus locis, publicentur frequenter, & perjuros hujuſmodi prælati vicinis epiſcopis & archiepiſcopis, ſuis etiam ſubditis denuncient, qui ad dimicationem [a] ſibi factam, in eccleſiis ſuis denunciare tenentur eoſdem Dominicis diebus & feſtivis.

[a] Cor. denunciationem

### IX.

*De non exequentibus ſententiam inquiſitorum.*

Item de non exequentibus ſententiam inquiſitorum, ſtatuimus, quod moneantur per inquiſitores vel loci diœceſanum: & ſi moniti, infra terminum competentem eis præfixum non paruerint, cenſura eccleſiaſtica compellantur. Et ſi nec ſic ſe emendaverint, tam diœceſanus, quam inquiſitores, contra eos clero ad hoc congregato & populo ſententialiter procedant, quaſi contra defenſores & fautores hæretico-

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

ticorum. Et ſententia, poſtquam lata fuerit contra eos, per ipſum qui eam tulit, vel per inquiſitores qui eam tulerunt, vicinis epiſcopis publicetur, ut eam denuncient & obſervent.

## X.

*De epiſcopis nolentibus denunciare vel ſervare ſententiam diœceſani vel inquiſitoris.*

Si quis vero epiſcoporum eam denunciare vel obſervare noluerit, donec faciat quod ſit denunciatum, ut ſit ei eccleſiæ ingreſſus interdictus.

## XI.

*Ut ab inquiſitoribus non admittantur in proceſſibus advocati.*

Item ne inquiſitionis negotium per advocatorum ſtrepitum retardetur, providendo ſtatuimus, quod ab inquiſitoribus non admittantur in proceſſibus advocati. Circa vero advocatos hæreticorum, fautores, & defenſores, conſtitutionem de hæreticis præcipimus obſervari.

## XII.

*De ſacrilegis & ſortiariis.*

Item de ſacrilegis & ſortiariis, quocumque nomine cenſeantur, & ſpecialiter de his qui magiſtri ſunt vel doctores in opere tam damnoſo, ſtatuimus quod ſi [illegible] fuerint, reddantur ſuo epiſcopo: &, ſi moniti non reſipuerint, immurentur, vel ad arbitrium epiſcopi puniantur.

## XIII.

*De deponentibus crucem ſibi impoſitam propter hæreſim: de aufugientibus e carcere: de contemptoribus excommunicationum.*

Item de illis qui propria temeritate crucem deponunt ſibi impoſitam propter hæreticorum pravitatem, ſtatuimus, quod ſine ſpe miſericordiæ crucem reſumere compellantur. Ita quod inquiſitores vel illi qui præſunt negotio, eis ultra non poſſint facere gratiam ſuper crucem. Et ſi moniti crucem reſumere noluerint, tanquam hæretici judicentur. Idem de illis ſtatuimus, qui de carceribus aufugiunt, nec moniti revertuntur. Item de contemptoribus excommunicationum, quantum ad eos qui ſunt in regno Franciæ, obſervetur illa conſtitutio, *Cupientes*, & concilium Apamiarum. Quantum ad alios qui non ſunt in regno, ſtatuimus quod ſi perſtiterint per ſex menſes in excommunicatione contumaciter, & moniti noluerint reſipiſcere, denuncientur infames & excommunicati in locis ubi morantur, & in locis vicinis: a qua infamia non niſi per ſedem apoſtolicam abſolvantur.

## XIV.

*Ut excommunicati, ad officia publica non eligantur.*

Item excommunicati, in conſules, poteſtates, rectores, aſſeſſores, bailivos, vel ad alia officia publica nullatenus eligantur: & qui tales ſcienter elegerint, excommunicentur, & nulla ſententia lata per ipſos, ſive eorum auctoritate, valeat, ſeu proceſſus habiti per eoſdem, ſive auctoritate ipſorum.

## XV.

*De iis qui banna faciunt contra excommunicatores vel denunciatores.*

Quia vero intelleximus quod excommunicati quidam ſtatuta quædam faciunt, præcepta ſeu banna contra excommunicatores vel denunciatores excommunicationum latarum, quod eſt quaſi hæreticum, & a diſciplina eccleſiaſtica alienum, dum directe fiat hoc in contemptum clavium & eluſionem ipſarum, quas ipſi nituntur infringere malitia obſtinata, licet excommunicati intelligantur per conſtitutionem domini Honorii. Quia tamen conſtitutionem illam contemnunt, ſtatuimus, quod quicumque ſtatutum, præceptum, bannum, interdictum, furni, molendini, ignis, aquæ, ſeu aliorum commerciorum, ſeu mandatum, fecerint contra excommunicatores vel denunciatores, apertum, tacitum vel occultum, denuncientur etiam propter hoc excommunicati. Et ſi moniti, infra decem dies non revocaverint, denuncientur excommunicati per totam provinciam, & etiam in vicinis provinciis, ſi videbitur expedire: & ceſſetur a Divinis in omnibus locis, ad quæ venerint taliter excommunicati, quandiu moram fecerint in eiſdem: nec abſolvantur, donec ſatiſfecerint competenter de damnis & injuriis illatis propter hoc eccleſiæ & perſonis eccleſiaſticis.

## XVI.

*Ut prælati excommunicatos, ſibi a diœceſano denunciatos, denuncient, & vitent.*

Præcipimus autem quod prælati omnes cum a diœceſano, qui excommunicationem tulit, ipſis fuerit denunciatum, prædictos denuncient, & illos vitent: & hoc medicinale ſtatutum inviolabiliter obſervent. Quod ſi non fecerint, ingreſſum eccleſiæ per menſem unum ſibi noverint interdictum.



ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

## XVII.

*De iis qui excommunicati publice, ſe officiis eccleſiaſticis ingerunt.*

Item excommunicati publice ſe officiis eccleſiaſticis pertinaciter ingerentes, nec volentes inde recedere ad ſacerdotis ſeu prælati mandatum, propter hoc excommunicentur, & a ſuo prælato excommunicati publice nuncientur, & non niſi per ſedem apoſtolicam ab hac excommunicationis ſententia abſolvantur.

## XVIII.

*De iis qui communicant frequenter cum excommunicatis.*

Item illi qui frequenter & quaſi ex conſuetudine ſcienter excommunicatis communicant in officiis vel menſa, tanquam communicantes in crimine, per ſuperiores ab ingreſſu eccleſiæ arceantur. Et ſi forte prælatus fuerit, per ſuperiorem ſuum juxta morem canonum puniatur.

## XIX.

*Ut ſerventur ſtatuta de clericorum interfectoribus, &c.*

Item de clericorum interfectoribus, bonorum eccleſiaſticorum raptoribus, eccleſiaſticæ libertatis violatoribus, & initis contra ſtatuta conciliorum ſocietatibus, ac reformandis clericorum ſæcularium vel religioſorum honeſtatibus, ſtatuta conciliorum ſuper his edita, & ſacrorum canonum inſtituta præcipimus inviolabiliter obſervari.

## XX.

*Ut conjurationes & confratriæ non fiant.*

Quia vero colligationes, ſocietates, confratriæ ſeu conjurationes, quocumque nomine cenſeantur, improbatæ ſunt a canonibus & conſtitutionibus conciliorum factorum per legatos Apoſtolicæ ſedis in partibus & provinciis iſtis, & omnino interdictæ & caſſatæ, & excommunicatio lata in factores: ideo de approbatione & conſilio prælatorum omnium, prædictas conjurationes, obligationes, ſocietates, confratrias civitatum, caſtrorum, baronum, civium, & aliorum exiſtentium in civitatibus, caſtris, villis, contra ſtatuta canonum & conciliorum factas relaxantes, diſſolvimus & caſſamus: decernentes ſacramenta præſtita ad prædicta obſervanda, illicita, a quibus eos qui hujuſmodi ſacramenta præſtiterunt, & pro juramento præſtito illicito a confeſſoribus ſuis pœnitentiam recipiant ſalutarem. Et niſi infra duos menſes poſt publicationem iſtorum ſtatutorum ſe adinvicem abſolverint, denuncientur, auctores, factores, tractatores, & defenſores, & fidejuſſores, pro his obſervandis, excommunicati. Et frequenter hæc diſſolutio & excommunicatio per prælatos in ſuis diœceſibus & in ſuis ſynodis, diebus ſolennibus & feſtivis publicentur, & faciant per ſubjectos ſibi prælatos vel presbyteros publicari. (Deeſſe hic aliquid videtur.)

## XXI.

*Ut excommunicentur qui pacem, requiſiti, non jurant.*

Item præcipimus excommunicari, & excommunicatos denunciari per prædictos prælatos, omnes illos qui noluerint pacem jurare, cum fuerint requiſiti, ſecundum ſtatuta pacis, & conciliorum edita per Apoſtolicæ ſedis legatos.

## XXII.

*Excommunicatio Friderici imp. & fautorum ejus.*

Item in præſenti concilio tulimus excommunicationem contra Fridericum, quondam imperatorem, hoc modo: Auctoritate beatorum apoſtolorum Petri & Pauli & domini papæ, qua fungimur, & concilii congregati, denunciamus Fridericum quondam imperatorem, fautores, adjutores, & conſiliatores ſuos, excommunicatos. Et anathematizamus & excommunicamus omnes illos, qui dictum Fridericum vocaverunt ad partes iſtas, vel vocaverint ad aliquem habentem poteſtatem ſuo nomine, & omnes illos qui dictum Fridericum vocaverint, & omnes illos qui ipſum receperint, vel aliquem nuncium ſuum, & oras quæ ipſum recipiunt, ſupponimus interdicto. Et niſi ad mandatum eccleſiæ venerint illi qui vocaverint, eum vel nuncios ſuos, ad poteſtatem exercendam in partibus iſtis, infra triginta dies: ipſos & alios qui vocaverunt eum, vel nuncios ſuos ad poteſtatem exercendam in partibus iſtis, denunciamus infames, quod nec ad poteſtariam, nec ad conſulatum, nec ad rectoriam, judicatum, tabellionatum, nec ad teſtimonium,

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

nium, nec ad alios actus legitimos admittantur: & ſi de facto admiſſi fuerint, ſententia per eos lata, & quidquid per eos factum fuerit, nullam habeat firmitatem,

### XXIII.

*De iis qui Friderico auxilium dederint, vel advocaverint,*

Item denunciamus excommunicatos clericos, prælatos, qui eidem Friderico dederint auxilium vel favorem. Et ſi tales ipſum vocaverint, denunciamus eos privandos ſuis beneficiis, & prælatos a dignitatibus ſuis deponendos, nec ab iſtis ſententiis aliquis abſolvi poſſit, niſi per dominum papam, vel alium de ſuo ſpeciali mandato.

Datum Valentiæ menſe Decembri, die Sabbati poſt feſtum B. Andreæ, anno Domini MCCXLVIII. pontificatus Domini Innocentii papæ IV. anno VI. præſentibus & conſentientibus venerabilibus patribus Narbonenſi, Viennenſi, Arelatenſi, & Aquenſi, archiepiſcopis: & epiſcopis Biterrenſi, Agathenſi, Uticenſi, Nemauſenſi, Lodovenſi, Agennenſi, Vivarienſi Maſſilienſi, Forojulienſi, Cavallicenſi, Carpentoratenſi, Avinionenſi, Vaſionenſi, Dienſi, & Tricaſtrenſi,

ANNO CHRISTI 1248.

## CONCILIUM TARRACONENSE,

PRÆSIDE PETRO ALBALATIO

Archiepiſcopo celebratum.

Ex Card. de Aguirre Concil. Hiſpan. tom. 3. p. 504.

ANno 1248. octavum Concilium celebravit Tarracone Petrus Albalatius, in quo ſtatutum eſt, ut poſt mortem Archiepiſcopi, vel alterius Prælati provinciæ Tarraconenſis, bona ejus Eccleſiaſtica ad manus aliquorum fide dignorum perveniant, ſecundum quod in eccleſia defuncti de conſuetudine eſt obſervatum. Eorum vero curæ erit ea diligenter conſervare futuro ſucceſſori. *Baluz. lib. 4. Marca Hiſpan.*

## [1]** CONCILIUM URATISLAVIENSE,

Quo pars quinta reddituum eccleſiaſticorum pont. max. conceſſa ad triennium, anno Dom. MCCXLVIII.

E 3. 4. 31

ANno Domini MCCXLVIII. (inquit Matthæus Michovienſis,) Jacobus Leodienſis archidiaconus, Innocentii papæ IV. ex concilio Lugdunenſi legatus in Poloniam venit, & ſynodum apud Uratiſlaviam egit. Ad quam Fulco Gneznenſis archiepiſcopus, Prandotha Cracovienſis, Boguphalus Poſnanienſis, Thomas Uratiſlavienſis, Michael Uladiſlavienſis, Andreas Plocen. Nankerus Lubucenſis, Henricus Culmenſis, epiſcopi, venerunt, & nomine Apoſtolicæ ſedis, expoſitis pluribus anguſtiis ejuſdem ſedis, medietatem fructuum per tres annos continuos pro relevamine popoſcit. Pontifices vero eccleſiæ Polonicæ, quintam partem fructum ſuorum beneficiorum, & ſui cleri obtulerunt. Et ſummo pontifici, per Gothfridum pœnitentiarum cito tranſmiſerunt.

Et quia vetus obſervantia in regno Poloniæ ab initio fidei ſuſceptæ, in illam diem tenta cuſtodiebatur, ut jejunium quadrageſimale a Dominica ſeptuageſimæ in diem Paſchæ continuaretur, cum frequenti prævaricatione, & gravi diſcordia inter clerum & laicos: ideo inter præfatum Jacobum Leodienſem archidiaconum legatum Papæ, ac pontifices eccleſiæ Polonorum, hujuſmodi conſuetudine a Romana eccleſia, & aliis regnis Catholicæ religionis diſcrepante, ventilata, auctoritate apoſtolica, & conſenſu præſentium pontificum, prædictus Jacobus legatus, tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus perſonis, eſum carnium, ad diem cinerum excluſive conceſſit, ab eoque tempore Dominica ſeptuageſimæ a Polonis vetus carniſprivium nominari cœpit, & ita hactenus nominatur.

G. C. Concilii hoc anno Uratiſlaviæ habiti, auctorem alium affert Raynaldus, nempe Longinum, cujus hiſtoria Polonica MS. uſus eſt. Quæ ex Michovienſi protuli, ampliora ſunt, quam quæ hic ex Longino ſuo: qui tamen hæc habet peculiaria: tertiam tantum partem reddituum poſtulatam fuiſſe, cum mediam affirmet Michovienſis; poſtulatam autem ad reſiſten dum Friderico: ad ineundam a pontifice gratiam, pecuniam omnem tribus annis colligendam, certo & conſtituto die in unum fuiſſe redactam: Goffridum per quem miſſa eſt, pœnitentiarium apoſtolicum fuiſſe: actas a pontifice epiſcopis & clero Poloniæ gratias.

[1] Decreta hujus concilii extant in tomo ſequenti in conc. Tarracon. 1329.

CON-



ANNO CHRISTI 1249.

## CONCILIUM MULDORFENSE

A PHILIPPO ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI

Celebratum, anno Chriſti 1249.

Ex Hanſizii Germ. ſac. tom. 1. pag. 346.

DE eo hæc *Chronographus Salisburgenſis a Caniſio editus ad an.* 1249. Concilium ad mandatum domini Papæ apud Muldorf [*municipium eſt ditionis Juvavenſis*] a domino electo Philippo celebratur, cui interfuerunt Friſingenſis, Ratiſbonenſis, & Sekowenſis Epiſcopi cum aliquantis Prælatis; ubi Dux Bavariæ citatus tam per ſententiam excommunicationis, quam gladio materiali ad Romanam eccleſiam redire, & ei contra dominum Fridericum adhærere compelli debebat. Quod tamen quadam forma alia treugarum eſt intermiſſum. Aventinus inter Concilii collegas etiam Chiemenſem adnumerat, ac more ſuo Ducem Ottonem ad Patres perorantem, ac fœda quæque in ordine ſacrum effundentem inducit. Exprobrabat Otto; quod cum impulſu Epiſcoporum ad Friderici ſigna tranſierit, nunc mutata ſententia ad eumdem deſerendum compelleretur. Juravit tamen ſe contra eccleſiam in nullo proceſſiſſe, ſpoponditque pariter juratus, ſe nec deinceps contra eam proceſſurum. Inde inducias ei datas ad Kalendas Maii teſtatur modo dictus Aventinus; quæ tamen a Papa ſunt ad feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ prorogatæ.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1250.

## ** CONSTITUTIONES PROVINCIALES EBORACENSES,

Per dominum VValterum Gray, quondam archiepiſcopum Eboracenſem.

Ex codice MS. Bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

DEcretum Domini Waltery Gray, quondam archiepiſcopi Eboracenſis, Angliæ primatis, & Apoſtolicæ ſedis legati, editum apud Eboracum, tempore viſitationis ſuæ, tam ad honorem Dei, & eccleſiæ Eboracenſis, ac omnium eccleſiarum per totam provinciam exiſtentium, quam doctrinam, præſentem informationem, & memoriam omnium futurorum.

Cum plerumque inter rectores eccleſiarum, ſeu vicarios, in provincia Eboracenſi conſtitutos, eorumdemque parochianos, ſuper variis ornamentis, rebuſque eccleſiaſticis, altercatio non modica ſit exorta: ideo quanta, quæ, & qualia ad rectorem, ſeu vicarios eccleſiarum, per totam provinciam Eboracenſem conſtitutos, ſuſtentationem, & reparationem pertineant, quæ autem ad parochianos eorum de rebus, ac ornamentis eccleſiaſticis reparandis pertinere noſcuntur, per ſubſcripta ſcilicet clericis omnibus eluceſcat. Et ideo ordinamus & ſtatuimus, ut parochiani noſtri omnes & ſinguli exiſtant ſic docti in ſingulis ſubſequentibus, ut ſciant & intelligant, atque obſervent totaliter univerſi, videlicet quod calix, miſſale, veſtimentum ipſius eccleſiæ principale: videlicet caſula, alba munda, amictus, ſtola, manipulus, zona, cum tribus tuellis, corporalia, & alia veſtimenta pro diacono honeſta, juxta facultates parochianorum & eccleſiæ, cum cappa ſerica principali, pro principalibus feſtis: & cum duabus aliis, pro choris regendis, in feſtis ſupradictis: crux proceſſionalis, & alia crux minor pro mortuis: & feretrum pro mortuis: vas ad aquam benedictam: oſculatorium, candelabrum ad cereum Paſchale: thuribulum, lucerna cum tintinnabulo: velum quadrageſimale: duo candelabra pro ceroferariis. De libris, legenda, antiphonale, graduale, pſalterium, troparium, ordinale, miſſale, manuale: frontale, ad magnum altare, tria ſuperpellicia: pyxis pro corpore Chriſti honeſta: vexilla pro Rogationibus, campanæ magnæ cum chordis ſuis: fons ſacer cum ſerura: chriſmatorium, imagines in eccleſia, imago principalis in cancello, de quo ſancto dedicatur eccleſia. Reparatio librorum & veſtimentorum, quotiens contigerit emendari, cum omnibus ſupradictis. Luminare in eccleſia: reparatio navis eccleſiæ, & conſtructio ejuſdem, cum campanili, interius & exterius: ſcilicet feneſtris vitreis, cum clauſura cœmeteriorum, cum aliis navis eccleſiæ, & ſingulis aliis, quæ ad ipſos pertinere noſcuntur.

Ad rectores vero, vel vicarios, juxta varias ordinationes, omnia alia pertinebunt: ſcilicet cancellus principalis, cum ejuſdem reparatione, tam parietibus, quam tecturis, & feneſtris vitreis eidem pertinentibus, cum deſcis & ſcammis, & aliis ornamentis honeſtis: ut cum Propheta cantare valeant: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, &c.* cum manſo rectoriæ, & ejus reparatione hinc inde: & alia, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Noverint ſe rectores, vel vicarios, a locorum ordinariis compelli poſſe, ſecundum conſtitutionem, & alias in hac parte probatas, &c. Pſal. 25.

*De decimis fœni, agnorum, lacticinii, molendinorum, paſturæ, piſcariorum, apum, & lucri negotiationis.*

QUoniam, propter diverſas conſuetudines in petendo decimam, propter diverſas cauſas, inter rectores eccleſiarum & parochianos ſuos, rixæ & contentiones, ſcandala & odia permaxima oriuntur: volumus, quod in cunctis eccleſiis parochialibus, per archiepiſcopatum vel archidiaconatum conſtitutis, uniformis ſit petitio decimarum. & proventuum eccleſiaſticorum, niſi parochiani competentem, pro talibus decimis, velint facere redemptionem.

Volumus etiam, quod decimæ de fœnis, ubicumque creſcant, ſive in magnis pratis, ſive in parvis; ſive in chevicis, exigantur: & prout expedit, eccleſiæ perſolvantur.



De

ANNO CHRISTI 1250.

De nutrimentis animalium, volumus, ſi de agnis, quod pro ſex & infra, ſex obolos dentur, pro ſeptem ſeptimus agnus, & ſupra ſemper detur pro decima: ita tamen, quod rector eccleſiæ, qui ſeptimum agnum receperit, tres obolos det: denarium parochiano, qui nonum det obolum, vel expectet rector eccleſiæ uſque ad alterum annum, donec poſſit decimum agnum habere, ſi maluerit: & qui ita expectabit, ſemper exigat ſecundum meliorem agnum, vel tertium ad minus de agnis ſecundi anni, & hoc propter expectationem primi anni. Et ita intelligendum eſt de decima lanæ.

Sed ſi oves alibi in hieme, alibi in æſtate nutriuntur, dimidia datura eſt: ſimiliter, ſi quis in medio tempore emit, vel vendiderit oves, & certum ſit de qua parochia oves illæ venerunt, dividenda eſt decima, ſicut de re, quæ adquiritur ex militia. Si autem incertum fuerit, habeat illa eccleſia, infra cujus limites, tempore tonſionis oves inveniuntur.

De lacte, volumus quod decimæ ſolvantur, dum durat: videlicet de caſeo in tempore ſuo, & de lacte in autumno & in hieme, niſi parochiani competentem velint, pro decimis talibus, facere redemptionem, & hoc ad commodum eccleſiæ.

De provenientibus molendinorum, volumus, quod decimæ exigantur & ſolvantur, uſque ad valorem proventuum faciant redemptionem.

De paſturis autem, piſcariis, tam communibus, quam non communibus, ſtatuimus, quod decimæ fideliter perſolvantur, & per numerum animalium & dierum, ſi expediat eccleſiæ.

De piſcationibus autem & apibus, ſicut de omnibus aliis bonis juſte adquiſitis, quæ renovantur per annum, ſtatuimus, quod decimæ exigantur, & hoc debito modo. Statuimus autem, quod decimæ de artificibus, & mercatoribus, & lucro negotiationis, ſive de arentaria, fabris, textricibus, & omnibus aliis ſtipendiariis; videlicet det decimas de ſtipendiis ſuis, niſi ipſi ſtipendiarii aliquod certum ad opus, vel ad lumen in eccleſia velint dare: & hoc, ſi rectori placuerit.

In petitione autem principalis legati volumus, quod conſuetudo provinciæ cum poſſeſſione eccleſiæ obſervetur: ita tamen, quod rector eccleſiæ, fuerit vicarius, ſeu capellanus annuus, Dominum habeat præ oculis.

Sed quoniam multi inveniuntur decimas dare nolentes: ſtatuimus, quod parochiani admoneantur ſemel, ſecundo, & tertio, ut decimas Deo & eccleſiæ ſolvant; quod ſi non emendaverint, primo ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendantur, & ſic demum, ad ſolutionem, per cenſuram eccleſiaſticam ſi neceſſe fuerit, compellantur. Sed cum dictæ ſuſpenſionis relaxationem & abſolutionem petierint, ordinariis locorum mittantur abſolvendi, & debito modo puniendi. Rectores ergo eccleſiarum, ſeu vicarii, capellani annui, qui prædictas decimas modo præſcripto, ſeu propter formidinem hominum, ſeu favorem Dei timore poſtpoſito, cum effectu non petierint, pœna ſuſpenſionis involventur, donec dimidiam marcam, propter inobedientiam, archidiacono loci perſolverint.

ANNO CHRISTI ....

## ** CONCILIUM EBORACENSE

### De ornamentis eccleſiæ, ab eodem VValtero Gray, incerto anno celebratum.

Ex MS. codice bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

DEcretum domini Walteri Gray archiepiſcopi Eboracenſis, Angliæ primatis, & Apoſtolicæ ſedis legati, editum apud Eboracum tempore viſitationis ſuæ, tam ad honorem Dei & eccleſiæ Eboracenſis, ac omnium eccleſiarum per totam noſtram provinciam exiſtentium, quam doctrinam præſentium, informationem & memoriam omnium futurorum.

Cum plerumque inter rectores eccleſiarum ſeu vicarios, in provincia Eboracenſi conſtitutos, eorumdemque parochianos, ſuper variis ornamentis rebuſque eccleſiaſticis, altercatio non modica ſit exorta: & ideo, quanta, quæ, & qualia, ad rectores ſeu vicarios eccleſiarum, per totam provinciam Eboracenſem conſtitutos, ſuſtentationem & reparationem pertineant; quæ autem ad parochianos eorumdem, de rebus ac ornamentis eccleſiarum reparandis pertinere noſcuntur, per ſubſcripta, ſole clarius omnibus eluceſcat. Et ideo ordinamus & ſtatuimus, ut parochiani noſtri omnes & ſinguli exiſtant ſic docti in ſingulis ſubſequentibus, ut ſciant & intelligant atque obſervent totaliter univerſi; videlicet quod calix, miſſale, veſtimentum ipſius eccleſiæ principale: videlicet caſula, alba munda, amictus, ſtola, manipulus, zona, cum tribus touvellis, corporalia & alia veſtimenta, pro diacono & ſubdiacono honeſta, juxta facultates parochianorum & eccleſiæ, cum cappa ſerica principali pro principalibus feſtis, & cum duabus aliis pro choris regendis in feſtis ſupradictis: crux proceſſionalis, & altera crux minor pro mortuis: & feretrum pro mortuis: vas [illegible] benedictam, oſculatorium, candelabrum ad cereum Paſchale, thuribulum, lucerna, cum tintinnabulo, velum quadrageſimale: duo candelabra pro ceroferariis. De libris, legenda, antiphonale, graduale, pſalterium, troparium, ordinale, miſſale, manuale: frontale ad magnum altare, tria ſuperpellicia, pyxis pro corpore Chriſti honeſta: vexillum pro Rogationibus, campanæ magnæ cum chordis ſuis: fons ſacer, cum ſerura: chriſmatorium, imagines in eccleſia; imago principalis in cancella, de quo dedicatur eccleſia: reparatio librorum & veſtimentorum quoties contigerint emendari, cum omnibus ſupradictis lin...... in eccleſia: reparatio navis eccleſiæ & conſtitutio ejuſdem, cum campanili interius & exterius, ſcilicet feneſtris vitreis, cum clauſura cœmeteriorum, cum aliis navis eccleſiæ, & ſingulis aliis, ab ipſos parochianos pertinere noſcuntur.

Ad rectores vero vel vicarios, juxta varias ordinationes, omnia alia pertinebunt; ſcilicet cancellus principalis, cum ejuſdem reparatione, tam parietibus quam tecturis & feneſtris vitreis, eidem pertinentibus, cum deſcis & ſcamnis, ac aliis ornamentis honeſtis, ut cum propheta cantare valeant. *Domine dilexi decorem domus tuæ, &c.* cum manſo rectoriæ, & ejus reparatione hinc inde, & alia quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, noverint ſe rectores vel vicarios a locorum ordinariis compelli poſſe, ſecundum hanc conſtitutionem, ac alias in hac parte probatus, &c.

CON-



ANNO CHRISTI 1251.

## ** CONCILIUM INSULANUM

### Ab Arelatenſis provinciæ præſulibus, præſide Joanne Bauciano archiepiſcopo celebratum anno Dom. MCCLI.

Ex Coſſart. Append. Tom. XI.

Prodit nunc primum ex cod. MS. eminentiſſimi cardinalis Chiſii: in quo ſic inſcribitur, *Concilium ſecundum domini Joannis.*

TITULI CANONUM.


I. *Ut fides catholica frequenter prædicetur.*
II. *Ut fiat inquiſitio hæreticorum.*
III. *Ut bona hæreticorum a prelatis occupentur.*
IV. *Ut ſententia excommunicationis ſervetur, & puniantur contemptores.*
V. *Ut decimæ exigantur & prædicentur.*
VI. *Ut teſtamenta in præſentia præsbyteri fiant.*
VII. *Ut canonica portio ſolvatur.*
VIII. *Ut coerceantur exceſſus privilegiatorum.*
IX. *De pignorantibus eccleſias vel prebendas.*
X. *De pedagiis & ſalinariis.*
XI. *De confratriis & conſpirationibus.*
XII. *De precibus pro negotio terræ ſanctæ faciendis*
XIII. *De clandeſtinis matrimoniis.*


PRÆFATIO.

HÆc ſunt ſtatuta, per dominum Joannem Dei gratia ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopum, apud Inſulam in provinciali capitulo facta, & renovata, præſentibus & conſentientibus auctoritatem præſtantibus, venerabilibus in Chriſto patribus R. Cavallicen. B. Maſſilien. G. Carpentoraten. B. Tricaſtrino. R. Tolonen. & P. Auraicen. epiſcopis. Dominis Joan. Avinionenſi, & S. Vaſionenſi, etiam epiſcopis, ſe canonice excuſantibus, ſed tamen aliis...... committentibus vices ſuas; præſentibus etiam pro majori parte abbatibus, & præpoſitis, & prioribus conventualibus provinciæ Arelatenſis, an. Dom. MCCLI. die Martis poſt feſtum Exaltationis ſanctæ crucis.

CANONES.

I.

*Ut fides catholica frequenter prædicetur.*

An. 1234. c. 1.

PRimum capitulum de fide catholica frequenter prædicanda, ſcilicet ſecundum quod in Arelatenſi concilio olim noſcitur conſtitutum.

II.

*Ut fiat inquiſitio hæreticorum.*

Item de inquiſitione hæreticorum obſervetur, quod ſtatutum eſt in canonibus & ſtatutis conciliorum: & fiat dicta inquiſitio a quolibet epiſcopo in ſua diœceſi: & ſcripta olim facta requirantur a Prædicatoribus & ab aliis qui ea habent, tam auctoritate ordinaria, quam auctoritate hujus concilii.

III.

*Ut bona hæreticorum a prælatis occupentur.*

Inſuper addentes quod bona hæreticorum ſub dominio & juriſdictione eccleſiarum exiſtentium, a prælatis ipſarum eccleſiarum occupentur. Si quis autem alius bona talium, ſive mobilia vel immobilia, in præjudicium dictarum eccleſiarum, vel prælatorum, per ſe vel per alium invadere, occupare, ſeu confiſcare præſumpſerit; ſit uterque ex tunc ipſo facto excommunicationis ſententia innodatus, poteſtate abſolvendi domino archiepiſcopo, & diœceſano loci, congrua ſatisfactione præmiſſa, auctoritate præſentis concilii reſervata.

IV.

*Ut ſententia excommunicationis ſervetur, & puniantur contemptores.*

Item ſententia excommunicationis, cum debita admonitione & maturitate proferatur, & ab omnibus tam privilegiatis, quam aliis inviolabiliter obſervetur: & contra contemptores excommunicationum, ſervetur quod continetur in concilio "Valentino. Et ſi ulterius contempſerint, puniantur pecuniaria pœna contemptores, ut continetur in concilio Arelatenſi, ſi hoc poterit per temporales dominos obtineri.

" An. 1248. c. 17. — An. 1234. c. 13.

V.

*Ut decimæ exigantur & prædicentur.*

Item de decimis ſtatuimus, quod exigantur & prædicentur frequenter ſecundum tenorem litterarum domini papæ, & ſolvantur eccleſiis vel prælatis, quibus de jure debentur.

VI.

*Ut teſtamenta in præſentia presbyteri fiant.*

Item de teſtamentis faciendis in præſentia rectoris eccleſiæ, vel parochialis ſacerdotis, ſervetur quod ſtatutum eſt in dicto concilio." Arelatenſi, & concilio Toloſano ".

" c. 21. " An. 1229. c. 16.

ANNO CHRISTI 1251.

VII.

*Ut canonica portio ſolvatur.*

Item ſtatuimus, quod canonica portio exigatur & ſolvatur ſecundum canonicas ſanctiones.

VIII.

*Ut exceſſus privilegiatorum coerceantur.*

Item ſuper exceſſibus privilegiatorum coercendis ſervetur conſtitutio domini Innocentii IV. quæ incipit, *Volentes*[a].

[a] De privileg. in 6.

IX.

*De pignorantibus eccleſias vel præbendas.*

Item ſtatuimus, quod quicumque authoritate vel temeritate propria, eccleſias vel eccleſiaſticas præbendas pignoraverit, vel gadiaverit; ſeu bona eorum invaſerit, ſeu occupaverit violenter, niſi intra VIII. dies ſuper hoc ſatisfecerit, ſit extunc ipſo facto excommunicationis ſententia innodatus. Diœceſano tamen epiſcopo ab hac excommunicationis ſententia abſolvendi, authoritate concilii, concedimus poteſtatem.

X.

*De pedagiis & ſalinariis.*

Item de novis pedagiis & ſalinariis, quæ per Arelatenſem provinciam exiguntur, ſervetur quod in Avenionenſi[b] & Arelatenſi[c] conciliis continetur.

[b] Ann. 1209. c. 6.
[c] Ann. 1234. c. XXI.

XI.

*De confratriis & conſpirationibus.*

Item ſuper confratriis, conjurationibus, conſpirationibus, colligationibus, ſocietatibus, vel quocumque nomine cenſeantur, vocentur pacta ſeu conventiones, ſervetur quod ſtatutum eſt in concilio[a] Valentino: hoc addentes, quod ſi qui ad enervandam cenſuram eccleſiaſticam, vel ut contumaciter perdurent in excommunicatione, prædicta pacta vel conventiones inire præſumpſerint contra jura eccleſiaſtica, ſive ante excommunicationem ſive poſt, dicta pacta, conventiones, vel etiam vota, vel promiſſiones, prorſus irrita habeantur & denuncientur, ſicut in dicto concilio continetur.

[a] Ann. 1248.

XII.

*De precibus pro negotio terræ ſanctæ faciendis.*

Item pro negotio terræ ſanctæ dicatur pſalmus, *Deus venerunt gentes*; oratio, *Deus qui admirabili providentia*; ſicut fieri conſuetum.

XIII.

*De clandeſtinis matrimoniis.*

Item clandeſtina conjugia fieri prohibemus: quæ ſi facta fuerint, procedatur contra contrahentes ſecundum canonicas ſanctiones.

# STATUTA SEU CONSTITUTIONES ECCLESIÆ LUGDUNENSIS

## Anno Domini MCCLI.

Ex Tomo IX. Spicilegii.

NOs Philippus Dei gratia primæ Lugdunenſis eccleſiæ electus, notum facimus Univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod oblatis nobis in ſcriptis ab A. decano & capitulo dictæ eccleſiæ noſtræ quibuſdam ſtatutis, ſeu conſtitutionibus eccleſiæ memoratæ: cum eaſdem pias & laudabiles invenerimus, ad inſtantiam & requiſitionem dicti Capituli eas approbamus & confirmamus: præcipientes eas inviolabiliter cuſtodiri, eaſque ſub ſigillo noſtro & capituli de verbo ad verbum inſeri fecimus in hunc modum.

I.

Statutum eſt ut omnes canonici in ſua inſtitutione jurent, quod ſervent ſtatuta & conſuetudines eccleſiæ, & permutationem comitis forenſis: & quod nullo modo conſentiant ut terræ eccleſiæ a commutatione fratrum Deo & ſancto Stephano in propriis perſonis ſervientium abſtrahantur: & quod nulli dentur, niſi clericis in eadem eccleſia continue reſidentibus: & quod nullus admittatur in canonicalem ſocietatem, niſi iſta juraverit.

II.

Jurant etiam, quod in nullum clericorum de corpore eccleſiæ manus injiciant violentas, vel in habitationem, aut familiam ipſius.

III.

Jurent etiam, quod eleemoſynam pro poſſe ſuo adimplebunt.



ANNO CHRISTI 1251.

IV.

Pro reſidente autem habetur, qui procurationem continuam in propria domo vel aliena fecerit, & in eccleſia fecerit ſeptimanam. Alii vero, qui de bonis eccleſiæ tantum non habent, quod procurationem facere teneantur ſecundum ſtatuta eccleſiæ, & habent certum hoſpitium proprium vel alienum, & in eccleſia faciunt ſeptimanam, & pro majori parte anni ſerviunt in propriis perſonis, pro reſidentibus habentur.

V.

Sunt autem in eadem eccleſia majores canonici, & alii minores præbendarii, & iterum duodecim capellani: quorum nullus in ſua inſtitutione percipit beneficium temporale, præterquam quotidianam refectorii diſtributionem.

VI.

Bona vero canonicorum cedentium vel decedentium in commune reſervantur, donec tantum de bonis vacaverit, quod inde poſſit commode fieri diviſio inter fratres.

VII.

Statutum eſt, & perpetua inhibitione firmatum, ne ſucceſſiones in ipſa eccleſia de cetero fiant, & ne refectoria in diviſione terrarum alicui in beneficium aſſignentur.

VIII.

Item ſtatutum eſt & juramento firmatum, ut canonico habenti in ipſa eccleſia CCC. ſolidos reditus, ſi de vavaſſoribus fuerit, nihil amplius in diviſionibus faciendis de cetero detur, niſi infra annum a complemento redituum prædictorum convivium continuum fecerit, & perſeveraverit. Si vero de minoribus fuerit caſtellanis, habens ab eadem reditus viginti libras, ſupradictæ ſubjacebit obnoxius conditioni. Si autem de majoribus fuerit, videlicet comitibus, ducibus, ſive baronibus, habens ab ipſa eccleſia reditus triginta libras, præfatæ conditioni ſubjacebit. Hoc idem ſtatutum eſt de præbendariis, ſi VII. libras in reditibus ab eccleſia habuerint; & de duodecim capellanis, ſi centum ſolidos in reditibus habuerint: quod videlicet nihil amplius percipiant, niſi infra annum a complemento redituum prædictorum, convivium continuum faciant & perſeverent.

IX.

Item ſtatutum eſt, ut canonici, & omnes alii qui in ipſa eccleſia habent præbendas, ſi ad ſcholas profecti fuerint, quamdiu ibi ſtudere voluerint, plenam & integram refectorii præbendam habeant: niſi tales fuerint, qui ab ipſa eccleſia XV. libras reditus ſint conſecuti, quibus prædicta non erit conceſſa præbenda.

X.

Statutum eſt, ut decanus, & cuſtos ſancti Stephani, ſacriſta, & magiſter officium presbyterorum, & archidiaconus, officium diaconi faciant, poſtquam fuerint officia dignitatum adepti.

XI.

Item ſtatutum eſt, ut nullus in numero duodecim ſacerdotum admittatur, qui eccleſiam habeat vel teneat per ſe, ſive per vicarium perpetuum vel temporalem: & eo ipſo quod in prædicto numero admittitur, amittat eccleſiam, ſi quam habet, & patronus illius eccleſiæ de ea ſtatim valeat ordinare: & ſi poſtea eccleſiam receperit, eo ipſo videatur renunciaſſe capellaniæ noſtræ.

XII.

Statutum eſt de morientibus, ut reditus ſuos a tempore mortis ſuæ uſque ad annum percipiant. De tranſeuntibus vero ad religionem idem eſt conſtitutum. Quod ſi in archiepiſcopum vel in epiſcopum aliquis fuerit promotus: reditus ſuos amittit, poſtquam dignitatem illam pleno jure fuerit aſſecutus.

XIII.

Uni perſonæ duo perſonatus non concedantur.

XIV.

In refectorio cibaria & denarii, qui pro cibariis dantur, æqualiter dividantur.

XV.

Electus ad ſacros ordines, a quibus eligi debet quadrageſima die ante ordinationem, vel eo amplius præmonitus, ſi recipere contempſerit; donec ſatisfaciat, in choro & refectorio non recipiatur.

XVI.

Supra chorum antequam ſubdiaconus fiat, nullus recipiatur: & ante nec vocem habet in capitulo, nec aliquid percipit in diviſione terrarum. Cum autem aliquis levandus fuerit ſupra chorum habito ſuper hoc tractatu in capitulo & licentia obtenta, ſi fuerit de dextro choro levatur a præcentore, ſi de ſiniſtro fuerit, a cantore. Ordo diaconatus levat omnes canonicos ſupra chorum, & quatuor de præbendariis eccleſiæ ſcilicet dapiferum, panetarium, pincernam refectorii, & magiſtrum ſcholarum. Ordo ſacerdotalis levat omnes ſupra chorum.

XVII.

Item in choro Lugdunenſis eccleſiæ nullus admittitur, niſi de legitimo matrimonio natus, nec qui de religione exierit: nullus etiam clericus admittitur, niſi habeat dominum de eccleſia, in cujus domo continue procuretur, qui a domino ſuo per ſe vel aliquem de clericis ſuis per jus præſentandus eſt eccleſiæ ſanctæ crucis, & ibi debet per duos menſes vel amplius deſervire. Poſtea vero eccleſiæ ſancti Stephani debet præſentari, & ibi per quatuor ad minus deſervire. In quibus duabus eccleſiis, videlicet ſanctæ crucis, & ſancti Stephani, quæ contiguæ ſunt majori eccleſiæ, & officia ſua inchoant ſimul cum ea, per dictos VI. menſes debet inſtrui in modo legendi, pſallendi, cantandi, ſupplicandi, intrandi, & egrediendi, & aliis pertinentibus ad eccleſiæ religionem. Poſtmodum vero introducitur

ANNO CHRISTI 1251.

citur in majori eccleſia per cantores ejuſdem eccleſiæ, & magiſtrum, quibus eſt præſentandus.

XVIII.

Poſt quartum verſum primi pſalmi cujuſlibet horæ vel officii nullus debet intrare chorum, niſi in diebus qui non habent invitatorium: ſcilicet in Epiphania cum ſuis octavis, die cœnæ Domini, Paraſceves, & Sabbato ſancto; in quibus ad totum primum pſalmum matutinum poteſt intrari. Poſtquam autem intraverit, non debet ibi ſedere, cujuſcumque ſit dignitatis vel ordinis, niſi dum leguntur lectiones & reſponſoria, & officium mortuorum, nec aliqua occaſione debet exire, niſi ſanguinem naſus ſtillaverit, vel alia gravi infirmitate, vel neceſſitate proprii corporis urgente: quæ niſi fuerit exterius manifeſta, manu naſo ſuppoſita, & deguttatione ſanguinis ſimulata, exire [a] licet: & ſi fuerit de ſupra chorum, exire debet poſt eum aliquis clericus de ſub choro, cauſa ſocietatis & ſervitii, ſi neceſſe fuerit, impendendi. Similiter a principio Miſſæ uſque ad finem non debet aliquis in choro ſedere, nec etiam dum epiſtola legitur: niſi cum ſecreta Miſſæ dicuntur: & tunc licitum cuilibet pro arbitrio vel ſedere, vel ſtando verſa facie ad orientem orare.

a Forte non licet. Mard.

XIX.

Canonici ſacerdotes, & duo cuſtodes ſanctæ crucis, debent Miſſas Dominicas & matutinales ad altaria ſancti Stephani & ſancti Joannis: & nullus admittitur ad celebrandum in dictis altaribus, niſi canonicus ipſius eccleſiæ, vel archiepiſcopus, ſive epiſcopus cujuſcumque loci vel eccleſiæ, vel abbas diœceſis Lugdunenſis. Evangelium vero vel epiſtolam nullus debet legere ad Miſſas Dominicas, niſi canonicus. Singulis diebus Dominicis & feſtivis, ſacerdoti canonico Miſſam Dominicam celebranti debent aſſiſtere duo minores ſacerdotes, vicarii duorum canonicorum ſacerdotum, unus a dextra parte altaris, & alius a ſiniſtra. Similiter diaconus evangelium lecturus, debet habere duos minores diaconos ſibi hinc inde aſſiſtentes ſimilibus dalmaticis reveſtitos. Similiter autem ſubdiaconus canonicus debet habere duos collaterales ſubdiaconos duorum canonicorum vicarios ſimilibus tunicis reveſtitos. Si vero diaconus canonicus, vel ſubdiaconus evangelium vel epiſtolam lecturus defuerit, & officium ſuum per ſe, vel per alium canonicum non fecerit, vel qui vicarium habere tenetur non habuerit: quot vicibus defecerit, debet tres libras ceræ pro ſingulis defectibus, luminaribus eccleſiæ applicandas. Item in majoribus feſtivitatibus, ſcilicet beatæ Mariæ, & ſimilibus, debent eſſe quinque ſacerdotes, & quinque diaconi, & totidem ſubdiaconi, in præcipuis autem feſtivitatibus, videlicet natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, & natali ſancti Joannis evangeliſtæ, & die Cœnæ, ſi chriſma conficiatur, debent eſſe VII. ſacerdotes, & VII. diaconi, & totidem ſubdiaconi, & totidem ceroferarii.

XX.

A prima pulſatione quæ fit ad matutinas, uſque dum finita fuerit Miſſa & hora meridiana, & conventus exierit de eccleſia; & iterum a ſecunda pulſatione quæ fit ad horam nonam, uſque dum finitum fuerit completorium, & conventus exierit; non debet aliquis de clericis eccleſiæ in habitu ſæculari tranſire ante eccleſiam, vel manere in plateis quæ ſunt in facie, vel proſpectu eccleſiæ, niſi tranſeat equitando. Ad ultimam quoque pulſationem cujuſlibet horæ vel officii, non debent clerici ſedere ante eccleſiam, vel infra ante chorum, ſed in choro. Dum cantatur in eccleſia a conventu, nullus debet ante eccleſiam ſtare vel ſedere. Finitis horis vel officiis, dum conventus exit de eccleſia, qui officiis non interfuerunt, non debent apparere in eccleſia vel extra in locis quæ proſpici poſſunt ab eccleſia, ſtando, ſedendo, vel aliquo modo; nec etiam in domibus ad feneſtras. Eodem modo cavere debent qui proceſſioni non interfuerunt, quando conventus in proceſſione exit vel revertitur, ne a conventu videantur, vel aliquo de conventu. Ex quo nox fuerit, in domo cujuſquam laici vel ante fores ejus clericus non moretur, nec per vicum incedat. Si neceſſitas coegerit, equo tranſeat & non ſolus. Qui autem contra fecerit, ſi bis vel ter commonitus ſe non correxerit, donec ſatisfaciat, in choro & refectorio non recipiatur.

Si quis de clericis eccleſiæ die feſto extra villam fuerit, non debet clauſtrum vel eccleſiam intrare, nec procurationem habere ea die, nec eleemoſyna pro eo. Si vero præſens fuerit, & matutinis non interfuerit die feſto, non debet per clauſtrum incedere, nec in publicum exire, nec ad feneſtras ſe oſtentare: & ea die procurationem amittit, & eleemoſynæ applicatur. Si autem duobus profeſtis diebus continue defuerit matutinis, quorum utroque præſens extitit: poſteriori die nec chorum intrare debet, nec in refectorio procurationem habere, ſed iterum eleemoſynæ applicatur, niſi infirmus fuerit vel minimus.

XXI.

Statutum eſt etiam, ut quicumque honores eccleſiæ, quæ obedientiæ appellantur, vel habent vel habituri ſint, quot diebus in refectorio ex obedientiæ debito fratribus refectionem debent, tot menſuras ſiliginis quæ mornantesii appellantur, minori eleemoſynæ, quæ quotidie pauperibus erogatur, præſtare debent & totidem menſuras, omni poſtpoſita occaſione, eleemoſynario ab eccleſia communiter inſtituto, uſque ad feſtum ſancti Michaelis annuatim ſolvere tenentur. Quam annonam dictus eleemoſynarius fideliter debet conſervare, ut tempore famis pauperibus erogetur: & in alios uſus vel ex parte vel ex toto non expendatur. Qui autem ſtatuto tempore non ſolverit, ab eccleſia, & choro, & capitulo, excluſus ſit.

XXII.

Si quis clericus de ſupra chorum pro delicto fuerit verberandus, a decano debet in capitulo verberari: alii vero de ſub choro a cantoribus vel magiſtro verberandi ſunt in ſchola eccleſiæ.

Addimus etiam nos & dictum capitulum ſupradictis hoc ſtatutum.

XXIII.

Statuimus & juramento firmamus, quod quilibet canonicus, ſeu alius beneficiatus, non habeatur pro reſidente, nec aliquid capiat in diviſione terrarum, nec quotidianas diſtributiones in ſcholis,



niſi per dimidium annum primo fecerit reſidentiam in eccleſia noſtra. Pro reſidenti tamen tenebitur, ſi teneat conductum continuum, & perſeveraverit. Duo vero canonici, & unus de aliis beneficiatis, intelliguntur facere primam reſidentiam, ſi morantur cum domino archiepiſcopo, vel jam morati fuerunt per dictum tempus.

In cujus rei teſtimonium, nos & capitulum præſentibus litteris ſigilla noſtra duximus apponenda. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, menſe Junii.

ANNO CHRISTI 1252.

## ** CONCILIUM SENONENSE,

Cujus authoritate admonitus eſt Theobaldus Navarrę rex & Campanię comes, ut bonis eccleſiaſticis cederet, anno Domini MCCLII.

*Hujus ſynodi nihil extat præter monitionem ipſam, cujus exemplum ex regio tabulario petitum ſubjicio:*

### Monitio concilii Theobaldo regi Navarræ & Campaniæ comiti.

GIlo Dei gratia Senonenſis archiepiſcopus, M[1] Carnotenſis. R[2] Pariſienſis. G[3] Aurelianenſis. G[4] Antiſſiodorenſis. P[5] Meldenſis, & N[6] Trecenſis, eadem gratia epiſcopi, Chriſtianiſſimo in Chriſto illuſtri viro Th.[7] Dei gratia regi Navarræ, Campaniæ & Briæ comiti palatino, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem.

1. Matthæus. 2. Reginaldus. 3. Guillelmus. 4. Guido. 5. Petrus. 6. Nicolaus. 7. Theobaldo.

Cum alias ex parte concilii provincialis Senonenſis, per litteras noſtras monitorias vos requiſierimus & rogaverimus, ut ea quæ de bonis eccleſiaſticis a quadraginta annis citra acquiſitis ſaiſiri feceratis, deſaiſiri faceretis: & preces & monitio prædictæ nondum fuerint a vobis effectum aliquem conſecutæ; ſed magis ac magis de die in diem adhuc inceſſanter in poteſtate Campaniæ ſaiſiantur, necnon & alia multa gravamina eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis earumque hominibus inferantur contra immunitatem eccleſiæ, & eccleſiaſticam libertatem, prout vobis Magiſter Joannes de Vernolio nuncius noſter ad hoc ſpecialiter deſtinatus plenius explicabit: ſerenitatem veſtram tenore præſentium & per prædictum nuncium authoritate prædicti concilii rogandam duximus & monendam, ut ſaiſita deſaiſiri faciatis, quouſque de jure veſtro conſtiterit evidenter, & prædictis gravaminibus deſiſtatis, & veſtros miniſteriales deſiſtere faciatis. Licet enim honori & perſonæ veſtræ in quantum poſſemus deferre velimus: omittere tamen non poſſumus, nec debemus: quin oppreſſioni eccleſiarum, prout juris eſt, ſuccurramus. Sciatis pro certo quod jus veſtrum abſorbere non volumus, ſed potius ipſarum eccleſiarum indemnitatibus, quantum cum Deo poſſumus, ſubvenire.

Datum Pariſius die Veneris poſt feſtum S. Martini hyemalis, anno Domini MCCLII. *cum VII. ſigillis.*

ANNO CHRISTI 1253.

## CONCILIUM TARRACONENSE,

PRÆSIDE BENEDICTO TARRACONENSI ARCHIEPISCOPO CELEBRATUM.

Ex Card. de Aguirre Concil. Hiſpan. tom. 3. pag. 505.

ANno 1253. 6. Id. Aprilis celebratum eſt Concilium in civitate Tarraconenſi apud Benedictum Archiepiſcopum. Ei autem ſuam præſentiam exhibuerunt Arnaldus Epiſcopus Cæſarauguſtanus, Berengarius Gerundenſis, Vitalis Oſcenſis, G. Ilerdenſis, & procuratores aliorum. Interfuerunt etiam P. de Graviana Caſtellanus Empoſtæ, & Jacobus de Timòr tenens locum Magiſtri domus Militiæ Templi. In eo ſtatutum eſt licere Epiſcopis provinciæ abſolvere excommunicatos ſuarum diœceſeon: Archiepiſcopum vero poſſe abſolvere ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, qui ad eum venerint excommunicati, ratione conſtitutionis in Concilio Tarraconenſi editæ contra invaſores rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum. Tum conceſſum univerſis presbyteris provinciæ, ut ſe invicem abſolvere poſſent ſuper minoris excommunicationis ſententia. *Baluz. lib. 4. Marca Hiſpan.* [1]

## ** CONCILIUM RAVENNENSE

Quod Philippus archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis celebravit anno Domini MCCLIII. Innocentio IV. pontifice.

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

*Acta exhibet Rubeus hiſtor. Ravenn. libro VI. in hunc modum:*

In Chriſti nomine.

ANno a nativitate ejuſdem MCCLIII. tempore Innocentii IV. die Lunæ tertia exeunte menſe Aprili, XI. Indict. Ravennæ, in choro eccleſiæ archiepiſcopatus, præſentibus teſtibus ad hoc ſpecialiter adhibitis, & rogatis dominis, presbytero Bono, presbytero Bernardo, Jacobo de Petrella, & Peppo de Caſtelvitto, cardinalibus eccleſiæ Ravennatis, & DD. Alberico præpoſito, presbytero Arnulpho, presbytero Ambroſio, Floro, Joanne de Moriſano Aime-

1 Canones hujus concilii leges tomo ſequenti in Concilio Tarraconenſi anni 1329.

ANNO CHRISTI 1253.

Aimerico & Giezo cantoribus S. eccleſiæ Ravennæ, & me Benvenuto Caſarelli notario inſra ſcripto. Nos frater Jacobus epiſcopus Bononienſis, Fr. Gualterius epiſcopus Faventinus, Thomas epiſcopus Imolenſis, Bono epiſcopus Comaclenſis, Albertus epiſcopus Mutinenſis, Richelmus epiſcopus Livienſis, & Joannes electus Foropompilienſis, in præſentia venerabilis patris Dom. Philippi, Dei gratia S. eccleſiæ Raven. electi, in die beati Vitalis martyris, in archiepiſcopali eccleſia congregati, volentes communi concordia & voluntate, tam indemnitati eccleſiarum provinciæ archiepiſcopatus Ravennæ ſalubriter conſulere, quam reprimere malitias & præſumptiones damnabiles perverſorum hominum, invadentium, ſive occupantium temeritate propria poſſeſſiones, homines, & jura eccleſiæ, & archiepiſcopatus, ſeu archiepiſcopi Raven. & epiſcopatuum, & epiſcoporum, & aliarum eccleſiarum, ac monaſteriorum, venerabiliumque locorum omnium provinciæ ſupraſcriptæ: cum dignum ſit, ut quos Divinus timor a malo non revocat, ſaltem coerceat ſeveritas diſciplinæ, ut ipſorum malitia refrenata, eccleſiæ gaudeant debita libertate: volumus, & voluntate propria conſentimus, quod dictus dominus electus Ravennas, contra raptores, & invaſores, ac illicitos notorios detentores bonorum & jurium archiepiſcopatus prædicti, ac epiſcopatuum, & epiſcoporum, & aliarum eccleſiarum, ac monaſteriorum venerabiliumque locorum omnium provinciæ nominatæ, qui ſunt in noſtris civitatibus & diœceſibus conſtituti, cenſuram eccleſiaſticam poſſit, & debeat exercere; ſententiam quam ipſe dominus electus Ravennas contra prædictos duxerit proferendam, ratam & firmam habendo ad mandatum dicti domini electi Ravennatis, denunciare, ac exequi promittentes, & ad hoc ut nos poſſit compellere, dantes ei plenam & liberam poteſtatem. Quibus omnibus ego prænominatus Benvenutus Caſarelli, S. Raven. eccleſiæ notarius interfui, & ut ſupra legitur, juſſu prædictorum dominorum epiſcoporum, atque Foropopilienſis electi, & mandato præfati domini electi Ravennatis, ſubſcripſi & publicavi.

# *** CONCILIUM APUD SALMURUM,

## A PETRO [a] DE LAMBALLE TURONENSI ARCHIEPISCOPO & ſuffraganeis celebratum, anno Domini MCCLIII.

[a] al. a Jubello, ſed male. Jam enim Ravennenſi archiepiſcopus ex Turonenſi factus erat.

Ex duobus MSS. collegii Pariſienſis S. J. quorum alterum dedit V. Cl. Ægidius Menagius.

### TITULI CAPITULORUM.

1. *De celebratione Divinorum officiorum.*
2. *De cuſtodia ſacramentorum.*
3. *Qualiter, & per quos corporalia, &c. ſunt abluenda.*
4. *De ſcribendo in quaternis res & bona eccleſiarum per archidiaconum.*
5. *De archidiaconis, archipresbyteris, & decanis ruralibus, ad ordines promovendis.*
6. *Ne lites in eccleſiis vel earum porticibus agitentur.*
7. *Ut archidiaconi & alii, præſentibus epiſcopis ſua placita non teneant.*
8. *Ut archidiaconi & alii, extra civitatem officiales non habeant: & de quibus cauſis non cognoſcant.*
9. *De procurationibus.*
10. *De numero canonicorum ſtatuendo, & ſectionibus præbendarum non faciendis.*
11. *Ne illegitimi ad canonicatum cathed. recipiantur.*
12. *De ſubſidio.*
13. *De penſionibus non imponendis.*
14. *Ut regulares cogantur obſervare ſibi præſcripta in litteris pontificum.*
15. *Ut eadem littera in ſingulis abbatiis habeantur materna lingua expoſitæ.*
16. *Ut monachi poſſeſſionem non habeant.*
17. *Ne religioſi ſæcularia placita audiant.*
18. *Ne ſæcularibus dentur loca religioſa.*
19. *De ſupplendo antiquo numero monachorum.*
20. *Ut abbates novas penſiones prioratibus non imponant.*
21. *Ne prioratus vacantes denudentur bonis ſuis.*
22. *Ne quis depoſitum faciat extra ſuam eccleſiam, aut monaſterium.*
23. *Ut eccleſiaſtici mercimonialia non exerceant.*
24. *Ut judices eccleſiaſtici poteſtatem citandi ſine pluribus litteris indiſtincte non committant.*
25. *De perturbatoribus juriſdictionis eccleſiaſticæ.*
26. *Ut non impediatur executio ſententiarum.*
27. *De clandeſtinis matrimoniis.*
28. *De commendis eccleſiarum.*
29. *Ut epiſcopus eccleſias parochiales non applicet menſæ ſuæ: & ne in earum collatione novas penſiones ſibi retineat.*
30. *Ne clericus leget aliquid filio ſpurio, vel concubinæ.*
31. *De præbendis ſacerdotalibus.*
32. *Ut ſtatuta provincialia prædeceſſorum ſuorum obſerventur.*

### CAPITULA.

#### I.

*De celebratione Divinorum officiorum.*

NOs ſanctorum canonum & prædeceſſorum noſtrorum volentes ſervare ſtatuta, & ea quæ viſitando provinciam Turonenſem, correctione novimus indigere, corrigere cupientes: vocatis venerabilibus fratribus, Turonenſis provinciæ epiſcopis, ac aliarum eccleſiarum prælatis apud Salmurum; de dictorum fratrum conſilio duximus ſtatuendum; ut in locis collegiatis, & maxime in cathedralibus, dicantur horæ canonicæ horis debitis, cum omni devotione, ſolemniter, & devote: nec prius pſalmi verſiculum una pars chori incipiat, quam ex altera præcedens pſalmi verſiculus finiatur.

#### II.

*De cuſtodia ſacramentorum.*

Verum cum a ſanctis patribus ſit ſtatutum, ut corpus Chriſti ſub honeſta & fida



ANNO CHRISTI 1253.

cuſtodia reponatur; & in aliquibus partibus Turonenſis provinciæ illud minus decenter invenerimus cuſtoditum: ſtatuimus ut archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, ad quorum officium dignoſcitur pertinere, cum omni cura & ſolicitudine illud faciant, & procurent ſanctuarium, fontes, oleum, & ſanctum chriſma, clavibus adhibitis cuſtodiri, & per loca populoſa, & maxime civitates, venerabiliter deferri.

#### III.

*Qualiter, & per quos, corporalia, &c. ſunt abluenda.*

Præcipimus etiam, ut prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, faciant & procurent per ſacerdotem aut diaconum ſuperpellicio indutum corporalia ſæpe ablui, & in vaſe mundo ad hoc ſpecialiter deputato, omnes ablutiones, ſi fieri poteſt, vel ſaltem primam, in piſcina reponi; & ut altaris linteamina, indumenta ſacerdotalia, ab aliqua honeſta matrona vel virgine, ſine appoſitione aliorum pannorum, quotiens opus fuerit, abluantur, & munda, & integra ſerventur; cum in pluribus parochialibus eccleſiis provinciæ Turonenſis immunda & dirupta a nobis & a noſtris ſociis ſint reperta.

#### IV.

*De ſcribendo in quaternis res & bona eccleſiarum per archidiaconum.*

Statuimus autem [a] quod concilium apud Vallem Guidonis a felicis recordationis Gaufrido [b] prædeceſſore noſtro provida fuit deliberatione ſtatutum, de libris, vaſis, veſtimentis, & aliis ornamentis, & redditibus eccleſiarum, in quaternis archidiaconorum [c] ſcribendis, ab archidiaconis inviolabiliter obſerventur. Quod ſi circa prædicta omnia & ſingula prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, prout ad eos ſpectare dignoſcitur, negligentes fuerint aut remiſſi, & de hoc conſtare poterit: a diœceſano loci, ab officio ſuſpendantur. Nec prius relaxetur ſententia, niſi ſolutis decem ſolidis pro qualibet eccleſia, in qua eorum negligentia aut incuria in præmiſſis poterit reperiri, per diœceſanum loci in uſus fabricæ matricis eccleſiæ convertendis.

[a] Ita etiam MS.
[b] Gaufridus ille electus eſt Turon. archiepiſc. an. 1207. obiit an. 1208.
[c] al. archi-yorum.

#### V.

*De archidiaconis, archipresbyteris, & decanis ruralibus, ad ordines promovendis.*

Item cum ſacris conſtitutionibus caveatur, ut archidiaconi fiant diaconi, & archipresbyteri, presbyteri: auctoritate præſentis concilii ſancimus, ut prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, ad prædictos ordines infra annum ſuſcipiendos, prout eorum requirit officium, a ſuis diœceſanis per ſubtractionem beneficiorum monitione canonica compellantur: & talibus conferantur, qui infra annum a tempore ſuſcepti beneficii velint, ſciant, & valeant, in ordinibus quos requirit eorum dignitas deſervire.

#### VI.

*Ne lites in eccleſiis vel earum porticibus agitentur.*

Inhibemus diſtrictius, ne cauſæ de cetero coram quibuſcumque judicibus ordinariis, aut delegatis eorum, in eccleſiis aliquibus, & præcipue in cathedralibus, aut earum porticibus, agitentur: cum propter litigantium clamores frequenter Divinum impediatur officium, & ob eorum rixas & diſcordias quandoque ſanguinis effuſio, homicidia, & alia mala, in ipſis eccleſiis ante earum faciem perpetrentur.

#### VII.

*Ut archidiaconi & alii præſentibus epiſcopis ſua placita non teneant.*

Prohibemus, ne quis archidiaconus, archipresbyter, aut alii minores prælati juriſdictionem eccleſiaſticam habentes, cauſas audiant, ſeu placita teneant, præſentibus epiſcopis ſuis: ſed longe ab ipſis faciant ſuper his, quod viderint expedire.

#### VIII.

*Ut archidiaconi & alii extra civitatem officiales non habeant, & de quibus cauſis non cognoſcant.*

Cum olim a prædeceſſoribus noſtris, in Caſtri Honterii & Vallis Guidonis [1] conciliis, ſit ſtatutum, ne archidiaconi, archipresbyteri, ſeu decani rurales, & alii minores juriſdictionem eccleſiaſticam habentes, extra civitatem officiales ſeu allocatos habeant, ſed extra civitatem in propriis perſonis ſuum diligenter expleant officium, & ne

[1] an. 1231. can. 12. 2. an. 1242. can. 4. Et concil. Turon. an. 1239. c. 8.

ANNO CHRISTI 1253.

& ne dicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, de cauſis matrimonialibus, ſimoniæ, & aliis quæ degradationem vel amiſſionem beneficii, ſeu depoſitionem exigunt, cognoſcerent, niſi de ſui pontificis mandato ſpeciali; alias proceſſus habitus coram ipſis nullius eſſet momenti; & hæc invenerimus in Turonenſi provincia minime cuſtodita: auctoritate præſentis concilii omnibus & ſingulis fratribus & coepiſcopis noſtris injungimus, ut omnia prædicta ſine diminutione faciant a ſubditis inviolabiliter obſervari, præfatum per ſe ſtatutum, vel per alios, in eccleſiis parochialibus ſuæ diœceſis publicantes.

## IX.

*De procurationibus.*

Non ſine radice cupiditatis procedit, quod nonnulli prælati provinciæ Turonenſis, in prioratibus & eccleſiis, procurationem, aut aliquid nomine procurationis, recipiunt in pecunia numerata; & nihilo minus ſubditos ad eos in eiſdem locis procurandos compellunt, ſic ab eis procurationem duplicem exigendo. Quod fieri diſtrictius prohibemus. Cum ratione viſitationis debeatur procuratio: inhibemus diſtricte præcipientes, ut nullus procurationem recipiat, niſi a locis dumtaxat viſitatis.

## X.

*De numero canonicorum ſtatuendo, & ſectionibus præbendarum non faciendis.*

* al. 1231. can. 6.

Innovamus ſtatutum in concilio Caſtri Gonterii * editum de certo canonicorum numero in eccleſiis ſtatuendo, in quibus certus numerus minime erat ſtatutus: & ne eccleſiarum aut præbendarum fierent ſectiones, ſed cum omni integritate conferrentur & ne aliquis ad vacaturam inſtitueretur præbendam: præcipientes, illud ſtatutum inviolabiliter in omnibus ſuis articulis obſervari. Et quoniam decretum eſt in eodem, id quod contra fieret non tenere; & quidam de facto, cum de jure non poſſent, ſectiones eccleſiarum fecerint, & etiam præbendarum: quatenus contra prædicta ſtatuta eſt factum, irritum revocamus.

## XI.

*Ne illegitimi ad canonicatum cathedral. recipiantur.*

Statuimus ne aliquis in canonicum eccleſiæ cathedralis recipiatur, niſi ſit de legitimo matrimonio procreatus.

## XII.

*De ſubſidio.*

Statuimus ne prælatus aliquis a ſubditis ſubſidium exigat, niſi neceſſitas ex cauſa manifeſta & rationabili hoc expoſcat: & tunc cum caritate recipiat moderatum.

## XIII.

*De penſionibus non imponendis.*

Licet filii a parentibus nutriri debeant: aliquando tamen contrarium in aliqua parte provinciæ Turonenſis invenitur, cum a prælatis quibuſdam rectores eccleſiarum adeo novarum impoſitione penſionum graventur, quod vix de reſiduo bonorum earumdem remaneat unde valeant ſuſtentari: quod multum longe a paterna pietate videtur. Verum cum penſiones in Lateranenſi concilio reprobentur, nos paupertati prædictorum rectorum compatientes, & prædicti concilii adhærentes * ſtatuto, penſiones de novo impoſitas in dictis eccleſiis ſine juſta & rationabili cauſa, de fratrum noſtrorum conſilio duximus revocandas: injungentes locorum diœceſanis, ut prædictos rectores non permittant a talibus penſionariis moleſtari. Licet etiam de ſolvendis prædictis penſionibus juramento ſint aſtricti: præcipimus, ut prædicti penſionarii per diœceſanos ad remiſſionem præſtiti juramenti faciendam per cenſuras eccleſiaſticas compellantur.

* [illegible]

## XIV.

*Ut regulares cogantur obſervare ſibi præſcripta in litteris pontificum.*

Cum ſuper ſtatu religioſorum ipſis per ſummum pontificem ad plenum ſit proviſum, præcipimus omnibus abbatibus, prioribus, præpoſitis, ac bailivis, univerſos ac ſingulos articulos, prout in litteris ſummi pontificis continentur, ab abbatibus, prioribus, præpoſitis, bailivis, monachis clauſtralibus ac converſis, inviolabiliter obſervari: injungentes in virtute obedientiæ ſingulis locorum diœceſanis, ut ſi prædicti abbates, priores, præpoſiti, bailivi, aut monachi clauſtrales, circa obſervantiam prædictorum negligentes extiterint, aut remiſſi, pœnas in eiſdem litteris comprehenſas eiſdem infligere non poſtponant.





ANNO CHRISTI 1253.

## XV.

*Ut eædem litteræ habeantur in ſingulis abbatiis materna lingua expoſitæ.*

Præcipimus etiam in virtute obedientiæ, ut ſinguli abbates in ſingulis ſuis abbatiis litterarum tranſcriptum habeant prædictarum, & earum tenorem lingua materna exponant, & exponi faciant diligenter.

## XVI.

*Ut monachi poſſeſſionem non habeant.*

* al. 1231. 26.

Statutum editum apud Caſtrum Gonterii *, ne monachi, niſi ſint in adminiſtratione conſtituti, habeant aliquo colore poſſeſſionem, vel aliquam proprietatem, etiam de licentia abbatum, cum licentia abbatis eis in hoc non valeat ſuffragari; & quia abbates, ſi contra prohibitionem iſtam fecerint, per ſuperiorem graviſſime puniantur: præſenti concilio duximus innovandum.

## XVII.

*Ne religioſi ſæcularia placita audiant.*

Item inhibemus ne religioſi, baronum, militum, aut aliarum ſæcularium poteſtatum cauſas aut placita audire, aut de his intromittere ſe præſumant.

## XVIII.

*Ne ſæcularibus dentur loca religioſa.*

Statuimus ne abbates religioſa loca, etiamſi ſolitaria fuerint, ad tempus, aut quoad vixerint, laicis concedant: ſed talibus conferant, quod prædicta loca debito ſervitio * non fraudentur.

* officio

## XIX.

*Ut ſuppleatur antiquus numerus monachorum.*

Provideant epiſcopi ſolicite, prout invenimus a piæ memoriæ Gaufrido prædeceſſore noſtro ſtatutum, & male ab abbatibus cuſtoditum, quod in prioratibus, monachis aut clericis conceſſis, ſuppleatur antiquus numerus monachorum: ad quem ſupplendum & reponendum, abbates per diœceſanum loci cenſura eccleſiaſtica, ſi neceſſe fuerit, compellantur: niſi aliquid rationabile propoſuerint & probaverint, per quod ab hoc, merito debeant excuſari.

## XX.

*Ut abbates novas penſiones prioribus non imponant.*

Abbates antiquis penſionibus prioratibus impoſitis ſint contenti, nec novas in eiſdem attentent imponere, ſeu antiquas etiam augmentare. Et ſi quæ de novo ab eis vel prædeceſſoribus ſuis ſint impoſitæ, præcipimus ut ad eas revocandas, & remittendas, per proprium epiſcopum compellantur.

## XXI.

*Ne prioratus vacantes, bonis ſuis denudentur.*

Item ſtatuimus ne abbates, cum contingit priores ſuos cedere, aut decedere, prioratus bonis ſuis audeant denudare, ſed ſaltem tantum de prædictis bonis, futuris prioribus dimittant, quod ipſi fratres & familia, uſque ad futuram collectam, de eiſdem competenter ſuſtentari valeant, & domus prioratuum refici, & in ſtatu debito conſervari.

## XXII.

*Ne quis depoſitum faciat extra ſuam eccleſiam aut monaſterium.*

Prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne quis abbas, prior, vel alia religioſa perſona, depoſitum faciant extra ſuam eccleſiam, monaſterium, aut prioratum.

## XXIII.

*Ut eccleſiaſtici mercimonialia non exerceant.*

Item prohibemus diſtricte, ne prælati, ſacerdotes, vel alii clerici beneficiati, mercimonialia, vel alios turpes contractus ineant, vel exerceant per ſe, vel per alios, nec partiantur in talibus, vel ſocietatem * de talibus contrahant, cum frequenter ſub colore tali uſuræ graviſſimæ committantur.

* vel ſocieta[illegible]

## XXIV.

*Ut judices eccleſiaſtici poteſtatem citandi, ſine litteris pluribus indiſtincte non committant.*

Item quia nonnulli judices eccleſiaſtici cupiditate ducti, diſcurrendo per ſuas diœceſes, ſeu archidiaconatus, vel archipresbyteratus, ſeu etiam decanatus, ſingu-

ANNO CHRISTI 1253.

ſingulis presbyteris ſibi ſubjectis, vel pluribus eorum, poteſtatem citandi quos voluerint committunt, cum per hoc tot videantur habere judices vel allocatos, quot ſunt pro tempore citatores; ne hoc de cetero fiat, ſtatuimus & prohibemus.

XXV.

*De perturbatoribus juriſdictionis eccleſiaſticæ.*

Inhibemus etiam ſub pœna excommunicationis, iſto ſacro approbante concilio, ne quis juriſdictionem impediat eccleſiaſticam, & ne minis aut terroribus, ſeu per captionem rerum aut corporum, litigantes ſuper rebus ad forum eccleſiaſticum ſpectantibus, revocet a foro prædicto, cum per viam iſtam rigor eccleſiaſticus, & juriſdictio nequiter enervetur: præcipientes ſingulis diœceſanis, ut prædictum ſtatutum per eccleſias parochiales faciant publicari, & illos qui contra fecerint, monitione præmiſſa, excommunicatos publice nunciari.

XXVI.

*Ut non impediatur executio ſententiarum.*

Item cum nonnulli volentes arctare & diminuere juriſdictionem eccleſiæ, ſententias latas a judicibus eccleſiaſticis executioni demandare recuſent, & penitus renuant [*]; ſive etiam prædictis executiones, per alios qui non ſunt de juriſdictione judicum, impediri faciant & procurent & affectent: cum nihil proſit litigantibus, ſi feratur pro ipſis ſententia, ſi non demandetur executioni: prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne quis de cetero talia attentare præſumat, præcipientes, ipſos qui contra fecerint, legitima monitione præmiſſa publice denunciari excommunicatos.

[*] al. remittant.

XXVII.

*De clandeſtinis matrimoniis.*

Item cum per matrimonia clandeſtina, a ſanctis patribus non ſine cauſa prohibita, frequenter conjungantur non conjungendi, & præter detrimentum animarum quod incurrunt ſic convicti, rixæ, contentiones, & guerræ inter conſanguineos & alios oriantur, & quandoque committantur homicidia: prohibemus firmiter, ne fiant hujuſmodi clandeſtina matrimonia: ſtatuentes iſto ſacro concilio conſentiente, ut perſonæ eccleſiaſticæ, presbyteri, & alii clerici, qui talibus matrimoniis interſint, vel ſuis eccleſiis ſeu capellaniis talia fieri permittant, officiis & beneficiis per triennium ipſo facto ſint ſuſpenſi: necnon perſonæ taliter contrahentes, ad arbitrium ſuorum epiſcoporum pecuniaria pœna puniantur.

XXVIII.

*De commendis eccleſiarum.*

Item nonnulli epiſcopi, & alii prælati, propriis lucris & commodis ſuorum inhiantes, eccleſias parochiales, quæ proprios poſſunt habere ſacerdotes, clericis & aliis perſonis eccleſiaſticis, habentibus alias eccleſias parochiales, vel competenter beneficiatis, ut poſſint eos pluribus onerare beneficiis, commendant unam, vel duas eccleſias parochiales, in animarum ſuarum periculum & ſcandalum plurimorum: ut ſic habeant commendatas, quas ſecundum canones habere non poſſunt intitulatas; quod fieri de cetero prohibemus: ſtatuentes, ut qui taliter eccleſias commendatas recepit, vel de cetero receperit, careat eccleſia ſic commendata; & conferens, poteſtate conferendi illam eccleſiam illa vice ſit privatus.

XXIX.

*Ut epiſcopus eccleſias parochiales non applicet menſæ ſuæ: & ne in earum collatione novas penſiones ſibi retineat.*

Item cum cultus Divinus ampliari debeat, non arctari: nonnulli epiſcopi eccleſias parochiales in redditibus abundantes, quæ plures poſſent habere ſervitores, diminuto vel arctato numero ſervitorum, prædictas eccleſias appropriant menſæ ſuæ, licet ſufficiens ſit, vel debeat ſufficiens reputari, ſic temporale ſpirituali præferendo. Quod fieri de cetero prohibemus, niſi cum conſilio metropolitani, & aſſenſu capituli proprii. Quod ſi aliter factum fuerit, illud ex tunc denunciamus irritum & inane. Et ne in ipſa collatione parochialium eccleſiarum novas ſibi retineant penſiones, vel antiquas, quas in eccleſiis prædictis percipiunt, augmentare præſumant. Quod a quibuſdam minus caritative factum eſſe dicitur, firmiter prohibemus: illud quod contra factum fuerit, irritum decernentes.

XXX.

*Ne clericus leget aliquid filio ſpurio, vel concubinæ.*

Item innovamus concilium Turonenſe quod



quod eſt tale: Præſentis authoritate concilii prohibemus, ne quis beneficiatus clericus, vel in ſacris ordinibus conſtitutus, aliquid legare præſumat filio ſpurio, ſeu propriæ concubinæ, in ultima voluntate. Quod ſi fecerit, non valeat: ſed eccleſiæ applicetur.

XXXI.

*De præbendis ſacerdotalibus.*

Statuimus, ut omnes habentes ſacerdotales præbendas in cathedralibus, vel collegialibus eccleſiis, ibidem in ordine ſacerdotali deſerviant, aut per diœceſanum illis priventur, & aliis conferantur, qui velint & poſſint in eodem ordine deſervire.

XXXII.

*Ut ſtatuta provincialia prædeceſſorum ſuorum obſerventur.*

Diſtricte præcipimus ſub pœna excommunicationis, omnia ſtatuta provincialia prædeceſſorum noſtrorum ab omnibus inviolabiliter obſervari.

Actum in pleno concilio apud Salmurum, in abbatia beati Florentii, die Martis, poſt feſtum beati Andreæ apoſtoli, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio.

· G. C. Concilium hoc Joannes Maanus v. cl. ad calcem Metropolitanæ ſuæ Turonenſis, tribuit anno MCCXLIII. Ego vero anno MCCLIII. ex duorum MSS. fide, & aliorum quæ vidit L. Bochellus, quem in hoc quoque authorem ſequor.

# ** CONCILIUM APUD CASTRUM GONTERII.

A Petro de Lamballe, archiepiſcopo & ſuffraganeis celebratum anno Domini MCCLIII.

CANON UNICUS.

*De abuſoribus litterarum apoſtolicarum.*

QUoniam quamplures non obſervantes conſtitutionem Gregorii IX. papæ, quæ in novis decretalibus in titulo de reſcriptis ultima inſcribitur, & incipit, *Quia nonnulli*, multos contra ipſius conſtitutionis tenorem vexare præſumunt: nos authoritate provincialis [*] concilii excommunicamus omnes illos, qui a Paſcha proxime venturo in antea, talia præſumpſerint attentare. Si vero vexatus contra tenorem conſtitutionis ejuſdem, [**] vexatorem ſuum in cauſam duxerit vel traxerit contra ipſius conſtitutionis tenorem, ipſum hujuſmodi excommunicationis ſententia volumus non ligari. Et ne per ignorantiam in hac parte ſe poſſit aliquis excuſare: præcipimus hæc omnia ſupradicta in parochialibus eccleſiis denunciari publice ſingulis diebus Dominicis ac feſtivis.

Actum apud Caſtrum Gonterii in concilio provinciali, anno gratiæ milleſimo ducenteſimo quinquageſimo tertio.

[*] al. præſentis concilii

[**] al. in partem vexatorem, ſed non in totum duxerit, vel tr.

ANNO CHRISTI 1254.

# VITA ET EPISTOLÆ ALEXANDRI PAPÆ IV.

ALexander quartus, cui, teſte abbate Stadenſi, Rainaldi, vel, ut habet Onuphrius, Rolandi nomen fuerat, patria Anagninus, nobili comitum Signiæ familia natus, Innocentii tertii & Gregorii noni, a quo cardinalis creatus eſt, propinquus, ex epiſcopo Oſtienſi & Veliterno, decimoquinto die poſt obitum Innocentii, evectus eſt in thronum apoſtolicum & cathedram Petri, 25. Decembris, ipſo die nativitatis Chriſti, anno ſalutis humanæ 1254. regnante Wilielmo Hollandiæ comite, quem coronæ imperialis accipiendæ gratia Romam abiturientem Friſones anno ſeptimo regni occiderunt. Manfredum, qui ſibi titulum regni Neapolitani uſurpaverat, anathematizavit. Ad Venetos Philippum Fontaneſium Ravennatem archiepiſcopum miſit, qui contra Ezelinum tyrannum prædicaret. Poſt aliquot tandem obtentas victorias eo mortuo, tum demum res Syriæ Alexandro cordi eſſe cœperunt: quas tamen ad exitum deducere non potuit, propter diſſenſionem inter Venetos & Genuenſes exortam, unde graviſſimum bellum ſecutum eſt. Alexander igitur

tur tantò malo occurrere ac mederi ex paterna commiſeratione deſiderans, ubi ſanctam Claram ordinis ſancti Franciſci inter divos retuliſſet, omnem operam ad componendam pacem inter eos adhibuit. Verum tam gravibus implicatus curis, obiit VIII. Kalendas Junii, anno Domini 1260. cum ſediſſet annos ſex, menſes 5. dies 13. Henricus Stero in annalibus ſuis ait, eum Viterbii VIII. Kalendas Junii anno 1261. defunctum eſſe. Corpus ejus ad eccleſiam ſancti Laurentii delatum eſt. Erga pauperes adeo propenſus fuit, ut libros aliquos contra eos deſcriptos improbaverit. Epiſtolas decretales ſcripſit. Viros doctos maximo favore proſecutus ſemper magnifecit: inter ceteros Henricum a ſe cardinalem Oſtienſem factum. Egregia aliquot ædificia extruxit: &, ut multa paucis dicam, ſuavem poſt obitum ſui memoriam reliquit. Sedes morte ejus tribus menſibus & quatuor diebus vacavit.

## EPISTOLA I.

## ALEXANDRI PAPÆ IV.

### AD SCHOLASTICUM ARGENTINENSEM.

De novalium decimis.

*Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Scholaſtico Argentinenſis eccleſiæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

EXhibita nobis dilectorum filiorum prælatorum ac religioſorum, & cleri Colonienſis, civitatis, & diœceſis petitio continebat, quod cum aliquas terras incultas earumdem civitatis & diœceſis contingit redigi ad culturam, nobiles viri comes de Monte, & Waleramus frater comes Juliacenſis, ac quidam alii dictarum civitatis & diœceſis, [illegible] novalium hujuſmodi [illegible], illas pro ſuæ voluntatis libito occupant, & contra juſtitiam detinent occupatas. Cum itaque dominus in ſignum univerſalis dominii ſibi decimas reſervarit, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi tibi conſtiterit ita eſſe, prædictos nobiles & alios, quod hujuſmodi decimas novalium eiſdem eccleſiis exhibeant, & illas ab eis permittant pacifice poſſideri, monitione præmiſſa, per excommunicationis in perſonas, & in terras eorum interdicti ſententias, appellatione remota, prævia ratione compellas: non obſtante, ſi aliquibus a ſede apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari non poſſint, & terra ipſorum ſupponi eccleſiaſtico interdicto, per litteras apoſtolicas, quæ de indulto hujuſmodi plenam & expreſſam non fecerint mentionem, & conſtitutione de duabus diætis edita in concilio generali: ita quod ultra tertiam vel quartam aliquis extra ſuam diœceſim authoritate præſentium ad judicium non trahatur. Data Anagniæ XV. Kalendas Septembris, pontificatus noſtri anno primo.

A

## II. AD HENRICUM CHYMENSEM EPISCOPUM.

Philippus Saltzburgenſis electus, jam per decem annos nolens ordinem presbyterii ac epiſcopalem ſuſcipere conſecrationem, ab Alexandro papa deponitur, & Ulricus Secowenſis epiſcopus ei ſubrogatur.

*Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Chymenſi epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

IN contemptum veniens Philippus, quondam Saltzburgenſis eccleſiæ electus, nimis videtur B a ſe timorem Domini & hominum reverentiam abjeciſſe, dum adhuc munitiones & caſtra, & quædam alia bona ipſius eccleſiæ, ſua detinet poteſtate: quaſi non ſuffecerit dictam tenuiſſe eccleſiam, in ſuam & multorum perniciem, tanto tempore viduatam. Errata igitur dicti Philippi corrigi miſericorditer cupientes, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſum ex parte noſtra moneas attentius, & inducas, ut prædicta omnia venerabili fratri noſtro Saltzburgenſi archiepiſcopo, vel alii ejus nomine, ſine qualibet difficultate reſignet. Alioquin, cum ferro abſcindenda ſint vulnera quæ fomentorum non ſentiunt medicinam, tam eum quam alios, qui eadem ejus nomine detinent, C ad id per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas. Contra quos, ſi neceſſe fuerit, omnium ſuffraganeorum, miniſterialium, & vaſſallorum ejuſdem eccleſiæ auxilium invoces, ut ſuper his tibi & ipſi archiepiſcopo fuerint requiſiti; ſuffraganeos ipſos ad hæc authoritate noſtra, miniſteriales vero & vaſſallos eoſdem per privationem feudorum quæ tenent ab ipſa eccleſia, monitione præmiſſa, ratione prævia coarctando. Datum Viterbii II. Nonas Decembris, [illegible] noſtri anno III.

## III. AD ARCHIEP. SALTZBURGENSEM ET SUFFRAGANEOS.

D Eos hortatur ad officium epiſcopale exequendum, & abuſus reformandos.

*Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopo Saltzburgenſi, ejuſque ſuffraganeis, nec non & dilectis filiis abbatibus, aliiſque eccleſiarum prælatis ordinariam in ſubditos obtinentibus poteſtatem per Saltzburgenſem provinciam conſtitutis, tam exemptis quam non exemptis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SI vere, quod dicitur, paſtores ovium Chriſti ſumus, non impavide ferre poſſumus terribiliter intonantia noſtris ſenſibus contra paſtoralis E curæ negligentiam ſacrarum oracula ſcripturarum, quæ determinata dominici gregis in præſidentium deſidiam retorquentes, minaciter inclamant pereuntium ſanguinem de præpoſitorum manibus exigendum. Quis noſtrum non contremiſcat & paveat, dicente ad paſtores gregis ſui Domino per prophetam; *Diſperſiſtis gregem meum; ejeciſtis, & non viſitaſtis eos. Ecce ego viſitabo ſuper vos veſtrorum malitiam ſtudiorum.* Jerem. 23. Pavet utique ad hos increpationis interminationiſque Divinæ ſermones idem ipſe propheta, dum dicit: *A facie Domini, & a facie ſanctorum verborum ejus conturbatum eſt cor meum: in medio mei contremuerunt omnia oſſa mea.* Jerem. 23. O formidoloſa ſpeculatorum, quos populo diſpenſatio Divina præpoſuit, & periculoſa conditio, ſi perfunctorie res agatur, ſi eo modo in ſolicitudine commiſſa non militent, quo ſummus præcipit imperator, ſi ſibi & univerſo gregi, cui eos Deus cuſtodes & epiſcopos conſtituit, non attendant. His præcipue horrendum erit illud humanorum operum finale judicium, omnibus in commune tremendum: in quo etſi unuſquiſque de proprii corporis actionibus diſtricto ſit ſubjiciendus examini, ut recipiat prout geſſit: nobis tamen, quibus papalis cura commiſſa eſt, non ſufficiet propria innocentia ſine cumulo juſtitiæ ſubditorum: quando negligentis miniſtri pigritiam per * conſequens auſterus injunctæ ſervitutis exactor, delicta plebis impinget reatui prælatorum. Si enim qui de unico talento ſibi credito ſatis fenoris non reportabit augmentum, tanquam inutilis ſervus & piger juſtæ damnationis periculum ſuſtinebit: quam durum putatis judicium fiet illi, qui commiſſum ſibi pluralem numerum viventium talentorum non ſolum integrum neglexerit reddere creditori, verum etiam in illa diſtrictione probabitur damnum domino ſuo in bonis, quæ ab ipſo multiplicanda ſuſceperat, intuliſſe. Propterea, fratres & filii, qui faſces pontificalis officii & eccleſiaſtici miniſterii ſubeundo, defixiſtis pro animabus creditis apud extraneum manus veſtras: feſtinate quæſumus liberari ab illo qui ſupremus eſt actor & judex, nullum nobis de allegationis nitore præſidium relicturus. C Diſcurrite, nec ceſſetis, ne fiant animæ veſtræ pro illis, quos in cuſtodiam ſub tanto vadimonio ſuſcepiſtis. Excitet vos ſummi paſtoris amor, qui nos paſcendis rationalibus ovibus dedicavit. Exterreat corda veſtra & corporis ſomnum depellat ab oculis metus periculi, eis procul dubio, qui ſupra greges ſuos vigiles non obſervant excubias, imminentis. Sed ecce letalis incuriæ ſopor, paſtoralis vitæ vigilantiam, quod gementes dicimus, oppreſſiſſe videtur in plurimis, prout teſtatur nimia de pleriſque regionibus clamans Chriſtiani populi corruptela: quæ cum deberet ex ſacerdotalis antidoti curari medelis, invaleſcit, proh dolor, ex malorum contagione, quod procedit a clero, ita ut alicubi verum ſit quod & prophetica querela teſtatur; *Factus eſt*, inquiens, D *ſicut populus ſic ſacerdos.* Eſai. 24. Malitia namque dierum labentium, quæ cum tempore corrupit & mores, dante quam plurimis ex impunitate audacem ſemper & in deteriora proclivem infrenis licentiæ libertatem, nonnulli clerici præcipiti lubricæ voluptatis arbitrio laxas committentes habenas, poſt carnis ſuæ concupiſcentiam abierunt, & relegata pene penitus a converſatione vitæ ſuæ clericalis munditie & honeſtate, tenent etiam in conſpectu populi concubinas, cum quibus impudicæ frontis irreverentiam induentes, fœdas manus & fœtidas, quas ſordidis libidinoſæ coinquinationis fœtibus immiſerunt, non erubeſcunt, in ſuum periculum & ruinam populi, ſacris miniſteriis E immiſcere, a quibus ob publici concubinatus inſaniam, quæ nulla tergiverſatione ſceleris, vel ſecundum ſcita canonum, tam quoad ſe, quam ad alios, ſunt ſuſpenſi: & ne quis talium Miſſam audire præſumat, arctius in eorum contemptum canonicæ auctoritatis conſtitutio interdicit. Per tales maxime nomen Domini blaſphematur in terris: per tales derogatur ſacramentis fidei orthodoxæ, cum vaſa Domini pollutis eorum manibus profanantur. Per tales ergo perdit religionem catholicam devotio reverentiæ Chriſtianæ: per tales decipitur populus in Divinis, & eccleſiaſtica ſubſtantia diſſipatur: hinc detrahitur verbo Dei, dum

* ſ. perſequens





A immundis labiis talium nunciatur: hinc hæretici muſſitant & inſultant: hinc tyranni ſæviunt: hinc perfidi perſequuntur: hinc graſſantur audacius in Chriſti patrimonio ſacrilegi exactores: a quibus, proh pudor, ob hujuſmodi carnes putridas, quas diſciplinalis mucro non reſecat, ſicut decet, ſincerum catholicæ matris corpus in oſtentum ducitur & contemptum. Profecto patres qui hujuſmodi filios ſub diſſimulationis conniventia fovent impune, etiamſi cum Heli ſacerdote ſunt boni, forſitan in ſeipſos merito pro conſimilis negligentiæ malo, repentina patris interitus ruina dejiceret de ſella retrorſum. Eccleſiæ quoque principes, qui zelo Phinees ardenter non feruntur in tales, ſine cauſa videntur portare gladium poteſtatis, quem ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, deſuper acceperunt. Nos igitur cupientes tantum malum de medio eccleſiæ, tantumque ſcandalum ab oculis fidelium removere, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur, authoritate noſtra vobis per apoſtolica ſcripta in virtute injungentes, ac vos ſingulos ſub obteſtatione tam judicii ſingularis, quo quiſque citatur ad Dominum de corpore mortis hujus, quam judicii generalis, in quo univerſi ſtabimus ante tribunal æterni judicis, obſecrantes quatenus in vobiſmetipſis curetis oſtendere, quam pie ad Dominum, quam ſancte ad ſeipſos, quam juſte ad proximos oporteat ceteros in Dei eccleſia converſari. Totius namque familiæ ſtatus & ordo vacillat, ſi quod C requiritur in membris, in eorum capite non habetur: & in ejus ore adverſus peccantes neceſſe eſt redargutionis objurgatio conticeſcat, qui admittere cognoſcitur arguenda. Qua enim fronte fieri quis poterit morbi curator, dum languore conſimili detinetur; aut ſectator virtutum, dum ſectator oſtenditur vitiorum? Ad inquirendos autem ac puniendos ſubditorum veſtrorum exceſſus, & maxime incontinentiæ fœditates in clericis, præſertim concubinariis manifeſtis, qui odorem fœtere faciunt domus Dei, tanto ferventius aſſurgatis, quanto damnabilius præteriretis eorum contagia incorrecta. Verum, ut adverſus concubinarios hujuſmodi officii noſtri debitum tam authoritate noſtra quam veſtra liberius exequi valeatis: nos prædeceſſorum D noſtrorum attendentes veſtigia, & plenius exprimentes, ſuper hoc proceſſus veſtros per appellationis objectum volumus aliquatenus impediri. Si vero hujuſmodi concubinarii, quorum culpas contigerit canonica diſtrictione feriri, ſuper appellatione aut abſolutione vel reſtitutione ſua litteras apoſtolicas reportarint: illas, niſi forſitan in eis appellationis aut excommunicationis ſeu amotionis ſuæ hujuſmodi cauſam expreſſerint manifeſte, decernimus nullius eſſe momenti, ſed, eis vel proceſſibus per eas habitis nequaquam obſtantibus, cenſura veſtræ animadverſionis in tales inviolabilem obtineat firmitatem. Preces autem, monita, mandata, & præcepta noſtra ſuper his, taliter implere curetis, quod converſationis honeſtas in clero, & de- E votionis antiquæ ſinceritas in populo, per ſolicitudinis veſtræ diligentiam reformentur. Cumque princeps paſtorum advenerit ab unoquoque noſtrum fructum injuncti negotii quæſiturus, coram ipſo appareatis intrepidi, & dignam ſibi poſſitis villicationis veſtræ reddere rationem. Volumus autem atque præcipimus, ut tu, frater archiepiſcope, ſuffraganeis tuis & aliis prælatis tuæ provinciæ has litteras ſine moræ diſpendio facias præſentari, ut ſuper præmiſſis præceptum noſtrum exacta diligentia exequantur.

Datum Idibus Februarii, pontificatus noſtri anno quinto.

# CONCILIUM ALBIENSE,

## FACTUM A DOMINO ZOEN,

### Avenionenſi epiſcopo, A. S. L. anno Domini MCCXLIV.

Ex duobus exemplaribus, altero edito a D. Luca Dacherio tom. II. Spicilegii, altero Sirmondi noſtri manu deſcripto.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut conſtituantur, qui diligenter inquirant hæreticos.*
2. *Ut qui hæreticum ceperit, marcam argenti accipiat.*
3. *Ut ſi de bonis hæretici marca ſolvi non poteſt, eam ſolvant loci dominus & communitas.*
4. *Ut domini terrarum, hæreticos ſolicite inquirant.*
5. *Ut amittat terram ſuam, quiſquis in ea permiſerit hæreticos commorari.*
6. *Ut domus, in qua inventus fuerit hæreticus, diruatur.*
7. *Ut puniantur bajuli, qui contra hæreticos non ſunt ſoliciti.*
8. *Ut quilibet in terra alterius poſſit hæreticos inquirere ac capere.*
9. *Ut converſi de hæreſi non remaneant in eodem loco.*
10. *Ut hæretici & eorum fautores, converſi, ad officia publica non admittantur, neque ad actus legitimos.*
11. *Ut omnes ab annis pubertatis abjurent hæreſim.*
12. *Ut juramentum præſtent de Romanæ eccleſiæ fide tenenda.*
13. *Ut hoc ſingulis bienniis renovetur.*
14. *Ut medicus non practicet in terris de hæreſi ſuſpectis, niſi ab epiſcopo approbatus.*
15. *Ut nemo bajuliam hæreticis & eorum fautoribus committat: nec ſuſpectos in conſortio retineat.*
16. *Quinam habendi pro diffamatis.*
17. *Ut parochi & epiſcopi articulos fidei populo explicent.*
18. *Ut pueri inſtruantur in fide.*
19. *Ut diebus Dominicis excommunicentur hæretici.*
20. *Ut ſæculares poteſtates jurent ſe auxilium daturos eccleſiæ contra hæreſim.*
21. *Ut duplicentur ſcripta inquiſitionis, & tuto loco ſerventur.*
22. *Ut inquiſitorum ſententiæ executioni mandentur.*
23. *Ut advocati non admittantur in inquiſitionis negotio.*
24. *De muris, & immurandis.*
25. *De iis qui in hæreſi mortui ſunt.*
26. *Ut domini temporales compellantur ad confiſcanda bona & exhumanda cadavera.*
27. *De iis qui intrant ſolitarii ad hæreticos.*
28. *De iis qui citati ſe abſentant.*
29. *Quando ad confeſſionem & euchariſtiam accedendum.*
30. *Ut diebus Dominicis eant ad eccleſiam.*
31. *Ut excommunicati vitentur, nec fiant judices.*
32. A *De pœna eorum qui participant hæreticis in menſa.*
33. *De epiſcopis excommunicationum contemptoribus.*
34. *Varia de excommunicatis.*
35. *Ut excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, cum maturitate ferantur.*
36. *Ne pro abſolutione excommunicationis, &c. quidquam extorqueatur.*
37. *Ut teſtamentum coram presbytero & viris catholicis condatur.*
38. *De notariis qui teſtamenta ſine illa ſolennitate ſcribunt.*
39. *Ut omnes presbyteri legata pia penes ſe in ſcriptis habeant.*
40. B *Ut legata pia legantur publice in eccleſia.*
41. *Ut nullus ſacerdos fœminam ſuſpectam teneat infra ſepta eccleſiæ.*
42. *Ut calices habeantur argentei.*
43. *Ut reficiantur eccleſiæ rurales, & omnia iis neceſſaria.*
44. *Ne ſæculares qui ſunt in ſacris ordinibus, & regulares ulli, advocati ſint, niſi in certis caſibus.*
45. *Ne qui ſunt in ſacris ordinibus, vel beneficia-[illegible] officium in curia ſæculari recipiant.*
46. *Ut regulares in frenis, & aliis hujuſmodi, auro aut argento non utantur.*
47. *Ut clerici, in veſtibus botones ex auro & argento non ferant.*
48. C *Ut clerici alea non ludant: & ut tonſuram habeant, & qualem.*
49. *Ut clerici commatres ſibi non faciant.*
50. *Ut aves venatorias non ferant, & cum avibus, ac canibus non venentur.*
51. *Ut non bordient cum ſcuto & lancea: & frenis auratis non utantur.*
52. *Ut regularibus, pro veſtibus aut pitantia, pecunia ſumma non detur.*
53. *De veſtibus regularium.*
54. *Ut in prioratibus ſint ad minus tres monachi.*
55. *Ut canonici regulares ſint ſaltem duo in prioratibus.*
56. *De collatione beneficiorum.*
57. D *De viſitatione epiſcoporum.*
58. *De numero evectionum in viſitatione.*
59. *Ut in viſitatione non quærant epulas ſuperfluas.*
60. *Ne tallias exigant, & una tantum die in una eccleſia morentur ad expenſas presbyteri.*
61. *De perjuris.*
62. *De uſurariis.*
63. *De uſuris quas Judæi exigunt a Chriſtianis.*
64. *Ut Judæi cappas rotundas non ferant.*
65. *Ut rotam deferant ante pectus.*
66. *Ne carnes ſuas in macellis Chriſtianorum vendant: & ne illorum cibis ac potibus utantur Chriſtiani.* A
67. *Ne Chriſtiani contra Judæos in teſtimonium admittantur.*
68. *Ne diebus feſtis publice operentur.*
69. *Ut Chriſtiani Judæis non utantur, medicinæ cauſa.*
70. *Ut domini Judæorum eos prædicta ſervare cogant.*
71. *Ne nova pedagia quiſquam imponat vel recipiat.*



## PRÆFATIO.

Multis [1] epiſcopis & prælatis Narbonenſis, Bituricenſis, & Burdegalenſis provinciarum ad concilium celebrandum apud Albiam congregatis, de conſilio & approbatione ipſorum, quædam pro exterminanda hæretica pravitate ac roboranda fide catholica, quædam pro cleri honeſtate, duximus ordinanda.

## CAPITULA.

### I.

*Ut conſtituantur qui diligenter inquirant hæreticos.*

Inhærentes igitur, ſuper negotio fidei, concilio præcipue Toloſano, quibuſdam pro cauſa & tempore demptis, additis, & mutatis: ſtatuimus, ut archiepiſcopi & epiſcopi in ſingulis parochiis, tam in civitatibus, quam extra, unum ſacerdotem, & hominem unum loci, laicum bonæ famæ, ſine mora conſtituant, qui diligenter, fideliter, & frequenter inquirant hæreticos in parochiis ſupradictis, domos ſingulas & cavernas ſubterraneas aliquas ſuſpicatione notabiles perſcrutando, & apprehenſa ſeu adjuncta ipſis eccleſiis ædificia, ſeu quæcumque alia latibula, quæ omnia deſtrui præcipimus, perquirendo: & ſi quos repererint hæreticos, credentes, fautores, defenſores, ſeu receptatores eorum, ne fugere poſſint cautela adhibita diligenti, archiepiſcopo vel epiſcopo, & dominis locorum, ſeu famulis eorum, vel bailivis eorumdem, cum omni feſtinantia ſtudeant intimare, ut animadverſione debita puniantur. Sacerdotes autem & laici ſupraſcripti jurent in manu archiepiſcopi & epiſcopi, & loci domini, vel ejus bajuli, quod omnia ſupradicta exequentur fideliter, poſtpoſitis amore, odio, & timore.

### II.

*Ut qui hæreticum ceperit, marcam argenti accipiat.*

Et quoniam qui ad opus eligitur, extraneus non debet fieri a mercede: præcipimus, ut pro quolibet hæretico, quem ſacerdos & laicus memorati, aut quilibet alius, captum reddiderint, unam marcam argenti, vel ſaltem viginti ſolidos Turonenſes, loci dominus in cujus juriſdictione captus fuerit hæreticus, capientibus infra octo dies de bonis ipſius hæretici ſolvere teneatur.

### III.

*Ut ſi de bonis hæretici marca ſolvi non poteſt, eam ſolvant loci dominus & communitas.*

Si vero de ipſius hæretici bonis pecunia non poterit ſupradicta perſolvi, dominus loci & ipſius loci communitas, in quorum territorio captus fuerit, ſolvant eam infra terminum ſupra ſcriptum, ut ſit ad capiendos ipſos hæreticos efficaciter quilibet magis promptus. Ad ſolvendam autem dictam pecuniam, prout ſuperius continetur, dominus & loci communitas a loci diœceſano vel ab inquiſitoribus per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Super quo taliter ſe habeant, quod videantur fidei zelatores. Et hæc omnia abbates & priores exempti in locis ſuis, quæ non ſunt ordinario jure diœceſano ſubjecta, ſimiliter facere teneantur.

### IV.

*Ut domini terrarum hæreticos ſolicite inquirant.*

Soliciti etiam ſint domini terrarum & bajuli eorumdem circa inquiſitionem hæreticorum in civitatibus, villis, caſtris, domibus, latibulis, & nemoribus faciendam: & circa hujuſmodi appenſa, adjuncta, ſeu ſubterranea latibula, deſtruenda.

### V.

*Ut amittat terram ſuam, quiſquis in ea permiſerit hæreticos commorari.*

Statuimus etiam, Toloſanum [a] concilium innovando, ut quicumque in terra ſua de cetero permittat ſcienter hæreticos commorari, ſive propter pecuniam, ſeu propter aliam quamcumque cauſam, & inde confeſſus fuerit vel convictus, amittat perpetuo

[a] An. 1229. c. 4. & 5.



1 Integrum hic non haberi hoc concilium, & duo ejus decreta, quæ deſunt, ſe in vetuſtiſſima membrana deſcripta ſervare monet Baluzius; *La Barre in nova edit. Dacher.*

ANNO CHRISTI 1254.

tuo totam terram ſuam, & ad faciendum inde quod debebit, ſit in manu domini corpus ejus. Si autem de ſcientia convictus non fuerit, & approbata fuerit negligentia diſſoluta, vel ſi frequenter in terra ſua inveniantur hæretici, aut ſuper hoc fuerit diffamatus, ut defenſor & fautor hæreticorum ab omnibus cenſeatur.

## VI.

*Ut domus, in qua inventus fuerit hæreticus, diruatur.*

Ibid. c. 6. Illam autem domum in qua fuerit inventus hæreticus, diruendam decernimus, & locus ipſe ſive fundus confiſcetur.

## VII.

*Ut puniantur bajuli, qui contra hæreticos non ſunt ſoliciti.*

Ibid. c. 7. Bajulus etiam qui reſidet in loco contra quem præſumitur vehementer, niſi contra hæreticos valde ſolicitus & diligens fuerit & intentus, amittat omnia bona ſua: & deinceps nec ibi nec alibi ullum obtineat officium, ſeu aliquam bajuliam.

## VIII.

*Ut quilibet in terra alterius poſſit hæreticos inquirere ac capere.*

Ibid. c. 9. Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuslibet propter aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur: ſtatuimus, ut quilibet in terra alterius poſſit libere hæreticos inquirere ac capere, & locorum bailivi, etiamſi præſentes fuerint domini, teneantur inquirentibus & capientibus bona fide præſtare conſilium, & auxilium, & favorem.

## IX.

*Ut converſi de hæreſi non remaneant in eodem loco, ſi ſuſpectus ſit.*

Ibid. c. 10. Si vero aliqui hæretici veſtiti, hæreſi ſponte dimiſſa reverſi fuerint ad catholicam unitatem, ſuum recognoſcentes errorem; non remaneant in loco, in quo fuerant antea converſati, ſi locus ille ſuſpectus de hæreſi habeatur, ſed collocentur in alio loco catholico, qui nulla ſit hæreſis ſuſpicione notatus.

## X.

*Ut hæreticis ac eorum fautoribus converſis officia publica non committantur, nec admittantur ad actus legitimos.*

Ibid. Hæreticis autem, quandocumque ad fidem catholicam fuerint converſi, credentibus, fautoribus, defenſoribus ſeu receptatoribus eorundem, nulla de cetero prorſus officia publica ab aliquibus committantur, nec ad aliquos actus legitimos admittantur, niſi per dominum Papam, vel ejus legatum prius fuerint in integrum reſtituti.

## XI.

*Ut omnes ab annis pubertatis abjurent hæreſim.*

Ibid. Univerſi tam mares quam fœminæ, mares a decimoquarto anno ſupra, mulieres a duodecimo, abjurent omnem hæreſim extollentem ſe adverſus ſanctam & catholicam & Romanam eccleſiam & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeantur.

## XII.

*Ut juramentum præſtent de Romanæ eccleſiæ fide tenenda.*

Ibid. Jurent etiam quod fidem catholicam, quam Romana eccleſia tenet & prædicat, tenebunt plenius & ſervabunt, & credentes, fautores, defenſores & receptatores hæreticorum, & ipſos hæreticos, intimabunt & manifeſtabunt diœceſanis vel inquiſitoribus hæreticæ pravitatis. Ita ut archiepiſcopi & epiſcopi, quando ſuam parochiam viſitant, juramentum recipiant ſupradictum, vel cui hoc duxerint committendum, qui fidei articulos, & articulos etiam in ipſo juramento contentos, eis qui jurare debent prius explicent & exponant. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet parochia conſcribi faciant diligenter, & omnes coram ipſo epiſcopo, archiepiſcopo, ſeu coram illo cui hoc duxerint committendum, prædictum præſtent liberaliter juramentum. Et ſi aliquis abſens fuerit, & poſt reditum, infra quindecim dies juramentum non præſtiterit memoratum, quod ex inſpectione nominum poterit apparere, ſuſpectus de hæreſi habeatur.

XIII.



ANNO CHRISTI 1254.

## XIII.

*Ut hoc ſingulis bienniis renovetur.*

Hujuſmodi autem juramentum ſingulis bienniis renovetur.

## XIV.

*Ut medicus non practicet in terris de hæreſi ſuſpectis, niſi ab epiſcopo approbatus.*

* an. 1229. c. 15. Porro Toloſano * concilio (quo cavetur, quicumque fuerit de hæreſis infamia vel ſuſpicione notatus, officio medici de cetero non utatur) addentes: ſtatuimus, ut nullus medicus præſumat de cetero practicare in terris hæreſis ſuſpicione notatis, niſi prius de fide ſua præcipue, vita & moribus, fuerit a loci epiſcopo approbatus.

## XV.

*Ut nemo bajuliam hæreticis & eorum fautoribus committat: nec ſuſpectos in conſortio ſuo retineat.*

Inhibemus etiam ne prælati, barones & milites, ſeu quicumque domini terrarum, ~~hæreticis, credentibus~~, fautoribus, defenſoribus ſeu receptatoribus eorumdem, bajulias ſeu adminiſtrationes terrarum ſuarum committant. Sed nec eos nec aliquos de hæreſi diffamatos, vel quos crediderint de hoc eſſe ſuſpectos, in ſua familia, in ſuo conſilio, aut conſortio habere vel retinere præſumant.

## XVI.

*Quinam habendi pro diffamatis.*

Illos autem debent pro diffamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram loci epiſcopo legitime conſtiterit.

## XVII.

*Ut parochi & epiſcopi articulos fidei populo explicent.*

Præcipimus quoque quod ſacerdotes parochiales per ſe vel alios ſæpius ſtudeant exponere populo, diebus Dominicis & feſtivis, articulos fidei ſimpliciter ac diſtincte, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quiſquam poſſit. Et ad hoc idem in ſua diœceſi frequentius & diligentius faciendum quilibet epiſcopus ſit intentus; & cum per ſe non poterit, per alias honeſtas perſonas & diſcretas plane ac explicite fidem catholicam & ipſius articulos faciat prædicari.

## XVIII.

*Ut pueri inſtruantur in fide.*

Quia comperimus quod propter ignorantiam articulorum fidei plurimi erraverunt; pueri quoque a ſeptennio & ſupra, ad eccleſiam a parentibus adducantur diebus Dominicis & feſtivis, ut in fide catholica inſtruantur, *Credo in Deum*, & *Pater noſter*, & ſalutationem B. Virginis addiſcant.

## XIX.

*Ut diebus Dominicis excommunicentur hæretici.*

Præcipimus autem quod hæretici ac eorum credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, ſingulis diebus Dominicis publice excommunicentur in eccleſiis, pulſatis campanis & extinctis candelis: ac in omnibus eccleſiis, ſingulis diebus, in crepuſculo omnes campanæ ſimul pulſentur in deteſtationem criminis memorati.

## XX.

*Ut ſæculares poteſtates jurent ſe auxilium daturos eccleſiæ contra hæreticos.*

Moneantur etiam comites, barones, & rectores, & conſules, [1] jurati, judices, & bailivi civitatum & aliorum locorum, ac poteſtates aliæ ſæculares, quibuſcumque fungantur officiis, quod promittant corporaliter præſtito juramento, quod fideliter & efficaciter contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt eccleſiam bona fide juxta officium & poſſe ſuum: & quod de terris ſuæ juriſdictioni ſubditis univerſos hæreticos ab eccleſia denotatos, credentes, fautores, receptatores, & defenſores eorum, pro viribus exterminare curabunt. Et hoc juramentum de triennio in triennium renovetur. Bajuli vero, conſules, judices & rectores, quotiens de novo fuerint inſtituti, præſtent hujuſmodi juramentum, ad quod, ſi neceſſe fuerit, per diœceſanum, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur omnes ſuperius memorati.

XXI.

---

1 Baluzius hoc loco mavult *Vicarii*, & ſane ita legitur cap. 22. *La Barre loco cit.*

ANNO CHRISTI 1254.

XXI.

*Ut duplicentur ſcripta Inquiſitionis, & tuto loco ſerventur.*

Interim periculoſis caſibus occurrentes, ſtatuimus ut ſinguli inquiſitores omnia ſcripta Inquiſitionis tranſcribi faciant, & tranſlata de conſenſu legati a ſede apoſtolica, ſi in ora " fuerit, per diœceſanum imponantur & ſerventur in aliquo loco tuto. De ſcriptis autem quæ ſuper his fient, de cetero annis ſingulis ab omnibus Inquiſitionibus " idem fiat: ut ſcilicet duplicentur, ſcriptis, ut dictum eſt, tuto loco ſervandis.

" Val. inter- 13

" inquiſitoribus

XXII.

*Ut inquiſitorum ſententiæ executioni mandentur.*

Et quoniam circa executionem ſententiarum ipſorum inquiſitorum reperiuntur aliqui negligentes: adhærentes in his concilio " Valentino, ſtatuimus quod moneantur comites & barones, conſules, vicarii, judices & bailivi civitatum, & aliorum locorum ac poteſtates aliæ ſæculares, per inquiſitores, vel loci diœceſanum, ut ipſorum ſententias cum omni diligentia exequantur. Et ſi parere non curaverint infra præfixum eis terminum competentem, ad id ab ipſo diœceſano per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Et ſi nec ſe emendaverint, tam diœceſanus, quam inquiſitores, contra eos, clero ad hoc congregato & populo, tanquam contra defenſores & fautores hæreticorum ſententialiter procedere non poſtponant. D Et ſententia poſtquam lata fuerit contra eos, per ipſum qui eam tulit, vicinis epiſcopis publicetur, ut eam denuncient & obſervari faciant, & obſervent.

" an. 1248. c. 9.

XXIII.

*Ut advocati non admittantur in inquiſitionis negotio.*

Ne autem Inquiſitionis negotium per quorumcumque advocatorum ſtrepitum retardetur: providendo ſtatuit dictum concilium Valentinum ", quod obſervari volumus & mandamus, ut ab inquiſitoribus ſeu prælatis non admittantur aliqui in ipſius Inquiſitionis negotio advocati. Circa advocatos vero hæreticorum, conſtitutiones A contra hæreticos promulgatas volumus & præcipimus obſervari.

" c. 11

XXIV.

*De muris faciendis & immurandis.*

De muris autem ipſis & immurandis celeriter faciendis ſtatuendo mandamus, ut illi faciant ipſos muros, qui bona occupant eorundem, & fiant ubi diœceſanus epiſcopus noverit conſtruendos. In quibus muris B arctis ſic ſint clauſi, quod exire inde non valeant ullo modo: quibus immuratis & immurandis provideatur in neceſſariis ſecundum diſpoſitionem prælati ab illis qui bona ipſorum tenuerunt. Si vero non habeant ulla bona, dominus & loci communitas ubi inventi fuerint, providere eis in neceſſariis non poſtponant; & ad hoc, ſi opus fuerit, a diœceſano per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

XXV.

*De iis qui in hæreſi mortui ſunt.*

C Statuimus inſuper & mandamus, ut ſi per Inquiſitionem reperiatur, aliquos defunctos fuiſſe hæreticos tempore mortis ſuæ, exhumentur, & eorum cadaver ſive oſſa publice comburantur, defenſione legitima eorum hæredibus renovata. Pro iis autem quibus [1] cruces, ſi viverent, eſſent imponendæ: [illegible] hæredes, diœceſani aut Inquiſitorum arbitrio ſatisfacere compellantur.

XXVI.

*Ut domini temporales cogantur ad confiſcanda bona, & exhumanda cadavera.*

Volumus inſuper & mandamus, ut temporales domini, ad occupandam & confiſcandum bona immuratorum, & illorum qui relinquuntur curiæ ſæculari, exhumandorum quoque, a diœceſano & ab inquiſitoribus per cenſuram eccleſiaſticam compellantur, cum ex eo, quod quibuſdam de bonis ipſis aliquando gratia facta fuerit E remanendi in ipſis [2] nemoribus, aut non fugiendi eoſdem, incentivum eis præſtitum fuerit, ut accepimus.

XXVII.

[1] Qui ſcil. ab hæreſi abjurata cruces duas anterius prominentes in veſtibus geſtare debuerant ſi viverent, ut habetur in Concilio Toloſano cap. 2. *La Barre loc. cit.* [2] Lego, *erroribus*, ut reſtituit Baluzius.



ANNO CHRISTI 1254.

XXVII.

*De iis qui intrant ſolitarii ad hæreticos.*

Denique cum plures intrent ſolitarii ad hæreticos adhortandos ", ut per teſtes nequeat hoc probari: concilii approbatione ſtatuimus, ut ſi quis hæretica pravitate ſuſpectus, domum intraverit, in qua hæreticum eſſe ſciat, abſque alia probatione adhortaſſe hæreticum vehementiſſime præſumatur.

" adhortandos nimirum ut ſint perſtitutes.

XXVIII.

*De iis qui citati, ſe abſentant.*

Porro qui citati legitime ſuper crimine hæreſis, cum eſſent de hæretica pravitate ſuſpecti, contumaciter ſe abſentant, nec volunt coram diœceſano vel inquiſitoribus eos citantibus comparere; & ſic latam in eos ab eiſdem diœceſano vel inquiſitoribus excommunicationis ſententiam per annum vel amplius vilipendunt: " hæretici condemnentur, etiamſi nihil probatum fuerit contra eos.

" Forte, ut hæretici. H.

XXIX.

*Quando ad confeſſionem & euchariſtiam accedendum.*

Omnes autem utriuſque ſexus poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, confeſſionem peccatorum faciant in anno proprio ſacerdoti, ſimiliter alii de voluntate illius, injunctam ſibi pro viribus pœnitentiam humiliter impleturi. Ter quoque in anno, in natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, ſuſcipiant euchariſtiæ cum omni reverentia ſacramentum. Ita quod confeſſio communionem præcedat: niſi ſi, ob aliquam cauſam rationabilem, ad tempus ab ejus receptione abſtinuerint de conſilio proprii ſacerdotis.

XXX.

*Ut diebus Dominicis eant ad eccleſiam.*

Item ſtatuimus ut parochiani, dominus & domina cujuſlibet domus, diebus Dominicis teneantur ad eccleſiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem & Divinum officium, nec receſſuri, niſi donec Miſſa compleatur. Quod ſi alter illorum abſens fuerit extra villam, infirmitate vel alia cauſa rationabili impeditus, vel alter ſaltem venire teneatur. Quod ſi non fe- A cerint, dummodo ſint in villa præſentes, nulla infirmitate vel alia cauſa rationabili detenti, ſaltem duodecim denarios uſualis monetæ ſolvere quilibet teneatur: quorum medietas ſit domini villæ, & alia medietas eccleſiæ applicetur.

XXXI.

*Ut excommunicati vitentur, nec fiant judices.*

Et quoniam contemnere claves eccleſiæ, B hæretica pravitas eſt: tam canones quam alia concilia innovantes, diſtrictim præcipimus, ut excommunicati ab omnibus vitentur juxta canonicas ſanctiones: firmiter ſtatuentes, ut nullus comes vel baro, ſeu aliqua ſæcularis poteſtas, multo minus nullus clericus vel prælatus, aliquem excommunicatum faciat ſuum judicem, conſiliarium, ſive bailivum. Alioquin quicumque ſcienter contra hoc fecerit, minori excommunicatione ipſo facto eum eſſe decernimus irretitum.

XXXII.

*De pœna eorum, qui excommunicatis participant in menſa.*

C Adjicimus, quod ſi quis clericus, vel prælatus, alicui excommunicato ſcienter in menſa participare præſumpſerit, per unum menſem ſit ei eccleſiæ ingreſſus interdictus. Laicus vero ſimili modo excommunicato in menſa participans, per unum menſem ad Divina officia nullatenus admittatur. A quo D interdicto clericus vel laicus, non niſi per epiſcopum; epiſcopus autem, ſi ſimile commiſerit, non niſi per ſuperiorem ſuum abſolutionis beneficium valeat obtinere.

XXXIII.

*De epiſcopis excommunicationum contemptoribus.*

Item circa epiſcopos excommunicationum temerarios contemptores, quantum ad eos qui ſunt in regno Franciæ, ſtatutum E Narbonenſis " concilii; quantum vero ad illos qui ſunt extra regnum Franciæ, Valentinum " concilium obſervetur.

" an. 1227. c. 2.

" an. 1248. c. 6. & 16.

XXXIV.

*Varia de excommunicatis.*

De excommunicatis autem in conſules, poteſtates, rectores, aſſeſſores, bajulos, vel ad alia publica officia nullatenus aſſumendis;

Anno Christi 1254.

dis; & illis qui tales ſcienter elegerint; nec non illis, qui contra excommunicatores, vel denunciatores excommunicationum, ſtatuta banna faciunt, ſeu præcepta; ac de excommunicatis publice, qui ſe officiis eccleſiaſticis ingerere pertinaciter non verentur, nec inde volunt recedere, a ſacerdote moniti vel prælatis, & de interfectoribus clericorum: ſupradictum concilium Valentinum [a] ſervari volumus & mandamus.

[a] 14. 15. 17. 19.

## XXXV.

*Ut excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, cum maturitate ferantur.*

Et quoniam excommunicationis, interdicti, nec non ſuſpenſionis, ſententiæ maturitate debita ſunt ferendæ: conſtitutiones bonæ memoriæ domini papæ Innocentii IV. *Cum medicinalis*, &c. *quoniam periculoſum*, &c. *ſolet a nonnullis*, &c. in earum prolationibus obſerventur.

## XXXVI.

*Ne pro abſolutione excommunicationis quidquam extorqueatur.*

Diſtricte nihilo minus inhibemus, ne epiſcopus, vel prælatus, vel alius ad quem ſententiarum ſpectat abſolutio prædictarum, cum talibus ſententiis jam ſatisfecerint, vel parati ſunt ſatisfacere juxta eccleſiæ arbitrium de offenſis, pro ſolo actu abſolvendi, quodcumque [illegible] præſumat.

## XXXVII.

*Ut teſtamentum coram presbytero & catholicis viris condatur.*

Præterea inhærentes Toloſano [a] concilio, volumus & præcipimus, ut teſtamentum, vel ultima voluntas cujuſque, in præſentia ſemper catholicorum virorum, & parochialis ſacerdotis, vel alterius perſonæ eccleſiaſticæ de voluntate ipſius parochialis presbyteri locum ejus tenentis, condatur: præſertim ut idem ſacerdos, vel locum ejus tenens, valeat de iſto teſtatore laudabile teſtimonium perhibere, & ne de ipſo aliqua infidelitatis ſuſpicio habeatur, & maxime ut ea quæ in pias cauſas reliquerit, ſine fraude fidelius & citius perſolvantur. Quod ſi teſtator vocare, ut diximus, ſacerdotem parochialem, & viros eccleſiaſticos contempſerit: careat eccleſiaſtica ſepultura, donec de ejuſmodi mandati contemptu, qui eo tempore præſumitur niſi eos vocaverit, cum effectu, eccleſiæ ſatisfactum fuerit competenter.

[a] an. 1229. n. 16.

## XXXVIII.

*De notariis qui teſtamenta ſine illa ſolemnitate ſcribunt.*

Notarius vero, qui abſque ſolennitate ſuperius expreſſa, notare vel ſcribere præſumpſerit teſtamenta, vel ultimas voluntates, quouſque ad cognitionem diœceſani ſatisfecerit, ingreſſum eccleſiæ ſibi noverit interdictum.

## XXXIX.

*Ut omnes presbyteri legata pia penes ſe in ſcriptis habeant.*

Verum quia parochiales presbyteri circa ſolutiones eorum quæ ad pias cauſas a decedentibus relinquuntur, negligentes exiſtunt, præcipue ex quo in his quæ ad eos proveniunt, eiſdem fuerit ſatisfactum: ſtatuimus, ut omnia legata ad pias cauſas ab ipſis teſtatoribus derelicta, omnes parochiales ſacerdotes in ſcriptis penes ſe deinceps curent plenius retinere, ut ſciant quid, quantum, a quo & a quibus legatum fuerit ſeu relictum, circa quorum abſolutionem eos ſolicitos eſſe præcipimus & intentos: ſtatuentes, ut poſt obitum teſtatoris infra quindecim dies, hęres, ab ipſo parochiali presbytero requiſitus, ipſius teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis eidem ſacerdoti dare tranſcriptum ſeu tranſlatum, quo ad legatum piis cauſis & piis uſibus deputatum, expenſis legatariorum teneatur: ad quod ab eodem presbytero per cenſuram eccleſiaſticam valeat compelli ipſe hęres.

## XL.

*Ut legata pia legantur publice in eccleſia.*

Inſuper ſtatuimus ut legantur in eccleſia publice, tum maxime die Dominica vel feſtiva, legitima & legata omnia ſupra dicta, ut quid cui legatum fuerit vel relictum, minime ignoretur.

## XLI.

*Ut nullus ſacerdos feminam ſuſpectam teneat infra ſepta eccleſiæ.*

Item præcipimus, ut nullus ſacerdos, vel clericus regularis, aut ſæcularis, aliquam feminam teneat intra ſepta eccleſiæ, de qua mala ſuſpicio valeat exoriri.

XLII.



Anno Christi 1254.

## XLII.

*Ut calices habeantur argentei.*

Calices quoque argenteos volumus haberi in omnibus eccleſiis, quarum redditus & proventus annuatim attingunt ſummam quindecim librarum Turonenſium, expenſis duntaxat, quæ fuerint colligendo & reponendo, deductis.

## XLIII.

*Ut reficiantur eccleſiæ rurales, & omnia iis neceſſaria.*

Statuimus etiam ut epiſcopi & archiepiſcopi, & alii eccleſiarum prælati, rectores, vel alii, qui ad hoc de conſuetudine tenentur, compellant per cenſuras eccleſiaſticas ad reficiendum eccleſias rurales, & alias domos, & alias officinas eiſdem eccleſiis neceſſarias & ſervitoribus earumdem, prout ipſis qui tenentur, propriæ ſuppetierint facultates.

## XLIV.

*Ne ſæculares qui ſunt in ſacris ordinibus, & regulares ulli, advocati ſint: niſi in certis caſibus.*

Item volumus & præcipimus, ne aliqui clerici ſæculares in ſacris ordinibus conſtituti, & qui de beneficiis eccleſiaſticis ſuſtentantur, coram ſæculari judice, niſi in caſibus a jure conceſſis; nec etiam aliqui regulares coram quocumque judice, ſine ſui majoris licentia ſpeciali, officium advocati aſſumant indebite.

## XLV.

*Ne qui ſunt in ſacris ordinibus, vel beneficiati, officium in curia ſæculari recipiant.*

Statuimus quoque, Valentinum [a] concilium innovando, ut nulli clerici in ſacris ordinibus conſtituti, ſeu canonici cathedralium eccleſiarum, ſeu alias beneficiati, judicaturam, conſulatum, aſſeſſoriam, vel alia officia publica in curia ſæculari, electi a populo, vel a ſæculari perſona, recipiant, & ſi receperint, niſi infra menſem, poſtquam publicata fuerint in ſuis diœceſibus hæc ſtatuta, dimiſerint, ab officio & beneficio ſuſpendantur: & ſi per annum in contumacia perſtiterint, ſuis beneficiis per ſuos epiſcopos ſine ſpe reſtitutionis priventur.

[a] an. 1248. n. 3.

## XLVI.

*Ut regulares in frenis, & aliis hujuſmodi, auro aut argento non utantur.*

Ad hæc ſtatuimus, ut nullus regularis in frenis, pectoralibus, calcaribus, & ſellis, ſuis uſibus deputatis, auro vel argento utatur; ſed ſint ſellæ regularium albæ, vel nigræ, vel raſæ.

## XLVII.

*Ut clerici botones ex auro vel argento in veſtibus non ferant.*

Denique ſtatutis canonicis quæ olim ſunt prodita pro honeſtate clericorum ac vita, illud duximus adnectendum, ut aliquis clericus botones vel firmallos aureos, vel argenteos, deauratos vel deargentatos, deferre in aliquibus veſtibus non præſumat.

## XLVIII.

*Ut clerici alea non ludant, & ut tonſuram habeant, & qualem.*

Statuimus inſuper, antiquos canones innovando, ne clerici in ſacris ordinibus conſtituti, & qui beneficiis eccleſiaſticis ſuſtentantur, ad aleas & taxillos ludant: & coronam & tonſuram habeant congruentem. Quod ſic intelligi volumus & ſervari, ut omnes prælati & regulares perſonæ ſupra aures in gyrum, ita quod aures omnino pateant, ſint attonſi: alii vero, in rotundum, ad minus uſque ad medium aurium tondeantur.

## XLIX.

*Ut clerici commatres ſibi non faciant.*

Commatres quoque ſibi facere, pueros de ſacro fonte elevando, aut aliquos in confirmatione tenendo, omnibus clericis tam ſæcularibus quam regularibus inhibemus.

## L.

*Ut aves venatorias non ferant, & cum avibus ac canibus non venentur.*

Aves venatorias præterea quiſquam clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, vel alius qui de beneficio eccleſiaſtico ſuſtentatur, in publico manu propria deferre

non

ANNO CHRISTI 1254.

A non præſumat: & cum avibus & canibus non venetur, avem venatoriam manu propria deferendo, nec pro domnerando cum eis frequentet hoſpitia mulierum.

## L I.

*Ut non biordent cum ſcuto & lancea: & frænis deauratis non utantur.*

Trepidare quoque, quod vulgariter biordare" dicitur, cum ſcuto & lancea, aliquis clericus publice non attentet: quia ex his multa diſſolutionis, laſciviæ & ſcandali materia generatur. Frenis autem, calcaribus, ſeu pectoralibus, deauratis nullo modo utantur.

" Cor. bordiare, hoc eſt ludicra prælia baſtis exercere.

## L I I.

*Ut regularibus, pro veſtibus aut pitantia, pecuniæ ſumma non detur.*

Item nulli regulari pro veſtibus ſeu pro pitantia, a ſuo majore pecuniæ ſumma detur; ad hoc enim datur ei materia proprium retinendi: ſed omnes in veſtiario induantur.

## L I I I.

*De veſtibus regularium.*

Prohibemus quoque diſtrictius, ut nulli regulares cum balandranis, ſeu garmaſiis vel aliis veſtibus laicorum, equitent vel incedant: ſed cappas rotundas publice deferant, vel ſuum habitum regularem. Et quia plurimi regulares regularem deferre habitum erubeſcunt: Montiſpeſſulani, & Avenionenſi conciliis inhærentes, ſtatuimus, ut omnes monachi nigri, & canonici regulares, veſtes deferant albas vel nigras, ut qui ex antiqua eccleſiæ ſuæ conſuetudine albas hactenus portaverint, hujus conſtitutionis prætextu nigras, vel e contra, deferre propterea non præſumant; cum in unaquaque eccleſia velimus unum habitum ſecundum ſtatum antiquum & laudabilem obſervari: diſtricte præcipientes, ut regulares aliqui clara vel nigra bruneta, vel panno alio ſumptuoſo, ſerdato quoque aut ſerico non utantur. Ut autem prædicta ſerventur ab omnibus clericis, tam regularibus quam ſæcularibus: ipſius concilii approbatione inconcuſſe ſtatuimus, ut qui contra prædicta venerit, vel aliqua prædictorum, ſit ipſo facto ineligibilis ad beneficium eccleſiaſticum, & multo magis ad eccleſiaſticam dignitatem, ad quod vel quam, poſt ejuſmodi exceſſum, primo eum eligi contigerit, vel vocari; niſi cum eo fuerit per ſedem apoſtolicam diſpenſatum.

## L I V.

*Ut in prioratibus ſint ad minus tres monachi.*

Statuimus etiam, ut ſi talis fuerit prioratus monachorum, in quo tres monachi valent commorari, tres ad minus ponantur ibidem, & unus ex eis prior fiat, qui curam habeat animarum ", vel aliorum. Si vero tot fratribus non ſufficiat prioratus, cum paucioribus vix poſſint regulariter vivere, duæ vel tres eccleſiæ, juxta arbitrium diœceſani, & abbatis, ſeu præpoſiti, vel prioris, cui, vel quibus eccleſiæ illæ ſubſunt, conjungantur in unum, & illi priori, qui inſtituetur in una ipſarum, reſpondeant: qui prior, in illis eccleſiis, in quibus tres non fuerint, miniſtret per preſbyterum ſecularem. Adjicientes, ut ſi ille ad quem ſpectat prioratuum ordinatio prædictorum, per annum negligens in his fuerit vel remiſſus, ipſorum prioratuum ordinatio devolvatur ad ſuperiorem proximum.

## L V.

*Ut canonici regulares, ſint ſaltem duo in prioratibus.*

De prioratibus vero canonicorum regularium, cum regulæ inſerviant laxiori, ſi pluribus non ſufficiat prioratus, duo ſaltem canonici in prioratu ponantur. Quod ſi nec duobus facultates ſufficiant prioratus, fiat ſicut de prioratibus monachorum. Hoc enim in iis præſertim agimus, ut monachus, vel canonicus regularis, abſque ſociis vel ſocio ſui ordinis non moretur.

## L V I.

*De collatione beneficiorum.*

Sane cum in collatione bonorum eccleſiaſticorum haberi debeat principaliter ante oculos ſolus Deus: diſtricte præcipimus & mandamus, ut omnia eccleſiaſtica bona perſonis idoneis, & ſtatuto a canonibus tempore conferantur, nullo præcepto, vel promiſſo ", remotis omni conditione & pacto, abſque omni diminutione, nova penſione in eiſdem ad opus conferentis vel alterius non injecta, prout canonicæ ſtatuunt ſanctiones: circa quæ fraudem quamlibet evitari prorſus volumus, & diſtricte mandamus: firmiter inhibentes, ne redditus eccleſiarum vacantium præſumat quiſquam, præterquam ipſius eccle-



ANNO CHRISTI 1254.

ſiæ que vacat, uſibus applicare, aut eaſdem bonis ſuis aliquibus ſpoliare. Si autem aliquis ſcienter contra fecerit, ipſorum beneficiorum, aliter quam ſupra dictum eſt collatorum, in pœna ipſius conferentis, & ejus qui recipit, ſic collata, ad ſuperiorum collationem ea vice, tanquam vacantia, " per ſtatutum hujuſmodi devolvantur.

" al. vacantium.

## L V I I.

*De viſitatione epiſcoporum.*

Verum quia in procurationibus exigendis, quæ ratione viſitationis debentur, quidam prælati excedere aſſeruntur, ſubditos inhumaniter aggravantes, quos paterna tenentur gubernare providentia: ſtatuimus, ac diſtricte præcipiendo mandamus, ut omnes prælati cum eccleſias ſibi ſubditas viſitabunt, prius propoſito verbo Dei, tam clero, quam populo, ac explicatis præſertim articulis fidei coram eis quærant de vita & converſatione miniſtrantium in eiſdem: ornamenta tam altarium, quam ſacerdotum, præcipue corporalia, vaſa, & calices, ſi ſint munda diligentius intuentes, cum in pleriſque eccleſiis interdum talia conſueverint reperiri, quæ ſint horribili potius quam honori. Intendant etiam ad emendationem congruam miniſtrorum, per ſalubria monita, nunc levia, nunc aſpera, juxta datam ſibi a Domino providentiam & doctrinam. Notoria vero crimina, quæ examinatione non indigent, cum ſuper his notari poſſit merito ordinariorum negligentia, corrigant ſine mora. Statuentes, ut prædictas procurationes nullus recipiat, niſi cum per ſe, vel per alium providum & honeſtum, ipſas eccleſias viſitaverit. Nullam tamen pecuniam ipſe, vel alius pro eodem, exigat vel recipiat ullo modo, niſi una eccleſia ſine alterius auxilio viſitatori commode poſſit providere: attentius proviſurus, ut aliquis de familia ſua, occaſione alicujus officii, vel conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo, præter victualia moderata quidquam exigere, vel etiam recipere, non attentet. Caveant inſuper & attendant, ut ipſe, vel quiſquam ſuorum, aliquod munus, quantumcumque ſit, & qualitercumque offeratur, recipere non præſumant: ut non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti quærere videantur.

ANNO CHRISTI 1255.

## L V I I I.

*De numero evectionum in viſitatione.*

Prohibemus & mandamus, ut cum prædictas eccleſias viſitabunt, non excedant evectionum numerum in Lateranenſi concilio conſtitutum: attendentes quod de prædicto ibidem evectionum numero continetur, ſecundum tolerantiam eſſe dictum in illis locis, in quibus ampliores ſunt redditus eccleſiaſticæ facultatis; in pauperioribus autem locis, tantam volumus & præcipimus teneri menſuram, ut exceſſu majorum minores merito non doleant ſe gravari: nec ſub tali indulgentia, illi qui hactenus paucioribus equis uti ſolebant, indultam poteſtatem plurium ſibi credant.

Lateran. III. c. 4.

## L I X.

*Ut in viſitatione non quærant epulas ſuperfluas.*

Volumus inſuper & mandamus, ut in viſitationibus ſupradictis non quærant epulas ſuperfluas, ſed cum gratiarum actione recipiant quod honeſte ac competenter illis fuerit miniſtratum.

## L X.

*Ne tallias exigant, & una tantum die in una eccleſia morentur ad expenſas capellani vel rectoris.*

Circa vero exactiones & tallias a ſubditis exigendas, ſupradictum Lateranenſe concilium ab omnibus volumus & præcipimus obſervari: adjicientes, ut in una eademque eccleſia, niſi una die, abſque legitima cauſa & neceſſaria, non morentur ad expenſas capellani eccleſiæ vel rectoris. Quod ſi fuerit contra præſumptum, contra faciens Dei maledictionem incurrat, a qua nunquam, niſi duplum reſtituat, liberetur.

## L X I.

*De perjuris.*

Ad hæc, quia plus ſolito contemnitur religio juramenti, contra perjuros quoslibet manifeſte ſtatutum " Avenionenſis concilii ubique volumus obſervari: adjicientes, ut occulte tranſgreſſores liciti juramenti, ab omnibus parochialibus presbyteris ad epiſcopum tranſmittantur, qui injungat eis de hoc pœnitentiam ſalutarem.

" an. 1209. c. 13.

## LXII.

*Uſurariis.*

Ibid. c. 3. Licet autem ad extirpandum vitium uſurariorum pagina utriuſque teſtamenti conveniat, ſtatutum Avenionenſis concilii ſuper his editum innovamus: ſtatuentes, ut ſervetur ab omnibus, prout in ipſo plenius continetur.

## LXIII.

*De uſuris, quas Judæi exigunt a Chriſtianis.*

Adjicientes ut Chriſtianos ad ſolvendum Judæis, vel aliquibus aliis, uſuras aliquas, non compellat ullus judex eccleſiaſticus, vel etiam ſæcularis. Statuimus inſuper, ſi ſit dubium, an ſit aliquid de uſuris illis debitis, quæ interdum a Chriſtianis poſtulant ſibi ſolvi, iidem Judæi veritatem prius dicere juramento ſuper legem Moſaicam aſtringantur, rationibus aliis convenientibus, quæ ad probandas uſuras inductæ fuerunt, non rejectis, etiam hoc de mutuis cum ipſis Judæis uſque modo contractis, obſervandum. Statuimus & mandamus, in his, aut quæ deinceps mutuaverint Judæi Chriſtianis, Chriſtianorum ipſorum ſtetur ſimplici juramento, an quicquam uſurarium ſit in eis; & in eo quod uſurarium eſſe dixerint, ſic jurati abſolvantur.

## LXIV.

*Ut Judæi capas rotundas non ferant.*

Et quoniam ex capis rotundis, quas Judæi portant communiter, honor vehementer confunditur clericorum, qui capis rotundis ex more utuntur: præſentis approbatione concilii duximus ſtatuendum, ut Judæi aliqui deferre capas rotundas de cetero non præſumant; ſed capas portent de cetero & deinceps manicatas, ita quod manicæ longæ ſint adeo ſicut capæ, nec in eiſdem manicis plicatura ſit aliqua atque ruga.

## LXV.

*Ut rotam deferant ante pectus.*

Portent inſuper rotam amplam continuo & publice ante pectus, cujus circulus ſit latitudinis unius digiti, ac unius palmi dimidii altitudo.

## LXVI.

*Ne carnes ſuas in macellis Chriſtianorum vendant: & ne illorum cibis ac potibus utantur Chriſtiani.*

Carnes quoque, quas ipſi privatim faciunt in domibus ſuis, in macellis Chriſtianorum vendere non attentent: & quia in contemptum noſtrum Judæi aliquibus cibis noſtris & potibus non utuntur, firmiter inhibemus, ne aliqui Chriſtiani audeant uti ſuis.

## LXVII.

*Ne Chriſtiani contra Judæos in teſtimonium admittantur.*

Abuſum quarumdam partium abolentes, diſtrictius præcipimus & mandamus, ne Chriſtiani contra Judæos in teſtimonium in omnibus contractibus, & in omnibus curiis admittantur.

## LXVIII.

*Ne Judæi diebus feſtis publice operentur.*

Ne autem Chriſtianos ſcandalizent, vel ſcandalizentur ab eiſdem, diebus Dominicis & feſtivis operari publice non præſumant.

## LXIX.

*Ut Chriſtiani Judæis non utantur medicinæ cauſa.*

Excommunicentur præterea Chriſtiani qui cauſa medicinæ curæ ſe commiſerint Judæorum.

## LXX.

*Ut domini Judæorum eos prædicta ſervare cogant.*

Adjicientes, ut Judæorum domini prædictorum, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur, ut Judæos ſuos portare faciant continue & publice rotam & habitum ſupradictum; ipſos quoque Judæos, per excommunicationem in Chriſtianos, qui in commercio, vel aliis, participationem habebunt aliquam cum eiſdem.

LXXI.





## LXXI.

*Ne nova pedagia quiſquam imponat vel recipiat.*

Nova autem pedagia, quocumque nomine cenſeantur, ſcienter quiſquam imponere, vel etiam recipere non attentet. Quod ſi quis fecerit, excommunicationis ſententiam per ſedem Apoſtolicam, [a] in iis ſingulis promulgatam, incurrat. Quod niſi monitus ab iis deſtiterit, per diœceſanum præcipimus ſolenniter publicari.

[a] *Lege*, annis, *ut emendat Baluzius.*

## OBSERVATIO EX LUCÆ DACHERII

PRÆFATIONE,

In ſecundum Spicilegii tomum.

Albienſe concilium fuiſſe celebratum anno MCCLIV. conſtat ex MS. eccleſiæ Arelatenſis, acta concilii referente. Initium ab eruditiſſimo Franciſco Suarez excerptum fratres Sammarthani archiepiſcoporum Avenionenſium ſeriei interſeruere in Zoen XLVII. archiepiſcopo: *Concilium Albienſe factum a domino Zoen, &c. Congregatum apud Albiam*, MCCLIV. *juſſu Ludovici Francorum regis.*



# ** CONCILIUM PARISIENSE

PROVINCIÆ SENONENSIS,

Anno Domini MCCLV.

L*Eviſſimam facit hujus concilii mentionem Carolus Sauſſeyus, annalium eccleſiæ Aurelianenſis lib.* XI. *his verbis*: Anno MCCLV. interfuit Guillelmus de Buſſis, Aurelianenſis epiſcopus concilio provinciali Pariſiis habito: præſidente Henrico Senonenſi archiepiſcopo, ſuper negotio interfectionis bonæ memoriæ E. quondam cantoris Carnotenſis, cum epiſcopis Renaudo Pariſienſi, Guidone Autiſſiodorenſi, Nicolao Trecenſi, & Alelmo electo Meldenſi: *Hæc tantum Sauſſeyus, quæ petita profitetur ex actis eccleſiæ Trecenſis.*

# ** CONCILIUM BURDEGALENSE,

A GERARDO DE MALEMORT, BURDEGALENSI ARCHIEPISCOPO,

Pro diſciplina eccleſiaſtica celebratum Id. April. anno Domini MCCLV.

Ex codice conſtitutionum Santonenſium Pictavi edito, anno MDXLI.

TITULI CAPITULORUM.


1. *De clericis habentibus eccleſias.*
2. *De quæſtoribus.*
3. *De presbyteris alterius diœceſis.*
4. *De exequendis citationibus.*
5. *De communicatione puerorum.*
6. *Ut redditus eccleſiarum ſcribantur in miſſalibus.*
7. *Quando non licet ſuper reliquias jurare.*
8. *De querelis capellanorum.*
9. *De reliquiis.*
10. *De clericis, ne interſint vindictæ ſanguinis.*
11. *De abſolutione excommunicatorum a capitulo facienda.*
12. *Ne in clauſtris religioſorum litigetur.*
13. *De decimis & primitiis.*
14. *De aſſenſatoribus decimarum.*
15. 16. *Item de decimis.*
17. *Item de primitiis.*
18. 19. *Item de decimis.*
20. *Item de primitiis.*
21. *Item de decimis veteribus.*
22. *Item de decimis novalium.*
23. 24. *De pœna decimariorum.*
25. *De juribus capellanorum.*
26. *Ne pro ſacramentorum adminiſtratione aliquid exigatur.*
27. *De excommunicatis, invito ſacerdote eccleſiam intrantibus.*
28. *De pœna excommunicatorum.*
29. 30. *De ſtatutis confratriarum.*




CONSTITUTIO DOMINI G. BURD. ARCHIEPISC.

## I.

*De clericis beneficiatis.*

Præcipitur omnibus clericis habentibus eccleſias, ut continuam faciant reſidentiam in eiſdem, & ad ſingula tempora ordinum ſe offerant ordinandos: alioquin nulla alia monitione præmiſſa ſuis beneficiis noverint ſe privatos.

## II.

*De quæſtoribus.*

Item inhibemus ſacerdotibus, ne quæſtorem permittant in ſuis eccleſiis, niſi de mandato noſtro ſive apoſtolico, prædicare: ſed ipſi exponant ſubditis ſuis id ſolummodo quod in apoſtolicis & noſtris litteris viderint contineri. Caveant inſuper, ne cartellos a quæſtoribus recipiant, niſi primitus diligenter inſpectos, quod in iis nec major indulgentia, nec ampliora beneficia exprimantur, quam in litteris ſupradictis.

III.

*De presbyteris alterius diœceſis.*

Itemque inhibemus ne presbyteri, niſi de diœceſi fuerint, ad ſerviendum in eccleſiis admittantur: niſi de licentia noſtra ſpeciali. Quod ſi ſecus fuerit attentatum, ſciant ſe, qui eos acceperint, animadverſione debita puniendos.

IV.

*De exequendis citationibus.*

Item præcipimus, ut cum litteræ citatoriæ elapſa majore parte termini aſſignati primo fuerint præſentatæ, ille cui litteræ diriguntur, mandatum nullatenus exequatur: ne per fraudem occultantis, facultas adeundi judicem aut mittendi procuratorem adverſario ſubtrahatur. Si vero oblatæ fuerint in tempore competenti, ſed qui citandus eſt, commode nequeat inveniri: tunc eo invento intra terminum, mandatum nihilominus exequatur.

V.

*De communicatione puerorum.*

Inhibetur presbyteris, ne hoſtias conſecratas pueris dent ullo modo pro communione in die Paſchæ; ſed panem benedictum communem. Idem de aliis prohibitis communicare, præcipimus obſervari.

VI.

*Ut redditus eccleſiarum ſcribantur in Miſſalibus.*

Præcipitur ſacerdotibus, ut omnes redditus eccleſiæ ſcribant in miſſalibus ſuis, & de rebus eccleſiæ vel presbyterii nihil alienetur niſi per epiſcopum.

VII.

*Quando non licet ſuper reliquias jurare.*

Reliquiæ non tradantur laicis ad jurandum: niſi certis temporibus. Decrevit enim ſancta ſynodus, ut a Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ, ab Adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ, & in jejuniis quatuor temporum, & Litaniis majoribus, & in Dominicis diebus Rogationum, niſi de concordia & pacificatione, nullus ſuper Dei evangelia jurare præſumat. Et in [a] his diebus non debent ſacerdotes reliquias præſtare ad jurandum.

[a] Forte, aliis. II.

VIII.

*De querelis capellanorum.*

Nullus ſacerdos vel alia perſona eccleſiaſtica, de perſonalibus injuriis, vel de eleemoſynis eccleſiæ factis audeat litigare, niſi de conſenſu epiſcopi, coram judice ſæculari.

IX.

*De reliquiis.*

In concilio ſtatutum eſt quod amodo reliquiæ extra capſam nullatenus extrahantur, nec exponantur venales. Inventas autem nemo de novo venerari publice præſumat; niſi prius authoritate Romani pontificis fuerint approbatæ.

X.

*De clericis ne interſint vindictæ ſanguinis.*

Nullus clericus ſententiam ſanguinis dictet, aut proferat, aut ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, interſit; nec quiſquam clericus litteras dictet aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas.

XI.

*De abſolutione excommunicatorum a capitulo facienda.*

Cum quidam ſimplices capellani parochianos ſuos excommunicatos, in mortis articulo laborantes, cum juramento quod eorum hæredes ſtent juri, indifferenter abſolvant, licet plerique parochiani ſint pro manifeſta offenſa, vel pro re judicata, excommunicationis ſententia innodati: firmiter inhibemus, ne aliqua eccleſiaſtica perſona excommunicatum aliquem pro manifeſta offenſa, vel pro re judicata, præſumat abſolvere: niſi ab ipſo infirmo, vel alio nomine ipſius, adverſario ejuſdem infirmi fuerit prius ſatisfactum: dum tamen infirmus non poſſit per inopiam probabiliter excuſari. Si vero ab aliquo, non ſervata hujus forma, infirmus excommunicatus fuerit abſolutus, abſolvens adverſario defuncti in ſolidum teneatur.







XII.

*Ne in clauſtris religioſorum litigetur.*

Cum religioſarum perſonarum & monaſteriorum quietem prælati debeant procurare, ut ipſi religioſi in contemplatione manentes Divinæ poſſint liberius ſervire majeſtati: canonum ſtatuta ſequentes, diſtricte præcipimus & mandamus prælatis & omnibus clericis & laicis univerſis, ne infra baſilicas, vel clauſtra religioſorum conventuum regularium litigare præſumant, vel audire aliquatenus litigantes. Quod ſi facere præſumpſerint, poſtquam iſtud præceptum eis fuerit publicatum: nos, transgreſſores dicti præcepti ſub diſtricti ponimus ſententia interdicti.

XIII.

*De decimis & primitiis.*

Præcipimus laicis univerſis, qui decimas & primitias detinent contra ſalutem propriam animarum, quod eas dimittant eccleſiis quarum exiſtunt. Quod ſi facere noluerint, eos præcipimus latæ a bonæ memoriæ Guillelmo prædeceſſore noſtro ſententiæ ſubjacere: videlicet quod ad matrimonium vel euchariſtiæ communionem aut ſepulturam canonicam, vel ad purificationem poſt partum ipſum, vel uxores eorum aut filii & filiæ in eorum poteſtate conſtituti vel exiſtentes nullatenus admittantur.

XIV.

*De aſſenſatoribus decimarum.*

Aſſenſatores autem decimarum a laicis, ſi laici fuerint, ſimili ſententia ſe noverint irretiti: niſi eorum dominio adeo ſint ſubjecti, quod eorum non audeant imperio contraire. Si vero clerici ſint iidem aſſenſatores, excommunicationis vinculo ſe noverint innodatos. Quas quidem ſententias ab univerſis eccleſiarum prælatis, ſub pœna excommunicationis præcipimus obſervari.

XV.

*Item de decimis.*

Nulla detur laicis detentoribus decimarum vel eas repetentibus audientia in foro eccleſiaſtico ſuper decimas, niſi eas authoritate eccleſiæ poſſideant.

XVI.

*Item de decimis.*

Decrevimus quod aliqui laicorum vendere vel emere, vel obligare decimas, quas eccleſiis canones decernunt, quarum exiſtunt, aliquatenus non præſumant. Quod ſi facere præſumpſerint, illos cenſuimus excommunicationis ſententiæ ſubjacere.

XVII.

*Item de primitiis.*

Item ſtatuimus, ne prælati vel clerici in alienis parochiis, vel provinciis, decimas præſumant aliquatenus emere, vel titulo pignoris recipere, niſi de voluntate epiſcopi vel aſſenſu, &c.

XVIII.

*Item de decimis.*

Item inhibemus laicis decimariis univerſis, ne de ſanctuariis eccleſiarum decimas exigant, vel recipiant ullo modo: & ſi facere præſumpſerint, ipſos excommunicationis ſententię decrevimus ſuſpendendos.

XIX.

*Item de decimis.*

Item diſtrictius inhibemus, ne aliqua eccleſia conventualis, vel alia perſona ſæcularis, decimas ab aliquo recipiat emptionis, vel venditionis, obligationis, ſeu donationis titulo, ſeu alio aliquo modo: niſi eas dumtaxat quæ ad eccleſiam ſuam ſpectant, videlicet extra metas eccleſiæ ſuæ contentas.

XX.

*Item de primitiis.*

De primitiis vero ſtatuimus, ut laici per cenſuram eccleſiaſticam compellantur ad triceſimam, vel quadrageſimam partem, uſque ad quinquageſimam nomine primitiæ perſolvendam.

ANNO CHRISTI 1255.

## XXI.

*Item de decimis veteribus.*

Licet per ſtatuta canonica, decimæ ad parochiales eccleſias pertinere noſcantur: quædam tamen eccleſiæ ex præſcriptione, aliæ ex conſuetudine, veteres decimas poſſideant in parochiis alienis; nonnulli eccleſiaſtici nullo jure ſuffulti, ſed avaritia & pertinacia ſola ducti, decimas in animarum periculo detinere præſumunt. Sed his tam clerici quam laici non contenti, ad novalia quæ ſpecialiter parochialibus eccleſiis jura reſervant, extendunt illicite manus ſuas, & eædem eccleſiæ omnino jure ſuo, quoad novalium decimas, defraudantur. Volentes igitur præſumptioni clericorum & laicorum, prout poſſumus, obviare, & eccleſiarum indemnitatibus providere: omnibus omnino prohibemus, ne quiſquam de cetero, clericus aut laicus, occaſione veteris decimæ novalia recipiat; ſed ea parochialibus eccleſiis in quibus novalia excreverunt, libere poſſidenda permittat, uſibus miniſtrorum eccleſiæ profutura. Si vero quiſquam temerarius hujus noſtræ conſtitutionis contemptor, novalia de cetero receperit, in parochiarum præjudicium & gravamen; ipſum excommunicationis vinculo innodamus.

## XXII.

*Item de decimis novalium.*

Monemus etiam omnes illos qui a triginta annis vel citra, hujus" novalia cœperunt, ut infra duos menſes ſine difficultate reſtituant eccleſiis, ad quas pertinere dignoſcuntur, de cetero libere poſſidenda. Ne vero quiſquam per negligentiam ab hujus" ſententiis ſe valeat excuſare, præcipimus hanc conſtitutionem per presbyteros frequenter in ſuis eccleſiis prædicari.

[" Corr. hujuſmodi] [" hujuſmodi]

## XXIII.

*De pœna decimariorum.*

Quia parum eſt jura & conſtitutiones condere, niſi ſint per quos jura & conſtitutiones ſerventur, & illa conſtitutio contra decimarios per bonæ memoriæ dominum Guillielmum prædeceſſorem noſtrum, videlicet quod decimarii & uxores eorum, & filii, & filiæ in eorum poteſtate exiſtentes, in his articulis ab eccleſia evitentur, ſcilicet matrimonio, purificatione poſt partum, euchariſtia & eccleſiaſtica ſepultura: illo articulo remoto quod decimariorum filii ad ordines admittantur, cum ſemper ſit cultus Divini nominis ampliandus: ſtatuimus, ut quicumque presbyter, diaconus, ſubdiaconus, vel alius clericus regularis aut ſæcularis, prædicta ſacramenta, vel aliqua de præmiſſis, prædictis perſonis, vel alicui, miniſtrare præſumpſerit, ſeu procuraverit miniſtrari, ex tunc ipſo facto eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: alias tam nobis quam eccleſiæ, vel eccleſiis, in cujus vel quarum parochiis hujus" decimariorum decimæ ſubſiſtunt, ſecundum arbitrium puniantur. Dignum eſt enim, ut quos timor Dei a malo non revocat, temporalis ſaltem ſeveritas coerceat diſciplinæ.

[" hiſ ...]

## XXIV.

*De pœna decimariorum.*

Verum volentes animarum vitare periculum, ſtatuimus ut uxoribus decimariorum, ad quos decimæ non pertinent ullo jure, ſi ultimo mortis articulo ſacramenta, vel ſacramentalia cum humilitate popoſcerint ſibi dari: ſed juramento corporali firmaverint, quod maritos decimarios pro poſſe ſuo inducant ad decimas parochiali, vel parochialibus eccleſiis dimittendas, vel aliter componendum, prædicta eis, excepta eccleſiaſtica ſepultura, minime denegentur: ſed poſtquam convaluerint, quamdiu in ſanitate permanſerint, ad prædicta nullatenus admittantur.

## XXV.

*De juribus capellanorum.*

Statutum eſt ab initio, & nos volumus obſervari, ut parochiani per capellanos ſuos compellantur, ubi contradictio erit, procurationes annuas exhibere: & inſuper monemus meſtivas" & oblationes in præcipuis ſolennitatibus, & alia jura parochialia capellanis ſuis ſolvere; & ſi gratis noluerint, eccleſiaſtica ſepultura præcipimus coerceri.

[" feſt... ſeu]

## XXVI.

*Ne pro ſacramentorum adminiſtratione aliquid exigatur.*

Volumus & præcipimus, ne aliquis ſacerdos quicquam exigat pro adminiſtratione aliqua ſacramenti, quouſque ex toto fuerit miniſtratum. Et tunc, ſecundum conſuetudinem eccleſiæ, honeſte poterit quod juſtum eſt expetere, & a ſuis invenerit prædeceſſoribus ordinatum. Inhibemus fortiter & diſtricte, ne pro beneficiis conferendis, vel eccleſiaſticis ſacramentis, aut juſtitia exigenda", aliqua pecunia exigatur, vel recipiatur. Si vero alia, de conſuetudine laudabili & antiqua, debentur, poſtea a ſubditis exigantur.

[" Corr. exhibenda]



ANNO CHRISTI 1255.

## XXVII.

*De excommunicatis invito ſacerdote eccleſiam intrantibus.*

De laicis excommunicatis qui invito ſacerdote intrant eccleſiam, & Divinum perturbant officium: ſtatuimus, quod talium bona per ſæcularem dominum confiſcentur: qui ſi noluerint obedire, excommunicationis ſententia innodentur.

## XXVIII.

*De pœna excommunicatorum.*

Si quis per quadraginta dies in excommunicatione ſubjacuerit, pœnitentia novem librarum mulctetur, vel alia competenti.

## XXIX.

*De ſtatutis confrateriarum.*

Quia confrateriarum uſus ad pias cauſas inventus, propter quorumdam malitiam laicorum trahitur in abuſum, dum ſtatuta illicita ſtatuunt, quibus enervare intendunt eccleſiaſticam libertatem, & antiquorum bonas & pias conſuetudines abolere circa eam laicos ſuos quædam illicita & machinationes quæ obviant pietati: idcirco præſenti conſtitutione prohibemus, ne confratres alicujus confraternitatis comitem vel comites eligant, vel creent de cetero, abſque expreſſo conſenſu & voluntate ſui capellani.

[Corrupta locus, niſi & quædam in capitulo ſequenti]

## XXX.

*Item de ſtatutis confrateriarum.*

Item, prohibemus ne aliquis, vel aliqui, comites & confratres alicujus confrateriæ, aliqua edant vel ſtatuant ſtatuta, niſi quæ ad fabricam vel luminaria eccleſiæ, vel librorum ſeu aliorum ornamentorum, ſeu veſtimentorum, ſeu eccleſiæ factionem, ſeu refectionem, pertinere noſcantur, vel ad ſepulturas vel vigilias, ſeu ad aliud officium defunctorum, vel ad publicarum viarum, ſeu privatarum, ſeu cœnobii exemptioni, vel reparationi pontium, vel cuſtodiam parentum ægrorum, vel inimicorum animalium ſeu pecudum, vel ad arcendam ab agris inundationem fluminum vel aquarum, vel ad lupos, vel ad alias peſtilentias nocivas profugandas, vel ad eleemoſynas colligendas, & relicta ſeu data a vivis ſeu defunctis, quæ cum conſilio capellani loci, in uſus aliquos relicta fuerint, ſive data, ſeu in alios pios uſus, ſi a relinquentibus, vel dantibus non fuerit diffinitum, expendi volumus & mandamus. Si pia vero alia ſtatuta fecerint, non obſervent: immo de capitularibus ſuis abradi faciant intra menſem, alia ulterius non facturi, ſine aliqua ſpeciali permiſſione prælati, ne in obſervatione præmiſſorum dolum faciant ſive fraudem.

Verum volentes per comites & confratres cauſam cavi, & carregia ulterius fieri prohibemus, niſi ipſa carregia pertinuerint ad præmiſſa, quæ eis ſuperius expreſſa vel conceſſa ſunt, niſi ad communem utilitatem aliqua fecerint de conſilio capellani. Sane quia juſtum eſt, ut quos timor Dei non revocat a malo, pœnitentia coerceat a peccato: volumus ut tranſgreſſores hujus conſtitutionis, niſi reatum ſuum purgaverint infra menſem poſt publicationem ipſius factam, duobus diebus Dominicis, vel feſtivis, excommunicationis notam incurrant. Cujus conſtitutionis volumus quod ſinguli capellani habeant tranſcriptum, & eam publicent in eccleſiis ſuis, ſicut ſuperius eſt expreſſum.

Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, Id. April.

### NOTA GABR. COSSARTII

Canones hujus concilii XXXI. numerat Gregorius de Rives in ſuo conciliorum breviario: forte quia ultimum diviſit in duos, ut in ſumma edidit Lud. Bail. Nos Santonenſem codicem accurate ſequimur.

Editas autem eſſe in provinciali ſynodo has conſtitutiones, ex eo conſtare videtur, quod inter conſtitutiones Santonenſis eccleſiæ relatæ ſint. Si enim eſſent a diœceſana tantum ſynodo, ad eccleſiam Santonenſem minime pertinerent.

CON-

## *** CONSTITUTIONES EDITÆ IN CONCILIO DE COPRINIACO

Per G. * archiepiſcopum,

* Geraldum Archiepiſc. Burdegal.

### OBSERVATIO GABRIELIS COSSARTII

De concilio Copriniacenſi,

COPRINIACENSE concilium anno MCCLV. Id. April. celebratum notatur in Synopſi. Quo argumento, non vi-
deo. Nam Copriniacenſium ſynodorum nulla uſquam, opinor, mentio, niſi in codice conſtitutionum Santonen-
ſis eccleſiæ; in quo habet una ſcriptum annum MCCLX. altera nullam ibi notam habet temporis, ſed aliunde ſcimus,
habitam eſſe anno MCCLXII. ut ad eam docebimus. Una ibidem ſupereſt, Copriniaci per G. archiepiſcopum Burdega-
lenſem habita: at ſine anno & die: proxime autem ſequitur Geraldi conſtitutiones modo deſcriptas, conſignatas anno
MCCLV. & die Id April. & hinc forte erroris occaſio. Quanquam ſecus omnino argumentari oportuiſſet. Nam eodem
die ſynodum habere duobus in locis Geraldus non potuit.

De Copriniaco, pauca. Oppidum eſt Burdegalenſis diœceſeos, vulgo *Cognac* dictum. Concilium enim anni MCC
LXII. quod in codice Santonenſi inſcribitur, apud Copriniacum; in MS. noſtro codice, & in Laurentii Bochelli Decretis
Gallicanis nuncupatur, *apud Cognac*. Campinacum alio nomine vocatur. Nam concilium anni MCCXXXVIII. cujus
titulus eſt, *apud Cognac*, tum in MS. noſtro, tum in Bochelli Decretis, in fine ſubſcriptum habet: *Actum apud Campi-
nacum*. Gemina eſt hæc loci unius appellatio, niſi ſi forte altera ex librariorum vitio nata ſit: uti eodem in codice San-
tonenſi conſtitutiones aliæ inſcribuntur, *apud Reſiecos*; cum ſcribendum fuiſſet, *apud Roſſiacum*. Copriniacenſes porro
conſtitutiones, quas ſubjicio, conjectura eſt non unius eſſe concilii, ſed ex pluribus collectas. Pars magna petita eſt ex
concilio anno MCCXXXVIII. apud Campinacum. Qua ex parte recte Copriniacenſes dicuntur, ſi quidem Copriniacum
idem eſt atque Campinacum.

In illa porro collectione Santonenſi, unde illas depromſimus, nullus ſervatus ordo nec rerum nec temporum: ſed ſta-
tuta quæ illam ſpectabant eccleſiam, promiſcue collecta. Nam poſt multa conſtitutionum capitula, quarum nec locus
nec tempus indicatur, occurrunt conſtitutiones Roſſiacenſes anni MCCLVIII. tum Copriniacenſes anni MCCLXII. qui-
bus ſubjectum capitulum *de abuſoribus*, quaſi ad eaſdem attineret, cum ſit concilii apud Campinacum, anno MCC
XXXVIII. cujus prima capitula tria complectitur. Hinc conſtitutiones ann. MCLXX. & MCCLXXXII. tum anni MCC
LXIII. deinde anni MCCXL. Atque ita deinceps ordine perturbato.

Has autem, cum earum annus ignoretur, hic, ut ſunt in illo codice, collocandas duxi.

### I.

*De alienis parochiis.*

Statuimus & præcipimus, & ſub pœna excommunicationis, cui inobedientes ſupponimus, ne in eccleſiis ſuis, diebus Dominicis & feſtivis, parochianos recipiant alienos, qui proprias dimittunt eccleſias: præſertim illis diebus, quibus debent ſuas eccleſias viſitare.

Idem dicimus & ſtatuimus de illis, qui propriis dimiſſis eccleſiis, prædictis diebus ad eos accedant, cum ipſis diebus præcipue, a proprio capellano, vel cujus †, ſit ſui pratoris ‡ vultus agnoſcendus.

† fort. vel cujus vicario. ‡ Corr. prætoris.

### II.

*Ne aliquis recipiat alienum parochianum ad ſepulturam.*

Statuimus quod aliquis non recipiat, &c. *Eſt cap.* 3. *Concilii Burdegal. ann.* MCCLXIII.

### III.

*De injectoribus manuum in clericos.*

Ad reprimendam illius temerariæ præſumptionis audaciam, &c. *In concilio apud Campinacum anni* MCCXXXVIII. c. 19.

### IV.

*De excommunicatis a canone.*

De illis qui pro violenta manuum injectione in canonem latæ ſententiæ incidunt, vel alias ex ſententia alicujus canonis, vel judicis, excommunicati vel interdicti fuerint, aut ſuſpenſi, licet poſtmodum compoſitum fuerit inter partes: diſtricte præcipimus & mandamus, ut donec beneficium abſolutionis obtineant, eiſdem ſententiis adſtricti arctius teneantur.

### V.

*Ne religioſi habeant proprium.*

Abbatibus diſtrictius inhibemus, &c. *In concilio apud Campinacum, ann.* MCCXXXVIII. c. 20.

### VI.

*Ne religioſi habeant proprium.*

Volumus & mandamus, &c. *Ibid. c.* 21.

### VII.

*De religioſis.*

Fratribus etiam diſtrictius inhibemus; &c. *Ibid. c.* 22.





### VIII.

*Ne religioſi exeant clauſtrum.*

Item ne aliqua in judicio repetant, &c. *Ibid. c.* 23. 24. 25. 26. 27.

### X.

*De eſu carnium quoad religioſos.*

De eſu carnium, &c. *Ibid. c.* 28. 29.

### X.

*De ſolatiis religioſorum, & ſtatutis confraternitarum.*

Præterea præcipimus ne monachi, &c. *Ibid. c.* 30. 31.

### XI.

*De patronis eccleſiarum parochialium.*

De patronis eccleſiarum, &c. *Ibid. c.* 32.

### XII.

*De novis domibus religioſorum.*

De novis religioſorum, &c. *Ibid. c.* 33.

### XIII.

*De rebus eccleſiæ non alienandis.*

Nullus poſſeſſiones eccleſiæ, &c. *Ibid. c.* 34.

### XIV.

*De parochianis communibus ad duas eccleſias.*

Quoniam accidit interdum, &c. *Ibid. c.* 35.

### XV.

*De presbyteris excommunicatis aut ſuſpenſis.*

Pro certo didicimus, &c. *Ibid. c.* 36.

### XVI.

*De juramento ab ordinandis præſtando.*

Irrefragabili conſtitutione &c. *Ibid. c.* 37.

### XVII.

*De collatione beneficiorum,*

De beneficiis vacantibus, &c. *Ibid. c.* 38.

### XVIII.

*De concubinis ſacerdotum.*

Sacerdotes qui poſt legitimam admonitionem, in domo propria, vel aliena, ſuſpectam detinent mulierculam, unde ſcandalum oriatur, abſque dubio ſententiam excommunicationis incurrunt: quæ in tales a legato eſt promulgata: ſive ſit hoc occultum, ſive apertum, & ſi de hoc tibi conſtiterit, vel per evidentiam facti, vel per confeſſionem ipſius, vel aliam probationem legitimam, pro excommunicato debes illum habere: & ſi non ſatisfecerit competenter, & ſuper hoc infamatus exſtiterit, aut tibi merito fuerit incredibilis, & ſuſpectus, poteris ei purgationem canonicam indicere, in qua ſi defecerit, debes eum canonice condemnare. Si vero fuerit tibi hoc in judicio pœnitentialis confeſſus, & voluerit ſatisfacere; poteris cum abſolvere, juxta quod dicitur tibi ab ipſo legato eſſe conceſſum.

Cum ſacerdote vero, qui poſtquam [a] hujus exceptionem incurrit præſumpſerit celebrare Divina, ſi hoc fuerit occultum, impoſita ei pœnitentia competenti, cum eo de noſtra licentia poteris diſpenſare. Quod ſi fuerit manifeſtum, noſtro judicio reſervetur.

a Tex. hujusmodi. Harduinus.

### XIX.

*De tempore jejuniorum.*

Sacerdotes præcipiant omnibus adultam ætatem habentibus inſtituta jejunia obſervare, ut quadrageſimæ, quatuor temporum, in eſca quadrageſimali, exceptis jejuniis quæ ſunt in ſeptimana Pentecoſtes, quibus poſſunt comedi ova & caſei, ratione dignitatis feſti. In ſeptimana Aſcenſionis Domini non debent carnes comedi niſi in die.

In feſto beati Marci non debent carnes comedi, niſi fuerit in Dominica, alias in hebdomada paſchæ; [b] vigiliarum, ſcilicet, Nativitatis Domini, Aſſumptionis beatæ Mariæ, beati Joannis Baptiſtæ, apoſtolorum Petri & Pauli, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, Laurentii martyris, omnium Sanctorum, Litania majori, ſcilicet beati Marci evangeliſtæ, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes. Si qua autem ipſarum evenerit in Dominica, indicendum eſt jejunium in die ſabbati præcedenti.

b Forte; & diebus Vigiliarum, ſcilicet. H.

### XX.

*De cibo prima Dominicæ quadrageſimæ.*

Prohibeant ſacerdotes, ſub pœna excom-

ANNO CHRISTI ....

communicationis, maxime in tempore quadrageſimæ, ne aliquis in prima Dominica quadrageſimæ carnes manducare præſumat: nec aliquod aliud, niſi eſcam quæ licite in quadrageſima ſumi debet.

XXI.

*De tempore feriato per annum.*

Pronunciatum eſt laicis, ut ſciant omnia tempora per annum ferienda *. Videlicet omnis Dominica a veſpera in veſperam ferienda eſt. Item nativitas Domini, ſancti Stephani, ſancti Joannis evangeliſtæ, Innocentium, ſancti Thomæ martyris, Circumciſio, Epiphania, Purificatio, Annunciatio, Aſſumptio, Nativitas, Conceptio beatæ Mariæ, Paraſceve, cum omni reverentia & honore. Sanctum Paſcha cum duobus diebus ſequentibus, Aſcenſio Domini, Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, Inventio ſanctæ Crucis, Nativitas ſancti Joannis Baptiſtæ, Decollatio ejuſdem: duodecim Apoſtolorum, & maxime Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Thomæ, Matthæi, Simonis & Judæ, Philippi & Jacobi, Barnabæ, Mathiæ; Lucæ & Marci evangeliſtarum: ſancti Eurropii, Georgii, converſio ſancti Pauli, Cathedra ſancti Petri, Joannis ante portam Latinam, Joannis & Pauli, Martialis, Transfiguratio Domini, Inventio ſancti Stephani, Laurentii, Vincentii, Bartholomæi apoſtoli, Michaelis, Dedicatio cujuslibet oratorii, omnium Sanctorum, Ægidii, Exaltatio ſanctæ Crucis, Hilarii, Martini, Nicolai, Catharinæ, Mariæ Magdalenæ, & aliæ feſtivitates, quas ſinguli presbyteri in ſuis parochiis celebrare conſueverunt cum populo, quæ in vicis circummorantibus tantum indictæ ſunt non generaliter omnibus. Reliquas vero feſtivitates per annum non ſunt cogendi ad feriendum: ſed monendi ut juxta antiquum morem eas obſervent.

* Ita ſcriptum eſt in hoc capitulo, pro ferianda.

XXII.

*De præfationibus.*

Invenimus decem præfationes in ſacro Dialogo tantum recipiendas, unam in Paſcha: Te quidem omni tempore. Secundam in Aſcenſione Domini: Qui poſt reſurrectionem. Tertiam in Pentecoſtes: Qui aſcendens. Quartam de Trinitate: Qui cum unigenito. Quintam de beata Maria: Et te in veneratione. Sextam de ſancta Cruce: Qui ſalutem. Septimam de Apoſtolis: Te Domine ſuppliciter. Octavam in Nativitate Domini: Quia per incarnati. Nonam in Epiphania: Quia cum unigenitus. Decimam in Quadrageſima: Qui corporali jejunio vitia.

XXIII.

*Ne laici ſtent in choro.*

Item inhibemus ſub pœna excommunicationis omnibus laicis, ne morentur in choro inter clericos, dum ibidem Divinum officium celebratur.

XXIV.

*De mulieribus prægnantibus.*

Statutum eſt ſiquidem, quod mulieres prægnantes, quam cito erunt vicinæ partui, veniant ad eccleſiam confiteri peccata ſua, & recipiant pœnitentiam, & corpus Domini, pro maximis periculis evitandis: & ſi qua in hoc negligens extiterit, ad arbitrium ſui prælati diſciplinæ ſubdatur.

XXV.

*De fornicatoribus.*

Præcipitur capellanis quod denuncient omnes focarios, & fornicatores publicos, excommunicatos: & non abſolvantur quo uſque purgati fuerint penitus a delicto: quibus abſolutis injungatur eis pœnitentia ſalutaris.

XXVI.

*De frequentantibus fora diebus ſolemnibus.*

Item denuncientur excommunicati omnes illi, qui diebus Dominicis & ſolennitatibus beatæ Mariæ, & aliis ſolennitatibus, frequentant mercata, & nundinas. Et alii qui dimittendo ſuas eccleſias, ſe abſentant alibi per tres dies Dominicos. Nec non illi qui diebus Dominicis carruant cum bobus ſuis: niſi illos cauſa ſufficiens, & probabilis reddiderit excuſatos.

XXVII.

*De defraudantibus eccleſias.*

Item diſtricte præcipitur omnibus capellanis, quod in generali denuncient excommunicatos omnes illos, qui contra libertatem eccleſię exiſtunt, vel faciunt conſpirationes ſeu ſtatuta, vel procurant fieri: & omnes illos, qui ſuam matrem eccleſiam diminuunt, ejus redditus & alia jura



ANNO CHRISTI ....

jura parochialia retinendo, & decreſcere procurant, conſulunt, nituntur. Nec non illos, qui laudabiles conſuetudines ſanctæ matris eccleſiæ in opprobrium & contemptum Dei, & totius curiæ cœleſtis infringunt, & deſtruunt; oblationes, legata, luminaria & alia bona quæ ex pia conſideratione fieri, dari, aut offerri conſueverunt ad honorem Dei, & ſalutem animarum, deviant, falſa ſuggeſtione reprimunt, & differunt, conſilio, auxilio, facto ſuo, vel favore, & cauſa ſuæ avaritiæ, retinent.

XXVIII.

*Ne eccleſiæ bona ſazianttur.*

Inhibemus, & etiam monemus, ac in generali moneri præcipimus univerſos barones, milites, communitates, & perſonas alias ſæculares, ne eccleſias, prioratus, domos, poſſeſſiones, in quorum poſſeſſione pacifica ſunt, vel eccleſiæ juſti prælati, abbates, rectores, priores, & alii eccleſiarum adminiſtratores, ſaziant, vel occupent, aut occupare faciant, vel ſaziare. Illos autem qui contra hujus * inhibitionem, poſt monitionem in generali factam, facere præſumpſerint, vel venire, excommunicationi ſubjacere decrevimus ipſo facto.

* Corr. Hujuſmodi.

XXIX.

*De fontibus.*

Baptiſmus fontium non debet fieri niſi in Paſcha & Pentecoſte: niſi pro neceſſitate infantium baptizandorum.

XXX.

*De precibus in eccleſia faciendis.*

Volumus & præcipimus, quod pro negotio terræ ſanctæ, & domino rege Franciæ, cruceſignatis, quotidie in ſingulis eccleſiis fiant preces, ſicut a domino legato quondam extitit ordinatum: & ſingulis ſeptimanis, prout in ſeptimana vacaverit, pro his & totius eccleſiæ ſtatu una Miſſa de ſancto Spiritu, vel de beata Maria virgine, celebretur. Si autem circa hæc aliquem invenerimus negligentem, ipſe pœna decem ſolidorum per nos ſe noverit puniendum.

XXXI.

*De cubitu puerorum.*

Prohibeant ſacerdotes mulieribus, ne collocent pueros parvulos in lectis ſuis, ſub pœna excommunicationis. Et ſi ſuper hæc pueri parvuli deceſſerint, propter negligentiam matris ſuæ, patris, vel alterius, ad epiſcopum, vel ad ſuum * confeſſorem debent mitti: quia poteſtatem abſolvendi eas a talibus non habent ſimplices capellani.

* h. e. Confeſſorem epiſcopi, nempe pœnitentiarium.

XXXII.

*De citationibus ſubdelegati & tranſcripto reſcripti.*

Quotidianis viam fraudibus obſtruentes, provida deliberatione duximus ſtatuendum, ne ii, quibus datur in mandatis a delegato ſedis Apoſtolicæ, vel aliis, ut reum in judicium evocent, ipſum non præſumant citare, donec authenticum ipſum, cujus auctoritate fit in jus vocatio, inſpiciatur, & deſcribatur ab eo, cui fuerat ut citaret injunctum: ita ſcilicet ut tranſcriptum retineatur, ſcribendum ſumptibus illius qui ſcripto authentico eſt uſurus, citato, ſi neceſſe fuerit, exhibendum.

XXXIII.

*De vita & honeſtate clericorum.*

A crapula igitur, & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant: bene ſibi vinum temperent: nec ad bibendum quempiam excitent: cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi commonitus a ſuperiore ſatisfecerit competenter, ab officio, & beneficio privetur.

XXXIV.

*Quæſtiones faciendæ pœnitentibus de luxuria.*

Quæratur circa peccatum luxuriæ, utrum pœnitens ad prægnantes mulieres acceſſerit, ſeu viduas, vel alias: & quæratur numerus illarum, cum quibus peccavit. Et ſi neſciat numerum, ſaltem æſtimatione dicat quod credit. Quæratur etiam quanto tempore in peccato permanſerit, in quo loco ſacro, vel non ſacro.

XXXV.

*De eſu carnium a monachis.*

De eſu carnium monachis præcipimus, &c. *Eſt tam ſupra cap. 9. Sed hic pars tantum illius noni repetitur, quæ reſpondet Campinacenſi 28.*

*XXXVI.*

ANNO CHRISTI 1255.

## XXXVI.

*De reverentia Dominicæ diei.*

Cum Dominica dies omni debeat reverentia celebrari, conſtitutioni quondam editæ de celebrandis diebus Dominicis & feſtivis addendum duximus, ut ſinguli capellani generaliter ſuos parochianos in ſuis moneant eccleſiis diligenter, quod a macellis publicis abſtineant diebus prædictis, & aliis ſolennitatibus & feſtis: nec ad mercatum eant, aut nundinas, in eiſdem vendituri aliquid, aut empturi. Qui vero contra hæc facere præſumpſerint, excommunicationis ſententiæ ſubjaceant ipſo facto. Et ne propter capellanorum negligentiam, tales per ignorantiam ſe valeant excuſare: monitionem ª hujus, ſub magni pœna gagii, frequenter præcipimus iterari.

ª *Tre., hujuſmodi, &*

## XXXVII.

*De contractibus clericorum.*

Prohibemus clericis, ne ex uno eodemque contractu mutui, emptionis bladi, vel vini, ad ſecundum deveniatur compactum vel tertium, & ſic deinceps: ne emant illicite alias, vel ut revendant. Quod ſi fecerint, eos condigna animadverſione puniemus.

## XXXVIII.

*Ne conjugatus exerceat juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Prohibemus ne de cetero aliquis clericus conjugatus juriſdictionem eccleſiaſticam exercere præſumat.

## XXXIX.

*Ne ſepeliantur in eccleſiis corpora defunctorum, niſi, &c.*

Item prohibemus, ne corpora defunctorum in eccleſiis ſepeliantur, niſi ſit fundator vel patronus, vel capellanus eccleſiæ, niſi de licentia epiſcopi. Item prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliquis ſacerdos ſæcularis, vel religioſus, aliquos admittat ad ſponſalia, vel ad matrimonium contrahendum, ſine licentia capellani alterius contrahentium ſpeciali.

# CONCILIUM BITERRENSE PROVINCIALE.

De præbendo ab epiſcopis auxilio ad caſtrum hæreticorum oppugnandum. VIII. Id. Maii, anno MCCLV. celebratum.

In nomine Domini. Anno nativitatis Chriſti MCCLV. VIII. Idus Maii, Ludoyco rege regnante. Noverint univerſi, quod cum Petrus de Antolio ſeneſcallus Carcaſſonenſis & Biterrenſis, ex parte domini Regis obſediſſet caſtrum de Querbus, ipſe ſeneſcallus ſuis litteris apertis ſcripſit rogando domino archiepiſcopo Narbonenſi & ejus ſuffraganeis, ut domino Regi & ſibi pro eo in obſidione dicti caſtri ſuum præberent ſubſidium & ſuccurſum: quarum litterarum tenor talis fuit.

Venerabilibus in Chriſto patribus G. Dei gratia archiepiſcopo Narbonenſi & ſuffraganeis ejus, P. de Antolio miles, ſeneſcallus Carcaſſonenſis & Biterrenſis, ſalutem & ſinceram dilectionem cum honore. In arduis negotiis quæ dominus rex Franciæ illuſtris contra hoſtes pacis & fidei in iis habuit partibus, vos & prædeceſſores veſtri tam laudabiliter laboraſtis, quod ad laudem Dei, & domini regis cedit ad commodum & honorem. Et cum de mandato ejuſdem domini regis quoddam receptaculum hæreticorum obſederimus, homicidarum, & latronum, ſcilicet caſtrum de Querbus de feudo domini regis, paternitatem veſtram ex parte domini regis & noſtra, ſicut carius poſſumus, deprecamur, quatenus ad obſidendum & capiendum dictum caſtrum viriliter nobis affectu ſolito ſuccurratis. Non enim intendimus nec volumus eccleſiæ de jure ſuo aliquod præjudicium fieri in futurum per ſubmonitionem quam vobis nuper fecimus & mandatum.

Datum Carcaſſonæ die Mercurii ante feſtum Aſcenſionis Domini, anno Domini MCCLV.

Et dictarum litterarum tenore inſpecto, dominus Guillelmus Dei gratia Narbonenſis archiepiſcopus præſidens apud Biterrim in concilio ab eo convocato, præſentibus & aſſiſtentibus ſibi venerabilibus patribus R. Biterrenſi, R. Toloſanenſi, G. Lodovenſi, R. Nemauſenſi, P. Agathenſi, & B. Uticenſi, epiſcopis, & procuratoribus dominorum G. Carcaſſonenſis, & P. Magalonenſis, epiſcoporum; ſancti Poncii, Anianenſis, Villemagnenſis, Caunenſis, Montis Olivi, ſancti Afrodiſii & ſancti Jacobi Biterrenſis, Jucellenſis, ſancti Hilarii, de Quadraginta, ſancti Aniani abbatibus, & procuratoribus Electenſis, ſancti Guillermi de Deſertis, & ſancti Polycarpi, abbatum, & pluribus archidiaconis, præcentoribus, & aliis perſonis eccleſiaſticis, unanimiter deliberato conſilio, habita inter ſe deliberatione diligenti, conſenſerunt & repererunt quod non tenebantur ex debito ire vel ſequi in exercitum dominum regem vel ejus ſeneſcallum, nec eis tenebantur facere hoſtem vel cavalcatam: præſertim cum hactenus retro temporibus prælati hujus terræ vel homines eorum, quandocumque exiverunt vel iverunt in exercitum, illud fecerint mandato legatorum eccleſiæ Romanæ, vel domini archiepiſcopi Narbonenſis, & nunquam mandato ſolius ſeneſcalli. Et ideo non ex debito, nec ex mandato vel rogatu dicti ſeneſcalli, ſed potius ex gratia & honore domini regis, & quia dicitur & fama eſt dictum caſtrum fuiſſe receptaculum hæreticorum, furum, & latronum, unde etiam negotium pacis & eccleſiæ eſſe videbatur, concorditer convenerunt, quod ipſi prælati & eorum homines, moderate, ſecundum quod eis honeſtum eſſe videbitur, in obſeſſione & expugnatione dicti caſtri domino regi præbeant auxilium & ſuccurſum. Salvo tamen jure libertatis & immunitatis ſuæ, & eccleſiarum ſuarum, & ſine omni ſuo & eccleſiæ præjudicio in futurum.

Acta ſunt hæc apud Biterrim, in porticu capellæ epiſcopalis, in præſentia & teſtimonio magiſtri Bernardi archidiaconi Ruthinenſis, & domini Stephani præcentoris eccleſiæ ſancti Juſti Narbonenſis, domini Bertrandi de Grava capellani domini epiſcopi Uticenſis, Hugonis de Aquilerio præceptoris Uticenſis, domini Poncii de Broha canonici Narbonenſis, domini Petri Veſiani ſacriſtæ ſancti Afrodiſii, Guillermi de Seran, & Raimundi de Croſis clerici domini archiepiſcopi Narbonenſis, Gr. Cathalani clerici domini epiſcopi Biterrenſis, & mei magiſtri Michaelis publici Biterris notarii, qui mandatus a dicto domino archiepiſcopo Narbonenſi, pro ſe & ſuis ſuffraganeis & procuratoribus ſupradictis hæc ſcripſi, & redegi in publicum inſtrumentum, & huic publico inſtrumento ſignum appoſui meum.

*** Statuta ſancti Ludovici Francorum regis, pro reformatione morum, in Galliam Narbonenſem ejus juſſu delata a Guidone Fulcodii, & relecta in concilio Biterrenſi anno MCCLV.

Ex editione St. Baluzii r. cl.

Hæc ſunt ſtabilimenta facta per dominum regem Franciæ, quæ dominus Guido Fulcodii attulit ſigillata ſigillo dicti domini regis, & fuerunt recitata & lecta aggregato generali concilio prælatorum & baronum & militum terræ apud Biterrim anno MCCLV.

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, univerſis præſentem paginam inſpecturis ſalutem. Ex debito regiæ poteſtatis pacem & quietem ſubjectorum noſtrorum, in quorum quiete quieſcimus, præcordialiter affectantes, ac adverſus injurioſos & improbos, qui tranquillitati eorum invident & quieti, zelum indignationis habentes, ad hujuſmodi propulſandas injurias, & ſtatum regni reformandum in melius, ad præſens aliqua duximus ordinanda, quæ inferius continentur.

## I.

Quæſtus quidem illicitos, quantum poſſibile fuerit, in ballivis & aliis curialibus noſtris reprimere cupientes, ſeneſcallos, ballivos, præpoſitos, vicecomites, & villarum majores, & alios officiales noſtros juramento ſubſcripto duximus adſtringendos: cujus ſi ipſi ſeneſcalli, ballivi, & alii officiales noſtri fuerint tranſgreſſores, pœnas debitas in bona ipſorum, vel, ſi res exigat, in perſonas, noſtræ voluntatis vel deputatorum a nobis arbitrio reſervamus. Si vero majores, ballivos, vel officiales, dejerare contigerit in hac parte: a ſeneſcallis ſub bonarum teſtimonio perſonarum & cum ipſarum conſilio puniantur.

## II.

Jurabunt igitur omnes & ſinguli ſupradicti, quod quandiu commiſſam ſibi tenebunt ſeneſcalliam, vel balliviam, præpoſituram, vel aliud quodcunque officium ſupradictum, tam minoribus quam mediocribus, tam majoribus quam advenis, tam indigenis quam ſubjectis, ſine nationum & perſonarum acceptione jus reddent, ſervantes tamen in locis ſuis ſua jura, uſus, & conſuetudines approbatas.

## III.

Jurabunt inſuper bona fide jura noſtra requirere & ſervare, & aliorum jura ſcienter non auferre, nec diminuere, nec etiam impedire.

## IV.

Jurabunt etiam donum ſeu munus quodlibet a quacumque perſona per ſe vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, aut rebus aliis quibuſcumque mobilibus vel immobilibus vel ſe moventibus, ſeu beneficiis perſonalibus perpetuis, præter eſculenta & poculenta, quorum valor in una hebdomada ſummam decem ſolidorum Pariſienſium non excedat. Et quod dicta bona ſeu beneficia dari uxoribus ſuis, liberis, fratribus, ſororibus, nepotibus, neptibus, vel conſanguineis, aut conſimilibus, ſeu domeſticis, minime procurabunt. Immo bona fide diligentiam adhibebunt ne uxores ſuæ vel aliæ perſonæ proximo nominatæ dona vel munera recipiant. Quod ſi fecerint, ex quo hoc ſciverint, eos ad reſtituendum bona fide compellant, ſub debito juramento.

## V.

Jurabunt etiam quod ab illis de ſua ſeneſcallia vel ballivia, nec ab illis qui cauſam habent coram ipſis, vel ſcient in proximo habituros, mutuum non recipient per ſe, vel per alium, ultra ſummam viginti librarum, quas reddent a die contracti mutui, infra duos

duos menſes, licet etiam creditores velint A ſolutionis terminum prorogare.

### VI.

Addetur etiam juramento eorum, quod nihil dabunt vel mittent alicui de conſilio noſtro, vel uxoribus eorumdem, liberis, aut domeſticis, vel illis qui compotum eorum recipient, vel illis quos ad viſitandam terram vel facta eorum exquirenda mittemus. Quod etiam in venditionibus balliviarum vel redditutum aut aliarum rerum B noſtrarum partem non habebunt, nec etiam in monetis. Quod bajulos infideles, ſeu injurioſos, vel exactores, vel de uſuris ſuſpectos, vel turpem vitam aperte ducentes, in ſuo non ſuſtinebunt errore, immo eorum exceſſus corrigent bona fide.

### VII.

Jurabunt etiam præpoſiti noſtri, vicecomites, majores villarum, foreſtarii, & alii ſub eis in officiis conſtituti judices, & locorum vicarii ſingulorum, quod nec ſupe- C rioribus ſuis, nec uxoribus eorum, liberis, propinquis, ſive domeſticis quicquam dabunt. Et in fine juramenti concludent ſe univerſa & ſingula ſupradicta ſervare bona fide, niſi illud quod duxerimus relaxandum, nec quicquam per ſe vel per alium in fraudem facere prædictorum.

### VIII.

Vicarios autem quos ſeneſcalli vel ballivi per ſe quandoque ſubſtituent, nolumus ab ipſis inſtitui, niſi prius ſub forma D prædicta præſtiterint juramenta.

### IX.

Ut vero hæc juramenta firmius teneantur & obſerventur, volumus quod in publica aſſiſia fiant coram clericis & laicis ab omnibus & ſingulis ſupradictis, etiamſi antea facta fuerint coram nobis: ut non ſolum metu Divinæ indignationis & noſtræ, ſed etiam confuſionis & erubeſcentiæ apud homines, perjurium manifeſtum incurrere vereantur. E

### X.

Volumus autem & præcipimus, quod ſeneſcalli noſtri, & alii quicumque ſub ipſis tenentes officium, necnon & omnes qui in dictis balliviis vel ſeneſcalliis vadia noſtra recipiunt, abſtineant ab omni verbo quod vergat in contumeliam & contemptum Dei, aut matris ſuæ, vel ſanctorum ipſius.

### XI.

Inhibemus vero diſtricte ſeneſcallis & ballivis noſtris, poſſeſſiones aliquas per ſe vel per alium emere, adminiſtratione ſua durante, in ſeneſcallia vel ballivia ſua, vel fraudulenter in alia, ſine noſtra licentia præcedente. Quod ſi fecerint, emptionem irritam eſſe, & poſſeſſiones ſic emptas fiſco noſtro, ſi nobis placuerit, volumus applicari.

### XII.

Prohibentes inſuper ſeneſcallis & ballivis noſtris, ne, quamdiu ſeneſcalli vel ballivi fuerint, ſibi vel ſuis liberis, fratribus aut ſororibus, nepotibus, neptibus, conſanguineis, vel quibuſcumque de ſua familia, matrimonia copulent cum perſonis ſuæ ſeneſcalliæ aut balliviæ ſuæ, ſine noſtro ſpeciali conſenſu, nec prædictos in regione ponant, aut beneficia eccleſiaſtica, vel poſſeſſiones eis acquirant.

### XIII.

Giſta etiam vel procurationes in domibus religioſorum, vel circa, ad expenſas eorum non recipiant ſine noſtra licentia ſpeciali.

### XIV.

Prohibitionem vero iſtam quam facimus de matrimoniis non copulandis, & poſſeſſionibus non acquirendis, non extendimus ad præpoſitos, majores, & alios officiales minores, qui majorias, præpoſituras, & alia officia tenebunt in locis manſionum ſuarum, dum tamen hæc faciant ſine noſtra vel alterius læſione.

### XV.

Seneſcalli autem noſtri & inferiores ballivi caveant ſibi a multitudine bedellorum; & quanto paucioribus poterunt, ſint contenti, ad curiarum exequenda præcepta; & illos nominent in aſſiſia publica, aliter vero pro bedellis minime habeantur. Ubi autem bedelli vel ſervientes ad remota loca mittentur, eis ſine ſuperiorum litteris non credatur. Et ſi aliter inventi fuerint facientes executiones vel mandata, nuncietur ſeneſcallo, qui eos puniat competenter.

### XVI.

Ne vero ſeneſcalli noſtri vel inferiores ballivi contra juſtitiam ſubditos noſtros gra-





vent: inhibemus eiſdem, ne pro quocunque debito, præter noſtrum, capiant A vel captum detineant aliquem ſubditorum noſtrorum.

### XVII.

Emendas autem pro maleficiis ſeu debitis, a bailivis noſtris levari non volumus, niſi in foro aut judiciario publice de bonorum conſilio fuerint judicatæ vel æſtimatæ, quamvis antea fuerint gagiatæ. Si tamen ille cui crimen imponitur, curia ſibi offerente, judicium illud non velit expecta- B re, & pecuniam certam offerat pro emenda, & tale ſit crimen de quo emenda pecuniaria recipi conſuevit: liceat curiæ eam recipere, ſi ſibi competens videatur. Alioquin emendam judicari faciat vel æſtimari ſecundum quod ſuperius eſt expreſſum, licet reus ſe velit omnino ſubjacere curiæ voluntati. Caveant tamen ſeneſcalli, judices, & bailivi, ne minis vel terroribus ſeu machinationibus callidis, clam vel palam, aliquem ad emendam offerendam inducant, vel ſine cauſa rationabili C accuſent.

### XVIII.

Eos ſane qui bailivias noſtras tenuerint, aliis eaſdem revendere prohibemus. Sed ſi plures emptores fuerint, unus tantum juriſdictionem exerceat, & immunitate gaudeat in cavalcatis, talliis, ſeu collectis, & aliis oneribus publicis, qua alii conſueverunt gaudere. Vendi autem eas filiis, fratribus, nepotibus, aut conſanguineis, ſeu domeſticis bailivorum, prohibemus eiſdem. D Emptores autem ipſarum præpoſiturarum vel aliarum bailiviarum, debita propria, ſcilicet quæ debentur eiſdem, ex præpoſituris vel bailiviis aliis, aut eorum ſociis, authoritate propria non coerceant: ſed per manum ſeneſcalli aut ſuperioris judicis eas repetant, ſicut ſi præpoſituram vel bailiviam non tenerent.

### XIX.

Porro volentes viam malitiis præcludere, quantum poſſumus: firmiter inhibemus, E ne ſeneſcalli, bailivi, vel alii officiales prædicti, in cauſis & negotiis quibuſcunque ſubditos noſtros locorum mutatione fatigent ſine cauſa rationabili: ſed ſingulos in locis illis audiant, ubi conſueverunt audiri: ne gravati laboribus & expenſis, cogantur cedere juri ſuo.

### XX.

Quia vero nemo ſine cauſa vel culpa privandus eſt jure ſuo: bailivis noſtris & aliis officialibus prædictis inhibemus, ne deſſaiſiant aliquem ſine cauſæ cognitione, vel noſtro ſpeciali mandato. Subditos etiam noſtros novis exactionibus, conſuetudinibus, vel oneribus non affligant, cavalcatas extorquendæ pecuniæ cauſa non mandent, ſed ex cauſa tantummodo neceſſaria. Et tunc volentes perſonalem facere cavalcatam, ad eam redimendam data pecunia non compellant.

### XXI.

Defenſum autem bladi vel vini, aut mercium aliarum non extrahendarum de terra, ſine cauſa urgente non faciant; & tunc cum bono & maturo conſilio, nec ſuſpecto; & factum cum conſilio non diſſolvant; & eo durante nunquam faciant gratiam ſpecialem.

### XXII.

Omnes autem bailivos noſtros, majores & minores, finito officio ſuo remanere volumus, vel ſaltem procuratorem ſufficientem dimittere in ipſa bailivia per quadraginta dies, ut de ſe conquerentibus coram illis reſpondeant, quibus hoc committetur.

### XXIII.

Ceterum ordinationem factam de Judæis obſervari diſtricte præcipimus, quæ talis eſt. Judæi ceſſent ab uſuris & blaſphemiis, ſortilegiis. Et [a] Talemit quam alii libri, in quibus inveniuntur blaſphemiæ, comburantur. Et Judæi qui hoc ſervare noluerint, expellantur, & tranſgreſſores legitime puniantur. Et vivant omnes Judæi ex laboribus manuum ſuarum, vel de negotiationibus ſine terminis & uſuris.

[a] ſorſ. tam Talmud, quam alii

### XXIV.

Præterea prohibemus diſtrictius quod nullus omnino ad taxillos ludat, ſive aleis, ſive ſcacis. Scholas etiam deciorum prohibemus & prohiberi volumus omnino, & tenentes eas diſtrictius puniantur. Fabrica autem deciorum prohibeatur ubique.

A

## X X V.

Nullus præterea recipiatur ad moram in tabernis faciendam, niſi ſit tranſiens vel viator, vel in ipſa villa non habeat aliquam manſionem.

## X X V I.

Expellantur autem publicæ meretrices tam de campis quam de villis; & factis monitionibus ſive prohibitionibus, bona earum per locorum judices capiantur; vel authoritate a quolibet occupentur, etiam uſque ad tunicam vel pecium. Si quis vero publicæ meretrici ſcienter domum locaverit, quantum valet penſio domus uno anno, bailivo loci vel judici ſolvere teneatur.

## X X V I I.

Præterea ſtatutum [a] a nobis de conſilio baronum noſtrorum apud Melledunum editum obſervari præcipimus firmiter & teneri. Videlicet quod nullum debitum haberi faciant barones, bailivi, vel aliæ quæcunque perſonæ Judæis, nec aliquis in toto regno noſtro Judæum retineat alterius dominii, nec impediat quo minus Judæum ſuum poſſit capere tanquam proprium ſervum, quantumcunque ſub alterius dominio fecerit ipſe moram.

[a] Extat tom. V. Dacheſ. all.

## X X V I I I.

De Chriſtianis vero, ſicut in eodem ſtatuto continetur, prohibemus diſtricte quod nullas uſuras haberi faciant barones, bailivi noſtri, vel aliæ quæcunque perſonæ Judæis. Uſuras autem intelligimus quicquid eſt ultra ſortem.

## X X I X.

Iſtud autem ſtatutum factum apud Melledunum volumus quod bailivi noſtri obſervent & faciant obſervari, tam in terra noſtra, quam in terra baronum vel aliorum, ſi defuerint, poſtquam ſufficienter fuerint requiſiti.

## X X X.

Inhibemus autem ne aliquis in terra noſtra capiat aliquem equum contra voluntatem illius cujus equus erit, niſi ſit pro proprio negotio noſtro. Et tunc per bailivos, ſeneſcallos noſtros, aut eos qui loco eorum erunt, de equis conductitiis capiatur. Et ſi equi conductitii ſufficere nequeant pro noſtro ſervitio faciendo: ſeneſcalli, bailivi, vel alii qui loco ipſorum erunt, non capiant equos mercatorum, tranſeuntium, vel pauperum, ſed divitum tantum, ſi ſufficere poſſint ad noſtrum ſervitium proprium faciendum.

B

## X X X I.

Inhibemus etiam ne pro ſervitio noſtro vel alio capiantur equi perſonarum eccleſiaſticarum, niſi de noſtro ſpeciali mandato. Nec capiant ſeneſcalli, aut ei qui loco ipſorum erunt, equos pluſquam nobis fuerit opus. Illos etiam quos ceperint, pro pecunia non relaxent. Hæc autem quæ de equis capiendis diximus, volumus obſervari quamdiu nobis placuerit, Salvis ſervitiis nobis debitis, & juribus noſtris, ac etiam alienis.

C

## X X X I I.

Omnia ergo & ſingula ſupradicta quæ ad præſens pro ſubditorum quiete duximus ordinanda, retenta nobis plenitudine poteſtatis regiæ declarandi, mutandi, vel etiam corrigendi, addendi, vel minuendi, a bailivis noſtris & ſubditis diſtricte volumus obſervari.

D

Datum Pariſius anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto, menſe Decembri.

E

Sanctas illas Ludovici leges, *ait Baluzius*, diu viguiſſe conſtat, ac nominatim illam quæ prohibet ne ſeneſcalli emant aliquas poſſeſſiones in ſua ſeneſcallia, quandiu eorum adminiſtratio durabit: adeo ut cum Gaucelinus de Vairolis ſeneſcallus Cadurcenſis nonnullas poſt hæc tempora poſſeſſiones emiſſet in ſua ſeneſcallia, neceſſum illi fuerit anno MCCCLXI. litteras a Karolo V. Francorum Rege impetrare, quibus derogaretur huic ſtatuto.

CON-





# CONSTITUTIONES SYNODALES

## VALENTINÆ DIOECESIS.

### Sub Andrea de Albalato epiſcopo Valentino, anno Chriſti MCCLV.

*Primum edidit Cardinalis de Aguirre tomo* III. *pag.* 506.

ANno Domini MCCLV. tertia feria poſt feſtum S. Lucæ, & mutata eſt ſynodus in feria tertia poſt Dominicam de *Quaſi modo*. Nos frater Andreas divina miſeratione Valentinus epiſcopus, prout moris eſt, & a ſanctis Patribus conſtitutum, ſanctam ſynodum celebrantes.

*De forma interdicti imponendi.*

In primis ſtatuimus, ut ſi aliquis clericus parochianum ſuum ob cauſſam legitimam ſupponere debuerit ſententiæ interdicti, hanc formam a jure traditam ſervare procuret, quæ in ſequentibus continetur. Primo enim ipſum ter edictis legitimis admoneat. Deinde, ſi contumax fuerit, interdicti ſententiam in ſcriptis redactam; & cauſſam propter quam interdicatur in eiſdem inſertam, in ipſum proferat: exemplum ſcripturæ hujus teneatur perſonæ interdictæ tradere infra menſem poſt diem ſententiæ, ſi fuerit requiſitus; ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum, vel litteras teſtimoniales confici, ſigillo authentico conſignatas.

B

*Ne clerici in civitatem intrent bis in menſe.*

Item cum ad aures noſtras conquerenter clamoſa inſinuatione religioſorum virorum, & aliorum plurium fide dignorum, tam parochianorum, quam etiam aliorum, pervenerit, quod rectores eccleſiarum, & alii clerici, Valentinæ civitatis vicini, ingrediuntur civitatem frequentius quam expediat & eorum deceat honeſtatem, illicitis & inhoneſtis ſe actibus immiſcendo, in animarum ſuarum, & parochianorum ſuorum diſpendium & jacturam; & ſic a ſervitio eccleſiarum ſuarum nimium ſe ſubtrahunt & elongant, & eccleſiæ debitis ſervitiis defraudantur; & parochiani aliquando plura incurrunt pericula, ſicut pro certo didicimus; & ipſi etiam clerici omiſſis horis canonicis multa committunt illicita, in opprobrium ſui, & totius ordinis clericalis.

C

Nos huic morbo deſiderantes occurrere, & animarum languoribus providere: provida deliberatione ſtatuimus, ut deinceps præfati clerici, niſi bis in menſe, civitatem ingredi non præſumant, niſi cauſſa neceſſaria forte & inevitabili eos pluries intrare oporteat civitatem. Et quandocumque intrare debuerint, parochiis ſuis de miniſtris prius provideant. Et cum regnum Dei ante omnia ſit quærendum, eadem die qua in civitatem intraverint, ad ſuas eccleſias revertantur. Si vero ex cauſſa eos ultra illam diem in civitate remanere oporteat; nobis vel officiali noſtro cauſſam exponant, propter quam moram trahere debeant longiorem.

D

Et ut negotiorum occaſione ſumpta, horas non



A omittant canonicas, volumus ut in eccleſia ſanctæ Mariæ, quamdiu in civitate remanſerint, horis nocturnis & diurnis in decenti habitu procurent perſonaliter intereſſe, niſi legitimo impedimento fuerint impediti. Quod ſi circa præmiſſa aliquid præſumpſerint attentare, arbitrio noſtro vel officialis noſtri gravi pœna noverint ſe puniendos.

*De Conſueta, & tractatu ſeptem Sacramentorum.*

Anno Domini MCCLVIII. feria tertia poſt feſtum ſancti Lucæ. Nos frater Andreas divina miſeratione Valentinus epiſcopus, in ſancta ſynodo præſidentes, ea quæ inferius continentur duximus ordinanda. In primis ſtatuimus, quod rectores eccleſiarum parochialium civitatis & diœceſis Valentinæ habeant Conſuetam ſecundum conſuetudinem Valentinæ eccleſiæ, per quam inſtruantur divinum officium uniformiter cum matrice ſua eccleſia celebrare. Rectoribus autem eccleſiarum exſiſtentium in urbe & horta Valentiæ, eccleſiarum Muri-veteris, Algeziræ, Xativæ, & Gandiæ, ſpatium ſex menſium a die ordinationis hujus numerandorum; aliis autem per diœceſim conſtitutis unius anni ſpatium concedimus; infra quæ ſpatia omnes hanc Conſuetam habeant: alioquin quilibet ex tunc ſolvat operi majoris eccleſiæ decem ſolidos, duplicandos de menſe in menſem, donec Conſuetam prædictam habuerint, ſicut ſuperius eſt ordinatum. Idem per omnia dicimus, & ſub eadem pœna fieri mandamus, de tractatu ſeptem ſacramentorum edito per venerabilem archiepiſcopum prædeceſſorem domini P...... Tarraconenſis eccleſiæ in ſynodo Ilerdenſi.

*De forma Baptiſmi.*

Item dicimus, quod omnibus ſacramentis a clericis & laicis magna exhibeatur reverentia, & ab ipſis ſacerdotibus populo prædicetur. Et quod baptiſmus janua eſt omnium ſacramentorum, mandamus quod cum magna celebretur cautela, maxime in diſtinctione verborum & prolatione, in quibus tota virtus conſiſtit ſacramenti, & ſalus puerorum. Iſta enim verba ſemper proferre debet ſacerdos ſine aliqua ſyncopatione: Petre, vel Joannes, vel Antoni, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Semper nominando puerum vel puellam.

Et presbyteri moneant laicos, quod in neceſſitate, cum timeatur de morte puerorum, poſſint pueros baptizare: Petre, vel Antoni, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Hoc idem poſſunt facere pater, & mater, cum de vita pueri dubitatur. Et ſi vixerit puer taliter baptizatus, ad eccleſiam deportetur, & ibi catechumenetur, & chriſmetur, ſed non re-

ANNO CHRISTI 1255.

baptizetur: quia ſuppleri debet caute quod ex neceſſitate fuerit prætermiſſum. Nec in aliquo liquore baptizetur, niſi in aqua. Quod ſi verba prædicta non eſſent prolata ut ſuperius dictum eſt, non dicatur aliquis baptizatus. Et ſi dubitaretur, utrum aliquis eſſet baptizatus, aut non; baptizetur; ſed ſacerdos dicat in prolatione verborum ſic: Si es baptizatus, non te baptizo; ſed ſi non es baptizatus, Petre, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Quia non debet injuria fieri ſacramento. Et pro baptiſmo aliquid non quæratur; ſed ſi datum fuerit, gratis recipiatur.

Fontes autem cum omni diligentia cuſtodiantur: ad plus de octo in octo diebus aqua ne putreſcat renovetur. Et caveat ſacerdos ne de aqua ſortilegia fiant. Et ultra duo compatres ad levandum puerum de ſacro fonte non admittantur, quia matrimonia impediuntur. Et illud presbyteri prædicent populo, quod ſi maritus levat puerum de ſacro fonte, uxor quæ eſt in domo eſt commater, & e converſo. Illud autem non eſt prætermittendum, quod quando laici in neceſſitate baptizant pueros, ſacerdos debet quærere diligenter, qualiter laicus dixerit verba; & ſi dixerit, ſeu invenerit, ut ſuperius dictum eſt; bene quidem: ſin autem, baptizet: vel ſi mortuum fuerit corpus, quod baptizatum non reperietur, nullatenus tradatur eccleſiaſticæ ſepulturæ.

Chriſma vero & oleum infirmorum, & oleum catechumenorum ſub fideli cuſtodia teneantur, ne poſſint a malivolis uſurpari. Et quod ſemper quolibet anno in ſancto die Jovis ſanctum Chriſma & oleum a ſolis epiſcopis benedicantur, dicimus quod [a] ultra die alia Chriſma vetus & oleum penitus refutentur, & ponantur in lampade, vel in aqua currenti ampullæ laventur, & novum Chriſma & oleum apportetur. Et in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, in qualibet parochiali eccleſia generalis baptiſmus, ſi baptizandi fuerint pueri, celebretur, & mittantur perſonæ honeſtæ pro Chriſmate.

[a] Pro, ultra diem illam.

*De Confirmatione.*

De Confirmatione in fronte, quando fit ab epiſcopis, præcipimus quod ſacerdotes moneant populum ad confirmationem, quod poſt baptiſmum debet confirmationis ſuſcipere ſacramentum. Adulti & magni confirmandi confiteantur, & poſtea confirmentur; quia in ſacramento confirmationis confertur robur & gratia ut debilitetur penitus inimicus. Et dicatur laicis, quod non exſpectent diu ad confirmandum adventum epiſcopi: ſed ducantur pueri ad eum, vel vadant ubi adeſſe audierint prope: & quod poſſint mutare nomina in confirmatione.

Et eſt ſciendum, quod ſoli epiſcopi poſſunt confirmare, conſecrare virgines, eccleſias dedicare, clericos ordinare, cruces, veſtimenta, calices, corporalia benedicere, & litteras ordinationis dare, indulgentias facere, ſecundum canonica inſtituta. Illud autem ſciendum eſt, quod ſacramenta Baptiſmi & Confirmationis nunquam iterantur. Etiam ſi baptizatus & confirmatus faceret ſe Judæum vel Sarracenum, & poſtea vellet redire ad fidem catholicam, non baptizaretur nec confirmaretur; quia ſufficit contritio in hac parte, cum reconciliatione epiſcopi.

*De Confeſſione.*

Item quia pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium; præcipimus quod ſacerdotes moneant populum, quod ſi aliquis deliquerit mortaliter, recipiat pœnitentiam a proprio ſacerdote, ſeu confeſſore, vel a Prædicatoribus, vel [a] majoribus, quibus data eſt licentia audiendi confeſſiones. Et circa confeſſionem maximam curam habeant & cautelam, ſic ut diligenter inquirant peccata uſitata ſigillatim: inuſitata vero nonniſi a longe per circumſtantiam aliquam; ſic tamen, ut expertis detur materia confitendi. Et ſacerdotes quum debent audire confeſſiones, locum ſibi in eccleſia eligant convenientem, ut communiter ab omnibus videantur; extra eccleſiam vero nullus audiat confeſſiones, niſi in neceſſitate magna aut infirmitate. Præterea ſacerdotes ſemper in confeſſione audienda vultum habeant humilem, & oculos ad terram, nec facies reſpiciant confitentium, maxime mulierum, cauſſa debitæ honeſtatis; & patienter audiant quæ dixerint, in ſpiritu lenitatis eis compatiendo. Nec admirentur de commiſſis, quantumcumque turpibus, ſed eis pro poſſe ſuo perſuadeant, & pluribus modis, ut confiteantur integre; aliter dicant eis nihil valere ad vitam æternam.

[a] Alii, Ordin.

Audita autem confeſſione, ſemper confeſſor interroget confitentem ſi velit abſtinere a peccato omni; aliter enim non abſolvat, nec pœnitentiam injungat, nec deinde contingat. Moneat tamen ut interim agat quidquid boni poterit. Si non proponat confitens de cetero non peccare, non eſt ei pœnitentia injungenda. Et in injungendis pœnitentiis caveant ſacerdotes, quod ſecundum qualitatem culpæ, & poſſibilitatem confitentium, eis injungant, quia ſecundum qualitatem culpæ debet eſſe quantitas pœnitentiæ. Alioquin quando minus eſt, requiretur ab eis, quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. Debent enim injungere jejunium, eleemoſynas, venias, orationes, peregrinationes, & hujuſmodi; & moneantur quod jejunent Adventum, & Quadrageſimam, & dies Veneris & ſabbatis non comedant carnes, niſi in infirmitate conſtituti. Statuta jejunia obſervent, & feſtivitates colendas colant, decimas & primitias donent, & ad eccleſiam libenter veniant, & jura dominis ſuis integre perſolvant; aliter graviter peccarent. Et ſic paulatim ad id quod facere debent inducantur.

Item dicimus ſacerdotibus, quod majora peccata reſervent majoribus ac diſcretioribus in confeſſione, ſicut homicidia, ſacrilegia, peccatum contra naturam, inceſtus, ſtupra monialium, vota fracta, injectiones manuum in parentes, & hujuſmodi. Proviſo tamen, quod ſi peccata enormia fuerint publica, tranſmittant hujuſmodi pœnitentes Pœnitentiario epiſcopi, & in die Cineris ab eccleſia expellantur, & in die ſancto Jovis introducantur, ſecundum quod in eccleſiis cathedralibus dignoſcitur obſervari. Item incendiarios, verberatores clericorum, vel religioſorum, vel ſimoniacos, & qui portant arma Sarracenis, hæreticos credentes, fautores, receptores, & defenſores eorum & fractores eccleſiarum, omnes epiſcopo tranſmittantur. In dubiis tamen ſacerdos ſemper conſulat epiſcopum, & viros ſapientes, quorum conſilio certificati ſolvant ſecurius, ut licet.

Item de furto, uſura, rapina, fraude, ſibi caveant ſacerdotes, ne pœnitentiam injungant, niſi prius reſtituant quibus debent: quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Nec ſacerdos aliquis Miſſas quas injunxit celebrandas, celebret; cum non ſit debitæ honeſtatis, quod pro illis trentenaria vel annualia celebrentur. In confeſſione ſibi caveant ſacerdotes, ne requirant nomina perſonarum cum quibus peccaverunt confitentes; ſed circumſtantias tantummodo & qualitates. Et nullus ſacerdos, ira, odio, vel metu mortis in aliquo audeat revelare confeſſionem generaliter: quod ſi fecerit, deponatur. Item, quando ſacerdos audit confeſſionem infirmi, ſibi pœnitentiam innoteſcat, non injungat, niſi in peccato reſtitutionis; ſed dicat ei, quod cum ſanus fuerit ad ipſum revertatur; ſi vero obierit, roget Deum pro eodem; ne ſibi paretur laqueus tranſmigranti.



ANNO CHRISTI 1255.

*De Extrema-unctione.*

Quia extrema Unctio quæ datur extremis laborantibus nihil in eccleſiis ſervabatur; dicimus quod de cetero omnibus in ægritudine conſtitutis tradatur a ſacerdotibus, & in eccleſiis publice prædicetur; & in ſancto die Jovis quilibet ſacerdos parochialis mittat pro oleo infirmorum, catechumenorum, & Chriſmate ſancto, tres ampullas: & cum omni magno honore & reverentia ſanctum oleum ad infirmum deferatur, & eos ungat ſacerdos cum magno honore, & orationum celebritate, quæ ad hoc ſunt inſtitutæ; & nihil inde penitus exigatur ſive a paupere, ſive a divite: ſed ſi quid gratis datum fuerit, accipiatur.

Illud tamen notandum eſt, quod iſtud ſacramentum tantum præſtatur adultis, & ſicut pœnitentia iteratur, ita & iſtud ſacramentum. Nec obligat aliquem, quoniam ſi convaluerit poſt unctionem, non debeat accedere ad uxorem. Item mandamus, quod ſacerdotes parochiales omnes habeant librum, in quo contineatur ordo extremæ Unctionis, cathechiſmi, baptiſmi, & hujus qui dicitur *Manualis*, ſive *Ordinarium officiorum eccleſiæ*, ſecundum modum qui obſervatur in eccleſia majori.

*De Corpore Jeſu Chriſti.*

Quia Corpus Chriſti conſuevit dari infirmis, dicimus, quod cum magna reverentia deferatur, cum lumine & campanella, & ſacerdos qui portaverit, induat ſuperpelliceum & ſtolam, & det infirmo: & ſi forte infirmus faciat vomitum, recognoſcat Corpus, & non det ei; & cum revertitur ad eccleſiam non pulſetur campanella, niſi Corpus portetur. Et moneant populum ſacerdotes, quod cum viderint Corpus, vel audierint campanellam, omnes inclinent capita, vel genua flectant, ob reverentiam Jeſu Chriſti. Nec presbyteri permittant diaconos deferre Corpus Chriſti, niſi in neceſſitate, cum abſens fuerit ſacerdos. Sed ſemper ſacerdotes deferant cum magna reverentia & maturitate in calice, vel in pyxide, multum honeſte. Et dicant ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum litania pro infirmo, eundo & redeundo, & alias orationes ſecrete: ſic enim debitum ſolvat pro infirmo.

Item dicimus, quod honor maxime exhibeatur altaribus, & maxime ubi Corpus Chriſti reſervatur, & Miſſa celebratur: & in media parte altaris cum ſumma diligentia & honeſtate ſub clave, ſi fieri poteſt, Corpus Chriſti cuſtodiatur. Item nulli clerico permittatur ſervire altari, niſi cum ſuperpelliceo, aut cappa rotunda. Nec aliquis auſus ſit bis in die Miſſam celebrare, niſi ex magna neceſſitate, & tunc non recipiat in prima Miſſa poſt communionem vinum. Item dicimus, quod nec aliquis præſumat Miſſam celebrare, niſi prius matutinas dixerit canonicas & Primam [a] aliqua neceſſitate. Et linteamina altaris & indumenta ſacerdotalia ſæpe abluantur ob reverentiam Jeſu Chriſti, & totius curiæ cœleſtis, quæ cum eo præſens eſt quotieſcumque Miſſa celebratur: calices, & unde infirmi communicant, decenter & munde cuſtodiantur, ut devotius communicent infirmi; ampullas quoque vini & aquæ in miniſterio altaris mundæ & integræ habeantur, & una ab altera cognoſcatur.

[a] Forte, abſque neceſſitate.

Item prohibemus, ne ſacerdotes habeant ſecum prolem ad ſervitium altaris propter ſcandalum; ac de octo in octo diebus renovetur Corpus Chriſti, ne ſui vetuſtate aliqui ab ejus devotione removeantur. Et ſi eccleſia fuerit interdicta, ſacerdos ſecreto clauſis januis celebret, & renovet euchariſtiam; & quod ſuperfluum invenerit, cum ſumma diligentia recipiat. Item dicimus, quod in primo *Memento* de ſacra ſacerdotes habeant memoriam pro benefactoribus vivis. Et in ſecundo pro mortuis. Et cum inceperint *Qui pridie*, non ſtatim elevent manus alte, ſed ante pectus teneant donec dixerit: *Hoc Corpus meum*: & tunc elevent caute, ita ut poſſit videri ab omnibus, quia tunc eſt ibi Corpus Chriſti; & prædicetur populo quod tunc omnes flectant genua, & adorent Corpus. Et licet totum canonem debeant dicere cum diligentia & maturitate; ab illo loco; *Qui pridie*, uſque, *Supra quæ propitio*, cum majori devotione & ſolicitudine præcipimus obſervari; quia omnia illa verba vere ſunt in ſubſtantiam ſacramenti.

Item dicimus, quod vinum rubeum potius quam album miniſtretur in calice propter aquæ ſimilitudinem; & purum, & bonum, & non ineptum, propter reverentiam Jeſu Chriſti. Item corporalia munda & nitida teneantur, ad modum vel morem Ciſtercienſium, fiant de cetero, ac etiam incidantur. Et ſi quid de ſanguine Domini ceciderit ſuper corporale, reſcindendum eſt ipſum corporale, & in loco Reliquiarum honorifice reſervandum. Si ſuper pallas, caſulas, vel veſtimentum; abluatur in aqua, & partes illæ comburantur, & cinis in ſacrario reponatur. Et ſi muſca, vel aranea caſu contingente ſuper calicem ceciderit: ſi viva fuerit vel mortua, caute extrahatur & comburatur, & cinis in ſacrario reponatur. Si autem infirmus recepto corpore vomitum fecerit, in vaſe aliquo reponatur, ſeu recipiatur; vel ſi vas haberi non poterit, & in terra vomitum fecerit; locus radatur, & totum in aqua projiciatur.

Tamen caveant ſacerdotes quum dant Corpus, quod quærant utrum infirmus conſueverit vomitum facere, & ſervet quod ſuperius dictum eſt. Et etiam moneat, quod ſi contigerit infirmum vomitum facere, in vaſe recipiatur. Item dicimus, quod Corpus Chriſti non tradatur iſtis qui ſuſpenduntur, vel debent juſtitiari, niſi [a] impunitos permittantur, uſque ad quatuor dies poſt ſumptionem ſacramenti, ob ſcandalum laicorum; ſed ſi adorare voluerint, adorent, & recognoſcant. Tradi autem poſſunt eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi fuerit de Principis voluntate. Miſſam vero ultra meridiem nullus cantet, niſi in vigilia Paſchæ; nec de nocte, niſi in Nativitate.

Quod

ANNO CHRISTI 1255.

*Quod matrimonia cum honore celebrentur. Et ne fiant clandeſtina matrimonia. Et alia circa matrimonia.*

Item quia matrimonium eſt apud omues gentes, dicimus, quod cum honore & reverentia celebretur in facie eccleſiæ, non in riſu vel joco, ne contemnatur. Et per octo dies ante dicat ſacerdos in eccleſia ſub pœna excommunicationis, quod talis vult ducere talem in uxorem. Et ſi ſciunt impedimentum conſanguinitatis, vel adulterii, vel affinitatis carnalis vel ſpiritualis, veniant coram eo: alias peccarent mortaliter, & non audirentur, niſi infra illos octo dies dixerint quæ ſciunt. Et ſacerdotes quærant ad oſtium eccleſiæ ſi eſt aliquis qui ſciat impedimentum: & ſi dicatur non, deſponſet eos per verba de præſenti, recipiendo annulum primo in manu viri, & dicat: Ego Petrus duco te, ſeu recipio te Bertam in uxorem, & trado me ipſum tibi in legalem virum. Et ponat ita annulum in quarto digito mulieris, dicendo ſic: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Eodem modo faciat uxor ut dictum de marito, & ſic eſt matrimonium conſummatum.

Prohibeant ſacerdotes ne fiant clandeſtina matrimonia, nec dent ſibi ad invicem fidem de contrahendo matrimonio, niſi coram ſacerdote, & coram pluribus hominibus: quia ex hoc multa mala conſueverunt evenire. Item dicimus ſub pœna excommunicationis, ne ſortilegia fiant, nec maleficia, nec ligationes, quæ fiunt per maleficas mulieres: & qui ſciunt impedimenta matrimonii, dicant ſicut eſt, votum, ordinem, conſanguinitatem, affinitatem, diſparem cultum, compaternitatem, vel hujuſmovi: nec in caſu dubio ſacerdotes audeant perficere matrimonium epiſcopo inconſulto; ſed ad eum ſemper referant omnes matrimonii quæſtiones.

Item præcipimus ſacerdotibus, ne aliquid exigant ante benedictionem nuptialem, nec ante ſepulturam, ſive pro matrimonio celebrando; ſed celebratis nuptiis exigant fercula ſua, ſi neceſſe fuerit, vel mortuarium, quia poſt licite facere poſſunt, conſuetudine tolerante. Item mandamus, quod aliquis conjugum non intret religionem, vel recipiatur, epiſcopo inconſulto. Item præcipimus ſacerdotibus, ut cum aliquis confitetur eis ſe fidem dediſſe alicui mulieri de matrimonio contrahendo cum ea, & poſt fidem datam cognovit eam, non dent ei licentiam contrahendi cum alia; quoniam ſequens carnalis copula cum illa cui fidem dederat, matrimonium conſummavit. Nec interſint clandeſtinis matrimoniis, niſi in multorum præſentia: quia qui male agit odit lucem.

Item mandamus ſacerdotibus, ne faciant nuptias ab Adventu Domini uſque ad feſtum ſancti Hilarii, & tunc faciant uſque ad Dominicam Septuageſimæ. Et ex tunc ceſſent uſque ad Dominicam de *Quaſi modo*. Et ex tunc uſque ad Dominicam de *Voce jucunditatis*, incluſive, quæ præcedit feſtum Aſcenſionis: & tunc ceſſent continue per tres ſeptimanas uſque ad Dominicam de Trinitate. Et ex tunc celebrent nuptias uſque ad Dominicam de Adventu. Hoc proviſo, quod prima Dominica Adventus, quæ inducit prohibitionem, intelligatur prohibita, & feſtum ſancti Hilarii, quod inducit permiſſionem, conceſſa intelligatur, & ſic de aliis. Item præcipimus, quod mulieres votum non faciant, niſi cum magna deliberatione animi, & cum virorum aſſenſu & conſilio ſacerdotum.

*De Clericis ordinandis.*

Item quia in ordinibus recipiendis, multa veniunt pericula, mandamus quod quarta feria quatuor Temporum omnes ordinandi archidiaconibus ſe repræſentent, ut tam de vita, quam de moribus, quam de ſcientia, poſſit fieri ſcrutinium diligenter. Utrum cantent, vel legant, vel loqui ſciant Latinis verbis, ſic quod cum diligentia ſint examinati & probati die Veneris, & qualiter in domo Domini debeant converſari. Et præcipimus, quod ad ordines ſuſcipiendos, & ad ſynodum honeſte veniant, tam in veſtibus quam in coronis, nec aliquid dent vel promittant archidiaconibus, vel eorum clericis, vel epiſcopo, vel clericis epiſcopi, ut ordinentur, quia ſimoniacum eſſet.

Item aliquis non recipiat ordines, niſi fuerit nomen ejus ſcriptum in matricula archidiaconorum, vel cum ſcientia ipſorum, quia excommunicatus eſſet. Item dicimus archidiaconibus, ne præſentent clericos aliorum epiſcopatuum ſine litteris epiſcoporum propriorum, quas tradant epiſcopo, cum ſigillo pendenti: & nomina omnium clericorum qui fuerint ordinandi, tradantur epiſcopo, & apud ipſum in matricula reponantur. Item dicimus, quod religioſæ perſonæ, quæ habitum portant aliorum epiſcopatuum, vel noſtri, non ſe præſentent ſine litteris ſui majoris.

Item dicimus, quod nullus præſentetur ad quartum gradum, niſi loqui ſciat Latinis verbis; & ut poſſint habere doctorum copiam, ſtatutum eſt, quod ſemper in cathedralibus eccleſiis detur portio magiſtro Grammaticæ. Item dicimus, quod nullus ſacerdos habeat in domo ſua aliqua occaſione mulierem, niſi ſit mater, vel ſoror, aut eſſet perſona de qua nulla ſuſpicio poſſit haberi. Item dicimus clericis habentibus eccleſias, quod portionarios non ponant in eccleſiis interdictum eſt epiſcopo inconſulto, nec aliquis clericus ſit auſus recipere decimas; niſi per epiſcopum. Item dicimus, quod nullus faciat pactum aliquod patronis ſuper facto eccleſiarum antequam ſit epiſcopo præſentatus: nec admittatur aliquis ad prædicandum, niſi fuerit authentica perſona, vel ab epiſcopo vel archidiacono ſit miſſus.

*Quod exhortari debet populus ad dicendum orationem Dominicam, & ſymbolum. Prohibetur ludus ad taxillos. Et de vigiliis, & exceſſibus, qui ibi fiunt, & de moribus.*

Exhortamur ut ſæpe presbyteri moneant populum ad dicendum orationem Dominicam, & *Credo in Deum*, & beatæ Virginis ſalutationem, & quod doceant filios orationem Dominicam, & *Credo in Deum*, & ſalutationes beatæ Mariæ: & in aliqua parte ſermonis aliquando exponant populo ſymbolum fidei, & eis diligenter diſtinguant articulos fidei, & confirment auctoritatibus & rationibus ſacræ ſcripturæ pro poſſe & ſcientia ſua, propter laicos inſtruendos, & hæreticos & [a] corruptos fidei confundendos. Item prohibemus univerſis clericis ludere cum taxillis, intereſſe ſpectaculis, vel choreis mulierum, intrare tabernas cauſſa potandi, vel ſine ſocio intrare domos mulierum ſuſpectarum, aut diſcurrere per vicos & plateas, & ire quotidie ad mercata quum non ſubeſt cauſſa: nec ſuſpenſioni latronum, nec combuſtioni etiam aliquorum, vel ſanguinis effuſioni interſint.

a Pro ſepum [illegible]

Item moneant populum, quod illi qui veniunt ad vigilias eccleſiarum, caute & honeſte ſe habeant



ANNO CHRISTI 1255.

beant, nec permittant choreas facere in eccleſiis vel cœmeteriis. Nec in eccleſiis fiant conjurationes aquæ ferventis, vel ferri candentis, vel aquæ frigidæ conjuratæ, quia omnia iſta ſuperſtitioſa ſunt penitus, & contra Deum. Item nullus clericus fidejubeat Judæo, vel feneratori, vel obliget calicem, vel veſtimenta, vel pallas altaris Judæis, vel libros. Item mandamus clericis, quod immobilia non alienent aliquo caſu epiſcopo inconſulto, & faciant inventarium de omnibus poſſeſſionibus eccleſiæ, & ſcribant omnia in Miſſali; ut cum epiſcopus, vel Ordinarius, alias archidiaconus, videre voluerint, meliorata inveniant. Nec aliquis faciant mutuum ſuper eccleſias epiſcopo inconſulto; quia ſatis eſt quod clerici habeant reditus eccleſiarum, & non obligent ſine cauſſa, quam epiſcopus debet ſcire.

Item mandamus ſacerdotibus vel habentibus curam, quod nullus renunciet niſi in manu epiſcopi. Et cum venerint ad ſynodum, perquirant parochias: & viſitent infirmos, & dent pœnitentias; eiſdem exponendo qualiter tenentur ire ad ſynodum, & ſi interim morerentur, ſine pœnitentia non decedant. A qua ſynodo cum venerint, non requiſiti viſitent infirmos, & faciant quod ſaluti animarum noverint expedire. Item mandamus, quod quæſtores, [a] quantumque portent litteras domini Papæ, vel archiepiſcopi, vel aliorum epiſcoporum, non admittantur ad prædicationem, niſi expreſſas litteras habuerint ab epiſcopo; ſed ipſi ſacerdotes legant indulgentias, & exponant populo: quia in prædicatione hujuſmodi quæſtorum, hæreſim intelleximus prædicari. Quomodo ergo prædicabunt niſi mittantur?

Item mandamus, quod fratres Prædicatores [b] & minores honorifice a clericis recipiantur. Item præcipimus, quod ſi feſtum fuerit die lunæ, quod habeat jejunium, præcedenti ſabbato jejunetur. Feſtivitates autem ſancti Franciſci, Dominici, ac ſancti Antonii, quas ſanctorum catalogo novimus ſcriptas, feſtivari præcipimus, & novem deinde fieri lectiones. Item præcipimus, quod clerici pannos liſtatos non portent, nec manicas ſutitias, nec ſotulares roſtratos, & maxime presbyteri. Item mandamus, quod in Quadrageſima dicantur ſemper novem lectiones pro defunctis, exceptis feſtivitatibus novem lectionum; diebus aliis feriatis tres, & ad horas beatæ Virginis non ſedeant, nec ad *Magnificat*, nec *Nunc dimittis*, & *Benedictus*, & *Quicumque vult*, & ſemper adſurgant ad *Gloria Patri*. Et ubi plures clerici fuerint, ſemper unus levet pſalmos, & punctatis, ſine ſyncopa legant pſalmos ac lectiones. In feſtivitatibus vero duo cantent *Alleluja* honorifice & decenter, & ſemper cantetur *Gloria in excelſis Deo* in diebus Dominicis & feſtivis: exceptis Dominicis Quadrageſimæ & Adventus. *Credo in unum Deum* nunquam cantetur, niſi in Dominicis diebus, & feſtivitatibus Apoſtolorum, & duplicibus feſtis: cauſſa tamen reverentiæ Dominæ noſtræ in ſabbato cantari poteſt.

a Pro, quamcumque;
b Lege, & Minores.

Item mandamus, quod quilibet ſacerdos, cum audierit obitum ſui parochiani, roget Deum pro eo. Et quilibet portet ad ſynodum nomen, ſive nomina clericorum, qui deceſſerunt in anno in ſua parochia, & ibi quilibet abſolvat eos. Proceſſiones autem pro defunctis fiant ſemper diebus lunæ, niſi feſtum occurrerit novem lectionum. Item præcipimus, quod quilibet ſacerdos caute & diligenter inquirat in ſua parochia, quis male vivit; & ſi invenerit eum, corrigat monendo ter vel quater; & niſi reſipuerit, interdicatur; ad majorem pœnam de conſilio epiſcopi nihilominus proceſſurus.

Item mandamus quod Quatuor tempora mandent ſemper jejunari; quorum jejunium eſt primum in adventu, ſecundum in Quadrageſima, tertium in feſtivitate Pentecoſtes, quartum in menſe Septembris; & poſſunt ſciri per hos verſus:

*Vult Crux, Lucia, Cinis, & [a] veriſmata dia,*
*Ut det vota pia, quarta ſequens feria.*

a Pro, chariſmata.

Et jejunent in cibo Quadrageſimali. In diebus autem litaniarum poſſunt comedere caſeum & ova, Aſcenſionis vigilia excepta. Item ſacerdotes moneant populum quod quilibet parochianus addiſcat ſalutationes beatæ Mariæ, *Pater noſter*, & *Credo in Deum*. Iſta mandavit dominus archiepiſcopus Tarraconenſis obſervari in ſynodo per eum celebrata in ſede Barchinonenſi, ſede vacante, anno Domini MCCXLI. in die ſancti Lucæ evangeliſtæ.

*Quod rectores reſidentiam faciant in ſuis eccleſiis perſonalem.*

Item quia cum eccleſiæ diu eſſe non debeant ſine rectoris regimine, ne gregem Dominicum lupus rapax invadat; citamus talem & talem, qui ſine licentia noſtri illicite ſe abſentant, ut infra duos menſes & alii abſentes infra ſex menſes, & alii qui ſunt præſentes infra duos menſes, ad ſuas eccleſias redeant cauſſa reſidentiam faciendi: alioquin ex tunc ipſis cunctis noverint ſe privatos, niſi forſan coram nobis infra tempus dictum rationabilem cauſſam oſtenderint, quare ibi non poſſint reſidere.

CON-

# *** CONSTITUTIONES VVALTERI DE KIRKHAM EPISCOPI DUNELMENSIS,

## Anno Dom. MCCLV, vel circiter, editæ.

Ex codice MS, eccleſiæ Dunelmenſis edidit collector Anglicanus.

### PROLOGUS.

CUM ſit ars artium regimen animarum: nulli, ſicut credimus, ^a vertitur quin paſtores, ſuper jura & cuſtodia gregis Dominici, vigilantes eſſe debeant: ſolicite intendentes, quod oves ſine luporum morſibus defendantur, & pabula ſibi competentia miniſtrentur. Et nos, ex officii noſtri honore & onere tenemur gregem noſtrum contra ſurgentes ex adverſo, juxta ſcientiam nobis datam a Domino defenſare, imbres evangelicæ doctrinæ, pro alimentis ſpiritualibus adhibentes; quibus mediantibus vita & ſalus ſubditorum valeat reparari. Noſtrorum itaque prædeceſſorum veſtigiis inhærentes, quaſdam conſtitutiones ad ſalutem ſubditorum & reparationem multorum in hac ſancta ſynodo vobis duximus publicandas, ſtatutis bonæ memoriæ " Richardi quondam epiſcopi Dunelmenſis, quatenus obſervata fuerunt, & admiſſa, in ſuo robore duraturis.

a Forte, dubium vertitur, Hard.

" De ſtatutis Ricardi Dunelmenſis, vide ſupra annotationem noſtram ad conſtitutiones Sarum, ad ann. 1217.

*Hinc incipiunt conſtitutiones VValteri epiſcopi Dunelmenſis.*

CUm igitur decalogi obſervatione ſalus animarum conſiſtat, monemus, exhortamur, & præcipimus in Domino, firmiter injungentes, ut unuſquiſque paſtor animarum, ac quilibet ſacerdos parochialis, ſciat decalogum, hoc eſt decem mandata legis Moſaicæ, quæ populo ſibi credito frequenter ac diligenter exponat.

Inſuper ſciat quæ ſunt ſeptem criminalia; quæ non ſolum verbo, ſed exemplo ſanctæ converſationis ſimiliter populo ſibi ſubjecto prædicet ſæpius fugienda.

Sciat quoque ſaltem ſimiliter ſeptem eccleſiaſtica ſacramenta, & eorum effectus, quæ diligenter exponat populo quotiens fuerit opus.

Hi etiam qui ſunt ſacerdotes, maxime ſciant quæ exiguntur ad veræ confeſſionis formam; ſacramentum, formamque baptizandi diligenter attendant: atque ſolemnibus diebus & Dominicis doceant fideles laicos ipſam in communi idiomate & vulgari, & cum neceſſitas ingruerit, ſciant laici, qualiter baptizandi ſint parvuli, in domibus eorum, non expectato eccleſiæ ſacerdote.

Habeat quoque unuſquiſque eorum ſimplicem intellectum fidei, ſicut in ſymbolo, tam majori quam minori, quod eſt in Pſalmo, *Quicumque vult*, & etiam *Credo in Deum*, expreſſius continentur: necnon in oratione Dominica quæ dicitur *Pater noſter*, ac ſalutatione beatæ Mariæ: & qualiter ſe debeant crucis charactere inſignire: ne cum laici ſuper hoc requiſiti fuerint, ſe confictè valeant excuſare, occaſione negligentiæ ſacerdotum.

Super quibus omnibus & ſingulis, ſaltem in Quadrageſima fideles laici in foro pœnitentiæ requirantur. In ſingulis autem decanatibus aliqui diſcreti pœnitentiarii eligantur, qui Deum habentes præ oculis, in illo decanatu confeſſiones audiant ſacerdotum.

Ante omnia diligenter attendant ſacerdotes, ac omnes alii in ſacris ordinibus conſtituti, ſi in ſacri ordinis ſuſceptione, ante vel poſt ſuſceptum ordinem, ^b irregulariter contraxerint, niſi cum eis diſpenſatum fuerit ab eo qui diſpenſare poterit: quod ab executione ſui officii noverint in noſtra diœceſi ſe ſupenſos, quod hujus ſynodalis ſtatuti auctoritate duximus publicandum. Et qui ſont caſus, in quibus propter injuriam irregularitatis, ſecundum canones ſunt ſuſpenſi, diligenter inquirant a juris peritis; inſpicientes diligenter, ſecundum capitulum conſtitutionum venerabilis patris Richardi quondam epiſcopi Dunelmenſis.

b [illegible]

Diſtricte quoque præcipimus archidiaconis, & injungimus, quod in capitulis ſuis generalibus, ac quotiens opus fuerit, ſane & ſimplicibus verbis, catholicæ fidei expoſitionem in generali concilio promulgatam declarent: & quod eccleſiaſticis officiis, ac aliis honeſtis & bonis ſtudiis ſe exerceant: Divinum officium debite, diſtincte, ac reverenter, horis ſtatutis, & locis ad hoc deputatis, ſine negligentia exequantur, nec celebrent de aceto aut vino corrupto.

Euchariſtia autem, quæ eſt ſacramentum Dominici corporis, in loco mundo & ſignato, & ſub fida cuſtodia honorifice collocetur, devote, ſub ſera & fideliter conſervetur.

Doceat vero ſacerdos plebem ſuam, ut cum in celebratione Miſſarum ſublevetur hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet. Idem faciat, cum ipſam hoſtiam portet presbyter ad infirmos.

Veſtimenta altaris, & alia ornamenta ejuſdem & miniſtrorum, decentia, ac vaſa munda habeant; & ſe honeſte habeant, & indumentis & habitu exteriori ſecundum ſtatuta concilii, ne reprehenſibiles videantur.

Statuimus & præcipimus, quod cum ferri debeat corpus Chriſti ad infirmos, hoc faciat reverenter & in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine ferat, & referat, manifeſte ante pectus cum omni reverentia & timore, ſemper lumine præcedente, cum ſit candor lucis æternæ, & cum tintinnabulo; ut ex hoc apud omnes fides augeatur & devotio, ſicut in generali concilio continetur.

Caveant inſuper ſacerdotes, cum omni diligentia, ut in eccleſiis ſuis ſint chriſma, oleum ſanctum, & infirmorum, & ſub fideli cuſtodia, ſeris adhibitis, conſerventur, ne poſſit ad illa, & etiam ad Euchariſtiam, modo ſimili cuſtoditam, temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Et ſi per injuriam, ad quem ſpectat cuſtodia aliquid nefandum inde contigerit, tres menſibus ab officiis ſuſpendatur.

Idem de fontibus præcipimus obſervari.

Caveant etiam, ne ſancta Euchariſtia per vaſis vitium aut diutinam conſervationem contrahat humiditatem, aut humorem, unde reddatur aut





guſtui abominabilis, aut turpis aſpectu: & inſpiciat ſuper hoc conſtitutionem venerabilis Richardi patris quondam epiſcopi Dunelmenſis.

Sacerdotes autem prompti & paratiſſimi ſint, non ſolum diebus, ſed etiam noctibus, ut ægrotantes, cum requiruntur, viſitent: ne per eorum negligentiam, moriatur infirmus ſine confeſſione, & Dominici corporis communione, vel extrema unctione.

Et ut hæc liberius faciant, jubemus, adjurantes per viventem in ſæcula, omnes ſacerdotes, & omnes eccleſiarum miniſtros, maxime in ſacris ordinibus conſtitutos, ut non ſint ebrioſi, aut guloſi, aut excercentes tabernas, ne morte æterna moriantur, juxta ^b regis comminationem ad Aaron a Domino in Levitico promulgatam, quo dicitur: *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibas tu, & filii, ne moriamini.*

b Forte Legis. Id.

Levit. 10.

Adjicimus etiam, ne viri eccleſiaſtici negotiationes excerceant, nec aliquid vendant ad uſuram: ſed juxta evangelicam doctrinam mutuum dent, nihil inde ſperantes. Et quia fide dignorum relatione ad aures noſtras pervenit, quod uſuraria venditio in noſtra diœceſi tam in clero quam in populo quaſi communis morbus irrepſit: ſub pœna canonica uſurariis debita, & ſub . . . . . Divini judicis prohibemus, & interdicimus, ut nullius occaſione dilationis de ſolutione facienda quicquam carius " vendant, neque dent aut recipiant eccleſias, aut vicarias, aut eccleſiaſtica ædificia ad firmam, niſi in caſibus a jure aut conciliis ſanctorum patrum conceſſis, & interventu licentiæ noſtræ ſpecialis.

" In Anglicana editione, carnis, quod certiſſimum mendum.

Statuimus etiam, & jubemus, ne quis beneficiatus decimas ſuas, ante tempus quo de ipſis poterit condere teſtamentum, vendat: nec etiam tunc laicis, nec aliquo tempore antequam ſeparentur a ſolo, juxta canonicas ſanctiones.

Interdicimus etiam inſuper, ne quis viris religioſis quibuſcunque ſolvat indebitas penſiones, aut minus canonice impoſitas: debitas vero & canonicas ſolvi jubemus. De quarum vero impoſitione canonica ratione prævia dubitatur, ipſas ſequeſtrari decernimus, & in æde ſacra deponi, donec de ipſarum impoſitione canonica plenius cognoſcatur.

Ad hæc præcipimus, ut qui in aliqua eccleſia adeptus fuerit perſonatum, in ſubdiaconatum ordinetur.

Qui vero ad vicariam, ſecundum legitima inſtituta promoveatur ad ordinem ſacerdotii, & perſonaliter reſideat in eadem, ſi canonicam voluerit effugere ultionem. Ut autem in eccleſiis, religioſorum propriis uſibus deputatis, ſecundum ſtatuta Lateranenſis concilii, vicarii ordinentur: præcipimus, & injungimus, ut vicarios in ſuis eccleſiis, in quibus nondum ſunt vicarii conſtituti, nobis perſonas idoneas repræſentent, qui in ipſis in ordine quod cura requirit, velint & valeant reſidere. Alioquin taxatis, juxta eccleſiarum facultates, vicariis ad diſponendum de . . . . . quatenus jura permiſerint, diſponente Domino, procedemus.

Statuimus deſuper, ut diligenter inquirant archidiaconi in ſuis viſitationibus, quæ eccleſiæ ſunt dedicatæ, & quæ non, & quæ dos in eccleſiæ dedicatione ſit aſſignata. Inſuper quæ altaria fuerunt conſecrata; & ſi conſecrata, ſint crucis charactere ſigillata: firmiter injungentes, ne colores ſuper ea violentur aliquid, aut uſus profanos alios quoſlibet deputentur.

Locus corruptus.

Panni etiam chriſmales in uſus ſæculares nullatenus convertantur, cum ſacro fonte renati munditiam ſignificent, qua ablutus eſt parvulus a peccatis: in cujus candore vita æterna, & futura reſurrectio figuratur.

Nec uni parvulo propter neceſſitatem aut pauperiem pannus aliquis deputetur per avaritiam, aut incuriam ſacerdotis.

Exhortantes etiam præcipimus, ut beneficiati, & infra ſacros ordines conſtituti, vitium luxuriæ, omnem voluptatem, carnis immunditiam fugiant, ſervantes continentiæ puritatem. Nulluſque eorum uxorem ducat: & ſi, antequam ſacros ordines ſuſcepit, uxorem duxerit, ſeu poſtea, ſi beneficium habeat, ipſo privetur, & ab executione ſui officii ſuſpendatur, niſi in caſu a jure conceſſo.

Solenniter renovantes ſacrorum canonum conſtitutiones, quibus cavetur, quod ſacerdotes & rectores, cum filiabus ſpiritualibus luxuriantes, beneficiis priventur, & executione ſui officii ſuſpendantur.

Diſtrictius autem inhibemus, ne perſonæ eccleſiarum, aut vicarii ſeu ſacerdotes, aut etiam clerici, maxime in ſacris ordinibus conſtituti, publice fornicarias ſuas habeant, nec in domibus ſuis, vel aliis locis ſuſpectis, de quibus ſiniſtra ſuſpicio oriatur. Quod ſi facere præſumpſerint, canonicæ ſubjaceant ultioni, prout ordinarii eorum melius viderint expedire. Presbyteri vero, & alii eccleſiaſtici, qui ^c hujus macula reſperſi fuerint, a Divinis ſuſpendantur officiis, donec per ordinarios locorum ad emendam venerint competentem. Hanc autem diſtrictionem non tantum de ſacerdotibus parochiam habentibus, ſed etiam de quibuſcumque capellanis præcipimus obſervari, cum omnes pari voto continentiæ ſint aſtricti. Concubinæ prædictorum presbyterorum, ſeu clericorum, ſi quæ deprehendantur, vel publice convincantur, niſi monitæ reſipuerint, nominatim excommunicentur uſque ad condignam venerint emendam. Si quæ autem, excommunicationis ſententia contempta, in peccato tam fœtidiſſimo perſeveraverint animo indurato, in vita etiam communione careant fidelium; & ſi deceſſerint, denegetur eis eccleſiaſtica ſepultura. Nec quiſquam excommunicatas ſcienter & prudenter concubinas clericorum, niſi forte tranſitum facientes, hoſpitio ſuſcipiat: & tunc cautius provideatur, ne cum ſuis fornicatoribus hoſpitentur.

c Pro, hujuſmodi

Quod ſi rectores dictarum eccleſiarum in quibus miniſtrant præfati capellani, decanis, officialibus, aut archidiaconis non denunciaverint, antequam per inquiſitionem ſuam, vel famam, ad eorum notitiam pervenerint, ſed auſu temerario prædictas perſonas retinuerint, aut ſuſtinuerint, quacunque occaſione in eorum obſequiis: pœnam expreſſam in conſtitutione bonæ memoriæ Richardi quondam Dunelm. epiſcopi ſe noverint incurſuros. Et cum non ſolum a malo, ſed ab omni ſpecie mali fuerit abſtinendum: firmiter etiam inhibemus, ne clerici cujuslibet ordinis, monialium monaſteria, ſine rationabili cauſa frequentent.

De . . . . . autem parochianorum ſuorum, tam ſacerdotes quam rectores diligenter inquirant: & quæ ſine denunciatione evangelica corrigere non poterunt, decanis, locorum officialibus, vel archidiaconis, ſine mora referant corrigenda. Et ad hoc fideliter faciendum, ſacerdotes qui in eccleſiis ſunt præfecti, ſacramento arctius aſtringantur, quod nec propter amorem, nec favorem, nec aliquid aliud, id omittant. Ad ſingula etiam capitula decanorum ſuorum, vel archidiaconorum ſuorum, vel officialium ſuorum, rectores, vicarii, vel eorum capellani, compareant: qui ibidem

ANNO CHRISTI 1255.

dem prædictos exceſſus oſtendant, & aliis quæ in capitulis tractabuntur interſint.

Statuimus etiam & volumus, quod ſi aliqua eccleſia, ab antiquis temporibus diviſa, & aliis temporibus habuerit duos capellanos, duos diaconos & ſubdiaconos; & poſtea quacumque occaſione, eadem eccleſia fuerit conſolidata, vel redintegrata, quod cultus Divinus, prætextu conſolidationis præmiſſæ diminutionem minime patiatur, ſed rector" numero capellanos, capellos, & alios eccleſiæ miniſtros, quot eccleſia prius diviſa neceſſe habuit ſuſtinere.

" Corr. tot numero

De capellis vero ſic diſponimus ordinandis: quod in eiſdem, de novo conſtructis, non celebretur ſine authoritate epiſcopi ſpeciali. Quod ſi eo inconſulto conſtructæ fuerint, aut in ipſis auſu temerario celebratum: per archidiaconum in ſuis viſitationibus hoc comperto, cantaria ſine moræ diſpendio ſuſpendatur, quouſque ſuper hoc per epiſcopum gratiam meruerint ſpecialem, ſine juris præjudicio alieni. Hoc idem decrevimus in capellis ab antiquo conſtitutis, quæ non ſunt epiſcopali munimine roboratæ: prohibentes, ne aliquid de novo, ſine noſtra licentia conſtruatur, quam in caſibus a jure conceſſis. Volumus etiam & ordinamus, quod cum capellæ plures ſitæ ſint in parochiis, propter parochiarum amplitudinem, diligenter & arctius inquirant de prædictis: & ſacramento ſimili aſtringantur, quod exceſſus ſubditorum, ſine aliqua fraude vel ſcrupulo demonſtrabunt, & in capellis comparoant, quotiens opus fuerit authoritate.

Injungimus etiam, quod ſacerdotes in eccleſiis aut capellis qualitercumque celebrantes, quod ad minus bis in anno in generalibus capitulis, coram archidiaconis ſuis aut eorum officialibus compareant, quod " ab ipſis promovenda fuerint audituri.

" ſor. quæ ab ipſis præmonenda

Hujus etiam ſynodalis congregationis conſtitutione ſancimus, ut ſacerdotes qualitercumque celebrantes, harigolis aut capis manicatis in locis publicis non utantur; ſed, juxta tenorem concilii, in decenti habitu incedant in publico, ut tenentur.

Statuimus etiam, ut ordinati non a ſuis epiſcopis, vel alias minus idonei, vel de quorum ordinibus ignoratur, in noſtra diœceſi, ſine legitimis documentis nullatenus admittantur; & de quorum prius conſtiterit ordinatione canonica, & converſatione, & ceteris conditionibus perſonarum. Quare volumus & præcipimus, ut rectores, & vicarii eccleſiarum, presbyteros ſuos, ſuis eccleſiis qui poſtponere voluerunt, locorum archidiaconibus, vel eorum officialibus repræſentent: ut per eos diligenter examinati, ſi idonei inventi fuerint ad deſerviendum eccleſias, admittantur; ut eis diſpendia neceſſaria miniſtrentur juxta conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum alias promulgatas.

Rectores etiam eccleſiarum & vicarii, quorum intereſt, attente provideant, ut quantum ad eos pertinet, fabricis eccleſiarum ſuarum, necnon & ædificiis eccleſiæ manſionum, in his quæ reparatione indigent, ſine difficultate aut mora aliqua reparentur: librorum & ornamentorum defectibus, ac quorumcunque aliorum & eadem forma reparatis.

Firmiter etiam inhibemus, ne beneficiati, vel ad ordines ſacros promoti, ballivis intendant ſæcularibus, unde & pro quibus obligantur reddere rationes.

Item ne quis rector aut vicarius, inter ſtipendia ſacerdotibus aſſignata; denarios miſſales, triennalia, aut annalia ex pacto ſuo deputet ſacerdoti: ſed ſicut prædictum eſt, ipſis honeſta ſuſtentatio aſſignetur, ne compellantur ſacerdotes lucris turpibus inhiare, aut inter ſæculares in ſuſcepti ordinis ignominiam mendicare.

Præcipimus etiam, & interdicimus, ſub pœna anathematis, ne quis die paſchæ, aut quovis altero quo communicandum eſt, eadem hora offerat & communicet, ſed diverſis: & ne cuiquam Dominicis diebus propter debitum pecuniarum, communio, aut aliqua alia ſacramenta, vel ipſa ſepultura per importunam creditoris inſtantiam denegentur, niſi forte juxta juris exigentiam, pro hoc fuerit prius excommunicationis ſententia innodatus. Et per hanc conſtitutionem noſtram, contra laudabilem & approbatam diœceſis conſuetudinem noſtram " & legitimam, nolumus eccleſiarum rectoribus, vel aliis eccleſiarum prælatis derogare.

" ſor. & legit.

Adjicimus etiam & hortamur, præcipientes, ut mimis, joculatoribus, taxillorum ludis aut aleis, non intendant, aut ludentibus aſſideant, vanitatibus ex frequentia intendentes, ſecundum canonum ſanctiones.

Monemus inſuper, præcipientes, ne clerici arma portent, præſertim aggreſſionis, niſi forſan arma ....... ingruente, & cauſa rationabili compellente: ita ut ex hac occaſionem delinquendi, vel audaciam non aſſumant.

Ad hoc autem interdicimus, ne ſacerdotes a laicis pecuniam extorqueant pro pœnitentia injungenda, ſeu quibuslibet ſacramentis a ſacerdotibus laicis diſpenſandis.

Nec pœnitentias injungant furibus, latronibus, raptoribus, prædonibus, incendiariis, alios exheredantibus, & his ſimilibus, niſi prius facta reſtitutione, dum tamen taliter delinquentibus ad id faciendum ſuppetant facultates: cum non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: dum tamen ipſi, contra quos commiſſum fuerit, ſuperſtites ſint, aut eorum hæredes: alioquin rapta, per malitiam adquiſita, in uſus pauperum per ordinarium deputentur: nihilominus pro commiſſo contra Deum, injuncta pœnitentia ſalutari.

Et ne quiſquam ſacerdos, cœca cupiditate ductus injungat pœnitenti in foro pœnitentiæ annalia aut triennalia, aut conſimilia, ut emolumentum conſequi valeat in ſalutis ſuæ diſpendium, & gravamen. Et quia ſolis ſacerdotibus eſt poteſtas ligandi & ſolvendi commiſſa, prohibemus, ne diaconi confeſſiones audiant, aut admittant, pœnitentias injungant, quævis ſacramenta diſpenſent, quæ ſolis ſacerdotibus miniſtrantur, niſi neceſſitas urgeat, aut compellat, ut in caſu mortis per abſentiam ſacerdotis.

De reſidentia vero rectorum cum luce clarius jura loquantur, hoc volumus obſervari, quod in canonicis conſtitutionibus & conciliis alias eſt ſtatutum.

Ad augendum vero Divini cultus obſequium ordinamus & diſponimus, ut in ſingulis eccleſiis, quarum facultates ad hoc ſufficiunt, ſint diaconi & ſubdiaconi, ſicut decet, ª Deum miniſtrantes. In aliis vero eccleſiis, ſaltem unus clericus idoneus & honeſtus, qui in tonſura decenti, & congruo habitu, deſerviat ſacerdoti, ne eccleſiæ debitis officiis defraudentur: ita quod idem clericus nullatenus uxoratus exiſtat, nec deſerviat in altari.

ª In. DA Rud.

Interdicimus & firmiter injungendo ne in ſacris locis habeantur mercata, aut diebus Dominicis mercimonia exponantur: cum Dominus de templo ementes & vendentes ejecerit. Injungentes ſub pœ-



ANNO CHRISTI 1255.

pœna canonica, ut cœmeteria in circuitu decenter claudantur, & ut ornamenta & vaſa eccleſiæ ſub honeſta cuſtodia conſerventur.

Inſuper interdicimus levationes arietum ſuper rotas, & ludos, in quibus decertatur ad bravium exequendum.

Inſuper & ſcotallorum potationes, & ludos in locis ſacris quoſcunque, arctius prohibemus, prout in patrum & prædeceſſorum conſtitutionibus eſt conſtitutum.

Moneantur inſuper matres parvulorum ſolemniter die feſto, ne parvulos in lectis ſuis juxta ſe collocent, ſuffocatione ſæpius contingente.

Clandeſtina quoque matrimonia, " hæc ſæpius in eccleſiis publicentur, & ne quiſquam præſumat his contractibus intereſſe, ſi pœnam ſecundum canonem debitam, nec non ad noſtrum arbitrium alias infligendam, voluerit evitare. Ideoque ſingulis Dominicis, ne quis fidem det de matrimonio contrahendo, niſi publice in præſentia ſacerdotis, & propter hoc teſtibus convocatis. Quod ſi qui inventi fuerint tranſgreſſores, canonice puniantur, & omnes illi qui hujuſmodi tractatibus clandeſtinis intereſſe præſumunt, ſint acerba pœna canonica feriendi. Quod quidem jubemus per noſtros archidiaconos diligenter & executionem " debite demandari.

"" Corr. executioni

Provideant autem rectores, vicarii, & ſacerdotes, ne paſſim laici ſedeant & ſtent in cancello, dum Divina officia celebrentur: niſi forſan patroni, aut alia venerabilis perſona ad hoc ob reverentiam omittatur.

Præterea quædam ſtatuta a noſtris prædeceſſoribus, & a domino archiepiſcopo promulgata, alia renovantes, cum ſervata non fuerint, nobis duximus publicanda; ſed hæc ſub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi, ſeu quilibet religioſi, negotientur lucri cauſa, maxime cum hoc ſit viris eccleſiaſticis interdictum.

Item ne vir vel mulier ad bigamiam tranſiens, a presbytero benedicatur: quia, cum alia vice ſint benedicti, benedictio eorum non debet iterari.

Item prohibemus, ne abbates aut alii viri religioſi, paſſim ante tempus probationis a canone definitum, aliquem ad profeſſionem admittant: & ſi contra factum fuerit, animadverſione debita corrigantur, cum in ſubſidium humanæ fragilitatis probationis ſpatium ſit regulariter inſtitutum.

Præcipimus etiam ut, ſi per negligentiam aliquid de ſanguine Chriſti ſtillaverit ſuper terram, lambatur lingua, tabula radatur ſuper quam ſtillaverit: ſi non fuerit tabula, non conculcetur locus, ſed radatur & igne conſumatur, & cinis intra altare condatur, ſacerdos quinque diebus pœniteat. Si autem ſuper altare ſtillaverit calix, ſorbeat ſtillam miniſter, & tribus diebus pœniteat. Si ſuper linteum altaris, etiam aliquod ſtillæ pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si uſque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & linteamina quæ tetigerit ſtilla, per miniſtros idoneos tribus vicibus abluantur, calice ſuperpoſito", & aqua ablutionis juxta altare cum reverentia recondatur, prout in capitulo Pii papæ expreſſius continetur.

" Corr. ſuppoſito,

Prudenter vero caveant rectores, vicarii, & ſacerdotes parochiales, ne aliquis extraneus ad trahendum numerum in eorum parochiis admittatur, niſi prius ipſis de ejus humilitate legitimis conſtiterit documentis.

Item cum eccleſiaſtici pluries periclitentur per inſufficientem examinationem & indiſcretam quorumdam: volumus & diſpoſuimus, quod in ſingulis decanatibus ſex vel quatuor diſcretiores, per locorum archidiaconos eligantur, qui examinent teſtes in ſingulis cauſis producendos, & dicta eorum in ſcriptis redacta, & ſub ſigillis eorum incluſa, officialibus & decanis, qui parata * erant in capitulis, pro loco & tempore porrigantur. Quod ſi aliqui prædictorum in capitulis aliquando præſentes non fuerint, alii de ipſis qui præſentes fuerint, in locum eorum, ſine difficultate aliqua ſubrogentur. Et quia eccleſia Anglicana oppreſſionibus ſuarum libertatum in pluribus articulis multipliciter deformatur, quos diſſilere non poſſumus, ſine interventu ſalutis æternæ: in illos qui hæc attentare præſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgamus.

* ſor. præſentes erũt.

Item excommunicationis ſententia innodamus omnes illos, qui pacem regni perturbare, aut libertates eccleſiaſticas infringere, ſeu malitioſe eccleſias ſuo jure privare præſumpſerint, aut invadere, aut ad bona eccleſiaſtica malitioſe manus extenderint contra eccleſiaſticas libertates.

Item omnes illos qui in eccleſias vel in eccleſiaſtica beneficia per violentiam, vel malitioſe, & ipſa per potentiam laicalem, vel quamvis aliam violentiam, per malitiam contra mandatum noſtrum detinent occupata: & præcipue omnes illos, qui libertates eccleſiæ Dunelmenſis infringunt vel perturbant.

Item ſimili cenſura percellimus omnes incendiarios, eccleſiarum fractores, veneficos & veneficas, ac utentes magicis incantationibus, denunciamus excommunicationis ſententia innodatos.

Præterea omnes illos, qui falſum perhibent teſtimonium, vel procurant perhiberi malitioſe; ſeu exceptiones opponunt, quo minus cauſa matrimonialis debitum ſortiatur.

Item illos quoque omnes, qui tales producunt vel ſubornant, per quorum dicta aliquis fraudulenter exhæreditatur, vel per malitiam & injuſte.

Excommunicamus inſuper omnes illos, qui gratia lucri, odii, vel favoris, falſe & malitioſe alicui crimen imponunt, ut infamato apud bonos & graves purgatio indicatur, vel alio modo gravetur.

Similiter etiam prohibemus, ne quis advocatus noſtræ civitatis vel diœceſeos ad præſtandum patrocinium in cauſis, & in conſiſtoriis, de cetero admittatur, niſi præſtiterit ſacramentum, quod cauſam quam ſciverit injuſtam eſſe, vel probabiliter habita ſeu varia cognitione eſſe talem præſumpſerit, & præcipue in cauſa matrimoniali, tractandam non recipiat.

Iſtas autem ſententias, quater in anno, ſcilicet in majoribus feſtis anni, publice & ſolemniter volumus publicari: injungentes in virtute obedientiæ archidiaconis, officialibus, & decanis, ut promulgationem prædictarum ſententiarum diligenter & fideliter exequantur.

Injungimus etiam archidiaconis noſtris; ut cum omni diligentia in ſuis viſitationibus & capitulis, ſupraſcriptas conſtitutiones omnes & ſingulas faciant inviolabiliter obſervari: negligentes, deſides, aut rebelles ipſarum obſervatione, animadverſione condigna, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quod ſi archidiaconi & eorum officiales vel decani, in executione præfatorum negligentes extiterint, vel remiſſi, detenti cupiditatis vitio vel favore: in eorum defectu, ſubditorum deſidiam, aut eorum negligentiam, prout jura permiſerint, puniemus. Volumus etiam, quod archidiaconi has conſtitutiones noſtras in ſuis capitulis faciant evidenter exponi, in ſingulis eccleſiis ipſarum copiam facientes.

# " ** SYNODUS NORVVICENSIS.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus.

## Conſtitutio domini VValteri de Suthfeld Norvvicenſis epiſcopi, de libera diſpoſitione primorum fructuum per curatos teſtantes.

VValterus Dei gratia epiſcopus Norwicenſis, dilectis in Chriſto filiis univerſis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, officialibus, decanis, eccleſiarum rectoribus, vicariis, & omnibus Chriſti fidelibus per diœceſim noſtram conſtitutis, ſalutem, gratiam & benedictionem. Ad officium paſtorale licet indigne aſſumpti, & loco eminenti immerito conſtituti, ſummo & pio deſiderio affectantes, nunc bene operando, nunc mala extirpando, dignos Domino fructus ex noſtro impendere officio: ſane recolimus, dum adhuc in minori officio eſſemus conſtituti, vulgariter eſſe dictum & obtentum: quod quilibet rector, ſive vicarius noſtræ diœceſis, qui vivus diem Paſchæ expectaret, de omnibus fructibus, nomine eccleſiæ ſeu vicariæ ſuæ, uſque ad ſynodum ſancti Michaelis proximo ſequentem percipiendis, libere, ut vellet, ſuum conderet teſtamentum. Sed contra hanc conſuetudinem a fundatione eccleſiæ Norwicenſis, prout novimus & nobis conſtat, obtentam, a quibuſdam voluntarie extitit introductum & ſervatum, quod fructus & bona eccleſiarum vacantium a die Paſchæ, uſque ad ſynodum Paſchæ, non in uſus decedentium & condentium legitime teſtamenta cederent, ut præmiſimus, ſed voluntati & diſpoſitioni loci diœceſani relinquerentur omnino: propter quod, ſtatus decedentium graviter lædebatur: & teſtantium frequenter non proceſſit voluntas. Ut igitur ſtatus eccleſiæ & ſingulorum reparetur, & ad conſuetudinem & libertatem debitam ſingula revocentur: nos Walterus de Suthfeld epiſcopus Norwicenſis, in ſynodo S. Michaelis Norwicenſis præſidentes, de conſenſu capituli diœceſani, & præſentis ſynodi authoritate, omnibus exiſtentibus in ſancta ſynodo in hoc conſentientibus, definimus, ſtatuimus, præcipimus, & concedimus, ut, juxta antiquam conſuetudinem, quam renovamus, redintegramus, approbamus, & confirmamus, rectores, & vicarii viventes die Paſchæ, & ex tunc quicunque morientes uſque ad ſynodum ſancti Michaelis, de fructibus & obventionibus beneficiorum ſuorum, libere ſecundum Deum ſua condant teſtamenta. Salvis nobis & ſucceſſoribus noſtris fructibus eccleſiarum ante diem Paſchæ vacantium, & in quibus rector die Paſchæ non reperitur inſtitutus. Et caveat ſibi epiſcopus, qui præeſt, & qui pro tempore fuerit, ne cauſa lucri inhoneſti, canonice præſentatos, abſque cauſa rationali, uſque poſt diem Paſchæ, voluntarie differat admittere. Omnes autem illos, qui hanc noſtram conſtitutionem, conceſſionem, & libertatem infringere, immutare, vel perturbare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis, noſtra & præſentis ſacroſanctæ ſynodi authoritate, incurrant. In cujus rei teſtimonium præſentibus ſigillum noſtrum, & ſigillum capituli noſtri ſunt appenſa. Acta die ſynodi die Lunæ proximo poſt feſtum S. Michaelis, in eccleſia S. Trinitatis Norwicenſis, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, & conſecrationis noſtræ undecimo.

## " ** DECLARATIO DICTÆ CONSTITUTIONIS PER DOMINUM W. BATEMAN epiſcopum Norwicenſem ſuper quadam conſultatione ſibi facta per vicarium de Myldenhale.

TUa devotio poſtulavit a nobis, an ad te qui in vicariam de Myldenhale, per nos eras noviter inſtitutus, an ad executores prædeceſſoris tui, qui poſt ſynodum Paſchæ proximam præteritam diem ſuum clauſit extremum, fructus & obventiones dictæ vicariæ poſt inductionis tuæ tempus provenientes debeant pertinere. Tibique taliter reſpondemus, quod oblationes, mortuaria, ac cætera omnia quæ ad altare perveniunt, de conſuetudine, vel de jure, ad te qui ad faciendum continuam reſidentiam & ſerviendum altari juramenti vinculo es aſtrictus, debent integraliter pertinere: decimæ vero garbarum, & talia extrinſeca jura, quæ expoſitione ad vicariam pertinere noſcuntur, ad defunctum & executores ejuſdem, ſi de prædictis decimis, & juribus, ſeu obventionibus, ſpecifice in teſtamento diſpoſuerit, pertinebunt. Si autem teſtamentum fecerit, & in teſtamento ſuo nil a dictis decimis ſeu obventionibus ſpecifice vel expreſſe diſpoſuerit; licet alia legata pecuniaria generalia vel ſpecialia fecerit: tunc ad te, & non ad defunctum, vel ad ſuos executores, prædicta omnia ſingula pertinebunt.







# " ** CONSTITUTIONES ÆGIDII DE BRIDPORT, EPISCOPI SARUM, EDITÆ

Anno Dom. MCCLVI.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus.

HÆ ſunt conſuetudines uſitatæ in epiſcopatu Sarum. Imprimis de decimis omnium rerum, quæ renovantur per annum: ſcilicet de decima bladi & fœni, quam percipient perſonæ vel vicarii, tempore meſſis, & fœnationis; de omnimodis fructibus hortorum & virgultorum, & omnibus ſeminatis, in campis, & hortis; & virgultis, quorum decimationem prædictæ perſonæ vel vicarii percipient temporibus ſuis.

Et ſi forte aliqua terra inculta, quæ aliquando fuerit culta, vertenda fuerit in paſturam, prædictæ perſonæ vel vicarii percipient decimum denarium venditionis.

Eodem modo de prato ad paſturam vendito, percipient decimum denarium venditionis.

Percipient etiam decimam de pullis, equis; de vitulis & agnis, porcellis, aucis quorum totius anni ...... colligi hebdomada proxima ante Paſcham: percipient de decima pulli I. denarium de decima vituli, obolum.

Et percipient decimam plenariam caſei, & butyri: decimam lini & lanæ.

Et ſi forte ........ vaccas vel oves aliquis habuerit, quod non poſſit facere caſeum: dabit pro vaccis alicubi I. denarium: alicubi denarium & obolum prout uſitatum fuerit in diverſis parochiis. Et pro IV. ovibus I. denarium.

Et ſi forte aliquis non habuerit niſi ſeptem agnos, dabit ſeptimum ad decimam.

Similiter & decimum vellus ovium: & ſeptimum, ſi plura non habuerit.

Et ſi forte aliquis habuerit in cuſtodia ſua oves alienas, licet fuerint plurium hominum: nobis plenarie & integre dabit decimam agnorum.

Aut ſi fuiſſent ſui proprii, ſimiliter decimam vellerum omnium.

Et ubi pulli, equi, & vituli, aucæ, porcelli, & agni fuerint exorti, ibi debent decimari.

Et ſi forte extraneæ vaccæ, vel oves, paſcantur in parochiis alicujus, & cubant in alia parochia de nocte, ubi proprium domicilium: perſona, in cujus parochia paſcantur, & perſona in cujus parochia mulctæ fuerint, decimam habebunt butyri & lanæ, ſi in parochia in qua paſcebantur fuerint hiematæ.

Et ſi forte alicujus oves, poſt feſtum ſancti Martini occiſæ vel mortuæ fuerint, de mortua dabit decimam pellem, ſicut & lanam.

Nec aliquis parochianus præſumat poſt feſtum ſancti Martini, vendere oves ſuas, vel aliquo modo alienare extra parochiam, niſi prius ſatiſfaciat perſonæ de decima lanæ.

Et ſi forte oves alienæ tonſæ fuerint in parochia alicujus perſonæ: idem percipiet decimam lanæ, niſi aliquid aliud rationabiliter impediat. Percipiet etiam perſona vel vicarius de artificio fabrorum, carpentariorum, ſutorum, textorum, textricum, pellitariorum, piſtorum, & de omnimodis artificiis; & de lucro negociatorum; & de melle, & de molendino ad ventum, & aquaticis; & de columbariis, de pomagio, & omnibus aliis de quibus eccleſia conſueverit percipere.

Parochiani cujuſcunque parochiæ debent offerre, ex debito, quater in anno; ſcilicet in die natalis Domini, in die Paſchæ, in die ſolemnitatis eccleſiæ & in dedicatione eccleſiæ. Et quod ſinguli, deſponſatus & deſponſata, omnes terram tenentes offerant obolum.

Cæteri omnes, tam maſculi, quam fœminæ, dent prædictis diebus, niſi illos excuſat inopia. In Quadrageſima omnes debent accedere ad confeſſionem, & debent offerre quicquam voluerint, niſi illos excuſet inopia.

Similiter in die[a] ...... omnes parochiani veniant ad crucem adorandum, & offerant tibi pro velle ſuo.

Nec aliquis præſumat in die Paſchæ accedere ad corpus Chriſti, niſi prius confeſſus fuerit, & crucem adoraverit.

Mulieres deſponſatæ, & mulieres poſt parientes, debent accedere ad eccleſiam, cum candelis accenſis; & ..... mulieres ſequentes debent offerre chriſmalia infantum; nec chriſmalia debent alienari, nec in aliquos uſus mitti debent, niſi in uſus eccleſiæ.

Item perſona, ſeu vicarius, in obitu cujuſcumque terram tenentis, de tenemento defuncti percipiet melius averium poſt dominum: & ſi forte non fuerint ibi plura averia, executores defuncti tenentur ſatisfacere perſonæ vel vicario de bonis, quæ fuerunt defuncti, prout facultates ſuppetunt, antequam alibi aliqua executio de teſtamento fiat defuncti.

Similiter de teſtamento mulieris deſponſatæ, & omnium parochianorum, tam maſculorum, quam fœminarum, eadem fiat executio teſtamenti.

Et capellanus miniſtrans eccleſiæ[b] ..... executorem, ut diligenter provideat & diſponat, quod pars bonorum quæ defuncto contingit, rationabiliter diſtribuatur.

Tricennalia & Miſſæ non fiant alibi celebrandæ, quam in eccleſia, cujus fuerint parochiani, niſi de aſſenſu dicti capellani.

Perſona debet providere quod cancellum ſuum ſit honeſtum, & bene coopertum: ſimiliter & altare: ſacramentum chriſmatorum ſit ſub ſera: corporalia ſint de panno lineo delicato. Provideat etiam de phialis honeſtis ad vinum & ad aquam: de thuribulo, de candelabris, & lanterno, & tintinnabulo deferendo ante ſacerdotem in viſitatione infirmorum legitime præcedente: & perſonæ vel vicarii debent invenire duos cereos proceſſionales.

Item parochiani debent providere quod eccleſia ſit honeſta, cooperta bene, & quod campanile ſit bene coopertum, & ſecurum contra omne periculum: & debent invenire campanas & chordas campanarum, crucifixum, cruces, & imagines; & calicem argenteum, miſtale, & caſulam de ſerico; libros

[a] Scilicet; Paraſceves. Harduinus.

[b] f. admoneat

ANNO CHRISTI 1256.

bros ſufficientes, & omnimoda veſtimenta ad altare ſpectantia.

Item capellanus eccleſiæ debet providere, quod menſalia, & cetera veſtimenta eccleſiæ ad altare ſpectantia, ſint munda & honeſta. Et ſi forte contingat, quod calix . . . . . . . . vel libri, vel veſtimenta, furto vel aliquo alio infortunio ſubtrahantur: perſona, vel vicarius, vel capellanus, vel aliquis, per cujus negligentiam ſubtracta fuerint, reſtaurabit.

Provideant etiam de vexillo, de velo quadrageſimali, de fonte, quod ſit honeſtus, & ſub ſera: de campanellis ante funus deferendis, cum pervenietur ad ſepeliendum.

Provideant etiam parochiani, quod cœmeterium eorum ſit bene clauſum, & bene mundatum ab urticis, & aliis herbis nocivis.

Parochiani tenentur invenire cereum Paſchalem & alios cereos in cancello, & lumen ſufficiens per totum annum, tam ad matutinas, quam ad veſpertinas, & ad Miſſam: & debent invenire panem benedictum, cum candelis, qualibet Dominica per annum, in omni eccleſia de mundo Chriſtiana.

Provideant etiam perſonæ & vicarii, quod habeant domos competentes & honeſtas, familiam honeſtam ſine ſuſpicatione aliqua. Et debent eſſe hoſpitales; & debent eſſe eleemoſynarii, prout facultates eorum ſuppetunt; & ſint reſidentes; nec alibi nimis . . . . . moram facientes, præterquam in propriis domiciliis, niſi de licentia domini epiſcopi vel archidiaconi. Nec ullus præſumat ire ad confeſſionem, vel ad communionem alibi, quam in parochia ſua, niſi de licentia domini ſui. Capellani, perſonæ, vel vicarii eccleſiarum, debent ſynodalia: ſcilicet XV. denarios. Quilibet capellanus ſolet dare archidiacono XII. denarios ad natale Domini.

Item archidiaconus, ſi voluerit, viſitabit omnes capitales eccleſias, ſemel in anno, & ſer. . . . . . perſonæ vel vicarii decenter eum etiam procurabunt. Submon . . . . . non decet aliquem in alicujus parochia, niſi habuerit capellanum, clericum conſortem, quicum teſtimonium perhibeat de juſta occaſione. Perſonæ vel vicarii dabunt beneficium aquæ benedictæ clerico pauperi ſcholari, ita quod veniat omnibus ſolemnibus diebus ad eccleſiam ſerviendum, de qua habet dictum beneficium.

Item ſponſalia non debent fieri in aliqua eccleſia, antequam fiat ſolemnius trina denunciatio: nec debet fieri in eccleſia excommunicatio, niſi præcedente prius trina admonitione.

Notandum, quod ter debet fieri in qualibet eccleſia generaliter excommunicatio per annum.

Perſonæ, vel vicarii, & parochiales capellani, debent parem obedientiam canonicam domino epiſcopo & archidiacono.

Duo debent eſſe inquiſitores docti & diſcreti, & duo capellani confeſſores, quibus perſonæ, vel vicarii & capellani, debent confiteri in quadrageſima, vel in alio tempore, ſi neceſſe fuerit: qui ſcient diſcernere inter lepram & lepram, &c.

Salva ſanctorum reverentia duximus ſtatuendum, quod exceptis ſolemnitatibus nativitatis Domini, cum quatuor diebus ſequentibus, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes, cum tribus, ſinguliſque ſolemnitatibus, Dominicis exceptis, & Virginis glorioſæ, apoſtolorum, & evangeliſtarum feſtivitatibus, & ſanctæ Crucis, S. Michaelis, S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & tranſlationis S. Thomæ, feſtum S. Martini, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ, & S. Catharinæ; feſtum quoque de dedicatione in parochiis ſuis; necnon & ſanctorum, in quorum honore ſingulæ eccleſiæ conſtruantur; nullius alterius feſtivitas ab agricultura & laboribus, ſine quibus terræ coli non poſſint, parochianis ſuis indicetur per presbyteros ferianda.

ANNO CHRISTI 1257.

# CONVENTUS EPISCOPORUM

## APUD ILERDAM,

### In quo Jacobus Rex Aragonum confirmavit jura & privilegia omnibus ſuarum ditionum Epiſcopis, & ceteris Prælatis.

Ex Card. de Aguirre Concil. Hiſp. tom. 3. p. 511.

*ANno 1257. pridie Nonas Aprilis, Ilerdæ cum Jacobus Rex Aragonum Pontifices & magnates ditionum ſuarum congregaſſet pro ſtatu earum in melius reformando, & pace & treuga inviolabiliter obſervanda; rogatuſque fuiſſet ab epiſcopis, & aliis viris Eccleſiaſticis & religioſis, uti confirmaret eorum privilegia, & immunitates, ſive libertates; profeſſus imprimis ſe ſucceſſoreſque ſuos teneri ex debito regalis officii defendere Prælatos & clericos, & religioſos homines, & bona eorum ſuis propriis ſumptibus & expenſis, eis conceſſit confirmationem quam poſtulaverant privilegiorum ſuorum. Interfuerunt huic conventui Benedictus Archiepiſcopus Tarraconenſis, Bernardus Epiſcopus Helenenſis, Petrus Pampilonenſis, Arnaldus Cæſarauguſtanus, B. Vicenſis, Dominicus Oſcenſis, Albertus Barcinonenſis, Petrus Gerundenſis, G. de Monte-catano electus Ilerdenſis, & B. de Olivella electus Dertuſenſis. Adfuerunt etiam Abbates, Rivipullenſis, Populetenſis, Cuxanenſis, Montis-Aragonum, S. Joannis de Pinna, & Arnaldus Præpoſitus Tarraconenſis. Andreas Epiſcopus Valentiæ, erat tunc Cancellarius regis. Acta hujus confirmationis hic ſubjicere viſum eſt ex Petro de Marca, qui ea exſcripſit ex archivo Monaſterii Rivipullenſis.*

Ex Bal. Hiſp.

In Chriſti nomine. Sit notum cunctis quod cum nos Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Mojoricarum, & Valentiæ, Comes Barchinonæ & Urgelli, & Dominus Montiſpeſſulani, & venerabilis Benedictus Dei gratia Tarraconenſis Archiepiſcopus, & Bernardus Elnenſis, Petrus Pampilonenſis, Arnaldus Cæſerauguſtanenſis, B. Vicenſis, Dominicus Oſcenſis, Albertus Barchinonenſis, Petrus Gerundenſis Epiſcopi, & G. de Montecatano Ilerdæ & B. de Olivella Dertuſienſis ſcilicet electi, & frater Hugo de Johis militiæ Templi & frater Geraldus Amici Hoſpitalis Hieroſolymitani magiſtri in Aragonia & in Cathalonia, & Abbas Rivipullenſis, Populicetenſis, de Cuxano, Montis Aragonum, S. Johannis de Pinna, & Arnaldus Præpoſitus Tarraconenſis, & multi alii Eccleſiarum prælati, viri religioſi & clerici, Barones & milites, eſſemus in curia quam in Ilerdæ civitate celebravimus perſonaliter conſtituti pro ſtatu terræ noſtræ in melius reformando & pace & treuga inviolabiliter obſervanda, dicti Archiepiſcopus, Epiſcopi, & Prælati & magiſtri Templi & Hoſpitalis & alii viri religioſi & clerici nos humiliter rogaverunt quod privilegia & libertates per nos & prædeceſſores noſtros eis conceſſas & conceſſa & quædam alia quæ continentur inferius, deberemus eis concedere & etiam confirmare. Nos igitur Rex prædictus prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, qui libertates & privilegia Eccleſiæ & viris religioſis tanquam viri catholici conceſſerunt & munificentia & donationes fecerunt & labores voluntarii ſubierunt ut quietem Eccleſiis & ſubditis præpararent, concedimus & ſolemniter confitemur cum hoc publico inſtrumento perpetuo valituro, quod nos & ſucceſſores noſtri tenemur ex debito regalis officii defendere prælatos & clericos & religioſos & homines & bona eorum noſtris propriis ſumptibus & expenſis; & ad hoc faciendum in præſenti nos aſtringimus, ſucceſſores noſtros relinquentes ad ſimilia obligatos. Item nolumus quod aliquod præjudicium paretur Eccleſiis, vobis Archiepiſcopo, Epiſcopis, & magiſtris, & aliis viris religioſis, & Eccleſiarum prælatis & clericis, vel hominibus veſtris, nec ſucceſſoribus veſtris, propter collectam pecuniæ quam tunc facitis hominibus veſtris pro tuitione & defenſione noſtra & noſtrorum bonorum & hominum facienda. Item concedimus vobis quod Vicarii & Bajuli noſtri jurent in poſſe Epiſcopi diœceſani publice in præſentia populi quod fideliter exerceant juſtitiam & quod propter hoc pecuniam non recipiant, & quod defendant vos, clericos, & homines veſtros & veſtrorum & eorum bona viriliter & potenter. Item concedimus vobis quod Vicarii, Bajuli, & Subvicarii, & alii officiales noſtri jurent in poſſe Epiſcopi diœceſani obſervare treugas & paces, & quod fideliter dent partem ſuam Epiſcopis ſecundum quod in inſtrumento pacis & treugæ plenius continetur. Et hoc jurent Subvicarii in Aragonia; ita quod Subvicarii ſuum ſalarium recipiant conſuetum. Epiſcopi autem nihil recipiant in Aragonia, cum hoc non ſit de conſuetudine obſervatum. Item promittimus bona fide quod defendemus vos & alios prælatos & clericos & viros religioſos & homines & bona veſtra, & eorum contra deprædatores & pacis & treugæ violatores & quoſcunque alios vos vel ipſos contra juſtitiam aggravantes. Item promittimus quod obſervabimus & faciemus obſervari paces & treugas prout in forma ipſius pacis latius continetur. Item promittimus quod emendabimus omnes injurias vobis & veſtris hominibus per nos & noſtros factas, & reſtituemus ablata, & quod vos nobis illud idem ſimiliter faciatis. Item promittimus vobis quod perſequemur falſarios monetæ noſtræ, & ipſos prout juſtum fuerit puniemus. Item volumus & concedimus vobis quod non exigatur a vobis nec ab aliis prælatis & clericis & viris religioſis in tota terra noſtra vel in mari lenda vel pedagium pro rebus veſtris & ad uſum veſtrum emptis tantum; nec impediemus per nos vel per alium quo minus poſſitis libere res veſtras transferre per mare aut per terram ad quæcunque loca volueritis, niſi hoc prohiberetur propter ſterilitatem vel cariſtiam nimiam & evidentem terræ de blado per mare ad partes alias non portando. Per iſtud vero capitulum non intelligimus nec volumus quod juri ſeu libertati Domini Archiepiſcopi vel Eccleſiæ Tarraconenſis in aliquo derogetur. Item concedimus & confirmamus vobis, Eccleſiis, & monaſteriis, locis religioſis, & aliis Epiſcopis, Abbatibus, & prælatis, & clericis, & viris religioſis, & hominibus veſtris & ipſorum, omnia privilegia & libertates per nos & prædeceſſores noſtros vobis & ipſis conceſſa, niſi talia eſſent privilegia quæ de jure vel de foro regni Aragonum eſſent merito revocanda. Item concedimus quod Vicarii vel Subvicarii, Bajuli, vel . . . . . noſtri non faciant quæſtam nec exactionem bladi, ovium, nec alterius cujuſcunque rei vobis vel aliis clericis ac viris religioſis vel hominibus veſtris vel eorum. Et ſi forte in aliquo iſtorum contra facerent, promittimus vobis quod nos illud integre infra duorum menſium ſpatium poſtquam requiſiti fuerimus, emendari & reſtitui faciemus. Item concedimus quod cum aliquis fuerit excommunicatus legitime, in judicio ad agendum non admittatur in foro ſeculari, ſed potius repellatur quouſque fuerit abſolutus. Item concedimus vobis Archiepiſcopo quod ſit ſalvum jus veſtrum vobis & Eccleſiæ Tarraconenſi generaliter & ſpecialiter in omnibus ſupradictis, & ſit nobis jus noſtrum ſalvum ſimiliter in eiſdem. Et ut ſupradicta omnia & ſingula majori gaudeant firmitate, juramus per Deum & hæc ſancta Dei evangelia corporaliter a nobis tacta & per crucem Domini quod omnia ſupradicta & ſingula obſervabimus & attendemus bona fide & ſine enganno, & obſervari etiam firmiter faciemus, & contra non veniemus per nos vel aliam interpoſitam perſonam. Sic Deus nos adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. Et ad omnia prædicta & ſingula firmiter obſervanda & complenda volumus hæredes & ſucceſſores noſtros perpetuo obligatos. In teſtimonium autem præmiſſorum præſentem cartam ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Actum eſt hoc Ilerdæ II. Nonas Aprilis anno Domini MCCLVII. S. Jacobi Dei gratia Regis Aragonum, Majoricarum, & Valenciæ, Comitis Barchinonæ & Urgelli, & Domini Montiſpeſſulani. Teſtes fuerunt Archiepiſcopus, Epiſcopi, & viri religioſi prædicti, Raymundus de Cardona, Raymundus de Montecathano, G. de Caſtronovo, H. de Sexach, . . . . . . de Focibus, B. de ſancta Eugenia, P. de Montecathano, Gaufredus de Rochabertino, . . . de Caſtronovo, Raymundus de Urgio. S. Michaelis de Alcoario, qui mandato domini Regis pro Domino fratre Andrea Epiſcopo Valentiæ Cancellario ſuo hoc ſcribi fecit loco, die, & anno præfixis.

ANNO CHRISTI 1257.

# "** CONCILIUM IN DANIA

## PRO EPISCOPORUM SECURITATE

### Celebratum anno Domini MCCLVII.

Ex Alexandri IV. epiſt. 674. lib. III. excerptum eſt atque editum ab Odorico Raynaldo.

" *Dania hoc ævo Dacia vocabatur.*

CUm eccleſia Daciana " adeo gravi perſecutioni ſit expoſita tyrannorum, quod epiſcopis, qui ſe pro domo Dei murum objiciunt defenſionis, etiam in præſentia domini regis in ipſorum perſonas non verentur minas injurioſas inferre, quæ ſatis probabiliter ſunt timendæ, cum clerus ſæcularis defenſione videatur carere penitus poteſtatis, ac illorum ſuperbia a metu regio libera & ſecura, in malum poſſit aſcendere, quantum velit: ſanxit præſentis concilii authoritate.

I.

Ut quicumque epiſcoporum infra terminos regni Daciæ mala captione, de mandato domini regis, ſive ejus conniventia, vel conſenſu, vel alicujus nobilis qui manet infra fines prædicti regni, captus fuerit, vel membrum amiſerit, aut atrocem injuriam in perſona ſua paſſus fuerit, ipſo facto, dummodo probabiliter præſumi poſſit hoc de voluntate domini Regis proceſſiſſe, ac dubium non ſit ipſum hoc faciliter corrigere poſſe, in toto regno Divina ſint officia interdicta.

II.

Si vero aliquod prædictorum alicui epiſcoporum illorum " fuerit per aliquem potentem, qui manet extra regnum Daciæ, & ex conjecturis conjici aliquo modo, hoc ex regis, vel principum, ſive nobilium regni Daciæ conſilio proveniſſe: eo ipſo ejuſdem epiſcopi diœceſis a celebratione myſteriorum ſileat Divinorum.

III.

Et ſi rex admonitus per duos epiſcopos, vel quoſcumque clericos ſuæ diœceſis, diſtulerit, vel non curaverit taliter læſo infra menſem juſtitiam exhibere: regnum ipſum uſque ad condignam ſatisfactionem habeatur a Divinis ſuſpenſum.

IV.

Prohibemus etiam ſub excommunicationis pœna, ne aliquis presbyter, ſeu capellanus alicujus nobilis, durantibus prædictorum interdictorum ſententiis, ipſis nobilibus præſentibus, aut aliquo alio, in curiis dictorum nobilium, vel alias publice, vel private, Divina celebrare præſumat: quod qui fecerit, ſciat ſe excommunicationis ſententiam incurriſſe.

# "** CONCILIUM LANCICIENSE,

## CONTRA BOLESLAUM SILESIÆ DUCEM,

### Qui epiſcopum VVratiſlavienſem, & presbyteros duos, captos in carcerem conjecerat,

A Fulcone Gneznenſi epiſcopo celebratum anno MCCLVII.

*HUjus argumentum ſynodi enarrat Martinus Cromerus, lib. IX. de origine & geſtis Polonorum*. Boleslaus, *inquit*, Calvus, Sileſiæ dux, cum dolore amiſſæ Glogoviæ percitus, tum bello ſuperiore exhauſtus, ut iram ſimul & cupiditatem ſuam expleret, facinus aggreſſus eſt impium & ſacrilegum. In epiſcopum enim Wratiſlavienſem Thomam, templum Gorcenſe dedicantem, & Boguſalum præpoſitum, & Heccardum canonicum, cum Theutonibus ſatellitibus ſuis manus injecit, captoſque ad ſubuculam uſque exſpoliavit, & in arcem Wlai, atque inde Legniciam deportavit. Poſcebat autem eos decem millia marcarum: quæ cum non darent, conjecit eos in tetrum carcerem, conſtrictos pedibus. Qua re cognita Fulco archiep. Gneznenſis, Leniciam ſynodum convocavit, ac de ſynodi ſententia Boleslaum Calvum diris devovit: Wratiſlavienſi vero omni diœceſi ſacris interdixit. Deinde cum nihilo magis dimitteret captos Boleslaus, pontificem max. Alexandrum quartum certiorem ea de re fecit: & quid porro fieri oporteret, rogavit. Reſcripſit ille archiepiſcopo, ut Poloniam omnem ad arma contra Boleslaum ſumenda crucis prædicatione una cum ceteris epiſcopis concitaret. In eandem ſententiam Magdeburgenſi quoque archiepiſcopo de concitandis Germanis ſcripſit. Sed interim Thomas pertæſus diri carceris, duobus millibus marcarum, & commutatione decimarum manipularium in pecuniarias per totam diœceſim ſuam, una cum præpoſito & canonico ſe redemit.

Eadem fere Matthias Michovienſis chronic. Polon. lib. III. cap. XLVIII.

CON-



ANNO CHRISTI 1258.

# "** CONCILIUM MERTONENSE.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus.

ANno Dom. MCCLVIII. fuit concilium Bonifacii archiepiſcopi, & omnium ſuffraganeorum ſuorum apud Mertone, ſcilicet die Jovis in feſto S. Barnabæ apoſtoli, ad quaſſandam decimam totius eccleſiæ Anglicanæ, per Alexandrum papam conceſſam.

# **" CONCILIUM ROFFIACENSE

" *Roffec.*

### Conſtitutiones provinciales apud Roffec " anno Domini MCCLVIII. XII. Kal. Septembris, præſidente domino Giraldo Burdegalenſi archiepiſcopo.

TITULI CAPITULORUM.


I. *De pœna illorum qui contra eccleſiaſtica faciunt ſtatuta.*

II. *De pœna illorum qui violant eccleſiarum ſalvitates.*

III. *De religioſis qui impediunt ſententias prælatorum.*

IV. *De pœna laicorum qui ſaiſiunt poſſeſſiones eccleſiarum.*

V. *Ne perſonæ eccleſiaſticæ agant vel reſpondeant in foro ſæculari.*

VI. *Ne clerici ſint advocati in foro ſæculari.*

VII. *Quæ forma ſit in confectione teſtamentorum ſervanda.*

VIII. *De forma abſolutionis infirmorum excommunicatorum.*

IX. *De pœnis contra litigantes & judices abuſores.*

X. *De non audiendis cauſis in locis religioſis.*


CAPITULA.

I.

*De pœna illorum qui contra eccleſiaſtica faciunt ſtatuta.*

CUm milites & tyranni, & fere omnes laici, prout dicit canon, clericis oppido ſint moleſti, & peccatis exigentibus fere per omnes regiones, milites, " communitates, & barones, ruſtici & burgenſes, conſtitutiones, immo vero deſtitutiones, edicta, conjurationes, confœderationes, conſpirationes, colligationes, empriſias tacitas vel expreſſas, & alias machinationes varias & diverſas, quoquo nomine cenſeantur, & promulgationes eorumdem facere præſumpſerint, & præſumant, ne laici in foro eccleſiaſtico litigent, niſi ſuper certis articulis, & valde paucis, quos ipſi exprimunt, juriſdictionem eccleſiaſticam confundendo & enormiter reſtringendo; inhibeant etiam ne ab uxoribus ſuis vel familiis " ſuis fiant oblationes, in illis caſibus in quibus fidelium pia devotio offerre conſueverat, tam de longa conſuetudine, quam de jure: nos omnes illas perſonas, quæ profana hujuſmodi præſumunt vel præſument facere, vel jam facta ſervare, ſeu opera miſericordiæ vel juſtitiæ; in quantum tangunt libertatem eccleſiaſticam occaſione hujuſmodi reſtringere, ſeu etiam coarctare, excommunicationis vinculo innodamus. Præcipientes ut tales in generali, & expreſſe illi de quibus conſtiterit, excommunicati denuncientur diebus Dominicis & feſtivis. Et ſi per tres menſes in excommunicatione hujuſmodi malitioſe perſtiterint: ſtatuimus, ut in fine corpora ipſorum non tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ, niſi plene ſatisfecerint de præmiſſis: & ne filii eorum vel nepotes, ad clericatum, & ad beneficium eccleſiaſticum admittantur: neque ipſi rei aliquatenus abſolvantur, quouſque eccleſiæ de omnibus deperditis & damnis integre fuerit ſatisfactum: & diœceſanus prædictis reis, talem pœnitentiam infligat, qua ceteri a talibus arceantur.

" *al. mil. & bar. comites, ruſtici & burg.*

" *al. famulis*

II.

*De pœna illorum qui violant eccleſiarum ſalvitates.*

Cum Dominus Jeſus Chriſtus verbo pariter & exemplo nos docuerit, quanta reverentia ſacroſanctis eccleſiis debeatur, cum vaſa non fineret transferri per templum, ſicut in evangelio continetur, & vendentes & ementes boves, & oves, & columbas, de templo ejecerit, nummulariorum menſas evertendo & pecuniam effundendo: non advertentes iſtud prædones, aliqui milites, & tyranni, frequenter infringunt eccleſias, & violant ſalvitates, rapiendo bona contenta ibidem, nonnunquam homines in eccleſiis & ſalvitatibus capiendo, aliquoties verberando, & plerumque, quod pejus eſt, occidendo. Unde ſtatuimus & præcipimus, quod hujuſmodi peſtilentes homines, poſtquam de ſacrilegio ſic commiſſo conſtiterit (quos ex tunc in generali monemus & moneri præcipimus, & ſi

moni-

ANNO CHRISTI 1258.

moniti talia facere præſumpſerint, ipſo facto excommunicatos eſſe volumus) denuncientur excommunicati diebus Dominicis & feſtivis: & nunquam ad abſolutionis beneficium admittantur, quouſque paſſis injuriam duplum emendaverint, & loco ſacro ſatisfactionem fecerint, quam diœceſanus viderit expedire, & quouſque ipſi diœceſano, in cujus contumeliam ſacrilegium commiſſum fuerit, ſit congrue ſatisfactum.

## III.

*De religioſis qui impediunt ſententias prælatorum.*

Cum obedientiæ virtus in illis perſonis majorem debeat habere vigorem, quæ ſecundum vitam ſuæ profeſſionis videntur ſæculum abjeciſſe: peccatis exigentibus, inveniuntur aliqui monachi, & plerique alii religioſi, qui ſuos ordinarios contemnentes, eorum ſententias vilipendunt, & ſuſpenſi, interdicti, vel excommunicati, Divina præſumunt officia profanare. Quare de communi conſilio provide" ſtatuimus, ut monachi & ceteri religioſi taliter excedentes, de diœceſibus, in quibus talia perpetrare præſumunt, expellantur in perpetuum, vel ad tempus; & abbates, vel priores eorum, ad ejiciendum eoſdem, ſi neceſſe fuerit, a diœceſanis ſuis per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

" al. providemus, & ſtat.

## IV.

*De pœna laicorum qui ſaziunt poſſeſſiones eccleſiarum.*

Inhibemus & monemus, ac in generali moneri præcipimus, univerſos barones, ballivos, milites, communitates, & perſonas alias ſæculares, ne eccleſias, prioratus, domos, poſſeſſiones, & res alias in quarum poſſeſſione pacifica ſunt vel erunt eccleſiæ, aut prælati, abbates, priores, rectores, & alii eccleſiarum adminiſtratores, ſaziant, & occupent, aut occupari faciant, vel ſaziri. Illos autem qui contra hujuſmodi inhibitionem, & poſt monitiones in generali factas facere præſumpſerint vel venire, excommunicationi ſubjacere decernimus ipſo facto.

## V.

*Ne perſonæ eccleſiaſticæ agant vel reſpondeant in foro ſæculari.*

Inhibemus, & monemus univerſas perſonas eccleſiaſticas, ne agant vel reſpondeant, vel ſe applegient in foro ſæculari, de his quæ ad eccleſiaſticum, non ad forum pertinent ſæculare, niſi hoc fecerint de ſuorum licentia prælatorum, vel vices gerentium eorumdem. Eos autem qui contra hujuſmodi monitionem & inhibitionem facere vel venire præſumpſerint, excommunicatos eſſe volumus ipſo facto. Illos autem qui perſonas eccleſiaſticas compulerint, vel compellere voluerint ad prædicta, eidem ſententiæ decernimus ſubjacere.

## VI.

*Ne clerici ſint advocati in foro ſæculari.*

Inhibemus univerſis religioſis, & clericis beneficiatis Burdegalenſis provinciæ, ut non ſint advocati in foro ſæculari, niſi pro ſe, vel conjunctis. Eos autem qui contra hanc inhibitionem advocationis officium præſumpſerint exercere, excommunicationis vinculo innodamus. Et eidem excommunicationi ſupponimus omnes religioſos, & clericos, qui aſſeſſores vel conſiliarii fuerint contra eccleſiæ libertatem.

## VII.

*Quæ forma ſit in confectione teſtamentorum ſervanda.*

Cum ad epiſcoporum ſpectet officium, ut extremæ legitimæ voluntates fidelium effectui mancipentur: præcipimus & mandamus, ut tam clerici quam laici, cum ſua voluerint condere teſtamenta, vel ultimas voluntates, proprium advocent capellanum, & coram ipſo, & idoneis teſtibus, ſua legitime ordinent teſtamenta vel ultimas voluntates. Capellani vero ad ſuas ultimas voluntates, duos, vel unum, advocent vicinos capellanos, vel ſubcapellanos, ſi poſſint commode. Quod niſi fecerint, diœceſani arbitrio graviter puniantur, quouſque per provinciale concilium certa pœna contra tranſgreſſores hujuſmodi ſtatuatur.

## III.

*De forma abſolutionis infirmorum excommunicatorum.*

Cum quidam ſimplices capellani parochianos ſuos excommunicatos in mortis articulo laborantes, cum juramento quod heredes eorum ſtent juri, indifferenter abſolvant, licet plerique de dictis perſonis ſint pro re manifeſta vel re judicata excommunicationis vinculo innodati: firmiter prohibemus, ne



ANNO CHRISTI 1258.

ne aliqua eccleſiaſtica perſona aliquem excommunicatum pro re manifeſta vel pro re judicata præſumat abſolvere, niſi ab ipſo infirmo, vel aliquo nomine ipſius, adverſario ejuſdem infirmi prius fuerit ſatisfactum, niſi per inopiam valeat probabiliter excuſari. Si vero ab aliquo, non ſervata forma hujuſmodi, infirmus excommunicatus fuerit abſolutus: abſolvens, adverſario defuncti ad intereſſe in ſolidum teneatur.

## IX.

*De pœnis contra litigantes & judices abuſores.*

Quia propter favorem quem indiſcreti judices & maligni ſtudent impendere apoſtolicarum abuſoribus litterarum, varii & diverſi reperiuntur modi prædictis litteris abutendi: de conſilio & aſſenſu ſuffraganeorum noſtrorum & approbatione concilii, omnes prælatos Burdegalenſis provinciæ, necnon ſubditos regulares & ſæculares, qui judices eſſe poſſunt, monemus & moneri præcipimus, ut in cauſis ſibi commiſſis a ſede apoſtolica vel legatis ipſius, & etiam committendis, juris ordinem ſtudeant fideliter obſervare: & nullos audiant qui contra adverſarium ſuum non habent aliquid quæſtionis. Nec etiam illos audiant, qui litteras apoſtolicas ad futuras trahunt controverſias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ. Nec audiant eos, qui aliquem ſuper uno negotio, vel etiam malitioſe ſuper pluribus perſonalibus actionibus, quæ commodius poſſent ſub uno judice terminari, per varias litteras coram diverſis judicibus trahere non formidant. Nec permittant, quod reus actorem eodem tempore ad diverſa loca, vel indeterminate ad villam quæ commune cum villis ejuſdem provinciæ habet vocabulum, evocet per litteras eorumdem, vel etiam per litteras aliorum. Nec illos audiant, qui ad locum non inſignem, in quo non poſſit juriſperitorum copia inveniri, adverſarium poſtulant evocari. Nec illos, qui per generalem clauſulam *& quidam alii*, plures quam quatuor evocari deſiderant ab eiſdem. Nec ſe, propter aliquorum favorem, die ad procedendum partibus aſſignata, audeant abſentare, ſeu etiam occultare. Et ſi conſervatores fuerint, non ſe intromittant, niſi de manifeſtis & notoriis, ſicut in novis decretalibus continetur. Si vero ſubditi aut prælati, authoritate concilii provincialis generaliter moniti, prædictis abuſionibus, vel alicui earum, ſcienter præſumpſerint conſentire, ſeu alii abuſioni in jure expreſſæ: nos ipſos ab officio & beneficio ſuſpendimus, juſtitia mediante: cujuſmodi ſuſpenſionem ſi per quadraginta dies ſuſtinuerint, excommunicationis vinculo innodamus. Pœnas autem prædictas, quas pravis judicibus Burdegalenſis provinciæ infligimus, litigantibus ejuſdem provinciæ litteris apoſtolicis abutentibus, ſimiliter duximus infligendas. A ſententiis autem excommunicationis vel interdicti, in præmiſſis conſtitutionibus provincialibus promulgatis, poterit diœceſanus quilibet ſubditis ſuis abſolutionis beneficium impertiri.

## X.

*De non audiendis cauſis in locis religioſis.*

Cum religioſarum perſonarum & monaſteriorum quietem prælati debeant procurare, ut ipſi religioſi in contemplatione manentes, Divinæ poſſint liberius inſervire majeſtati: canonica ſtatuta ſequentes, diſtricte præcipimus & mandamus prælatis, & omnibus clericis & laicis univerſis, ne infra baſilicas vel clauſtra regularium conventualium litigare præſumant, vel aliquatenus audire litigantes. Quod ſi facere præſumpſerint, poſtquam iſtud præceptum eis fuerit publicatum: nos, tranſgreſſores dicti præcepti ſub diſtricta ponimus ſententia interdicti.

Explicit concilium de Roffiac.

NOTA GABR. COSSARTII

Attribuitur a nonnullis hæc ſynodus anno MCCLVI. perperam, cum & in MS. noſtro, & in Laur. Bochellj decretis, diſerte expreſſus ſit annus MCCLVIII. dies vero XII. Kal. Septembr. Inter conſtitutiones eccleſiæ Santonenſis, hæ ſunt editæ, inſcriptæque, *apud Reſiecos*.

CON-

# CONCILIUM MONSPELIENSE

## DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA

VIII. Idus Septembr. MCCLVIII. per Jacobum archiepiſcopum Narbonenſem cum ſuffraganeis celebratum.

Editum a D. Luca Dacherio, tomo II. Spicilegii: nunc collatum cum altero exemplari, quod manu ſua Sirmondus noſter deſcripſerat.

### TITULI CAPITULORUM.

1. *Contra rerum & perſonarum eccleſiaſticarum violatores.*
2. *De non tonſurando aut ordinando alterius diœceſano: & qui ſint tonſurandi.*
3. *Ut qui clericaliter non vivunt, clericorum privilegio non gaudeant.*
4. *Ut qui excommunicat, vel denunciat excommunicatum, poteſtatis ſuæ litteras oſtendat.*
5. *Ut Judæi uſuras non exigant, ſed tantum ſortem.*
6. *Ut epiſcopi non dent litteras ſuas quæſtoribus, qui non oſtenderint pontificias.*
7. *Ut hæc ſtatuta obſerventur, & in aliis ſynodis publicentur.*
8. *Ut ſtatutum contra invaſores bonorum eccleſiaſticorum omnibus Dominicis & feſtis publicetur.*

Undecim ſtatuta pollicebatur Synopſis. Sed revera non plura ſunt quam hæc octo. Ortus error ex numeris, qui male adſcripti erant in codice MS.

### PRÆFATIO.

Legem ſtatuit Dominus humani generis creaturæ, ut in miniſterio vitæ rationabili edocta, labe ruditatis abjecta, fieret diſcretionis luciditate præclara. Tunc etenim ex lege reſultat juſtitia, dum quiſque ſui debitum cujuſcumque officii cuſtodit. Quo fit ut ſancti patres præceptis edocti juſtitiæ, ut ſic dilucidentur obſcura, inordinata in melius conformentur, & tollantur injuriæ, juſque ſuum ſervetur & largiatur cuilibet indefeſſe, diverſa ſtatuta provide ediderunt. Inde eſt, quod nos Jacobus miſeratione Divina ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopus, majorum noſtrorum præſenti concilio veſtigiis inhærentes, ipſorum edocti magiſterio; quædam pro moderamine, quædam vero pro tranſgreſſorum audacia reformanda, de conſenſu venerabilium fratrum noſtrorum, præſenti concilio approbante, ad bonum ſtatum noſtræ provinciæ duximus ſtatuenda, quæ inferius declarantur. Sane quia prædeceſſores noſtri in provincialibus conciliis, ad ampliandum cultum orthodoxæ fidei tam ſuper eccleſiarum libertatibus, quam vita & honeſtate clericorum, necnon & aliis diverſis capitulis, diverſa pro qualitate temporum edidere ſtatuta: nos eadem per omnia approbantes, ad conſervandam eccleſiaſticæ libertatis juſtitiam, & perverſorum reprimendam audaciam, ut quantum poſſumus viam malitiis claudamus, & in quiete vivere cupientes, quietem aliis præparemus: præſentis approbatione concilii provide duximus ſtatuendum.

### CAPITULA.

#### I.

*Contra rerum & perſonarum eccleſiaſticarum violatores.*

Ut quicumque temere bona eccleſiaſtica invaſerit ſeu occupaverit, aut res eccleſiarum ſeu monaſteriorum rapuerit, perſoniſve eccleſiaſticis injurias intulerit, aut eccleſias ſeu loca religioſa, vel earumdem eccleſiarum libertates & jura impediverit uſurpando: ſciat ſe ipſo facto, authoritate præſentis concilii, anathematis vinculo innodatum. Et quia peccata nocentium ſcire expedit & oportet, ſtatuimus ut ad requiſitionem illius epiſcopi, contra quem, aut contra cujus ſubditos, ſeu eccleſiaſticas perſonas, eccleſias, ſive monaſteria, aut loca religioſa in ſua diœceſi conſtituta, hæc attentata fuerint, ceteri epiſcopi reum hujuſmodi, ſive reos, tamdiu excommunicatos denuncient, & per ſuas civitates & diœceſes faciant ſolenniter nunciari, donec emendam fecerint proinde competentem: ipſo tamen epiſcopo ad denunciationem hujuſmodi prius in ſua civitate ac diœceſi procedente.

#### II.

*De non tonſurando aut ordinando alterius diœceſano: & qui ſint tonſurandi.*

Quia vero nonnulli inſtantia importuna, vel per obreptionem, forſitan abſque ſui ordinarii licentia, per alios epiſcopos tonſurantur: ut quod ſpecialiter prohibetur, obſervetur: ſtatuimus ut nullus epiſcopus de cetero, prætextu ratihabitionis, cujuſlibet alterius diœceſanum aliquem, abſque licentia ſui epiſcopi, tonſurare audeat, nec ipſum multo fortius ad minores vel majores ordines promovere. In tonſurando vero, illos maxime qui cum poſtulant tonſurari, ſunt in ætate viginti annorum & ſupra conſtituti, cautelam habeat ordinator, ut talem adſcribat militiæ clericali, qui ex de-



votione, non per fraudem, adſcribi cupiat ordini clericali, & qui non ſit omnino expers ſcientiæ clericalis.

#### III.

*Ut qui clericaliter non vivunt, clericorum privilegio non gaudeant.*

Demum obloquentium ora cum debita juſtitia claudere cupientes, juriſdictionem eccleſiaſticam ſic volumus obſervare illæſam, ut non ſimus aliis oneri: perpetuo ſtatuto duximus ordinandum, quod clerici mercimonia publice exercentes, operatorium ſcilicet ſive menſam, hypothecam, vel ſimilia, pro vendendis mercibus tenentes, ſeu cum perſonis laicis talia exercentes, vel ſcholares aut ſocii exiſtentes, & qui tonſuram dimiſerint, aut in habitu non vixerint clericali, veſtes varias deferendo, vel alias clericos non decentes, & qui mechanicas artes exerceant, aut qui operas ſuas aliis locaverint vilia exercendo, quamdiu notabiles ſe reddiderint, vel in fraudem aliqua commiſerint in præmiſſis, necnon & modo quolibet bigami, & qui, etiam ſine culpa, propter homicidium vel aliter ſunt inhabiles ad recipiendum ordinem clericalem, a talliis ſeu quotis ab eccleſia de cetero minime defendantur: ut qui honore clericali ſe indignos reddiderint, ejus beneficio nullatenus foveantur. Privilegio vero per canonem, *Si quis ſuadente*, conceſſo ordini clericali, per prædicta nos non intendimus in aliquo derogari.

#### IV.

*Ut qui excommunicat, aut denunciat excommunicatum, poteſtatis ſuæ litteras oſtendat.*

Porro animarum pericula vitare, quantum poſſumus, affectantes: ſtatuimus, ut ad mandatum executoris a domino papa ſuper negotiis aliquibus conſtituti, vel ab eodem domino papa judices delegati, aut ſubdelegatorum executorum, & judicis hujuſmodi, nullus paſſim aliquem excommunicet, vel etiam interdicat, ſeu excommunicatum vel interdictum denunciet: niſi prius poteſtatis & commiſſionis ſuæ executor aut judex delegatus apoſtolicas litteras, & ſi ſubdelegatus fuerit eorumdem ipſas litteras apoſtolicas, necnon & ſuæ ſubdelegationis litteras oſtenderit, fidem faciens de mandato: cum tali etiam de jure, niſi prius de mandato conſtiterit, minime ſit credendum.

#### V.

*Ut Judæi uſuras non exigant, ſed tantum ſortem.*

Ceterum Judæorum avaritiam exitiabilem, quantum cum juſtitia poſſumus, [a] refrænantes, ſtatuimus, ut nullus de cetero Judæum aliquem contra Chriſtianum ſuper exactione debitorum audiat, nec ei audaciam aliquam præbeat: niſi prius ſecra lege Moſaica coram poſita, Judæus ipſe qui juſtitiam poſtulat ſibi exhiberi, per ſuum declaraverit advocatum, quid & quantum de ipſo debito quod exigit, uſura vel ſors fuerit: ut ex tunc ſuper ſorte ſolummodo audiatur, uſurarum petitione penitus ſubmota: ſalva tamen nihilominus defenſione qualibet Chriſtiano, ſi velit & poſtulet ſe ad probandum admitti quod totum fuerit uſura quod Judæus exigit, vel in majori quam declaraverit quantitate.

[a] al. reforemantes.

#### VI.

*Ut epiſcopi non dent litteras ſuas quæſtoribus, niſi viderint apoſtolicas.*

Verum quia quæſtores plurimi paſſim [b] de locis aliis ad iſtam provinciam ſe [c] committunt: non abs re duximus ſtatuendum, quod epiſcoporum aliquis, niſi prius noſtras videat litteras ipſis conceſſas quæſtoribus, ſuper negotio pro quo quæſtores hujuſmodi deſtinantur, eiſdem ſuas litteras non concedat.

[b] al. partim. [c] al. conveniunt.

#### VII.

*Ut hæc ſtatuta obſerventur, & in aliis ſynodis publicentur.*

Præcipientes firmiter & mandantes, ut omnes in noſtra provincia conſtituti, ſtatuta ipſa cum devotione recipiant & obſervent, ac eadem faciant a ſuis ſubditis inviolabiliter obſervari: ipſa nihilominus in proxima ſynodo & aliis ſynodis publicantes.

#### VIII.

*Ut ſtatutum contra invaſores bonorum eccleſiaſticorum omnibus feſtis publicentur.*

Et ne prætextu ignorantiæ, quanquam non ſit conſtitutio ſingulorum auribus inculcanda, quiſquam ſe poſſit aut valeat ad excuſandas excuſationes in peccatis forſitan

ANNO CHRISTI 1258.

tan excuſare: præcipimus & mandamus, ut conſtitutionem ſupradictam, provida deliberatione præſentis concilii editam contra bonorum eccleſiaſticorum temerarios invaſores, omnes epiſcopi diebus Dominicis & feſtivis, ab omnibus capellanis & eccleſiarum rectoribus in ſuis civitatibus & diœceſibus faciant publicari.

Datum apud Montempeſſulanum in provinciali concilio ibidem celebrato VIII. Idus Septembris, anno Domini MCCLVIII.

Ad concilii calcem, utroque in exemplari ſubjectum eſt hoc conſilium.

"** Conſilium de clericis facinoroſis per ſeneſcallum capiendis de ordinarii licentia.

CONſilium eſt, quod ordinarius det licentiam ſeneſcallo Bellicadri, quod ipſe per ſe, & alias quaſvis certas perſonas ab eodem ſeneſcallo nominatas, & ab ordinario exceptas", poſſit & valeat auctoritate ordinarii clericos capere pro raptu, homicidio, & incendio, fractionibus nocturnis domorum, depopulatione agrorum, in ipſo tamen flagrante crimine deprehenſos: ita tamen quod ad capiendum ſceleratum "..... illius, loci in quo facinus ipſum perpetrabitur, capellanum vel rectorem, aut officialem ordinarii, aut clericum aliquem, ſi alter eorum ibidem repertus fuerit, ſecum advocet. Sin autem, facinoroſum taliter deprehenſum, ſine læſione ipſe capiat; captumque, ſine mora & abſque læſione aliqua, ad curiam ordinarii ducere non poſtponat. Hujuſmodi autem licentiam per ſuas patentes litteras ordinarius faciat, & uſque ad ſuum beneplacitum voluntatis; de ipſius vero conceſſionis licentia, ut appareat quod ſeneſcallus ejuſdem ordinarii auctoritate procedat, idem ordinarius patentes litteras ab eodem habeat ſeneſcallo.

" for. acceptatas.

ANNO CHRISTI 1259.

# "** CONCILIUM SCOTICUM,

## Præſente rege Alexandro, Perthi, id eſt, in oppido S. Joannis habitum.

Ex Hectoris Boethi hiſtoria Scot. lib. XIII.

HAbitum deinde eſt concilium primatum eccleſiæ, præſente rege, Perthi: id oppidum nunc, ut antea ſignificatum eſt, S. Joannis dicitur. Eo concilio edita ſunt ſtatuta provincialia, approbante rege & regni primoribus: quę & hoc tempore in eccleſia obſervata manent.

# "** CONCILIUM RAVENNENSE

## A PHILIPPO ARCHIEPISCOPO

## Et ſuffraganeis celebratum anno Domini MCCLIX.

HIeronymus Rubeus, *hiſtoriæ Ravennatis libro VI. ad annum MCCLIX* Cum per id tempus, *inquit*, Tartarorum late inſonaret nomen, Poloniaque & Pannonia ac finitimis vaſtatis regionibus, undique excurrerent: Philippus Fontana archiepiſcopus Ravennas, Alexandro pontifice jubente, provinciale concilium Ravennæ habuit: quo cum ſacrati viri in Dominicanos, Franciſcanoſque fratres invehentes, dicerent, de decimis illos ad populum non concionari, audire a confeſſionibus eos qui audiri ab ipſis deberent, ſibique ad ſepulturam commiſſos recipere, concionandique munus exequi, quod tamen ipſorum eſſet, iiſque omnibus impediri, ne pecuniam adverſus Tartaros, Chriſtianorum ſubſidio, cogerent: Opizo San-Vitalius, Parmenſis epiſcopus aſſurgens, religioſos illos viros accurate defendit, mirarique ſe magno opere dixit, de eo illos accuſari, propter quod laudandi vehementer eſſent, & in quo multos nomine negligentiæ ſuſpectos eſſe non ignorarent. Deum noſtram inopiam miſeratum, excitaſſe illos ordines hominibus affluentiſſimos, quibus ætas illa neque doctius aliud, neque religioſius quidquam videret: quique non colligendis modo decimis ſtuderent; ſed omni vitæ, illiuſque commodorum cura poſthabita, in eas regiones irrumperent, ut ſuperarent agreſtes illos homines, id autem eſt, ut adducerent ad Chriſtum, & Chriſtianis adjungerent. Hæc atque alia in hanc ſententiam peroranti Oppizoni, magnum aliquorum conflavere odium.

NOTÆ G. COSS.

Pertinere ad annum MCCLXI. hæc ſynodus videri poterit ei, qui paulo poſt leget obſervationem noſtram de conciliis, eo anno celebratis. Et vero facilis error, ut LIX. pro LXI. ſcriberetur. Ego tamen aſſenſum ſuſtineo. Nam anno ipſo MCCLIX. eadem erat cauſa, cur metueret pontifex a Tartaris, juberetque ut ad eorum reprimendum furorem omnes in commune conſulerent.

CON-



ANNO CHRISTI 1260.

# "** CONCILIUM ARELATENSE

## A Florentino archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno Domini MCCLX.

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

TITULI CANONUM.

I. *Condemnatur Joachitica doctrina.*
II. *Ut doceatur populus, qualiter baptizandi parvuli in neceſſitate.*
III. *Ut Confirmationis ſacramentum jejunis tribuatur a jejunis.*
IV. *Ut matrimonia non fiant abſque auctoritate eccleſiæ.*
V. *Ut in eccleſiis ſemper reſideant ſaltem vicarii perpetui.*
VI. *Ut celebretur octava S. Trinitatis, & feſtum S. Throphimi.*
VII. *Ne ſint in eccleſiis cerei lignei, ſed luminaria provideantur.*
VIII. *Ne Judæi ferant habitum ſacerdotalem: immo ſigno aliquo diſtinguantur a fidelibus.*
IX. *Ut clerici beneficiati cauſas non agant in curia ſæculari.*
X. *Ut monachi & canonici regul. pro doctrina ſacra ſalarium non accipiant.*
XI. *De vita & honeſtate canonicorum regularium.*
XII. *Ut Hoſpitalariorum & Templariorum familiares, qui non ſunt de domeſtica eorum familia, per prælatos corrigantur.*
XIII. *De regimine hoſpitalium.*
XIV. *Ut prælatus mutuum contrahens, inſtrumenta proprio ſigillo conſignet.*
XV. *Ut parochianorum ad eccleſias ſuas non impediatur conventus.*
XVI. *Ne pro beneficiis eccleſiaſticis ad arma concurratur.*

PRÆFATIO.

ANtiquorum patrum & ſanctorum epiſcoporum auctoritas irrefragabilis, & conſuetudo celebris, illud in eccleſia Dei obtinuit, ut per varias provincias patribus in unum congregatis, ſacri celebratione concilii diſcutiatur ſtatus eccleſiæ: & quod temporis immutavit malitia, congregatis in unum prælatis, & melius reformetur, & ſicut multorum examinatione rectorum conſultius & cautius, quicquid agendum tenendumque fuerit, diſcutitur, ſic etiam quod diſcuſſum & ſtatutum fuerit, firmius multorum conſenſu & diffinitione ſapientium roboretur: ut ſic propulſetur pravorum & mente corruptorum aſtutia, conſervetur ſanctorum prudentia, & per multorum prudentiam ſapientium, ſanitas maneat in orbe terrarum: & ſicut ſanctorum apoſtolorum, & quibus, & per quos, ſacroſancta & catholica fundata eſt per totum orbem eccleſia, traditiones, quas a ſolius pii & cœleſtis paſtoris noſtri hauſerunt pectore, immutabiliter commendatæ refulgent; ſic ſequentium per tempora canones & inſtituta patrum, in cunctis totius orbis eccleſiis vigere probantur, quorum ſolerti providentia, & vigilanti ſolertia, quotiens variarum hæreſum ſchiſmatumque viſum eſt pullulare ſeminarium, totiens, ne ſucreſceret, prorſus evellendum, avulſum & condemnatum diſparuit. Quapropter plurima ſanctorum patrum concilia in eccleſia Dei, velut quatuor evangelia, celebrantur.

Quod ſi primitivorum ſanctorum temporibus, conſtantium in fide, admirandorum virtute, ferventium caritate, tam ſolers & diligens contra reprobos adhibita eſt cautela: quid agendum eſt diebus noviſſimis, cum temporibus periculoſis inſtantibus ſurgent pſeudoprohetæ dicentes: hic eſt Chriſtus? & diſcipuli quoque mente corrupti *ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus*, tanto aſtutiores in ſuis adinventionibus, quanto pertinaciores in ſuis malitiis, & expertiores in antiquorum verſutiis, hypocriſis & ſimulationis exterius velamine dealbati, ſed interius fuligine nequiores. (2. Tim. 4)

Inter quos non modicum locum & valde pernicioſum tenent illi, qui in fundamento ſuæ veſaniæ vera quædam in parte & varia jaciendo ternaria, eademque pernicioſe adaptando, doctrinam fœdiſſimam concordantiarum ſuarum contextu nefario ſtatuere moliuntur, & malitioſa veneratione Spiritus ſancti, quem, ſecundum ordinem nominandi, tertiam dicimus in Trinitate perſonam, ſingulari redemptioni factæ per filium tam imprudenter quam nefarie " nituntur: dum tempus & opera Filii ſub annorum curriculo, & ſæculi hujuſmodi parte quadam ſignata & media claudere perhibentur: ut quemadmodum dicit Filius in carne mundo apparens viſibilis: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*: ſic & Spiritus ſanctus completo Filii tempore, dicat, Hactenus poſt patrem operatus eſt Filius, & ego de cetero operabor operationem Filii ſub illo annorum numero claudendo, quo ſatanas olim ligatus per Filium, denuo pronunciatur [a] ſolvendus. Hoc exemplum mille ducentis ſexaginta annis; ac ſi ſolemnius & magnificentius quodammodo ſigillatim & approbante Spiritu ſancto [b] operatus ſit deinceps, quam hactenus a principio naſcentis eccleſiæ fuerit operatus.

" f. obnituntur.

Joan. 5.

a Forte, ſolvendus poſt explendos mille ducentos ſexaginta annos. *Hard.*

b *Forte*, operaturus. *Hard.*

Quis autem ſententiare præſumat, Spiritum ſanctum glorioſius paraclitum infundendum deinceps in curſu præſentis ſæculi, quam cum repente ſuper apoſtolos Chriſti vehementer inſonuit, & linguis apparens igneis diſpertitis, ſuper ſingulos requievit & ſedit, genera linguarum tribuens, corda eorum tam patenter & potenter inflammans, ut totum doctrina ſalutis illuſtrarent & fervore caritatis accenderent mundum.

Iſti tamen Joachitici ", quorundam ternariorum intercatenatione fictitia, nituntur aſtruere, Spiritus ſancti tempora cum lege majori fore deinceps revelanda. In fundamento erroris ſui primitus jacientes ſacratiſſimum id & ſupercœleſte ternarium ineffabilium perſonarum individuæ Trinitatis, Patris videlicet, & Filii, & Spiritus ſancti: & ſuper quod omnis ſtabilitur veritas, erroris ſui vanitatem firmare conantur. Nulla ſiquidem adeo falſa & peſtifera eſt doctrina, quæ non aliqua vera intermiſceat.

" Joachimi abbatis ſectatores.

Huic igitur ſummæ veritati alia quædam ſubnectunt & contexunt ternaria, dicentes tres ſtatus vel ordines hominis ſibi invicem ſucceſſione quadam temporum clarificandos. Primus eſt ordo conjugatorum, qui tempore Patris claruit in veteri teſtamento. Secundus eſt ſtatus clericorum, qui tempore gratiæ claruit per Filium, in hoc ſtatu mundi medio. Tertius autem ſtatus, eſt ordo mona-

ANNO CHRISTI 1260.

monachorum, clarificandus tempore majoris gratiæ in Spiritu ſancto.

Addunt etiam cum iis, aliud doctrinæ ſacræ ternarium: videlicet veteris & novi Teſtamenti, ac deinceps evangelii æterni, ſive evangelii Spiritus ſancti, duabus rotis in viſione prophetica tertiam phantaſtice ſubnectentes, & comparatione ſecuturi quod ſpirituale nunciabamus, evangelium ſpirituale Filii, litterale ore blaſphemo & ſacrilego dicere non formidant. Dividunt etiam & diſtinguunt totum hoc ſpatium labentis ſæculi in tria tempora, quorum partem primam Patri attribuunt, ſcilicet ſpiritus & legis Moſaicæ: ſecundam attribuunt Filio, quam appellant ſpiritus gratiæ: & duravit annis MCCLX. Tertiam Spiritui ſancto, quam dicunt tempus amplioris gratiæ; & veritatis revelatæ, ad quod referunt [a] evangelium id [*] eſt Filii. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quod in ſacro die Pentecoſtes impletum fuiſſe in apoſtolis, & deinceps continue in apoſtolicis viris implendum, omnes catholici hactenus expoſuere doctores.

a *Forte:* Evangelium illud Filii. *Harduinus.* Joan. 16.

Adnectunt etiam ad prædicta quoddam vivendi ternarium, trium prædictorum temporum diſtinctione variatum. Per primum namque tempus poſuerunt in quo vivebant homines ſecundum carnem. Secundum, quod illi adjunxerunt inter utrumque hoc eſt inter carnem & ſpiritum, uſque in præſens tempus. Et ex hoc ſequetur aliud, in quo vivent ſecundum ſpiritum, & ab eo videlicet uſque ad finem mundi.

His igitur & hujuſmodi ſibi invicem coaptatis & connexis ternariis: quid ab hac perfida & perniciosa contexitur concordia, niſi quod exſufflctur deinceps redemptio per Chriſtum facta, & tinem habeant eccleſiæ Sacramenta? Quod Joachitici ore polluto, ut expreſſimus, quodammodo dicere non formidant: dum, evacuandas his temporibus & abjiciendas aſſerunt omnes figuras & ſigna: vivida tantummodo maneat [b] unitas, & abſque ſacramentorum velamine penitus revelata. Quæ omnia debet deteſtari, abominari, & abjicere, quilibet Chriſtianus, qui a ſanctis accepit, & firma fide tenet, inviſibilis gratiæ viſibiles eſſe imagines & figuras eccleſiaſtica ſacramenta: ſub quorum viſibilibus ſpeciebus quibuſdam, ipſe Dei Filius, Dominus Salvator noſter, ſe in eccleſia ſua uſque ad finem mundi manere promiſit.

b *Lege, veritas.* Hard.

Et licet nuper, præſentibus nobis & procurantibus, a ſancta Dei ſede apoſtolica damnata fuerit nova quædam, quæ ex his pullulaverat, doctrina venenata, evangelii Spiritus ſancti pervulgata nomine, ac ſi Chriſti evangelium non æternum, nec a Spiritu ſancto nominari debuiſſet: tanquam peſtis hujuſmodi fundamenta non diſcuſſa fuerint, nec damnata, libri videlicet Concordantiarum, & alii libri Joachitici, qui a majoribus noſtris uſque ad hæc tempora remanſerunt intacti, utpote latitantes apud quoſdam religioſos in angulis & antris, doctoribus indiſcuſſi, a quibus ſi ruminati fuiſſent, nullatenus inter ſacros alios & ſanctorum codices mixti remanſiſſent: cum alia modica Joachitica opuſcula, quæ ad eorum pervenere notitiam, tam ſolemniter ſint damnata, inſpeximus, contulimus & notavimus, timentes non immerito, ne poſteris maneant in laqueum & ruinam, præſertim cum in partibus provinciarum, quibus licet immeriti in parte præſidemus, jam plurimos etiam litteratos hujuſmodi phantaſiis intellexerimus eatenus occupatos & illectos, ut plurima ſuper iis commentaria facta deſcripſerint, & de manu ad manum dando circumferentes, ad externas transfuderint nationes. Ne ergo error peccans ulterius ſerpat ut cancer, & paulatim occupet curioſos, nos quantum debemus & poſſumus in hac per ... cientes noſtri provincialis ſacri auctoritate concilii, prædicta, prout ad manus noſtras devenerunt, reprobantes: ne ſubditi noſtri de cetero talibus utantur, aut ea ultra recipiant, ſub anathematis interminatione prohibemus.

## CANONES.

### I.

*Condemnatur Joachitica doctrina.*

NOs ergo, qui prædicta cum aliis quibuſdam majoribus noſtris diligenter

### II.

*Ut doceatur populus, qualiter ſint baptizandi parvuli in neceſſitate.*

Circa ſacramentorum diſpenſationem, quoniam per quorumdam diſpenſatorum negligentiam multiplices ſubcreverunt abuſus: ſtatuimus, ut presbyteri parochiales in præcipuis feſtivitatibus in plena eccleſia & publica populi allocutione & ſermone, doceant parochianos ſuos, qualiter & quibus verbis debeant uti, dum parvulos in caſu neceſſitatis taliter baptizant.

### III.

*Ut Confirmationis ſacramentum jejunis tribuatur a jejunis.*

Confirmationis autem ſacramentum, quod propter ſui venerationem & ſanctorum apoſtolorum traditionem, a ſolis pontificibus datur, nonniſi jejunis & a jejunis, niſi propter neceſſitatem, tribuatur: niſi propter nimiam populi multitudinem & frequentiam, ut quando prælati viſitant, non potuerint commode jejuni officium Confirmationis implere: exceptis parvulis, qui ſugentes ubera, tempus & horam lactandi non ſervant.

### IV.

*Ut matrimonia non fiant, abſque auctoritate eccleſiæ.*

Ceterum quia jam in partibus Provinciæ, quaſi paſſim, abſque auctoritate eccleſiæ, ſuorum ſuarumque præſumunt firmare conjugia: ſtatuimus, ut quicunque laici hujus præſumptionis & temeritatis actores, ſeu



ANNO CHRISTI 1260.

ſeu participes, fuerint deprehenſi, una cum his qui ſic juncti fuerint, tamdiu per ſuos parochiales in eccleſiis ſuis publice & ſolemniter excommunicati denuncientur, quouſque ſuper hoc pœnitentiam agentes, meruerint a ſuis pontificibus abſolutionis beneficium obtinere.

### V.

*Ut in eccleſiis ſemper reſideant ſaltem vicarii perpetui.*

Item quia major pars eccleſiarum parochialium hujus provinciæ, ad monachorum vel conventuum regularium pertinet prioratus, de quorum collegiis aliqui conſueverant in ipſis eccleſiis continue reſidere, in ſpiritualibus & temporalibus præſidentes, & de ipſis, prælatis ſuis rationem congruam opportune reddentes; nunc autem reſidentia ſua ad hæc ſola coartatur tempora, quibus ſpiritualibus [*] ſpolia colliguntur, alicubi nullo prorſus ſacerdote relicto, alicubi vero ſolo mercenario: ita quod plurimæ eccleſiæ, aut rectores & miniſtros non habent, aut per [*] .... regantur mercenarios: ſtatuimus, ut in talibus eccleſiis deinceps, aut de ipſis collegiis ad quorum patronatum pertinent, aliquæ bonæ ſufficientes & honeſtæ perſonæ reſideant, quæ curam animarum loci recipiant a prælatis; aut ſi tales ſunt patroni, qui curam habere non debeant, aut non velint, tantum accipiatur & ſequeſtretur de bonis & dotibus eccleſiæ, quantum vicario perpetuo ſufficienti & honeſto & in ſacris promoto, ibidem reſidenti & per patronum præſentato, & per prælatum inſtituto, ad victum honeſtum ſufficiat & veſtitum, & alia quæ ad officium vicarii pertinere noſcuntur: & hujuſmodi vicarius curam animarum loci recipiat a prælato. Quod ſi vacante tali eccleſia per mortem aut [*] [a] ſucceſſionem vicarii, non fuerit intra tempus ſtatutum a jure alter vicarius ſufficiens, prælato loci per patronum præſentatus: ex tunc per ipſum prælatum vicarius competens conſtituatur ibidem, nec ultra mercenariis, niſi forte bonis & expertis, & hoc ad tempus, & ex cauſa, Dominicarum ovium regimina committantur: quia mercenariis gregem committi Dominicum, evangelica veritas ſummi paſtoris ore promulgata graviter deteſtatur.

* *ſ.* temporalia ſpolia.

* *ſ.* presbyteros.

* ceſſionem. a *Forte,* conceſſionem, *Harduinus.*

### VI.

*Ut celebretur octava S. Trinitatis, & feſtum S. Trophimi.*

Item ſtatuimus etiam, ut in octava Pentecoſtes celebretur ſolemniter officium ſanctæ trinitatis, & a veſperis Sabbati Dominica agatur ſolemnitas, & per totam ſequentem hebdomadam tres lectiones & tria reſponſoria ſingulis diebus, niſi feſtum IX. lectionum extiterit, de ſanctæ Trinitatis hiſtoria per ordinem decantentur, uſque ad veſperas ſequentis Sabbati, & tunc incipiatur hiſtoria. Feſtum autem B. Trophimi per totam provinciam ſolemniter celebretur ſicut de apoſtolis.

### VII.

*Ne ſint in eccleſiis cerei lignei, ſed luminaria provideantur.*

Ceterum, quia non convenit aliquid eorum, quæ ad decorem & ad honeſtatem cultus Dei fieri conſueverunt in eccleſiis Dei, fictitie & ſimulatorie agi, maxime in eccleſiis majoribus cathedralibus & conventualibus, & ubi ad hæc in veritate agenda eccleſiarum ſuppetunt facultates: prohibemus diſtricte, cereos ligneos in colorem ceræ tinctos in prædictis eccleſiis fieri aut haberi, ſeu in proceſſionibus aliquatenus deportari; ſeu [*] juxta ſtatus & facultates eccleſiarum, & ſecundum feſtorum & ſolemnitatum excellentiam, luminaria congrua per ſacriſtam, vel per eum ad quem de conſuetudine pertinet, ſubminiſtrentur.

* Corr. ſed.

### VIII.

*Ne Judæi ferant habitum ſacerdotalem: immo ſigno aliquo diſtinguantur a fidelibus.*

Item quia ridiculoſum eſt & turpe, quod habitus ſacerdotales, ut ſunt capæ rotundæ clauſæ, quibus ambulando per vias & plateas miniſtri eccleſiaſtici a cunctis popularibus diſcernuntur, perfidis Judæis & infidelibus cum eiſdem Chriſti ſacerdotibus ſint communes: diſtrictius inhibemus, ne de cetero ab infidelibus habitus hujuſmodi deportentur; ſed rotis, aut ſignis aliis in exteriori eorum habitu patentibus utantur, quibus infideles a fidelibus diſtinguantur. Si quis autem laicus, aut ſæcularis poteſtas, Judæum aliquem, aut infidelem alium, habitum hujuſmodi ſacerdotalem deferre compulerit, excommunicetur, & a ſanctæ matris eccleſiæ liminibus arceatur: maxime cum a ſanctis partibus prædeceſſoribus noſtris, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ legatis, fuerit hoc idem alias ſolemniter promulgatum.

## IX.

*Ut clerici beneficiati, cauſas non agant in curia laicali.*

Adhæc cum per eccleſiaſticos eccleſiaſtica, & per ſæculares ſæcularia tractari conveniat, ne forte clericus ad aratrum mittens manum, & aſpiciens retro, Dei regno efficiatur ineptus: nec enim beatus apoſtolus Matthæus qui & Levi telonearius dictus eſt, poſtquam a Domino vocatus fuit, rurſus ad lucra telonei reſedit; inhibemus diſtricte, ne clericus in eccleſia beneficiatus, advocationis officium ſuſcipere in curia laicali præſumat, niſi forte pro eccleſia, vel pro pauperibus & viduis & orphanis, patrocinari voluerit intuitu pietatis. Si quis autem contra hoc attentare præſumpſerit, ipſo facto ab ingreſſu eccleſiæ noverit ſe ſuſpenſum, & ſi per prælatum ſuum requiſitus & monitus, ab hujuſmodi officiis deſiſtere noluerit, beneficio eccleſiaſtico privetur per eundem; & per ipſum, beneficium alteri conferatur. Quod ſi reſipuerit, ab ipſa ſuſpenſionis ſententia per epiſcopum ſuum abſolvatur.

## X.

*Ut monachi & canonici regul. pro doctrina ſacra ſalarium non accipiant.*

Illud etiam penitus interdicimus, ne monachi, aut canonici regulares, pro doctrina ſua ab auditoribus ſuis, ſeu rectoribus civitatum & burgorum, quibus docent, ſalarium accipiant. Quod ſi fecerint, ipſo facto noverint ſe ſuſpenſos.

## XI.

*De vita & honeſtate canonicorum regularium.*

Item cum canonici regulares a ceteris canonicis ſæcularibus in victu & veſtitu diſcerni debeant, ſecundum ſtatuta S. patris Auguſtini, præcipimus, ut omnes & ſinguli canonici regulares, ſani & incolumes, in adventu Domini menſam & cibum in refectorio teneant regularem, ... refectorium diebus prædictis & temporibus, niſi evidenti cauſa, manducare præſumant. Item habitu clauſo & uniformi, regularibus congruo, cum ſella alba vel fuſtina ſine phaleris equitent. Qui autem contra hoc fecerit, octo diebus a menſa fratrum noverit ſe ſuſpenſum; & per illos octo dies in terra ſedendo comedat quod ſibi miniſtri duxerint apponendum.

Deeſt nec extra.

## XII.

*Ut hoſpitalariorum & templariorum familiares, qui non ſunt de domeſtica eorum familia, per prælatos corrigantur.*

Item cum hoſpitalarii & templarii, præter ſigna religionis ſuæ ſolita & antiqua, quibus fratres religionem eorum profitentes, habitus ſuos conſignant, quædam ſignacula adinvenerint, quibus familiares ſuos clericos in eccleſiaſtico & ſæculari habitu perſiſtentes conſignare cœperunt, ut ſic eos etiam contra prælatos defendant, immunitatibus ſuis & exemptionibus ipſos gaudere ſatagentes, ac ſi de domeſtica eorum eſſent familia; volumus, ordinamus, & ſtatuimus, ut tales per prælatos ſuos, non obſtantibus ſignis hujuſmodi, ab omnibus inſolentiis ſuis & delictis jure ordinario compeſcantur, corrigantur, & puniantur; prout in decretali de privilegiis continetur.

[illegible]

## XIII.

*De regimine hoſpitalium.*

Item quia in civitatibus & oppidis provinciæ noſtræ, hoſpitalia pauperum multa ſunt, quorum regimina ut frequentius laici & clerici ſæculares, multiplici prece & pretio, aliquando etiam per litteras papales & mandata principum & potentum, conſueverant occupare, nec ibi pauperibus aliquid miniſtratur, ſed omnia bona & eleemoſynæ talium hoſpitalium per hujuſmodi rectores in uſus proprios aſportantur & devorantur: ordinamus & ſtatuimus, prout in jure cavetur, ut de cetero per prælatos locorum, & alios ad quos id pertinere noſcitur, proprie, congrue & ad id competenter perquirantur, qui habitu & ſigno aliquo religionis aſſumpto, ibidem Domino famulantes, vitam agant communem, & annis ſingulis, ipſis inſtitutoribus ſuis, vel deputatis ab eis, rationem de omnibus reddant, nihil ſibi aut ſuis, præter victum & veſtitum, de omnibus eleemoſynis hujuſmodi hoſpitalium retinentes.

## XIV.

*Ut prælatus mutuum contrahens, inſtrumenta proprio ſigillo conſignet.*

Item cum magnopere cavendum ſit prælatis, ne bona eccleſiarum ſuarum obligent, abſque evidenti neceſſitate & urgenti; quoties ejuſmodi exegerit neceſſitas, adhibita omni diligentia fiat, hoc* & cautela, ut & munimenta competentia conſcribantur, & propriis prælatorum ſigillis conſignentur, eademque intra .... repetantur & caſſentur. Sæpius etiam accidit ut ſupra g..... obligatione & mutuo alicui prælato eccleſiaſtico, poſt ejus mortem, & an*... ſucceſſiones plurimas, unius incogniti apud modernos notari, & cujus memoria temporis diuturnitate præteriit, proferatur inſtrumentum, cui, etiamſi præſentialiter viveret, modica non immerito fides in talibus eſſet adhibenda, cujuſmodi occaſione vexatæ fuerunt eccleſiæ multoties & gravatæ. Ut ergo hujuſmodi malitiis obvietur, & eccleſiarum periculis occurratur in hac parte, duximus ſtatuendum, ut prælatus qui pro ſuis & eccleſiæ neceſſitatibus mutuum contraxerit, chartas & inſtrumenta inde confecta proprii ſaltem ſigilli charactere & impreſſione conſignet, necdum notarii ſignum abſque ſigillo prælati ſufficiat in hoc caſu, ſed ad fidem in hujuſmodi obligationibus faciendam, etiam inſtrumenta cum ſigillis epiſcoporum roborentur. Et ne per ſtatuti hujus ignorantiam ſe quiſpiam valeat excuſare, hoc per omnes civitates provinciæ hujus, villas, & oppida, in eccleſiis, per menſem unum continue, diebus Dominicis & feſtivis, ſolemniter & patenter præcipimus & volumus publicari.

* ſ. ſub cautela.

* ſ. annorum.





## XV.

*Ut parochianorum ad eccleſias ſuas non impediatur conventus.*

Item quia laici ſtatutum ſuum & eccleſiæ mandata ſcire non valent, niſi Dominicis diebus, quibus in eccleſia hæc conſueverunt recitari, ad parochias ſuas pro Divinis audiendis conveniant: diſtrictius inhibemus, ne religioſi in eccleſiis ſuis aut capellis eos diebus Dominicis ſolemnitatibus præcipuis recipiant ad Divina: nec horis illis, in ſuis locis populo publice prædicent, quibus in parochiis Miſſarum ſolemnia celebrantur. Sed illi religioſi qui ſciunt, & quibus conceditur in populo prædicare, verbum Dei per diverſas parochias civitatum prædicent, & caſtrorum, vel in locis ſuis, horis talibus, quibus parochianorum ad eccleſias ſuas non impediatur conventus. Si qui autem religioſi contra hoc attentare præſumpſerint, ipſis tamdiu prohibeatur prædicationis & confeſſionis officium, quouſque congrue caſtigati, ab hujuſmodi præſumptionibus reſipiſcant.

## XVI.

*De pœnitentiariis qui per villas & oppida mittuntur tempore Quadrageſimæ.*

Item, quia propter imbecillium & impotentium & pauperum occupationes & penuriam, aliquando per villas & oppida conſueverunt pœnitentiarios ſuos in Quadrageſima deſtinare, ut eos a caſibus qui majoribus reſervantur, abſolvant: frequenter accidit, ut magna pars Chriſtianorum, occaſione hujuſmodi pœnitentiariorum, propriis ſacerdotibus ſuper confeſſionibus illudant, aſſerentes ſe dictis pœnitentiariis fuiſſe confeſſos, cum tamen hujuſmodi confeſſores vix aut nunquam poſſit pars populi modica ſuorum peccatorum confeſſionibus generaliter expediri. Ut ergo de cetero populares, occaſiones hujuſmodi frivolas non prætendant: inhibemus, ne confeſſores hujuſmodi qui mittuntur ſolummodo ad prædicta, per villas & parochias diœceſis diſcurrentes, generalibus parochianorum confeſſionibus audiendis ſe occupent, niſi de mandato prælati, & licentia curati, generalibus confeſſionibus audiendis ſe duxerint occupandos: ſed eos ad proprios remittant ſacerdotes, & caſibus pro quibus mittuntur pœnitentes abſolvant: ne ipſi parochiani mandatum de confitendo ſaltem ſemel in anno propriis ſacerdotibus ſimulatorie & doloſe ſe gaudeant evaſiſſe: nec prælati ſuper caſibus ſibi reſervatis, ad parochianos ſuos pœnitentiarios deſtinent, niſi ad eos, qui commode prælatos ſuos adire non poſſunt.

## XVII.

*Ne pro beneficiis eccleſiaſticis ad arma concurratur.*

Ad hæc, cum jam pernicioſe inolitum ſit in partibus Provinciæ, non ſolum apud ſæculares clericos, ſed & apud regulares monachos, ut cum ſuper beneficiis eccleſiaſticis quæſtiones inter aliquos oriuntur, relictis & contemptis eccleſiaſticis judicibus, ad quos ſolos cognitio & definitio talium pertinere noſcuntur, ſtatim ad arma concurrant, parentum & amicorum ſuorum ſæcularium laicorum impetu & violentia eccleſias occupantes armis quoque & armatis munientes eaſdem, ſe deinde mutuo prout prævalent, plerumque cum effuſione ſanguinis, nonnunquam vero cum homicidiis, expellentes; propter quod in partibus illis innumerabilia ſurrexerunt, & adhuc quotidie ſurgunt ſcandala, plurima quoque corporum & animarum ſcandala ſequuntur & ruinæ. Nos igitur tot & tantis inſolentiis occurrere cupientes, ſtatuimus, ut quicunque clericus ſæcularis, aut religioſus, talia de cetero præſumpſerit attentare, abſque diœceſani ſui aut judicis, ſeu

ANNO CHRISTI 1260. “ f. juris.

ex communis ” ſui eccleſiaſtici auctoritate & licentia, armorum & armatorum impetu. ... ..Cetera deſunt.

G. COSS. OBSERVATIO.

Arelatenſe hoc concilium voco, quod Arelatenſis provinciæ ſit. Quo enim celebratum ſit loco, plane ignoramus, neque ullum ſupereſt in actis veſtigium, ex quo id conjicere poſſimus. Temporis autem, quanquam adſcriptus dies annuſque non ſit, notitiam ſuppeditat præfatio, in qua de hæreticis primo canone condemnatis hæc verba ſunt: *Secundam* (temporis partem) *attribuunt filio, & duravit annis MCCLX.* Hinc etiam intelligimus, ſervatum non eſſe ordinem temporum in Chiſiano codice, ex quo hæc Arelatenſis provinciæ deſcripta concilia ſunt. Nam in eo, proxime poſt Bertrandi Maleferrati concilium anni M. CC. LXX. ſequitur hoc Florentini, uti admonui ad calcem concilii Inſulani ann. M. CC. LXXXVIII.

# SYNODUS CYPRIA

SUB GERMANO AMATHUNTIS EPISCOPO

& Summo Græcorum in Inſula Cypro Antiſtite, laudatur ab Allatio in libro de VIII, Synodo Photiana pag. 506. Nec de ea plura.

# CONCILIUM COLONIENSE

A CONRADO ARCHIEPISCOPO

Celebratum, anno Domini MCCLX.

Ex editione Colonienſi anno 1554.

Capitula ſeu rubricæ ſtatutorum eccleſiæ Colonienſis, a bonæ memoriæ D. Conrado archiepiſcopo Colonienſi, in ejus concilio provinciali editorum.


I. *De manifeſta cohabitatione clericorum & mulierum.*
II. *De manifeſta clericorum negotiatione.*
III. *De inſufficientia ſcientiæ, quæ eſt illitteratura, clericorum.*
IV. *De tonſura clericorum.*
V. *De clericis ſimoniacis.*
VI. *De clericis irregularibus.*
VII. *De dormitoriis, de lectura tabulæ capitularis, de lunationibus, de memoriis defunctorum, de modo eundi in capitulum, & procedendi in eodem. De ordine miniſtrantium ad altare, & de canonicorum comedendi & dormiendi modo.*
VIII. *De campanariis & cuſtodibus.*
IX. *De decanis, ſcholaſticis, cantoribus & canonicis.*
X. *De capellanis regularibus, epiſcopalibus & præpoſitorum; & qui non debeant eſſe ejuſmodi capellani.*
XI. *De piſtrinis eccleſiarum.*
XII. *De præpoſitis & eorum capitulis, qualiter erga ſe invicem habere debeant.*
XIII. *De electionibus capitulorum.*
XIV. *De immunitatibus & muris earum.*


## PRÆFATIO.

In nomine Domini Amen.

NOs Conradus Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, ſacri imperii per Italiam archicancellarius, in agrum Domini curæ noſtræ commiſſum: de mandato apoſtolico his diebus per oſtium viſitationis ingreſſi, plura in ipſo, quam utique credebamus, offendiculorum invenimus zizania diverſorum. Si enim mala opera converſationis & ſcandala perverſitatis in clero, recte zizania ſunt cenſenda, incœpit ſuper hoc propoſitum negotii proſequamur: inprimis quidem extirpando radicitus vitia, ut deinde virtutum germen laudabile, unde fructus ſalutis proveniat, inſeramus. Cum igitur iſta bonorum plantatio germinum, & extirpationes vitiorum, in agrum Domini abſque correctionis remedio fieri non valeat: opportune ſecundum qualitates & modos exceſſuum, correctionis canonicæ modo providimus adhibendos. Sane cum ea quæ nobis genera diverſorum offendiculorum viſitantibus occurrunt, in aliquibus clericorum ſint iſta, & fere maxime in eorum compluribus uſitata: manifeſta cum mulieribus cohabitatio, habitus clericali incongruus diſciplinæ: in nonnullis quoque eorum, negotiatio deteſtanda; & inſufficientia ſcientiæ, quæ eſt illitteratura; in multis, quos clericos ſolo nomine, non re, recta conſideratione cenſemus: & præter hæc, aliqua alia in nonnullis earum occurrunt, habentia notam labis eccleſiaſtice. De manifeſta mulierum cohabitatione notatis, ita ſecundum canonicas præcipimus ſanctiones.

## CAPITULA.

### I.

*De manifeſta cohabitatione clericorum & mulierum.*

Cum enim manifeſtos mulierum cohabitatores ſeu concubinarios cenſeamus, non ſolum eos, qui in ſuis domibus tenent concubinas, verum omnes generaliter, eos etiam qui mulieres focarias extra domos ſuas manentes, ſuis manifeſte procurant ſumptibus & ſuſtentant: de his ita præcipimus, quod tales, inde in viſitatione noſtra notati, ceſſent de cetero a talis peccati commercio, & in pœnam commiſſi exceſſus, intrent carcerem canonicalis diſciplinæ, illum ſervaturi ſecundum morem & con-



ANNO CHRISTI 1260.

conſuetudinem diſciplinæ hactenus obſervatæ. De his autem mulieribus ita præcipimus, quod ſi intra immunitatem, quod abſit, fuerint compertæ manentes, vel prope immunitatem, decani eccleſiarum per excommunicationis ſententiam ipſas ad recedendum compellant. Ipſique nihilominus decani eas ad ſuos plebanos deſtinent, recepturas ab eis, vel aliis boni conſilii, quoad remedia animarum, viris, pœnitentiam ſalutarem.

Quia vero ſupradicti cohabitatores mulierum clerici, patrimonium Jeſu Chriſti in uſus malos, cum ſuis peccando focariis, expenderunt: eos proinde teneri ad ſatisfaciendum eccleſiæ, cujus bonis taliter in ſuis concupiſcentiis & peccati illecebris ſunt abuſi, decernimus, & ſatisfactionis iſtius modum nobis reſervamus ſecundum canonicas ſanctiones.

Et quia iidem clerici, ſicut de multis eorum comperimus, ita hujus peccati pernicioſa nimis aſſuefactione excæcati, in eo perſiſtere, uſque ad vitæ etiam ſuæ noviſſima, non verentur, intantum quod in extremis agentes, ſi quid de bonis eccleſiaſticis habuerint, ea pueris ſuis legant & deputant, non contenti quod inde in vita ſua eos aluerant: & ſic fraudant eccleſias Jeſu Chriſti patrimonio, ſequemetipſos culpæ magis illaqueant coram Deo: talem abuſionem damnabilem deteſtando damnamus, & fieri de cetero diſtrictiſſime prohibemus.

Item ut ipſi clerici, qui malam utique vitam in hujus cohabitationis crimine agunt, a mala ſaltem ſibi fama coram hominibus & toto clero, de improperioſa nimis detractione præcaveant, ipſis ſub diſtrictione firmiſſima prohibemus, ut nuptiis filiorum ſuorum & filiarum perſonaliter non interſint. Et in his nuptiis, quantum omnino poteſt, vitetur pompa & ſolennitas nuptialis.

### II.

*De manifeſta clericorum negotiatione.*

Cum negotiatio in clerico, & uſura in laico, quaſi eſſe unius generis cenſeantur: ita præcipimus, quod ceſſent de cetero a talis peccati malitia, & in pœnam commiſſi exceſſus, intrent canonicalis carcerem diſciplinæ, ſecundum quod ſuperius eſt expreſſum. Quia vero iſti turpis avaritiæ ſectatores, non Deo, ſed mammonæ, lucrifacere elegerunt, & malis inhiando lucris, Chriſti ſimiliter patrimonio & bonis eccleſiaſticis ſunt uſi illicite & indigne: eos proinde teneri ad ſatisfaciendum eccleſiæ, in cujus non fideliter, ſed potius fraudulenter, negotiati ſunt bonis, decernimus, & ſatisfactionis iſtius modum ſecundum ſanctionem canonicam nobis reſervamus.

### III.

*De inſufficientia ſcientiæ, quæ eſt illitteratura, clericorum.*

Item de clericis de inſufficientia doctrinæ, quæ eſt illitteratura, notatis, ſicut de omnibus ſcientiam eminentem non requirimus, ſed qui ſciant legere & cantare ad Divini officii miniſterium competenter: ita præcipimus, quod qui per ſe non poſſunt facere in choro cantandi debitum & legendi, faciant per aliam perſonam idoneam, ſecundum quod decani ſui diſcretio duxerit providendum.

### IV.

*De tonſura clericorum.*

Ceterum de clericis non deferentibus clericalem tonſuram, & veſtes habentibus clericum non decentes (indecencia namque veſtium, in colore, vel pompa nodorum, vel apertura veſtium a latere, aut nimia brevitate, notatur) ſic tam de his quam de illis diſtricte præcipimus, ut tonſuram comæ, quæ clericalis ſit, habeant, & ſuas coronas competentes, & eas radere non omittant: quod tamen invenimus aliquos omittere, quod maxime deteſtamur, dum tales & taliter ſe gerentes, privilegio quidem clericali gaudere contendant, & tamen ſignum illius privilegii aſpernentur. Sub eadem diſtrictione, veſtium indecentium pompam & uſum firmiſſime inhibemus.

### V.

*De clericis ſimoniacis.*

Item de clericis ſimoniacis ita præcipimus, quod ante omnia, ea dimittant beneficia, quæ adepta per ſimoniam extiterint, ne ea in damnationem ſuarum teneant animarum: & poſtmodum cum maturo conſilio, qualiter ipſorum ſtatui conſulatur, ordinabimus ſecundum canonicas ſanctiones.

*VI.*

## VI.

*De clericis irregularibus.*

De clericis autem irregularibus ita præcipimus, quod a ſui officii executione ſe contineant, donec circa eos fuerit ordinatum ſecundum canonicas ſanctiones, quid fuerit ordinandum.

## VII.

*De dormitoriis, de lectura tabulæ capitularis, de lunationibus, &c.*

Conſequenter, quia in ipſa viſitatione comperimus, circa Divinum officium ſive miniſterium atque chori debitum, negligentias & omiſſiones debiti, factas hucuſque fuiſſe & fieri, pluſquam Dei honorem deceat, & ſaluti ipſorum expediat miniſtrorum: quæ quidem negligentiæ cauſantur exinde potiſſimum, quod ſunt quædam eccleſiæ canonicorum carentes dormitoriis, quædam habentes dormitoria, ſed eorum canonici dormire in his longo temporum ſpatio diſſueverunt: item quod in quibuſdam eccleſiis eſt compertum, raro vel numquam per anni totius ſpatium lectiones & cantum Divini officii in capitulari tabula annotari: item raro vel numquam in capitulo ipſo legi lunationes menſium aut Kalendas, ſeu obitus fidelium, quorum commendationem aut memoriam agere unuſquiſque, de eleemoſynarum vivens ſuſtentatione, tenetur: ſuper his omnibus, qualiter reformentur, & reformata, in robore ſuo permaneant & vigore, ſicut primitus erant inſtituta: ita præcipimus, quod eccleſiæ canonicorum carentes dormitoriis, ea deinceps habeant, de communi eccleſiæ ære, ſeu pecunia, conſtruenda: & canonici qui habentes dormitoria, dormire in his aliquamdiu diſſueverant, in his dormiant, prout hoc conſuetum fuit antiquitus: his dumtaxat exceptis, quos infirmitas ſeu debilitas, aut alia cauſa legitimæ neceſſitatis excuſat: cum alias caſſa & vana fuiſſet ipſorum dormitoriorum ſtructura, ſi non in ipſis modo & more debito, maxime cauſa matutinalis officii, dormiretur.

Item præcipimus, quod quædam canonicorum collegia in conſuetudinem adduxerint, nullis diebus cantare vigilias pro defunctis, niſi quando diſtributio denariorum in choro præſentibus exhibetur, & ſic evaneſcat illorum memoria, qui etſi ad diſtributiones hujuſmodi quicquam non dederint, vel legaverint eccleſiis, ad commu-
A nem tamen adminiſtrationem corporis præbendalis, prædia & poſſeſſiones pie & munifice ſunt largiti: ſuper hoc ita ſtatuimus, ut non ſolum illis feriis, quæ ſunt diſtributionibus hujuſmodi deputatæ, verum & aliis diebus omnibus, præterquam in feſtivitatibus, ſecundum conſuetudinem majoris eccleſiæ, vigiliæ cum officio pro defunctis in choro ſolenniter decantentur. Et poſt hujuſmodi decantationem officii, decanus & fratres ingredientur domum capituli: ante omnem tractatum diſciplinæ vel etiam præbendæ, aut cujuſcumque alterius B negotii, tabulæ capitularis lecturam (habentis diſtincte & in ſpecie, quid unicuique ſit cantandum vel legendum in choro) audiant diligenter, ac inſuper lunationes menſium ac Kalendæ & obitus legantur. Necnon aliqua lectio de regula & vita clericorum legatur. Et tunc immediate de diſciplina fiat quod fuerit faciendum, ac talia conſequenter poſt ipſam diſciplinam tractentur negotia, quæ ad utilitatem ſeu neceſſitatem fuerint ſpectantia publicam ſeu privatam. Et ſi aliquando decanus non C fuerit præſens, propter hoc non omittatur ullatenus, quin fratres domum capituli intrent, ad audiendum ipſius tabulæ capitularis lecturam, ut ſciant quid unicuique in choro ſit legendum, ut ſupra diximus, & cantandum deputatum. Quia cum in majori eccleſia talis, & bona utique conſuetudo, in hujuſmodi obſervetur: idipſum in aliis volumus eccleſiis obſervari.

Item præcipimus, ut Divinum officium in choro numquam abſque ordine miniſtrorum ſacerdoti miniſtrare debentium, D videlicet diaconi & ſubdiaconi, decantetur: & ipſi miniſtri in ipſo ſacræ Miſſæ officio non præſumant, abſque indumentis ſuo ordini deputatis, aliquatenus miniſtrare, nec ante finem Miſſæ recedere. Quod tamen in quamdam conſuetudinem, immo malam abuſionem, apud quaſdam eccleſias fuiſſe comperimus introductum: ſed deinceps hoc fieri, firmiſſime prohibemus. Eiſdem etiam miniſtris injungimus, quod quotieſcumque hebdomada eorum fuerit officio deſerviendi Divino, horas in choro matutinales & alias ſervare ſtudeant E diligenter: ne ullum per eos omiſſionis debiti, quoad ſacrum miniſterium, eſſe valeat argumentum. Sacerdotes autem ipſi quotieſcumque celebraturi ſunt Miſſam, veſte camiſiali ſub albis non careant, ne albam, quæ conſecrata eſt veſtis, ipſorum tunicæ valeant immediate contingere, nec ipſæ tunicæ apparere.

Item canonicis, ne frequenter extra immunitatem eccleſiarum ſuarum comedant, aut dormiant extra ipſam, firmiſſime pro-





hibemus: nec ulla eis ſuffragetur occaſio, ſi forte propriis domibus careant. Competentius namque in ſuis dormire dormitoriis, & comedere in clauſtris aut refectoriis ſuis poſſunt hi, qui domibus propriis vel certis hoſpitibus carent: quam hæc facere foriniſecus apud loca ſuſpecta, vel alias clericalis converſationis non bene decentia honeſtatem.

## VIII.

*De campanariis & cuſtodibus.*

Item ut campanarii eccleſiarum, quorum ſervitus ſive onus circa altare verſatur, numquam abſque veſte camiſiali compareant, firmiſſime prohibemus: & ut hoc abſque omni omiſſione ſervetur, eccleſiarum ipſarum theſaurarii ſeu cuſtodes, & ſinguli in ſingulis ſuis parochiis plebani, provideant diligenter. Præfati etiam theſaurarii ſeu cuſtodes, quorum intereſt eccleſiæ luminaria miniſtrare, ea ita fideliter adminiſtrent, & generaliter omnis eccleſiaſticæ ſupellectilis ſeu theſauri cuſtodiam, eorum fidei atque curæ commiſſam, ita conſervent fideliter & ſolerter: quod inde non ſint reprehenſibiles, & quod pœnam canonicæ caſtigationis evitent.

## IX.

*De decanis, ſcholaſticis, cantoribus, & canonicis.*

Conſiſtente autem penes decanos eccleſiarum poteſtate, lege ac gubernatione canonicæ diſciplinæ exercenda: ipſis propter hoc firmiter præcipiendo injungimus, tota eos ad id niti ſolertia, quod in eccleſiis diſciplinalis obſervantia vigeat honeſtatis: & ſicubi enervata extiterit, ipſam ſtudeant reformare, commiſſam ſibi exceſſuum correctionis poteſtatem, & regimen ſui officii taliter exequendo, ut boni diſpenſatores in domo Domini ſuper ejus familiam digna poſſint commendatione cenſeri. Et hoc quidem ſe facere arbitrentur, ſi ipſi diſciplinati appareant in ſeipſis, & per bonum exemplum confortent & animent ſuos confratres.

Præfati autem decani, quicumque promotionis ſuæ tempore non fuerint in ſacris ordinibus conſtituti, eos incunctanter recipiant, gradatim de ordine ad ordinem aſcendendo.

Item præcipimus, quod intra tempus in jure expreſſum, ordinem ſacerdotalem recipiant, ſi ordinem forte in noſtra diœceſi a nobis vel aliquo alio epiſcopo contingat
A noſtro nomine celebrari: nec aliquis decanus propria authoritate, vel potius voluntate, præſumat ordinis ſacerdotalis receptionem protrahere vel differre, niſi ſpecialiter hoc a noſtra licentia valeat obtinere.

Item præcipimus, quod ipſi decani poſtquam ordinem ſacerdotalem receperint, & generaliter omnes ſacerdotes, necnon eccleſiarum plebani, tam urbani pariter quam rurales, ſurcotia clauſa portent: quod ſicut ab aliis ſunt in ſtatu honoris & reverentiæ differentes, ita deceat quod ab illorum B habitu vel veſtitu differentes appareant, & nullum in eis exemplo & uſu veſtium ſignum appareat levitatis.

Et ſicut eccleſiarum decanis modo prædicto injungimus facere quæ ad ipſos pertinent facienda, in ſeipſis pariter & ſuorum regimine ſubditorum: ita ſcholaſticis eccleſiarum, necnon chorepiſcopis ſeu cantoribus, quorum officia onus ſuum tam circa diſciplinam, quam chori debitum atque reſidentiam in ipſis eccleſiis faciendam, habere noſcuntur, injungimus, ut in his omnibus ſtudeant ita ſe habere, quod inde C non ſint reprehenſibiles, ſed potius commendandi.

Item ſicut decani in eccleſiis reſidere debere noſcuntur, ita quoque ſcholaſtici & cantores: unde & hoc eos ita præcipimus obſervare.

Item nemo ſit ſcholaſticus in duabus eccleſiis, quarum præpoſiti & decani, priores Colonienſes exiſtunt: cum de neceſſitate deinde cauſetur inconveniens, ut illarum eccleſiarum ad minus altera, ſui defectum debiti in membro ita neceſſario, cujus quidem non eſt levis recuperatio, patiatur.

D Item & illam abuſionem in aliqua eccleſiarum compertam, quod decanus ſit liber a choro, quaſi corruptelam & quaſi peſſimæ adinventionis ac fraudis modum vel ſpeciem, deteſtamur: & deteſtando præcipimus, ne quis de cetero decanorum in ſua præſumat eccleſia per abuſionem hujuſmodi a ſui jugo oneris vacillare.

Item ne canonici eccleſiarum in ſolemnitatibus & ſtationibus ſine chorali pellicio vel veſte canonicali ſub ſuperpellicio incedant in eccleſiis conventualibus & in cho- E ro.

Item præcipimus, ut ſi quando canonici per vicos civitatis aut plateas incedant, ita decenter in habitu veſtimentorum incedant, ſicut ab antiqua eſt conſuetudine obſervatum.

## X.

*De capellanis regalibus, epiſcopalibus, & præpoſitorum, & qui non poſſint eſſe hujuſmodi capellani.*

Cum in aliquibus eccleſiis capellani regales, epiſcopales, ac etiam capellani præpoſitorum exiſtant: qualiter in ſe habere debeant, cum nonnullos forte ipſorum hoc lateat, determinandum neceſſario hoc duximus in præſenti noſtrorum ſerie ſtatutorum. Capellani hujuſmodi reſidentiam in ſuis eccleſiis tanquam alii fratres facient, niſi illo tantum tempore, quando agunt ſuorum negotia dominorum, atque etiam ſi negotia eccleſiæ hoc expoſcant.

Et nobis in eccleſia majori, vel alia noſtræ civitatis vel diœceſis eccleſia, ſi ſunt ea vice præſentes, celebrantibus, ibi debent adeſſe in Divini celebratione officii, & adſtare. Et debent hujuſmodi capellani in ſacris eſſe ordinibus conſtituti. Super hujuſmodi capellanos epiſcopales, erit noſter capellanus, quaſi loco judicis & magiſtri.

Ad hæc præcipimus, quod nulli decani, nulli ſcholaſtici, nulli chorepiſcopi vel cantores, nulli ſacerdotes eccleſiarum, capellani epiſcopales ullatenus aut regales exiſtant.

## XI.

*De piſtrinis eccleſiarum.*

Cum vero ſint quædam eccleſiæ carentes piſtrino communi, quod multum utique reprobamus: ſuper hoc ita præcipimus, quod in omnibus eccleſiis collegiatis habeatur commune piſtrinum, & panis ibi præbendalis diſtribuatur, potius quam unuſquiſque cum modio ſive maldro annonam panis præbendalis recipiat ad vendendum. Ex hac namque venditione perit hoſpitalitas in eccleſiis, cum in ipſis pauci vel nulli reperiantur panem ſuum in domibus comedentes clauſtralibus, vel egenis inde eleemoſynam tribuentes.

## XII.

*De præpoſitis & eorum capitulis, qualiter erga ſe invicem habere debeant.*

Conſequenter de eccleſiarum præpoſitis videamus, qualiter ipſi erga capitula ſe habere debeant, & qualiter capitula erga ipſos vice verſa. Cum enim ipſis præpoſitis ea potiſſime incumbat ſolertia, quod circa eccleſiæ exteriora vel ejus temporalia defendenda ſint vigiles & cooperantes capitulis, ubicumque injuriam patiuntur, qualiter ab illis injuriis releventur, noſtro, prout eis opus fuerit, auxilio accedente, & non ſolum ad hujuſmodi temporalia promovenda exterius teneantur, immo ad omnia alia, tam intus quam extra, quæ ſunt ad eccleſiæ utilitatem & pacem ſpectantia, necnon ad ipſius eccleſiæ jura, ſtatuta honeſta, & bonas conſuetudines obſervandas teneantur ex proprio juramento: ipſis præcipimus, circa hæc omnia taliter ſe habere, quod inde irreprehenſibiles cenſeantur.

Capitula etiam vice verſa ita ſe erga ipſos habere præpoſitos ſtudeant in omnibus, honorando ipſos in quibus ſunt merito honorandi: quod in nullo, ipſorum præpoſitorum dignitati derogent ſive juri. Et quia de aliquibus præpoſitis unum quidem in viſitatione comperimus reprehenſibile, & non laudandum, quod ipſi fructibus ſuſpenſarum in eccleſiis præbendarum, quorum ſunt & eſſe de jure tenentur diſpenſatores, (illi præſertim, qui dictos fructus nondum in capitula tranſtulerunt) abutuntur. Cum enim de ipſis fructibus, uno eis anno cedentibus, tecta eccleſiæ, quando foret neceſſitas, reparare deberent, ipſi ea non reparant: immo fructus ipſos canonicis inobedientibus, ideoque ſuſpenſis reſtituunt ſeu remittunt. Ecce per hanc remiſſionem, injuriam fabricæ eccleſiæ faciunt, damnum ſeu emolumenti carentiam ſibi ipſis, ac inſuper occaſionem negligentiæ & abeſſendi ab eccleſia, canonicis ſuis præſtant. Hanc itaque abuſionem, omni penitus ratione ac etiam colore carentem, ipſis de cetero præpoſitis inhibemus: volentes, ut vel ipſi retineant convertendos in utilitatem propriam illos fructus; ſi eccleſia eorum opus non habuerit reparatione tectorum; vel eccleſiæ ipſi ad ornamenta fructus hujuſmodi largiantur; potius quam eos indignis, hoc eſt, inobedientibus reſtituant, & in ſua inobedientia ſeu diſſolutione taliter animent, ac ſic ipſi præpoſiti diſſolutionis ac inobedientiæ ſint authores.

Item quod ipſi canonici qui ſuſpenſi fuerint pro ſua inobedientia, nunquam in facie fratrum intra immunitatem compareant manifeſte, firmiſſime præcipimus & mandamus.

XIII.



## XIII.

*De electionibus capitulorum.*

Item ne in præſentis noſtræ viſitationis propoſito omittamus hoc, per quod maxime eccleſiarum collegiatarum quieti proſpicitur, illarum præſertim quæ plurium clericorum receptionibus ad vacatura beneficia ſunt gravatæ: cum conſtitutio domini Alexandri papæ ſuper hoc ipſo decreverit providere, nos illam conſtitutionem præcipimus inviolabiliter obſervari, ut cum juxta eandem conſtitutionem, quatuor ex receptis ante ipſam, proviſum fuerit de præbendis, quæ poſt conſtitutionem prædictam vacaverunt vel vacabunt, ubi nondum quaternarius eſt completus, alii ultra ipſum numerum exiſtentes, habeantur pro caſſatis, nec aliquo modo ex receptione tali, a præpoſitis, decanis & capitulis eccleſiarum, pro canonicis vel præbendariis admittantur. Et monemus illos qui receptioni hujuſmodi innituntur, & de canonicatu & præbenda ſe ingeſſerint, quod deinceps omnino deſiſtant. Præpoſitos autem, decanos & capitula nihilominus admonemus, ut tales pro canonicis vel præbendariis non admittant.

## XIV.

*De immunitatibus, & muris earum.*

Ut vero omnes eccleſiæ collegiatæ, immunitates ſuas muro circumdatas, & clauſuras portarum bene munitas habeant, firmiſſime præcipimus & mandamus.

Hæc itaque noſtræ viſitationis præcepta canonica & ſtatuta, ita a nobis edita præcipimus inviolabiliter obſervari: & unumquodque collegium ea in ſcripto ad ſuæ exemplar & regimen vitæ recipiat: & recepta, penes ſe in perpetua commendatione memoriæ teneat diligenter. Hæc itaque ad præſens ſtatuimus, ſalvo nobis, quod alia, ſi qua adhuc occurrerint, opus habentia reformationis aut correctionis remedio, ſive de canonicis, aut monachis, aut etiam plebanis exiſtant, ea ſtatuamus, ut inde, prout expediens fuerit, loco & tempore ordinemus. Pronunciatum & datum Coloniæ quarto Idus Martii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo.

## ** EJUSDEM D. CONRADI archiepiſcopi, ſtatuta de monachis, & eorum converſatione & vita in eodem concilio anno MCCLX. edita.

### TITULI CAPITULORUM.

1. *De celebratione Divini officii.*
2. *Quando & quomodo monachis communicandum ſit.*
3. *Propria monachis habere non licere.*
4. *De incontinentia monachorum.*
5. *De habitu monachorum.*
6. *De monachis percuſſoribus.*
7. *De monachis ſimoniacis.*
8. *De cibis monachis interdictis.*
9. *Exitus qui monachis vetitus.*
10. *Abbates Divinorum celebrationi intereſſe debere.*
11. *De proprietariis excommunicandis.*
12. *De monachis fugitivis & apoſtatis.*
13. *De receptione hoſpitum.*
14. *De dandis eleemoſynis.*
15. *Monachis ubi & quomodo ſumendus cibus.*
16. *Monachis ante Primam & poſt Completorium exire non licere.*
17. *Monachis cum venia exeuntibus quid curandum.*
18. *De carcere monaſterii.*
19. *Mulierem intra ſepta monaſterii maſculini dormire non licere.*
20. *De monachorum capitulo quotannis celebrando Coloniæ.*
21. *De raſura monachorum.*
22. *De lectis monachorum.*
23. *Monacho abſenti non deberi præbendam.*
24. *De jejuniis monachorum.*
25. *Officiariis monachorum qualis incumbat facienda ratio.*
26. *Monachos nuptiis intereſſe non debere, & quibus exequiis poſſint.*
27. *Quod non offerant ad altare.*
28. *In aliis mandatur regula obſervari.*

### PRÆFATIO.

In nomine Domini, Amen.

*Conradus Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, ſacri Imperii per Italiam archicancellarius.*

Saluti & bono ſtatui omnium, cujuſcumque profeſſionis ſeu ordinis, ſed noſtrorum domeſticorum maxime, debitores in Domino exiſtentes: ſicut in noſtra viſitatione negotium reformationis & correctionis de clericis per ſtatuta canonica expedivimus competenter, ita de monachis ſatagentes, idipſum ſuo modo, quo competens fuerit, expediemus.

## CAPITULA.

### I.

*De celebratione Divini officii.*

In primis igitur ſtatuimus, quod omnium monaſteriorum nigri habitus monachi

nachi Ordinis S. Benedicti, Divinum officium in cantando & legendo, ſecundum quod regula ejuſdem S. Benedicti præcipit, exequantur: & maxime munditiis circa altaria & ornatum eccleſiaſticum ſint ſtudentes.

## II.

*Quando & quomodo monachis communicandum ſit.*

Statuimus item, ut miniſtri altaris, ſingulis Dominicis diebus & aliis feſtivitatibus, prout conſuetudo loci ſeu monaſterii habet, communicent corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, facta prius confeſſione abbati vel priori ſecundum regulam: ut ſi aliqua de cauſa duxerit aliquis abſtinendum, cauſam abbati vel priori non differat intimare, ut cujus judicio abſtineat, vel ad communicationem accedat.

## III.

*Propria monachis habere non licere.*

Item ſtatuimus, quod monachi proprium non habeant, ſecundum quod regula eorum præcipit, niſi quod abbas dederit aut permiſerit; & quod pariter victum & veſtitum percipiant de communi per ſui adminiſtrationem abbatis, ut nullus monachorum cauſetur de qualitate ſeu quantitate victus & veſtitus, & veſtibus, ſed omnia ipſis adminiſtrentur, ſecundum quod monaſteriorum ſuorum ſuppetunt facultates, & prout regula hoc expoſcit.

## IV.

*De incontinentia monachorum.*

Statuimus eos graviori culpa, vel pœna puniendos ſecundum regulam, qui fuerint de incontinentia notati, quæ maxime in monachis eſt deteſtanda.

## V.

*De habitu monachorum.*

Item ſtatuimus inhibendo, ne aliqui monachorum ſurcotiis, caligis coloratis, calceis nodatis, cingulis irregularibus, aut maſſubiis ſericis utatur; ſed quod ipſi monachi talibus indumentis, quæ ipſorum regula præcipit aut concedit, induantur.

Statuimus etiam, quod monachi officiarii, pro ſui monaſterii vel officii negotiis, aut alii de licentia abbatis, vel prioris abbate abſente, exeuntes, talibus utantur veſtibus & calceis pluvialibus, quæ ipſorum ordinis deceant honeſtatem, & in quibus monaſticæ religionis ſeu converſationis abuſio non poſſit deprehendi.

## VI.

*De monachis percuſſoribus.*

De monachis autem irregularibus ita præcipimus. Si monachus in monachum manum injecerit ſui monaſterii, & læſio non ſit enormis, abbas ipſum abſolvat ſecundum morem regulæ; alioqui ſi læſio fuerit enormis, abbas illum ad ſedem Apoſtolicam deſtinet, vel ad illum qui abſolvendi habuerit poteſtatem.

## VII.

*De monachis ſimoniacis.*

Præcipimus item de ſimoniacis, quod circa illos ſecundum conſtitutionem regulæ procedant abbates; ſuper his vero, quæ ipſis non ſunt conceſſa abbatibus, eorum monachi ad ſuperiorem mittantur.

## VIII.

*De cibis monachis interdictis.*

Statuimus etiam, quod monachi aliis cibis non utantur, niſi eis quos ipſorum regula præcipit aut permittit.

## IX.

*Exitus quis monachis vetitus.*

Item præcipimus diſtrictius, ne monachis detur frequens licentia exeundi; ſed ſi ſine licentia ſuperiorum, diſtrictum ſive portas clauſtri aliquis eorum exire præſumpſerit, pœnam inde ſuſtineat regularem.

## X.

*Abbates Divinorum celebrationi intereſſe debere.*

Statuimus & quod abbates in conventu cum fratribus ſedeant, & Divinis frequentius interſint lectionibus, maxime vigiliis, capitulo, collationi, & aliis Divinis officiis, cum eiſdem: niſi cauſa neceſſaria, utili, vel honeſta, fuerint præpediti.

XI.





## XI.

*De proprietariis excommunicandis.*

Item ſtatuimus, quod abbates excommunicationis ſententiam in proprietarios ſemel in anno, ſcilicet ſabbato proximo ante Dominicam *Lætare*, ſolenniter in capitulo publicent: & ſi poſt aliquis inventus fuerit habere proprium, ſecundum regulam puniatur.

## XII.

*De monachis fugitivis & apoſtatis.*

Statuimus etiam, quod monachi fugitivi & apoſtatæ, per ſuos abbates ad ſua monaſteria revocentur, ſalva ordinis diſciplina, niſi toties inobedienter & ex talibus cauſis receſſerint, quod ſecundum regulam non debeant in eorum monaſterio tolerari.

## XIII.

*De receptione hoſpitum.*

Statuimus item quod nullus monachorum hoſpites per ſe recipiat, niſi hoſpitarius monaſterii, vel alter, cui abbas eos commiſerit recipiendos.

## XIV.

*De dandis eleemoſynis.*

Item ſtatuimus, quod debita eleemoſyna & conſueta, tam de refectorio, quam hoſpitali fideliter pauperibus erogetur.

## XV.

*Monachis ubi & quomodo ſumendus cibus.*

Statuimus etiam, quod omnes monachi in communi refectorio comedant, niſi infirmitas, vel alia aliqua cauſa legitimæ neceſſitatis, ipſos excuſet: & tunc quæ ſuperfuerint, in eleemoſynam pauperibus tribuantur.

## XVI.

*Monachis ante Primam & poſt Completorium exire non licere.*

Statuimus item, quod monachis nullatenus detur licentia ante Primam exeundi, & ſimiliter poſt Completorium, niſi ex cauſa valde rationabili & neceſſaria, ut pote ſi contingat ipſum extra monaſterium ſuum in aliquo loco Divinum officium celebrare, vel in obitu parentum, fratrum vel ſororum.

## XVII.

*Monachis cum venia exeuntibus quid curandum.*

Item ſi contingat monachum ante veſperas exire de licentia, ita maturet redire, quod in Divino officio illa hora eſſe poſſit.

## XVIII.

*De carcere monaſterii.*

Statuimus etiam, quod quodlibet monaſterium ſuum carcerem habeat, in quo delinquentes regulariter puniantur.

## XIX.

*Mulierem intra ſepta monaſterii maſculini dormire non licere.*

Statuimus item quod nulla mulier dormire debeat intra immunitatem: & ſi factum fuerit, ille qui eſt in culpa, graviter puniatur.

## XX.

*De monachorum capitulo quotannis celebrando Coloniæ.*

Item ſtatuimus, quod omnes abbates nigri habitus Ordinis B. Benedicti noſtræ diœceſis, ſingulis annis in Exaltatione ſanctæ Crucis capitula Coloniæ teneant, vel apud ſanctum Pantaleonem, vel apud ſanctum Martinum: ut ibidem obſervantia regulæ cum diſcretione tractetur, & de ſtatutis noſtris, qualiter in quolibet monaſterio obſerventur, & aliæ utilitates monaſteriorum. Et quicumque ipſorum abbatum ad capitulum venire neglexerit, nec excuſationem in capitulo legitimam oſtenderit, ſecundum coercitionem regulæ puniatur. Et volumus quod abbates ſancti Pantaleonis & ſancti Martini Colonienſis, iſta capitula ſingulis annis fieri procurent a nobis, ita quod nullus valeat excuſari.

## XXI.

*De raſura monachorum.*

Item præcipimus quod monachi in raſura coronarum & tonſura capillorum, ita decen-

ANNO CHRISTI 1260.

center & regulariter ſe habeant, quod ſuper his non valeant reprehendi.

A

### X X I I.

*De lectis monachorum.*

Statuimus item, quod monachi non dormiant in lectis plumeis, ſed in culcitris, ſecundum quod regula mandat.

### X X I I I.

*Monacho abſenti non deberi præbendam.*

B

Item ſtatuimus, ne aliquis monachus rediens, qui abſens fuerat de licentia, vel ſine licentia, aliquam præbendam tempore ſuæ abſentiæ requirat: quia illa eſſet occaſio proprium habendi.

### X X I V.

*De jejuniis monachorum.*

C

Statuimus item, quod monachi jejunia ſua obſervent ſecundum quod regula præcipit.

### X X V.

*Officiariis monachorum qualis incumbat facienda ratio.*

Statuimus & quod monachi officiarii, ad minus ſemel in anno, in præſentia abbatis & ſeniorum, computationem vel legitimam rationem faciant. Et ſi quid ultra ſuorum officiorum adminiſtrationem ſuperfuerit, de hoc nihil per ipſos monachos, ſed per abbatem & ſuperiores ſui conventus, ad ſui monaſterii utilitatem ordinetur.

D

### X X V I.

*Monachos nuptiis intereſſe non debere, & quibus exequiis poſſint.*

Item ſtatuimus, quod monachi nuptiis nullatenus interſint: nec exequiis, niſi parentum, fratrum vel ſororum.

### X X V I I.

*Quod non offerant ad altare.*

Item præcipimus & ſtatuimus, quod nullatenus offerant ad altare.

### X X V I I I.

*In aliis mandatur regula obſervari.*

Quæcumque autem de interiori pariter & exteriori clauſura monaſterii & immunitatis monaſticæ, regula præcipit, quæcumque de ſilentio in horis & locis debitis, & conventu ſervando, regula ipſa præcipit: necnon quæ de cantu Divini officii, profeſſione quoque facienda, aliiſque obſervantiis præcipiuntur in regula, ubicumque hæc hactenus ſunt commiſſa", revocari in ſtatum debitum per abbates, & ſervari deinceps more & modo debito, ſtatuimus & mandamus. Alioqui negligentiam hujuſmodi cum pœna requiremus.

Hæc ad præſens ſtatuimus, ſalvo nobis, quod ſi aliqua occurrerint in poſterum opus habentia correctionis & reformationis remedio, ea loco & tempore ſtatuemus, & prout expediens fuerit, ordinabimus.

Datum & pronunciatum quarto Idus Martii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo.

# " ** C O N C I L I U M   P A R I S I E N S E.

## De propitiando Deo adverſus Tartarorum & Saracenorum irruptiones anno MCCLX. celebratum.

Ex Guillelmo de Nangiaco in vita S. Ludovici.

ANno Domini MCCLX. Dominica in Paſſione congregavit rex Franciæ Ludovicus Pariſius concilium epiſcoporum & principum regni ſui, eo quod dominus Papa ſcripſiſſet ei, Tartaros in tranſmarinis partibus irruiſſe, & Sarracenos viciſſe, Armeniam, Antiochiam, Tripolim, & Damaſcum, Alapiam & terras alias ſubjugaſſe, & tam Acconi civitati, quam toti Chriſtianitati periculum imminere. Unde ordinatum fuit de orationi-

E

bus multiplicandis, proceſſionibus faciendis, & blaſphemiis in Deum puniendis, peccatis & ſuperfluitatibus cibariorum ac veſtium reprimendis. Inhibita etiam fuerunt uſque ad biennium tornementa, & injunctum eſt, quod non luderetur aliis ludis, niſi quod homines ſe exerceant in arcubus & baliſtis.

G. C. Vide annotatiunculam noſtram ad concilium Ravennate, anni MCCLIX.





ANNO CHRISTI CIRCITER 1260.

# " ** S T A T U T A   D O M I N I   G U I D O N I S

## Dei gratia archiepiſcopi Narbonenſis.

Quia ex Anicienſi epiſcopo factus eſt Narbon. archiep. ann. 1259. tum Sabin. epiſc. cardin. anno 1262. ut conſtat ex epiſt. Urbani IV. ad S. Ludovicum apud Raynaldum: ac demum Clemens IV. pontif. max. ann. 1265.

### I.

EXcommunicamus omnes illos qui ſanctimonialem quamcunque corruperint, & ſolicitudinem per ſe, vel per interpoſitam perſonam dederint.

### I I.

Item omnes clericos civitatis vel diœceſis Narbonenſis conſtitutos in ſacris, vel curam animarum habentes, qui bajuliam perſonæ ſæcularis tenuerint vel emerint, vel judicaturam ejus tenuerint, ab officio & beneficio ſuſpendimus. Et ſi qui nunc alteram earum tenent, niſi eam reliquerint * infra . . . . . poſtquam in eccleſiis hæc ſententia fuerit publicata, eadem ſuſpenſione teneantur aſtricti.

B

* Forte, intra menſem. Labb.

### I I I.

Item præcipimus quod univerſi ſacerdotes, qui curam a nobis, vel locum noſtrum in ſpiritualibus obtinentibus, noſtriſve prædeceſſoribus, aut eorum vices in hac parte gerentibus, minime receperunt, ſacramenta eccleſiaſtica parochianis hujus diœceſis non miniſtrent. Sed nec illi qui curam habent parochiæ alicujus, in aliena parochia, etiam ſi fuerint invitati, ea miniſtrare præſumant: niſi neceſſitas tam urgens in hoc ultimo caſu emerſerit, quod tolerabile videatur alterutrum alterius onera ſupportare. Quo caſu, authoritate noſtra ille qui fuerit invitatus, poſſit neceſſitati hujuſmodi ſubvenire in parochia aliena. Hujus autem præcepti noſtri quemlibet tranſgreſſorem, poſtquam per eccleſias fuerit publicatum, ab officio & beneficio ſuſpendimus. Et ſi in ſuſpenſione per men-

C

D

A

ſem perſtiterit, extunc excommunicamus eundem.

### I V.

Item præcipimus univerſis ſacerdotibus parochialibus, quod per tres dies Dominicas ſucceſſive, moneant parochianos ſuos, ut in diebus Dominicis & feſtivitatibus beatæ Virginis, & apoſtolorum, & ſancti Joannis Baptiſtæ, & aliis præcipuis ſolemnitatibus, opera ſervilia non exerceant; nec ligna, bladum, vel fœnum, vel paleas, aut alias res venales, exceptis his quæ eſum illius diei pertinebunt, transferre, ſeu juxta vulgare quod dicitur carrejare, non præſumant. Et poſt dictas tres monitiones, omnes qui ex tunc contra fecerint, nominatim denuncientur interdicti. Nos enim eos interdicimus, qui ſpretis dictis monitionibus feſtivitates prædictas dictis modis violare præſumpſerint. Et ſi eorum creverit contumacia, eoſdem anathematizare proponimus, & invocare contra ipſos, ſi opus fuerit, brachium ſæculare.

### V.

Mercata etiam teneri in diebus Dominicis inhibemus, niſi in nundinas ſolemnes inciderint. Et qui trina monitione præmiſſa non ceſſaverint ab eiſdem, ſimili per omnia coerceantur cenſura.

### V I.

Si vero Judæi illud præſumpſerint, poſtquam hoc mandatum noſtrum fuerit publicatum, denuncietur ballivo loci. Et niſi ter monitus eoſdem Judæos ceſſare compulerit, excommunicationis ſententia, quam nunc ferimus in rebelles, denuncietur publice innodatus.

ANNO CHRISTI 1260.

# ** CONCILIUM COPRINIACENSE,

## PRO DISCIPLINA ECCLESIASTICA,

A Petro Burdegalenſi archiepiſcopo, cum ſuffraganeis celebratum anno Domini MCCLX.

TITULI CAPITULORUM.


1. *Ut in eccleſiis vel cœmeteriis vigiliæ non fiant.*
2. *De balleatione in feſto Innocentium.*
3. *De fructibus beneficiorum vacantium.*
4. *De commendis eccleſiarum vacantium.*
5. *Ne mulieres alterius parochiæ accipiantur ad matrimonium.*
6. *Ut presbyteri alieni non admittantur ad celebrandum.*
7. *De bello Gallorum.*
8. *De vita & honeſtate clericorum.*
9. *Ne chriſma detur privilegiatis.*
10. *De vicariis.*
11. *De jure patronatus.*
12. *De prioratibus monachorum.*
13. *Ne rectores eccleſiarum alias eccleſias ad firmam recipiant.*
14. *Ne onera de novo eccleſiis imponantur.*
15. *De ſepulturis extra parochialem eccleſiam.*
16. *Item de ſepulturis.*
17. *De habitatione rectorum eccleſiarum.*
18. 19. *De decimis.*


Conſtitutiones D. [a] P. Burdegalenſis archiepiſcopi, factæ apud [b] Copriniacum, anno MCCLX.

[a] Petri.

[b] Cognac, in Burdegalenſi diœceſi. Hard.

### I.

*Ut in eccleſiis vel cœmeteriis vigiliæ non fiant.*

CUm ex vigiliis quæ fiunt in eccleſiis, frequenter multa turpia inſequantur, & frequentiſſime vulnera inferantur, propter quæ eædem eccleſiæ reconciliatione, quæ per ſolos epiſcopos habet fieri, indigere noſcuntur: ſtatuimus & præcipimus firmiter, ne de cetero in eccleſiis prædictis, vel cœmeteriis, vigiliæ fiant. Ceterum luminaria & alia quæ ex pia devotione fidelium provenire conſueverunt, fieri præcipimus & mandamus.

### II.

*De balleatione in feſto Innocentium.*

Rurſus cum in balleatione quæ in feſto ſanctorum Innocentium in quibuſdam eccleſiis fieri inolevit, multæ rixæ, contentiones & turbationes, tam in Divinis officiis quam aliis conſueverunt provenire, A prædictas balleationes ulterius ſub intimatione anathematis fieri prohibemus: necnon & epiſcopos in prædicto feſto creari: cum hoc in eccleſia Dei ridiculum exiſtat, & hoc dignitatis epiſcopalis ludibrio fiat. Divina tamen officia, prout melius & honeſtius fieri poterit, ut in aliis feſtivitatibus, celebrentur.

### III.

B *De fructibus beneficiorum vacantium.*

Cum de jure fructus beneficiorum vacantium, exiſtere debeant ſucceſſorum, ipſos fructus ad opus ſucceſſorum eorundem per mandatum noſtrum volumus & ſtatuimus cuſtodiri, ita quod nullus alius quicquam percipiat de eiſdem. Idem dicendum de bonis rectorum decedentium, quæ conſtiterit eſſe de bonis eccleſiæ, cui præfuerunt iidem rectores: niſi tamen dum viverent aliter diſpoſuerint de eiſdem.

C

### IV.

*De commendis eccleſiarum vacantium.*

Commendas quoque eccleſiarum vacantium, ſecundum quod ipſarum collationes, ad nos, & ad nullum alium volumus & dicimus pertinere: inhibentes ne de his ſe alius intromittat. Excommunicationis pœnam in præmiſſis tribus articulis contra facientibus infligentes.

D

### V.

*Ne mulieres alterius parochiæ accipiantur ad matrimonium.*

Mulieres de una parochia non admittantur ad matrimonium in altera parochia, niſi de expreſſa licentia capellani vel prioris. Idem dicentes de viris ſi ad parochiam mulieris accedant: nam an ſint excommunicati vel alia inhabilitate affecti, melius norunt proprii capellani.



ANNO CHRISTI 1260.

### VI.

*Ut presbyteri alieni non admittantur ad celebrandum.*

Huic capitulo deeſt titulus: aut additum.

Presbyteri qui non ſunt de hac civitate vel diœceſi, ad celebrandum Divina, ut presbyteri non admittantur in civitate vel diœceſi, cum ignoretur, an presbyteri exiſtant, aut aliqua irregularitate innodati. Alioquin tam celebrantes, quam admittentes eoſdem, excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere.

### VII.

*De bello gallorum.*

Quia ex duello gallorum quod in partibus iſtis, tam in ſcholis grammaticæ, quam in aliis fieri inolevit, nonnulla mala aliquoties ſunt exorta: ſub interminatione anathematis prohibemus, ne amodo fiat duellum prædictum: cum hoc tam mali materia, quam temporis amiſſio exiſtere dignoſcatur.

### VIII.

*De vita & honeſtate clericorum.*

Presbyteri & ceteri dignitates, perſonatus adminiſtrationem habentes, dalmaticis non utantur, ſed cappis clauſis, & ſuperturicalia clauſa portent: niſi in parte iſta, probabilitas vel neceſſitas ipſos reddiderit excuſatos.

### IX.

*Ne chriſma detur privilegiatis.*

Statuimus, & ſub pœna anathematis prohibemus, ne archidiaconi, archipresbyteri, vel alii capellani, chriſma dent vel miniſtrent eccleſiis privilegiatorum: cum ipſi diœceſanis ſuis reddere & facere denegent jura ſua. Nullus quoque presbyter parochianis, vel hominibus illorum utriuſque ſexus ſacramenta aliqua adminiſtret: niſi de noſtra licentia ſpeciali.

### X.

*De vicariis.*

Rectores eccleſiarum qui in ſcholis, vel alibi, de noſtra licentia ſunt abſentes, bonos & ſufficientes ſubſtitutos dimittant, nobis primitus præſentatos. Quibus de bonis ipſorum beneficiorum ſic con- A gruam portionem aſſignent, quod illi de ſibi aſſignato, præter illud quod dabunt eiſdem, poſſint ſufferre, tam in procurationibus quam in aliis, onera conſueta. Idem dicimus de illis, ad quos eccleſiæ pertinent pleno jure, & ſtatuimus.

### XI.

*De jure patronatus.*

Cum in iſta provincia ſint quidem pau- B peres capellani, qui præſunt eccleſiis in quibus pertinet jus patronatus ad aliqua monaſteria: ſtatuimus ut iidem patroni pro victu ſuo, infra menſem, facta ſibi monitione a ſuo diœceſano, de bonis ſuis, certam iiſdem portionem aſſignent: quæ ad minus trecentos ſolidos valeat annuatim.

### XII.

*De prioratibus monachorum.*

C Cum cultus Divini nominis minui non debeat, ſed augeri: ſtatuimus, quod in prioratibus, in quibus olim duo monachi morabantur, amodo ab aliis qui dictos prioratus tenent, continue teneantur, & ad alendum eoſdem, illi qui fructus dictorum prioratuum percipiunt, cenſura debita compellantur.

### XIII.

*Ne rectores eccleſiarum alias eccleſias firmam recipiant.*

D Cum unuſquiſque manere debeat in ea vocatione in qua vocatus exiſtit: ſtatuimus quod rectores eccleſiarum parochialium alias eccleſias ad firmam non præſumant recipere, vel tenere: hocque ſub pœna proprii beneficii amiſſionis prohibemus: niſi hoc procederet de noſtra licentia ſpeciali.

### XIV.

E *Ne onera de novo eccleſiis imponantur.*

Cum [a] ſicut ſecundum jura, novæ penſiones eccleſiis imponi non debent, ſic non ſunt olim impoſitæ augmentandæ. Quare ipſas prohibemus augeri: & præcipimus ſolvere, tam eas, quam illas, quas illi impoſuiſſe dicuntur, ad quos eccleſiæ eædem pertinent pleno jure: ut ſi olim licite impoſitæ, penſatis eccleſiarum

[a] Del. cum

ANNO CHRISTI 1260.

A rum facultatibus extiterunt: niſi forte poſtea adeo eccleſiarum hujuſmodi excreverint vel decreverint facultates, quod debuerint vel debeant merito minui vel augeri.

## X V.

*De ſepulturis extra parochialem eccleſiam.*

Prohibemus, ne aliquis capellanus alicui portandi funus ad locum ſepulturæ licentiam concedat: B quouſque, ut moris eſt, ad parochialem eccleſiam fuerit deportatum: ut melius ſciatur ibi quam alibi, an defunctus interdictus vel excommunicatus exiſtat. Qui ob culpam propriam interdicti vel excommunicati fuerint, & per annum in hujuſmodi ſententia permanſerint, prohibemus in terra, vel tumbis lapideis, etiam extra cœmeterium, ſepeliri.

## X V I.

C

*Item de ſepulturis.*

Inhibemus inſuper, ne quiſquam ſæcularis, vel religioſus, funus ſibi delatum ſuſcipiat: niſi per capellanum proprium eidem fuerit præſentatus: cum conditiones perſonarum hujuſmodi melius noverint proprii capellani.

## X V I I.

*De habitatione rectorum eccleſiarum.*

D Nullus capellanus parochialem regens eccleſiam, cum alio commoretur: ſed domos habeat locis congruis, ubi aſſidue commoretur & valeat inveniri: ut exinde per eum neceſſitatibus pœnitentium commodius occurratur. Præſertim cum de bonis eccleſiarum per conſtitutionem noſtram eiſdem ſatis congrue ſit proviſum.

## X V I I I.

*De decimis.*

Cum conſtitutiones olim a prædeceſſoribus noſtris contra decimarios, promulgatæ in civitatibus & diœceſibus hujus provinciæ minime obſerventur, immo in dictis locis decimarii & alteræ perſonæ in dictis conſtitutionibus contentæ, propter hoc, quia proprii capellani ipſos decimarios eſſe ignorant, indiſtincte ad ſacramenta & ſacramentalia admittantur: præcipimus ſub pœna anathematis, quod capellani parochialium eccleſiarum omnes decimarios ſuæ parochiæ nobis, vel mandato noſtro manifeſtent: ut nos in illos, ubicumque ſint, conſtitutiones prædictas, & ſententias in ipſis contentas, faciamus expreſſe & inviolabiliter obſervari.

## X I X.

*Item de decimis.*

Pro certo comperimus conſtitutionem olim ſuper decimis novalium promulgatam, tum propter incuriam & negligentiam rectorum eccleſiarum, tum propter favorem, quem ipſi erga decimarios habere noſcuntur, in multis locis provinciæ effectum aliquem hactenus minime habuiſſe. Unde tam ſub pœna anathematis, quam amiſſione beneficiorum, prædictis rectoribus injungimus, quod ipſi ex nunc ſic exigere ſtudeant & ſatagant decimas antedictas, quod eorum defectus, negotium proſequendo, perfectiſſime experiantur.

G. C. Provinciale hoc concilium eſſe, conſtat ex cap. XII. & cap. XX.

# ** ALEXANDRI PAPÆ IV.

## CONSTITUTIO CYPRIA.

*Alexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

Ex Coſſarti Append. tom. XI.

IN perpetuum cultus juſtitiæ late protenditur, cum jurgiorum ſtrepitus nonnunquam unitatem ſeparans, & vulnerans caritatem, pacis ſilentio coarctatur. Propterea in controverſiis, maxime quibus viri eccleſiaſtici diſſident, quos ideo invicem oportet fore quietos, quia inter alios debent eſſe E pacifici: judicialis prudentiæ ſtudium ad conciliationem diſcordium in vinculo caritatis decet præcipue vigilare. Non enim in rigore ſpiritus vehementis, qui ſtatum rerum frequenter evertit, & conterit firmitatem, neque in commotionibus ſimultatum quæ ſæpius ex litibus oriuntur, catholicæ unitatis religio proficit: ſed in ſibilo auræ tenuis, hoc eſt, in placabili mulcebris ſpiritus lenitate, qua fervidæ animoſitates altercantium mitigantur. Sane



ANNO CHRISTI 1260.

A Sane venerabili fratre noſtro Germano Græcorum regni Cypri archiepiſcopo, & procuratoribus venerabilis fratris noſtri Nicoſienſis archiepiſcopi, in noſtra præſentia conſtitutis; idem Græcorum archiepiſcopus inter alia propoſuit coram nobis, quod cum olim epiſcopi Græcorum regni prædicti, ſua vacante metropoli, præficiendi ſibi eundem Germanum, aut aliam perſonam idoneam, in archiepiſcopum, a felicis recordationis Innocentio papa prædeceſſore noſtro, per ipſius litteras (non obſtante conſtitutione generalis Concilii, vel bonæ memoriæ Petri Albanenſis epiſcopi, olim in illis partibus apoſtolicæ ſedis legati) licentiam impetraſſent: ipſum Germanum in ſuum archiepiſcopum elegerunt. Et B venerabilis frater noſter Tuſculanus epiſcopus, tunc in eiſdem partibus dictæ ſedis legatus, cui prædeceſſor ipſe mandaverat, ut ei quem canonice prædicti epiſcopi eligerent, ſi perſona eſſet idonea, munus confirmationis impenderet, quodque illum faceret a ſuis ſuffraganeis conſecrari: præſentatam ſibi ejuſdem Germani electionem confirmans, ſibi fecit ab eiſdem ſuffraganeis beneficium conſecrationis impendi: recepta poſtmodum, eccleſiæ Romanæ nomine, tam ab ipſo, quam a ſuffraganeis epiſcopis, obedientiæ ſponſione: dictique ſuffraganei ſibi tanquam metropolitano ſuo, canonicam obedientiam promiſerunt.

C Cum autem idem Germanus eſſet in archiepiſcopalis dignitatis poſſeſſione pacifica, in clero & populo Græcorum regni præfati jura metropolitana exequendo: memoratus Nicoſienſis archiepiſcopus, ſuis finibus non contentus, qui neque in eum qui ſuperiorem alium quam Romanum pontificem non cognoſcit, neque in ſubditos ſibi memorati regni Græcos, cujuſlibet juriſdictionis obtinet poteſtatem: ipſum ad ſuam præſentiam perſonaliter evocavit, ut ſuper quibuſdam articulis, de quibus proponebat contra eum, ſicut aſſerebat, inquirere, reſponderet. Et quoniam idem Germanus archiepiſcopus, hujuſmodi vocationis mandato non parens, ſicut nec etiam tenebatur, ſe, eccleſiam ſuam, & ſubditos ſibi Græcos, quos jam præfatus Nicoſienſis archiepiſcopus gravaminibus nonnullis affecerat, D apoſtolicæ ſedis protectioni ſuppoſuit: ipſe Nicoſienſis archiepiſcopus, poſt appellationem ad ſedem eandem taliter interpoſitam, & poſtquam idem Germanus archiepiſcopus iter arripuit propter hoc ad noſtram præſentiam veniendi, vicarios ipſius a vicaria ſua violenter ejiciens, Græcos ſubditos ſuos ab obedientia ejus avertere moliens, variis oppreſſionibus & jacturis, eccleſiaſticas ſententias, quas in aliquos ex eiſdem ſubditis idem Germanus archiepiſcopus rationabiliter tulerat, de facto relaxans, ac in perſonam ejus, excommunicationis, ut dicitur, ferens ſententias multiplices, eidem Germano archiepiſcopo & eccleſiæ ſuæ moleſtias irrogavit, ex quibus ſe incurriſſe queritur damna gravia & expenſas.

E Propter quod idem Germanus a nobis inter cetera petiit, ut attentata in eum per dictum Nicoſienſem archiepiſcopum revocare gravamina, eundemque Nicoſienſem ab his & ſimilibus poteſtatis indebitæ ſupra Græcos, & competentium ipſis ſuper decimis & aliis jurium uſurpationibus, compeſcere curaremus. Licet autem coram præfato epiſcopo Tuſculano, quem dederamus in controverſia hujuſmodi auditorem, procuratores allegarent prædicti, quod idem Nicoſienſis archiepiſcopus pro ea cauſa nunquam citatus fuerat ab homine aut a jure, nec ipſi ab eo pro cauſa ipſa, ſed pro aliis negotiis erant miſſi; & ideo ſuper præmiſſis cum ipſo Germano Græcorum archiepiſcopo ſubire judicium non debebant: nihilominus tamen poſtmodum de ſpeciali mandato noſtro, ne ipſi Germano Græcorum archiepiſcopo deeſſe videretur, per aliquod ſubterfugium, juſtitiæ plenitudo, compulit eos idem auditor petitionibus ejus pro dicto Nicoſienſi archiepiſcopo reſpondere.

Propoſuerunt ergo in judicio, quod proceſſus circa promotionem ejuſdem habitus, nullus fuit, cum ad memoratos epiſcopos jus eligendi archiepiſcopum nullo modo pertinere, ac ipſi electionis tempore, quam de ipſo feciſſe dicuntur, vinculo excommunicationis publicæ tenerentur, & litteræ apoſtolicæ, in quibus prædicta fuit eis eligendi permiſſa licentia, per excommunicatos fuerint impetratæ. Ex quibus cauſis, pro parte ipſius Nicoſienſis archiepiſcopi, per vicarios ipſius, qui tunc temporis abſens erat, ne ad electionem ſeu confirmationem aut conſecrationem procederetur, hujuſmodi fuit, pro jure Nicoſienſis eccleſiæ, appellatum.

Præterea cum auctoritate fel. rec. Celeſtini PP. prædeceſſoris noſtri, qui inſulam Cypri propter inobedientiam & perfidiam Græcorum habitantium tunc in illa, expoſuit Latinis catholicis occupandam, fuerint ibi, ejectis exinde Græcorum ſedibus, quatuor pontificales Latinorum ſedes erectæ, quarum pontifices in decimis & aliis eccleſiæ juribus, quæ Græci epiſcopi in eadem habuerant inſula, ſucceſſerunt, & earum unam, Nicoſienſem videlicet, idem Cœleſtinus ceteris prætulerit poteſtate, ut in tota eadem inſula per dignitatem metropolitanam aliis eccleſiis præemineret; ac poſtmodum dictus Albanenſis epiſcopus ſuæ legationis auctoritate ſtatuerit, & ſtatutum ejus fuerit per ſedem apoſtolicam confirmatum, ut in tota inſula prædicta quatuor epiſcopi Græci tantum eſſent, & certa ſedium haberent loca intra diœceſes Latinorum, qui utique poſtea Nicoſienſi archiepiſcopo, tanquam metropolitano ſuo, & epiſcopis Latinis in quorum erant conſtituti diœceſibus, ſe obedientiæ vinculo conſtrinxerunt: evidenter apparet, quod metropolitanus alius, præter Nicoſienſem archiepiſcopum, in eadem inſula, quæ una eſt provincia, non potuit nec debuit ordinari.

Quare inter alia petebant procuratores prædicti, ut quod circa ordinationem præfati Germani in eccleſia Nicoſienſi præjudicium factum fuit, & quidquid ex eo aut ob id fuerat ſubſecutum, denunciaremus non habere vigorem, & inhiberemus eidem Germano, ne quid in Cypro de juribus archiepiſcopalibus attentaret.

Demum lite ſuper his conteſtata, & multis hinc inde factis poſitionibus, ac reſponſionibus ſubſecutis ad eas, necnon & plurimis ad probandum utrinque articulis ordinatis, cum ex ipſis juris auſpiciis in longum protrahi litis diſpendia viderentur: E dictus Germanus archiepiſcopus nobis humiliter ſupplicavit, ut paupertati eccleſiæ Græcorum, ne tot diſtraheretur ambagibus, & tot premeretur difficultatibus, conſulentes, ſtatui ejus & paci deberemus per ſalubrem diſpoſitionis ordinationem apoſtolice providere, qua jurgantium murmura conticeſcerent, & ſub obedientia eccleſiæ Romanæ, Græci prædicti regni tranquillam vitam ducerent cum Latinis. Nimirum ut Latinorum & Græcorum ejuſdem regni eccleſiæ, diverſarum concuſſæ altercationum turbinibus fluctuarent, præcipuam, ſicut perpendimus, ingerebat materiam indeterminatio finium circa ordinem

ANNO CHRISTI 1260.

dinem poteſtatum: præter id quod diverſitas corporum & diſſonantia morum ſolent generare diſſenſus, in converſatione conviventium ſub variis obſervantiarum ritibus nationum.

Nos igitur, qui ex injuncto nobis apoſtolatus officio; & debemus, & cupimus, tam remotis pacem dicere, quam propinquis: intendentes ſtudioſe curare, ut eccleſiæ prædictæ rato invicem ordine dirigantur, & mutua in Chriſto pace lætentur, ſanctius fore prævidimus ad ſalutem, earum controverſias tranquillæ ordinationis arbitrario ſopire conſilio, quam judicialis deciſionis gladio diffinire. Igitur litigioſis contentionibus partium, & implicitis hinc inde ſubtilitatum intricationibus, diſputationumque tumultibus in infinitum ſæpe progredientibus: imperantes, de fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conſtitutis in præſentia noſtra, memorato Germano Græcorum archiepiſcopo, & venerabilibus fratribus noſtris Nibone de Solia, Joachim de Carpaſio, & Mathia de Leſchara, Græcarum ſedium Cypri epiſcopis, necnon & præfati Nicoſienſis archiepiſcopi procuratoribus, præſenti ordinatione ſtatuimus, ſtatuto perpetuo pro pace utriuſque eccleſiæ, ſuper præmiſſis & aliis quæ inter illas poſſent impoſterum diſſidendi contentioſam generare materiam, irrefragabiliter ordinamus: ut in inſula Cypri de cetero infra Latinorum epiſcoporum diœceſes, & ſub Nicoſienſi metropoli, quatuor dumtaxat exiſtant Græcorum pontificales ſedes, & eccleſiæ cathedrales, olim per præfatum Albanenſem epiſcopum locis ſpecialibus aſſignatæ: cum quatuor ſolummodo in eadem inſula fore noſcantur epiſcopales ſedes & eccleſiæ pontificum Latinorum. Unam ſiquidem pontificalem ſedem Græcorum in Nicoſienſi apud Soliam, aliam in Paphena apud Arſino, tertiam vero in Famaguſtana apud Carpaſium, & reliquam in Nimocienſi, diœceſibus, apud Leſcaram, conſiſtere volumus; & ab iis denominari, & tam nomen quam dignitatem pontificalis officii habere pontifices, qui eas pro tempore canonice obtinebunt.

Porro quoties quamlibet prædictarum ſedium, Græcorum præſule vacare contigerit: alter a clericis ſedis ejuſdem, invocata Spiritus ſancti gratia, in epiſcopum eligatur: cujus electionem Latinus pontifex, in cujus diœceſi fuerit ſedes illa, ſi eam invenerit de perſona idonea celebratam; canonice, auctoritate ordinaria, rite ac ſine difficultate confirmet, ac ſibi faciat per epiſcopos Græcos vicarium diœceſum, quos ad hoc idem Latinus advocabit pontifex, manus conſecrationis impendi: epiſcopalem ſolicitudinem atque curam monaſteriorum, eccleſiarum, cleri, & populi Græcorum, in ſua civitate atque diœceſi conſiſtentium, auctoritate propria commiſſurus eidem, & recepturus ab ipſo juratoriam profeſſionem obedientiæ, in hanc formam.

Ego N. epiſcopus de Solia, Nicoſienſis diœceſis, ab hac hora in antea fidelis ero & obediens beato Petro, ſanctæque Romanæ eccleſiæ, dominoque meo N. archiepiſcopo Nicoſienſi, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus: & non ero in conſilio, neque in facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione, Conſilium quod mihi aut per ſe, aut per nuncium, vel per litteras manifeſtaverit, ad eorum damnum nulli pandam. Papatum Romanæ eccleſiæ, ac pontificatum eccleſiæ Nicoſienſis, & regulas ſanctorum patrum, adjutor ero ad defendendum & retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad ſynodum veniam, niſi præpeditus fuero, canonica præpeditione. Legatum ſedis apoſtolicæ, quem certum eſſe cognovero, in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Sic Deus me adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Et hanc formam ab epiſcopo Græco ſuæ diœceſis recipiet pro ſe ac eccleſia ſua quilibet Latinus epiſcopus regni Cypri. Et ſi electionem illam cognoverit Latinus pontifex irritandam, ad caſſationem ejus procedat, ſicut de jure fuerit procedendum. Epiſcopi vero Græci, a Latino pontifice ad conſecrationem electi Græci ſuæ diœceſis convocati, ad hoc ſine moræ diſpendio, ex præſentis conſtitutionis & ordinationis debito, convenire, ac incumbentia conſecrationis implere munia teneantur.

Sanæ Græcorum pontificum damnatio, ſeu depoſitio, ſicut & tranſlatio ac ceſſio, ſoli Romano pontifici, juxta prærogativæ apoſtolicæ privilegia, reſervetur: ut in illis, ſicut & in ceteris epiſcopis, pontificialis dignitatis ſtatus & præcellentia muniatur. Ac cuicumque Græcorum eccleſiæ paſtore vacanti Latinus pontifex auctoritate propria præſulem ingerere non præſumat: niſi forte ad eum, illis negligentibus eligere qui debebant, facultas ea vice ordinandi eandem eccleſiam de paſtore, juxta generalis ſtatuta concilii, fuerit per lapſum trimeſtris temporis devoluta. In eo etiam caſu poteſtatem non habeat Latinus epiſcopus præficiendi eccleſiæ ſic vacanti, niſi perſonam Græcam, & tanto honori & a honori ex merito congruentem. Sedis vero Græcæ vacantis epiſcopo bona, decanus & capitulum ipſius ſedis futuro pontifici cuſtodiat fideliter & aſſignet. Ceterum epiſcopi ejuſdem inſulæ Græcorum ſedibus ordinandi, habeant in monaſteriis, eccleſiis, clero & populis Græcis ſibi commiſſis, & obtineant univerſa quæ ad dignitatis vel ordinis epiſcopalis officium pertinere de communi jure noſcantur. De quibus Latini epiſcopi, exceptis illis dumtaxat caſibus in quibus metropolitanus poteſt de jure juriſdictionem exercere in ſuffraganei ſui ſubditos, nil uſurpent. Cauſæ autem ad forum eccleſiaſticum pertinentes, ſi emerſerint inter Græcos, ad ſuum Græcum pontificem; ſi vero inter Latinum & Græcum, ſive Græcus actor fuerit, ſive reus, ad Latinum loci pontificem deferantur, judicialiter dirimendæ: verum ſalva ſedis apoſtolicæ præeminentia, ad cujus præſidium omnes oppreſſi poſſunt immediate confugere. Cum ab epiſcopo Græco appellandum videbitur, ad Latinum epiſcopum, in cujus diœceſi idem Græcus conſiſtit epiſcopus, & exinde ad Nicoſienſem archiepiſcopum, ſi opus fuerit, provocentur. Præſenti quoque ordinatione cenſemus, ut in civitate vel diœceſi Latini pontificis, præter conſiſtorium epiſcopalis ſedis Græcorum, cum quo auditorium officialis vel vicarii, ſi quem Græcus habet epiſcopus, unum & idem eſſe dignoſcitur, nullum aliud conſiſtorium habeatur juriſdictionis ordinariæ inter Græcos: niſi forte in aliqua eccleſia Græcorum regni ejuſdem, ſit archidiaconatus, vel alia dignitas, annexum habens ordinariæ audientiæ conſiſtorium ab antiquo, a quo ad ejuſdem eccleſiæ Græcum pontificem, & exinde gradatim, ſubditi ejus, cum eorum interſit, provocabunt. Archiepiſcopo denique, & Latinis epiſcopis, pro offenſis vel injuriis & juribus ſuis, eccleſiarumque ſuarum, animadvertendi canonice in Græcos ſuarum civitatum & diœceſum in illis caſibus competere volumus poteſtatem, in quibus eis de jure competit in Latinos.

Ad ſynodum vero pontificis Latini Græcus epiſcopus



ANNO CHRISTI 1250.

ſcopus intra illius diœceſem ſedem habens, ſemel in anno cum abbatibus & ſacerdotibus ſuis curam habentibus animarum, teneatur obedienter occurrere, ac ſynodalia ejus ſtatuta (quæ tamen Græcorum ritibus fidei catholicæ non adverſis, & a Romana eccleſia toleratis, non obvient) recipere ac ſervare. Ne autem epiſcopi Græci onere duplici prægraventur, cum ipſos audire oporteat ex hujuſmodi ordinationis debito epiſcopales ſynodos pontificum Latinorum: eos ire ad provinciale concilium decernimus non cogendos.

In viſitationibus epiſcoporum Græcorum, vel ſubditorum eorumdem, illam habere volumus Latinos pontifices intra proprias civitates & diœceſes poteſtatem, quam metropolitanus in viſitationibus ſuffraganeorum ſuorum & ſubditorum eorundem concedunt canonicæ ſanctiones. Archiepiſcopo tamen & epiſcopis Latinis, cum ſuas diœceſes circa Græcos jure diœceſano viſitaverint, hoc in exigendis procurationibus indicimus temperantiæ moderamen: ut idem archiepiſcopus quinque dumtaxat, Paphenſis epiſcopus quatuor, Famaguſtanus tres, & Nimocienſis etiam tres, a Græcis ſuarum civitatum & diœceſis, procurationes in univerſo recipiant annuatim: quarum quælibet ſummam, trigintaſolidorum Turonenſium, vel tot Byſantinorum qui eidem ſummæ æquivaleant, non excedat. Verum licet procurationum numerum viſitationis gratia debitarum, conſiderata ipſorum paupertate Græcorum, duxerimus miſeratione provida taliter moderandum: quia tamen Latinis epiſcopis ad hoc ſunt eccleſiarum ſuarum bona conceſſa, ut in illis circa officii ſui debitum indeficienter valeant militare: volumus, ut ſi fidei orthodoxæ neceſſitas, aut ſinceritas obedientiæ quæ eccleſiæ Romanæ debetur, vel morum exegerit diſciplina, quod iidem Græci pluries viſitentur ſuper hoc, circa ipſos, ſine aliquo illorum gravamine, viſitationis debitum propriis ſumptibus, quando tamen eis ſacrorum canonum inſtituta id permiſerint, impendere teneantur: cum & apoſtolus Paulus, noſtræ inſtitutionis exemplar, interdum ſibi victum manuum labore quæſierit, ne gravis eſſet iis quibus evangelium prædicabat, aut illi quos ſumptus prædicandi miniſtrare pigebat, ob hoc ſalutis miniſterio privarentur.

Plane jus percipiendi decimas in inſula memorata pertineat ad eccleſiam Latinorum: & in earumdem decimarum perceptione, conſuetudo a prælatis & clericis Latinis obtenta, & hactenus cuſtodita, ſervetur. Per hoc tamen quod in hac parte conſuetudinem dicimus obſervandam, nemo ſe ad decimarum ſolutionem putet exemptum, quæ jure canonico & Divino debentur.

Porro licet eccleſia Græcorum regni Cypri, ſecundum hanc ordinationem, non ſit nationis ſuæ metropolitanum in poſterum habitura: volumus tamen, præfatum Germanum archiepiſcopum Græcorum, dum vixerit, dignitatis archiepiſcopalis nomine ac honore potiri. Propter quod perſonam ipſius, donec ceſſerit vel deceſſerit, ab archiepiſcopi Nicoſienſis qualibet prorſus eximimus poteſtate: atque ſtatuimus, ut ipſo Germano cedente, vel decedente, nullus in præfato regno de cetero Græcorum archiepiſcopus ordinetur.

Sed ne idem Germanus Archiepiſcopus incerta ſede vagetur, præfatum N... epiſcopum ſedis Græcorum quæ eſt in Solia Nicoſienſis diœceſis, a vinculo quo eccleſiæ ſuæ tenetur, abſolvimus: ipſum ad ſedem epiſcopalem Græcorum de Arſino Paphenſis diœceſis, nunc vacantem, de plenitudine apoſtolicæ poteſtatis, ac prædictorum fratrum conſilio, transferendo, & dando eidem licentiam ad eandem ſedem libere tranſeundi. Præfato vero Germano archiepiſcopo dictas ſedem & eccleſiam de Solia, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, de eiſdem conſilio & poteſtate, committimus, ſibi retentis ſemper dignitatis archiepiſcopalis honore ac nomine, epiſcopaliter gubernandas: ita tamen quod ei ſit liberum, vel in dicta ſede de Solia, vel apud eccleſiam Græcorum beati Barnabæ Nicoſienſis, quam ad epiſcopum ſedis ejuſdem ex hujuſmodi noſtræ ordinationis beneficio pertinere perpetuo volumus, pro libito commorari. Ipſo vero Archiepiſcopo cedente, vel decedente in ſede de Solia, quotieſcumque ipſa vacaverit, ſimplex dumtaxat Græcæ nationis epiſcopus ſubrogetur: qui Nicoſienſi archiepiſcopo, eo modo, quo alii Græci epiſcopi Latinis debent ſubeſſe pontificibus, juxta præſentis ordinationis providentiam ſit ſubjectus. Eumdem etiam Germanum Græcorum archiepiſcopum, in monaſteria eccleſiaſtica, clerum, & populum Græcorum, Nicoſienſis civitatis & diœceſis, illam habere volumus, dum commiſſæ ſibi ſedi præfuerit, poteſtatem, quam alii Græcorum epiſcopi regni Cypri, ex hujuſmodi ordinationis providentia, in Græcos ſibi ſubditos ſortiuntur.

Ceterum ut ipſo Græcorum archiepiſcopo ſuperſtite, vel archiepiſcopalis dignitatis officium retinente, ipſius & archiepiſcopi, ac pontificum Latinorum, ſupra Græcos, circa jurium archiepiſcopalium executionem, poteſtas, ad ſubmovendam altercationis materiam, dirimatur: ordinamus atque ſtatuimus, ut idem Germanus Græcorum archiepiſcopus, dum vixerit, ex hujuſmodi ordinationis ſtatuto, ſine contradictione Latinorum pontificum, libere, dum tamen canonice, Græcos Cypri electos vel deinceps eligendos in epiſcopos, & a Latinis pontificibus, in quorum ſunt diœceſibus, confirmatos, auctoritate metropolitana ad ſacros promoveat ordines, & promotos conſecret, ac alios ejuſdem regni Græcos epiſcopos convocet ad conſecrationis hujuſmodi miniſterium exequendum: & circa univerſos Græcos ipſius regni, eadem auctoritate, viſitationis impendat officium, cum de jure fuerit impendendum: & in viſitationibus hujuſmodi, ſeu in his quæ viſitationis ratione competunt, eam, quam metropolitanis canones ſacri concedunt, habeat facultatem: & in vita ejus, de his, archiepiſcopus & epiſcopi Latini, ad quos hæc, ſicut & alia jura, ſecundum præſentis ordinationis ſtatutum, poſt ejuſdem Græci archiepiſcopi ceſſionem vel obitum, pertinebunt, eo invito ſe nullatenus intromittant: ſalva interim Nicoſienſi archiepiſcopo & epiſcopis Latinis, in ceteris caſibus, a quibus Græcus abſtineat archiepiſcopus, poteſtate, quam ipſi Nicoſienſi archiepiſcopo, ratione metropolis, & tam ei quam aliis Latinis epiſcopis, ratione diœceſium, circa univerſos Græcos regni præfati, hujus noſtræ ordinationis attribuit conſtitutum.

Sane dicto archiepiſcopo Græcorum vivente, ſicut & poſtmodum, juriſdictionem quamlibet in Græcos Nicoſienſis civitatis & diœceſis, excepta perſona præfati Germani epiſcopi, in appellationibus & aliis, Latinus archiepiſcopus obtinebit, quæ aliis Latinis epiſcopis regni prædicti per hanc ordinationem in epiſcopos, clericos, & alios Græcos ſuarum civitatum, & diœceſium eſt conceſſa. Quamvis autem perſonam ejuſdem Germani archiepiſcopi, donec ceſſerit vel deceſſerit, omni-

ANNO CHRISTI 1260.

ANNO CHRISTI 1260.

omnino exemptam eſſe velimus ab archiepiſcopi poteſtate Latini: ut tamen in ipſo preſentis ordinationis obſervatio inchoetur, idem Germanus archiepiſcopus, nomine ſedis de Solia ſibi commiſſę, Latino epiſcopo juratoriam profeſſionem obedientię faciat ſecundum formam ſuperius annotatam. Ex profeſſione autem & obedientia hujuſmodi, Latinum archiepiſcopum animadvertendi in perſonam ejuſdem Germani archiepiſcopi, vel injungendi quicquam eidem, in caſu quocumque, nullam habere volumus facultatem: ut conceſſa dumtaxat perſonę ſuę per hanc ordinationem, exemptionis plenaria libertate inconcuſſe lętetur. Si quando vero a pręfato Germano Gręcorum archiepiſcopo fuerit appellandum ad Latinum archiepiſcopum: ſalva prerogativa ſedis apoſtolicę appelletur. Porro quando Nicoſienſis archiepiſcopus, poſt pręfati Germani archiepiſcopi ceſſionem vel obitum, Gręcos ſuę provincię in ſuffraganeorum ſuorum civitatibus vel diœceſibus, jure ſuę metropolis, quod ſibi competere volumus, viſitabit: unicam tantum in qualibet civitate & diœceſi, ab univerſis Gręcis, earum communiter procurationem recipiat annuatim, quę ſexaginta ſolidorum Turonenſium ſummam, vel tot Byſantinorum qui illis ęquivaleant, non excedat.

Utrorumque igitur poteſtatę, Latinorum videlicet & Gręcorum pontificum regni Cypri, diſcretione hujuſmodi noſtrę ordinationis, (quam ad Syros ejuſmodi regni eoſdem cum Gręcis mo- A res, ritus, communiſque juris cenſuram ab antiquo ſervantes, extendimus) limitibus deſignatis: preſentis decreti auctoritate jubemus, ut neutri noſtrę poſitionis terminos tranſilire, vel ampliu ſibi pręlationis aut libertatis vendicare preſumant, ſed in Chriſto, qui eſt vera pax omnium, utrique, tanquam invicem membra, per unanimitatis cohærentiam & ſubminiſtrationis ordinem, fiant ejuſdem capitis idem corpus. Amen.

Datum Anagniæ per manum magiſtri Jordani, ſanctæ Romanæ eccleſiæ vicecancellarii & notarii, V. Nonas Julii, Indictione II. Incarnationis Dominicæ anno MCCLX. pontificatus vero domini Alexandri papæ IV. anno VI.

Ego Alexander catholicæ eccleſiæ epiſcopus B ſubſcripſi.

Ego Odo Tuſculanus epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Stephanus Præneſtinus epiſcopus ſubſcripſi.

Ego frater Ioannes tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego frater Hugo tituli ſanctæ Sabinæ presbyter cardinalis ſubſcripſi.

Ego Ricardus ſancti Angeli diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Ego Octavianus ſanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Ego Joannes ſancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis ſubſcripſi.

Ego Ottobonus ſancti Adriani diaconus cardinalis ſubſcripſi.

ANNO CHRISTI 1261.

# CONSTITUTIONES SYNODALES

## Fratris Arnaldi de Peralta epiſcopi Valentini, ab anno MCCLXI. uſque ad MCCLXXIII.

*Primum edita a D. Cardinale de Aguirre, ex mſ. Valentinæ Eccleſiæ.*

ANno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo, tertia die poſt feſtum ſancti Lucæ, nos frater Arnaldus divina miſeratione epiſcopus Valentinus, prout moris eſt, & a ſanctis patribus conſtitutum, ſanctam ſynodum in eccleſia Valentina celebrantes, ſtatuimus primo, ſeu in primis, quod nullus permittatur clericus alienus in eccleſiis parochialibus vel aliis celebrare ſine licentia habita & obtenta a nobis, vel officiali noſtro, de qua licentia fidem faciat per litteras patentes, a nobis vel officiali noſtro ei deſuper conceſſas.

*Quod nullus Quæſtor admittatur ſine litteris epiſcopi.*

Item ſtatuimus, quod quæſtor aliquis, ſeu petitionarius, non admittatur ſine litteris noſtris, vel officialis noſtri. Et tunc non admittatur ad alia, niſi ad illa ſolum exponenda, quæ in ſuis litteris indulgentiæ contineri inveniantur.

*Quod nullus clericus audeat recipere capellaniam annualem, ſeu aliquas Miſſas, ſine licentia epiſcopi.*

Item, quia cum avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, nonnullos clericos adeo excœcet, quod non ſolum non contenti terminis & ſtipendiis ſuis aliena qualitercumque habere ſatagunt; ſed ipſos etiam exponendo venales; propter quod ſcandalum & indevotio creſcit in populo, & decreſcit C ſeu minuitur clericorum honeſtas; ſtatuimus, quod relicta quæ ad cappellaniam annualem, ſeu anniverſariam, ſeu ad certum numerum Miſſarum, ab aliquibus relinquuntur in ultimis voluntatibus, nullus clericus ſit auſus recipere, ſeu ſuper eiſdem pactum vel compoſitionem in diminutionem relictorum cum heredibus, ſeu manumiſſoribus facere, ſine noſtro, vel noſtri officialis conſilio & mandato. Volentes præmiſſa de conſilio noſtro in civitate, ſeu officialis noſtri, ut dictum eſt, fieri. In diœceſi volumus & mandamus, quod fiat de conſilio & mandato rectorum ſeu vicariorum locorum ipſorum, ubi præ- D miſſa omnia relinquuntur. Quicumque vero in fraudem dictæ conſtitutionis aliquid attentare præſumpſerit, ab introitu eccleſiæ per menſem noverit ſe ſuſpenſum.

*De corona & coma clericorum.*

Item quia nonnulli clerici comas nutriunt ad modum laicorum, clericali honeſtate relicta, & parum ſeu modicum de tonſura ſeu corona oſtendunt, ſtatuimus, quod presbyteri, & diacones, & ſubdiacones, de cetero ſe faciant taliter tonſurari, quod uſque ad medietatem E auris, & non ultra, pili ipſi protendantur. Coronam vero & tonſuram congruenter habeant, juxta formam a nobis vel officiali noſtro tradendam.

De



ANNO CHRISTI 1261.

*De tractatu ſeptem ſacramentorum.*

Item ſtatuimus, quod uſque ad feſtum proximum Nativitatis Domini quilibet clericus parochialis habeat tractatum ſacramentorum, quem dominus P. bonæ memoriæ Tarraconenſis archiepiſcopus edidit.

*Ne aliquis ſepeliatur intra principales parietes Eccleſiæ.*

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, tertia feria poſt feſtum ſancti Lucæ, ſexto decimo Kalendas Novembris, nos frater Arnaldus divina miſeratione Valentinus epiſcopus, prout moris eſt, a ſanctis Patribus ſta- B tutum, ſanctam ſynodum in Valentina eccleſia celebrantes; ſtatuimus in primis, quod ſi quis rector ſepelierit infra principales parietes eccleſiæ aliquam perſonam, niſi de illis de quibus canonice eſt licitum ſepelire, ſine mandato epiſcopi; ipſo jure ſit privatus beneficio dictæ eccleſiæ. Et ſi alii clerici, qui in deſpectum hujus conſtitutionis, hanc conſtitutionem ſcientes, & memoriæ habentes, dictæ ſepulturæ prohibitæ interfuerint, ipſo facto ab introitu eccleſiæ ſint ſuſpenſi.

*Ne aliquis clericus interponat laicum in ſui promotione.*

Item ſtatuimus, quod ſi quis clericus in promotione ſuorum ordinum, per ſe vel per alium interpoſuerit laicum pro ſua promotione obtinenda ordinum prædictorum, vel aliquis clericus alius pro prædicta promotione facit rogare laicos, volentes per importunitatem ad ſacros ordines promoveri; tam ipſe, quam ipſi clerici ſcientes hanc præſentem conſtitutionem, & memoriæ habentes eamdem, ipſo jure ſint excommunicati. Sed hæc conſtitutio non duret niſi per triennium, nec pœna ejus.

*De vino Judæorum non bibendo.*

Item ſtatuimus, quod ſi quis clericus bibit vinum Judæorum in domibus ipſorum (quod omnino fieri prohibemus) ipſo facto ſit excommunicatus, ſi hanc præſentem conſtitutionem ſciverit, vel recoluerit. Item qui eorum vinum ſcienter emerit, niſi tempore neceſſitatis, noſtræ ſubjaceat ultioni.

*De teſtamentis & manumiſſoribus.*

Nos frater Arnaldus divina miſeratione Valentinus epiſcopus, circa commiſſum nobis gregem debitum officii paſtoralis invigilantes, & quantum noſtræ fragilitatis poſſibilitas ſuſtinet, debitam ſolicitudinem adhibentes; cum zelus animarum ipſarum conſideratione aſſidua nos commendet & conſtringat; quia ex frequenti multorum clamore ad noſtram pervenit noticiam, quod quædam turpis impietas & peccatum horribile in civitate & diœceſi noſtra adeo inoleverit, quod quaſi in conſuetudinem ſit redacta: manumiſſores enim & exſecutores teſtamentorum, quorum ab ipſis teſtatoribus fides eligitur, & ſuorum teſtamentorum, ſeu cujuſlibet ultimæ voluntatis continetur exſecutio, ſuarum animarum ſalutis immemores, abjecta etiam præſentis ſtatus honeſtate, & omni verecundia ac rubore poſtpoſitis, propriis commodis inhiantes, (quæ verius incom- A moda dici poſſunt:) illud modicum, quod ipſi defuncti pro ſuis reſtituendis injuriis, vel ob modum & remedium animarum ſuarum, ad pias cauſſas reliquerunt, aliquando ſubtrahunt & occultant, & in proprias burſas convertunt; aliquando etiam novos modos & occaſiones quærunt, & quomodo poſſunt, diutius ipſas pecunias ad uſus proprios retinent, ſupponendo frequenter aliquos querelantes; & ipſorum occaſione aſſumptis & habitis advocatis, in quos etiam ipſas conſummaverunt pecunias, eiſdem de alieno gratificari. Volentes, ut cum proprias cauſſas habent, & gratis ſine ſalario eis patrocinium præſtent, & ſic diu propter ipſorum advocatorum facundiam ſeu malitiam cauſſa protrahitur, & teſtamentorum exſecutio retardatur, & penes ipſos manumiſſores B pecunia retinetur, & occaſione hujus in ultimum expenſarum legata diminuunt & defalcant: plures etiam fraudes & malitias, prout certe didicimus, adhibent & excogitant circa iſta.

Conſiderantes igitur, quod nihil magis debetur hominibus quam ut ſupremæ voluntatis liber ſit ſtilus, & licitum quod iterum non redditur ad arbitrium; cum ad noſtrum ſpectet officium curam gerere circa complendas & exſequendas voluntates deficientium; volentes circa prædicta ſalubrem adhibere medelam, & prædictis malitiis obviare; communicato religioſorum virorum, & aliorum ſapientiorum conſilio, adhibita deliberatione provida; monemus generaliter, & in ſcri- C ptis univerſos civitatis & diœceſis Valentinæ manumiſſores & exſecutores teſtamentorum & ultimę voluntatis cujuſlibet, tam clericos quam laicos, cujuſcumque dignitatis & conditionis exſiſtant, qui prædicta non ſolverint legata, quorum a morte teſtatoris annus eſt elapſus, quod infra feſtum Purificationis beatæ Mariæ proximum; alii vero quorum annus nondum eſt elapſus, infra ipſius anni ſpatium, mandatum teſtamentorum quantumcumque ad reſtituendas injurias, & prædicta legata, ad pias cauſſas ſolvendas ſtudeant adimplere: vel ſi forte ex cauſſa neceſſaria ab ipſis fuerint retinenda; ſaltem ipſas pecunias, aut res mobiles, vel ſe moventes, quæ eſſent tempore perituræ, ſine omni fraude vendi præcipimus.

D Quas quidem pecunias, & alias quæ ad manus devenerunt ipſorum manumiſſorum, in æde ſacra deponant, ut omnem occaſionem & cauſſam retinendi, ſeu indebite conſumendi ipſas pecunias, ſive res, & ſuſpicionis materiam a ſe prorſus abjiciant & excludant; ut cum ipſi, vel aliqui amici, conſanguinei, vel familiares ipſorum, nullum ſentient commodum de ipſis pecuniis ſive rebus adimplendis, defunctorum voluntates promptiores exſiſtant. Alioquin cum jam præmiſſa non poſſimus ſub diſſimulatione & conniventibus oculis pertranſire; ne ipſorum peccata noſtra facere videamur, niſi infra prædictum tempus alterum de prædictis implere curaverint, ex nunc ut ex tunc in perſonas ipſorum excommunicationis ſenten- E tiam promulgamus; ad alias pœnas canonicas, ſi ipſorum contumacia & rebellio hoc exegerit, nihilominus proceſſuri.

Eadem ſententia involvi volumus omnes illos qui fraudem vel malitiam adhibuerint, quominus ipſæ pecuniæ ſive res ad ipſos perveniant, & a manibus eripiantur heredum: ſub deteſtatione divini judicii præcipientes eiſdem, & in ſuorum peccatorum remiſſionem injungentes, quod circa eas exigendas & habendas, ſolicitudinem & diligentiam, quam potuerint & debuerint, adhibere procurent. Nos enim ipſis circa præmiſſa noſtrum conſilium ſive auxilium ſine difficultate qualibet

ANNO CHRISTI 1261.

libet dare promittimus, ut debemus, * quomodocumque ab ipſis fuerimus requiſiti.

a Pro quandocumque.

Futuri autem manumiſſores, niſi infra annum, ſeu exſecutores a morte teſtatoris, juxta voluntatem ipſius, injurias reſtituerint, & legata ad pias cauſſas perſolverint; vel ſaltem, ut prædiximus, in eadem ſacra æde poſuerint, ſtatim poſt annum eadem ſententia ſint ligati: ut ſic remoto obſtaculo, quod impedit, vel ſuſpendit ipſam ſolutionem fieri legatorum, voluntas defuncti citius & liberius impleatur. Quia frequenter, ut prædiximus, prædicti manumiſſores, occaſione advocatorum, prædicta legata diminuunt & conſumunt, quos dicunt eſſe exſecutores teſtamentorum & defenſores, cum deberent dici potius deſtructores, eo quod voluntatem defuncti ſcienter & malitioſe impediunt & retardant.

Qui voluntarios labores debemus appetere ut quietem aliis præparemus, eligimus certum & ſpecialem dare patronum & advocatum omnibus teſtamentis, certum ſalarium de menſa noſtra conſtituendo eidem qui circa prædicta ipſa teſtamenta & ultimas voluntates in jure defendat. Et volentes circa præmiſſa omnem fraudem, malitiam, & ſuſpicionis materiam amputare; juramentum ab ipſo recepimus, quod excuſſis manibus ab omni munere, & qualibet illicita pactione, ſine omni malitia & diffugio, nihil tamen de contingentibus quantum ad juris ſcientiam omittendo, ipſis manumiſſoribus patrocinium præſtet, quandocumque ab ipſis fuerit requiſitus.

*De pluralitate cappellaniarum.*

Anno Domini MCCLXII. nos frater Arnaldus divina miſeratione Valentinus epiſcopus, ſicut juris eſt & conſuetudinis approbandum, ſanctam Synodum celebrantes: Quia intelleximus quod aliqui clerici civitatis & diœceſis noſtræ temporalia ſpiritualibus præponentes, in grave plurimorum & ſuarum periculum animarum, ac diminutionem divini officii, plures cappellanias recipiunt, & ad earum ſervitium ſe adſtringunt, cum tamen ad unius ſervitium, vix ſufficientes exſiſtant; zelantes, ac providere volentes, quod divina officia honeſte ac modo debito celebrentur; provida deliberatione ſtatuimus, quod aliquis clericus habens in civitate vel diœceſi cappellaniam perpetuam, vel etiam temporalem, nullatenus ſe obligare præſumat, ſimul & ſemel ad alterius capellaniæ ſervitium faciendum. Quod ſi fecerit, & præſentis conſtitutionis tranſgreſſor alium recipiat ſimiliter temporalem, ipſo facto ſit utraque privatus. Reliqui vero clerici & ſacerdotes, qui ad aliud quodcumque, non tamen ſacerdotale officium faciendum, ex debito ſunt adſtricti, cappellanias in eadem eccleſia in qua prædictum exercent officium, vel in aliis eccleſiis cappellanias, temporales, ſine noſtra vel officialis noſtri licentia aliquatenus recipere non attentent, ſi canonicam cupiunt fugere ultionem.

*Quod clerici non ſint faciles ad jurandum*

Nos frater Arnaldus &c. ſtatuto & ſolito tempore ſanctam ſynodum celebrantes: Quia pro certo invenimus, quod multi clerici civitatis & diœceſis Valentinæ, ordinis honeſtate & maturitate depoſitis, ita ſe faciles exhibent ad jurandum, quod cum quoſcumque contractus obligationis cum quibuſcumque perſonis ineunt, ſub religione juramenti frequenter ſe obligant ſtatutis temporibus; & poſtmodum ſuæ ſalutis immemores, aliquando ex indigentia, aliquando ex forte avaritiæ, præpoſitis terminis ipſa debita ſolvere non procurant: & ſic labem perjurii incurrentes, juxta ſtatuta canonica beneficiis reddunt eccleſiaſticis ſe indignis: propter quod aliquando grave ſcandalum eſt exortum.

Volentes hujuſmodi vitium & pravum uſum de noſtra civitate & diœceſi exſtirpare, & eiſdem clericis tollere materiam delinquendi; provida deliberatione ſtatuimus, ne uſque ad annum continuum, & completum, a die præſenti, ipſorum clericorum aliqui in quocumque contractu jurare præſumant ſine noſtra licentia ſpeciali. Quicumque autem hoc attentare præſumpſerit, ſi in noſtra civitate vel diœceſi eccleſiaſticum obtinet beneficium, ipſo facto ab eodem beneficio noverit ſe privatum. Si vero beneficium nullum habeat, & in ſacris ſit ordinibus conſtitutus, ſententiam excommunicationis, quam in tranſgreſſores præſentis conſtitutionis ex nunc fecimus, ipſo facto ſe noverit incurſurum.

*Ne clerici emant poſſeſſiones ſuis ſpuriis de bonis eccleſiarum.*

Item quia invenimus quod plures clerici noſtræ civitatis & diœceſis de bonis eccleſiæ cui præſunt emunt poſſeſſiones & immobilia ad opus filiorum ſuorum, quos debent prorſus a ſe abjicere, ſi ordinis honeſtatem attenderent; cum tamen deberent potius emere & acquirere ad opus eccleſiarum, a quibus bona ſuſcipiunt; cum nullus tam proximus heres exſiſtat, quam eccleſiæ quarum dominio ſociantur; volentes huic morbo ſalubri remedio obviare, provida deliberatione ſtatuimus, ne aliquis clericorum civitatis & diœceſis deinceps hujuſmodi ſpuriis aliqua immobilia de bonis eccleſiæ, vel quæ ipſius intuitu ad eos pervenerant, emere audeat; cum aliquid talibus emi vel donari non deberet, qui eſſent potius diſtrahendi; quibus nedum de bonis eccleſiaſticis, ſed etiam de aliis bonis paternis omne beneficium denegatur, tam a Jure canonico quam civili.

Quicumque autem præſentis conſtitutionis auſu temerario ſe conſtituerit tranſgreſſorem, ipſo facto beneficio, quod in civitate vel diœceſi obtinet, ſit privatus, cujuſcumque dignitatis vel conditionis exſiſtat. Si vero beneficium eccleſiaſticum nullum habeat, & in ſacris ſit ordinibus conſtitutus; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.

*Ne laici egrediantur de eccleſia in diebus Dominicis & feſtivis, antequam Miſſa perficiatur.*

Anno Domini MCCLXVIII. nono Kalendas Novembris, nos frater Arnaldus divina miſeratione Valentinus epiſcopus, prout moris eſt, & a ſanctis patribus conſtitutum, ſanctam ſynodum in Valentina eccleſia celebrantes; ſtatuimus imprimis, ut moneantur laici, quod qualibet die Dominica & diebus feſtivis non egrediantur de eccleſia, donec fuerit Corpus Chriſti receptum a ſacerdote, & Miſſa fuerit completa.

*De luſoribus ad aleas & taxillos.*

Item ſtatuimus, quod ſi clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, ſive beneficiatus exſiſtat, ſive in civitate, ſive in diœceſi, ad aleas & ad taxillos luſerit, vel ad quemcumque alium ludum cum taxillis; ipſo facto pœnam quinque morabetinorum incurrat: & ſi a tempore requiſitionis infra



ANNO CHRISTI 1261.

dies forum morabetinorum eos non ſolverit, infra decem dies decernimus eum excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Caveant autem clerici, ne ludo taxillorum interſint, ſi canonicam voluerint effugere ultionem.

*De pœna clericorum ſe inebriantium.*

Item cum ſit cautum in Jure, quod clerici a crapula & ebrietate debeant abſtinere, & nonnulli clerici civitatis & diœceſis, vacantes comeſtionibus & potationibus, ſe inebrient impudenter, & eorum ebrietas cedat in grave ſcandalum plurimorum, ſacra comprobante ſynodo ſtatuimus, quod ſi quis clericus de cetero ebrius inveniatur, pœna decem ſolidorum multetur; nullam ſuper hoc miſericordiam habiturus: & nihilominus, ſi monitus non deſtiterit, ad pœnam canonicam procedetur.

*De veſtibus inhoneſtis.*

Item cum multi clerici indumentis & veſtibus non ſe gerant honeſte, prout in canonibus eſt ſtatutum; ſtatuimus, quod clerici pannis rubeis, viridibus, & croceis in chlamydibus chori longis, & colorum ſimilium non utantur, nec in veſtibus ponant erminium, nec aliqua ſuperflua, nec etiam inhoneſta. Sacerdotes vero parochiales & alii ſacerdotes, clauſa deſuper deferant indumenta: & in eccleſia, & extra non utantur cappis tranſverſeriis, ſed cappis rotundis, vel mantellis. Alii vero clerici in ſacris ordinibus conſtituti, cappis tranſverſeriis a ſe prorſus abjectis, utantur ſimiliter cappis rotundis vel mantellis.

Volentes tamen parcere ſumptibus & expenſis propter aliquorum indigentias; toleramus, ut jam factis ſumptibus utantur a præſenti die uſque ad annum. Verum ſi interim aliqui aliquas veſtes novas fecerint, faciant prout ſuperius eſt jam dictum vel ſtatutum. Quod ſi aliquis hujus conſtitutionis fecerit ſe tranſgreſſorem, ſi clericus fuerit alterius diœceſis, & in noſtra diœceſi commoretur, ipſo facto per annum exſulet extra diœceſim, nullam ſuper hoc miſericordiam habiturus. Alii vero clerici noſtræ diœceſis veſtes perdant: & nihilominus contra illos ad aliam pœnam procedetur, ſi hoc meruerit protervitas contumacis.

Item cum multoties, tam in ſynodis quam in viſitationibus eccleſiarum, clericos duxerimus commonendos, ut abjectis a ſe penitus concubinis, honeſte viverent, ut deceret; nec propter hoc multi ex ipſis ſe curaverint emendare; ſtatuimus, quod quicumque fuerint inventi publici concubinarii a tempore obſidionis Murciæ, vel de cetero poterint inveniri; ipſo facto triginta morabetinorum pœnam incurrant, & nihilominus in deteſtationem peccati, filios qui de cetero de tam damnato coitu generabuntur, diſtrahendos eſſe cenſemus.

*De concubinis clericorum, & luſoribus non celandis.*

Item ſtatuimus, quod quilibet clericus parochialis circa parochiam ſuam ſolicite vigilet & intendat; & cum ſciverit aliquem clericum concubinarium, ſeu luſorem, vel concubinam alicujus clerici alterius parochiæ in ſua parochia, ſtatim curet epiſcopo nunciare: quod ſi non fecerit, ipſo facto pœnam quinque morabetinorum incurrat, nullam ſuper hoc miſericordiam habiturus.

*De armis prohibitis clericis.*

Anno Domini MCCLXIX. decimo Kalendas Novembris, nos frater Arnaldus divina miſeratione epiſcopus Valentinus, prout moris eſt, & a ſanctis patribus conſtitutum, ſanctam ſynodum in Valentina eccleſia celebrantes, ſacra approbante ſynodo ſtatuimus, quod conſtitutiones ſuper veſtibus rotundis, & ſuper ludo taxillorum jam editæ, ab univerſis clericis noſtræ diœceſis inviolabiliter obſerventur. Item quia per frequentes clamores, tam clericorum quam laicorum, ad noſtras aures pervenit, quod clerici ſuæ honeſtatis & eccleſiaſticæ ſimplicitatis obliti, arma portant diverſorum generum, & ſignanter coſtalarios, & gladios majores quam laici: propter quod tam in clero quam in populo magnum ſcandalum generatur: ſacra approbante ſynodo ſtatuimus, quod de cetero non portent de die neque de nocte coſtalarios, neque coltellos; ultra midam in foro conſtitutam, nec etiam alia arma. Permittimus tamen, quod in itinere conſtituti portent enſem pennatum vel Segovianum publice; quæ tamen cum in quacumque fuerint villa, ſtatim immediate cum fuerint in hoſpitio deponant. Quod ſi ſecus fuerit attentatum; & arma perdant & pœnam quindecim ſolidorum de die, & viginti de nocte, ipſo facto incurrant, ſuper hoc nullam miſericordiam habituri.

*De armis non portandis Sarracenis. Et de monitione facienda manumiſſoribus non complentibus teſtamenta.*

Item præcipimus univerſis clericis civitatis, & aliis prope mare conſtitutis, ut diebus Dominicis & feſtivis denuncient excommunicatos omnes illos qui portant arma, ferrum, & lignamina, & alias res prohibitas Sarracenis. Et etiam manumiſſores teſtamentorum, qui non ſolverunt injurias & relicta ad pias cauſſas, juxta ordinationem per nos factam, & in ſynodo promulgatam.

*De luſoribus ad aleas & taxillos, & denunciantibus eos.*

Anno Domini MCCLXXIII. nono Kalendas Novembris, nos frater Arnaldus divina miſeratione Valentinus epiſcopus, prout moris eſt, & a ſanctis patribus conſtitutum, ſanctam ſynodum in Valentina eccleſia celebrantes, ſacra approbante ſynodo ſtatuimus, quod conſtitutiones per nos factæ circa honeſtatem clericorum inviolabiliter obſerventur.

Recolentes autem olim ſalubriter ſtatuiſſe; ne aliquis clericus in civitate & diœceſi Valentiniana ad aleas ludere præſumat, vel ad ludum aliquem taxillorum; & quod violatores ipſius conſtitutionis pœnam quinque morabetinorum ipſo facto incurrant; volentes adhibere remedium, quod ipſa conſtrictius & firmius obſervetur; præfatæ conſtitutioni adjicimus, quod ſi quis aliquem tranſgreſſorem conſtitutionis prædictæ nobis vel officiali noſtro denunciaverit, ita quod probari poſſit; tertiam partem de pœna prædicta habeat, conſtitutione prædicta nihilominus in ſuo robore duratura.

A

*De veſte rotunda.*

Item quia nobis conſtat, quod conſtitutio quam
olim feciſſe recolimus, qua cavetur quod clerici
parochiales, & alii ſacerdotes civitatis & diœce-
ſis Valentinæ rotundis utantur veſtibus, quas
portant exterius, & honeſtis, non ſervatur ab o-
mnibus, ut deceret; ex quo læditur clericorum
religio & honeſtas; præſertim cum videantur hoc
facere in contemptum, ex quo reddunt ſe notabi-
les de inobedientia manifeſta; volentes ipſam in
ſuo robore permanere & ſtrictius obſervari, eam-
dem ad omnes diacones ejuſdem civitatis & diœ-
ceſis, & ad alios etiam in ſacris ordinibus conſti-
tutos beneficia eccleſiaſtica obtinentes, extendi
volumus. Adjicientes eidem, quod quicumque B
deinceps ſuperiorem veſtem portaverit non rotun-
dam, ipſa veſtis ipſo facto fabricæ eccleſiæ beatæ
Mariæ Virginis applicetur. Et ſi quis infra de-
cem dies a tempore mandati ſuper hoc recepti
ipſam veſtem fabricæ non dederit; ipſo facto ſen-
tentiam excommunicationis incurrat.

Et ut melius nobis conſtare poſſit de illis qui ſe
reddiderint contemptores; ſtatuimus, quod cle-
rici parochiales civitatis & diœceſis circa hoc di-
ligenter vigilent, & ſi qui fuerint in ſuis paro-
chiis non ſervantes conſtitutionem prædictam,
ipſos nobis vel officiali noſtro manifeſtare procu-
rent. Statuentes nihilominus, quod ſi quis co-
rum circa hoc inventus fuerit negligens vel remiſ-
ſus, pœnam quinque morabetinorum incurrat, C
prædictæ fabricæ ſimiliter applicandam, nullam
ſuper hoc miſericordiam habiturus.

Volentes etiam ab ipſis clericis parochialibus
firmiter obſervari; præcipiendo mandantes, quod
clericos, quos conſtitutionem de luſoribus fa-
ctam, & iſtam de portandis rotundis veſtibus, ſci-
verint non ſervare in ſuis eccleſiis, nullatenus
celebrare permittant, alias pœnis eiſdem conſti-
tutionibus contentis ſe noverint ſubjacere.

*Quod oratio Dominica alta voce cantetur.*

Item quia intelleximus quod multi ſunt in no-ſtra civitate & diœceſi qui ignorant orationem Dominicam, ſcilicet, *Pater noſter*; ſeu ipſam perfecte non ſciunt; & ſunt pauciſſimi qui ſciant *Credo in Deum*, in quibus multum conſiſtit noſtræ fidei fundamentum; volentes in prædictis eos inſtitui & ſalubriter edoceri; ſtatuimus, quod deinceps clerici in ſuis eccleſiis in completorio & in prima prædictas orationes proferant alta voce diſtincte, ac etiam ſpatioſe: monendo parochianos ſuos, quod dum dictæ orationes dicuntur, ſuos animos applicent, & diligenter intendant: exponentes eiſdem quanta ſit utilitas quod hoc ſciant, & quantum ſcire tenetur quilibet Chriſtianus.

*De publicatione publicorum adulterorum.*

Item olim excommunicationis ſententiam per bonæ memoriæ Andream prædeceſſorem noſtrum contra publicos adulteros civitatis & diœceſis Valentinæ editum, & etiam publicatam per nos poſtmodum, tam in ſynodis, quam in noſtris prædicationibus publicatam, & hactenus obſervatam, ad memoriam reducentes; quia invenimus quod aliqui ad ſua pallianda peccata eam conabantur & conantur ſuis mendaciis in dubium revocare; eamdem iterum approbantes, & etiam innovantes, nihilominus ad æternam rei memoriam in jam dictos excommunicationis ſententiam promulgamus: mandantes clericis parochialibus, quod ſi quos in ſuis parochiis ſciverint prædicto crimine adulterii publice laborantes, nullo ſuper hoc exſpectato mandato, eoſdem excommunicatos denuncient diebus Dominicis & feſtivis, auctoritate noſtra & conſtitutionis præſentis, quam inviolabiliter mandamus obſervari.

# CONCILIUM LAMBETHENSE,

## SIVE

## Conſtitutiones provinciales, in concilio Lambethenſi, per Bonifacium Cantuar. archiepiſcopum editæ III. Idus Maii ann. Dom. MCCLXI.

Ex MS. bibliothecæ. Cotton edidit collector Anglicanus.

UNiverſis ſanctæ matris eccleſiæ filiis per Cantuarienſem provinciam conſtitutis, B. miſeratione divina Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Angliæ primas, ejuſdemque ſuffraganei, ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum. Æternæ ſanctio voluntatis, quæ rerum ordinem omnium, cunctarumque ſemina naturarum, in pondere, numero & menſura decrevit, ad exemplar cœleſtium procedere cenſuit regimen terrenorum, humanum genus, quod ceteris præſtare voluit dignitatis excellentia creaturis, conſtringens a ſenſualitatis prurigine naturalibus regulis, & ab arbitriis lubricitate legalibus cohibens inſtitutis: ut potentiores laxatam ſibi paſſim non crederent in ſubjectos imperandi licentiam; & inferiores, E quos, & ſi natura pares, cauſarum facit ſeries indeflexa prælatis diſſimiles, ſuperiorum non contemnerent diſciplinam: & ſicut terrenæ domicilium manſionis, pro cœleſtium luminum qualitate, lucis vices ac noctis continuis ſuc- D ceſſionibus mutuatur, & cœleſtium ſubjicitur moderamini poteſtatum; ſic ordo rectorum ipſius, ſpiritualis videlicet, & terrenus, ſacerdotalis & regius, conceſſæ ſibi prælationis habenas dirigeret, quod unius impetus proceſſus alterius non turbaret; ſed accederet unus alteri ſuffragator in mutuæ caritatis ſubſidium, quo ſibi invicem ad humanæ noctis tenebras diſſolvendas ſuſcepti participarent luminis ornamentum.

Sane attendentes olim patres & prædeceſſores noſtri Cantuarienſes archiepiſcopi, totius Angliæ primates, & ſuffraganei eorumdem, & potiſſimum temporibus parum retro decurſis, amicus Dei beatus Edmundus, prædeceſſor noſter, cujus memoria in benedictione, & inter electos Dei ſors ejus eſt computata. Nos, qui licet immeriti, in locum regiminis ſibi immediate ſucceſſimus, cum fratribus & coepiſcopis noſtris ſuffraganeis Cantuarienſis eccleſiæ, noſtris temporibus ſolicite ponderantes, quod gravamina & oppreſſiones,





nes, quibus in Anglia libertas eccleſiaſtica premitur & calcatur, illuſtri domino Regi noſtro nequaquam accedunt ad commodum; ſed potius, ad non modicum ſalutis ſuæ & noſtræ ſimul periculum, & honoris tam perſonæ ſuæ, quam totius regni ſui, notorium detrimentum: ipſum frequenter monuimus & ſupplicavimus ei, ac ſupplicari fecimus cum inſtantia ſæpius reverenter; nec non apud principes, magnates & conſiliarios, quorum moderamine diſponuntur regni negotia, precibus & exhortationibus pulſavimus importuna opportunitate, & opportuna importunitate frequenter, quatenus intra memoriam revolventes, quot plagis Ægyptii fuerunt percuſſi, pro eo quod populum Domini filios Iſrael, typum gerentes miniſtrorum altaris, in luto cogebant ſervire & latere; ſubjicientes eos indebitæ ſervituti, contra præceptum Dei, & juris privilegium naturalis, quo quis tenetur alteri non facere, quod & nollet ab alio ſuſtinere. Penſanteſque prudenter, quod Chriſtus ſponſam ſuam in tantum dilexit eccleſiam, cujus hodie, peccatis exigentibus, patres angariantur a filiis, & oves deſæviunt in paſtores, quod vetuſtæ chirographum ſervitutis in protoplaſti prævaricatione conſcriptum, proprio cruore delevit, & ſanguine martyrum, armis fidei dimicantium, adverſus mundi principes, & ſæculi poteſtates, rubricavit privilegium libertatis e cœlo prius conceſſum eccleſiæ, & in terris poſtmodum a principibus hujus mundi fidelibus innovatum.

Huic inquam privilegio, tam pio tamque nobili pretio comparato, deferrent humiliter ob reverentiam Redemptoris, permittendo clerum Angliæ in ſolicitudine libertatis, laudis ſacrificium Domino immolare: ne perſecutores ſubmergi contingat in fluctibus iræ cœleſtis, ſi, contemptis Divinis imperiis, ipſum cogant ad paleas ſervitutis. Licet autem in precibus inculcandis diu laboraverimus ſuſtinendo, & ſuſtinuerimus laborando: adhuc tamen, inſtantia noſtra ſæpius iterata, ad exauditionis gratiam ingreſſum mereri non potuit, nec effectum ſortiri diutius expectatum. Quia vero pericoloſe negligitur, quod contra cœli principem uſurpatur: contra gravamina prælibata, quæ abſque Dei offenſa ulterius connivere non poſſumus, nec debemus, ad arma juſtitiæ, quod eſt verbum Dei, penetrabilius omni gladio ancipiti, cum fiducia recurrentes, certa remedia adverſis conatibus opponenda providimus, quæ, ſacro concilio approbante, nuper providæ deliberationis judicio ſtatuenda duximus ſub hac forma.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. In meſſem Dominicam, in qua non reges & principes ſæculi, ſed regnorum victores & regnum, per fidem, apoſtolos & ſucceſſores eorum, Chriſtus mittendos elegit, falcem terrenæ damnationis, caritate frigeſcente, cernentes effrænatius currere * quam cœleſtis regula patiatur, qua reddi jubentur Cæſari quæ ſunt ejus; & quæ ſunt Dei, Deo: dolore cordis concutimur, & amaritudine replemur horroris, timentes, quod dum occurrere malis negligimus, indignationis periculum incurramus. Cum igitur eccleſia Anglicana, non contemnenda portiuncula dictæ meſſis, non ſolum contra jura Divina & ſtatuta canonica, ſed etiam contra libertates a regibus, principibus, & aliis regni magnatibus conceſſas eidem, auſibus ſacrilegis, novis irruptionibus, diris conceſſionibus, & oppreſſionibus nefariis, multipliciter ſit attrita, & hoc non abſque ſuperni regis offenſa, & perpetuo animarum regis noſtri temporalis, & aliorum regni magnatum, ac noſtrarum, & ſubditorum noſtrorum periculo, ſub diſſimulationis conniventia ulterius pertranſire non poſſimus: auctoritate præſentis ſacri concilii inhibemus; & inhibendo ſtatuimus, ut ſi contingat ab hac die in antea, quod Deus avertat a ſenſibus fidelium ſanctæ matris eccleſiæ filiorum, quenquam archiepiſcopum, vel alium prælatum inferiorem, per literas domini regis, vel alicujus alterius poteſtatis, ad ſæculare judicium evocari, ut ibi reſpondeat ſuper his, quæ mere ad ipſius officium & forum eccleſiaſticum pertinere noſcuntur, prout temporibus retroactis uſurpative contra Deum & juſtitiam, ac libertatem eccleſiaſticam, pluries eſt præſumptum: ſtatuimus, inquam, & ſtatuendo inhibemus, quod archiepiſcopi, epiſcopi, & B ceteri eccleſiarum prælati, majores & minores, ad ſæculare judicium, ibidem ſubituri judicium, non veniant, ſicut nec venire tenentur pro hujuſmodi ſpiritualibus evocati: utpote ſi forte vocetur prælatus reſponſurus in ſæculari judicio, pro eo quod clericos ad eccleſias vel capellas vacantes non admiſerit, rectores inſtituerit vel non inſtituerit in eiſdem; ſuos ſubditos excommunicavit, ſuſpendit vel interdixit; excommunicatos, ſuſpenſos, vel interdictos denunciavit; aut pro eo quod eccleſias dedicavit, vel ordines celebravit; aut de cauſis mere ſpiritualibus cognovit, puta de decimis, oblationibus, limitibus parochiarum, & ſimilibus, quæ non poſſunt ad ſæculare forum aliquatenus pertinere; aut quia co- C gnovit de peccatis & exceſſibus ſubditorum, ſicut de perjurio, & fidei tranſgreſſione, ſacrilegio, violatione, ac perturbatione eccleſiaſticæ libertatis: cujus violatores, & perturbatores necnon & libertatum, per chartas domini regis eccleſiæ conceſſarum, contradictiones, in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto.

Item, ſi vocetur prælatus ad judicium ſæculare, pro eo quod cognovit inter clericos ſuos, vel inter laicos conquerentes & clericos defendentes, in perſonalibus actionibus, ſuper contractibus aut delictis, vel quaſi; aut pro eo quod perſonas eccleſiaſticas, ad mandatum domini regis, in judicio ſæculari non exhibet; ſeu clericos in foro ſæculari, pro negotiis ad forum eccleſiaſticum pertinenti- D bus, amercitos non compulit ad amerciamenta exſolvenda, ſeu ipſa pro eiſdem non ſolvit, vel quia in eccleſiis & capellis annexis epiſcopatibus aut monaſteriis vacantibus, per mortem aut ceſſionem prælatorum, aut alio juſto modo, juriſdictionem ſuam eccleſiaſticam, canonicam & conſuetam exercet; vel ſi qua his ſimilia facit, vel non facit prælatus, pertinentia ad officium paſtorale, & ad forum ſeu juriſdictionem eccleſiaſticam evidentem: pro talibus, inquam, & his ſimilibus, prælati ad judicium ſæculare vocati, ut ibidem pro his judicium ſubeant, nullatenus venire præſumant, cum judicandi chriſtos Domini, nulla ſit laicis attributa poteſtas, quos manet neceſſitas obſequendi. Ut tamen honori regio deferatur, E majores prælati dominum regem adeant, vel ſibi ſcribant, quod pro hujuſmodi mandatis regiis, parere non poſſunt abſque periculo ſui ordinis, & ſubverſione eccleſiaſticæ libertatis. Et ſi forte dominus rex in ſuis inhibitionibus vel ſummonitionibus, non de decimis, ſed de jure patronatus; non de fide mentita ſeu perjurio, ſed de catallis; non de ſacrilegio vel perturbatione eccleſiaſticæ libertatis, ſed de tranſgreſſione ſubditorum vel ballivorum ſuorum, quorum correctiones ad ſe tantum aſſerit pertinere, fecerit mentionem: tunc intiment ei prælati prædicti, quod non de patronatu, cujus cognitionem rex de facto

* Cor dominationis.

exercet, neque de catallis, ſeu aliis ad forum ipſius pertinentibus, cognoſcunt ſeu cognoſcere intendunt, ſed de decimis, peccatis, & aliis mere ſpiritualibus, ad officium & juriſdictionem eorum pertinentibus, & ad animarum ſalutem; monendo & rogando eumdem, quod ipſos non impediat in præmiſſis. Et nihilo minus, epiſcopus, & cujus res agitur, dominum regem iterato moneat, ut animæ ſuæ ſaluti conſulat, & ab hujuſmodi mandatis omnino deſiſtat. Et ſi non deſtiterit, tunc vicecomites & alii quicumque ballivi attachiantes, & diſtringentes, per locorum diœceſanos, in forma juris, per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias arceantur.

Idem fiat, ſi vicecomites aut ballivi ad attachiationes & diſtrictiones proceſſerint, pendentibus ſupradictis monitionibus, domino regi taliter faciendis.

Et ſi vicecomites aut ballivi in duritia ſua perſeveraverint, loca, in quibus commorantur, & terræ eorum, quas habent in provincia Cantuarienſi, per locorum diœceſanos, ad denunciationem diœceſani, in cujus epiſcopatu tales fuerint diſtrictiones, interdicto eccleſiaſtico, auctoritate præſentis concilii, ſupponantur. Et ſi taliter attachiantes, clerici fuerint & beneficiati ab officio ſuſpendantur. Et ſi in eorum malitia perſeveraverint, ad deſiſtendum & ſatisfaciendum per ſubtractionem proventuum ſuorum, quos obtinent, compellantur. Non beneficiati vero, in pœnam ſuæ malitiæ, per quinquennium, ſi ad beneficium eccleſiaſticum in provincia Cantuarienſi præſentati fuerint, minime admittantur.

Clerici vero qui brevia hujuſmodi attachiationum ſeu diſtrictionum dictaverint, ſcripſerint, ſignaverint, conſilium aut auxilium ad hoc præſtiterint faciendum, canonice puniantur. Et ſi de hoc fuerint certa ratione ſuſpecti, ad aliquod beneficium eccleſiaſticum obtinendum, donec ſuper his canonice ſe purgaverint, præcipimus non admitti. Et ſi dominus rex, vel alia quælibet ſæcularis poteſtas, ſuper hoc competenter monitus, hujuſmodi diſtrictiones ſeu attachiationes non revocaverit: epiſcopus, qui diſtrictus fuerit, terras, villas, dominicas, & caſtra, quæ dominus rex, vel alia ſæcularis poteſtas taliter diſtringens in ſuo epiſcopatu obtinet, eccleſiaſtico ſupponat interdicto. Et ſi rex vel alia ſæcularis poteſtas, contemptis pœnis hujuſmodi, in ſua duritia perſeveret: tunc archiepiſcopus, ad denunciationem epiſcopi conquerentis, convocatis duobus epiſcopis vel tribus, aut pluribus, quos duxerit evocandos, ſi in provincia præſens extiterit; alioquin, epiſcopus Londonienſis, tanquam decanus epiſcoporum, duobus epiſcopis vel pluribus ſibi adjunctis, dominum regem adeant, & ipſum moneant diligenter; requirentes, quod a mandatis ſuis ſuperſedeat ſupradictis.

Et ſi dominus rex, hortationibus & monitionibus obauditis, ad attachiationes vel diſtrictiones per ſe vel per alios proceſſerit: tunc ceteri coepiſcopi, diſtrictiones hujuſmodi, quaſi communem omnium cauſam, & privatiſſimam ſingulorum, & etiam communem injuriam eccleſiæ reputantes, civitates, terras, dominicas, burgos, caſtra, & villas ipſius regis vel alterius poteſtatis in ſuis epiſcopatibus conſiſtentes, auctoritate præſentis concilii, eccleſiaſtico ſupponant interdicto. Et ſi nondum, propter hoc, infra xx. dies poſtmodum attachiationes & diſtrictiones rex, vel poteſtas attachians vel diſtringens, revocaverit, ſed ob hoc manum contra eccleſiam aggravaverit & pectus cum Pharaone, durior inter flagella pœnarum: extunc archiepiſcopus & epiſcopi ſuas diœceſes eccleſiaſtico ſupponat interdicto. Idem fiat de terris, caſtris, burgis, & villis magnatum regalia habentium in provincia memorata.

Si vero epiſcoporum aliquis, circa executionem præmiſſarum pœnarum, in ſuis caſibus negligens inventus fuerit, aut remiſſus: per ſuum metropolitanum graviter arguatur. Et ſi perſeveraverit in negligentia, per eumdem canonice puniatur: & nihilo minus ſua diœceſis, omnium prælatorum & ſua auctoritate, voluntate, & conſenſu, in præſenti concilio interpoſitis & expreſſis, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

Item, ſtatuimus, ut ſi forte ab hac die in antea, ab aliquo epiſcopo, vel judice eccleſiaſtico, vel prelato inferiore compulſo per diſtrictiones vel ſponte comparente coram domino rege, vel juſtitiariis ſuis, ut alleget privilegium fori in caſu a jure non conceſſo, vel ut eos moneat, ut a prædictis deſiſtat injuriis, acta proceſſus ſui exigi contingat, ut per ea appareat, utrum contra prohibitionem regiam in aliquo prædictorum caſuum vel conſimilium proceſſerit: vel petatur ab eo ſuper his juramentum excuſationis vel purgationis, nullo modo exhibeat acta vel juret, cum inſtrumenta hujuſmodi ſive acta poſſint ab alterutra partium, ſi neceſſe fuerit, exhiberi. Et ſi clericus propter hoc fuerit arreſtatus, diœceſanus taliter arreſtati, vel aliter impetiti clerici, vel archiepiſcopus, vel epiſcopus Londonienſis, tanquam decanus epiſcoporum, cum aliquibus epiſcopis ſibi aſſociatis, ſi epiſcopus ſit ille qui fuerit in hoc caſu, requirant eum, & puniant detentores; & ſi neceſſe fuerit, in hoc caſu ad pœnas procedatur ſuperius annotatas.

Item, ſi aliquo evincente jus patronatus contra alium in foro regio, ſcribat rex epiſcopo, vel alteri, ad quem inſtitutio pertinet, quod præſentatum ab illo qui evicit admittat: ſi vacaverit beneficium, ne patrono fiat injuria, & aliter nihil canonicum obſiſtat, admittatur libere hujuſmodi præſentatus: ſi vero non vacat beneficium, hoc domino regi, vel ſuis juſtitiariis, ſtudeat intimare prælatus, excuſando ſe, quod, quia beneficium tale non vacat, non poteſt mandatum regium adimplere. Liceat autem patrono, ſi voluerit, poſſidentem iterum præſentare: ut ſic evincentis jus patronatus imposterum declaretur.

*De intruſis.*

Ad hæc, quoniam ambitio praviſſima, imitatrix virtutis, nihil ducit illicitum, quod ſibi æſtimat fructuoſum; nec curat quibus ſtudiis avare ſitim reficiat voluntatis, dum quæſtum reputans pietatem, abominandis & damnabilibus pretiis commercium venatur honoris: ſacro approbante concilio, diſtrictius inhibemus clericis quibuſcumque, cujuſcumque conditionis exiſtant aut ordinis, ne parochiales aut præbendales eccleſias, curam animarum habentes, ſive alia beneficia eccleſiaſtica, dignitates, vel perſonatus, propria auctoritate audeant occupare, vel in ipſis ſe faciant per laicalem potentiam intrudi. Quod ſi quis noſtræ hujuſmodi inhibitionis ſalutiferæ temerarius tranſgreſſor extiterit, & abſque eccleſiaſtica auctoritate, per laicalem potentiam intruſus fuerit in eccleſia, vel prebenda, ſive capella, aut eccleſiaſtico beneficio: ſervato juris ordine, excommunicationis ſententia percellantur, & excommunicatus per loci diœceſanum publice nuncietur, & ipſo beneficio in perpetuum careat ipſo facto,







Et ſi poſt latam in ſe ſententiam excommunicationis, in intruſione hujuſmodi & detentione ſic occupati beneficii, pertinaci animo per duos menſes perſtiterit: per locorum diœceſanos, in quorum diœceſibus habet alia beneficia eccleſiaſtica, ad denunciationem illius epiſcopi, in cujus civitate vel diœceſi ſe intruſit, vel procuravit intrudi, cujuſque monitionem & excommunicationem per dictum tempus contempſerit, proventus illorum beneficiorum ei ſubtrahantur omnino, quouſque ſatisfecerit competenter. Et ſi per annum idem intruſus in hujuſmodi excommunicationis ſententia perſeveraverit, extunc ad aliquod beneficium eccleſiaſticum in provincia Cantuarienſi minime admittatur. Si vero per clericum procuratorem fuerit intruſus, contra eumdem clericum procuratorem modo ſimili procedatur, & pœnis ſubjaceat ſupradictis. Si vero procurator talis, laicus fuerit: in forma juris excommunicetur, & excommunicatus publice nuncietur. Dominus autem abſens citetur, qui ſi comparens factum cujuſcumque procuratoris ratificaverit in hac parte, pœnis ſubjaceat ſupradictis. Si vero per contumaciam ſe abſentet, poſt ſpatium trium menſium expectatus, ſi ſit in regno, majoris excommunicationis ſententia innodetur, & pœnas nihilominus prætaxatas incurrat: maxime cum ſacrilegio inobedientiam adjecerit & contemptum. Si vero fuerit extra regnum, contra ipſum vocatum poſt dilationes tranſmarinas modo ſimili procedatur: & eccleſia vel præbenda, in qua facta fuerit talis intruſio, ſupponatur eccleſiaſtico interdicto. Fautores vero & cooperatores hujuſmodi intruſoris, ſi clerici fuerint, præfatas pœnas contra clericos editas perferant; & ſi laici fuerint, pœnis plectantur contra laicos ſuperius conſtitutis. Loca vero & terræ hujuſmodi intrudentium & intruſorum, ſi infra unum menſem non ſatisfecerint, eccleſiaſtico ſupponantur interdicto.

Si vero hujuſmodi intruſiones factæ fuerint ex regia poteſtate, moneatur dominus rex per loci diœceſanum, in quo facta fuerit intruſio, quod eas faciat infra tempus competens revocari: alioquin, terræ & loca, quæ dominus rex habet in illa diœceſi, in qua facta fuerit intruſio, ſupponantur eccleſiaſtico interdicto, ſecundum formam ſuperius annotatam. Si vero per alium magnatem ſeu poteſtatem fiat talis intruſio: per interdicta & excommunicationis ſententias, ut ſuperius dictum eſt, arceatur. Et ſi per duos menſes ſententiam ſuſtinuerit propter hoc in ſe latam, extunc terræ & loca, quæ obtinet in illa diœceſi, per loci diœceſanum ſupponantur eccleſiaſtico interdicto: nec relaxentur ſententiæ prætaxatæ, donec de injuria, inobedientia, & contemptu, ſatisfecerit competenter.

*De excommunicatis capiendis.*

Præterea contingit interdum, quod excommunicati, de mandato prælatorum, ſecundum conſuetudinem regni, capti & carceri mancipati, aliquando per regem, quandoque per vicecomites, alioſque ballivos, ſine conſenſu prælatorum, ad quorum mandatum ſic captorum deberet liberatio fieri, nulla ſatisfactione præſtita, liberantur. Et plerumque etiam hujuſmodi excommunicati non capiuntur, neque de ipſis capiendis litteræ regiæ conceduntur: nonnunquam etiam dicti rex & ſui ballivi, cum hujuſmodi excommunicatis & denunciatis publice communicant, claves eccleſiæ contemnendo, in ſubverſionem eccleſiaſticæ libertatis, & ſuarum periculum animarum. Huic igitur morbo congruam volentes adhibere medelam: ſtatuimus, quod excommunicati ſic capti, ac taliter exeuntes, ad majorem ſui deteſtationem, publice & ſolemniter, pulſatis campanis, & candelis accenſis, excommunicentur, & denuncientur excommunicati, in locis, ubi ordinariis eorumdem locorum videbitur expedire. Vicecomites autem & ballivi alii, qui eos liberaverint, non præſtita ſatisfactione eccleſiæ, vel emenda, innodentur ſententia ſimili, & tales publice nuncientur. Si tamen de mandato regio ad hoc proceſſerint: mitius cum eis, arbitrio ordinariorum, agatur. Si autem contingat, quod littera conſueta de excommunicato capiendo denegetur, cum ipſam requiri contingat, in caſu quo dari debet, ſecundum regni conſuetudinem approbatam: moneatur dominus rex per epiſcopum repræſentantem capiendum, quod eam concedat, & faciat pertranſire. Quod ſi non fecerit, civitates, caſtra, burgi, & villæ, quæ habet in diœceſi ſic ſcribentis epiſcopi, per ipſum ſupponantur eccleſiaſtico interdicto, donec petitæ taliter litteræ concedantur, & executionem debitam ſortiantur. Contra communicantes quoque & participantes cum excommunicatis; procedant ſecundum cenſuram eccleſiaſticæ diſciplinæ.

*De clericis captis, & per eccleſiam requirendis.*

Contingit etiam aliquando, quod clerici, ſine delectu perſonarum, quamquam in facto deprehenſi non fuerint, vel convicti, tanquam facinoroſi vel ſuſpecti de crimine ſeu delicto, injuria perſonali, capiuntur per potentiam laicalem, & in carcere detinentur, nec redduntur ſuis ordinariis eos requirentibus, ſecundum canones libere judicandi. Et ſi clerici, quibus crimina imponuntur, coram judicibus ſæcularibus vocati, non comparuerint, forbaniuntur a regno. Quia vero in hoc libertas eccleſiaſtica confunditur, cum clericus a laico judicatur: ſtatuimus, quod ſi clerici ſic capti noti fuerint & honeſti, ipſorum detentores, & ad requeſtum ordinariorum eos reddere recuſantes, per locorum ordinarios excommunicati publice nuncientur. Loca etiam, in quibus fuerint detenti, & terræ capientium, & eos detinentium, ſupponantur eccleſiaſtico interdicto: donec reddantur eorum corpora, & ſuper hujuſmodi exceſſu ſatisfecerint competenter. Illi autem, qui eis falſa crimina taliter impoſuerint: ſeu malitioſe confinxerint conventa vel fraudes, propter quæ capti fuerint & injuſte detenti, excommunicati ſimiliter publice nuncientur, cum vinculum excommunicationis incurrant, auctoritate Oxonienſis concilii, ipſo facto. Clerici vero vagi & ignoti, capti ex cauſis aliquibus & detenti, ſi in poſſeſſione inventi fuerint clericatus, per locorum ordinarios requirantur a domino rege, vel ab alio qui habet poteſtatem reddendi eoſdem, ut ipſos reſtituat per eccleſiam libere judicandos. Et ſi denegentur, procedatur contra denegantes & detentores, per pœnas ſuperius annotatas.

*De clericis amerciatis per judicem ſæcularem.*

Et ſi clerici eccleſiæ redditi, pro tranſgreſſione aliqua perſonali amerciati fuerint a judice ſæculari, prælati ad hujuſmodi amerciamenta ſolvenda, prædictos clericos non compellant, cum a non ſuis judicibus fuerint condemnati. Et ſi propter

ANNO CHRISTI 1261.

hoc prælatos diſtringi vel attachiari contingat: contra hujuſmodi attachiationes vel diſtrictiones, utantur remediis antedictis. Idem fiat quotieſcumque amerciati fuerint viri eccleſiaſtici per judicem ſæcularem, pro his, quæ ad forum eccleſiaſticum mere pertinere noſcuntur.

*De clericis diffamatis de foreſta.*

Item ſtatuimus, ut ſi aliquis clericus, de tranſgreſſione foreſtæ ſeu parci alicujus, diffamatus fuerit, & convictus legitime, coram ſuo ordinario, vel confeſſus: idem per ſuum diœceſanum, ſi bona habeat, pro qualitate tranſgreſſionis, graviter redimatur, & illi, cui noxia vel injuria eſt illata, hujuſmodi redemptio aſſignetur. Si autem bona non habeat, ſuus epiſcopus ipſum, prout culpa popoſcerit, graviter puniat in perſona, ne, propter impunitatis fiduciam, pateat præſumptoribus licentia delinquendi.

*Quod reſtituantur bona clericorum ſe purgantium.*

Ad hæc, ſi clerici ſe canonice purgaverint ſuper ſibi impoſitis & objectis, ac laica poteſtas nihilominus bona occupet, vel occupata detineat eorumdem: occupantes & detinentes bona, purgato hujuſmodi, ad reſtituenda ea per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

*De clericis captis, & abraſis, ſeu ſuſpenſis.*

Quod ſi aliqui clerici capti fuerint, tonſuram, & habitum clericalem habentes, & tempore medio malitioſe abraſi fuerint; vel ſuſpenſi, vel alio modo puniti: abradentes, vel ſuſpendentes, vel alio modo punientes eoſdem, & ad hoc, conſilium, favorem, & auxilium impendentes, pœnis ſubjaceant ſupradictis. Forbanientes quoque hujuſmodi clericos, pœnis conſimilibus percellantur.

*De falſis delatoribus & ſuggeſtoribus domino regi.*

Item, cum ſæpius domino regi & ſuis juſtitiariis falſo ſuggeratur, quod prælati & judices eccleſiaſtici de jure patronatus, catallis, & aliis ad forum regium pertinentibus cognoſcant, in domini regis præjudicium, cum iidem prælati & judices ſuper decimis, peccatis, ac ſuper exceſſibus ſuorum ſubditorum, vel ſuæ juriſdictionis officium, prout ad eos pertinet, interponant: moneantur hujuſmodi ſuggeſtores & delatores iniqui, ut a tali ſuggeſtione & delatione deſiſtant. Quod ſi prælatos, judices eccleſiaſticos, ſic delatos & accuſatos principi vel alteri poteſtati, propter delationem & incuſſionem hujuſmodi, damnificari contigerit ſeu vexari: tales ſuggeſtores & delatores Deo odibiles, & quantum in ipſis eſt, fratrum necatores, excommunicati publice nuncientur, tanquam violatores & impugnatores Chriſtianæ unitatis, & eccleſiaſticæ pacis ac etiam libertatis: donec de expenſis, damnis & injuriis, tam judicibus, quam partibus quas læſerit, ſatisfactionem exhibuerint competentem.

*De juramento veritatis præſtando a laicis coram ordinariis, cum de exceſſibus ſubditorum inquiritur.*

Evenit etiam interdum, quod, cum prælati eccleſiaſtici, ex officii ſui debito, de morum diſciplina, peccatis, & exceſſibus ſubditorum inquirunt, dominus rex, ceterique magnates, & aliæ poteſtates ſæculares, & milites, officia impediunt eorumdem, perſonis laicis inhibendo, ne, ad mandatum patrum & prælatorum ſuorum ſpiritualium, quibus vulnera tenentur detegere, ut medicinæ conſilium valeant reportare, de veritate dicenda ſubeant juramentum: nec permittunt aliquotiens dictos prælatos, ſubditis ſuis, in cauſis ſeu negociis eccleſiaſticis, pro exceſſibus ſive culpis eorum, corporalem pœnam vel pecuniariam imponere, ſecundum canonicas ſanctiones, pro culparum & pœnarum delinquentium qualitate. Quia vero tam jure poli, quam jure fori, hominibus idcirco metus pœnæ, & præmium virtutis proponitur, ut appetitus noxius refrænetur, & ad culpam facile prorucrent homines, ſi pœna non reprimeret tranſgreſſores, cum infelici felicitate peccantium, pœnalis nonnunquam nutriatur impunitas, & mala voluntas, velut hoſtis interior roboretur: ſtatuimus, quod laici ad præſtandum hujuſmodi juramentum, & ad exſolvendam quamlibet pœnam, tam corporales, quam pecuniarias, canonice per prælatos ſuos eis inflictas, præciſe per excommunicationis ſententiam compellantur. Impedientes vero ne juramenta prædicta præſtentur, aut pœnæ hujuſmodi exſolvantur, per interdicti & excommunicationis ſententias arceantur. Et ſi propter hoc ad diſtrictiones prælatorum proceſſum extiterit: contra diſtringentes, per pœnas dictatas ſuperius, procedatur.

*Quod Judæus delinquens in rebus eccleſiaſticis, reſpondeat coram judice eccleſiaſtico.*

Et quia modo conſimili eccleſiaſtica cenſura confunditur, & prælatorum officium impeditur, cum Judæus delinquens in rebus eccleſiaſticis & perſonis, ſuper his vel ſuper aliis, quæ ad forum eccleſiaſticum pertinent, mero jure coram eccleſiaſtico judice convenitur, & per regem, ſeu per vicecomites, aut ballivos, ſuper præmiſſis non permittitur coram eccleſiaſtico judice ſtare juri, ſed potius declinare compellitur ad forum ejus: ſtatuimus, ut hujuſmodi Judæi per interdictum commercii, contractuum & conventionis fidelium, ad reſpondendum in his caſibus coram eccleſiaſtico judice compellantur: & quod inhibentes & impedientes in hoc caſu juriſdictionem eccleſiaſticam, & hac de cauſa, judices vel alios diſtringentes & moleſtantes, per excommunicationis & interdicti ſententias arceantur.

*De his qui ad eccleſiam confugiunt.*

Item, cum ad immunitatem eccleſiæ confugientibus aliquando vix in alimentis valeat ſubveniri, propter arctam cuſtodiam, quæ frequenter apponitur circa ipſos, ac aliquando confugientes hujuſmodi ab eccleſiis vel cœmeteriis, aut viis publicis, poſt terræ abjurationem violenter ſæpius extrahantur, ac ſic extracti in præjudicium immunitatis eccleſiæ crudeliter occidantur: ſtatuimus, quod qui talibus confugis, quos quidem eccleſia tenetur tueri, alimenta impedierint miniſtrari, ſe-



ANNO CHRISTI 1261.

ſecundum arbitrium ordinariorum, per cenſuram eccleſiaſticam caſtigentur. Illos vero, qui hujuſmodi confugas ab eccleſia, vel cœmeterio, vel ab alio quocumque loco eccleſiaſticam immunitatem habente, poſt abjurationem patriæ, aut a via publica extrahentes, vel extractos taliter auſu ſacrilego occidentes, tunc ſub eccleſiaſtica protectione conſiſtant, omnibus pœnis ſacrilegii decrevimus puniendos, una reliquum minima conſumente. In eccleſia autem vel cœmeterio, nulla omnino deputetur cuſtodia, contra fugientes ad eccleſiam, per potentiam laicalem. Quod ſi ſecus præſumptum fuerit, tam cuſtodes, quam qui eos appoſuerint, in forma juris per excommunicationis ſententiam arceantur. Illos autem tantummodo tueatur eccleſia, quos canones præcipiunt eſſe tuendos.

*De invadentibus res eccleſiaſticas, & earum libertates infringentibus.*

Item, ut invadentibus bona eccleſiaſtica, & infringentibus eccleſiaſticas libertates, ac violatoribus & perturbatoribus earumdem, debitis remediis obvietur: præſenti ſtatuto præcipimus, quod hujuſmodi malefactores ſacrilegi, & excommunicationis vinculo irretiti, per locorum ordinarios nuncientur; & ſi in ſua malitia & pertinacia per unum menſem poſt hujuſmodi denunciationem pertinaciter perſeveraverint, extunc terræ ipſorum, & loca in quibus commorantur, ſupponantur eccleſiaſtico interdicto, nec ante utraque relaxetur ſententia, quam de damnis & injuriis ſatisfactum fuerit competenter. Illos autem, qui Divino non deferentes honori, eccleſias poſſeſſionibus, juribus, aut libertatibus ſuis ſpoliare præſumpſerint, in forma juris cenſemus anathemate feriendos, pœnis aliis editis contra ſacrilegos, uſque ad reſtitutionem & ſatisfactionem condignam percelli. Et ſi iidem ſacrilegi faciant aut procurent judices ſeu prælatos propter hoc attachiari vel diſtringi: tam ipſi, quam diſtringentes, pœnis in attachiatores & diſtrictores ſuperius editis percellantur.

*De cuſtodia cathedralium eccleſiarum & conventualium.*

Accidit etiam aliquando, quod, domino rege vel alio magnate, eccleſiarum * vel conventualium, de regni conſuetudine, cuſtodiam exercente, cum ſecundum chartam libertatum, ab eodem domino rege & ſuis prædeceſſoribus eccleſiæ conceſſarum, tantummodo rationabiles exitus capere debeat, & rationabiles conſuetudines, ac rationabilia ſervitia talis cuſtos, & hoc ſine deſtructione, diſſipatione, & vaſto, rerum & hominum: ballivi tamen, regis vel magnatis tutelam ſive cuſtodiam exercentes, præter tallagia immoderata, quæ imponunt hominibus & tenentibus eccleſiarum vacantium minus juſte, bona mobilia & immobilia plerumque hominum & tenentium prædictorum ſic vacantis eccleſiæ, in tali cuſtodia, ſeu cruciatu potius, conſtitutæ, conſumunt prodigaliter, & dirimunt violenter: parcos, nemora, & vivaria deſtruentes, & domos, habitationes, & grangias, ceteraque ædificia, quæ ſuſtineri deberent in bono ſtatu, ex negligentia vel malitia quandoque diſſipari & ruere permittentes, bona dilapidant, pauperes ac alios male tractant, non ſolum ad ea, quæ ratione cuſtodiæ obtinere conſueverant, manus extendunt: ſed etiam ad bona ſuperſtitum, & ad ea, de quibus conventus eccleſiarum ipſarum ſuſtentari deberet; & ad ea etiam, quæ ratione baroniæ, ad dominum regem, vel magnates alios, vel ad eorum adminiſtrationem ſeu diſpoſitionem, cum ſint ſpiritualia vel annexa ſpiritualibus, pertinere non poſſunt, utpote ad decimas, oblationes altaris, epiſcopatibus ſeu monaſteriis appropriatas, & ad ſimilia, quæ profanis uſibus applicari non debent. Ut igitur tali morbo ſalubris medicinæ remedio ſuccurratur, quia talis cuſtodiæ ratio, quæ in favorem eccleſiæ dinoſcitur introducta, non debeat in ejus læſionem retorqueri: præſenti ſtatuto præcipimus, quod ſtatim cum eſchaetores vel ballivi domini regis, vel aliorum magnatum, hujuſmodi cuſtodias ingreſſi fuerint, prælati, qui juriſdictioni præſunt, publice & ſolemniter interdicant dictis eſchaetoribus ſeu ballivis regiis, & aliis quibuſcumque, & ſub pœna excommunicationis diſtricte inhibeant, ne talia attentare præſumant. Quod ſi contra fecerint, denuncient eos in ſententiam excommunicationis latam in violatores & perturbatores eccleſiaſticæ libertatis incidiſſe, donec de damnis & injuriis ſatisfecerint competenter: quam ſententiam ſi poſt denunciationem hujuſmodi contempſerint, contra eos procedatur per interdicta & alias pœnas ſuperius recenſitas. Et niſi dominus rex, ſuper his competenter monitus, reſtituerit ſeu reſtitui fecerit ſic ablata, & damna reſarciverit vel reſarciri fecerit per ſuos illata, & alii magnates ſimiliter: procedatur contra eos, ſicut in aliis caſibus regem & magnates tangentibus, ſuperius eſt ſtatutum.

* *ſ. cathedralium vel conv.*

*De bonis laicorum ab inteſtato decedentium.*

Ceterum, contingit interdum, quod laicis [a] Divino decedentibus inteſtatis, domini feudorum non permittunt debita defunctorum ſolvi de bonis mobilibus eorumdem, nec in uſus liberorum ſuorum aut parentum, vel aliter pro diſpoſitione ordinariorum, bona prædicta pie diſtribui ſuſtinent pro defunctis. Unde ſtatuimus, quod hujuſmodi domini & eorum ballivi diligentius moneantur, ut a talibus impedimentis omnino deſiſtant. Quod ſi monitis parere contempſerint, & bona hujuſmodi inteſtatorum non permiſerint pie diſtribui in uſus miſericordiæ, pro diſpoſitione ordinariorum, ſaltem pro ea portione, quæ defunctum contingit, ſecundum conſuetudinem patriæ: eorum præſumptio per excommunicationis ſententiam compeſcatur. Modo ſimili procedatur contra eos etiam qui aſcriptitiorum & aliorum ſervilis conditionis hominum teſtamenta & ultimas voluntates impediunt, & deinceps præſumpſerint impedire, contra conſuetudines eccleſiæ Anglicanæ hactenus approbatas.

[a] *Lege, divino judicio; ut infra in Concilio Londinenſi 1342. cap. 7. Hard.*

*De teſtamentis & eorum executoribus.*

Inhibemus etiam hoc ſalubri ſtatuto, ne cuiquam executori permittatur adminiſtrare de bonis teſtatoris, niſi prius de omnibus bonis ipſius defuncti fiat fidele inventarium, quod loci ordinario oſtendatur. Et poſtquam coram ordinario, juxta morem, probatum fuerit teſtamentum, non permittatur aliquibus executio ſeu adminiſtratio in bonis defunctorum, niſi talibus qui debitam adminiſtrationis ſuæ poſſint reddere, ſi neceſſe fuerit, rationem, cum ſuper hoc, per locorum ordinarios, canonice fuerint requiſiti.

Item, ſtatuimus præſentis authoritate concilii, ne aliqui religioſi, cujuſcumque profeſſionis exiſtant,

ANNO CHRISTI 1261.

ſtant, ſint executores teſtamentorum, niſi de licentia ordinariorum & voluntate procedat.

Item, teſtamentis coram ordinariis locorum probatis, & approbatis, eorundem probatio, ſeu approbatio teſtamentorum a laicis nullatenus exigatur: nec impediant laici, nec impedire procurent, quo minus ultimæ voluntates defunctorum procedant, in his præſertim, quæ legari poſſint de conſuetudine vel de jure. Si qui vero contra hoc ſtatutum auſu temerario venire præſumpſerint, ſciant ſe, authoritate præſentis ſacri concilii, eſſe excommunicationis ſententia involutos: & in eos tanquam eccleſiaſticarum libertatum violatores & perturbatores cenſuræ gladium exercendum.

*De teſtamento conjugatæ ſive ſolutæ.*

Item ſtatuimus, ne quis, alicujus ſolutæ mulieris ſive conjugatæ, alienæ vel propriæ, impediat vel perturbet, ſeu impediri aut perturbari faciat, ſeu procuret juſtam & conſuetam teſtamenti liberam factionem: quod ſi fecerit, ſciat ſe excommunicationis innodatum ſententia ipſo facto.

Item ſtatuimus, quod de portione, quæ defunctum contingit, eccleſia jus percipiat conſuetum, deductis tamen prius de communi his quæ debentur, & quod domino debetur, ac expenſis funerariis.

Item ſtatuimus, quod nullus executorum aliquid retineat de bonis defuncti, cujus teſtamentum exequitur, emptionis titulo, vel aliquo modo alio: niſi fuerit ſibi a teſtatore inter vivos donatum, vel in teſtamento ſeu ultima voluntate relictum.

*De ſacramentis confeſſionis & pœnitentiæ.*

Præterea, cum ſacramentum confeſſionis & pœnitentiæ, ſecunda poſt naufragium tabula, vel ultimus humanæ navigationis propoſitus[*], ac finale refugium, ſit unicuique peccatori pernecessarium ad ſalutem: ſub pœna excommunicationis diſtrictius præcipimus, ne aliquis impedire præſumat, quod hujuſmodi ſacramentum pœnitentiæ unicuique petenti libere impendatur, & ſpatium liberum confitendi: quod propter incarceratos potiſſime ſuadetur, quibus hujuſmodi ſacramentum ſæpius inhumaniter denegatur, ne dicamus infideliter; & ſi interdum confitendi eis ſpatium datur, hoc eis ita breve & inopportune conceditur, quod potius miſeris cedat in deſolationem ac deſperationis periculum, quam in conſolationem gaudii ſpiritualis.

[*] Corr. portus,

*De apparitoribus ſive bedellis.*

Item, contra gravamina & exceſſus, quæ per bedellos, ſive apparitores archidiaconorum & decanorum, ſubditis inferri didicimus, remedium adhibere volentes: ſtatuimus, ut cum profitendis[**] executionibus, aut pro aliis neceſſitatibus, ad hoſpitia rectorum, vicariorum, ſeu capellanorum vel aliorum ſacerdotum vel clericorum, aut religioſorum eos declinare contigerit, nihil omnino ratione procurationis vel altaris ſervitii exigant ab eiſdem, ſed cum gratiarum actione recipientes ea, quæ eis ab hoſpitibus apponentur, & illis contenti exiſtant. Neque per nuncios aut ſubbedellos, ſed per ſe ipſos executiones faciant præceptorum. Sententias autem excommunicationis, interdicti, ſeu ſuſpenſionis, per ſe non ferant, neque per alios latas denuncient ſine ſpecialibus litteris dominorum ſuorum. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, ſententiæ ſic latæ, ipſo facto non teneant, neque ſerventur, cum in veritate non ligent. Et bedelli, qui contra hoc ſtatutum fecerint, & onoroſi ſeu injurioſi ſubditis dominorum inventi fuerint, graviter puniantur, & gravatis duplum reſtituere teneantur vel compellantur.

[**] Corr. proficiendis, ut loqui ſolebant.

*De tonſura clericorum & corona.*

Item ſtatuimus, quod epiſcopi in ſuis ſynodis & aliis convocationibus, & ſinguli archidiaconi & decani in ſuis capitulis, & rectores, vicarii, ſive capellani eccleſiarum parochialium, in ſuis eccleſiis, ter in anno publice denuncient omnibus, qui privilegio clericali gaudere voluerint, quod tonſuram decentem & coronam raſi capitis deferant competentem; maxime coram ordinariis ſuis, & in eccleſiis, & in congregationibus clericorum. Nec erubeſcant ipſius portare ſtigmata, qui proeis ſpineam non dedignatus eſt portare coronam; factus patri uſque ad mortem obediens, ut eos ſuæ reſurrectionis tribueret eſſe participes, & hæreditatis pretio ſui ſanguinis adquiſitæ conſortes. Comminaturi eis, quod qui contra denunciationem iſtam ſecus præſumpſerint attentare, quod ſui ſignum ſalvatoris erubuerint frontibus ſuis imprimere, fruſtra ſalvatoris debebunt auxilium implorare, cum privilegium dignitatis mereatur amittere, qui conceſſa ſibi abuti detegitur dignitate.

*De carceribus in qualibet diœceſi habendis.*

Item ſpeciali præcepto ſtatuimus, quod quilibet epiſcopus in ſuo epiſcopatu habeat unum vel duos carceres, prout competentius & ſecurius poterit providere, pro clericis flagitioſis deprehenſis in crimine, vel convictis, juxta cenſuram canonicam detinendis.

Item ſtatuimus, quod ſi clericus aliquis adeo malitioſus & incorrigibilis fuerit, & ad flagitia committenda fuerit conſuetus, quod ſi eſſet laicus, ſecundum leges ſæculi, ultimum deberet pati ſupplicium, talis clericus carceri perpetuo addicatur. In his autem, quæ non ex voluntate & propoſito, ſed caſu fortuito, vel iracundia, aut forte inſania, talia commiſerit, antiqua decrevimus jura ſervari.

Hæc autem ſtatuta noſtra prædicta, tam ad præſentia negotia extendi volumus, quam etiam ad futura, optantes omnibus ſanctæ eccleſiæ libertates & jura ſervantibus, poſt labentis commoda ſæculi, deſideranda gaudia duraturi.

Acta ſunt hæc in concilio apud Lambethe celebrato, & recitata in ultima actione dicti concilii, die Veneris III. Id. Maii. B. littera Dom. currente. Anno Domini MCCLXI. anno pontificatus domini Alexandri papæ quarti ſeptimo. In cujus rei teſtimonium, &c.

## ** G. C. ADDITIO ad concilium Lambethenſe.

MAtthæus Weſtmonaſterienſis ad hunc annum: Poſt Paſcha, *inquit*, Bartholomæus archiepiſcopus Cantuarienſis, authoritate fretus apoſtolica, concilium celebravit provinciale apud Lambetham, juxta Londinum, conſilio præſulum provinciæ ſuæ, ſuper executione præfati mandati apoſtolici contra Tartaros, qui jam orbem terræ maxima ex parte graviter oppreſſerant, prout ſuperius plenius demonſtratur. Ad quod quidem Divinæ indignationis flagellum Deo duce eruendum, ſanxerunt ſancti Patres concilio huic aſſiſtentes, ad proceſſiones & jejunia, & alia hujuſcemodi pietatis opera recurrendum: per quæ, ſi in ſpiritu humilitatis & in animo contrito Domino offerrentur, Divina ceſſante iracundia, propter peccata populi ad vindictam ſuccenſa, fideles populos fore conſiderent miſericorditer liberandos.

G. C. VValterus de Reygate legatus in Angliam a pontifice miſſus, ut auxilio contra Tartaros aliiſque rebus provideret: *veniens*, inquit VVeſtmonaſterienſis, *fecit ſummoneri omnes Angliæ prælatos, ut in quindena Paſchæ coram ipſo Londini conveniant, & mandatis auditis papalibus, de reſponſis ſalutaribus tractare non omittant.* Videri ergo poſſet interfuiſſe huic concilio, quando celebratum eſt illo ipſo, quod indixerat, tempore. Sed cum nulla neque in actis concilii, neque apud VVeſtmonaſterienſem, ſit legati mentio: non dubito quin indictum ab ipſo concilium dilatum ſit ad XVII. Kal. Junias, quo die Londinenſi concilio præfuit, ut mox intelliges.

## *** CONCILIA UBIQUE TERRARUM ANNO MCCLXI. CELEBRATA.

G. C. ALexander papa cum decreviſſet, *ait Weſtmonaſterienſis ad annum MCCLXI.* concilium ſuum generale in quindena Paſchæ celebrare: audito tandem viciniore incurſu Tartarorum in terras Chriſtianorum, prædictum tum diſtulit decretum. Poſtea vero audiens prædictos Tartaros uſque ad LII. millia in Hungaria trucidatos, timenſque reſiduos ſibi ceteriſque Chriſtianis in brevi nocituros: ſummoneri fecit omnes prælatos tranſalpinos & viciniores, ut citra[*] feſtum apoſtolorum Petri & Pauli Romæ conveniant, proviſuri, qualiter prædictis inimicis reſiſtant.

[*] ſ. circa

*Interim autem, ait Stero,* direxit litteras regibus & ducibus, archiepiſcopis & univerſis principibus Chriſtianis, hortando ipſos, ut contra rabiem Tartarorum conſiliis & armis ſe præmunire deberent: *atque (ut habent Urbani IV. litteræ ad archiepiſcopum Nidroſienſem, relatæ a Raynaldo ad annum MCCLXII. num. 29. & deinceps)* quæ & qualia ſubventionis auxilia particulariter ob hoc indici deberent cleris & populis Chriſtianis.

*Has deliberationes in conciliis haberi pontifex juſſerat, ut docent Siffridus presbyter, & Matthæus Weſtmonaſterienſis. Matthæi verba partim allata ſunt ad Lambethenſe concilium, partim mox afferentur ad alia duo concilia Britannica: Siffridi vero teſtimonium ad Moguntinum ejuſdem anni concilium.*

## *** CONCILIA DUO BRITANNICA, LONDINENSE ET BEVERLACENSE.

### Adverſus Tartarorum incurſiones ann. MCCLXI.

MAtthæus Weſtmonaſterienſis, *ad annum MCCLXI.* Menſe, *inquit*, Maii ſummonitis omnibus Angliæ prælatis, ſcilicet archiepiſcopis, epiſcopis, & abbatibus, tam exemptis, quam non exemptis, prioribus, archidiaconis, & aliis eccleſiarum ordinariis, ut ſcilicet, auditis domini papæ mandatis, certis eidem ſatisfacerent in reſponſis: die Lunæ ante feſtum S. Dunſtani convenerunt omnes auſtrales Londini coram archiepiſcopo Cantuariæ Bartholomæo, & prædicto fratre Guillelmo[*] nuncio domini papæ. Die vero Lunæ ſequente, aquilonares apud Beverley coram archiepiſcopo Eboracenſi negotium idem exequente. Celebratoque hinc inde concilio ſuper prædictis articulis, ſtatuta tunc quædam nova providerunt hic & ibi ſuper ſtatum eccleſiæ Anglicanæ: quæ, una cum aliis quondam apud[**] Oxoniam proviſis, ſtatuerunt cuſtodiri.

Londinenſe. 16. Maii.

Eboracenſe. 23. Maii.

[*] Corr. Galthero, ut ex ſuperioribus conſtat.

[**] ann. 1222

Super his autem & aliis, maxime ad reſiſtendum Tartaris, communiter proviſis, nuncios diſcretos & generales providerunt Romam dirigere, qui communi eorum burſa victuri, dominum papam poſſent ſuper eorum reſponſis in concilio Romæ celebrando certificare. Hi, ut communiter dicitur, juraverunt coram prædictis epiſcopis, quod nihil contra ipſos procurabunt, aut patientur pertranſire: ſed contra religioſos, & maxime exemptos, ſtudebunt contendere. Unde ipſi exempti, omnibus aliis certa reſponſa donantibus, ita tunc una voce reſponderunt: Vos pro vobis tantum, & contra nos, legatos mittitis ad curiam, & ad hoc nos cogitis vobis contribuere. Si nuncios velitis generales pro communi noſtrum utilitate tranſmittere, vobiſcum libenter contribuemus: ſin autem, non conſentimus. Quo audito epiſcopi ſuam exinde ſumpſerunt excuſationem, reſcribentes papæ, ſe propter diviſionem exemptorum certam dare non poſſe reſponſionem. Ipſi igitur exempti timentes, nuncios poſt ipſos certius deſtinarunt ſpeciales, qui contra prædictos procurarent, aut eorum contradicendo annullarent impetrationes. *Hactenus Weſtmonaſterienſis.*

CON-

ANNO CHRISTI 1261.

# ** CONCILIUM MOGUNTINUM

## DE RESISTENDO TARTARORUM

## Incurſionibus, anno Domini MCCLXI.

*Cum celebrata ſint, uti modo diximus, ubique hoc anno concilia: Moguntini nominatim extat mentio in Siffridi presbyteri epitome.* Anno, *inquit*, MCCLXI. celebrata ſunt concilia, in Moguntia ab archiepiſcopo Wernero, & alias ab aliis ar- A chiepiſcopis, jubente papa Alexandro, contra Tartaros & alia pericula: ut per verbum crucis & orationes fidelium, inimicis eccleſiæ reſiſteretur. *Hoc tantum Siffridus.*

# VITA URBANI PAPÆ IV.

URBANUS quartus, cui Jacobi Pantaleonis B nomen fuerat, Trecis in Gallia oriundus, patriarcha Hieroſolymitanus, Viterbii in Tuſcia, ubi tunc propter tyrannidem Manfredi regis Siciliæ & potentiam Gibellinorum eccleſiam perſequentium Romana curia erat; diuque permanſit, abſens electus eſt pontifex anno Redemptoris 1261. regnante Richardo Cornubiæ comite, & regis Angliæ fratre. Ut ſecurior a malevolorum inſidiis eſſet, Orvietum ſe recepit: cumque nulla ratione a Manfredi potentia & tyrannide ſeſe defendere poſſet, in extrema rerum calamitate definivit, ut auxiliares copiæ, quæ ut in Aſiam trajicerentur delectæ erant, e Galliis advocarentur: quæ, accepta a pontifice benedictione, omnem Manfredi exercitum ex Saracenis conflatum deſe- C verunt. Eo tempore Romani debitam obedientiam pontifici nullam præſtabant: verum magiſtratum ſuo genio & voluptati, deſervientem pro libito ſibi deligebant. Quem ſui contemptum Urbanus ex eo procedere videns, quod omnem ſuam authoritatem a Manfredi iniquitate & injuriis depreſſam & obſcuratam viderent: concilio Orvieti habito concluſum eſt, ut Carolus Andegaviæ comes, Franciæ regis frater, in Italiam cum titulo regni Neapolitani advocaretur. Et quamquam ad eam legationem perficiendam cardinalis miſſus eſſet: nihil tamen ejus rei, niſi ſubſequentis pontificis tempore, executionem ſuam ſortitum eſt. D Hoc unum poſt hominum memoriam celeberrimum ad poſteros tranſmiſit, quod ſuo tempore auguſtiſſimi ac ſimul ſacratiſſimi corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti celebritatem inſtituerit, idque ad hæreſim contrariam verbo ſimul & facto impugnandam, quæ his temporibus venerabili ſacramento debitum cultum indebite adimebat. Fueritne pontifex ad hanc feſtivitatem inſtituendam religioſæ cujuſdam mulieris inſtructu ac revelatione, ut aſſerit Molanus, vel potius miraculoſa ſanguinis effluxione, quod ſcribit Tempeſta, commotus, aliorum eſto judicium. Porro tantæ celebritatis ſanctiſſimi corporis Chriſti officium, quam- E quam iiſdem temporibus cura Julianæ editum eſſet, ac magnorum theologorum calculo approbatum: divus tamen Thomas ab Aquino ad id perfectius præſtandum authoritate apoſtolica delectus fuit. In quo, ut in ceteris, ſuo munere adeo affabre functus eſt, ut Divina cenſura opus ab eodem ea re compoſitum approbari meruerit. Nam cum cum ante Crucifixum provolutus intentius oraret, vocem, nemine comparente, audivit: Bene ſcripſiſti de me, Thoma. Et in eo profecto ampliorem laudis cumulum jure ſibi vendicare poſſet, quam ut hic anguſte & jejune memoretur. Ut vero ad Urbanum redeamus, poſtquam urbem Orvietum præclaris ædificiis tam privatis quam publicis exornaſſet, Peruſii ad vitæ periodum perductus obiit, ſexto nonas Octobris, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, cum pontificatum tribus annis & triginta quatuor diebus adminiſtraſſet. Sedes ejus morte quinque menſibus vaca- C vit. Eodem tempore floruit Albertus, cognomento Magnus, inſigni laude ob eximiam eruditionem merito digniſſimus, quippe cujus magiſterio divum Thomam doctorem angelicum ad multorum inſtructionem accepimus.

## EPISTOLA I.

## URBANI PAPÆ IV.

## AD EVAM RECLUSAM SANCTI MARTINI LEODIENSIS.

### De feſto corporis Chriſti.

*Urbanus epiſcopus dilectæ in Chriſto filiæ Evæ recluſæ ſancti Martini Leodienſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SCIMUS, o filia, quod magno deſiderio deſideravit anima tua, ut ſolenne feſtum ſacratiſſimi corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti inſtitueretur in eccleſia Dei, a Chriſti fidelibus perpetuis temporibus celebrandum: & ideo tibi ſignificamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem catholicæ fidei digne duximus ſtatuendum, ut de tam mirabili ſacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipſo facit eccleſia, ſpecialior & ſolennior memoria celebretur: ad hoc diem



ANNO CHRISTI 1261.

diem deſignantes certum, ut in eo turbæ fidelium A propter hoc affectuoſe ad eccleſias concurrant, ſitque dies ille univerſis Chriſticolis nova feſtivitate jucundus, & ampla jucunditate feſtivus, prout in litteris apoſtolicis, quas per univerſum orbem dirigimus, plenius continetur. Et ſcias quod nos hujuſmodi feſtum cum omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, ceteriſque eccleſiarum prælatis tunc apud ſedem apoſtolicam commorantibus, ad hoc ut videntibus & audientibus de tanti feſti celebritate ſalubre præberetur exemplum, duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo. Quia viderunt jam oculi tui ſalutare tuum, quod paravimus ante faciem omnium populorum. Lætare inſuper, quia omnipotens Deus tribuit tibi deſiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudavit te cœleſtis gratiæ plenitudo.

Et quia quaternum, in quo ipſius feſti habetur officium, tibi ſub bulla noſtra per latorem præſentium deſtinamus, volumus, & per apoſtolica ſcripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipſum cum devotione recipias, & ejus copiam perſonis illam petentibus exhibeas liberaliter & libenter: & inſtes devotis precibus apud illum qui memoriale tam ſalutiferum de ſeipſo reliquit in terris, ut nobis ex alto tribuat gratiam, commiſſam noſtro regimini eccleſiam ſuam regendi utiliter, ad laudem & gloriam ſui nominis, & ſalubriter gubernandi.

Datum apud Urbem veterem ſexto Idus Septem- C bris, pontificatus noſtri anno quarto.

## II. AD OMNES PRÆLATOS.

### De eodem.

*Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

TRanſiturus de hoc mundo ad patrem ſalvator noſter dominus Jeſus Chriſtus, cum tempus ſuæ paſſionis inſtaret, ſumpta cœna in memo- D riam mortis ſuæ, inſtituit ſummum & magnificum ſui corporis & ſanguinis ſacramentum, corpus in cibum, & ſanguinem in poculum tribuendo. Nam quotiens hunc panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus. In inſtitutione quidem hujus ſacramenti dixit ipſe apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ut præcipuum & inſigne memoriale ſui amoris eximii, quo nos dilexit, eſſet nobis hoc præcelſum & venerabile ſacramentum: memoriale, inquam, mirabile ac ſtupendum, delectabile, ſuave, tutiſſimum, ac ſuper omnia pretioſum, in quo innovata ſunt ſigna, & mirabilia immutata; in quo habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur; in E quo utique vitæ ſuffragium conſequimur & ſalutis. Hoc eſt memoriale dulciſſimum, memoriale ſalvificum, in quo gratam redemptionis noſtræ recenſemus memoriam, in quo a malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipſius corporali præſentia Salvatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, ſpiritu menteque complectimur: ſed non propter hoc realem eorum præſentiam obtinemus. In hac vero ſacramentali Chriſti commemoratione Jeſus Chriſtus præſens, ſub alia quidem forma, in propria vero

1. Cor. 11.

ſubſtantia eſt nobiſcum. Aſcenſurus enim in cœlum dixit apoſtolis & eorum ſequacibus: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: benigna ipſos promiſſione confortans, quod remaneret & eſſet cum eis etiam præſentia corporali. O digna & nunquam intermittenda memoria, in qua mortem noſtram recolimus mortuam, noſtrumque interitum interiiſſe, ac lignum vivificum ligno crucis affixum fructum nobis attuliſſe ſalutis! Hæc eſt commemoratio glorioſa, quæ fidelium animos replet gaudio ſalutari, & cum infuſione lætitiæ devotionis lacrymas ſubminiſtrat: exultamus nimirum, noſtram memorando liberationem; & recolendo paſſionem Dominicam, per quam liberati ſumus, vix lacrymas con- B tinemus. In hac itaque ſacratiſſima commemoratione adſunt nobis ſuavitatis gaudium ſimul & lacrymæ: quia & in ea congaudemus lacrymantes, & lacrymamur devote gaudentes, lætas habendo lacrymas, & lætitiam lacrymantem, nam & cor ingenti perfuſum gaudio dulces per oculos ſtillat guttas. O Divini amoris immenſitas, Divinæ pietatis ſuperabundantia, Divinæ affluentia largitatis! Dedit enim nobis Dominus omnia, quæ ſubjecit ſub pedibus noſtris, & ſuper univerſas terræ creaturas contulit nobis dominii principatum. Ex [a] miniſtris etiam ſpirituum ſuperiorum nobilitat & ſublimat hominis dignitatem. Adminiſtratorii namque ſunt omnes in miniſterium, propter eos qui hæreditatem ſalutis capiunt, deſtinati. Et C cum tam copioſa fuerit erga nos ejus munificentia, volens adhuc ipſe nobis ſuam exuberantem caritatem præcipua liberalitate monſtrare: ſemetipſum nobis exhibuit, & tranſcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit ſe in cibum. O ſingularis & admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, & datum eſt idem penitus cum datore! Quam larga & prodiga largitas, cum tribuit quis ſeipſum. [b] Dedit igitur nobis ſe in pabulum, ut quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipſe relevetur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum, relevatus eſt homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit eſca mortis, in iſto pependit vitæ alimentum. Illius eſus meruit læſionem, iſtius guſtus intulit ſanitatem. Guſtus ſauciavit, & gu- D ſtus ſanavit. Vide quia unde vulnus eſt ortum, prodiit & medela: & unde mors ſubiit, exinde vita evenit. De illo ſiquidem guſtu dicitur. *Quacumque die comederis, morte morieris.* De iſto vero loquitur: *Si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Hic eſt cibus qui plene reficit, vere nutrit, ſummeque impinguat, non corpus, ſed cor; non carnem, ſed eſcam; non ventrem, ſed mentem. Homini ergo, qui ſpirituali alimonia indigebat, Salvator ipſe miſericors, de nobiliori & potentiori hujus mundi alimento, pro animæ refectione pia diſpoſitione providit. Decens quoque liberalitas extitit, & conveniens operatio pietatis, & " verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus eſt & refectio, factum caro, ſe E rationabili creaturæ carni & corpori, homo " videlicet, in edulium largiretur. Panem enim angelorum manducavit homo: & ideo Salvator ait: *Caro mea vere eſt cibus.* Hic panis ſumitur, ſed vere non conſumitur; manducatur, ſed non tranſmutatur, quia in edentem minime transformatur: ſed ſi digne recipitur, ſibi recipiens conformatur. O excellentiſſimum ſacramentum, o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum ſtudiis, devotis proſequendum obſequiis, & ſinceris men-

Matth. 28.

a Forte, miniſteriis. H.

b Forte, cibum. H.

" Corr. ut

" for. homini.

Ibid.

ANNO CHRISTI 1261.

mentibus retinendum! O memoriale nobiliſſimum intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reſervandum in cordis utero & meditatione, ac celebritate ſedula recenſendum! Hujus memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut illius, cujus ipſum fore memoriale cognoſcimus, ſemper memores exiſtamus: quia cujus donum vel munus frequentius aſpicitur, hujus memoria ſtrictius retinetur. Licet igitur hoc memoriale ſacramentum in quotidianis Miſſarum ſolenniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur & dignum, ut de ipſo ſemel ſaltem in anno, ad confundendam ſpecialiter hæreticorum perfidiam & inſaniam, memoria ſolemnior & celebrior habeatur. In die namque cœnæ Domini, quo die ipſe Chriſtus hoc inſtituit ſacramentum, univerſalis eccleſia pro pœnitentium reconciliatione, ſacri confectione chriſmatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis, quamplurimum occupata, plene vacare non poteſt celebrationi hujus maximi ſacramenti. Hoc enim circa ſanctos, quos per anni circulum veneramur, ipſa obſervat eccleſia, ut quamvis in litaniis & Miſſis, ac aliis etiam, ipſorum memoriam ſæpius renovemus: nihilo minus tamen ipſorum natalitia certis diebus per annum ſolennius recolat, feſta propter hoc eiſdem diebus ſpecialia celebrando. Et quia in his feſtis circa ſolennitatis debitum, aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur: ſtatuit ipſa mater eccleſia certum diem, in qua generaliter omnium ſanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipſorum celebratione communi, quidquid in propriis ipſorum feſtivitatibus omiſſum exiſteret, ſolveretur. Potiſſime igitur exequendum eſt erga hoc vivificum ſacramentum corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, qui eſt ſanctorum omnium gloria & corona, ut feſtivitate ac celebritate præfulgeat ſpeciali: quatenus in eo, quod in aliis Miſſarum officiis circa ſolennitatem eſt forſitan prætermiſſum, devota diligentia ſuppleatur; & fideles, feſtivitate ipſa inſtante, intra ſe præterita memorantes, id quod in ipſis Miſſarum ſolenniis, ſæcularibus forſan agendis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana, minus plene geſſerunt, tunc attente in humilitate ſpiritus & animi puritate reſtaurent. Intelleximus autem olim, dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam catholicis divinitus revelatum, feſtum hujuſmodi generaliter in eccleſia celebrandum. Nos itaque ad corroborationem & exaltationem catholicæ fidei, digne ac rationabiliter duximus ſtatuendum, ut de tanto ſacramento, præter quotidianam memoriam, quam de ipſo facit eccleſia, ſolennior & ſpecialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc deſignantes & deſcribentes diem, videlicet feriam quintam proximam poſt octavam Pentecoſtes: ut in ipſa quinta feria devotæ turbæ fidelium propter hoc ad eccleſias affectuoſe concurrant, & tam clerici quam populi gaudentes in cantica laudum ſurgant. Tunc enim omnium corda & vota, ora & labia, hymnos perſolvant lætitiæ ſalutaris: tunc pſallat fides, ſpes tripudiet, exultet caritas, devotio plaudat, jubilet chorus, puritas jucundetur. Tunc ſinguli alacri animo pronaque voluntate conveniant, ſua ſtudia laudabiliter exequendo, tanti feſti ſolennitatem celebrantes. Et utinam ad Chriſti ſervitium ſic ejus fideles ardor inflammet, ut per hæc & alia proficientibus ipſis meritorum cumulis, apud eum qui ſeſe dedit pro eis in pretium, tribuitque ſe ipſis in pabulum, tandem poſt hujus vitæ decurſum eis ſe in præmium largiatur. Ideoque univerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino, & per apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, in remiſſionem peccatorum injungentes: quatenus tam excelſum & tam glorioſum feſtum, prædicta quinta feria, ſingulis annis, devote & ſolenniter celebretis, & faciatis ſtudioſe per univerſas eccleſias civitatum veſtrarum & diœceſum celebrari, ſubditos veſtros in Dominica dictam quintam feriam proxime præcedente, ſalutaribus monitis ſolicite per vos & per alios exhortantes, ut per veram & puram confeſſionem, eleemoſynarum largitionem, attentas & ſedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera taliter ſe ſtudeant præparare, quod hujus precioſiſſimi ſacramenti mereantur fieri participes illa die, poſſintque ipſum ſuſcipere reverenter, ac ejus virtute augmentum conſequi gratiarum. Nos enim Chriſti fideles ad colendum tantum feſtum & celebrandum donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui matutinali officio feſti ejuſdem in eccleſia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum; qui vero Miſſæ, totidem; qui autem in primis ipſius feſti veſperis interfuerint, ſimiliter centum; qui vero in ſecundis, totidem; illis vero qui primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, ac completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipſarum, quadraginta; illis autem qui per octavas illius feſti matutinalibus, veſpertinis, Miſſæ ac prædictarum horarum officiis interfuerint, centum dies, ſingulis octavarum ſuarum diebus, in omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum apoſtolorum ejus Petri & Pauli authoritate confiſi, de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus. Datum, &c.

Ejuſdem pontificis epiſtolæ quædam extant tomo V. hiſtor. Franc. Ducheſnii pag. 418. & ſequ. tum pag. 864. & ſeq. Multæ etiam apud annalium eccleſiaſticorum ſcriptores.





ANNO CHRISTI 1262.

# ** CONCILIUM COPRINIACENSE.

Ex codice Santonenſium conſtitutionum, & ex MS. editum.

Conſtitutiones provinciales factæ in ſynodo apud Cognac, præſidente domino Petro Dei gratia Burdegalenſi archiepiſcopo, anno Domini MCCLXII. in primo anno promotionis ſuæ.

## TITULI CAPITULORUM.


1. *Ut loca in quibus res vel perſonæ eccleſiaſticæ captæ detinentur, ſubjaceant interdicto.*
2. *De illis qui impediunt juriſdictionem eccleſiaſticam.*
3. *De excommunicatis compellendis.*
4. *Ut detentores non abſolvantur ab excommunicatione, niſi reſtituant.*
5. *Quomodo impediendi, qui publice celebrant Divina durante interdicto.*
6. *De vicariis non conſtituendis.*
7. *Quomodo debent pronunciari conſtitutiones provinciales in ſynodo.*


## CAPITULA.

### I.

*Ut loca in quibus res vel perſonæ eccleſiaſticæ captæ detinentur, ſubjaceant interdicto.*

STatuimus, & ſacri approbatione concilii definimus, quod loca, villæ, caſtra, civitates, ſive parochiæ, in quibus res eccleſiæ aut perſonarum eccleſiaſticarum, vel ipſæ perſonæ, capta, rapta, invaſa, vel occupata detinebuntur, niſi, monitione præmiſſa, ſolvantur vel recredantur, ipſo facto ſubjaceant interdicto: ipſis etiam capientibus, invadentibus, occupantibus, detinentibus, & id fieri procurantibus, excommunicationis ſententiæ ſubjacentibus ipſo facto. Et ſi forte alibi transferantur, ut aliquando comperimus eſſe factum: loco illo in quo facta eſt translatio, ſubjacente denuo interdicto, primum interdictum nihilo minus in ſuo robore perſeveret. Et ſi ad plura loca tranſlationem contingat fieri, idem duximus obſervandum.

### II.

*De illis qui impediunt juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Rurſus illos qui impediunt quoquo modo, vel procuraverint impedire, ne cauſæ quæ ad forum eccleſiaſticum de jure vel de conſuetudine pertinere noſcuntur, in foro eccleſiaſtico ventilentur, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

### III.

*De excommunicatis compellendis.*

Cum quos timor Dei a malo non revocat, pœna debeat cohibere temporalis: ſtatuimus, quod barones & alii juriſdictionem temporalem habentes, ad compellendum excommunicatos per occupationem bonorum, quæ ſub ſua juriſdictione conſiſtunt, vel alias, redire ad eccleſiæ unitatem, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

### IV.

*Ut detentores non abſolvantur ab excommunicatione, niſi reſtituant.*

Prædicti vero delinquentes, a dictæ excommunicationis ſententia nullatenus abſolvantur: niſi rerum & perſonarum facta prius deliberatione & reſtitutione plenarie, & ſatisfaciant de expenſis, damnis, intereſſe, & deperditis, tam ipſis paſſis injuriam, quam etiam eccleſiis & eorum adminiſtratoribus, in quibus ob eorum delictum ceſſatum extiterit.

### V.

*Quomodo impediendi, qui publice celebrant Divina durante interdicto.*

Adjicimus: cum erit generale interdictum loci, & denunciatum per ordinarium, videtur poſſe occurri contra illos, qui celebrant publice Divina non clauſis januis, durante interdicto prædicto, hoc modo: ut inhibeatur in quolibet epiſcopatu generaliter, & ſpecialiter ubi opus erit, quod parochiani & ſubditi non accedant ad eccleſias ſuas infra metas parochiæ loci interdicti, cauſa audiendi in eis Divina, durante prædicto interdicto. Et ſi ſecus egerint, excommunicentur, & excommunicati denuncientur.

### VI.

*De vicariis non conſtituendis.*

Cum olim in concilio provinciali fuerit

ANNO CHRISTI 1262.

ordinatum, vicarios per archidiaconatus, decanatus, archipresbyteratus, ab archidiaconis, decanis, vel archipresbyteris non conſtitui, niſi forte, ipſis juſta cauſa abſentibus, hoc fieret de ſuorum licentia prælatorum; & nonnulli de prædictis prædictam conſtitutionem hactenus, prout intelleximus, neglexerint obſervare: ipſam ex nunc per interminationem excommunicationis, cui non parendo, tam conſtituentes, quam conſtitutos ſupponimus, inviolabiliter præcipimus obſervari. Adjicientes, ut & ipſi extra fines archidiaconatuum, decanatuum, & archipresbyteratuum, de cauſis aliquibus cognoſcere non præſumant, contra facientibus pœnam infligentes eamdem.

## VII.

*Quomodo debent pronunciari conſtitutiones provinciales in ſynodo.*

Statuimus ut conſtitutiones provinciales annis ſingulis in ſynodis publicentur, & maxime illæ, per quas pœnæ tranſgreſſoribus infliguntur.

NOTA GABR. COSSARTII.

In codice Santonenſis eccleſiæ, dicuntur hæ conſtitutiones ſactæ apud Copriniacum: in MS. noſtro, factæ apud *Cognac*. Cujus de appellatione loci vide obſervationem noſtram de concilio Copriniacenſi, pag. 746.

ANNO CHRISTI 1263.

# ** CONSTITUTIONES D. PETRI BURDEGALENSIS ARCHIEPISCOPI

Anno Domini MCCLXIII.

G. C. Cum ſint in codice conſtitutionum Santonenſium: eſt cur provinciales videri poſſint. Verba tamen ipſa ſynodum ſonant diœceſanam, ut c. 1. *literas noſtras abſolutorias*, & c. 4. diſertius, *diœceſis noſtræ*.

TITULI CAPITULORUM.


1. *Ut excommunicati, pro abſolutis non habeantur, donec litteras abſolutorias epiſcopi receperint.*
2. *Quod qui per annum excommunicationem ſuſtinuerit, hæreticus nuncietur.*
3. *Ne ſepeliatur alienus parochianus.*
4. *De Confirmatione.*
5. *De clandeſtinis matrimoniis.*
6. *De ſcribendis excommunicatis.*
7. *De abſolutione infirmi excommunicati.*


## CAPITULA

## I.

*Ut excommunicati, pro abſolutis non habeantur, donec litteras abſolutorias epiſcopi receperint.*

Statuimus & præcipimus ſub pœna excommunicationis, cui ipſo facto non parentes ſupponimus: quod illi qui authoritate noſtra excommunicati fuerint, ſuper quorum abſolutione litteras noſtras non receperint capellani, non denuncientur abſoluti, nec pro abſolutis habeantur, quouſque noſtras litteras abſolutorias receperint eorumdem.

## II.

*Quod qui per annum excommunicationem ſuſtinuerit, hæreticus nuncietur.*

Statuimus quod ſi aliquis, cujuſcumque ſexus vel conditionis exiſtat, per annum excommunicationem ſuſtinuerit, ex tunc denuncietur hæreticus, & etiam habeatur.

## III.

*Ne ſepeliatur alienus parochianus.*

Statuimus quod aliquis non recipiat alienum parochianum ad ſepulturam, niſi de licentia ſui capellani, vel aliorum ad quos ſepultura ejus pertinet: tamen de jure ſuo primitus ſatisfacto. Alias præter pœnam excommunicationis, cui contrafacientes ſupponimus, tam recipientes quam hæredes recepti, prædictis capellanis & aliis quibus ſepultura ejus pertinet, ad intereſſe eorum juramento declarandum noverint ſe teneri.

## IV.

*De Confirmatione.*

Conſtitutioni prædeceſſorum noſtrorum, quæ eſt de adultis confirmandis, * adduximus, ut cum jura noſtræ diœceſis nos contigit viſitare, ſacerdos ad quem declinabimus, noſtro recepto nuncio, ſubditos ſuos moneat, & inducat, quod pro Confirmationis ſacramento recipiendo, cum neceſſitas exiſtat, noſtro conſpectui ſe præſentent.





ANNO CHRISTI 1263.

## V.

*De clandeſtinis matrimoniis.*

Conſtitutioni de clandeſtinis matrimoniis duximus hoc addendum, quod clandeſtina matrimonia contrahentes, necnon illi qui talibus matrimoniis interergnt, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant: inſuper presbyteri & clerici, qui talibus matrimoniis intererunt, ipſo facto, præter pœnam excommunicationis prædictam, ab officio & beneficio ſint ſuſpenſi.

Clandeſtina autem matrimonia intelliguntur in hoc caſu, dum aliqui matrimonium contrahunt in facie eccleſiæ, niſi in eccleſia parochiali viri, & tunc cum licentia capellani uxoris; vel in eccleſia uxoris, cum licentia capellani viri; vel niſi in eccleſia alia parochiali cum capellanorum licentia utriuſq;

Clandeſtinum matrimonium dicitur tribus modis: ſcilicet cum non habentur teſtes, ut extr. de clandeſtina deſponſ. c. *Quod nobis*. Item cum non fit cum ſolemnitate: ut xxx. q. v. can. *Aliter*. Item quando fit non præmiſſa denunciatione; ut extr. de clandeſtina deſponſ. c. *Cum inhib. con.*

## VI.

*De ſcribendis excommunicatis.*

Statuimus, quod quilibet capellanus papirum habeat in parochiali eccleſia, in qua ſcribantur nomina excommunicatorum: ita quod ſi quoquo modo mutari contingeret capitulum, appareant, & amitti non poſſint a denunciatione pro excommunicatis, prout a judice fuerit injunctum: alioquin adverſario ad intereſſe, & ad jus judicis teneantur.

## VII.

*De abſolutione infirmi excommunicati.*

Statuimus, immo verius in jure declaratum eſt & ſtatutum, quod excommunicatus, interdictus, vel ſuſpenſus a quocumque judice, ſi de facto abſolvatur ab alio quam a judice qui ſententias tulerit, vel a proprio capellano in neceſſitatis articulo, pro abſoluto minime habeatur. Sed ſi ſigna pœnitentiæ præceſſerint in eodem: ejus abſolutio requiratur poſt mortem a judice, a quo lata fuerat ſententia dum vivebat.

ANNO CHRISTI 1263.

# ** CONCILIUM PARISIENSE

In quo centeſima bonorum eccleſiaſticorum ſubſidio terræ ſanctæ in quinquennium addicta anno Domini MCCLXIII.

Edidit Cl. Menardus inter obſervationes ad Jonvillanum.

DECLARATIO CENTESIMÆ.

HÆc eſt tractatio & ordinatio Pariſius in octava beati Martini hiemalis, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio.

Primo quod archiepiſcopus Tyrenſis apoſtolicæ ſedis legatus litteras, quas habet & legi fecit ſuper centeſima redditunm eccleſiaſticorum pro ſubſidio terræ ſanctæ, tradat domino regi, nec eis de cetero utatur dictus archiepiſcopus, per ſe vel per alium, contra illos, qui ordinationi prælatorum quæ ſequitur, fuerint obedientes, & ordinationi prædictæ adhærentes. Si vero aliqui nollent prælatis adhærere, vel ſtare ordinationi eorundem: contra illos, ſi vellet, dominus archiepiſcopus uteœur litteris ſupradictis. Talis eſt autem, ſuper ſubventione prædictæ terræ ſanctæ, ſpontanea, non coacta ordinatio prælatorum.

Conceſſum eſt a prælatis & ſuis ſubditis, pro ſe & ſibi adhærentibus, ex ipſorum prælatorum mera gratia, non ex vi litteræ, ſuper ſubventione terræ ſanctæ a domino Papa impetrata; non aliqua coactione, ſed ſponte: quod ipſi prælati, & eorum ſubditi & ſibi adhærentes, ob ſalutem animarum ſuarum, propter neceſſitatem terræ ſanctæ, concedant terræ ſanctæ ſubſidium, de centum libris & viginti ſolidis redditnum ſuorum eccleſiaſticorum viginti ſolidos, & ſecundum proportionem hujus ſummæ, ſecundum quod plus vel minus habebunt aliqui in redditibus eccleſiaſticis, ſolvant: & quod nullus compellatur per ſæcularem poteſtatem ad præſtandum hujuſmodi ſubventionem, ſive portionem ipſum contingentem: ſed quilibet prælatus in ſua diœceſi compellat ſubditos ſuos ſolvere per cenſuram eccleſiaſticam. Et ſi aliquis rebellis eſſet, exemptus, vel non exemptus, qui nollet ſolvere ad mandatum & coactionem prælati ſui: tum dominus Tyrenſis archiepiſcopus, per ſe, vel per alium, poſſet uti contra eum litteris ſuis. Si quis vero fuerit presbyter parochialis, capellanus, vel alius, cujus redditus eſt ita pauper & tenuis, quod non excedit ſummam duodecim librarum Pariſienſium; nihil ſolvat, niſi voluerit. Et erit in æſtimatione diœceſani loci, qui redditus, ſive beneficium, ſit duodecim librarum, vel minus, & tunc ex iis non ſolvatur: & ſi excedat, ſolvatur. Ita tamen quod ſi aliqua perſona habeat plura beneficia, quorum quodlibet non valeat duodecim libras, ſed omnia ſua beneficia inſimul computata valerent duodecim libras, integre de omnibus ſolvere teneatur. Et debet iſta ſubventio durare per quinquennium; & quolibet anno ſolvi medietas in feſto nativitatis beati Joannis Baptiſtæ, & alia medietas infra nativitatem Domini, proxime ſubſequentem. Nomine autem redditnum intelliguntur valores terrarum, pratorum, vinearum, feodorum: ſecundum quod valores eorum per annum æſtimantur in loco ubi ſunt ſitæ. De diſtributionibus autem quotidianis, quæ in eccleſiis fieri conſueverunt, canonici nihil ſolvant: dum tamen de communi burſa capitulorum, unde diſtributiones fieri conſueverunt, ſubventio prædicta fuerit exſoluta.

ANNO CHRISTI 1263.

## SYNODUS MASSILIENSIS

IN QUA EXCOMMUNICANTUR

Ex Miscell. Baluz. t. 6. p. 335.

### In ſolvendo decimas contumaces,

QUoniam in ſignum univerſalis dominii univerſorum dominus Deus de univerſis quæ dedit uſui hominum, decimas ſibi retinuit, eaſque diſtribuit clericis & Eccleſiis; per quos & in quibus ejus cultus fieret, & ſibi ut dominatori omnium ſerviretur, ideo decimæ per rectores Eccleſiarum ex debito requiruntur, in tantum quod qui eas ſolvere integre noluerit, debet ut invaſor & detentor juris divini & eccleſiaſtici excommunicari tanquam pro peccato mortali, ſicut docent jura canonica & divina. Cum igitur nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus intellexiſſemus per plurimos, & etiam nos noſtra conſcientia remorderet quod de negligentia eramus plurimum arguendi tanquam immemores ſalutis noſtræ noſtrorumque ſubditorum, quia decimas in civitate Maſſilienſi non faciebamus ſolvere ut canonica docent jura. Et licet huc uſque poſſemus aliquatenus excuſari, quia quondam errores hæreticorum invaluerant in civitate qui contemptibiliter irridebant eos qui decimas vel primitias vel oblationes clericis vel Eccleſiis materialibus perſolvebant, & impunitatem non præſtantibus prædicabant, nunc non haberet locum illa excuſatio, quia per Dei gratiam illi hæretici & eorum errores per ſalubre prædicationis & inquiſitionis officium a civitate Maſſilienſi extirpati ſunt & quotidie extirpantur; & ideo error de non ſolvendis decimis eſt merito in civitate Maſſilienſi extirpandus. Hinc eſt, quod nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus de taciturnitate & negligentia pœnitentes, & honorem Dei & Eccleſiæ ac ſalutem ſubditorum promovere volentes, ſecundum doctrinam Domini noſtri Jeſu Chriſti pluries moneri fecimus cives Maſſilienſes per capellanos parrochiales ſolemniter in Eccleſiis ad Miſſas, & nos perſonaliter viva voce pluries monuimus illos qui propter hoc ad nos veniebant de mandato & vice conſilii generalis Maſſiliæ, ut omnes integre ſolverent decimas ſecundum ſtatuta canonica & divina, & poſt plures monitiones ſententiam excommunicationis ferri fecimus & publicari per dictas Eccleſias contra illos qui decimas integre ſolvere denegarent. Et quia intelleximus quod quidam ſunt in tantum in ſua malitia obſtinati quod impudenter dicunt non eſſe ſolvendas decimas ex debito clericis vel Eccleſiis nec ad hoc debet per excommunicationis ſententiam quis compelli, & quod illi qui volent ſolvere, poſſunt eas dare pro eleemoſyna quibus voluerint, Epiſcopi licentia non obtenta, nos attendentes quod ſecundum jura canonica hæc omnia ſunt . . . . . . . fecimus fieri ſolemniter iterum monitiones per Eccleſias quod nullus verbo vel facto excuſaret vel defenderet, quin quilibet teneretur reddere decimas Eccleſiis & clericis integre ſecundum quod in ſacris canonibus & ſtatutis apoſtolicis continetur. Et quia per plures dies ſolemnes auctoritate noſtra factæ fuerunt hujuſmodi monitiones, cum intelligamus quod non ceſſant iſti detractores Eccleſiæ, defenſores errorum, & impugnatores juſtitiæ, nos eorum malitiæ obviantes, cum dicant jura quod ſi quis peccantem defenderit, maledictus erit apud Deum & homines, & acrius quam ille qui peccavit debet coerceri, & qui alterius errori conſentit, ſimili modo eſt culpabilis judicandus, (ut XI. qu. III. *Qui conſentit.*) & qui aliorum errorum defendit, multo eſt damnabilior illis qui errant, quia non ſolum ille errat, ſed etiam aliis offendicula erroris præparat & confirmat, unde quia magiſter erroris eſt, non tantum hæreticus ſed hæreſiarcha eſt dicendus. (XXIV. q. III. *Quæ aliorum.*) Nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus in plena ſynodo reſidentes, poſitis coram nobis evangeliis & ſanctorum reliquiis, auctoritate Dei omnipotentis patris & filii & ſpiritus ſancti in his ſcriptis excommunicamus omnes illos qui in civitate Maſſilienſi contumaces fuerint in non ſolvendo decimas integre & qui talibus in hoc verbo vel opere dederint conſilium, auxilium, vel favorem, ſententias etiam latas auctoritate noſtra ſuper hoc per officialem noſtrum nihilominus confirmantes, & mandantes Notariis noſtris præſentibus, ut ſuper iis faciant publica inſtrumenta. Lata fuit hæc ſententia anno Domini MCCLXIII. IX. Kal. Novembris in majori Eccleſia beatæ Mariæ ſedis Maſſiliæ.

ANNO CHRISTI 1264.

## *** PRÆCEPTUM HENRICI III. ANGLORUM REGIS,

### Contra non reſidentiam prælatorum.

Ex bibliotheca Cotton. edidit collector Anglicanus.

*Rex epiſcopo Herefordiæ ſalutem.*

PAſtores gregibus præponuntur, ut diei noctiſque vigilias exercendo ſuper eos qui pecoris vultum agnoſcunt, oves famelicas in fertilitatis paſcua introducant: errantes vero, per verbum ſalutis, & virgam correctionis, in unius ovilis conſervare ſtudeant indiſſolubilem unitatem. Sed ſunt nonnulli, qui ſanctam doctrinam damnabiliter contemnentes, ac ſua ab aliis pecora diſtingui neſcientes, lac & lanam tollunt, qualiter Dominicus grex alatur, non curantes; temporalia rapiunt, & quis in parochia fame pereat, aut periclitetur in moribus, non attendunt: qui non paſtores ſed mercenarii dici promerentur. Hoc ſiquidem dum his diebus ad diſponendum de regni noſtri præſidiis, in partes Marchiæ nos transferremus, in eccleſia veſtra Herefordenſi dolenter referimus nos inveniſſe: quam adeo nos invenimus paſtoris ſolatio deſtitutam, ut ne dum epiſcopum, ſed nec officialem habeat, vicarium aut decanum, qui quicquam ſpiritualiter exercere poſſit in eadem. Sed eccleſia ipſa, quæ olim deliciis affluere conſuevit, & canonicis, qui ibidem nocturnis & diurnis officiis vacare, & opera caritatis exercere deberent, eam deſerentibus & longe degentibus in remotis, ſtola jucunditatis exuta, recidit in terram, viduitatis ſuæ detrimenta deplorans: nec eſt, qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus. Sane dum hæc, vidimus & conſideramus diligenter, pietatis aculeus viſcera noſtra commovit, & compaſſionis gladius intima cordis noſtri acrius vulneravit: & tantam eccleſiæ matris noſtræ injuriam ulterius diſſimulare non poſſumus, nec pertranſire incorrectam. Quapropter vobis mandamus firmiter injungentes, quatenus ad eccleſiam veſtram prædictam, occaſionibus quibuſcunque poſtpoſitis, cum ea qua poteritis celeritate, vos transferre curetis: commiſſum vobis in eadem cura paſtorali officium perſonaliter executorum, &c. Alioquin ſcire vos volumus pro conſtanti, quod ſi iſtud facere non curaveritis, bona temporalia, & omnia quæ ad baroniam ipſius eccleſiæ pertinent, quæ pro ſpiritualibus in eadem exercendis, pia progenitorum noſtrorum devotione, conſtat eidem fuiſſe collata, & quæ hactenus colligi & ſalva cuſtodire præcepimus in commodum & utilitatem ipſius eccleſiæ committenda, ceſſante jam cauſa, in manu noſtra totaliter capiemus: nec ulterius ſuſtinebimus, quod temporalia metat, qui ſpiritualia, ad quæ ex officii ſui debito tenetur, irreverenter ſubtrahere non formidat; aut quod emolumenta percipiat, qui incumbentia ejuſdem onera ſubire recuſat. Teſte rege apud Herefordiam primo die Junii, anno regni ſui XLVII.



ANNO CHRISTI 1264.

## *** CONCILIUM NANNETENSE.

Anno Domini MCCLXIV. die Martis poſt feſtum apoſtolorum Petri & Pauli concilium provinciale factum Nannetis a reverendo Patre Vincentio tunc archiepiſcopo Turonenſi.

### TITULI CAPITULORUM.


1. *Ne prælati vel patroni ſe obligent ad beneficium non vacans.*
2. *Ne numerus monachorum imminuatur.*
3. *Ne clerici ſint venatores.*
4. *Ne vicariæ conſtituantur.*
5. *De procurationibus.*
6. *De reſidentiis faciendis, & beneficiorum pluralitate.*
7. *De pedagiis a clericis non exigendis.*
8. *De foro competenti.*
9. *De recredentia facienda de bonis clericorum per laicos captis.*


### CAPITULA.

#### I.

*Ne prælati vel patroni ſe obligent ad beneficium non vacans.*

ORdinamus in primis, quod nullus prælatus eccleſiaſticus, vel patronus, ſe per litteras obliget ad collationem ſeu præſentationem beneficii non vacantis: & ſi contra fecerit, decernimus ipſum ex obligatione hujuſmodi non teneri: & promittens, per ſuperiorem pœna canonica puniatur.

#### II.

*Ne numerus monachorum imminuatur.*

Item, cum cultus Divinus minui non debeat, ſed augeri: ſtatuimus ut in prioratibus non minuatur antiquus numerus monachorum; & ſi alicubi diminutus fuerit, reſtauretur: niſi prius coram epiſcopo loci cauſa ſufficiens diminutionis hujuſmodi propoſita, ab ipſo epiſcopo fuerit approbata.

#### III.

*Ne clerici ſint venatores.*

Item, quia nullum venatorem invenimus ſanctum: præcipimus ut prælati ſoliciti ſint & intenti in puniendo clericos venatores, & præcipue presbyteros & religioſos, de quibus majus ſcandalum generatur.

#### IV.

*Ne vicariæ conſtituantur.*

Item ordinamus inſuper, quod nullæ de cetero vicariæ conſtituantur, niſi in caſibus a jure permiſſis. Et ſi contra factum fuerit, id decernimus non tenere.

V.

*De procurationibus.*

Præterea ne longi temporis victum brevis hora conſumat; ſtatuimus ut prælatis, cum ipſos ad ſuos ſubditos cauſa viſitationis declinare contigerit, duo tantum fercula præparentur: niſi fiat de licentia prælatorum. Alioquin quod ultra præparatum fuerit, pauperibus erogetur, & ſubditus; qui hoc fecerit, vel etiam in duobus ferculis fraudem adhibuerit, ad ſuperioris arbitrium puniatur.

VI.

*De reſidentiis faciendis, & beneficiorum pluralitate.*

Item volumus & ordinamus, quod habentes beneficia curam animarum habentia, in ipſis beneficiis reſideant, ſicut jura præcipiunt, & ipſorum beneficiorum curæ requirunt: ſalva tamen in C omnibus diœceſani epiſcopi poteſtate. Si vero quiſquam capellaniam adeptus fuerit, quæ reſidentiam debeat perſonalem, aut aliud beneficium curam animarum habens annexam: ipſo jure vacet primum, quod ſimiliter perſonalem reſidentiam exigebat.

VII.

*De pedagiis a clericis non exigendis.*

Præterea cum juris ſit proviſione ſtatutum, ne pro rebus eccleſiaſticarum perſonarum pedagia exigantur: prohibemus ne pro rebus clericorum, aut quarumcunque eccleſiaſticarum perſonarum, quas non mercimonii cauſa duci faciunt per terram, aut per aquam, quiſquam pedagia exigat, vel couſtumas, aut exactiones aliquas, quocunque nomine cenſeantur. Si vero aliquis a locorum ordinariis, in generali, canonica moni-

A tione facta, ut a prædictis exactionibus deſiſtatur, circa hoc aliquid attentare præſumpſerit: ex tunc volumus ipſum excommunicationis ſententiam incurrere ipſo facto.

VIII.

*De foro competenti.*

Prohibemus omnibus abbatibus, decanis, archidiaconis, & aliis eccleſiaſticis perſonis, ne authoritate extraordinaria, ad loca minus inſignia, ubi non B poteſt juris peritorum copia haberi, coram ſe faciant, contra conſtitutionem fe. recor. Innoc. papæ IV. aliquem ad judicium evocari, aut litigare compellant, niſi hoc de partium proceſſerit voluntate. Nec per generalem clauſulam, *quidam alii*, plus quam quatuor evocentur. Alioquin qui contra hoc fecerit, ad ſuperioris arbitrium canonice puniatur.

IX.

*De recredentia facienda de bonis clericorum per laicos captis.*

Sane quia laici clericis oppido ſunt infeſti: ſtatuimus, ut ſi bona cujuſquam eccleſiaſticæ perſonæ per ſæcularem poteſtatem, aut quemcunque laicum, occupata fuerint, aut detenta, ad reddendum vel recredendum, per locorum ordinarios, abſque obligatione libelli, occupatores & detentores hujuſmodi cenD ſura eccleſiaſtica compellantur: prius tamen ab ipſis conquerentibus judici eccleſiaſtico, vel ejus mandato, data idonea cautione de parendo juri coram eo, vel ubi debebit, & de reddendis prædictis occupatoribus hujuſmodi rebus, ſi coram judice eccleſiaſtico probaverint quod jus habeant capiendi. Si vero illa occaſione, quod in prædictis recredentiis libellus fuerit denegatus, appellari contigerit: non audiatur appellans.







## *** CONCILIUM PARISIENSE,

ADVERSUS BLASPHEMANTES.

Præſente S. Ludovico Francorum rege, & Simone Card. ſedis apoſtolicæ legato, anno MCCLXIV.

*Ex tabulis ſupremæ rationum curiæ Pariſienſis, certum habemus hoc concilium. Hæc enim earum verba.* Hoc anno MCCLXIV. celebratum eſt Pariſius generale concilium a Simone tituli S. Cæciliæ cardinale, apoſtolicæ ſedis legato, in craſtino S. Bartholomæi. *Quid autem in eo geſtum? Illud opinor, quod narrat Gaufredus de Belloloco ordinis Prædicatorum, cap. XXXIII. vita S. Ludovici, cui a confeſſionibus fuit: quod cum certo anno non tribuat, nos cur huic potius aſſignemus, rationem reddemus in notis.* Plurimum, *inquit*, anxiabatur & compatiebatur cor ejus ſuper peſtem illam generalem, quæ ab antiquo noxia, occupaverat ſpecialiter regnum ſuum: videlicet vitium juratio-num turpium & blaſphemiarum in Dominum, & B in ſanctos ipſius. Zelo igitur Divino permotus, & ſolerter cogitans, qualiter hæc execrabilis noxa poſſet ad honorem Dei de regno ſuo radicitus extirpari: habito prius diligenti conſilio cum domino Simone S. Cæciliæ presbytero cardinali, tunc apoſtolicæ ſedis legato in Francia, auctoritate ipſius legati & ſua convocati ſunt Pariſius majores de regno, tam principes, quam prælati: ut ſuper hoc damnabili vitio refrænando, vel potius deſtruendo, apponeretur conſilium & remedium ſalutare. Igitur a domino legato facto ſuper hac materia ſermone ſolemni plurimum efficace, rex catholicus zelo ſancto ſuccenſus, ore proprio fecit ſuper hoc exhortationem devotam, & rationibus validis & apertis ſubnixam. Igitur de C communi conſilio & aſſenſu edidit pius rex generale ſtatutum, quod per totum regnum ſervari & promulgari voluit, in hæc verba. *Mutilus eſt hac parte Gaufredi codex: & ſtatutum in eo deſideratur.*

NOTÆ G. COSS.

Admonent qui Gaufredum ediderunt, edictum illud A quod apud ipſum deeſt, in Jonvillani hiſtoria reperiri. Falſo. Nam ſtatuta, quorum meminit Gaufredus, non ante annum MCCLXIV. ſunt edita, ut mox docebimus. At quæ legimus apud Jonvillanum, cum eadem Gallice ſint atque Latina illa quæ paulo ante concilio Biterrenſi adjunximus (niſi quod paulo contractiora) anno MCCLIV. Pariſiis edita ſunt, & Biterris in ſynodo anno MCCLV. recitata & confirmata, ut paulo ante vidiſti. Ex quo Nangium obiter emenda, qui anno MCCLVI. promulgata eſſe ſcripſit.

Alia in idem flagitium, S. Ludovici ſtatuta edidit V. CL. Carolus Du Freſne, Cangii dominus, erudītiſſimis ſuis ad Jonvillanum obſervationibus intexta: ſed non ea quæ in hoc Simonis legati concilio ſancita ſunt. Nam ſeveriora multo erant hæc noſtra: ferrumque candens intentabant, quo ſtatim poſt edictum inuſta eſſe labia civis Pariſienſis, qui *inhoneſte valde jurando blaſphemaverat in Deum*, Gaufredus ibidem narrat. At edictum quod aſſert B Cangius, atrociores illas pœnas ſuſtulerat, obſequente haud dubie rege optimo Clementis IV. pont. max. conſiliis, qui anno MCCLXVIII. cum hortaretur ut peſtem illam de regno ſuo tolleret, tum auctor erat, ut pœnas alias reperiret *citra membri mutilationem aut mortem*. Quod didiciſſe nos profitemur ex eo, quem modo laudavimus, Cangio.

Cum igitur Pont. Max. anno MCCLXVIII. de illa pœnarum acerbitate quereretur: ante annum illum celebrata fuit, relata a Gaufredo ſynodus, in qua decretæ ſunt. At non ante MCCLXIV. Quo anno Simonem cardinalem, qui concilio præfuit, legatum in Gallias veniſſe diſcimus ex Urbani IV. ad S. Ludovicum epiſtola, qua eum a ſe mitti ſignificat, data IV. Non. Maii, III. pontificatus anno, qui annus eſt Chriſti MCCLXIV. Quam epiſtolam cum ſine die annoque Ducheſnius edidiſſet tomo V. eam iiſdem adſcriptis profert Raynaldus ad hunc annum num. C 13. Ex quo convincuntur erroris, & chronicon Mauriniacenſe, quod legati hujus in Galliam adventum tribuit anno MCCLXII. & Spondanus, aliique, qui anno MCCLXIII.

Concilium autem anno MCCLXIV. in tabulis curiæ rationum Pariſienſis indicatum, illud ipſum eſſe, in quo edictum illud ſancitum eſt, multa perſuadent. Primum enim, haberi prius non potuit, ut jam dixi. Deinde in eo notas quas Gaufredus deſignat, invenio, nempe frequentiam præſulum, & Simonis legati præſentiam. Denique nullum aliud reperimus ante annum MCCLXVIII. ante quem, ut oſtendi, celebratum fuiſſe oportet.

## *** CONCILIUM BONONIENSE

IN GALLIA.

In quo Angli regi ſuo rebelles excommunicantur, Anno Dom. MCCLXIV.

*Henricus III. Angliæ rex in leges quaſdam a regni ſui proceribus Oxoniæ anno MCCLIV. conditas jurare adactus, ab Urbano IV. Pont. Max. ann. MCCLXI. juramenti religione ſolutus, iis ſtare recuſavit. Hinc turba in Anglia maxima. Delectus arbiter S. Ludovicus IX. Franc. rex, anno MCCLXIII. Ambiani in magno epiſcoporum & optimatum conventu ſecundum regem Angliæ, antiquatis Oxonienſibus legibus, judicavit. Sed cum non acquieviſſent Angli proceres, malum recruduit.* Ad extremum Urbanus papa (*inquit Pariſii continuator*) turbationi regni Angliæ compatiens, legatum miſit dominum E *Guidonem* Sabinenſem epiſcopum, cardinalem, qui Angliam intrare non valens, navigio Quin- D que portuum mare occupante, quoſdam epiſcopos ex Anglia ad ſe, primo Ambianos, deinde Boloniam evocavit. Quibus ſententiam excommunicationis & interdicti, auctoritate papali, in civitatem Londonienſem & Quinque portus, omneſque pacem regis Angliæ turbantes, fulminatam, publicandam exequendamque commiſit. *Hæc continuator Pariſii, qui hæc perperam ad annum MCCLXV. narrat. Nam antecedente contigiſſe hinc conſtat, quod Guido ſucceſſit Urbano IV. qui anno MCCLXIV. obiit VI. non. Octobr. Sed hoc familiare eſt huic ſcriptori, ut res geſtas anno uno differat. Eadem narrat Matthæus Weſtmonaſterienſis.*

ANNO CHRISTI 1264.

# VITA ET EPISTOLÆ CLEMENTIS PAPÆ IV.

CLemens quartus, patria Narbonenſis, e villa ſancti Ægidii, antea Guido Falcodius appellatus, juriſprudentiæ laude clariſſimus, mortua conjuge quam prius habuerat, Podienſis, & paulo poſt Narbonenſis epiſcopus factus, ex cardinale omnium acclamatione deſignatus eſt pontifex ipſis Nonis Februarii, anno Chriſti MCCLXV. regnante Richardo Romanorum rege. Initio pontificatus, mendicantis habitu Peruſium uſque profectus eſt; quo cardinales ſubſecuti, eum cum debito honore Viterbium deduxerunt. Interea Carolus Andegavenſis Italiam ingreſſus, Romæ per cardinales ad hoc deputatos, Neapoleos & Siciliæ rex renunciatus eſt: ea conditione adjecta, ut feudi titulo eccleſiæ Romanæ quadraginta millia ducatorum quotannis penderet. Carolo rege creato, poſt Manfredi obitum, quem ipſe devicerat, Conradinus valida manu inſtructus, ut regnum recuperaret ſupervenit: de quo Pontifex cum per agros Viterbienſes eum tranſeuntem videret, fertur dixiſſe, ipſum tanquam agnum ad macellum deduci; quemadmodum etiam juſte evenit. Eduvigem Poloniæ reginam, poſt mortem miracula facientem, in numerum ſanctorum retulit. Sanctum Bonaventuram unice dilexit. In pauperes liberalis, erga Deum religioſus, apud omnes modeſtus extitit; & ut paucis multa complectar, nullis non virtutibus ornatus erat. Bona eccleſiæ fideliſſime, nullo perſonarum habito reſpectu, diſtribuit. Filiarum duarum alteri, quas ex legitimo matrimonio ante pontificatum ſuſceperat, in monaſterio collocatæ triginta tantum libras, alteri trecentas libras dotis nomine dedit. Clerico nepoti tres præbendas habenti, duas abſtulit, dicens, ſe Deo non carni & ſanguini velle acquieſcere. Poſt trés annos dieſque viginti & unum occupatæ ſedis apoſtolicæ, mortuus & ſepultus eſt Viterbii in eccleſia beatæ Mariæ virginis ad Gradus, tertio Kalendas Decembris, anno MCCLXVIII. Cumque de novo pontifice eligendo diutius diſceptaretur, annis duobus & novem menſibus ſedes apoſtolica paſtore vacavit,

## EPISTOLA I.

## CLEMENTIS PAPÆ IV. AD PETRUM GROSSUM DE SANCTO ÆGIDIO.

Agnatos ſuos in Italiam venire vetat, eoſque ad humilitatem hortatur.

*Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Petro Groſſo de ſancto Ægidio ſalutem, &c.*

MUltis de noſtra promotione gaudentibus, nos ſoli ſumus qui certius immenſitatem oneris experimur: & idcirco quod aliis gaudium, nobis metum ſubminiſtrat & fletum. Sane ut ſcias qualiter his auditis debeas te habere, ſcire te volumus quod humilior ſolito debes eſſe. Neque enim quod nos vehementer humiliat, debet noſtros extollere: maxime cum honor hujus ſæculi momentaneus ſit, & ſicut ros tranſeat matutinus: nec ad nos te, nec fratrem tuum, vel ex aliis noſtris aliquem venire volumus, ſine noſtro ſpeciali mandato. Quia ſpe ſua fruſtratos, ſi ſecus venire præſumerent, oporteret redire confuſos. Sed nec in tuæ ſororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem: nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio militis ſimplicius deſponſaveris, in tercentum libris Turonenſibus tibi proponimus ſubvenire. Et ſi altiorem quæſiveris, nec a nobis denarium ſperes unum: & hoc ipſum ſecretiſſimum eſſe volumus, & tibi & matri ſolummodo notum eſſe. Illud etiam ſcias, quod nullum nullamque de ſanguine noſtro ſub noſtri ſublimatione obtentu inflare volumus: ſed tam Mobiliam quam Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent, ſi eſſemus in ſimplici clericatu. Sibyllam viſita, & dic ei quod locum non mutet, ſed remaneat apud Suſam, & omnem maturitatem, & habitus honeſtatem obſervet, & preces nobis pro aliquo non præſumat aſſumere. Nam & ei, pro quo fierent, eſſent inutiles: & ipſi qui rogaverit, damnoſæ. Et ſi forte per aliquos ex hac cauſa munera offerantur: ea reſpuat, ſi vult noſtram gratiam retinere. Saluta matrem & fratres: non ſcribimus tibi, nec familiaribus noſtris ſub bulla, ſed ſub piſcatoris ſigillo, quo Romani pontifices in ſuis ſecretis utuntur.

Datum Peruſii in feſto ſanctarum Perpetuæ & Felicitatis.

## II. AD WELODIZLAUM ELECTUM SALTZBURGENSEM EPISCOPUM.

Ipſum confirmat in archiepiſcopum Saltzburgenſem.

*Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio VVelodizlao electo Saltzburgenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

ROmana eccleſia, cui Divina inſcrutabilis altitudo diſpoſitione incommutabili præcipuum contulit ſuper ceteras magiſtratum, piam ad cunctas alias in hujus orbis latitudine conſtitutas eccleſias materna proviſione habens reſpectum, laudabili ſtuduit hactenus obſervantia cuſtodire, ut de illis potiſſimam curam gerens, eis, opportunitatis tempore occurrente, congrua ſubventionis non differret conſilia tam libenter quam liberaliter exhibere. Nos etiam, cui licet inſufficientibus meritis in ſublimi culminis apoſtolici ſpecula ſumus, diſponente Domino, conſtituti: prædeceſſorum noſtrorum Romanorum pontificum in hoc veſtigiis inhærendo, prædictas eccleſias, tam proximas, quam longe poſitas, paternæ conſiderationis oculis intuentes, injunctum erga ipſas ſolicitudinis noſtræ miniſterium circumſtantiis univerſis, ac variis perſonarum, rerum,



rum, locorum & temporum emergentibus neceſſitatum articulis diligenter inſpectis, quantum nobis ex alto permiſſum fuerit, ita vigilanter intendimus exercere; ut nihil prorſus in ſpiritualibus vel temporalibus deſit ibi, quod per diligentiæ noſtræ ſtudium poſſit aut debeat procurari. Et quamvis miniſterii hujuſmodi debitum circa ſingulas eccleſias exolvere cupiamus: erga illas tamen, quæ viduitatis deplorant incommoda, ut videlicet ipſis de paſtoribus juxta cor noſtrum idoneis cœli providentia utiliter conſulatur, curis continuis, eoque anxius attingimur inſultibus, quod ſucceſſivis* eo inſtantius propulſamur, quo ipſæ, dum vacant, periculis ſubjacentes majoribus, potiori noſcuntur apoſtolico ſuffragio indigere. Sane venerabilis frater noſter Ulricus, quondam Saltzburgenſis archiepiſcopus, rectæ conſiderationis meditatione advertens, quod ipſe qui jam vergens in ſenium, multa proprii corporis debilitate gravari dicitur in commiſſo ſibi plebis gubernaculo, variis de cauſis ſe fructuoſe gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ac proprium & ſubditorum periculum reformidans, zelo caritatis, quo erga eccleſiam ſuam vigebat, inductus, ne occaſione ſuæ impotentiæ gregem ſuum inimicus inſidiator invaderet, vel eccleſiæ Saltzburgenſi utilitatibus diſpenſatoriis per invaletudinem forſitan deperiret, ipſius eccleſiæ regimine elegit ſponte cedere; per litteras & nuncium ſpecialiter ſupplici a nobis depoſcens inſtantia, ut ceſſionem ipſius, quam ſic offerebat ſpontaneus, de benignitate apoſtolica recipere dignaremur. Nos autem tam ipſius archiepiſcopi quieti & commoditatibus providere, quam ejuſdem eccleſiæ occurrere periculis, opportuna diligentia intendentes, ceſſionem ipſius duximus admittendam. Per hujuſmodi vero ceſſionem in manibus noſtris factam, eadem Saltzburgenſis eccleſia paſtore vacante, ordinationem illius nobis ſpecialiter reſervantes, inhibuimus expreſſe capitulo Saltzburgenſi, ne ad electionem ſeu poſtulationem aut nominationem aliquam procederent de archiepiſcopo illa vice: ac decrevimus nihilo minus irritum & inane, ſi quid contra inhibitionem hujuſmodi contingeret attentari. Et demum de ſalubri proviſione ipſius Saltzburgenſis eccleſiæ ſolicite cogitantes, poſt exactæ deliberationis examen, decens ac neceſſarium nihilo minus & expediens fore vidimus, ut eadem eccleſia titulo nobilitatis inſignis, quæ, currentium dierum faciente malitia, multis eſt diſcriminibus expoſita, variis conquaſſata moleſtiis, graviterque in temporalibus diminuta, & enormiter in ſpiritualibus deformata, nobilis decore ſponſi ac utilis ornaretur, cujus potentia & providentia circumſpecta damna reſarciantur, ipſius regantur directa, & indirecta in debitam rectitudinis ſemitam dirigantur, eccleſiaſtica defenſetur libertas, cleri ſtatus reddatur tranquillior, & commodis ſalutis & gaudii plebs lætetur. Unde nos laudabiles actus tuos, quibus de virtute in virtutem proficiens in oculis hominum, a tuæ juventutis primitiis te gratum reddere ſtuduiſti, delectabiliter in animo revolventes, ac de redolentis tuæ famæ ſuavitate, quæ publico prædicatur teſtimonio, quod claram ſereniſſimorum tuorum nobilitatem natalium ſtudiis ac operibus nobilitare ſatagis virtuoſis, odorem acceptabilem ſentientes, in te generoſum ac benedictionis filium direximus oculos mentis noſtræ. In quo te ipſi Saltzburgenſi præficiendo eccleſiæ noſter non indigne ſpiritus requievit, ſpem grandem ac fiduciam obtinentes, quod cum ſis multorum principum conſanguinitate & affinitate ſubnixus, littera ſufficienti dotatus, gratus moribus, converſatione placidus, vitæ honeſtate conſpicuus, aliiſque virtutibus multipliciter inſignitus in ſpiritualibus, nihilo minus providentiam ac in temporalibus diſcretionem obtinens, eccleſia eadem per tuam potentiam & circumſpectionem fructuoſam ab inſtantibus periculis efficaciter eruetur, a futuris præſervabitur ſalubriter, & non ſolum in ſuis bonis juribus, immunitatibus, & libertatibus magnifice defenſabitur, verum etiam optatæ felicitatis & proſperitatis augmentum ſpiritualiter & temporaliter ad pacem & bonum ſtatum ſubditorum, ſibi cleri & populi Divina favente clementia, conſequetur. His itaque digna meditatione penſatis eccleſiæ prælibatæ, cujus in hac parte profectum potiſſime attendimus, ſpeciali volentes diligentia providere, de fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in nomine Domini, non obſtante defectu quem in ordinibus pateris, & ætate, te tunc præpoſitum Wiſegradenſis eccleſiæ, capellanum noſtrum, prælibatæ Saltzburgenſi eccleſiæ in archiepiſcopum præfecimus & paſtorem, curam & adminiſtrationem illius tam circa ſpiritalia quam temporalia tibi totaliter committentes. Quapropter diſcretionem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur per apoſtolica ſcripta, tibi in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus tibi onus a Domino impoſitum reverenter ſuſcipiens, ad commiſſam tibi eccleſiam cum plena noſtræ gratia benedictionis accedas, & illius commiſſum tibi regimen ſic prudenter & utiliter exequaris, quod ipſa tuo ſalubri miniſterio gubernetur feliciter, ac proſpere dirigatur, tuque velut paſtor ſolicitus gregis Dominici tuæ cuſtodiæ deputati, vigilem curam gerere comproberis, ex quibus clara tui fama nominis extendatur latius, & erga perſonam tuam benevolentia noſtræ ſinceritatis digne de bono in melius augeatur.

Datum Peruſii quarto Idus Novembris, pontificatus noſtri anno primo.

## III. AD PETRUM ELECTUM PATAVIENSEM EPISCOPUM.

Ipſum confirmat in epiſcopum.

*Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Petro electo Patavienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

IN ſupremæ ſpeculationis vertice, cui nos licet indignos apoſtolicæ dignitatis gradus prætulit, conſtituti, de variis immenſiſque negotiis jugiter emergentibus ſolicitudinis apoſtolicæ ſtudio dirigendis continua reddimur attentione ſoliciti: ne diligentiæ noſtræ miniſterium videatur deeſſe, ubi paſtorale tenemur injunctum nobis officium exercere. Inter quæ de ſtatu proſpero ac ſalubri eccleſiarum omnium ubilibet poſitarum, curæ noſtræ ſpecialiter, ſuperna diſponente clementia, commiſſarum, aſſidue cogitamus: & profundis vigiliis excitamur, ut aliquid penitus non deſit inibi, quod ad ipſarum utilitatem per nos valeat procurari. Specialiter autem ad illas, quas viduitatis incommoda deplorare conſpicimus, noſtrum animum convertentes, in hoc præcipue noſtra ſedulitas officioſa verſatur, ut eædem de perſonis ſecundum cor noſtrum idoneis celeriter ordinentur, ad quod eo inſtantius vigilamus, quod ad id ex ſuſceptæ adminiſtrationis cura ſpecialius obligamur. Et quo eccleſias ipſas per vacationem illarum diutinam majoribus ſpiritualiter & temporaliter exponi diſcriminibus intuemur.

Sane

Sane Patavienſis eccleſia paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii capellani ejuſdem eccleſiæ pro futuri electione pontificis, ut eſt moris, die ad eligendum præfixa convenientes in unum, Spiritus ſancti invocata gratia, dilectum filium Welodiſlaum, nunc Saltzburgenſem electum, tunc capellanum noſtrum, & eccleſiæ Wiſegradenſis præpoſitum, in eorum epiſcopum unanimiter & concorditer poſtularunt, & poſtulationem hujuſmodi præſentantes, illam admitti cum inſtantia poſtularunt. Nos quidem poſtulatæ perſonæ, de cujus probitate multa laude digna relata nobis fuerant, nec non & de illius meritis certam volentes notitiam òbtinere: eumdem electum ad noſtram duximus præſentiam evocandum, qui velut obedientiæ filius ſe noſtro conſpectui præſentavit. Licet autem poſtmodum inſpecta electi ejuſdem laudabilium copia meritorum, de quibus tam per communis famæ præconium & multorum fide dignorum laudabile teſtimonium, quam etiam per experientiam facti, nobis evidenter conſtitit, poſtulationem prædictam velut de perſona ſufficienti & idonea canonice celebratam deliberaſſemus admittere: interim tamen venerabili fratre noſtro Ulrico quondam Saltzburgenſi epiſcopo, pro eo quod ipſe in commiſſo ſibi plebis gubernaculo variis de cauſis ſe utiliter gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ceſſionem ſuam archiepiſcopalis regiminis nobis per ſpeciales litteras & nuncium offerente, illamque a nobis admitti cum inſtantia poſtulante: nos tam ipſius archiepiſcopi quieti & commoditatibus providere, quam Saltzburgenſis eccleſiæ occurrere periculis, opportuna diligentia intendentes, ceſſionem ipſius duximus admittendam. Recepta hujuſmodi ceſſione, nos attendentes, quod nobilis eccleſia ipſa, quæ dierum faciente malitia multis periculis eſt expoſita, virtuoſi ac potentis indigebat cura rectoris: ipſum electum eidem Saltzburgenſi eccleſiæ in archiepiſcopum præfecimus & paſtorem. Demum vero ne præfata Patavienſis eccleſia, quæ præpoſiti paſtoris carebat ſolatio, prolixioris vacationis detrimenta ſentiret: ſtudioſe vacavimus ad exquirendum virum talem, qui ad ipſius eccleſiæ regimen idoneus haberetur. Unde nos ad perſonam tuam, quam noſtræ benevolentiæ plenitudinem aſſecutam odor famæ nobis reddit acceptam, cum ſufficiens tibi litterarum ſcientia ſuffragetur, & habearis vir vitæ laudabilis & converſationis honeſtæ morum honeſtate decorus, diſcretionis maturitate conſpicuus, clarus meritis, & alias in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus, noſtræ conſiderationis dirigentes intuitum, ac ſperantes quod virtutibus deſurſum tibi traditis inſignitus, ipſam Patavienſem eccleſiam feliciter, dante Domino, gubernabis, ipſaque utilis gubernationis munita præſidio ſalubriter præſervabitur a noxiis, & optatis proſperitatis affluet incrementis: in nomine Domini, te tunc eccleſiæ Uratiſlavenſis canonicum, ipſi Patavienſi eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis præfecimus in epiſcopum & paſtorem. Ideoque diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino ſuſcipiens, reverenter ad commiſſam tibi eccleſiam cum gratia noſtræ benedictionis accedas: illius amplificandis honoribus & profectibus procurandis te ſic reddendo ſolicitum, ut laudabilis famæ tuæ titulus apud remotos & proximos clareat per effectum; & in delectationem nobis veniat, te ſemper & condigna gratia proſequi, & tuis deſideriis favorem benevolum impertiri.

Datum Peruſii octavo Kalendas Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

ANNO CHRISTI 1265.

## ** CONCILIUM LONDINENSE,

In quo ſedis Apoſtolicæ legatus regis Angl. adverſarios excommunicavit ann. MCCLXV.

EOdem anno (MCCLXV.) *inquit Matthæus VVeſtmonaſterienſis*, Clemens IV. papa deſtinavit in Angliam per conſilium cardinalium Ottobonum S. Adriani cardinalem: qui cum rubeis in Angliam veniens indumentis, in eccleſia Weſtmonaſterienſi congregato concilio, fecit mandata apoſtolica publicari. Qui ſuæ legationis fungens officio, ſententiam in regis adverſarios fulminavit.

ANNO CHRISTI 1266.

## ** CONCILIUM COLONIENSE,

PROVINCIALE

Anno Domini MCCLXVI. celebratum.

### CAPITULA SEU RUBRICÆ.

Statutorum eccleſiæ Colonienſis editorum ab Engilberto archiepiſcopo Colonienſi, quæ facta ſunt provincialia per D. Henricum archiepiſcopum Colonienſem, ut infra in ſtatutis" ejus invenies.

* ad ann. 1312.

1. *Contra eos qui manus in clericos vel perſonas eccleſiaſticas injiciunt temere violentas.*
2. *Contra incendiarios & effractores eccleſiarum & monaſteriorum, & bonorum eccleſiaſticorum.*
3. *Contra violatores immunitatum & dotum eccleſiarum.*
4. *Contra raptores & invaſores bonorum eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum.*
5. *Contra detentores ſeu ſubtractores decimarum.*
6. *Contra nobiles, in expeditionibus damna perſonis eccleſiaſticis in curtibus earum inferentes.*
7. *Contra illos, qui ſe bonis clericorum, ſive in vita ſive in morte, intromittunt.*
8. *Ut bona clericorum tranſeant ſine telonio libera & abſoluta.*
9. *Ne clerici vel religioſi trahantur ad judicium ſæculare.*
10. *Contra clericos, qui perſonas eccleſiaſticas ratione bonorum ſuorum vocant ad forum ſæculare.*
11. *Contra eos qui clericos quacumque ratione ad forum ſæculare traxerint.*
12. *Ut ſimiliter contra occupantes & arreſtantes bona eccleſiarum procedatur.*
13. *Ut judices eccleſiaſtici & prælati eccleſiarum, laicis contra clericos cauſam habentibus faciant juſtitiam expeditam.*
14. *Contra impedientes & turbantes celebrationes ſanctarum ſynodorum.*
15. *Ut prælati juriſdictione ſua libere utantur in terminis eorum juriſdictioni ſubjectis.*
16. *Ut judices eccleſiaſtici fraudem in judiciis ſuis non committant.*
17. *Ne judices eccleſiaſtici ſe de cauſis ad forum ſæculare ſpectantibus intromittant.*
18. *Contra impedientes eccleſiaſticorum judicum juriſdictionem & executionem ſententiarum.*
19. *Contra eos qui clericos non ſine violenta manuum injectione capiunt & detinent.*
20. *Proceſſus forma contra eoſdem.*
21. *Si propter captivitatem clerici, locus aliquis per menſem manſerit interdictus.*
22. *Si decanatus per quindenam maneat interdictus.*
23. *Si captivantes clericum, per duos menſes excommunicati fuerint.*
24. *Ne filii vel filiæ clericos captivantium, & per annum excommunicatorum, ad ordines vel ad beneficia admittantur.*
25. *Ut feuda eccleſiaſtica ab his, qui per annum contumaciter excommunicationem ſuſtinuerint, ad eccleſias revertantur.*
26. *Mitigationes pro fratribus & ſororibus ac aliis perſonis facta, ſi ſe voluerint intra annum canonice expurgare.*
27. *Si clericum in alia diœceſi capi, vel in iſta captum, ad aliam diœceſim deduci contingat.*
28. *Contra occiſores & mutilatores clericorum.*
29. *Contra occiſores clericorum, per annum in excommunicatione exiſtentes.*
30. *Contra eos qui minas intulerint perſonis eccleſiaſticis de corpore vel de rebus.*
31. *Contra eos clericos, qui ſacrilegium in clericos committere non verentur.*
32. *Contra clericum, qui occaſione alicujus quæſtionis clericum aliquem captivaverit.*
33. *Contra clericos qui occidunt vel mutilant clericos.*
34. *De litigantibus ſuper una præbenda in aliqua eccleſia diœceſis Colonienſis.*
35. *Ne aliquis clericus ſacrilegis ſeu excommunicatis aut uſurariis aſſiſtat, vel eos defendat.*
36. *Ne clerici capellani nobilium excommunicatorum cum ipſis dominis ſuis ultra menſem permaneant.*
37. *Contra eos qui ſententiam excommunicationis damnabiliter vilipendunt.*
38. *Contra computreſcentes in excommunicatione ultra annum, quomodo procedendum.*
39. *Ut prælati & qualibet eccleſiaſtica perſona ad obſervationem ſtatutorum iſtorum fideliter teneantur.*
40. *Contra clericos in executionibus ſententiarum remiſſos, & ſententias ipſas modo debito non ſervantes.*
41. *Contra eos qui in loco interdicto celebraverint.*
42. *Ut percepto forefacto, ſtatim ceſſetur a Divinis, ne quis ſe poſſit per craſſam ignorantiam excuſare.*
43. *Ut hæc ſtatuta ad perſonas eccleſiaſticas cujuſcumque ordinis extendantur.*
44. *Ut hæc ſtatuta, ne aliquem latere poſſint, tam in capitulis quam in aliis locis ſæpius publicentur.*
45. *Ut nomina ſacrilegorum poſita in regiſtro ſæpius recitentur.*

### PRÆFATIO.

In nomine Domini, Amen.

ENgilbertus Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, ſacri Imperii per Italiam archicancellarius. Quamvis ad manutenendam ac defendendam immunitatem, & ad conſervandum jus & libertatem eccleſiarum ipſarum & eccleſiaſticarum perſonarum, & eorum qui in ſortem Domini ſunt vocati, plurima tam canonica quam legalia edita ſint ſtatuta, & diverſæ etiam a diverſis noſtris prædeceſſoribus ac majoribus ſuper hoc proviſiones emanarint: tamen quia excreſcente malitia quorumdam zelum Dei non habentium, nova gravamina, exactiones & adinventiones pravas & deteſtabiles, contra eccleſiam Dei & eccleſiaſticas perſonas machinantium, ipſa eccleſia per ſtatuta & proviſiones hujuſmodi, a ſuis oppreſſionibus, quas patitur a diverſis, nullatenus ſublevatur: nos conſiderantes, quod contra diverſas & innumerabiles tribulationes & injurias, quas a nonnullis (qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, & ſolo nomine ſe gloriantur Chriſtianos) eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis frequenter & maxime modernis temporibus inferuntur, pauciſſimi, immo nulli etiam eccleſiæ devotorum ſe opponunt, licet ex debito omnes ad hoc ſint obligati, & maxime locorum moderatores & judices ſæculares, qui ex imperiali etiam conſtitutione, ad ulciſcendum eccleſiarum & eccleſiæ miniſtrorum injurias in ſacrilegos ſunt adſtricti, non expectato quod ab eis ultro injuriarum expoſcatur, propter quod contingit malos in malo plus animari, & eccleſiam, cum non ſit qui conſoletur eam, ſentire in rebus & perſonis multiplex detrimentum. Volentes itaque incurſibus malorum, ſe erigentium ex adverſo contra eccleſiam Dei, & eccleſiaſticam libertatem, coercitione qua poſſumus, obviare, ſalvis & in ſuo robore duraturis conſtitutionibus & ordinationibus prædeceſſorum noſtrorum, per quas eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis in ſuis libertatibus eſt proſpectum, quas nos innovamus & approbamus, & præcipimus per noſtram civitatem & diœceſim inviolabiliter obſervari: ſalvis etiam juribus prælatorum & eccleſiarum conſuetudinibus licitis & honeſtis electionibus, tam in prælaturis quam aliis beneficiis, correctionibus & ordinationibus, ac aliis libertatibus hucuſque in eccleſiis habitis & ſervatis, quæ omnia & ſingula ipſis eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis confirmamus, & firma ac illibata volumus permanere: de communi conſilio & aſſenſu capituli noſtri, & omnium prælatorum, & eccleſiarum, & cleri civitatis & diœceſis Colonienſis, & ad illorum ſolicitam inſtantiam, ut præſumptorum coerceatur audacia, & poſſint viri eccleſiaſtici tuti inter improbos Divinis obſequiis ferventius inſudare.

ANNO CHRISTI 1266.

# CAPITULA.

*I. Contra eos, qui manus in clericos vel perſonas eccleſiaſticas injiciunt temere violentas.*

STatuimus, ut ſacrilegi qui ſuadente diabolo, Dei timore poſtpoſito, manus injiciunt in clericum vel alias perſonas eccleſiaſticas & religioſas, temere violentas, & ex hoc incidunt in excommunicationis ſententiam canonis jam prolati, per frequentem denunciationem & communionis denegationem, reconciliationis gratiam quærere, & de offenſa ſatisfacere compellantur: cum de injectione hujuſmodi conſtiterit per facti evidentiam, vel publicam famam, vel aliam fidem, coram loci ordinario faciendam per juramentum injuriam paſſi, ſi fuerit perſona honeſta & fide digna, vel per teſtes. In loco, in quo ſacrilegi domicilium habuerint, & in quo ſacrilegium committitur, ſi committens dominus loci fuerit, ceſſetur a Divinis: & ipſi ſacrilegi per omnes eccleſias conventuales & parochiales ac capellas civitatis Colonienſis, (ſi injuria in civitate committatur) ſingulis diebus Dominicis & feſtivis excommunicati publice & nominatim, & eorum nomina ſciri poterunt, alioqui in genere, nuncientur. Si injuria extra civitatem committatur, ſimiliter denuncientur per omnes eccleſias conventuales, parochiales, ac capellas decanatus illius vel etiam archidiaconatus, in quo hoc contingit. Ita tamen, quod nihilo minus ad denunciationem eorundem, pro ipſo forefacto ubicumque commiſſo, & intra civitatem & extra, ultra procedatur per loci ordinarium, prout hoc viſum fuerit expedire. Si vero dicti ſacrilegi, per menſem hujuſmodi denunciationem ſuſtinuerint, minime ſatisfacientes, ex tunc ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, campanis pulſatis & candelis extinctis, per eccleſias conventuales, parochiales, & capellas, ut proxime dictum eſt, denuncientur excommunicati, & ab omnibus arctius evitandi, donec læſo, nobis, & eccleſiæ ſatisfecerint competenter & evidenter, & auctoritate apoſtolica abſolutionis beneficium conſequantur.

Quod ſi per dimidium annum in excommunicatione perſtiterint, hujuſmodi denunciationibus vilipenſis, ſi laici nobiles fuerint hujuſmodi ſacrilegium committentes, terra eorum & diſtrictus, ſi eos habuerint, ipſo facto eccleſiaſtico ſuppoſiti ſint interdicto: quod nullatenus relaxetur, niſi de commiſſo legitime fuerit ſatisfactum. Si autem fuerint alii quam nobiles, domini terræ in quorum diſtrictibus manent, extunc moneantur per loci ordinarium, ut dictos ſacrilegos compellant per bonorum, quæ in ſuis habent diſtrictibus, ſubtractionem, vel quemcumque alium modum, ut ipſi ſacrilegi ſatisfaciant, & abſolutionis beneficium requirant. Et ſi ipſi domini in hoc negligentes fuerint, extunc per loci ordinarium excommunicentur; quod ſi ſuſtinuerint animo indurato uſque ad annum, extunc terra eorum eccleſiaſtico ſit ſuppoſita interdicto. Salvis pœnis contra delinquentes hujuſmodi, & participantes conſtitutis, ad quas procedatur nihilo minus, prout hoc viſum fuerit expedire.

*II. Contra incendiarios & effractores eccleſiarum & monaſteriorum, & bonorum eccleſiaſticorum.*

Contra incendiarios autem & effractores eccleſiarum & monaſteriorum, cum ipſo facto ſint excommunicati, eodem modo procedi ſtatuimus & mandamus, adjicientes, ut ſi habuerint terram vel diſtrictum, illa poſt tres menſes a tempore perpetrati criminis eccleſiaſtico ſuppoſita ſint interdicto. Cum autem incendiarii aliarum rerum & bonorum eccleſiarum & monaſteriorum, ſint tanquam ſacrilegi excommunicandi: ſtatuimus, ut tales moneantur nominatim (ſi eorum nomina ſciri potuerint, alioqui in genere) per ordinarium loci, in quo committi contingit hujuſmodi forefactum, ut intra ſeptem dies a die monitionis ſatisfaciant: alioqui idem ordinarius extunc ſine dilatione ipſos excommunicet, & excommunicatos denunciet, & faciat denunciari in locis ubi hoc viſum fuerit expedire: ita quod niſi intra quindenam a tempore excommunicationis & denunciationis ſatisfecerint, extunc ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, campanis pulſatis, & candelis extinctis, per omnes eccleſias conventuales, parochiales, & capellas civitatis, ſi in civitate contingit, ſeu decanatus, vel archidiaconatus illius loci, excommunicati publice nuncientur, ſicut de incendiariis eccleſiarum eſt præmiſſum. Et ſi per ſex menſes in excommunicatione contumaciter perſtiterint, ſi habent diſtrictus, illi ſint extunc interdicti; " aliorum autem diſtrictus non " habentium, domini moneantur, & procedatur ſicut ſuperius de injectoribus manuum continetur.

*III. Contra violatores immunitatum & dotum eccleſiarum.*

Statuimus item de his qui violant eccleſiarum immunitates ſeu dotes, ut violatores hujuſmodi, videlicet qui hominem de immunitate ſeu dote extraxerint, vel aliam rem abſtulerint, vel modo alio eam præſumpſerint violare, quos tanquam ſacrilegos in his ſcriptis excommunicamus, ſimili modo quo diximus de incendiariis bonorum eccleſiarum, publice excommunicati denuncientur. Et ſi plures fuerint, vel judex ſæcularis ſit qui hujuſmodi violentiam fecerit: locus in quo tales domicilium habuerint, ſit ipſo facto interdictus. Et in loco ubi immunitas læſa eſt, ceſſetur a Divinis.

*IV. Contra raptores & invaſores bonorum eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum.*

Atque ad reprimendum importunam præſumptionem raptorum, prædonum, & invaſorum bonorum ac rerum eccleſiarum, monaſteriorum, & eccleſiaſticarum perſonarum: ſtatuimus, ut quilibet locus ſeu parochia noſtræ civitatis vel diœceſis, ad quem vel ad quam ipſi raptores, prædones, & invaſores pervenerint, ſeu præda, ſpolium vel rapina deducta fuerint, vel ubi prædæ ipſius emptor fuerit, ipſo facto ſit eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto: & quamdiu ibi fuerit, ceſſetur penitus a Divinis. Et ſi per triduum ibi ſteterint, licet extunc receſſerint, vel ad alia loca ſe tranſtulerint, vel preda ſeu ſpolium " alias deductum fuerit: nihilo minus parochia ſeu locus in quo triduo manſerint, vel ubi præda conſumpta fuerit, maneat per duos menſes interdictus, niſi medio tempore fuerit ſatisfactum. Prædones autem, raptores, & invaſores hujuſmodi, & eorum receptatores ac adjutores, nec non & prædarum emptores, per ordinarium moneantur nominatim, ſi eorum nomina ſciri poterunt, alioqui in genere, ut intra triduum poſt monitionem, ipſam prædam, ſpolium, vel rapinam, reſtituant, & condigne ſatisfaciant: alioqui tanquam ſacrilegi ſententiam excommunicationis, quam nunc ferimus in his ſcriptis, extunc incurrant ipſo facto, & excommunicati per locorum ordinarios & eorum plebanos nuncientur. In qua excommunicatione, ſi ſatisfactione neglecta duraverint per quindenam, extunc per omnes eccleſias conventuales & parochiales decanatus illius, in quo rapina committitur, & ubi ipſi ſacrilegi domicilium habent, vel etiam (ſi opus fuerit) civitatis & aliorum locorum, campanis pulſatis & candelis accenſis, uſque ad ſatisfactionem condignam nuncientur excommunicati ſingulis diebus Dominicis & feſtivis. Quod ſi per dimidium annum in excommunicatione contumaciter perſtiterint, ex tunc ſubjaceant pœnis expreſſis ſuperius contra eos qui manus in clericos injiciunt violentas: & ſecundum hoc, ut ibi diximus, procedatur.

† alio

*V. Contra detentores ſeu ſubtractores decimarum.*

Item cum ſacrilegi cenſeantur, qui injurioſe ſubtrahunt vel auferunt tributa egentium animarum, videlicet decimas ad hoc a Domino inſtitutas, ut ſint cibus in domo Dei, & eas eccleſiis, quibus debentur, non perſolvunt, ſurreptores multorum bonorum, quæ ex juſta ſolutione decimarum ſolent, Domino largiente, omnibus evenire, & incitatores ſterilitatis, peſtilentiæ, tempeſtatis, & aliorum malorum, quæ frequenter eveniunt ex ſubtractione earumdem; ſtatuimus, ut hujuſmodi ſacrilegi, ac detentores & raptores decimarum tam novalium quam aliarum, (quos nos in his ſcriptis excommunicamus,) per omnes eccleſias parochiales noſtræ civitatis & diœceſis, per totum circulum cujuslibet anni, quolibet menſe, uno die Dominico vel feſtivo campanis pulſatis & " diſtricte per rectores eccleſiarum nuncientur. Et nihilo minus ad ulteriora procedatur per loci ordinarium, ſi viſum fuerit expedire.

" diſtincte per proviſores eccleſiarum.

*VI. Contra nobiles, in expeditionibus damna perſonis eccleſiaſticis in curtibus earum inferentes.*

Statuimus item, quod quicumq; nobiles vel alii, ad prælia, vel ad alias expeditiones proceſſuri, jacuerint in grangiis, curtibus ſeu poſſeſſionibus vel bonis eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum, vel monachorum cujuſcumque ordinis, aut fecerint ibidem damna vel rapinas: niſi intra menſem poſt monitionem, a capitulo & prioribus Colonienſibus, qui præſentes fuerint, faciendam, de damnis, rapinis & injuriis irrogatis ſatisfaciant læſis & damnum paſſis, ipſo facto ſint excommunicati excommunicatione quam in ipſos ferimus in his ſcriptis: & excommunicati publice uſque ad ſatisfactionem condignam, ubi & quando expedire videbitur, nuncientur. Et ulterius creſcente contumacia, contra eos procedatur, ſicut contra bonorum eccleſiarum invaſores ſuperius eſt expreſſum.

*VII. Contra illos, qui ſe de bonis clericorum, ſive in vita, ſive in morte, intromittunt.*

Statuimus item, ut nullus laicus, cujuſcumque dignitatis vel conditionis exiſtat, de bonis clericorum, ſive in vita, ſive in morte, ſe intromittat: ſed quilibet clericus de bonis ſuis, ſicut in vita, ita & in morte, teſtamentum ſuum faciendi, & de rebus ſuis diſponendi per ſe, vel per alios quibus hoc commiſerit, liberam habeat facultatem,

ANNO CHRISTI 1266.

tem. Et illos qui contra hoc ſtatutum de bonis & rebus clericorum decedentium, auſu ſacrilego ſe injecerint, niſi ſint ipſorum clericorum manufideles, ſeu ultimarum executores voluntatum, exnunc ſententia excommunicationis innodamus; & per locorum ordinarios præcipimus excommunicatos publice nunciari, donec ablata reſtituerint, & alias ſatisfecerint competenter. In qua excommunicatione ſi per menſem perſtiterint: extunc contra eos, tanquam invaſores bonorum eccleſiarum, procedatur.

*VIII. Ut bona clericorum tranſeant ſine telonio libera & abſoluta.*

Statuimus etiam, ut bona eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum civitatis & diœceſis Colonienſis, ſint & maneant in omni loco, tam in civitate quam extra, & tranſeant tam in terris, quam in aquis, abſque telonio & qualibet exactione, & ſine omni impedimento libera & penitus abſoluta. Si qui vero contra hoc venire præſumpſerint, contra ipſos tanquam contra invaſores & raptores bonorum eccleſiarum, de quibus ſupra dictum eſt, procedatur.

*IX. Ne clerici vel religioſi trahantur ad judicium ſæculare.*

Item cum clerici vel religioſi coram judicio ſæculari non debeant in cauſam trahi, ſuo, vel eccleſiæ, vel alicujus alterius nomine, nec a laicis contra eos ſententia dictari: hoc fieri ſub interminatione excommunicationis, quam ferimus in his ſcriptis, firmiter prohibemus: ſtatuentes, ut ſi laicus clericum vel religioſum ad forum traxerit ſæculare, idem laicus omnino cadat a cauſa; & nihilo minus per ordinarium ipſius excommunicatus denuncietur publice uſque ad ſatisfactionem condignam.

Præterea judex ſæcularis & ſcabini loci, in quo contingit hoc, per ordinarium ipſius loci moneantur, ut de tali ſe cauſa nullatenus intromittant: penitus deſiſtendo & revocando intra triduum, ſi in aliquo, occaſione hujuſmodi, in præjudicium ipſius clerici vel religioſi eſt proceſſum. Alioqui ipſi judices & ſcabini per eumdem ordinarium ſine dilatione qualibet excommunicentur, & excommunicati publice uſque ad ſatisfactionem condignam nuncientur. In qua excommunicatione ſi per quindenam perduraverint, locus ille ſit extunc eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto: quod non relaxetur, niſi prius ſufficienter ſit ſatisfactum paſſo injuriam, ac nobis, & eccleſiæ. Et judicatum, ſi quod contra ipſum clericum & religioſum eſt factum, & ſi quid aliud ſubſecutum eſt, ſit penitus revocatum.

*X. Contra clericos, qui perſonas eccleſiaſticas ratione bonorum ſuorum vocant ad judicium ſæculare.*

Si vero clericus clericum in foro ſæculari, ſuo vel eccleſiæ vel alterius cujuſcumque nomine, in cauſam traxerit, cauſam amittat. Et ſi monitus ab ordinario, in continenti non deſtiterit, ac intra ſeptem dies non ſatisfecerit in cauſam tracto, nobis, & eccleſiæ competenter: ab officio vel beneficio ſit ſuſpenſus ipſo facto, donec ſatisfecerit competenter. Et ſi ſuſpenſione hujuſmodi durante, ſe ingeſſerit beneficio vel officio: ab eodem ordinario excommunicetur, & excommunicatus publice nuncietur. Et ſi in hujuſmodi contumacia & excommunicatione per tres ſeptimanas permanſerit: extunc beneficio, ſi quod habet, cum cura, vel ſine cura, ipſo facto ſit privatus, & ad idem beneficium nihilo minus inhabilis ad rehabendum exiſtat: ſi vero beneficium aliquod non habuerit, ſit inhabilis ad habendum. Contra judicem vero & ſcabinos, qui ſe de hujuſmodi judicio vel cauſa intromiſerint, procedatur ſicut ſuperius in proximo capitulo eſt expreſſum.

*XI. Contra eos qui clericos occaſione quacumque ad forum ſæculare traxerint.*

Item damnamus & ſub interminatione anathematis prohibemus deteſtabile ſtatutum, immo errorem, a quibuſdam laicis contra libertatem eccleſiaſticam introductum: videlicet ut ſi laicus cauſam habet contra clericum, vel eccleſiam conventualem ſeu monaſterium, ſeu quamcumque aliam domum religioſam, idemque clericus, vel eccleſia, poſſeſſiones vel alia bona habet in diſtrictu judicis ſæcularis, laicus ipſe vel judex compellit clericum vel eccleſiam coram ſæculari judicio litigare, ratione poſſeſſionum vel bonorum eorumdem. Et ipſe judex ſæcularis diem aſſignat clerico vel eccleſiæ ad litigandum coram eo: ad quem ſi non venerit, ſicut nec tenetur, vel veniens, coram eo noluerit litigare, bonis ſuis privat eumdem, plurimas alias abuſiones in his & conſimilibus committendo: ſtatuimus, in hoc caſu idem tam contra actorem, quam judicem & ſcabinos, obſervari, quod diximus de clerico clericum trahente ad judicium ſæculare. Et judicibus ipſis & ſcabinis, hujuſmodi factum non revocantibus, & alias non ſatisfacientibus competenter intra biduum poſt monitionem ab ordinario faciendam, locus ubi hoc contingit, eccleſiaſtico ſit ſuppoſitus interdicto. Quo durante per quindenam, ſuperior ſive dominus illius judicis & ſcabinorum, moneatur per ordinarium, ut tale forefactum procuret revocari, & faciat intra ſeptem dies poſt ipſam monitionem emendari. Alioqui contra ipſum ſuperiorem ſive dominum procedatur, prout in ſtatuto contra injectores manuum in clericos, de nobilibus & dominis eſt expreſſum.



*XII. Ut ſimiliter contra occupantes & arreſtantes bona eccleſiarum procedatur.*

Et eodem modo ſtatuimus contra occupantes ſeu ſæculari judicio arreſtantes bona eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum ſive religioſarum, procedi, & idem obſervari.

*XIII. Ut judices eccleſiaſtici & prælati eccleſiarum, laicis contra clericos cauſam habentibus juſtitiam faciant expeditam.*

Ne vero laici occaſionem habeant de defectu juſtitiæ contra clericos querulandi, ſtatuimus ſub pœna excommunicationis firmiter præcipientes, ut prælati ſeu ordinarii clericorum & eccleſiarum, laicis contra ipſos clericos vel eccleſias cauſam habentibus faciant, cum requiſiti fuerint, ſecundum conſuetudinem capitulorum, ſi fuerint in eccleſia collegiata: & alias de clericis non exiſtentibus de collegio, ſecundum jus ſcriptum vel conſuetudinarium, juſtitiam expeditam.

*XIV. Contra impedientes & turbantes celebrationes ſanctarum ſynodorum.*

Statuimus etiam, ut prælati & ordinarii judices noſtræ civitatis & diœceſis, in terminis eorum juriſdictioni ſubjectis, ſynodum ſuam, qui ad hoc tenentur, obſervent per ſe vel per alios congruis temporibus ab ipſis prælatis, prout expedire viderint, præfigendis, & quæ corrigenda vel reformanda occurrunt, corrigant & reforment: & omnes in eccleſia illa & parochia, in qua ſynodus celebranda fuerit, quandocumque eis fuerit denunciata, ad eccleſiam & ſynodum veniant obedienter, & jura ſynodalia obſervent reverenter, non obſtante aliqua occaſione vel conſuetudine contraria, quam corruptelam reputamus, & penitus reprobamus. Soli tamen nobiles excipiantur, qui ad noſtram ſynodum noſcuntur ſpecialiter pertinere. Si qui vero laicorum contra hoc venire præſumpſerint, & in hoc, mandato ipſius prælati ſive ordinarii non obediverint: ſententiam excommunicationis, quam in his ſcriptis in ipſos ferimus, ipſo facto vel omiſſione incurrant, & excommunicati ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, per plebanos eorum & alios, prout hoc prælato ipſi expedire videbitur, uſque ad ſatisfactionem condignam publice nuncientur. Si vero multitudo parochiæ fuerit in cauſa ſeu in culpa, locus ille in quo ſynodum vel jura ſynodalia impediri contingit, ſit ipſo facto, eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto, quod non relaxetur, niſi de hoc ſatisfactum fuerit competenter. Nobilibus vero, ne hujuſmodi ſynodos vel jura ſynodalia impediant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter prohibemus.



*XV. Ut prælati juriſdictione ſua libere utantur in terminis eorum juriſdictioni ſubjectis.*

Sed ne delicta ſeu commiſſa ſubditorum maneant impunita, & ex hoc tribuatur audacia delinquendi: ſtatuimus, ut prælati in terminis eorum juriſdictioni ſubjectis, ſua juriſdictione libere utantur; tam in correctione, quam in judicio & animadverſione ac aliis, quæ ad hoc videbuntur expedire: nec in his alter ab altero impediatur, ſed juvetur. Et ſi aliquæ ſententiæ a prælato in ſuum ſubditum propter ipſius exceſſus prolatæ fuerint, illæ ſententiæ ab aliis prælatis inviolabiliter uſque ad ſatisfactionem condignam obſerventur, & etiam executioni, ſi opus fuerit, demandentur.

*XVI. Ut judices eccleſiaſtici fraudem in judiciis ſuis non committant.*

Ut judices eccleſiaſtici in judiciis ſive cauſis officium ſuum, ſolum Deum & juſtitiam præ oculis habentes, fideliter exequantur. Et ſi ſcienter per gratiam vel per ſordes aliquam partium in cauſis contra juſtitiam læſerint præter pœnas a jure ſtatutas, quibus [a] ſubjaceant, ipſo facto incurrant ſententiam excommunicationis, a nobis latam in his ſcriptis: & nihilo minus per ſuperiorem contra eos, ſi opus fuerit, ad graviora procedatur.

[a] *Forte*; ſubjacent. *Harduinus*.

*XVII. Ne judices eccleſiaſtici ſe de cauſis, ad forum ſæculare ſpectantibus intromittant.*

Statuimus & hoc, ut de cauſis ad forum ſæculare ſpectantibus, judices eccleſiaſtici ſe nullatenus intromittant: ſed quam cito inter litigantes de hoc exceptum fuerit coram ipſis judicibus eccleſiaſticis, & oſtenſam, ſicut de jure fuerit faciendum, cauſam ad judicem ſæcularem remittere non poſtponant.

*XVIII. Contra impedientes eccleſiaſticorum judicum juriſdictionem & executionem ſententiarum.*

Ne vero juriſdictionem judicum eccleſiaſticorum, ſive ordinarii fuerint, ſive delegati, a ſæcularibus judicibus vel perſonis impediri, & ex hoc, ſicut a pluribus intentatur, diſſolvi contingat nervum eccleſiaſticæ diſciplinæ: ſtatuimus, ut nullus ſæcularium, ſive nobilis fuerit, ſive aliter qualiſcumque, eccleſiaſticorum judicum juriſdictionem in citationibus, monitionibus, denunciationibus, executionibus, ac aliis modis quibus juriſdictio eccleſiaſtica exercetur, per ſe vel per alium impediat aliquatenus vel retardet: & qui contra hoc auſu temerario venire præſumpſerit, & monitus ab ordinario vel delegato, intra ſeptem dies a tempore monitionis factæ non deſtiterit omnino, nec revocaverit, ſi quid in præjudicium præmiſſorum attentaverit, ſententiam excommunicationis, quam in his ſcriptis ferimus in hujuſmodi præſumptores, incurrat ipſo facto. Quam excommunicationem ſi per quindecim ſequentes dies contumaciter ſuſtinuerit: ex tunc, ſi nobilis aut dominus eſt, terra ipſius & diſtrictus, ſi quem habet, ſit ipſo facto eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto. Et nihilominus in loco, ubi faciens impedimentum prædictum vel procurans, domicilium habuerit, ceſſetur a Divinis, quouſque impedimentum ſit revocatum, & alias legitime ſatisfactum.

*XIX. Contra eos qui clericos non ſine violenta manuum injectione capiunt & detinent.*

Quia vero in tantam veſaniam plerumque prorumpit quorumdam perverſitas perverſorum, ut auſu ſacrilego clericos & eccleſiaſticas perſonas non ſine violenta manuum injectione damnabiliter capere, & captivos execrabiliter detinere non formident: ſtatuimus, ut clericorum captivatores, quicumque fuerint aut cujuſcumque dignitatis aut conditionis, cum omnibus conſilium, auxilium, opem vel operam adhibentibus, per omnes eccleſias conventuales, parochiales, & capellas civitatis & diœceſis Colonienſis, cum ipſo facto excommunicatione canonis ſint ligati, excommunicati nominatim, ſi eorum nomina ſciri poterunt, alioqui in genere, publice denuncientur, donec captivus ſit liberatus, & de forefacto fuerit læſo, nobis, & eccleſiæ ſatisfactum. Et ſi intra octo dies poſt hujuſmodi denunciationem captivus non fuerit liberatus, extunc iidem captivatores cum adhibentibus conſilium, auxilium, opem vel operam, ut prædictum eſt, nominatim, quorum nomina ſciri potuerint, alioqui in genere, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, campanis pulſatis & candelis extinctis, per eaſdem eccleſias & capellas excommunicati ſolenniter & publice nuncientur. Idemque obſervetur, ſi captivo liberato, non fuerit læſo, nobis, & eccleſiæ intra menſem ſatisfactum. Et nihilominus evitentur, donec per auctoritatem apoſtolicam abſolvantur.

*XX. Proceſſus forma contra eoſdem.*

Statuimus etiam, quod in omni loco, videlicet civitate, oppido, caſtro ſeu munitione, vel villa, vel alio, quocumque nomine vocetur, ubi clericus captivus fuerit adductus, receptus, vel detentus, eodem die cum illuc deductus, receptus vel detentus fuerit, & quamdiu ibidem extiterit, ceſſetur penitus a Divinis: & ſit ipſe locus ipſo facto, eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto. Et ſi per triduum ibidem manſerit captivus, nec fuerit liberatus: locus ipſe, quamvis poſtmodum captivus de eodem fuerit deductus, nihilo minus maneat interdictus, donec captivus liberetur, & modo præmiſſo fuerit ſatisfactum: ut ſic tam nobiles quam magnates, ac etiam populares cum plebe, contra malefactores & ſacrilegos hujuſmodi ex Divinorum carentia provocati, conſurgant ad liberationem illius, qui auſu ſacrilego captivus detinetur, auxilium præſtituri.

*XXI. Si propter captivitatem clerici, locus aliquis per menſem manſerit interdictus.*

Item ſi propter captivitatem vel detentionem clerici captivi, locus ubi detinetur, vel ubi captivans habet domicilium, per menſem unum manſerit interdictus, ita quod clericus liberatus non fuerit, nec alias ſatisfactum: extunc interdictum ipſum, ad totum decanatum, in quo locus ille conſiſtit, extendatur, & ſit ipſe decanatus totus interdictus.

*XXII. Si decanatus per quindenam maneant interdictus.*

Et ſi hujuſmodi interdicto durante per quindenam, clericus captivus non fuerit liberatus, extunc, ſi nobilis fuerit vel potens, vel alius quicumque habens terram, juriſdictionem vel diſtrictum qui clericum captivavit vel detinet: terra & diſtrictus ejus, ubicumque fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Et idem interdictum, eademque pœna obſervetur, ſi dominus aut nobilis,





bilis, aut alius quicumque in cujus diſtrictu vel juriſdictione captivans vel detinens clericum, quamvis ab alio captivatum, habuerit domicilium vel receptaculum, monitus ab ordinario loci, intra quindenam a die monitionis factæ ipſum clericum non procuraverit liberari.

*XXIII. Si captivantes clericum, per duos menſes excommunicati fuerint.*

Sed & poſtquam captivans clericum, vel detinens captivatum, per duos menſes in excommunicatione perſtiterit, clerico non liberato: omnis locus, ad quem captivans vel detinens pervenerit, vel qua tranſierit, ibidem comedendo vel bibendo, ſit per continuum ſequens triduum interdictus. Sic & per ſeptem ſequentes dies ſit interdictus, ubi ipſum contigerit pernoctare.

*XXIV. Ne filii vel filiæ clericos captivantium, & per annum excommunicatorum, ad ordines vel ad beneficia eccleſiaſtica admittantur.*

Porro ſi captivans clericum vel religioſum, vel detinens, ac ſacrilegus, hujuſmodi pœnis ſupradictis vilipenſis, congrua ſatisfactione neglecta, per annum unum in excommunicatione hujuſmodi perdurare animo præſumpſerit indurato ſive obſtinato: ſtatuimus, ut nulli de filiis & filiabus, fratribus & ſororibus, ſeu filiis vel filiabus fratrum vel ſororum uſque ad tertium gradum incluſive in linea deſcendenti & collaterali, & illi etiam qui ad hujuſmodi captivitatem opem vel operam impenderint, vel captivum clericum in ſuis domiciliis detinuerint, ad ordines ſeu beneficia, aut etiam prælaturas admittantur: cum ex delicto parentum, ipſo facto reddantur inhabiles ad hujuſmodi conſequenda: ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſtatuentes & mandantes examinatoribus clericorum, capitulis, patronis & archidiaconis ac prælatis, ut nullum ex talibus ad ordines admittant, capitula nullum ex eis ad præbendam eligant, patroni nullum ex eis præſentent, archidiaconi ac prælati tales non inveſtiant ullo modo. Alioqui capitula, patroni, & archidiaconi ac prælati, ipſo facto, jus ſuum amittant ea vice, & ad proximum ſuperiorem devolvatur. Examinatores vero & archidiaconi aliquem ex talibus ſcienter ad ordines vel beneficia admittentes, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Item de filiabus, ſororibus, & filiabus ſororum & filiarum prædictarum, uſque ad gradum prædictum, ſtatuimus obſervandum, ut in clauſtris vel cœnobiis cujuſcumque ordinis nullatenus admittantur.

Idem etiam, quoad excluſionem hujuſmodi, in filiis, filiabus, nepotibus & neptibus eorum, qui eccleſias vel monaſteria incenderint, ſi per annum in excommunicatione, neglecta ſatisfactione, perſtiterint contumaciter, contra tales ſtatuimus obſervandum.

*XXV. Ut feuda eccleſiaſtica ab his, qui per annum contumaciter excommunicationem ſuſtinuerint, ad eccleſias revertantur.*

Feuda etiam, ſi qua prædicti ſacrilegi ab eccleſiis vel eccleſiaſticis perſonis tenuerint, poſt lapſum anni, per quem excommunicationem ſuſtinuerunt, ad eccleſias & perſonas eccleſiaſticas libere revertantur: ita ut, ſi ipſi ſacrilegi ultra ſe de hujuſmodi feudis ingeſſerint, contra eos tanquam invaſores bonorum eccleſiæ procedatur.

*XXVI. Mitigationes pro fratribus & ſororibus ac aliis perſonis facta, ſi ſe voluerint intra annum canonice expurgare.*

Volentes nihilo minus, ut fratres & ſorores, filii & filiæ fratrum & ſororum, & alii in linea collaterali gradus ſupradicti, qui ſacrilegis & excommunicatis hujuſmodi in ſuis maleficiis non aſſiſtunt, nec adſtiterunt, & ad ipſa maleficia opem vel operam aut favorem non impenderunt, nec impendunt, ſine culpa eorum aut ſine cauſa non graventur ex maleficiis aliorum: ſtatuimus, ut iidem fratres & ſorores, filii & filiæ fratrum & ſororum, & aliæ perſonæ lineæ collateralis, pœnis ſupradictis, quoad excluſionem ab ordinibus & beneficiis & prælaturis hujuſmodi, non ſubjaceant, nec adſtringantur eiſdem, ſi intra eumdem annum coram nobis aut capitulo & prioribus Colonienſibus ſe canonice expurgaverint, quilibet quarta manu, quod prædictis ſacrilegis in hujuſmodi maleficiis conſilio vel auxilio, ope vel opera non adſtiterint, & juramento corporali firmaverint, quod eis ulterius non adſtabunt.

*XXVII. Si clericum in alia diœceſi capi, vel in iſta captum, ad aliam diœceſim deduci contingat.*

Statuimus item, ut ſi clericum Colonienſis civitatis aut diœceſis, in alia diœceſi capi contingat, vel in noſtra civitate aut diœceſi captum, ad aliam diœceſim deduci vel transferri: quod per capitulum & priores Colonienſes, & alia capitula, ad liberationem captivi, & ad procedendum contra ſacrilegum illius diœceſis, qui in hoc culpabi-

pabilis fuerit, apud loci diœceſanum affectuoſe laboretur, prout viſum fuerit expedire.

*XXVIII. Contra occiſores & mutilatores clericorum.*

De occiſoribus & mutilatoribus clericorum, & clericos in captivitate uſque ad mortem detinentibus, ſeu alias enormiter lædentibus; ſtatuimus, ut per omnes eccleſias conventuales, parochiales, & capellas civitatis & diœceſis Colonienſis, ipſi occiſores & mutilatores, & omnes opem & operam ſeu conſilium ad hoc adhibentes, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, campanis pulſatis & candelis extinctis, nominatim, quorum nomina ſciuntur, alioqui in genere, excommunicati denuncientur, ab omnibus arctius evitandi, donec ſufficienter ſatisfecerint, & a ſede apoſtolica redierint abſoluti.

Præterea locus omnis, ad quem venerint, ſit interdictus, quamdiu ibi fuerint: & per ſequens triduum, ſi ibi biberint vel comederint: & per ſeptem ſequentes dies, ubi eos pernoctare contigerit. Ceterum ſi nobiles fuerint, vel alii terram & juriſdictionem vel diſtrictum habentes, & intra tres menſes a tempore perpetrati ſceleris, ad arbitrium noſtrum aut capituli & priorum Colonienſium, non ſatisfecerint: terra eorum & diſtrictus ex tunc ſit, ipſo facto, eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto: & feuda ſeu officia vel " poſſeſſiones, ſi quas habent ab eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis, amittant, & ad eccleſias, a quibus ea habuerint, revertantur: ita quod ipſorum ſacrilegorum hæredes ad feuda hujuſmodi, vel ad aliqua alia ab eccleſiis vel eccleſiaſticis perſonis deſcendentia, numquam in perpetuum admittantur. De quibus ſi ultra ſe ingeſſerint, contra eos procedatur tanquam contra bonorum eccleſiarum invaſores, prout ſuperius eſt expreſſum. Et hoc etiam in aliis perſonis, quæ non ſunt nobiles, feuda habentibus, volumus obſervari.

* penſiones

Præterea ſi domini terræ, in quorum diſtrictibus manent vel domicilium habent, vel ubi tam enorme ſcelus commiſſum extiterit, tam nefarios, ſacrilegos, & nefandos, in ſuis diſtrictibus ſuſtinuerint, & contra eos ad bonorum privationem & proſcriptionem de terra, non proceſſerint: contra ipſos dominos, tanquam contra conſentientes malo hujuſmodi, monitione præmiſſa procedatur.

*XXIX. Contra occiſores clericorum, per annum in excommunicatione exiſtentes.*

Si autem intra annum abſolutionem a ſede apoſtolica impetrare, & alias congrue ſatisfacere neglexerint: ſtatuimus, ut extunc nullus filiorum aut nepotum eorumdem ſacrilegorum, ad ordines vel ad beneficium eccleſiaſticum vel dignitatem, uſque ad quartum gradum, admittatur. Et idem fiat de filiabus & neptibus eorumdem. Et ſi qui eos vel eas admiſerint, incurrant pœnas quæ ſuperius de filiis & nepotibus clericos captivantium, ſunt expreſſæ.

*XXX. Contra eos qui minas intulerint perſonis eccleſiaſticis de corpore vel de rebus.*

Volentes item malo, antequam eveniat, quantum poſſumus, obviare: ſtatuimus, ut ſi quis eccleſiaſticæ perſonæ minas intulerit de corpore vel de rebus, & monitus a judice ordinario, ipſam perſonam eccleſiaſticam non aſſecuraverit, a tempore monitionis intra ſeptem dies, ab ipſo ordinario extunc excommunicetur, & excommunicatus publice nuncietur, donec aſſecuret ipſam perſonam eccleſiaſticam, & de ea coram ſuo judice accipiat rationem.

*XXXI. Contra eos clericos, qui ſacrilegium in clericos committere non verentur.*

Cum vero magnum ſit ſcandalum, & pleriſque laicis, qui alioqui clericis ſunt infeſti, ſimilia committendi exiſtat quamplurimum incentivum, quod clerici in clericos ſacrilegium committere non verentur: ſtatuimus, ut clericus vel canonicus injiciens manus violentas in clericum, vel eccleſiam ſuam vel aliam, aut eccleſiaſticam perſonam ſpolians, vel violentiam in immunitate committens, vel bona eorum ſæculari judicio occupans, vel ad aliquod horum, conſilium ſeu auxilium vel operam dans, pro hujuſmodi injectione, in continenti per omnes eccleſias & capellas civitatis & diœceſis excommunicatus nuncietur. Et cum de aliis conſtiterit per evidentiam vel famam publicam, vel juramentum injuriam vel damnum paſſi, ſi fuerit perſona fide digna, vel per fidem teſtium ſummarie faciendam: per ordinarium moneatur, ut intra ſeptem dies a tempore monitionis factæ, de forefacto perpetrato ſatisfaciat competenter. Alioqui a nobis excommunicatus excommunicatione quam ferimus in his ſcriptis, extunc per omnes eccleſias, ut ſupradictum eſt, publice nuncietur.

Quod



Quod ſi intra quindecim dies non ſatisfecerit, extunc denuncietur, campanis pulſatis & candelis extinctis, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, excommunicatus. Quod ſi per annum in hujuſmodi excommunicatione perſtiterit: extunc omnibus beneficiis eccleſiaſticis, ſi qua habuerit, ipſo facto ſit privatus. Et illi ad quos ſpectat ipſorum beneficiorum collatio, ea conferant intra menſem. Alioqui per ſuperiorem extunc conferantur. Et nihilo minus ſit inhabilis ad aliqua alia conſequenda.

*XXXII. Contra clericum, qui occaſione alicujus quæſtionis clericum captivaverit.*

Si autem clericus clericum occaſione alicujus quæſtionis, quam habeat, captivaverit, vel ad capiendum ipſum, conſilium, auxilium, vel operam adhibuerit: ſtatuimus, ut cauſam amittat ipſo facto, & excommunicatus publice, ut de aliis captivatoribus præmiſſum eſt, nuncietur. Et ſi intra ſeptem dies liberationem ipſius captivi non procuraverit, ac intra alios quindecim dies læſo, nobis, & eccleſiæ non ſatisfecerit: extunc omnibus beneficiis eccleſiaſticis, ſi quæ habet, ſit ipſo facto privatus, & inhabilis in perpetuum ad aliquod beneficium conſequendum. Et ſi ille, ad quem collatio beneficiorum hujuſmodi pertinuerit, intra menſem non de eis ordinaverit, ea aliis vel alii conferendo: collatio ac ordinatio eorumdem ad proximum ſuperiorem ſit ipſo facto devoluta. Si vero beneficium non habuerit, ſit inhabilis in perpetuum ad obtinendum.

Præterea omnis locus, ad quem hujuſmodi ſacrilegus pervenerit, vel ubi biberit aut comederit, aut pernoctaverit, ſit ipſo facto interdictus eo modo, ſicut de laicis captivatoribus clericorum eſt præmiſſum.

*XXXIII. Contra clericos qui mutilant vel occidunt clericum.*

Statuimus etiam, ut clericus occidens vel mutilans clericum, vel eum uſque ad mortem captivum detinens, ſit ipſo facto ab omnibus beneficiis eccleſiaſticis habitis, & a ſpe habendorum penitus deſtitutus, & excommunicatus in omnibus eccleſiis, ut ſuperius dictum eſt, nuncietur: locis ad quæ venerit, vel ubi biberit, comederit, aut pernoctaverit, ut ſuperius dictum eſt, ſuppoſitis ipſo facto eccleſiaſtico interdicto. Et nihilo minus ad alias pœnas, per nos aut capitulum & priores Colonienſes, ſicut opus fuerit, procedatur.

*XXXIV. De litigantibus ſuper una præbenda in aliqua eccleſia diœceſis Colonienſis.*

Cum vero plerumque contingat, quod vacante præbenda in aliqua eccleſia civitatis vel diœceſis Colonienſis, in qua duo vel plures authoritate ſedis apoſtolicæ vel legatorum ejus, aut quavis alia authoritate, jus ſe aſſerunt habere, & per executores ſuos ſeu quoſcumque alios ſe procurant mitti in poſſeſſionem corporalem præbendæ ipſius, cujus occaſione miſſionis, de hujuſmodi præbenda contendentes, bona, res, & jura ipſius eccleſiæ tam intra immunitatem, quam extra, indifferenter rapiunt & invadunt, ſeu per ſæculare judicium occupari vel arreſtari procurant, ſententias excommunicationis in " in certas perſonas de capitulo, & ſuſpenſionis in capitulum, nihilo minus a ſuis executoribus fulminari facientes, propter quod in rebus & perſonis tam ſpiritualibus quam temporalibus, eccleſiæ non modicum detrimentum ſuſtinent & jacturam: ſtatuimus, ut cum in aliqua eccleſia caſus hujuſmodi emerſerit, decanus & capitulum illius eccleſiæ authoritate hujuſmodi conſtitutionis ſibi faciant litteras authenticas & inſtrumenta, quibus ſic contendentes uti voluerint pro jure ſuo, hinc inde a partibus exhiberi, & convocatis capitulo & prioribus Colonienſibus, qui præſentes fuerint, & haberi commode potuerint, per eos ad hoc vocatis juris peritis, qui viſi fuerint expedire, per quos hujuſmodi quæſtio & diſcordia decidatur, & eorum diſcuſſioni ſeu ſententiæ ſtetur, & inviolabiliter obſervetur. Et ſi capitulum & priores, propter difficultatem juris vel alias cauſas legitimas, quæſtionem hujuſmodi decidere non poterunt, nec decidunt: cauſam eamdem ad curiam domini papæ decidendam tranſmittant, præfigentes partibus terminum competentem, quo ſe conſpectui papæ repræſentent, cum omnibus ſuis monumentis & documentis juſtitiam recepturæ. Cauſa vero & quæſtione hujuſmodi durante, medietas fructus præbendæ vacantis in uſus cedat eccleſiæ: & reliqua pars alicui idoneæ perſonæ, quæ deſerviat in ordine, quem defuncti præbenda requiſierit, deputetur. Et ſi qua partium ſententiam pro ſe in curia habuerit, & in cauſa evicerit: fructus ejuſdem præbendæ de mandato domini papæ capitulo præſentato, ceſſante occaſione qualibet, miniſtretur. Si qua vero partium, litterarum ſuarum copiam facere, & hoc ſtatutum ſubire contumaciter renuerit, &

* tertias

de

ANNO CHRISTI 1266.

de ſua potentia vel malitia confiſa, bona eccleſiæ invadere, ac rapere temere & irreverenter, Dei timore poſtpoſito, præſumpſerit: contra ipſam partem, tanquam contra raptorem bonorum eccleſiæ, ut ſupradictum eſt, procedatur. Statuimus etiam, ut hæc non ſolum ad futura hujuſmodi negotia, ſed etiam ad præſentia & præterita, a tempore electionis noſtræ extendantur.

*XXXV. Ne aliquis clericus ſacrilegis excommunicatis aut uſurariis aſſiſtat vel eos defendat.*

Cum ſalvis pœnis, ſtatutis tam in jure canonico quam civili, & coercitione noſtræ ordinariæ poteſtatis contra injuriatores eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum, prædictis modis & aliis qui ad hoc videbuntur expedire, providerimus procedendum: ſtatuimus, ut perſonis quibuſcumque qui manus in clericos aut religioſos injiciunt, vel * alias ſpoliant & capiunt, aut in aliquo ſupradictorum modorum vel exceſſuum contra eccleſias vel eccleſiaſticas perſonas exceſſerint, ſeu ſententiis excommunicationis, ſuſpenſionis aut interdicti, aut aliis modis ſupradictis ſe involverint, clerici ſive in dignitate conſtituti, ſive alii, vel etiam advocati, conſilio vel auxilio in aperto vel in occulto non aſſiſtant: & qui contra venerint verbo vel facto, ſententiam excommunicationis, quam in eos ferimus in his ſcriptis, incurrant ipſo facto, & excommunicati publice, qui de hoc convicti fuerint vel confeſſi, uſque ad ſatisfactionem condignam nuncientur: & publice pro hujuſmodi perſonis præſumpſerint in judicio poſtulare, earum injurias defendendo, & moniti ab eorum ordinariis, non deſtiterint, excommunicati publice, tanquam illi quorum exceſſus vel injurias nituntur defendere, nuncientur: & alias etiam contra eos, ſi opus fuerit, procedatur. Idem ſtatuimus fieri de his, qui uſurariis manifeſtis aſſiſtunt patrocinio, vel defendunt eoſdem.

* eos

*XXXVI. Ne clerici capellani nobilium excommunicatorum, cum ipſis dominis ſuis ultra menſem permaneant.*

Statuimus item, ut clerici ſeu capellani dominorum ſuorum aut nobilium vel aliarum perſonarum, quæ fuerint propter aliquem prædictorum exceſſuum, ſententia excommunicationis innodati, dominis ſuis in hujuſmodi injuriis conſilium vel auxilium, verbo vel facto non impendant: alioqui ſe noverint eadem excommunicatione involutos.

Præterea ipſos dominos ſuos modis quibus poterunt inducant, ut de eis pro quibus excommunicati exiſtunt, ſatisfaciant, & ad reconciliationem ſanctæ matris eccleſiæ revertantur: quod ſi intra menſem eoſdem dominos ſuos ad hoc inducere nequiverint, extunc omnino recedant ab eiſdem, nec eis communicent. Alioqui ipſos clericos ſeu capellanos, qui ultra id cum dominis ſuis permanſerint, & eis communicaverint, majori excommunicatione in his ſcriptis latæ ſententiæ innodamus, & præcipimus eos per locorum ordinarios, excommunicatos publice nunciari. In qua excommunicatione ſi per duos menſes contumaciter perduraverint, & a dominis ſuis non receſſerint, extunc ipſo facto omnibus beneficiis eccleſiaſticis, cum cura vel ſine cura, quæ habent, ſint privati: & eadem beneficia per illos, ad quorum collationem pertinent, aliis perſonis idoneis intra menſem conferantur: alioqui extunc per ſuperiorem proximum conferantur, & nihilo minus ſint inhabiles ad alia beneficia obtinenda.

*XXXVII. Contra eos qui ſententiam excommunicationis damnabiliter vilipendunt.*

Cumque nonnulli ſententiam excommunicationis damnabiliter vilipendant: ſtatuimus, ut quicumque excommunicatus & in parochia ſua denunciatus, per annum in ipſa excommunicatione perſtiterit, & de hoc fides facta fuerit per litteras excommunicatoris, quas ſufficere volumus in hac parte, ſi fuerit ordinarius, & alias per aliam fidem ſufficientem, ſi hujuſmodi fuerit nobilis vel alius habens terram vel diſtrictum, illa terra vel diſtrictus per ordinarium loci, ſuper hoc requiſitum ab excommunicatore vel actore, eccleſiaſtico ſine difficultate ſupponatur interdicto. Et ſi fuerit alius quam nobilis, dominus temporalis ſeu judex, in cujus diſtrictu excommunicatus manſerit, ſeu domicilium habuerit, moneatur per ordinarium ipſius, ut compellat ipſum excommunicatum redire ad ſanctæ matris eccleſiæ * unitatem. Alioqui idem dominus ſive judex, per ipſum ordinarium excommunicationis ſententia percellatur.

* unionem

XXXVIII.



ANNO CHRISTI 1266.

*XXXVIII. Contra computreſcentes in excommunicatione ultra annum, quomodo procedendum.*

Ipſi autem excommunicati, cum per annum in excommunicatione perſtiterint, in ſynodis accuſentur, tanquam clavium eccleſiæ contemptores, & ſatisfacere compellantur: adhibito etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*XXXIX. Ut prælati & quælibet eccleſiaſtica perſona, ad obſervationem ſtatutorum iſtorum fideliter teneantur.*

Quia vero omnibus per ſtatuta hujuſmodi paterna ſolicitudine intendimus providere, ut videlicet quies procuretur eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis, & pacis turbatores pœnæ formidine cohibeantur a peccatis: præcipimus & mandamus ſub pœna excommunicationis, ut ſtatuta ipſa ab omnibus tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus perſonis inviolabiliter obſerventur; ſtatuentes, ut capitulum, prælati, archidiaconi, præpoſiti, decani capitulorum, & alia capitula, & ſinguli de capitulis, decani Chriſtianitatum, rectores eccleſiarum & capellarum, necnon & vicarii, & omnes clerici civitatis & diœceſis Colonienſis, ad obſervationem ſententiarum prædictarum, ſcilicet excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, & ad earum executionem, quandocumque & quotieſcumque opus fuerit, & aliquod forefactorum prædictorum committi contigerit in civitate aut diœceſi Colonienſi, omni fraude & dolo penitus excluſis, fideliter teneantur. Si quis autem prælatus in his remiſſus fuerit, & ex parte eccleſiæ vel perſonæ injuriam vel damnum paſſæ, tertio requiſitus, ad executionem præmiſſorum, prout in ſuperioribus continetur, per ſe vel per alium procedere neglexerit: ſententiam ſuſpenſionis a nobis latam in his ſcriptis, incurrat ipſa omiſſione: quam ſcilicet ſuſpenſionis ſententiam, ſi per octo dies in negligentia perdurando ſuſtinuerit, extunc incurrat excommunicationis ſententiam, a nobis latam in his ſcriptis. Et nihilo minus contra eum ad ulteriora per nos, de conſilio capituli & priorum Colonienſium, procedatur.

*XL Contra clericos in executionibus ſententiarum remiſſos, & ſententias ipſas modo debito non ſervantes.*

Hebdomadarii item in eccleſiis conventualibus, plebani, rectores ſeu proviſores parochialium eccleſiarum & capellarum civitatis & diœceſis Colonienſis, qui in ſuis eccleſiis ſeu capellis illos qui ex aliquibus cauſis, de quibus ſupra dictum eſt, in excommunicationem inciderint vel * juris vel hominis, & fuerint, ut præmiſſum eſt, excommunicati nunciandi, denunciare omiſerint, ipſa omiſſione ſe ſciant excommunicationis ſententiam, in his ſcriptis a nobis latam, incurriſſe, & poterunt depoſitionis periculum formidare, ſi Divinis ſe ingeſſerint ſic ligati: ita ut, niſi celeri ſatisfactione ſibi proſpexerint, monitione præmiſſa a ſuis ordinariis, priventur beneficiis quæ habent, & illa aliis perſonis idoneis, per eos ad quorum ſpectant collationes, conferantur.

* canonis

*XLI. Contra eos qui in loco interdicto celebraverint.*

Si quis autem ſacerdos in loco, propter captivitatem clerici, vel propter ſpolium eccleſiæ vel eccleſiaſticæ perſonæ, vel propter aliquam aliarum cauſarum prædictarum interdicto, celebraverit, & ſic irregularis, in continenti non deſtiterit, aut intra quindecim dies non ſatisfecerit nobis & eccleſiæ, extunc incurrat ipſo facto excommunicationis ſententiam, quam in hujuſmodi præſumptores ferimus in his ſcriptis. In qua excommunicatione ſi per quindecim dies contumaciter perduraverit, negligens ſatisfacere: extunc ſit ipſo facto omnibus beneficiis eccleſiaſticis, quæ habet, deſtitutus. Et ſi illi ad quos beneficiorum hujuſmodi collatio pertinuerit, ea aliis perſonis non contulerint intra menſem, eorum collatio ad proximum ſuperiorem devolvatur. Si vero beneficium ſacerdos non habuerit, hujuſmodi ſit poſt tempus prædictum inhabilis in perpetuum ad aliquod obtinendum.

*XLII. Ut percepto forefacto, ſtatim ceſſetur a Divinis, ne quis per craſſam ignorantiam poſſit excuſari.*

Ceterum ne aliquis prælatus, archidiaconus, præpoſitus, * decanus capitulorum & chriſtianitatum, aut rector eccleſiæ vel capellæ, per craſſam ignorantiam ab obſervationibus ſententiarum prædictarum ſe valeat excuſare, cum difficile ſit, ſingulari denunciatione ſingulorum auribus inculcari captivationem clerici vel ſpolium eccleſiæ vel eccleſiaſticæ perſonæ, aut aliud quodcumque forefactum, propter quod loca aliqua contingit eſſe interdicta, ſicut ſuperius in pluribus locis eſt expreſſum: ſta-

* decani

ſtatuimus, ut prælati, archidiaconi, præpoſiti, decani & rectores, ſeu vicarii, quam cito captivitas clerici vel ſpolium, aut aliquod forefactum, de quibus eſt ſupradictum, ad eorum notitiam, vel fama deferente, vel alio quocumque modo pervenerit, ſtatim ceſſent a Divinis, ubi hoc juxta præmiſſa fuerit faciendum, & ad obſervantiam & executionem dictarum ſententiarum per ſe, vel per alios teneantur. Alioqui non obſtante excuſatione craſſæ ignorantiæ, pœnis & ſententiis ſubjaceat ſupradictis.

*XLIII. Ut hæc ſtatuta ad perſonas eccleſiaſticas cujuſcumque ordinis extendantur.*

Statuimus item, ut ad monaſteria & bona eorum, & ad monachos & alias religioſas perſonas cujuſcumque ordinis civitatis & diœceſis Colonienſis, hujuſmodi ſtatuta extendantur. Et monachorum prælati & monachi, ac aliæ perſonæ religioſæ, cujuſcumque ordinis exiſtant, * ſe voluerint occaſione alicujus privilegii, ab executione ſeu obſervatione ſtatutorum ipſorum tueri, vel excuſare: prædictorum ſtatutorum auxilio non juventur.

* a Forte, ſi ſe. H.

*XLIV. Ut hæc ſtatuta, ne aliquem latere poſſint, tam in capitulis, quam in aliis locis, ſæpius publicentur.*

Statuimus item & mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut hæc eadem ſtatuta per omnes eccleſias conventuales & parochiales & capellas civitatis & diœceſis Colonienſis, ſingulis annis, ne aliquem latere poſſint, ſæpius publicentur, & in capellis ruralibus perlegantur.

*XLV. Ut nomina ſacrilegorum poſita in regiſtro, ſæpius recitentur.*

Et nomina eorum, qui contra eccleſias ſeu perſonas eccleſiaſticas aliquo modorum ſupradictorum exceſſerint vel deliquerint, ſtatim, cum hoc factum fuerit, ponantur in regiſtro, & ſæpius recitentur in publico, ut ſciri poſſit ex qualitate facti & ejus circumſtantiis, nec non ex dilatione ſatisfactionis, qualiter ſit contra excedentes & delinquentes hujuſmodi procedendum, nec deleantur eorum nomina, niſi congrua ſatisfactione præcedente. Si quid vero dubii aut difficultatis ſuper præmiſſis emerſerit: hoc nobis, capitulo & prioribus Colonienſibus reſervamus declarandum.

Nos vero capitulum, prælati, & alia capitula majoris & aliarum eccleſiarum civitatis & diœceſis Colonienſis, plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod per ſtatuta hujuſmodi, eccleſiis & monaſteriis, & perſonis tam eccleſiaſticis quam religioſis, in ſpiritualibus & temporalibus proviſum ſit, & debeat provideri, ad obſervationem eorumdem ſtatutorum, bona fide, omni fraude & dolo excluſis, firmiter obligamus, ſigilla eccleſiarum noſtrarum eiſdem ſtatutis in teſtimonium apponentes.

Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto, VI. Idus Maii.

Ex Lanigil Spicileg. Eccleſ.

# STATUTA PROVINCIALIA

## EDITA A VVIDONE S. R. E. CARDINALI,

## Et Apoſtolico Legato in Concilio Bremenſi anno MCCLXVI.

FRater Wido, miſeratione divina in Lucina Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legatus. Ad perpetuam rei memoriam. Humanæ naturæ ſauciata conditio, quam hoſtis antiqui invidia gratuitis ſpoliare & in naturalibus vulnerare fraudulentis conatibus elaborat ligamenta requirit ſalutarium præceptorum. Infuſionem quoque olei, per quod intelligitur pia ammonitio, & vini, per quod pungitiva correptio, vel increpatio figuratur, ſicut in homine, qui deſcendit ab Hieroſolyma in Jericho & incidit in latrones, pio ſcemate declaratur. Hinc eſt, quod cum Dominus noſter ſummus Pontifex, Vicarius Jeſu Chriſti, Nos, ad Bremenſem eccleſiam, cum plenæ legationis officio duxerit deſtinandos, ea libenti & diligenti animo cogitamus, ordinamus atque ſtatuimus, quæ libertati Eccleſiaſticæ conveniunt, animarum ſaluti proficiant, finem imponant vitiis, remiſſionem peccati, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Verum quoniam expedit, ut ſacramenta eccleſiæ, in quibus, tanquam in vaſis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere conſuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur, cum ea plerumque contingat effici vilia, propter vilem & abominabilem miniſtrorum Eccleſiæ converſationem: Univerſis perſonis Eccleſiaſticis Provinciæ memoratæ diſtricte præcipimus, ut in victu, veſtitu, geſtu & aliis operibus & circumſtantiis ſtatus ſui ſic honeſte ſe habeant & decenter, ne propter ipſos nomen Eccleſiaſticum inter Laicos blaſphemetur. Eiſdem inprimis diſtrictius inhibentes, ne de Patrimonio

cru-



crucifixi inimicos ſe faciant crucis Chriſti. Sicuti illi, quorum Deus venter eſt, & qui terrena ſapiunt, non divina. In conviviis ſuis modeſtiam & mediocritatem obſervent, ſuperfluitatem indebitam reſecantes. Ebrietatem omnium vitiorum comitem & nutricem devitent. Prælati vero a gravaminibus abſtineant ſubditorum, & maxime cum Eccleſias viſitant moderentur expenſas, coerceant evectionem, numerum, prout in generali conſilio extitit diffinitum, ſibi & gregi ſuo taliter intendentes, ut Zelatores juſtitiæ & modeſtiæ amatores, & generaliter omnium ſectatores bonorum operum oſtendantur. Præſentis igitur conſilii approbatione præcipimus, ut continenter & caſte vivere ſtudeant, ut puro corde & mundo corpore Domino poſſint in offertorio Eccleſiaſtico miniſtrare. Si qui de cetero deprehenſi fuerint detinere publice concubinas, niſi ſe ab eis, & earum conſortio ſeparaverint, ita quod in domibus ipſarum, aut ipſis, aut aliis quibuſcunque non cohabitent, nec ad illas accedant, ex tunc omni beneficio eccleſiaſtico, & per eos, ad quos dictorum beneficiorum ſpectat collatio perſonis idoneis conferantur. Illis exceptis, qui noſtræ collationi hac vice duximus reſervanda. Illi vero, qui Subdiaconi, aut aliis ſuperioribus ordinibus inſigniti, fornicariam aliquam ſub uxoris ſpecie animo ſibi præſumſerint, de facto matrimonialiter copulandi, omni officio eccleſiaſtico perpetuo ſint privati. Et ſicut ob culpam omnis ejus poſteritas legitur condemnata: Si pœnam talibus infligendam in progenie, quæ de coitu ſic damnato naſcitur duximus protendendam, ſtatuentes, ut filii, nec non qui tam inceſtuoſum & ſacrilegum concubitum duxerint eligendum, ab omnibus bonis eorum mobilibus habeantur penitus alieni, & quidquid eis fuit ab ipſis relictum in morte, vel in vita donatum, inter Epiſcopum & civitatem loci ejuſdem æqualiter dividantur. Præfatos vero filios nota ſemper infamiæ comitetur. Et quia, ſicut intellexerimus, aliqui prælati tales, in ſcandalum totius eccleſiæ ipſius, iniquitatibus & immunditiis, obtentu pecuniæ, confovent & defendunt, qui eos deberent a ſuis iniquitatibus & immunditiis ex injuncto ſibi officio revocare; Excommunicamus in ſcriptis & anathematizamus omnes illos, tam clericos, quam laicos, tam Prælatos, quam ſubditos, tam minores, quam majores & medios, qui hujus cohabitatores, ſive clam, ſive palam, in ſuis iniquitatibus præſumſerint defenſare, nec non & illos qui præſtabunt conſilium vel auxilium, opem vel operam quo minus obſervetur iſtud nimirum ſalutare ſtatutum, quod legi præcipimus annis ſingulis in Synodis Epiſcopalibus & provincialibus, ne aliquis prætextu ignorantiæ ſe valeat excuſare. Illi vero, ſive laici, ſive clerici fuerint, qui de cetero filias, ſorores, aut cognatas perſonis in ſacris ordinibus conſtitutis ſive ratione matrimonii quod multi errore cæcati, fieri poſſe credunt, ut dicitur, ſeu ratione concubinatus duxerint contendendas, ſive mediatores extiterint, aut fautores introitum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum, ſi vero aliqui clericitanti furoris arrepti fuerint, ut in prælatos ſuos, aut alios, quos ad exequendum tam ſalubre ſtatutum contigerit deputare, præſumant inſurgere, aut ſe in ſua turpitudine viribus temporalibus defenſare, ſicut nonnulli jam feciſſe dicuntur, ipſo facto officio & beneficio eccleſiaſtico ſint privati, nec reſtitui valeant, niſi cum eis per ſedem Apoſtolicam fuerit diſpenſatum. Et cum in plériſque locis quorundam iniquitas tantum invaluerit, quod in rebus Eccleſiæ furtum reputetur ſagacitas, rapina probitas & violentia fortitudo: Synodali judicio diffinimus, ut quæ bona Eccleſiarum ſcienter detinent occupata niſi infra inſtantem Quadrageſimam eadem reſtituerint & de damnis aut injuriis ſatisfecerint, competentur, ex tunc introitum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum, nec ab Epiſcopis, aut aliis Eccleſiarum prælatis ad communionem Dominici corporis admittantur. Qui vero obſtinata mente, dum vixerint, ſatisfacere non curaverint, nullus clericus ſecularis, vel regularis ſepulturæ ipſorum intereſſe præſumat. Adjicientes, ut ſingulis annis in Synodo illi, qui Clericos rapuerint, verberant vel occidunt, vel alias in ipſos manus injiciunt, violantes, excommunicati denuncientur, & nominatim illi, de quibus conſtiterit manifeſte. Quicunque vero perſonam Eccleſiaſticam enormiter vulneraverit, mutilaverit, vel occiderit, vel captivaverit, non niſi per ſedem Apoſtolicam abſolvatur. Et in ipſo facto, ſi quid tenebat, illud perdat & res ſuæ in utilitatem Eccleſiæ convertantur. Adjicientes, quod in illa diœceſi, in qua aliquod canonicum cathedralis Eccleſiæ vel in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum capi contigerit, vel captum detinere, uſque ad libertatem ipſius & exhibitionem debitæ ſatisfactionis ceſſetur generaliter a divinis. Similiter & in illa Parochia, in qua res Clericis violenter ablatas capi, vel detineri contigerit, uſque ad reſtitutionem & ſatisfactionem congruam a divinis ceſſetur. Item cum matrimonii ſacramentum non ſit in continentiæ præcipitium, ſeu potius remedium contra illud, non abſque dolore cordis audivimus quoſdam in hac Provincia ſic a ſuæ carnis voluptate, vel terrena cupiditate deceptos, quod in gradu prohibito de facto temere contrahentes, quod non tam matrimonium, quam contubernium cenſeri dicitur, ſe inceſtuoſæ luxuriæ vilitati immergere, & ſacramentum matrimonii, quantum in ipſis eſt, polluere non verentur. Nos itaque tantum exceſſum conniventibus oculis pertranſire non valentes, ſub pœna excommunicationis diſtrictius prohibemus, ne abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ tale de cetero matrimonium ſeu contubernium contrahatur. Alioquin ſacerdotes, qui tales conjunxerint, a ſacerdotali officio ſe noverint eſſe ſuſpenſos. Illi vero, qui ſcientes ſic permiſerint ſe conjungi, ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendantur, ſub eadem pœna, qua illis, qui jam abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ tale matrimonium contraxerunt, diſtricte præcipimus, ut a cohabitatione invicem abſtinentes diœceſano ſuo, ſeu alio prælato, ad quem de jure vel conſuetudine pertinere dignoſcitur talium cauſarum cognitio, rei veritatem inſinuare non tardent, convocatis, qui fuerint evocandi, & cauſa diligenter examinata, quod canonicum fuerit, ſtatuat, faciens quod decrevit per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari. Epiſcopi vero, ſeu alii Prælati de cauſis matrimonialibus cognoſcentes omnino caveant, ne cupiditate devicti, non ſolum dirimenda non dirimant, verum etiam ſeparanda redintegratione, prætextu pecuniæ & alterius commodi non præſumant. Si quis autem contra hoc venire præſumſerit interdictum, eo ipſo ſe noverit officio beneficioque privatum. Laici vero, qui de pœnis inferendis perſonis conjunctis in cauſa matrimoniali, ſeu accuſatoribus ſe intromiſerint, cum ad ipſos non pertineant, ſed ad judicem Eccleſiaſticum, coram quo negotium ventilatur, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcantur, cum ex hoc multi ab accuſatione matrimonii retrahantur. Item cum detentores plurium perſonatuum vel dignitatum,

Anno Christi 1266.

tum, ſeu beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura, ſint ſacrorum canonum tranſgreſſores, & fructus talium beneficiorum percipiendo furtum committere dignoſcantur. Statuimus, ut omnis, qui hujus dignitatum, perſonatuum, vel dignitatum, ſeu beneficiorum cum cura pluralitatem retinent, niſi ſuper hoc diſpenſatum fuiſſe coram nobis infra proximam Quadrageſimam doceant manifeſte, aut ſi cum eis non fuit diſpenſatum, eligant ergo unum de prædictis beneficiis retinendum, & alia infra terminum memoratum libere in manibus eorum reſignent, ad quos illorum collatio dignoſcatur pertinere, alioquin ex tunc ab omnibus eccleſiaſticis beneficiis, dignitatibus, ſeu perſonatibus ſe noverint eſſe privatos. Præcipimus autem illis, ad quos illorum beneficiorum, dignitatum, ſeu perſonatuum collatio pertinet, ut aliis perſonis idoneis eadem conferant & aſſignent. Quod ſi infra terminum determinatum a jure hoc adimplere non curaverint, ad proximum ſuperiorem collatio devolvatur. Item cum judiciorum vigor, juriſque publici tutela ſit in medio conſtituta, ne quis ſibi ſumere audeat ultionem, præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi quis aliquid contra quemcumque Clericum, vel Laicum de jure competere crediderit, nequaquam in ipſum ſponte inſurgere, aut res ejus propria auctoritate occupare præſumat, ſed ipſum vocari faciat coram judice competente. Adjicientes, quod ille, tanquam contumax puniatur, qui ne ad ipſum citatio perveniat, inferendo minas vel injurias præſumpſerint impedire. Item ad aures noſtras, quorundam Laicorum gravis exceſſus pervenit, quod Eccleſias parochiales de facto detinent, contra canonicas ſanctiones, qui niſi infra proximam nativitatem Domini dimiſerint libere & abſolute, ipſos excommunicamus in his ſcriptis diſtricte præcipientes, ut illi, ad quos prædictarum Eccleſiarum ordinatio pertinet, ex tunc perſonas idoneas inſtituant in eiſdem. Item cum Eccleſia, ad quam fideles ad audienda Divina conveniant, domus ſit orationis, non negotiationis, nec ſpelunca latronum, nec locus armorum, ſeu materialium gladiorum. Statuimus, ut quicunque ad Eccleſias ad audienda divina convenerint, inter ipſas, vel Cœmiteria eorum arma non inferant, ſed extra dimittant, cum tales Judæis ſimiles videantur, qui ad capiendum Chriſtum cum gladiis & fuſtibus convenerunt, tranſgreſſores hujus ſtatuti per excommunicationis ſententiam compeſcantur. Item cum, ſicut perpendimus Bremenſem viſitando Provinciam, homines ejuſdem Provinciæ ad committendum homicidium proni ſint ac proclivi, volentes tantum refrenare nequitiam, ut inter ipſos improbos tuta ſit innocentia & malignorum coerceatur audacia, præſenti decreto ſtatuimus, ut quicunque laicus in publico hominem interfecerit, pœnitentiam agat privatam & publicam, & carenas ſimiliter, & hoc ſecundum arbitrium diœceſani ſui. Alioquin eccleſiaſtica careat ſepultura, niſi forte jam incepta pœnitentia, morte ſit præventus. Nihilominus præcipientes ſub pœna excommunicationis judicibus, ſecularibus, ſub quorum juriſdictione homicidium a laicis contigerit perpetrari, ut homicidas requirant, & eos puniant ſecundum legitimas ſanctiones, & ſi quis in hoc negligens apparuerit, per diœceſanum Epiſcopum auctore hujus conſilii per cenſuram eccleſiaſticam compellatur. Item ſicut intelleximus fama crebreſcente beneficia eccleſiaſtica a nonnullis prælatis hujus provinciæ per vitium Simoniæ conferuntur. Nos ergo huic morbo peſtifero congruum remedium adhibere volentes, diſtricte præcipimus, ne id de cetero fiat, & quicunque ſentit morſum conſcientiæ hominis ſuper beneficio per Simoniam dato, vel recepto, illud infra inſtans paſcha reſignet, qui ſimoniace recepit, & qui obtulit pœnitentiam agat, & ſi quid accepit, pro eo reſtituat. Alioquin dantem ſcilicet & recipientem ex tunc excommunicationis vinculo innodamus. Item ſtatuimus ut unuſquiſque liberam teſtamenti factionem habeat, & liberam teſtandi voluntatem, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis per quoſcunque editis, videlicet, quod non valeat teſtamentum, niſi fiat parentibus conſulibus, vel laicis aliquibus de ipſo municipio, vel loco teſtantis, cujuſmodi ſtatuta decrevimus nullius fore momenti, abolerique præcipimus & abradi. Conſervatori vero horum ſtatutorum & apparitoribus eorundem, niſi reſipiunt, introitum Eccleſiæ denegamus. Sub eadem interminatione injungentes eiſdem, ut etiam ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem edita ab ipſis, præmoniti a diœceſanis epiſcopis, ſtudeant revocare. Item cum raptus & corruptionis Dinæ filiæ Jacob exemplo periculoſum eſſe noverimus vel diſcurſum, vel egreſſum mulieribus religioſis, præſenti decreto ſtatuimus, ut moniales, quæ evidenti neceſſitate exire debuerint, maturæ ſint & honeſtæ, & cum tali ſocietate ſe teneant, ut non ſolum propriæ ſalutis periculum, ſed & ſiniſtra ſuſpicio inde non valeat exoriri. Adjicientes, ut illis monialibus, quæ præpoſitos habere conſueverunt, religioſi, ſeu regulares præficiantur, ſi perſonæ idoneæ de talibus potuerunt inveniri, ſi vero, propter defectum regularium, perſonas eis oportuit præfici ſeculares, tales inſtituantur, qui morum maturitate præfulgeant, & probata diutius caſtitate. Acta fuerunt hæc in Conſilio Bremenſi, menſe Novemb. Anno Domini M. CCLXVI.

Anno Christi 1267.

# CONCILIUM AD PONTEM AUDOMARI.

## Anno MCCLXVII. celebratum.

Ex Coſſart. in Append. Tom. XI.

SAcri approbatione concilii Rotomagenſis provinciæ, nuper apud Pontem Audemarum, in craſtino decollationis B. Joannis Baptiſtæ anno Domini MCCLXVII. favente Domino celebrati: vobis univerſis & ſingulis diſtricte præcipimus & mandamus, quatenus in ſingulis parochiis & locis publicis, vobis ſubditos moneatis, diebus Dominicis, aut feſtivis ſolemnitatibus, tribus a ſe diſtantibus, clericos non uxoratos, & etiam uxoratos, ut a negotiationibus ſæcularibus exercendis abſtineant & maxime inhoneſtis: quodque tonſuram deferant & habitum clerico congruentem, authoritate noſtra ſolemniter ac publice nunciantes.

Quod ſi tertio a vobis moniti, ab hujuſmodi non reſipuerint: clericos non conjugatos, dum



Anno Christi 1267.

his ſe immiſcuerint, quo minus de ſuis facultatibus, ſtatutis & conſuetudinibus patriæ ſubjaceant, eccleſia non defendet. Circa conjugatos ſiquidem æquanimiter tolerabit, quod domini ſæculares ab ipſis juſtitias debitas, velut ab aliis, exigant, & ſervitia conſueta.

Denique ſi poſt præmiſſas monitiones, aliqui clerici in apoſtaſia tonſuræ & habitus clericalis permanſerint, ac ſævis enormitatibus ſe immiſcuerint, & contingat quod pro ſuis exceſſibus a ſæcularibus judicibus, capiantur in criminibus comprehenſi: non præcipiemus eos per cenſuram eccleſiaſticam liberari.

Item præcipimus, ut per ſingulas eccleſias moneantur clerici & cruceſignati, ne litteris apoſtolicis, vel legatorum ſedis ejuſdem, aut aliorum judicum, aliquatenus abutantur: ſcituri, quod nos & alii prælati, ſolicitudine qua convenit vigilabimus contra hujuſmodi abuſores, ut exceſſus eorum non remaneant impuniti.

Actum & datum, ut ſupra.

# ** CONCILIUM NORTHAMPTONIENSE,

## In quo excommunicati qui contra regem Angliæ ſteterant, & decima bonorum eccleſiaſticorum regi in ſeptem annos conceſſa, ann. MCCLXVII.

MAtthæi Pariſii continuator. Ottobonus, *inquit*, legatus, vocato concilio apud Northamptonam, ſententiam excommunicationis tulit in omnes epiſcopos & clericos, qui comiti Simoni contra regem præſtiterant auxilium, vel favorem. Et nominatim Joannem Wintonienſem, Walterum Wigornienſem, Henricum Londinenſem, Stephanum Cíceſtrenſem, epiſcopos. De quibus, Wigornienſis cito poſt obiit viliter Nonis Februarii, cui Nicolaus de Ely, cancellarius regis, ſucceſſit. Reliqui vero tres præfati epiſcopi, Romam profecti, domini Papæ gratiam expectabant. Eadem igitur ſententia ceteros quoſq; regi adverſantes publice innodavit. Ibi etiam conceſſionem de decima eccleſię Anglicanę, ſolvenda regi per ſeptem annos proximos ſequentes, publicavit.

*f. videlicet*

# ** CONCILIUM URATISLAVIENSE,

## Pro terræ ſanctæ ſubſidio a Simone card. ſedis apoſtolicæ legato, anno MCCLXVII. feſto Purificationis B. Virginis celebratum.

ANno Domini MCCLXVII. *inquit Matthias Michovienſis, l. III. c. LVII.* Guido frater Ciſtercienſis ordinis, S. R. E. presbyter cardinalis S. Laurentii in Lucina, legatus de latere a Clemente papa IV. in Poloniam miſſus: primum in Cracoviam IV. Kal. Jul. pervenit, a Boleslao Pudico, & Paulo epiſcopo Cracovienſi proceſſionatim veneratus & exceptus. Dehinc Uratiſlaviam divertens, in feſto Purificationis Mariæ generalem ſynodum, in qua erant epiſcopi eccleſiæ Poloniæ, Januſſius archiepiſcopus Poſnanienſis, Paulus Cracovienſis, Thomas Uratiſlavienſis, Volimirus Uladiſlavienſis, Nicolaus Poſnanienſis, Thomas Plocenſis, Willelmus Lubucenſis, Henricus Culmenſis, epiſcopi, tenuit. Pro ſubveniendo terræ ſanctæ, anni jubilæi gratiam, & crucem contra Saracenos prædicavit. Conſtitutæque in majoribus eccleſiis capſæ fuerunt, pro pecunia a merentibus jubilæum colligenda.

# ** CONCILIUM VIENNENSE,

## Authoritate Guidonis legati ſedis apoſtolicæ, cauſa reformandæ eccleſiæ, celebratum anno Domini MCCLXVII. tempore Clementis papæ IV.

TITULI CAPITULORUM.


1. *De vita & honeſtate clericorum.*
2. *De modo viſitandi.*
3. *De caſtitate clericorum.*
4. *De violentiis quæ inferuntur rebus eccleſiaſticis.*
5. *De læſionibus eccleſiaſticarum perſonarum.*
6. *De his qui habent plura beneficia.*
7. *De decimis contra laicos.*
8. *De uſurariis.*
9. *De correctione & contumacia clericorum.*
10. *De rapina defunctorum clericorum.*
11. *De beneficiorum ſuſceptione.*
12. *De perſonali reſidentia curatorum.*
13. *De viſitatione nigrorum monachorum.*
14. *Ne abbates conſecrent calices.*
15. *De habitu Judæorum.*
16. *De mancipiis Judæorum.*
17. *De coitu Judæi cum Chriſtiana.*
18. *De conviviis eorundem.*
19. *De ſynagogis Judæorum.*

# CONSTITUTIONES CONCILII VIENNENSIS, ANNO MCCLXVII.

[1] FRater Guido tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, concilium celebravit in Vienna VI. Idus Maii, cui interfuerunt Joannes Pragenſis, Petrus Pataviensis, Conradus Friſingenſis, Leo Ratiſponenſis, Bruno Brixinenſis, Amalricus Lavendinus, epiſcopi, & quamplures abbates, præpoſiti, archidiaconi, & decani, ubi ſubſcriptæ conſtitutiones ſunt editæ, & ab eodem concilio approbatæ.

*Frater Guido miſeratione Divina tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, ad perpetuam rei memoriam.*

[2] POſtquam Deus formavit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & in ætate virili, cum ipſo etiam jus naturale produxit. Juris enim naturalis origo a creaturæ rationalis ſimul cœpit exordio; quod quidem addiſponendum omnem mundi naſcentis & temporis motum ſufficeret, ſi non ſibi mortem, quam Deus non fecit, rationalis creatura propriis manibus & pedibus quæſiviſſet. Hæc juris inſtituta primævi protinus juſtitia poſitiva ab eodem regulariter auctore procedens, qui ſub mortis interminatione morſum pomi noxialis prohibuit; qua prohibitione contempta, certa maledictionis ſententia prodiit ab auctore, ut non ſolum ultio ferretur in auctores ſcelerum, verum etiam in progeniem damnatorum. Ex hinc uſu hominum exigente, & rerum dominio introducto, quod juris regula neſciebat, ex humanis neceſſitatibus quædam ſibi homines jura condiderunt. Traditæ ſunt a Domino per Moyſem juſtitiæ leges, cujus ſingulis pæne ſyllabis Chriſtus includitur. Deinde prophetæ ſubſequuntur & reges, qui Chriſti præconia evidentiori ſermone deſcribunt: donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate, figuriſque ceſſantibus, Rex noſter in æternum jura manſura diſpoſuit. Datæ ſunt enim Petro claves perpetuæ, a quo totius juris eccleſiaſtici pulchritudo manavit; quæ ad ſingulas provincias ob vindictam in nationibus, & increpationes in populis faciendas, nunc per ſummorum Pontificum, nunc per ſedis Apoſtolicæ Legatos ſtatuta, tanquam per quoſdam rivulos derivatur; ut, hominum quotidie creſcente malitia & effrenata cupiditate, quæ nova litigia generare non ceſſant, ſub diſtrictione jurium coarctati, diſcant honeſte vivere, alterum non lædere, jus ſuum unicuique tribuere. Hinc eſt, quod cum ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter Clemens Papa IV. ad Salzburgenſem provinciam, & civitatem, & diœceſim Pragenſem, cum plenæ legationis officio nos duxerit tranſmittendos, officii noſtri debitum libenter exſequimur, evellendo videlicet evellenda, plantando plantanda, recta regendo, & dirigendo ſalubriter indirecta.

## CAPITULA.

### I. De vita & honeſtate clericorum.

VErum, quantum expedit ad profectum & robur fidei Chriſtianæ, ut ſacramenta eccleſiæ, in quibus tanquam in vaſis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere conſuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur: cum ea plerumque contingat effici vilia propter vilem & abominabilem miniſtrorum eccleſiæ converſationem, univerſis eccleſiaſticis perſonis provinciæ Saltzburgenſis & civitatis & diœceſis Pragenſis præcipimus, ut in victu, geſtu, & aliis operibus ac circumſtantiis ſtatus ſui, ſic honeſte ſe habeant, & decenter, ne propter ipſos nomen eccleſiaſticum inter laicos blaſphemetur: eiſdem [a] diſtrictius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos ſe faciant crucis Chriſti; ſicut illi, quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, non Divina: in conviviis ſuis modeſtiam & mediocritatem obſervent, ſuperfluitatem indebitam reſecantes, ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem devitent.

### II. De modo viſitandi.

Prælati vero a gravaminibus ſuorum abſtineant ſubditorum; & maxime cum eccleſias viſitant, moderentur expenſas, coerceant evectionum numerum [a], prout in generali concilio fuit diffinitum.

### III. De caſtitate clericorum.

Præſentis igitur concilii approbatione præcipimus, ut clerici continenter & caſte vivere ſtudeant: quatenus puro corde & mundo corpore Deo poſſint in officio eccleſiaſtico miniſtrare. Si qui vero de cetero deprehenſi fuerint detinere publice concubinas, niſi infra menſem ſe ab eis & ab earum conſortio ſeparaverint: ita quod in domibus ipſorum, aut propriis aut aliis quibuſcumque non cohabitent, nec ad illas accedant: extunc enim beneficio eccleſiaſtico ſint privati, ut per eos, ad quos beneficiorum prædictorum ſpectat collatio, perſonis idoneis conferantur.

IV,

1 Vide Henricum Sterohem in Annal. Tom. I. Henric. Caniſii, unde hæc præfatio fere deſcripta eſt. *Hard.*

2 Ex MSſ. Bibliothecæ Cæſareæ edidit hæc multo emendatiora, quam prius erant, Petrus Lambecius tom. 2. Bibl. Vindobon. p. 61. cujus editionem hic exhibemus, neglecta priore, quæ innumeris mendis ſcatebat. *Harduinus*.



### IV. De violentiis quæ inferuntur rebus eccleſiaſticis.

Item cum in quibuſdam locis, quorundam laicorum iniquitas invaluerit, quod in rebus eccleſiæ furtum reputetur ſagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo: ſynodali judicio diffinimus, ut qui bona eccleſiarum ſcienter detinent occupata, nec infra inſtans feſtum beati Joannis Baptiſtæ eadem reſtituerint, & de damnis ac injuriis ſatisfecerint competenter, extunc introitum eccleſiæ ſibi noverint interdictum, nec ab epiſcopis, aut aliis eccleſiarum prælatis ad communionem Dominici corporis admittantur. Qui vero obſtinata mente, dum vixerint, ſatisfacere non curaverint, nullus clericus ſæcularis vel regularis ſepulturæ eorum intereſſe præſumat: adjicientes, ut ſingulis annis in ſynodo, illi qui clericos capiunt, verberant, vel occidunt, aut alias in ipſos manus injiciunt violentas, excommunicati denuncientur, & nominati de illis, de quibus conſtituit [a] manifeſte.

### V. De læſionibus eccleſiaſticarum perſonarum.

Quicumque vero perſonam eccleſiaſticam enormiter violaverit, mutilaverit, vel occiderit, aut captivaverit, non niſi per ſedem apoſtolicam abſolvatur: & ipſo facto, ſi quid tenebat ab eccleſia, illud perdat, & in utilitatem eccleſiæ convertatur. Adjicientes, quod in illa diœceſi, in qua aliquem canonicum cathedralis eccleſiæ, vel in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum, capi contigerit, vel captum detineri, uſque ad liberationem ipſius & exhibitionem debitæ ſatisfactionis ceſſetur generaliter a Divinis. Similiter & in illa parochia, in qua res clericorum violenter ablatas detineri, vel clericos ipſos capi contigerit, uſque ad reſtaurationem congruam a Divinis ceſſetur.

### VI. De his qui habent plura beneficia.

Item, cum detentores plurium perſonatuum, ſeu beneficiorum cum cura, ſine diſpenſatione, ſint ſacrorum canonum tranſgreſſores, & fructus talium beneficiorum percipiendo, furtum committere dignoſcantur: præſenti decreto ſtatuimus, ut omnes qui hujuſmodi dignitatum, perſonatuum, ſeu beneficiorum cum cura, pluralitatem detinent, illi qui ſunt de provincia Saltzburgenſi, ſuper hoc ſecum diſpenſatum fuiſſe coram venerabili patre Dei gratia electo Saltzburgenſi infra inſtans feſtum beati Joannis Baptiſtæ doceant manifeſte. Alioquin extunc ultimo beneficio recepto ſint contenti: & alia, quæ prius habuerunt, per illos ad quos dictorum beneficiorum collatio pertinet, perſonis idoneis conferantur. Si vero utrumque retinere contenderint: nos, ipſos & primis & ultimis ex tunc decernimus manere privatos.

### VII. De decimis contra laicos.

Item, cum levitis ſeu eccleſiaſticis perſonis jure Divino decimæ debeantur: dolentes referimus, quod quorumdam laicorum cupiditas jus hujuſcemodi, quod ſibi Deus in ſignum generalis dominii retinuit, nititur abolere; & pro ſua voluntate de his quæ ad ipſos non pertinent, aliter ordinare, immo potius deordinare præſumit, quaſi a ſe Divini ſervitii jugum velint excutere, quod in baptiſmate ſunt profeſſi. Hujus igitur approbatione concilii diſtricte præcipimus, ut juxta laudabilem conſuetudinem patriæ, decimæ, tam antiquæ, quam etiam de novalibus, majores & minutæ plenarie perſolvantur: nec liceat alicui laico nobili vel ignobili, cujuſcumque dignitatis vel principatus exiſtat, ſibi decimas, maxime de minutis & novalibus, uſurpare: alioquin, ſi contra fecerit, ab ingreſſu eccleſiæ uſque ad ſatisfactionem condignam ſe noverit eſſe ſuſpenſum.

### VIII. De uſurariis.

Item dolentes referimus, quod quidam ſalutis ſuæ immemores, & prodigi famæ ſuæ, tam clerici, quam laici, per Saltzburgenſem provinciam conſtituti, uſuras & contractus uſurarios exercere præſumunt: ad quorum cupiditatem refrænandam ſtatuimus, ut ipſi ſuper hoc in ſacro concilio præmoniti a talibus abſtineant, alioquin nos, ipſos excommunicamus in ſcriptis; & ter in anno, videlicet in cœna Domini, in aſſumptione beatæ Virginis, & in nativitate Domini, præcipimus per plebanos & majores ſuos in locis ſuis excommunicatos publice denunciari. Clerici vero beneficiati, qui per tempus trium menſium ſententiam excommunicationis ſuſtinere præſumpſerint animo indurato, per ſuos diœceſanos ſuis beneficiis ſpolientur, & perſonis idoneis per illos, ad quos dictorum beneficiorum ſpectat collatio, conferantur: ſalvis aliis pœnis contra uſurarios editis, ſecundum canonicas ſanctiones.

*IX. De correctione & contumacia clericorum.*

Item ordinamus atque ſtatuimus, ut clerici & eccleſiaſticæ perſonæ, tam ſæculares quam regulares, prælatorum ſuorum correctiones legitimas cum debita humilitate ſuſcipiant: & ſi qui ex eis hac occaſione contra ſuos correctores auxilium brachii ſæcularis invocaverint, vel potentum preces armatas impetraverint, vel impetratis uti præſumpſerint, a ſuis beneficiis deponantur. Ipſis quoque prælatis diſtrictius inhibemus, ne prius * minoris ætatis, videlicet octodecim annorum, dignitates, perſonatus, ſeu beneficia curam animarum habentia, conferre præſumant, vel ad ipſa recipere præſentatos, niſi cum eis ſuper hoc a ſede apoſtolica, vel legatis ejuſdem, extiterit diſpenſatum.

** Corr. pueris*

*X. De rapina defunctorum clericorum.*

Item ad aures noſtras per clamoſam inſinuationem multorum pervenit, quod patroni eccleſiarum tam clerici quam laici, advocati & judices, & præcones, bona decedentium clericorum occupant, volentes ſibi ab inteſtato ᵃ ſuccedere, pro ſuæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis. Quare provide duximus ſtatuendum, ut patroni eccleſiarum, & alii ſupradicti, a talibus de cetero abſtineant: & niſi abſtinere voluerint, quouſque ſic ablata reſtituant, excommunicationis vinculo innodentur.

*a Lambec. decedere:*

*XI. De beneficiorum ſuſceptione.*

Item diſtrictius inhibemus, ne aliquis clericus eccleſiam parochialem a laico patrono recipere beneficium audeat, niſi ab epiſcopo vel archidiacono fuerit inſtitutus: alioquin ab officio & beneficio ſe noverit eſſe ſuſpenſum. Et laicus, qui auctoritate propria inſtituere præſumpſerit, ipſo facto a jure cadat patronatus. Adjicientes ut nullus patronus clericus vel laicus dotem eccleſiæ, in qua jus obtinet patronatus, alienare præſumat. Quod ſi contra fecerit, ipſo facto cadat a jure patronatus, & res alienata ad jus & proprietatem eccleſiæ revertatur.

*XII. De perſonali reſidentia curatorum.*

Item ordinamus & ſtatuimus, ut prælati & curam animarum habentes, in ſuis eccleſiis corporaliter reſideant, & ad hoc a ſuis epiſcopis per ſubtractionem fructuum (A) compellantur, niſi cauſa legitima ſe potuerint excuſare.

*XIII. De viſitatione nigrorum monachorum.*

Item, clamoſa inſinuatio noſtrum perculſerit auditum & animum, quod abbates & monachi ordinis ſancti Benedicti in quampluribus locis ab obſervantia ſuæ regulæ temere recedentes, vitam nimis diſſolutam ducere non verentur, in ſuarum animarum periculum, & ſcandalum plurimorum. (B) Volentes igitur, ut contra hujuſmodi corruptelam ſalubre remedium apponatur, univerſis epiſcopis Saltzburgenſis provinciæ, ac epiſcopo Pragenſi diſtricte præcipimus, ut quilibet ipſorum intra dimidium annum, aſſumptis ſecum duobus abbatibus Ciſtercienſis ordinis, omnia clauſtra nigrorum monachorum ſuæ diœceſis viſitet, corrigat & reformet, tam in capite quam in membris: illis ᵇ tamen exceptis, qui Romanæ eccleſiæ nullo medio ſubeſſe noſcuntur, quos per nos vel alios a nobis ſpecialiter deputandos intendimus viſitare.

*b alii MS. tantum.*

(C)

*XIV. Ne abbates conſecrent calices.*

Prohibemus etiam abbatibus, ne calices vel patenas, ſeu ſacras veſtes benedicere vel conſecrare, aut alia epiſcopalia officia exercere præſumant, niſi ſuper hoc a ſede apoſtolica privilegium habuerint ſpeciale.

(D)

*XV. De habitu Judæorum.*

Item, cum in tantum inſolentiæ Judæorum excreverint, ut per eos in quampluribus Chriſtianis jam dicatur infici puritas catholicæ ſanctitatis, non tam nova cudentes, quam ſummorum pontificum ſtatuta vetera renovantes, diſtricte præcipimus, ut Judæi, qui diſcerni debent in habitu a Chriſtianis, cornutum pileum, quem * quidam in iſtis partibus conſueverunt deferre, & ſua * tenuitate deponere præſumpſerunt, * reſumantur, ut a Chriſtianis evidenter diſcerni valeant, ſicut olim in generali concilio extitit diffinitum. (E) Quicumque autem Judæus ſine tali ſigno deprehenſus fuerit incedere, a domino terræ pœna pecuniaria puniatur. Adjicientes, ut Judæi ſacerdoti parochiali, infra cujus parochiæ terminos manſerint, pro eo quod loca in quibus Chriſtiani ᶜ habitare deberent, occupant, juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc infertur, ad arbitrium diœceſani loci omnes proventus quos ex Chriſtianis, ſi ibidem

** f. quidem*

** f. temeritate*

** f. reſumant.*

*c al. MS. manere.*





manerent, ſacerdos perciperet, refundere (A) compellantur. Decimas etiam prædiales cum omni integritate perſolvant.

*XVI. De mancipiis Judæorum.*

Prohibemus inſuper ne ᵃ ſtubas & balnea ſeu tabernas Chriſtianorum frequentare, ſeu intrare præſumant, nec ſervos, vel ancillas, aut nutrices, ſeu quæcumque Chriſtiana mancipia die noctuve in domibus ſuis retinere præſumant, nec ad recipiendum telonium ſeu ad alia publica officia aliquatenus ᵇ aſſumantur.

*a al. MS. ſtubas balneare,*

*b al. MS. admittantur.*

*XVII. De coitu Judæi cum Chriſtiana.*

Si quis vero Judæus cum aliqua Chriſtiana fornicationis vitium deprehenſus fuerit commiſiſſe, quoadusque decem marcas argenti ad minus pro emendatione ſolverit, diſtricto carceri mancipetur; & mulier Chriſtiana, quæ tam damnoſum coitum elegerit, per civitatem fuſtigata, de ipſa civitate ſine ſpe redeundi penitus expellatur.

*XVIII. De conviviis eorumdem.*

Item omnibus Chriſtianis iſtius provinciæ & civitatis & diœceſis Pragenſis ſub pœna excommunicationis diſtrictius inhibemus, ne Judæos vel Judæas ſecum ad convivandum recipiant, vel cum eis bibere vel manducare audeant, aut etiam cum ipſis in ſuis nuptiis, vel neomeniis, vel ludis ſaltare vel tripudiare præſumant: nec Chriſtiani carnes venales, ſeu alia cibaria a Judæis emant, ne forte Judæi per hoc Chriſtianos, quos hoſtes reputant, fraudulenta machinatione venenent.

*XIX. De ſynagogis Judæorum.*

Adjicientes, ut ſi de cetero quocumque prætextu Judæi a Chriſtianis graves ſeu immoderatas uſuras extorſerint, Chriſtianorum eis * participationem ſubtrahatur, donec de immoderato gravamine ſatisfecerint competenter. Unde Chriſtiani, ſi opus fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam (E) compellantur ab eorum commerciis abſtinere. Principibus autem injungimus, ut propter hoc non ſint Chriſtianis infeſti, ſed potius a tanto gravamine Judæos ſtudeant cohibere. Si vero ſacramentum altaris ante domos eorum deferri contigerit: ipſi Judæi, audito ſonitu prævio, intra domos ſuas ſe recipiant, & feneſtras ac oſtia ſua claudant. Hoc etiam in quolibet die paraſceves per prælatos eccleſiæ facere compellantur. Nec præſumant de fide catholica cum ſimplicibus diſputare, nec filios & uxores Judæorum ad fidem Chriſtianam venientes, invitos audeant detinere. Nec Chriſtianos ad Judaiſmum alliciant, aut aliquo auſu temerario circumcidant. Nec Chriſtianos infirmos viſitent, vel circa ipſos exerceant opera medicinæ. Synagogas novas non erigant: & (B) ſi quas erexerint, eas removeant ad deponant. Vetuſtam, ſi opus fuerit, reficiant, non ampliorem, pretioſiorem faciant, ſeu etiam altiorem. Carnes in Quadrageſima, quando Chriſtiani a carnibus abſtinent & jejunant, aperte vel publice non deportent. Præcipimus autem epiſcopis, ut ad hæc omnia obſervanda in ſingulis articulis Judæos per abſtractionem communionis Chriſtianorum compellant. Ipſos quoque principes ac judices eorumdem diſtrictius admonemus, ne Judæis ſtatuta noſtra ſervare nolentibus alicujus protectionis ſeu defen(C)ſionis fervorem * impendant: ſed ſi aliqua eis a prælatis eccleſiaſticis injungantur, ea fideliter exequantur, alioquin introitum eccleſiæ & communionem Divinorum officiorum ſibi noverint interdicta. Volumus etiam, & ſub pœna excommunicationis præcipimus, ut dominus electus Saltzburgenſis ejuſque ſuffraganei, nec non & epiſcopus Pragenſis, has conſtitutiones noſtras ſigillo noſtro ſigillatas habeant, eaſque ſingulis annis in ſynodis epiſcopalibus & in provinciali concilio faciant recitari, & diligentius obſervari; & ea quæ tangunt laicos, faciant (D) per parochiales eccleſias ſuarum diœceſum publicare.

** f. participatio omnis*

** Corr. favorem*

Acta ſunt hæc Viennæ in Auſtria anno Dom. MCCLXVII. IV. Idus Maii, pont. domini Clementis PP. IV. anno III.

NOTA SEVERINI BINII.

Hanc ſynodum, teſte Henrico Caniſio, admodum reverendus & clariſſimus dominus Georgius Lautherius ad divæ Virginis Monachii præpoſitus, &c. (pro ea qua præditus eſt recondita eruditione, omniſque antiquitatis ſcientia) eruit e tenebris manuſcripti codicis, una cum tribus aliis Saltzburgenſibus: quas ego ex primo tomo antiquitatum prædicti Caniſii deſumptas, ſuis locis hic inſerendas eſſe putavi. Huic eidem Viennenſi concilio Henricus Stero in ſuis annalibus apud eumdem Caniſii primum tomum extantibus luculentiſſimum teſtimonium præbet his verbis. *Anno ab Incarnatione Domini MCCLXVII. dominus Guido cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, VI. Idus Maii apud Viennam concilium celebravit, cui interfuerunt Joannes Pragenſis, Petrus Patavienſis, Bruno Brixinenſis, Chunradus Friſingenſis, Leo Ratiſponenſis, Amelricus Lavendinenſis, epiſcopi, & alii quamplures de ipſis diœceſibus prælati, archidiaconi, & decani.* Hæc Stero in ſuis annalibus.

ANNO CHRISTI 1267. Ex Coſſart. Append. Tom. XI.

# CONCILIUM SEDENENSE

ANNO CHRISTI 1267.

## A præſulibus Arelatenſis provinciæ celebratum anno Dom. MCCLXVII.

*PEtrus Gaſſendus in notitia eccleſiæ Dinienſis, cap. 24. ubi de Bonifacio Dinienſi epiſcopo loquitur.* Obſervari, *inquit*, poteſt, hujus tempore, hoc eſt anno MCCLXVII. VII. Kal. Novemb. celebratum fuiſſe Sedenæ provinciale concilium, cujus decreta varia in ſtatutorum noſtrorum codicem tranſlata habentur, ſub Ebredunenſi archiepiſcopo Henrico, cujus nomen titulo Oſtienſis cardinalis celebre eſt.

☞ *Acta hujus Concilii edidit Martene tom. 4. Anecdot. p. 185. in hunc modum.*

Ex Martene Theſ. Anec. tom. 4.

## CONCILIUM SEDENENSE

Sub Henrico archiepiſcopo Ebredunenſi anno MCCLXVII. celebratum.

*Ex MS. codice eccleſiæ Dignienſis.*

HÆc ſunt quæ nos Henricus patientia Dei Ebredunenſis archiepiſcopus in concilio noſtro provinciali apud Sedenam celebrato anno Domini MCCLXVII. Calendis Novembris de conſilio prælatorum duximus ſtatuenda & per totam Ebredunenſem civitatem, diœceſim & provinciam firmiter & efficaciter obſervanda.

I. *De diligentia habenda contra hæreticos puniendos.*

Ut epiſcopi ſolliciti ſint & attenti circa inquiſitionem & punitionem hæreticorum, & excommunicatorum, & notoriorum peccatorum, ſecundum canones & legitimas ſanctiones & ſtatuta legatorum in partibus iſtis edita.

II. *De diligentia habenda per prælatos habendorum ſtatutorum.*

Ut quilibet epiſcopus inquirat, & inquiri faciat dicta ſtatuta, ſcilicet omnia & ſingula edita a legatis, & faciat ſcribi de bona littera, & poſtea ſtatuta conciliorum provincialium Ebredunenſium archiepiſcoporum; ita quod quilibet ipſum librum habeat, & deportet ſecum in primo concilio, quod occurret, & in ſequentibus, & ſervet ea & ſervari faciat a ſubditis quo poterit bono modo. Et ponatur titulus, & unde, & locus a quo, & ubi facta ſunt.

III.

Ut quilibet ſervet & ſervari faciat ſententias excommunicationis per ordinarium, & in conciliis latas ex quo ſibi fuerit nunciatum, ſecundum ſtatuta concilii Valentini. Idem faciat de aliis ſententiis quæ nomine eccleſiaſticæ cenſuræ continentur.

IV. *De cultello cum cuſpide, & aliis armis non portandis.*

Ut nullus clericus cultellum cum cuſpide ſeu arma impugnationis ferat, ſine prælati ſui licen-

A tia; & quicumque hoc de cetero fecerit, pro incorrigibili habeatur.

V. *Ut nullus in minoribus conſtitutus vocem ſibi vindicet in capitulo.*

Ut nullus canonicus in minoribus ordinibus conſtitutus vocem habeat in capitulo, & ſi ſe ingeſſerit, vel ex quo ſibi dicetur, vel ab aliquo de canonicis quod exeat capitulum, ſtatim ſine mora non exierit, a canonica præbenda ſua privatus ſit ipſo jure & ipſo facto, & ſi epiſcopus circa hæc negligens inventus fuerit, ad metropolitani arbitrium ſive temporaliter ſive ſpiritualiter puniatur; & per eumdem is qui in hoc deliquerit corrigatur. Et idem intelligimus de his qui ad monitionem ſive præceptum prælati ſui neceſſitate vel utilitate eccleſiæ exigente in diaconos vel ſacerdotes ſe non fecerint promoveri.

VI. *De reſidentia perſonali præbendatorum.*

Ut ubi bona diviſa ſunt per præbendas, præbendati perſonalem & debitam ſive canonicam reſidentiam faciant, alioquin in primis fructibus præbendarum, qui percipiendi occurrent, ſequeſtrentur omnes fructus, de quibus duæ partes ad minus deſervientibus eccleſiæ deputentur, ſive inter eos dividantur. Et ſi quis in hoc negligens, vel contra ſtatutum veniens, ſeu venire attentans repertus fuerit; per privationem beneficii vel ſuſpenſionem officii, vel alias temporaliter vel ſpiritualiter ad ſuperioris arbitrium puniatur; & per eumdem is qui in hoc deliquerit, puniatur vel corrigatur. Et idem intelligimus de præpoſitis, & aliis in dignitatibus conſtitutis, quoad fructus, ad perſonatum, ſive dignitatem pertinentes, ſive bona diviſa ſint, ſive communia.

VII. *Ut laicus clericum coram ſe non citet.*

Ut nullus laicus major, medius, vel infimus, cujuſcumque dignitatis vel conditionis ſit, ſuper criminalibus vel perſonalibus, clericum vel perſonam eccleſiaſticam coram ſe citet vel citari faciat, ſeu invitum detineat, vel quoquo modo diſtringat. Quod ſi fecerit, ſciat ſe excommunicationis vinculo innodatum.

VIII. *Ut nullus decimas vel alia jura occupet.*

Ut nullus laicus major, medius, vel infimus, cujuſcumque dignitatis vel conditionis ſit, ſine voluntate diœceſani eccleſias, vel decimas, ſeu alia ad eccleſias pertinentia, ſeu quæ eccleſiæ ſeu perſonæ eccleſiaſticæ percipere ratione eccleſiarum conſueverunt, occupent, vel uſurpent, vel detineant occupata: alias occupantes, & detinentes, & mandatis eorum in hac parte obedientes, excommunicationis vinculo innodamus. Et hoc intelligimus de bonis immobilibus, mobilibus ſe moventibus, & juribus aliis quibuſcumque.





ANNO CHRISTI 1267.

IX. *De pœna impedientium juriſdictionem epiſcopalem.*

Ut nullus laicus major, medius, & infimus, cujuſcumque dignitatis, vel conditionis ſit, ſpiritualem juriſdictionem epiſcoporum impediat vel perturbet. Et quicumque hoc fecerit, ſi monitus infra XV. dies ſe non correxerit, & de hoc competenter ſatisfecerit, ſciat ſe excommunicationis vinculo innodatum.

X. *De pœna ſpoliantium, occupantium, vel uſurpantium eccleſias vel eorum jura.*

Ut nullus laicus major, medius, vel infimus cujuſcumque dignitatis vel conditionis ſit, juris ordine prætermiſſo, epiſcopos, vel eccleſias, vel perſonas eccleſiaſticas, rebus vel juribus ſuis ſeu hominibus ſeu iis quæ poſſident vel quaſi, per XL. annos poſſederunt vel quaſi, ſpoliet, occupet, vel uſurpet, vel aliquo modo perturbet, vel inquietet. Et ſi quis hoc fecerit, vel fieri mandaverit, vel non correxerit; cum iſtad corrigere poſſit, tam mandans, quam obediens, ſeu in prædictis delinquens, ſciat ſe excommunicationis vinculo innodatum.

A XI. *De pœna eorum qui ſine licentia prælatorum in beneficiis adminiſtrant.*

ANNO CHRISTI 1267.

Item, ſtatuimus ne quis ſine conſenſu vel licentia ſeu auctoritate noſtra, ſeu diœceſanorum epiſcoporum ſuffraganeorum, ſeu officialium noſtrorum, ad quos hoc de jure ſpectat, aliquas eccleſias ſeu alia beneficia eccleſiaſtica infra civitatem, diœceſim, provinciam Ebredunenſem adminiſtrando in eis, ſeu proventus ipſorum percipiendo de cetero recipiat ſeu potius occupet vel aliter recepta ultra VIII. dies ex quo hoc ſtatutum ad aures ejus pervenerit detineat occupata: alioquin ipſum, & in hac parte obedientem, excommunicationis vinculo innodamus.

B XII. *De pœna eorum qui ſuper ſpiritualibus querelando ad ſæculares recurrunt.*

Ut nullus de clerico ſeu de perſona eccleſiaſtica conquerens, ſuper ſpiritualibus ſeu eccleſiaſticis criminalibus vel civilibus cujuſcumque recurrat ad curiam ſæcularem ſeu laicum quemcumque ſuper juſtitia facienda, nec cum ipſis ſuper iiſdem ſine conſcientia ordinarii ſui pacta ineat, nec facta obſervet: alioquin querelam exponens, vel denunciationem faciens, vel pacta faciens, vel obſervans, a jure ſuo cadat, ipſo facto & ipſo jure, nulla alia ſententia expectata, & quouſque de hoc ſatisfecerit, ad arbitrium ordinarii ſciat ſe excommunicationis vinculo innodatum.

## ☞ STATUTA DUDUM EDITA

Ex Martene Theſ. Anec. tom. 4.

Per bonæ memoriæ D. JACOBUM Ebredunenſis eccleſiæ quondam archiepiſcopum & ceteros archiepiſcopos comitatus Provinciæ, quæ inter alia volumus & præcipimus infra noſtram civitatem Dignienſem & diœceſim ab omnibus obſervari.

*Ex MS. eccleſiæ Dignienſis.*

I. *Quod quilibet ſaltem in quadrageſima ſua confiteatur peccata.*

ITem, ſtatuimus ut omnes utriuſque ſexus ſaltem ſemel in anno & ſpecialiter in quadrageſima generaliter confiteantur proprio ſacerdoti, quod ſi juſta cauſa ceſſante, facere non curaverint, eccleſiaſtica in fine dierum ſuorum careant ſepultura, ſi eo anno contigerit eos mori, donec ſatisfactum fuerit eccleſiæ (quoniam contemſerunt) ad arbitrium diœceſani per hæredes vel propinquos ipſius.

II. *Quod nullus præſumat pro injectione manuum in clericum abſolvere quemquam, ſine prælati licentia ſpeciali.*

Item, quod nullus quemquam præſumat ab injectione manuum, quantumcunque modica ſive levi, abſolvere, non habita ordinarii licentia nec obtenta. Quod ſi ſecus præſumtum fuerit, pro non abſoluto habeatur & vitetur, ut prius abſolvens hujus prædicationis officium ſibi noverit interdictum, donec ab apoſtolica ſede cum narratione ſui exceſſus gratiam meruerit obtinere, vel prælato ſatisfecerit quem contemſit.

D III. *Qualiter abſolutus ab excommunicatione imminente neceſſitatis articulo, ſi convaluerit, vel non ſatisfecerit, compellatur.*

Item, ſi quis in infirmitate vel articulo mortis fuerit abſolutus: quia pro certis debitis vel offenſa manifeſta fuerat excommunicatus, & maxime ſi juraverit ſatisfacere, ſi ſanus factus, infra menſem ſatisfacere contradicat: nulla nova monitione ulterius expectata; in eamdem, ut prius, excommunicationis ſententiam retrudatur. Si vero moriatur, hæredes ad hoc per cenſuram eccleſiaſticam compellantur, vel executores aut bonorum poſſeſſores, ſi alios hæredes non habeat.

E IV. *De pœna laicorum impedientium dare decimas, vel alia jura eccleſiis tempore interdicto.*

Item, quod laici, cujuſcumque conditionis exiſtant, ſtatuentes vel ita de facto tenentes, quod durante alicujus interdicti vel excommunicationis ſententia, non præſtent decimas eccleſiis, nec offerant, nec in ultimis voluntatibus quicquam relinquant eis vel rectoribus earumdem, aut directe vel indirecte prædicta impediant vel perturbent; ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant, a qua antequam competens emenda præſtita fuerit, nullatenus abſolvantur.

ANNO CHRISTI 1267.

Ex Mſ. Bibliothecæ Cæſareæ edidit Lambecius tom. 2. p. 68.

# HÆC SUNT DECRETA HUNGARORUM,

## Quæ de Guidone Cardinale ſuſceperunt.

I. NUllum niſi presbyterum aut diaconum, & qui uxorem non habeat, in epiſcopum eligatis.

II. Nullum, qui duas uxores habuerit, aut qui unam concubinam, aut repudiatam, aut meretricem ſeu proſtitutam, vel qui aliam quam virginem eſt ſortitus uxorem, in epiſcopum eligatis.

III. Nullum, quem ſacri canones ad ordines prohibent promoveri, in epiſcopum eligatis.

IV. Nullum, qui ad ſacros ordines niſi per canonica intervalla promotus eſt, in epiſcopum eligatis.

V. Nullum per occultam inſinuationem Regi factam, aut per ſeditionem, aut per pecuniam, vel per ſpecialem gratiam, ſed ex communi conſilio & conſenſu pari, epiſcopum faciatis.

VI. Nullum epiſcopum de ſede ad ſedem, qualibet ex cauſa, ſine Romani Pontificis ſpeciali licentia, transferatis.

VII. Nullum epiſcopum, ſine Romani Pontificis licentia, deponatis; nec capi, niſi comprobato infidelitatis crimine, conſentiatis.

VIII. Nullum in archidiaconum, ſeu decanum, vel archipresbyterum, vel Præpoſitum, ſeu Abbatem, niſi presbyterum, vel diaconum, promoveatis.

IX. Nullum in abbatem, niſi monachum, aſſumatis.

X. Nullum archidiaconum, vel decanum, vel archipresbyterum, vel Præpoſitum, vel Abbatem, de una dignitate ad aliam, vel de ipſa ad eamdem in locum alium, niſi canonice, transferatis; & nullum ſupradictorum, niſi canonice deponatis.

XI. Nullum uxoratum in presbyterum, vel diaconum, vel ſubdiaconum promoveatis, niſi qui ex conſenſu uxoris, ſe victurum caſte firmiter promiſerit, & uxorem a cohabitatione removerit, & eidem neceſſaria, ſecundum facultatem ſuam providerit.

XII. Presbyterorum filios ad ſacros ordines accedere nullatenus permittatis, niſi aut in cœnobiis, aut in monaſteriis.

XIII. Alienos clericos, quos ſine commendatitiis litteris ſuſcepiſtis, in epiſcopatibus veſtris nullatenus toleretis: & de cetero nec eos, nec alios, ſine formatis litteris admittatis; & quos de his apoſtatas eſſe conſtiterit, excommunicatos habeatis, & Præpoſitis ſuis eos requirentibus reddatis.

XIV. Nullum ſubdiaconum, vel diaconum, vel presbyterum, niſi ad certum titulum ordinetis.

XV. Nullum ſervum in clericum ordinetis, niſi dominus ejus eum manumittat, ut de cetero ex toto nihil in eo juris habeat.

XVI. Bigamos viduarum, vel repudiatarum, ſeu meretricum vel proſtitutarum maritos, ab omni eccleſiaſtica dignitate deponimus, & beneficiis eccleſiaſticis in æternum privamus.

XVII. Concubinarios publicos ab officio ſuo deponimus, & beneficia ejus eccleſiaſtica interdicimus: hac tamen vobis poteſtate indulta, ut ſi condignam egerint pœnitentiam, & vobis videbitur, miniſtrare eos iterum faciatis.

XVIII. Presbyteros, vel diaconos uxoratos, qui ante acceptos ordines vel poſtea uxores acceperunt, ab altaris miniſterio & eccleſiaſtico beneficio ſeparamus: [a] nec tamen diſpenſationem de his vobis concedimus, ut hi qui uxores ante jam dictos ordines acceperint, quoniam legitimæ ſunt, ſi uxoribus ultro, & ſine coactione continentiam voventibus, ipſi quoque vovebunt, & eaſdem uxores a cohabitatione removebunt, ad altaris miniſterium redeant, & beneficia eccleſiaſtica habeant.

a Legendum [illegible], ut Lambecius recte vidit.

XIX. Illi vero, qui poſt ſacros ordines aliquas ſub matrimonii nomine duxerunt, quoniam hujuſmodi conjunctio contra leges eſt facta, ac per hoc matrimonium non eſt, ſive eas volentes, ſive invitas dimiſerint, & continentiam in eccleſiæ teſtimonio voverint, eccleſiaſtica officia ſic miniſtrent, ut ultra ad relictas immunditias non declinent. Nam ſi legitimarum, ſive aliarum commixtione ſeipſos vel ultra fœdaverint, ab altaris miniſterio eoſdem ſequeſtramus: niſi aut ad canonicas regulares, aut ad ordinata monaſteria tranſeant.

XX. De ſubdiaconis autem & presbyteris uxoratis id ipſum fieri decernimus; ſed inducias vobis ſuper hoc uſque ad reſcriptum domini Papæ damus.

Hæc omnia obſervetis, promotoſque epiſcopos omnes obſervaturos ſe eadem, jurare faciatis.

INCI-



ANNO CHRISTI 1268.

# INCIPIUNT STATUTA SYNODALIA CLAROMONTENSIS ECCLESIÆ,

## Sub Guidone de Turre epiſcopo Claromontenſi.

*Prodeunt nunc primum ex vetuſto codice Mſ. Bibliothecæ Collegii Pariſienſis Societatis* JESU *: qui codex, (ut credunt periti) ejuſdem, atque ipſa hæc Synodus, ætatis eſt.*

*Conferendæ cum his Statutis Conſtitutiones Odonis Pariſienſis, & Richardi Epiſcopi Sarum.*

QUæ ab eccleſiarum Prælatis pro ſubditorum ſalute ſaſubiiter ſtatuuntur, debent abſque tranſgreſſionis .... nota, (cum hujuſmodi tranſgreſſio tranſgreſſoribus detrimentum ſalutis induceret;) diligenter ac reverenter ab omnibus obſervari: cum & leges ſæculares pœnam imponentes earum tranſgreſſoribus jubeantur ab omnibus ſubditis cuſtodiri. Hinc eſt quod cum ſynodus æſtivalis Eccleſiæ Claromontenſis ſemper habeat, ac conſueverit celebrari die Mercurii & Jovis, qui proxime feſtum Pentecoſten ſubſequuntur; atque ſimiliter ſynodus hiemalis diebus Mercurii & Jovis feſto beati Lucæ Evangeliſtæ proximioribus: Nos Arvernorum epiſcopus, præcipimus ſacerdotibus, ut omnes veniant ad ſynodum æſtivam; & curam animarum habentes, ad utramque. Et ſi inevitabili neceſſitate detenti fuerint, vel ex juſta cauſa, capellanum ſuum aut clericum loco ſui mittant; & nobis cauſam ſuæ abſentiæ ſtudeant intimare. In eundo autem & redeundo honeſte ambulent, & honeſta quærant hoſpitia, & in eis circumſpecte ſe habeant; ne ſtatus clericorum vertatur in opprobrium populo & contemptum. Diſtricte præcipientes ſacerdotibus, ut jejuni intrent ſynodum: in jejunio enim & oratione debet fieri. Injungimus iterum diſtricte ſacerdotibus curam animarum habentibus, ut induti albis & ſtolis intrent ſynodum æſtivalem; in ſuperpelliciis tantum & ſtolis ſynodum hiemalem. Abbates autem cappis ſericis ſint induti. Item præcipimus ſacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis, quod a tempore pulſationis ſynodi, omni occaſione poſtpoſita, cum libro ſynodali majorem eccleſiam omnes intrare feſtinent. Inhibentes ſacerdotibus, ne ad ſynodum cauſas adducant, quæ coram Officiali noſtro alio tempore poſſint facilius expediri. Item injungimus ſacerdotibus parochialibus, qui vicarios non habent, quod die Dominica præcedenti ſynodum, diligenter inquirant publice in eccleſiis ſuis, ſi aliqui ſunt infirmi in parochiis ſuis: feria vero ſequenti, ſive antequam iter arripiant, eos viſitent, etiam non requiſiti, & faciant quidquid neceſſe fuerit ad ſalutem animarum: præcipientes in Chriſto eorum viſitationem fieri per presbyteros vicinos in eadem, vel aliis eccleſiis remanentes.

### CAPITULA PRIMÆ PARTIS.

ISte libellus dividitur in duas partes. Prima pars continet duodecim capitula. Secunda pars continet decem. Capitulum primum primæ partis eſt de decem mandatis. Capitulum ſecundum, de articulis fidei. Capitulum tertium, ſpecialiter de Trinitate & Incarnatione. Capitulum quartum, de ſacramentis; & primo de ſacramento Baptiſmi cum ſuis periculis. Capitulum quintum, de ſacramento Confirmationis. Capitulum ſextum, de ſacramento Altaris. Capitulum ſeptimum, de Pœnitentia cum ſuis periculis. Capitulum octavum, de Matrimonio. Capitulum nonum, de ſacramento Extremæ Unctionis. Capitulum decimum, de ſacramento Ordinum. Capitulum undecimum, ne venalia proſtituantur ſacramenta. Capitulum duodecimum, de Præfationibus.

### I. *De decem mandatis.*

Sicut dicit Salomon in Eccleſiaſte: *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quidquam mali.* Et alius Sapiens in Eccleſiaſtico: [a] *Qui volunt mandata conſervare, conſervabunt te.* Non vitatur autem malum, niſi cognitum: neque commode cuſtodiri poteſt, quod ignoratur. Plerique autem ſacerdotes, proh pudor! quod in ſubditorum ſuorum, & ſuarum periculum vertitur animarum, ignorant mandata legis. Ideo de eis aliquid ſub compendio utiliter diſſeramus.

Eccl. 8. 5.

Eccl. 15. 16. a Pro, ſi voluerit. Harduinus.

Sciant ergo ſacerdotes omnes & ſinguli, decem eſſe mandata legis. Sic habetur in Exodo, viceſimo capitulo. Primum præceptum eſt: *Non habebis deos alienos.* Secundum eſt: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium eſt: *Memento ut diem ſabbati ſanctifices.* Quartum eſt: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* Quintum eſt: *Non occides.* Sextum eſt: *Non mœchaberis.* Septimum: *Non furtum facies.* Octavum eſt: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Nonum eſt: *Non concupiſces domum proximi tui.* Decimum eſt: *Non deſiderabis uxorem ejus: non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, non omnia quæ illius ſunt.* Quæ omnia his verſibus continentur:

*Sperne deos, fugito perjuria, ſabbata ſerva.*
*Sit tibi patris honos, ſit tibi matris amor.*
*Non ſis occiſor, mœchus, fur, teſtis iniquus.*
*Viciniquе torum, reſque caveto ſuas.*

Primo præcepto prohibentur iſta: Omnis idolatria, omne ſortilegium, omne augurium, & divinatio, hæreſis, & generaliter omnis amor creaturæ, pluſquam Creatoris. Præcipitur in hoc mandato unus Deus colendus, ſecundum illud Deuteronomii: *Audi Iſrael; Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.*

Secundo mandato prohibetur omne illicitum juramentum, falſum, ſuperfluum, doloſum; blaſphemia. Hoc eſt erga Deum: *Non aſſumes,* &c. Idem non jurabis per meum nomen, nec falſum, nec injuſtum, nec mendacium, nec in contumeliam Dei.

Contra tertium faciunt diebus Dominicis & feſtivis [b] ..... ad eccleſiam non venientes, peccatis inſiſtentes, & dies feſtos non obſervantes.

b præcipimus, ut videtur.

Quarto præcepto præcipitur principaliter honor parentum carnalium, qui conſiſtit in ſolatio verborum, in obſequio operum, in exhibitione neceſſariorum, in timore offenſæ, præceptis eorum obtemperando. In iſto etiam præcepto præcipitur honor prælati in omnibus ſupradictis;

præ-

ANNO CHRISTI 1268.

præcipitur & honor proximi.

Quinto præcepto prohibentur actus injuſte occidendi, voluntas, conſilium, & auxilium; & omnis illicita & iracunda percuſſio.

Sexto prohibetur omnis coitus, excepto fœdere matrimoniali; puta, fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, peccatum contra naturam; dare his etiam conſilium, & auxilium, locare domos luxuriantibus.

Septimo prohibentur furtum, uſura, rapina, decimarum retentiones, debita denegantes.

Octavo prohibentur adulatio, detractio, in judicio falſa teſtificatio: quod fit amore, timore, rancore, munere.

Nono prohibetur omnis illicita concupiſcentia rei alienæ immobilis. Contra iſtud præceptum faciunt proximum injuſte impetentes, ad vendendum compellentes, mortem ejus deſiderantes.

Decimo prohibentur concupiſcentia cujuſlibet mulieris non ſuæ, & rei alienæ mobilis. Contra illud præceptum faciunt qui cogitant de ea, qui libenter recipiunt eam, qui petulanter loquuntur cum ea, qui muneribus ſolicitant eam.

Iſte eſt unus modus ordinandi præcepta ſecundum ſuperficiem litteræ Exodi: quamvis alii alio modo & alia conſideratione dixerint ordinanda. Sunt autem hæc præcepta ſumme cuſtodienda, ſervanda, & ſubditis diligenter exponenda. Primo ut homo lumen ſpiritale recipiat; juxta illud Pſalmiſtæ: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* [*Pſal. 18.*]; ſcilicet ad videndum quid ſit faciendum, & a quo abſtinendum. Secundo, ut mortem caveant; juxta illud in Joanne: *Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum* [*Joan. 8. 51.*]. Tertio, ut vitam etiam habeat, juxta illud Matthæi: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata* [*Matth. 19. 17.*].

### II. *De articulis fidei.*

Poſt mandata ſequitur de articulis fidei. *Sine enim fide impoſſibile eſt placere Deo* [*Hebr. 11. 6.*], ſicut dicit Apoſtolus ad Hebræos; & Salvator in Joanne: *Qui non credit, jam judicatus eſt* [*Joan. 3. 18.*]. Et in Marco idem Salvator: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur* [*Marc. 16. 16.*]. Hoc ergo modo diſtinguuntur articuli ſeptem de divinitate, & ſeptem de humanitate. Quæ pertinent ad divinitatem, ſic diſtinguuntur. Primus eſt de unitate eſſentiæ divinæ: ſcilicet, *Credo in Deum*. Singulariter dicit *Deum*, non deos: ut notet unitatem eſſentiæ. Alii tres ſunt de tribus perſonis: quorum primus eſt de Patre, ibi: *Patrem omnipotentem*, ſupple *Deum*. Secundus eſt de Filio, ibi: *Et in JESUM Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum*. Et eſt ſenſus: Credo in Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, ſupple *Deum*. Tertius eſt de Spiritu ſancto, ibi: *Credo in Spiritum ſanctum*: ſupple, *Deum*.

Ecce quatuor articuli pertinentes ad divinitatem in ſe. Tres alii ponuntur & pertinent ad effecta. Primus indicat creationis effectum: ibi, *Creatorem cæli & terræ*. Secundum, effectum recreationis; cum dicitur, *ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum*, in ſancta eccleſia, quæ eſt in communione ſanctorum, & non alibi. Tertius etiam dicit effectum glorificationis: ibi, *Carnis reſurrectionem, vitam æternam, Amen*. Carnis reſurrectio pertinet ad glorificationem corporis, vita æterna ad glorificationem animæ.

Poſtea ponuntur ſeptem articuli pertinentes ad humanitatem. Primus eſt: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto*. Secundus eſt: *Natus ex Maria Virgine*. Tertius eſt: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, & mortuus, & ſepultus*. Quartus: *Deſcendit ad inferos*. Quintus eſt: *Tertia die reſurrexit a mortuis*. Sextus: *Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Septimus: *Inde venturus judicare vivos & mortuos*. Alii autem alio modo diſtinguunt articulos fidei ſecundum numerum Apoſtolorum: quorum quilibet dicitur appoſuiſſe in ſymbolo ſuum articulum: & ſic ſunt duodecim ſecundum duodecim Apoſtolos. Sed primus modus melior & communior judicatur.

### III. *De Trinitate & Incarnatione.*

In fide Trinitatis & Incarnationis, ſeptem ſacramentorum, & in ſeptem operibus miſericordiæ, quæ ſeptem vitiis capitalibus opponuntur, clerum & populum tam majorem quam minorem ſacerdotes ſtudeant inſtruere diligenter. De Trinitate eos docere tenentur ad minus, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres perſonæ, & illæ tres perſonæ ſunt unus Deus, & una perſona non eſt alia. Dicatur autem ſæpe laicis, ut circa iſtum vel alios fidei articulos, vel circa ſacramenta, non quærant rationem, quomodo vel quare ita ſit: quia tanta eſt ſubtilitas fidei, quod ea quæ ſubſunt fidei, non poſſunt intellectu comprehendi ut expedit: quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

Credant ergo omnia firmiter ſine hæſitatione, quæcumque catholica fides aſſerit, quamvis non intelligant: majorem fidem adhibentes teſtibus fidei, quam oculis carnis, quia poſſunt decipi. Teſtes vero fidei ſunt Apoſtoli, martyres, confeſſores, virgines. Quorum partim pro teſtimonio fidei diverſis cruciatibus ſunt afflicti: ſed probati inventi ſunt; quia & in vita eorum & poſtea, propter eorum merita, divina potentia mortuos ſuſcitavit, cæcos illuminavit, dejectos erexit, & ſanavit infirmos.

Circa fidem incarnationis docere debent preſbyteri populum, & maxime infirmos, quando eos communicant, Dei Filium pro redemptione generis humani carnem aſſumpſiſſe in beata Virgine, de carne ejuſdem Virginis: non humana, ſed ſancti Spiritus operatione, qui præſens erat: & tunc factus eſt in ea verus homo. Item debent docere, eumdem eſſe natum de Virgine, virginitate manente in conceptione, in partu, & in nativitate. Unde propheta: *Deſcendet ſicut pluvia extincta a vellere* [*Pſal. 71. 6.*]: Illud non corrumpit, ſed mundum facit. Item doceant, eumdem ipſum conſputum, alapis cæſum, flagellatum, & multipliciter irriſum, & in cruce mortem viliſſimam ſuſtinuiſſe. Item doceant, eumdem in anima ad inferos deſcendiſſe, ut animas ſanctorum ibidem detentas educeret. Item doceant, eumdem in corpore jacuiſſe in ſepulcro. Item doceant, eumdem in eadem carne glorificata, tertia die a mortuis reſurrexiſſe: per quem & nos omnes in carne quam gerimus reſurgemus: boni in carne glorificata: mali in carne paſſibili. Unde Apoſtolus: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur* [*1. Cor. 15. 51.*]. Item doceant, eumdem quadrageſimo die ad cælos aſcendiſſe: & quinquageſimo die Spiritum ſanctum Apoſtolis, ſicut prædixerat, miſiſſe. Item doceant, eumdem venturum ad judicium, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, bonis vitam æternam; malis autem ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.



ANNO CHRISTI 1268.

### IV. *De ſacramentis eccleſiaſticis, & primo de ſacramento baptiſmi cum ſuis periculis.*

Septem ſunt ſacramenta eccleſiaſtica: Baptiſmus, Confirmatio, Sacramentum altaris, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

De baptiſmo debent presbyteri docere populum, quod in ſacramento baptiſmi conſiſtit ſalus omnium. Baptiſmus ergo cum omni reverentia & honore celebratur, & cum magna cautela: & maxime in diſtinctione prolatorum verborum, in quibus virtus ſacramenti conſiſtit: quæ ſunt iſta; *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen*. Et in Romana lingua ſub hac forma doceant presbyteri laicos frequenter, debere pueros baptizare; ſupple, in neceſſitate. Laici tamen, quando baptizant in neceſſitate, nomen puero non imponant: forma tamen verborum præterea, ab eo qui baptizat, integre, ordinate, & ſine nominis tranſpoſitione, & ſine interpoſitione aliqua proferatur. Interrogetur autem laicus, qui puerum in neceſſitate baptizavit, diligenter a ſacerdote, quid dixit, quod fecit. Et ſi invenerit, eum diſcreto modo & debito baptizaſſe, oblato puero ad Eccleſiæ fores nomen imponatur: eidem ſuppleatur quod deeſt: ſcilicet: pabulum ſalis benedicti, & aurium linitio cum ſaliva. Exorciſmi tamen ſuper puerum non dicantur. Super fontes autem fiant omnia quæ ſolent fieri, ſola immerſione excepta. Si vero dubium fuerit, ſub qua forma verborum puer fuerit baptizatus; tunc ſacerdos eum baptizet, dum tamen eum immergens dicat: *Si tu non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen*. Illud idcirco apponitur, ne baptiſmus, qui ſemel tantum recipi debet, videatur aliquatenus iterari. Idem de ſacramento confirmationis tenendum eſt & dicendum. Ad elevandum vero puerum de ſacro fonte non plures quam tres patrini recipiantur. Item baptiſmus cum nullo liquore confici debet niſi cum aqua. Item ſanctum chriſma, fontes, & oleum ſanctum, ſub forti ſera clauſi cuſtodiantur, propter ſortilegia evitanda. Item ampullæ chriſmatis & olei ſancti mundæ & integræ habeantur.

### V. *De ſacramento Confirmationis.*

De Confirmatione iſta volumus obſervari. Sacerdotes doceant populum, quod ſi confirmatio digne recipiatur, in ea Spiritus ſanctus recipitur. In bono enim confirmat eum qui recipit, & roborat contra diabolum & peccata. Jejuni debent eſſe qui recipiunt: & ſi adulti ſunt, debent conteri de peccatis, & ea confiteri, ſi tempus habeant, vel poſtea quam cito potuerint: aliter indigne ſuſcipiunt, ſi prius erant in mortali. Sacerdotes ſcientes venturum epiſcopum ad dedicationem eccleſiarum, vel cœmeteriorum, vel viſitationem, circa ſe uſque ad duas leucas moneant populum ſuum diligenter, ut omnes veniant coram epiſcopo, audituri ſermonem, maxime qui conſilio epiſcopi indigent; vel ad confirmandum eos qui non ſunt confirmati. Confirmandi vero ſecum bendellos referant, latos, mundos, & ſatis longos, quos in frontibus ſuis teneant tribus diebus propter fidem Trinitatis: quibus elapſis abluantur ſuper fontes ab aliquo ſacerdote, propter reverentiam ſacramenti. Nullus ſacerdos confirmare præſumat, nec ordines dare, non virgines conſecrare. Hæc enim ad archiepiſcopos & epiſcopos ſpectant.

### VI. *De ſacramento altaris.*

Hæc de ſacramento altaris volumus obſervari. Nullus audeat bis in die Miſſam celebrare, aut cum duplici introitu, niſi in magna neceſſitate: utpote corpore humano præſente: vel in die Nativitatis Domini, in qua tres Miſſæ poſſunt celebrari. Celebratutus autem ſecundam Miſſam, vinum perfuſionis in prima Miſſa non ſumat, ſed miniſtro habenti bonam conſcientiam conferat. Item ordinamus, ut ſacerdotes non celebrent cum vino albo, ſed rubro, ubi poterit commode inveniri. Item cum legitur Paſſio Domini, poſtquam dicta fuerint illa verba, *Emiſit ſpiritum*: proſternant ſe laici, & reddant gratias de redemptione noſtra. Sacerdos, vel miniſter, qui altaris miniſtrat officio, diligenter attendat, ut ad conficiendum Euchariſtiam, ad Miſſam, ad communicandos infirmos, formas panis quam pulcras, quam recentes, quam honeſtas poterit invenire, quærere non omittat; ne per informitatem formarum, infirmorum vel aliorum devotio minuatur. Attendat ergo quod hoſtia ſit integra, & quod integrum habeat circulum: & quod vinum non ſit aceroſum: & aqua non omittatur. Si autem aquam omiſerit, quando advertet, apponat eam, ſi fieri poteſt ſine ſcandalo. Si vero per negligentiam evenit, quod perlecto canone & peracta conſecratione corporis nec vinum nec aqua reperiantur in calice, debet ſtatim infundi in calice utrumque; & hoſtia ſic conſecrata ſeorſum reverenter obſervetur. Hoſtia autem nova, ſicut nunc ſolet, ante calicem apponatur; & reincipiatur canon Miſſæ, *Te igitur*. Poſt communionem vero, ante ſumptionem ſanguinis, prior hoſtia ab ipſo ſacerdote ſumatur.

Item caveant ſacerdotes, ne panis vel vinum remaneant ſuper altare infra Miſſam, præter ipſa quæ ab ipſo ſunt conſecranda: Et ſi quid forte remanſerit, ſecurius eſt, propter [a] famam quorumdam conſcientiam; ut ab ipſo ſacerdote ſumatur, vel ab alio mundam habente conſcientiam. Unde non eſt tutum eligere hoſtiam ſuper pallam, quia poſſet ibi aliqua fractio remanere; quam aliquis fatuus intelligeret conſecratam; Quod ad illos attinet, qui ſciunt conſecrationem non fieri, niſi adſit intentio, non eſt de talibus dubitandum.

Et presbyteri, quando incipiunt in Canone Miſſæ. *Qui pridie quam pateretur*, hoſtiam non elevent; ſed teneant ante pectus decenter, donec dixerint, *Hoc eſt enim corpus meum*: & tunc elevent eam, & elevatam tamdiu teneant, quod poſſit [b] apte videri: & tunc pulſetur campana. Hoc autem dictum eſt, ne purus panis adoretur: quod eſſet, ſi ante prolationem verborum iſtorum hoſtia elevaretur.

Poſt totalem vero ſumptionem corporis & ſanguinis Domini, presbyter ab exſpuendo ſe abſtineat, quantum commode poterit: & ſi abſtinere non poſſit, in loco mundo hoc faciat, qui conculcari non poſſit.

Si quid de ſanguine cecidit ſuper corporale, ſugenda eſt pars intincta; & ipſum corporale panno aliquo mundo involutum pro reliquis eſt [c] obſervandum. Si vero ſuper pallam, vel ſuper altare, [d] ſacrum indumentum, aliquid de ſanguine ceciderit; pars intincta ſugatur, & poſtea ſcindatur, & conſuta panno mundo ſervetur pro reliquiis: ita tamen quod ſuper pannum ſchedula conſuatur, continens hæc: Super hoc linteum ſtilla cecidit ſacramenti. Si ſuper commune veſtimentum ceciderit, pars intincta prius ſcindatur, & poſtea ſugatur,

[a] Itamſ. tamen lege. infirmam.
[b] Forte; a plebe, vel a populo.
[c] Forte; conſervandum.
[d] Forte, vel ſacrum.

ANNO CHRISTI 1268.

gatur, & comburatur, & cinis in ſacrario reponatur. Si autem ſuper lapidem, lignum, terramve ceciderit: lingendus, tingendus, & radendus eſt locus illo: & pulvis in ſacrario reponendus. Si autem de corpore deſuper pallam vel aliud ornamentum ceciderit, prius ſuper quod ceciderit abluatur, & ablutio a ſacerdote ſumatur, vel ab alio bonæ conſcientiæ. Si muſca, vel aranea, vel aliquid tale in ipſum calicem ceciderit, quod vix ſine vomitu, aliquando vero non ſino periculo corporis ſumi poteſt ſanguis; ſumatur, & effuſo vino ipſum quod cecidit abluatur; & ablutio a ſacerdote ſumatur, aut ab alio bonæ conſcientiæ: & poſtea id quod cecidit, in ſacrario comburatur. Quod ſi fides[a] ipſa id quod cecidit ſumere, quidquid[b] fecerit. Deo gratias.

Item volumus ut linteamina altaris, & indumenta ſacerdotum, & miniſtrorum, ſæpius abluantur. Item ut ampullæ vini & aquæ ad miniſterium altaris deputatæ, mundæ & integræ habeantur: & quod non ſint conſimiles: ut de facili diſcerni poſſit ubi eſt vinum, & ubi eſt aqua. Item ut nullus clericus altari deſerviat, niſi cum ſuperpelliceo, vel cappa clauſa. Item ut nullus presbyter antequam Matutinas dixerit canonicas & Primam, præſumat Miſſam celebrare. Item volumus, ut ſacerdotes die octavarum renovent ſemper ſacramenta: euchariſtiam ſcilicet, & fontem benedictum: ne eorum vetuſtate vel immunditia aliqui ad vomitum moveri valeant aut horrorem.

[a] Forte, ſuggerit.
[b] Lege, fecerit, Confer Synodum Bajocenſem anni 1300. inferius, ubi hæc totidem verbis deſcribantur.

Item inhibemus presbyteris, ne hoſtias non conſecratas dent pueris, niſi in die Paſchæ loco panis benedicti: & tunc ſtatim utantur primum, nec extra eccleſiam portent. Item volumus ut ſacerdotes ita doceant populum, quod tales exſiſtere procurent, ut ſaltem in die Paſchæ communicare valeant & communicent. Legitur enim in libro Numerorum, quod ſi quis mundus fuerit, & non fecerit in die Paſchæ hoc, id eſt, non communicaverit, anima ejus peribit de populo. Et ſi hoc de mundo dicitur, qui non communicat; multo fortius de immundo, qui propter immunditiam ſuam abſtinere debet, quamdiu talis eſt, & nullatenus communicare. Qui enim indigne communicat, judicium ſibi manducat & bibit.

Num. 9. 13.

Item volumus, quod presbyteri in eccleſiis ſuis ſæpe dicant populo, ut quam cito viderint aliquos infirmari, presbyterum incontinenti ad audiendum infirmi confeſſionem, & ad communicationem, adduci procurent; nec exſpectent noctem ad vocationem presbyteri, ſi de die contigerit infirmari.

Singuli ſacerdotes ſingulos habeant calices, in quibus communicent infirmi: qui ſint mundi: ne immunditia horrorem inducat infirmo, ſed potius in eis infirmi devotio excitetur. Item ſi quid de Corpore Chriſti in ore infirmi remanſerit, vel inde exierit, quod ab eo recipi non poſſit, aliquam panis habens formam; ab ipſo ſacerdote convenienter conſumi debet; vel [c] comunitum in calice cum modico vino, alicui habenti bonam conſcientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit coarctatus, quod ſub magna forma Corpus Domini recipere non poſſit, forma minima detur ei in calice comunita, & cum modico vino inſtilletur in ore infirmi: maxime ſi propter adſtantes de ſcandalo timeatur: ne eis ſine viatico decedere videatur infirmus.

[c] Infra in Provincia Burdigal. Viſitatione anni 1286. comminutū.

Pium eſt & tutum, ut ſacerdos omnem infirmum in extremis laborantem abſolvat de omnibus peccatis, ſi ab eo humiliter fuerit requiſitus.

Item, volumus, ut cum presbyteros ad communicandum infirmos contigerit evocari, omni dilatione & occaſione poſtpoſita ad eos accedant; & Corpus Chriſti cum magna reverentia & maturitate deferant, in pyxide ſcilicet idonea, bene clauſa, propter caſum. Nec diacones ad hoc mittantur, niſi in neceſſitate, & tunc quando ſacerdos eſt abſens. In eundo autem ſeptem pſalmos pœnitentiales vel litanias dicant.

Item presbyteri moneant parochianos ſuos, & diligenter inducant, ut cum presbyterum deferre contigerit Corpus Chriſti, creatori ſuo cum manuum junctione & genuum flexione, dum tranſierit, orantes devotius ſtudeant inclinare.

Item ſacerdotes diligenter moneant medicos, quos ad infirmos contigerit evocari, & ipſos qui medicis adſiſtunt, ut obſervent illud quod ſtatutum eſt in Concilio generali, & diſtricte injunctum medicis corporum; ut cum ad infirmos eos evocari contigerit, ipſos infirmos moneant & inducant, quod prius advocent medicos animarum; & ut poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporale remedium medicinæ ſalubrius procedatur. Si quis autem medicorum conſtitutionis hujuſmodi tranſgreſſor exſtiterit, tamdiu ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, donec ſatisfecerit competenter. Ceterum cum anima ſit corpore multo pretioſior, ſub anathemate prohibetur, ne quis medicorum pro corporis ſalute aliquid ægro ſuadeat, quod in animæ periculum convertatur.

## VII. *De pœnitentia cum ſuis periculis.*

De pœnitentia iſta volumus firmiter obſervari. De Pœnitentia, quæ conſiſtit in tribus, ſcilicet contritione, confeſſione, ſatisfactione; doceant ſacerdotes; quod ſicut puero non eſt ſalus ſine baptiſmo; ita adulto, qui fœdus baptiſmi violavit, non eſt ſalus ſine pœnitentia. Item doceant, & maxime ante Quadrageſimam, quod omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia peccata ſua confiteri fideliter teneatur ſaltem ſemel in anno, proprio ſacerdoti, & injunctam eis pœnitentiam debet pro viribus ſuis adimplere. Proprium autem ſacerdotem dicimus duobus modis: Ex officio, utpote Papam, Epiſcopum, Curatos: vel ex commiſſione, ſicut Fratres Prædicatores & Minores, & quibus epiſcopus commiſit vices ſuas. Si quis autem alieno ſacerdoti, juſta de cauſa, ſua voluerit confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio ſacerdote: cum aliter ille eum non poſſet ſolvere vel ligare, niſi hoc faciat de licentia ſuperioris.

Item volumus, ut presbyteri parochianos ſuos ſolemniter pœnitentes faciant venire in Capite jejunii ad cathedralem eccleſiam, ut per epiſcopum ſolemniter ab eccleſia ejiciantur; & ſimiliter die Cœnæ per epiſcopum eccleſiæ reconcilientur.

Item presbyteri parochianos ſuos moneant, & frequenter in eccleſiis ſuis denuncient, quod omnes patres familias & matres familias ad confeſſionem veniant ante Ramos Palmarum. Et qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam ut poſt octavam Paſchæ ad confeſſionem non admittantur, ſi.....ad illud tempus re.....bunt, ſicut in Quadrageſima: ut pœna eorum ſit aliis ad terrorem. Poterunt tamen cum talibus tempora preſbyteri diſpenſare, quando eorum diſcretioni videbitur expedire.

Sacerdos autem ſit cautus & diſcretus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens peccatorum circum-



ANNO CHRISTI 1268.

ſtantias, & peccati, vino correctionis: & oleum diſcrete nunc conjungens; ſic temperet pœnitentiam, ne immenſitate ponderis obruatur; nec relaxatione igni purgatorio crudeliſſime relinquatur: & ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi.

Alienos autem parochianos presbyteri ad confeſſionem non recipiant; niſi forte cum quis eſt vagabundus, ut ſunt pauperes mendicantes, vel pauperes incerti: vel niſi quis vadat in peregrinatione, vel ſit in infirmitate, vel in ſimilibus caſibus.

Ad audiendam confeſſionem locum eminentem eligant ſacerdotes, ut communiter poſſint videri: nec in locis abditis; vel extra eccleſiam recipiant confeſſionem. Nec Diacones confeſſiones admittant etiam parvulorum.

In confeſſione habeat ſacerdos vultum humilem, & oculos in terram: nec directe, nec frequentius reſpiciat faciem confitentis, & maxime mulieris: & patienter audiat quæ dixerit ipſe confitens, in ſpiritu lenitatis: & ei pro poſſe ſuo pluribus modis perſuadeat, ut confiteatur integre: [a] & ſic & aperte dicat ei confeſſionem aliter non valere.

[a] Forte, & ſincere.

Item in confeſſione ſibi caveant ſacerdotes, ne inquirant nomina perſonarum cum quibus peccaverunt confitentes; ſed circumſtantias tantum, quæ poſſunt aggravare peccatum. Item caveant ſacerdotes omnes, ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo, prodant aliquatenus aut detegant confeſſionem.......vel....... generali vel ſpeciali; dicendo, Ego ſcio quales vos eſtis. Sed ſi prudentiori conſilio indigeant, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirant: quoniam qui peccantem in pœnitentiali ſibi judicio detectum præſumpſerit revelare, non ſolum eſt a ſacerdotali officio deponendus, verum ad agendam pœnitentiam in arcto monaſterio detrudendus.

Quoniam vero didicimus, pro peccatis etiam majoribus fere nullam vel minimam pœnitentiam injungi populo a ſacerdotibus, quoad hoc negligentibus canonica inſtituta: volumus ut ſacerdotes ſtudeant inquirere diligenter peccata populi ſingula, & circumſtantias uſitatas peccati, maxime gulæ, luxuriæ, & cupiditatis; quibus genus humanum frequentius corrumpitur & fœdatur: ne ſecundum quod majores fiunt exceſſus circa vitium, minor pœnitentia injungatur.

### *Gula.*

Generalis ergo exceſſus circa potum frequentius attenditur, quamvis fiat pluries circa eſum. Inquirat ergo ſacerdos a pœnitente, utrum aliquando exceſſum fecerit, quærendo cibos nimium delicatos; ſicut dives qui epulabatur quotidie ſplendide, & Judæi qui carnes in deſerto concupierunt. Et utrum peccaverit nimia ciborum etiam vilium ſumptione, ſicut Sodomitæ; quorum peccatum fuit ex abundantia panis. Et utrum peccaverit ſumendo cum nimia aviditate, ſicut Eſau. Item cum nimio apparatu, ſicut filii Heli. Item utrum ante horam, ſicut Jonathas. Quod ſi fecerit, moneatur ſe a talibus abſtinere; & ſtudeat diligenter contraria contrariis curare. Tales ſiquidem ſunt ſatellites Nabuzardam, qui interpretatur Princeps coquorum; qui Jeruſalem, id eſt, fidelem animam funditus deſtruxit.

### *Luxuria.*

Circa peccatum luxuriæ, quæratur utrum pœnitens acceſſerit ad proſtitutas mulieres, ſeu viduas, vel alias: & quæratur numerus illarum, cum quibus peccavit: ſi neſciat numerum, ſaltem exiſtimationem dicat, quam credit. Item quæratur de vicibus, & quanto tempore in peccato manſit, & quo loco: ſacro videlicet, aut non ſacro; puta in eccleſia vel cœmeterio. De perſonis, utrum ſacerdos, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel monachus. De tempore, utrum in ſolemnitatibus [b] perpetuis. Quod ſi fecerit, honeſtum videtur, ut in vigiliis feſtorum quæ violavit, jejunet pluribus diebus in pane & aqua, ut taliter ſaltem redimat peccatum. Et ſi ſolutus laicus cum ſoluta concubuerit, tres annos pœnitentiæ debent ſecundum canonum rigorem, ſecunda feria, quarta, & ſexta, a cibis communibus jejunando abſtinere. Si cum vidua, quatuor annos. Sed quia fragilitas noſtri temporis tanti rigoris non patitur manere cenſivum, hujuſmodi pœnam commutent vel temperent ſacerdotes in orationibus vel eleemoſynis, vel aliis ſatisfactionibus, prout eis viſum fuerit expedire. Et quanto ſæpius & negligentius ea peccata committunt, & quanto plus prædictæ circumſtantiæ peccatum aggravarunt, tanto majus tempus, & major pœna imponatur eis. Hoc enim moderamen intelligatur in omnibus pœnitentiis pro quocumque crimine imponendum. Illi autem qui ſubliniorem gradum obtinent, ſi peccaverint, magis puniendi ſunt. Scriptum eſt enim:

*Omne etenim vitium tanto conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.*

[b] Forte, præcipuis.

Pro adulteris autem major eſt pœnitentia injungenda.

Item quæratur de virginibus defloratis. Quot autem defloravit, tot debet maritare; vel ſaltem eas corruptas, ſi indigent, ſuſtentare; vel ingreſſum religionis eis, ſi voluerint, procurare: injuncta nihilominus pœnitenti pœnitentia, quæ pro fornicatione debet injungi. Si vero hoc non fecerit, quia viam aperuit ad peccandum, timeat quod omnibus peccatis, quæ illa per carnis lubricum perpetrabit, communicabit.

Item quæratur, ſi cum monialibus peccaverit. Quod ſi fecerit, ad Epiſcopum, vel ejus Pœnitentiarium mittatur. Mulier vero, quæ a proprio ſacerdote, vel alio qui ejus confeſſionem audivit, vel eam baptizavit, permiſit ſe cognoſci, propter criminis enormitatem, maxime ſi ſcandalum inde evenit, ad Epiſcopum vel ejus Pœnitentiarium eſt mittenda.

Item quæratur, ſi ad conſanguineas ſuas pœnitentes acceſſerint, vel uxores conſanguineorum ſuorum, vel ad cognitas ab eis; & in quo gradu, proximo videlicet aut remoto. Omnes tales ad Epiſcopum, vel ejus Pœnitentiarium debent mitti.

Item quæratur, ſi mulierem indebito modo cognovit: & ſi quærat pœnitens, quomodo? non reſpondeat ſacerdos. Si dicat, ſic: quærat quomodo, & quotieſcumque, &c. Item quæratur, ſi in puerperio, ſi tempore menſtruorum, quod lege prohibetur, mulierem cognoverit. Eſt enim periculum corporale patris & matris; ſcilicet periculum elephantiæ, menſtruorum tempore commiſſi; & eſt periculum pejus, quia corrupto ſemine in coitu, ſi poſt naſcitur fetus, fere ſemper, ut aſſerunt Phyſici, eſt iſte gibboſus vel contractus, vel maculam rubeam habens in facie vel membro alio.

ANNO CHRISTI 1268.

Item quæratur, ſi ad mulierem prægnantem acceſſerit, & utrum mulier abortivum fecerit: & tunc ſi abortum fecerit; ob iſtam cauſam [a] evenerit, ad Epiſcopum vel ejus Pœnitentiarium tranſmittatur.

a *Forte*, convenit… tranſmiſti.

Item quæratur, utrum aliquando dormiendo ei contigerit pollutio. Quod ſi ex ebrietate, vel præcedenti cogitatione illicita evenerit, magis eſt timendum, & gravius puniendum. Item quæratur, utrum acciderit ei pollutio vigilando. Quod ſi dixerit, non; de hoc ulterius non requirat. Si vero dixerit, ſic; quæratur quomodo, ut ſic veritas extorqueatur de peccato commiſſo, & peccandi peccato inuſitato occaſio minime præbeatur.

Item quæratur, utrum aliquando pro alio ſolicitaverit; vel peccato alterius aſſenſerit, conſilium vel auxilium impenderit: utrum conjugatam, vel aliam; utrum pro conjugato vel alio, & quomodo, & quando, ut ſupra. Sollicitatores etenim mulierum pro alio, ſive conſentientes, ſecundum quod magis & minus peccaverint, puniantur: quandoquidem non minus peccant, quam illi qui peccatum operantur.

Contra peccatum carnis muniri debent peccatores ſic; ut dicatur eis: Jejuna, & labora, evita malum facientem, & opportunitatem peccandi; quod eſt evitare loca & perſonas, cum quibus vel per quæ peccare poſſumus vel ſolemus. *Quar aiſſe fait lairon, & puta fait garſon.*

### *Cupiditas.*

Quæratur utrum aliquam rem alienam habuerit injuſte, videlicet per furtum, uſuram, rapinam, & conſimilia. In his enim volumus, ut ſacerdotes caveant, ne miſſas, eleemoſynas, vigilias, vel peregrinationes, vel hujuſmodi aliqua pro reſtitutione injungant, priuſquam reddiderint, ſi poſſunt: Quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Eſt autem regula, quod vero domino facienda eſt reſtitutio, ſi poſſit commode inveniri, ad hoc ut poſſit fur vel raptor abſolvi. Mortuo vero domino, vel non invento eodem, reſtituendum eſt hæredibus; vel his non exſtantibus, proximioribus cognatis, vel ſaltem uxori. Si vero verus dominus eſt incertus, vel non poſſit inveniri cui debeat reſtitui, tunc demum ad concilium eccleſiæ erogetur, pro illis qui his in rebus male habitis habitaverint. Quod & de inventis faciendum eſt. Non autem debet ſufficere male requiſita reſtituendo ſolum iſta fieri: ſed condigna injungi debet pœnitenti pœnitentia pro peccato. Quando certus eſt verus dominus & inventus, injungenda eſt pœnitenti pœnitentia, ut ei ſi poteſt ſatisfaciat in medietate, ſi audeat revelare; ſi autem non audeat, mediante ſacerdote, vel alio bono viro neminem nominante; vel recompenſet pœnitens per ſervitia quæ poterit, cum animo reſtituendi. Si vero grave damnum ſit, & pœnitens non poſſit ſolvere, petat veniam perſonaliter a damnificato, ſi audeat: alioquin hoc faciat aliquo bono viro mediante, neminem nominante: ſatisfaciat jejuniis, orationibus, & corporalibus diſciplinis, habens in propoſito, quod omnia reſtituet, ſi ad fortunam venerit pinguiorem.

Item quæratur, utrum alieno damno conſenſerit: quod ſi fecerit, utrum ex propoſito hoc fecerit, vel ſimplicitate, vel negligentia. Item quæratur, utrum non impedierit lædentem, cum poſſet; vel lædendum non præmunierit. Quod ſi fecerit, diſtinguendum eſt. Nam ſi conſenſit tantum, non videtur teneri ad reſtitutionem, ſed ad ſatisfactionem pœnitentiæ, prout magis vel minus peccaverit: quia magis peccavit, ſi ex propoſito conſenſit, quam ſi negligenter vel ex ſimplicitate. Inducat tamen læſorem, prout poterit, ad ſatisfaciendum læſo.

Item quæratur, utrum ſtupri cauſa aliquid habuit a conjugata: & ſi hoc fecerit, marito reddat. Si a perſona religioſa, eccleſiæ ſuæ reddat. Si ab ancilla, de rebus domini ſui; ipſi domino eſt reddendum.

Item volumus ut diligenter attendat ſacerdos, cujus officii ſit pœnitens. Nam ſi mercator eſt, prohibendus eſt ne emens vel vendens ad uſuram, habeat pondus & pondus, menſuram & menſuram. Et ſi habuerit, vel falſo menſuraverit, tenetur reſtituere, ſi ſciat quibuſdam de omni male acquiſito reſtitutio facienda eſt, ut dictum eſt. Si autem neſciat quibus reſtitutio ſit facienda, ſatisfaciat eccleſiæ, vel eccleſiis illorum, quorum credit eſſe parochianos; vel pauperibus eroget, ad concilium tamen eccleſiæ. Similiter de aliis officiis eſt faciendum ſuo modo. Si quis vero propter neceſſitatem famis furatus fuerit panes vel cibaria, vel veſtes propter nuditatem, & reddere non poſſit; levis eſt ei pœnitentia injungenda, dum tamen conteratur. Et dicendum eſt filiis fœneratorum & omnium raptorum, ut de ipſis male acquiſitis parciſſime vivant, quo poſſint reddere damnificatis.

Item ſtatutum eſt in generali Concilio, ut publicis uſurariis in morte ſepultura eccleſiaſtica denegetur: ut & ſi aliquis ſuſpectus ſuper hoc habetur, compellatur uſuras publice abjurare: & ſi poſt abjurationem ſuper hoc fuit diffamatus, purgatio indicatur eidem: Et ſi in purgatione defecerit, vel ſuper hoc convictus fuerit, fidelium communione privetur, donec ſic extorta reſtituerit, & eccleſiæ ſatisfecerit competenter: & ſi ita deceſſerit, careat eccleſiaſtica ſepultura. Sacerdotes autem nobis vel Officiali noſtro mittant nomina illorum qui ſunt publice uſurarii, vel ſuper hoc diffamati. Hoc autem ſtatutum [b] eſt frequenter in eccleſiis publicetur.

b *Forte*, etiam.

Item conſulatur militibus, qui largas eleemoſynas & ſpontaneas faciunt, veſtiendo pauperes, redditus & cenſus ferendo, quod ſanctius videtur, ſi reddentur male exacta & male extorta.

### *Ira.*

Quæratur utrum pœnitens in triſtitia mentis inciderit, quæ mortem operatur & iram; vel aliquem odio habuerit. Quod ſi fecerit, moneatur diligenter, ut deponat rancorem & odium. Debita vero, vel querelam, non tenetur remittere, niſi velit, ſi petere poteſt pacato animo coram judice competenter.

### *Invidia.*

Quæratur utrum per invidiam doleat, vel doluerit, de utilitate proximi; vel de ejus infortunio læſus fuerit: utrum per invidiam alicui detraxerit.

### *Superbia.*

Quæratur utrum per ſuperbiam ſuper alios mente vel corpore ſe elevaverit. Evangeliſta enim ait: *Qui major eſt veſtrum, fiat ſicut minor.* Et, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

Luc. 22. 26. Eccli. 3. 20.

Acc-



ANNO CHRISTI 1268.

### *Acedia.*

Quæratur utrum pœnitens acedioſus fuerit in his quæ pertinent ad ſalutem; id eſt; negligens & indevotus: & talis timeat ſuam ſententiam: *Maledictus homo, qui opus Dei negligenter facit.* Et ſecundum ea quæ invenerit ſacerdos, imponat pœnitentiam competentem.

Jerem. 48. 10. ex Græc.

Item quæratur utrum ſacrilegia fecerit de ſacramentis eccleſiæ, vel dæmonibus immolando, vel dæmonia invocans. Quod ſi fecerit, ad epiſcopum, vel ejus pœnitentiarium mittatur.

Audita vero confeſſione ſacerdos interroget confitentem, an velit a mortali peccato abſtinere: aliter autem eum non abſolvat, nec pœnitentiam ei injungat: nec tamen diffidat, ſed eum diligenter inſtruat, ut quidquid poteſt boni iterum agat; ut Deus cor ejus illuſtret ad pœnitentiam. Item ſacerdos debet eſſe ſollicitus, ut pœnitenti onus importabile non imponat, nec recipere pœnitens ſit paratus: ſed ſic temperet pœnitentiam, ut a ſtudio non cogatur ſcholaris ceſſare; faber a fabrica, ab agro agricola, vel alius laborioſus ab opere licito & competenti; nec a cura dominus familiæ, ut ei providere non poſſit; nec curſor a curſu, ut dominum ſuum ſequi non poſſit. Item pro peccato occulto ſacerdos publicam pœnitentiam non injungat; nec peccatores occultos faciat pœnitere.

Sciendum autem eſt, quod ab omnibus qui ex juſta cauſa videntur non poſſe ſine magno gravamine frequenter in octava dicta jejunare, poſſunt redemptiones vel compenſationes adhiberi, per orationes, per eleemoſynas, per abſtinentiam a carnibus vel piſcibus, vel diſciplinas, vel hujuſmodi, ſecundum ſtatum perſonarum. Poterit tamen fieri relaxatio talis, cum pœnitentia injungitur: ut ſi ad menſam alienam acceſſerint, cui ſe debeant conformare, vel in magnis ſolemnitatibus, hujuſmodi abſtinentiæ injunctis commutentur eleemoſynis.

Item conſulimus & monemus, ne Miſſas frequenter injungat ſacerdos confitentibus: ut ſuſpicionem cupiditatis fugiat in hac parte: fructum tamen, qui ex tali injunctione ſolet ſacerdotibus evenire, conſulat pauperibus erogari. Si Miſſas tamen injunxerit, eas non celebret; nec tricennale, nec annale, quæ ipſemet junxit, recipiat.

Item omnibus, qui ætatem decem & octo annorum exceſſerunt, præcipiant ſacerdotes jejunare jejunia ab eccleſia inſtituta, ut jejunium Quadrageſimale, Quatuor temporum, Vigiliarum: quia omnes tales ut communiter ad hujuſmodi jejunia tenentur.

Item ab infirmis in mortis articulo conſtitutis pia eſt inquirenda peccatorum confeſſio: non pœnitentia eſt etiam injungenda. Eſt tamen eis intimandum, ut conterantur, ut doleant de peccatis ſuis univerſis & ſingulis; non tam timore pœnæ quam peccando meruerunt: ſed quod Deum & Patrem, creatorem & redemptorem ſuum offendere [a] non præſumpſerint. Inducantur tamen infirmi, ut acerbitates ægritudinis, quas ſuſtinent, quaſi flagella pii patris, quemadmodum ei placuit, cum gaudio tolerare laborent. Si autem convaluerint, ſtatim ad ſacerdotes accedant, ut tunc eis pœnitentia competens injungatur.

a *Dele*, non.

Item ſacerdotes ſuadeant omnibus ſeptem principalia vitia fugere, & plus quam mortem temporalem timere. Quia mors cum ſolum corpus interimat; dicta vitia corpus & animam ſimul vincunt. Et ſunt iſta: Guloſitas, luxuria, avaritia, acedia, ira, invidia, ſuperbia. Item ſtudeant operibus miſericordiæ incumbere. Quæ ſunt: Paſcere eſurientem, potare ſitientem, nudum veſtire, hoſpitem ſuſcipere, viſitare infirmum, conſolari incarceratum, ſepelire mortuum. Quia ſic teſtatur Veritas in Evangelio: Quia iſta negligunt facere, venientes ad judicium terribile, vocem audient iſtam: ſcilicet, *Ite maledicti in ignem æternum.*

Matth. 25. 41.

Sacerdotes autem in confeſſione majora majoribus reſervantes, mittant ad epiſcopum vel ejus pœnitentiarum pœnitentes de homicidio, perjurio ſeu fide mentita. Si tamen certum ſit illicitum eſſe juramentum, inſtruant parochianum, quod propria auctoritate poteſt contravenire: ut ſi juraſſet hominem interficere, vel aliquid quod certum ſit, mortale peccatum eſſe. Tenetur tamen de hoc quod ſic juravit, confiteri epiſcopo vel ejus pœnitentiario. Si vero dubium ſit, an ſit juramentum licitum, an illicitum, tunc eſt ſuperior conſulendus. Et mittant ad epiſcopum vel ejus pœnitentiarium pœnitentes de injectione manuum in pœnitentes, ſeu in clericos, vel quoſcumque religioſos, vel pœnitentiarios. Item de incendio. Item de litterarum falſitate. Item de inceſtu tam naturali quam ſpiritali; videlicet qui conſanguineam ſuam cognovit, vel conſanguinei uxorem; & qui cognovit filiam ſpiritualem, vel filiolam, vel cujus confeſſionem audivit. Item de lapſu carnis cum monialibus. Item de violatione cœmeteriorum vel eccleſiarum. Item de hæreſi. Item de omni ſortilegio, maxime pro ſortilegiis factis de ſacramentis eccleſiæ, & omnes illos qui ad hoc conſilium vel auxilium præſtiterunt. Item de ſchiſmate. Item illos qui abortivum coeundo vel alio modo facere præſumpſerunt. Item clericos quoſcumque, modo irregulares facti ſint. Item illos, qui ſine prima tonſura aliquem ordinem ſuſceperunt. Item qui in ſuſcipiendis ordinibus ſaltum fecerunt. Item quocumque caſu per ſe vel per alium homicidium perpetrarunt. Item clericos qui judicio ſanguinis inter fuerint; & qui auctoritatem, conſilium, vel conſenſum in aliquo præbuerunt, unde mors hominis vel mutilatio ſequeretur. Item illos qui litteras dictant, ſcribunt, aut legunt, aut aliquod munuſculum præſtant, ut aliquis mutiletur, vel occidatur. Item clericos vel presbyteros, qui in ſuſpenſione vel excommunicatione promoti ſunt, vel divina celebrarunt. Item ſacerdotes vel miniſtri, quorum negligentia aliquid circa ſacramentum altaris inhoneſtum quocumque modo evenerit; ad prædictos, videlicet epiſcopum, vel ejus pœnitentiarum, ſunt amittendi.

Item volumus, ut ſacerdotes peccata notoria, de quibus ſcandalum in populo generatur, ſignificent archipresbytero; & archipresbyter archidiacono; & archidiaconus nobis epiſcopo, ſi per eos non poſſit corrigi vel ſopiri; timentes ne pœnam incurrant, ſi per eos, vel per alios ad nos deferatur.

Item ſacerdotes in confeſſionibus vota relaxare non debent: poſſunt tamen aliquando declarare votum non tenere: ut ſi impubes vovit ſine patris vel tutoris auctoritate; vel ſervus ſine domini voluntate: vel ſi uxor voverit continentiam ſine licentia viri, vel aliquid unde maritus ſcandalizetur; utpote jacere cum camiſia; vel ne ad Matutinas frequentet. De talibus enim poſſunt dicere, quod ad hoc non tenentur.

Item ſacerdotes circa confeſſionem maximam curam adhibeant & cautelam; ſcilicet ut diligen-

ANNO CHRISTI 1268.

ter peccata inquirat uſitata ſigillatim : inuſitata enim nonniſi a longe per aliquam circumſtantiam : ſic tamen ut expertis detur materia confitendi.

Item caveant ſacerdotes, ne diaconis committant officium audiendi confeſſiones in aliquo caſu : cum tales ligandi atque ſolvendi in foro Pœnitentiæ careant poteſtate. Item inhibemus cunctis, ne vicarios in eccleſiis ſuis ponant ſine noſtra licentia ſpeciali, vel illius qui a nobis habebit ſuper hoc poteſtatem.

## VIII. *De Matrimonio.*

Cum tam in Lateranenſi Concilio, quam in Provinciali, inhibitum ſit, ne matrimonia per verba de præſenti contrahantur, vel ſolemnitates adhibeantur, bannis non editis juxta morem : & quamque per ignorantiam laicorum, & quamque per ſimplicitatem, quamque per malitiam ſacerdotum, quandoque contrarium attentatur : unde accidit quod propter matrimonium contractum per verba de præſenti, circa impedimentum matrimonii, plena probatione deficiente, multi in nefaria copula remanent copulati. Hinc eſt, quod nos præcipimus diſtricte, ut presbyteri inhibeant publice in eccleſiis ſuis, parochianis adſtantibus, ne ipſi abſque presbyterorum ſuorum præſentia matrimonia vel ſponſalia contrahant. Item, ne ipſi presbyteri interſint matrimoniis contrahendis per verba de præſenti, donec banna in eccleſia fuerint edita juxta morem, ſcilicet per tres dies Dominicos, vel feſtivos inter ſe diſtantes. Et ne ipſi presbyteri clandeſtina matrimonia celebrare præſumant; vel alienos parochianos benedicere ſine proprii licentia presbyteri, de qua conſtet per vivam vocem ipſius presbyteri, vel per ſigillum ipſius, vel alterius ſigillum authenticum non ignotum. Si vero presbyter contra fecerit, per triennium ſit ſuſpenſus ab officio. Laici quoque, & clerici ſæculares, & religioſi, etſi non ſint presbyteri, qui ſponte & ſcienter talibus matrimoniis interfuerint, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto, donec per ſuperiorem fuerint abſoluti. Et ſi aliqui tales contraxerint, tantum differatur benedictio nuptialis, quod non celebretur abſque noſtra vel Officialis noſtri licentia ſpeciali. Item eidem pœnæ ſubjaceant, qui ante ætatem legitimam matrimonio copulare, vel hujuſmodi matrimonio ſcienter & ſponte intereſſe præſumunt; pœna graviori nihilominus imponenda, ſi ſuperiori videbitur expedire.

Et excommunicamus omnes illos, qui fidem dabunt vel accipient, de celandis matrimoniis : & ſententiam hujuſmodi præcipimus recitari a ſingulis ſacerdotibus parochialibus in ſuis parochiis. Et cum probabilis apparuerit conjectura vel dubitatio circa copulam contrahendam, volumus ut contractus interdicatur expreſſe; donec per nos, vel per noſtrum locum tenentem, quod ſuper hoc fieri debeat, fuerit definitum. Ceteri autem nec cognoſcere poſſunt nec judicare.

Item præcipimus, ut ſacerdotes prohibeant ſub pœna excommunicationis, in nuptiis fieri ſortilegia.

Et prohibeant ſacerdotes, ne laici publice teneant concubinas. Et qui poſt monitionem trinam præſumpſerit retinere, tam ipſe quam ipſa per ejuſdem loci presbyterum ab ingreſſu eccleſiæ arceantur; gravius puniendi, ſi perſeveraverint, per majores. Nos vero concubinarios publicos excommunicamus.

Item ſciendum eſt, benedictionem nuptialem non debere fieri a Septuageſima uſque ad octavam Paſchæ, Item ab Adventu Domini in Epiphaniam. Item a prima die Rogationum uſque ad octavam Pentecoſtes.

Item quando dubitatur, an pueri vel juvenes ſint apti ad benedictionem nuptialem, ſacerdotes non debent ſolum inquirere de ætate; quia ætas quandoque non ſufficit; cum pubertas non ex annorum numero, ſed ex habitu corporis æſtimetur : & tunc eſt ſuperior conſulendus. Et injungimus ſacerdotibus, ne aliquid exigant a parochianis ſuis, eo quod teſtimonium pro eis dant, quando matrimonium contrahere debent, niſi ratione laboris & ſumptuum; vel ratione antiquæ & approbatæ conſuetudinis, dum tamen certa ſit.

## IX. *De ſacramento Extremæ Unctionis.*

De ſacramento Extremæ Unctionis ita volumus obſervari. Sacerdotes vero doceant, quod ſic dicit beatus Jacobus : Per Extremam Unctionem venialia dimittuntur; & quandoque alleviatur infirmus. Etiam mentis alacritas infunditur, ut ſic mens ipſa ad æternum gaudium elevetur, Item doceant ſacerdotes, omnes debere recipere hoc ſacramentum, tam divites, quam pauperes, ſenes & juvenes, & maxime poſtquam duodecimum annum expleverint : & poſſe licite iterari, quoties infirmos mortis metum contigerit provenire. Item ſacerdos ſanctum oleum honeſte deferat, & cum reverentia iſtud impleat ſacramentum.

## X. *De ſacramento Ordinum.*

De ſacramento quidem Ordinum doceant ſacerdotes, quod Sacramentum Euchariſtiæ non conficit quis, niſi ſit ſacerdos; nec confert quis ſacrum ordinem, niſi ſit epiſcopus. Cum igitur quater in anno ordines habeant celebrari regulariter; ſcilicet in jejuniis ſolemniter inſtitutis; diſtricte præcipimus, ut omnes parochialem in eccleſiam, quamdiu non ſunt presbyteri, ad ordines, prædictis ſaltem temporibus, veniant ſucceſſive, ſeque præſentent idoneas perſonas & habiles, cum effectu ſervantes juramentum legitime quod fecerunt. Item præcipimus ſingulis archipresbyteris, ut in ſingulis ordinibus nomina illorum, qui ſe ordinandos non offerant, nobis exponant; & tempus licentiæ eorum, ſi a nobis alicui conceſſa fuerit, exprimatur. Item ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, ut clerici in minoribus ordinibus exiſtentes, ad eccleſiarum parochialium regimen nuper inſtituti, fructibus non gaudeant eorum, donec ad ſacros ordines ſint promoti : ſed in illius utilitatem eccleſiæ convertantur, ſecundum quod epiſcopo videbitur expedire : pœna nihilominus perjurii remanente, per epiſcopum infligenda, niſi quis legitime ſe doceat excuſatum, vel epiſcopali injunctum licentia ſpeciali.

## XI. *Ne venalia proſtituantur ſacramenta.*

Ne venalia proſtituantur ſacramenta, firmiter inhibemus. Cum igitur in tantum pullulare noverimus avaritiam, ac vitium ſimoniæ, ut quidam presbyteri eccleſiæ ſacramenta vendere videantur, Confeſſionem, Euchariſtiam, Benedictionem nuptialem, ſepulturam; ſubditis denegando tacite vel expreſſe, quouſque ſuper



ANNO CHRISTI 1268.

conſuetudinibus vel debitis aliis ad voluntatem eorum ſibi fuerit ſatisfactum : ſub pœna magnæ emendæ diſtrictius inhibemus, ne cum ſacramenta eminent adhibenda, ante ſacramentorum ipſorum exhibitionem plenariam aliquid exigant a ſubjectis, vel plegios petant, Sed cum ea gratis exhibuerint, tunc jura parochialia, & alia conſueta debita licite petant, & plegios accipiant; & petitiones, prout juſtum fuerit, & viderint expedire. Si vero ante eorum ſacramentorum exhibitionem aliqua liberaliter eis fuerint exhibita, ea recipere non formident. Simonia enim mirabiliter eſt abhorrenda. Quia cum ſimoniaco non poteſt diſpenſari, niſi reſignet. Item ſcriptum eſt : Omnis peccator Miſſam cantare poteſt, præter ſimoniacum.

Item volumus, ut omnes per eccleſias chriſma, fontes, oleum ſacrum, & Euchariſtia, ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ut non poſſit ad illa temeraria manus extendi. Si vero ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur.

Item in Generali Concilio eſt ſtatutum, quod antiquæ reliquiæ amodo extra capſam nullatenus oſtendantur, nec exponantur venales; inventaſque de novo nemo publice venerari præſumat, niſi prius auctoritate ſummi Pontificis fuerint approbatæ.

Item caveant ſacerdotes, ut ſi quis ad eccleſiam cauſa immunitatis confugerit, non ita conſtringatur, ut ei victualia denegentur. Sacerdos autem ei ſaltem panem & aquam, quamdiu poterit, charitative miniſtret. Si quis autem contra præmiſſa fecerit, vel ſacerdotem impedierit, & monitus ab ipſo non deſtitit; ſacerdos eum excommunicet; & nihilominus nobis vel Officiali noſtro hoc nunciare præſumat.

Item prohibemus ſacerdotibus, ne ſæculares judices permittant cauſas ſuas in ſuis eccleſiis agitare; quoniam frequenter de corporali pœna agitur coram eis.

Item ſi donum ſæculares petant [a] ſubſidium a ſacerdotibus, nihil ei conſerre præſumant, niſi nos, neceſſitate inſpecta vel utilitate, hoc duxerimus concedendum, ne latenter aliqua ſervitus inducatur.

Item ſi ſanguis violenter effuſus, vel mulier carnaliter cognita in eccleſia conſecrata, vel cœmeterio fuerint; eccleſia vel cœmeterium debent reconciliari : ſed talis reconciliatio non poteſt fieri, niſi per epiſcopum. Similiter ſi excommunicatus ſit in cœmeterio ſepultus, cœmeterium eſt reconciliandum. Si vero eccleſia non conſecrata ſit alicujus ſanguinis vel ſeminis effuſione polluta, ſufficit quod aqua exorcizata lavetur.

## XII. *De Præfationibus.*

Decem ſequentes Præfationes invenimus in ſacro catalogo tantummodo, præter communem Præfationem recipiendas. Unam in Paſcha, quæ ſic incipit : *Te quidem omni tempore.* Aliam in Aſcenſione, quæ ſic incipit : *Qui poſt Reſurrectionem.* Tertiam in Pentecoſtes, quæ ſic incipit : *Qui aſcendens ſuper omnes cœlos.* Quartam de Trinitate, quæ ſic incipit : *Qui cum Unigenito.* Quinta in feſtis beatæ Mariæ, quæ ſic incipit : *Et te in veneratione.* Sextam in feſtis ſanctæ Crucis, quæ ſic incipit : *Qui ſalutem humani generis.* Septimam de Apoſtolis, quæ ſic incipit : *Te Domine ſuppliciter.* Octavam de Nativitate Domini, quæ ſic incipit; *Quia per Incarnati Verbi myſterium.* Nonam in Epiphania Domini, quæ ſic incipit : *Quia cum Unigenitus.* Decimam in Quadrageſima, quæ ſic incipit : *Qui corporali jejunio.*



CAPITULA SECUNDÆ PARTIS.

Capitulum primum ſecundæ partis eſt, de vita & honeſtate clericorum vel presbyterorum, cum ſuis periculis. Capitulum ſecundum, de ſepulturis. Capitulum tertium, de bonis eccleſiarum non alienandis & conſervandis. Capitulum quartum, de teſtamentis. Capitulum quintum, de [b] excommunicationibus mandatorum. Capitulum ſextum, de excommunicatis. Capitulum ſeptimum, de abſolutione. Capitulum octavum, de officio archipresbyterorum. Capitulum nonum, de impedientibus juriſdictionem eccleſiaſticam. Capitulum decimum, de exemptis.

## I. *De vita & honeſtate clericorum & presbyterorum.*

Monemus ut univerſi presbyteri in ſacris ordinibus conſtituti contineant, & caſte vivere ſtudeant, cum voto continentiæ tacite ſint conſtricti. Matrimonium enim contrahere nequeunt, nec cuiquam licitum eſt fornicari. Specialiſſime autem regulares, expreſſo videlicet voto, ad continentiam obligantur. Caveant autem omnes ab omni libidinis vitio, & maxime illo, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ : ut in conſpectu Dei puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare. Quocirca diſtrictius inhibemus, ut nullus clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, occaſione aliqua fornicariam teneat in domo ſua, vel alibi; ſeu mulierem aliquam, de qua poſſit mala ſuſpicio ſuboriri, unde populus vel eccleſia ſcandalizetur. Qui vero poſt ſententiam inde latam, & poſt monitionem ſibi factam [c] noſtræ dictæ ſententiæ tenorem, cum ſcandalo eam publice retinere præſumſerit, timeat prædictam ſententiam, & irregularitatem, & ſi divinis poſtea ſe ingeſſit.

Item prohibemus, ne Curati inhoneſte ſe tenendo in locis ſuſpectis deferant arma de nocte. Quod ſi comperti fuerint ſic feciſſe; a beneficio per annum ſuſpendantur.

Item ſacerdotes officia vel commercia ſæcularia non exerceant inhoneſta. Maxime mimis, hiſtrionibus, & joculatoribus non intendant. Tabernas prorſus evitent, niſi cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Tonſuram & coronam habeant congruentem : etiam ſe in eccleſiaſticis, & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter.

Item parochianos ſuos presbyteri moneant diligenter, ut pueros doceant *Pater noſter*, *Ave Maria*, *& Credo in Deum*, ſi fieri poteſt.

Item inhibemus, ne aliquis clericus peregrinus ad celebrandum divina publice tanquam ſacerdos recipiatur, niſi de promotione ſua fuerit facta fides nobis, vel locum noſtrum tenenti. Si tamen ex devotione ſecreto voluerit celebrare, ſatis poterit ſuſtineri.

Item quoniam vitium falſitatis perſequi volumus & debemus; præcipimus, ut ſi quis litteras falſas, vel de falſitate ſuſpectas exhibuerit : ſi perſona ſuſpecta, vel vilis fuerit, tam perſona quam litteræ retineantur. Si vero perſona alias honeſta, & non ſuſpecta fuerit, tunc littera ſuſpecta retineatur; & perſona exhibens & peremptorie & perſonaliter coram nobis vel Officiali noſtro citetur, adhibitis teſtibus, per quos ſi neceſſe



fuerit.

[a] *Forte*; vel ſubſidium.

[b] *Lege*, executionibus.

[c] *Forte*, ſecundum noſtræ.

ANNO CHRISTI 1268.

fuerit, probari poſſit, quod ille exhibitor uſus fuerit litteris ſic ſuſpectis. Item in Concilio Provinciali excommunicati ſunt omnes illi, qui falſis litteris quoquomodo utuntur ſcienter.

Item ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, quod illa conſtitutio De Reſcriptis, *Quia nonnulli*, firmiter obſervetur. Et ſi quis ſcienter contra fecerit, addatur pęna ſexaginta ſolidorum uſualis monetæ a tranſgreſſore, per ſuum diœceſanum levanda, & pauperibus eroganda.

Item ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, quod illa Conſtitutio, *Si diligenti*, a clericis inviolabiliter obſervetur.

Item divinum officium debent dicere ſacerdotes cum magna devotione, non inſurgendo, non incubando, nec verba ſyncopando. Item ad horas canonicas tenentur clerici beneficiati, & alii in ſacris ordinibus conſtituti.

Item inhibemus diſtrictius, ne [a] reſignantes fiant in manu abbatum, aut quorumlibet patronorum, ſed in manu noſtra tantum. Item prohibemus ne committant eccleſias inconſultis nobis. Similiter cum quis recipit ſecundam eccleſiam ſine diſpenſatione, ipſo jure perdit primam, niſi ſecundam recipit commendatam.

Item eccleſiis novus cenſus imponi non poteſt, nec vetus augeri; & ſi hoc ſciunt eſſe factum ſacerdotes, hoc nobis nunciare procurent.

Item librum quemdam manualem habeant ſinguli presbyteri parochiales, ubi continetur ordo ſerviendi, catechiſmi, extremæ unctionis, & hujuſmodi; & alios libros, in quibus poſſit competenter divinum officium, tam diurnum, quam nocturnum, celebrari. Item cum membra capiti ſe debeant conformare, volumus ut quilibet parochialis ſacerdos Kalendarium & Ordinarium habeant Claromontenſis eccleſiæ, ut in feſtivis diebus, & in officiis ſuis, & aliis quibus poterunt, uſum majoris eccleſiæ ſtudeant obſervare. Item injungimus, ut presbyteri parochiales hunc librum habeant ſynodalem: & in eo frequenter & ſollicite inſpiciant, & ſtudeant diligenter; ut ſuper officiis ſuis more debito exſequendis notitiam habeant pleniorem.

Item injungimus ſingulis ſacerdotibus ceteriſque presbyteris, quod ipſi prohibeant ne fiant choreæ, maxime tribus locis: in eccleſiis, in cœmeteriis, & in proceſſionibus.

Item præcipitur in ſtatuto Concilii Provincialis omnibus ſacerdotibus, ne auctoritate judicum citent, vel etiam ſubdelegatorum, vel excommunicent, niſi de mandato Apoſtolico & ſubdelegatione legitime fiat fides per oſtenſionem ipſorum.

Item juxta ſtatutum Concilii Provincialis, cum ceſſiones & emptiones litium legitime prohibeant ſanctiones, inhibitum eſt diſtricte alias & maxime ſacerdotibus, ne laicis dolo vel pretio ſibi cedi faciant actiones: ut adverſarios ad eccleſiaſticum forum trahant, & prædam ex hujuſmodi commercio conſequantur.

Item ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, quod ſacerdotes caveant, ut in eccleſiis faciant reſidentiam perſonalem, niſi a ſuperiore licentiam obtinuerint. Et tunc ſi ultra tempus legitimæ licentiæ abſentes fuerint, eccleſiis poterunt privari, niſi ex juſta cauſa poſt tempus licentiæ impedirentur. Sunt tamen quidam, qui licet vere non reſideant, reſidere tamen intelliguntur; ſicut ille qui extra eccleſiam ſuam illius utilitatem procurat; & ille qui ſervit epiſcopo extra eccleſiam, & qui ſervit Papæ. Item qui ſtudet in Theologia; & hoc ultimum non durat niſi per quinque annos.

Item prohibitum eſt in Concilio Provinciali, ne ſacerdotes recipiant oblationes eorum, qui ſunt raptores, vel uſurarii manifeſti; & illorum qui immunitatem eccleſiæ violarunt.

Item in ſtatuto Concilii Provincialis prohibitum eſt, ne religioſi vel alii ſæculares clerici, vel presbyteri, decimas ad alias eccleſias pertinentes recipiant, vel acquirant de manibus laicorum, ſine diœceſani auctoritate.

Et inhibeant ſacerdotes parochianis ſuis, ne cum Judæis in eiſdem domibus habitent, vel cum eis commaneant; nec eos ad convivia ſua recipiant; [b] medicinam; nec eiſdem judiciis præpoſituras aut ballias committere præſumant.

Et ſi quis in parochia fuerit furioſus, moneat ſacerdos propinquos ipſius, ut eum ita cuſtodiant ne in ſeipſo vel in aliis ſævire valeat, ſeu attentet; alioqui ipſi qui cuſtodire tenentur, per ſuperiorem graviter punientur.

Item prohibeant ſacerdotes parochianis ſuis, ne ſint ſortilegi vel divini. Item quod ad eos non concurrant. Nam ſi peccatum eorum eſt notorium, eis eſt euchariſtia deneganda. Præterea non ſolum illi ſortilegi, ſed qui ad eos concurrunt, ſunt infames. Nos vero omnes ſortilegos & ſortilegas excommunicamus.

### II. *De ſepulturis.*

De ſepulturis vero ſciant ſacerdotes, quod cœmeteria non ſunt vendenda. Item ſciant, quod ſi aliqua eccleſia recepit corpus alterius parochiani in caſu non conceſſo, reddere tenetur corpus, cum omnibus quæ occaſione corporis obvenerunt. Item ſciant, quod quilibet poteſt eligere ſepulturam ſuam ubicumque voluerit, ſaltem in loco magis religioſo: dum tamen parochiali eccleſiæ legitima portio, tertia vel quarta, vel alias ſecundum conſuetudinem locorum.

Et ſcire debent ſacerdotes, quod quidam ſunt, quibus neganda eſt eccleſiaſtica ſepultura; ſicut hæretici, pagani, uſurarii manifeſti; & illi quos certum eſt in mortali peccato deceſſiſſe. Item & illi qui in torneamentis decedunt & pro torneamento venerunt. Item excommunicati & interdicti. Immo ſi excommunicatus vel interdictus fuerit in cœmeterio ſepultus, exhumari debet, ne oſſa ipſius adeo ſint permixta oſſibus non excommunicatorum, quod diſcerni non poſſint.

### III. *De bonis eccleſiarum non alienandis & conſervandis.*

De bonis eccleſiarum non alienandis & conſervandis iſta volumus obſervari. Volumus ut ſinguli ſacerdotes omnes redditus eccleſiæ ſuæ ſcribant in Miſſalibus ſuis. Item de rebus eccleſiaſticis nihil presbyteri alienent, niſi de licentia noſtra. Item ſtatuimus, quod ornamenta eccleſiæ non obligentur pignori, niſi propter neceſſitatem eccleſiæ, & cum conſilio ſuperioris. Item volumus ut immobilia de bonis eccleſiæ acquiſita ſuis tantummodo relinquantur eccleſiis: de jure enim aliud facere non poſſunt. Volumus etiam ut utenſilia & ſupellectilia per eccleſiam acquiſita, vel ibidem inventa, presbyteris ſucceſſoribus relinquantur.

Item nullus clericus vel laicus, ſeu religioſa perſona recipiat decimam de manu laici, niſi per nos & in caſu conceſſo. Item volumus, ut litteræ quas habent rectores eccleſiarum parochialium ſuper acquiſitione rerum eccleſiaſticarum, inſcribantur, & capellani penes ſe retineant tranſcripta; & litteras originales de conſenſu noſtro deponant vel officialis, vel archidiaconi, vel archipresbyteri, in aliquo tuto loco; & hoc faciant infra annum.

Item inhibemus ne ſupellectilia ſacerdotis, propria vel aliena, in eccleſiis admittantur; niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ad ejus oporteat refugium abire: ita tamen quod neceſſitate ceſſante ad loca priſtina reportentur.

Item nullus de novo in cœmeteriis ædificare permittatur: ſi domus aliqua in cœmeterio diruta fuerit per decem annos, ſine licentia noſtra nullatenus reparetur.

Item injungimus omnibus ſacerdotibus parochialibus, quod omnes illos qui ſcienter celant feuda Claromontenſis Eccleſiæ, & omnes illos qui ſciunt ſuper hoc aliquid, niſi illud revelaverint nobis Claromontenſi epiſcopo, vel mandato noſtro, auctoritate noſtra excommunicetis quater in anno; videlicet in Nativitate Domini, in Paſcha, in Pentecoſte, & in feſto Eccleſiæ.

Item ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, ne Priores non Conventuales ultra ſummam ſexaginta ſolidorum mutuo accipiant, ſine litteris ſui Abbatis. Et ſi hoc contra factum fuerit, Prior prioratum amittat: & eccleſia ad debitum nullatenus teneatur. Et hoc ſtatutum volumus in eccleſiis publicari, ne decipi valeant contrahentes.

### IV. *De teſtamentis.*

Injungimus ſacerdotibus, ut teſtamentum ſuum, quod de mobilibus per vitam acquiſitis, rationabile tamen, & de cæteris bonis patrimonialibus, & peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, licet eis facere, numquam per manum faciant laicalem. Nam immobilia, quæ per eccleſiam ſunt acquiſita, & immobilia [a] quæ, niſi de ipſis rationabiliter fecerint teſtamentum, eccleſiis dimittere tenentur. Item utenſilia, quæ prius invenerint presbyteri in eccleſia vel capella, relinquuntur tanquam eccleſiæ propria ſucceſſori. Et ſi nulla vel pauca invenerint, de his quæ per eos undecumque venerint vel fuerint acquiſita, conſulimus quod relinquantur ad ſufficientiam ipſi eccleſiæ tam de minimis quam de magnis.

Item ne decedentium voluntates valeant occultari, ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, ut infra menſem a tempore obitus teſtatoris, ad diœceſanum, vel ejus officialem, teſtamentum deferatur, ſi ſcriptum fuerit: vel ſi ſcriptum non fuerit, probetur diſpoſitio teſtatoris, & in formam publicam redigatur.

Item in ſtatuto Concilii Provincialis prohibitum eſt exſecutoribus teſtamentorum, ſub interminatione divini judicii, ne quis de bonis decedentium in proprios uſus convertere vel detinere præſumat. Et ſi exſecutores aliqui id quod ſibi deberi aſſerunt, auctoritate propria duxerint uſurpandum, illud reſtituere compellantur; ac tandem [b] ſi qua ſibi ſuper eodem debito competat, ſua temeritate privati, niſi reſtituerint, ex quo ſuper hoc moniti fuerint competenter. Item exſecutores titulo emptionis vel alio modo nihil de bonis recipiant teſtatoris; niſi ab ipſo teſtatore legatum expreſſe fuerit vel conceſſum; & etiam auctoritate judicis non poterunt retinere. Si quis autem contra præſumpſerit attentare, pretium amittat, nec cauſa retineat emptionis. Si ex alia cauſa, judicis arbitrio puniatur. Item poſtquam a ſuperiore publicata fuerit ultima diſpoſitio teſtatoris, tranſcriptum diſpoſitionis ſigillo authentico ſigillatum, infra octo dies, poſtquam id qui petierit publicari habuerit, mittat capellano ſuo, cui parochianus erat teſtator. Et infra ſequentem menſem duobus diebus Dominicis, parochianis circumſtantibus, diſpoſitio publicetur.

Item ſtatutum, ut tranſcriptum publicationis intimetur diſpoſitionis defuncti ſeu teſtatoris; quandoque minor Curia Claromontenſis fieri contigerit, in regiſtro ponatur, antequam ſigillata reddatur: ut capellani parochiales, habita etiam inde notitia, in ſuis eccleſiis valeant publicare: ne legata ad pias cauſas valeant occultari. Eodem modo ſtatuimus de inventariis, ut in regiſtro ponantur, antequam ſigillata reddantur; ne ſubſtantia minorum pupillorum, adultorumve, valeant fraudulenter ſeu indebite deperire. Et ſciendum eſt, quod teſtamentorum defenſio ad epiſcopum pertinet, quamvis in teſtamento de hoc nihil dicatur. Item ſciendum, quod non videtur decedere inteſtatus, qui monaſterium inſtituit hæredem.

### V. *De [a] excommunicationibus mandatorum.*

Volumus quod in locis ubi ſunt eccleſiæ parochiales inſimul & Capitula, quod in capella nullatenus publice celebretur diebus Dominicis & ſolemnitatibus feſtivis, quouſque parochialis ſacerdos præcepta denunciaverit, ut eſt moris. Item injungimus omnibus rectoribus eccleſiarum, & eorum vicariis, ut ſigilla propria habeant ad opus eccleſiæ, & ad exſequenda mandata noſtra & curiæ noſtræ.

Item ſacerdotes, qui in citationibus, excommunicationibus, monitionibus, mandata noſtra non exſequuntur fideliter, nec ſigilla ponunt in litteris, quamque propter favorem, quamque propter odium, quamque etiam per negligentiam, puniri volumus, ut damna & expenſas reſtituant, vel aliter ſicut inobedientes puniantur: nec per vicariorum ſuorum aut clericorum imperitiam vel negligentiam ſe valeant excuſare: cum parva electus ſit in culpa, & imputandum ſit illis, qui minus peritos vel negligentes ad hujuſmodi officia elegerint.

Item prohibemus omnibus & ſingulis archipreſbyteris, capellanis parochialibus, & eorum vicariis, ſub pœna ſuſpenſionis, ne pro ſigillandis litteris Eccleſiæ noſtræ Claromontenſis ad eos directis aut dirigendis, nec pro mandatis ejuſdem Curiæ exſequendis, aliquid exigant vel exigi faciant, dummodo nuncius deferens litteras ceram habeat, unde valeat ſigillari: niſi ratione diſtantiæ loci ubi deberet exſequi mandatum, oporteret eos adducere nuncium pro mandato hujuſmodi exſequendo: aut niſi pro evidenti & manifeſta occupatione capellani & clerici ſui oporteret adducere nuncium ad mandatum hujuſmodi exſequendum.

### VI. *De excommunicatis.*

Volumus, & ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, ut pro violentia facta nullatenus a divinis ceſſetur, nec interdictum in terra alicujus ponatur, niſi prius animadverſum fuerit in perſonam domini vel ballivi ſui, ſi dominus abſens fuerit; niſi pro violentia pro qua judex id decreverit faciendum, & in caſibus in quibus ceſſari antiquitus conſuevit; & tunc ille qui violentiam intulit, ante-

[a] Forte, reſignationes.

[b] Forte, nec ab eis recipiant medicinam.

[a] Forte, ſeu quæ.

[b] Forte, ſi quid.

[a] lege, exſecutionibus.

ANNO CHRISTI 1268.

antequam abſolvatur, compellatur a ſacerdotibus eccleſiarum ſatisfacere de damnis eiſdem illatis, pro eo quod ceſſatum eſt a divinis.

Item juxta ſtatutum Concilii Provincialis, quia excommunicati quandoque abſolutiones ſuas retinent, vel poſtquam ſatisfecerint adverſariis, impetrare contemnunt; volumus ut ipſi excommunicati in eccleſiis denuncientur, ut prius; quouſque litteræ ad ſacerdotes eorum ſuper abſolutione dirigantur.

Item quoniam in Claromontenſi diœceſi vilipenditur excommunicationis ſententia; adeo quod nonnulli, & quod pejus eſt, clerici, quandoque per menſem, quandoque per annum & amplius, ſuſtinere excommunicationis ſententiam non verentur: juxta ſtatutum Concilii Provincialis injungimus ſacerdotibus, ut in eccleſiis publice denuncient, ne quis excommunicationis ſententiam audeat ſuſtinere: alioquin juxta qualitatem perſonæ, & temporis quo excommunicationis ſententiam ſuſtinuerint, emenda levabitur conſueta. Et ſi quis diutius in petenda abſolutione ſua negligens fuerit, nullatenus parcetur eidem de emenda novem librarum Pariſienſium, prout antiquitus eſt obſervatum; & etiam, ut prædiximus, in Provinciali Concilio eſt ſtatutum: item contra illos, qui per annum vel amplius excommunicationis ſententiam ſuſtinuerit; aliter ſecundum ſtatutum Provincialis Concilii procedetur: quorum nomina nobis vel Officiali noſtro volumus nunciari, & ſpecialiter clericorum; ut contra ipſos, prout alias ſtatutum eſt, ſuper privatione beneficii procedatur.

Item ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, ut clerici, qui per annum in excommunicatione publica perſtiterunt ſcienter, ſi negligentes in impetranda abſolutione fuerint, omni beneficio jam adepto ipſo jure ſunt privati, niſi canonice ſe potuerint excuſare.

Item juxta ſtatutum Concilii Provincialis, injungimus omnibus ſacerdotibus, ut parochianos ſuos moneant diligenter, ut ab excommunicatorum participatione deſiſtant; alioquin ſi poſt monitionem competentem viderint aliquem parochianum ſuum participantem cum excommunicatis, in menſa, vel domo, vel in commerciis; eidem participanti auctoritate noſtra ingreſſum eccleſiæ interdicant; niſi ſint uxores, vel filii, vel filiæ, vel aliæ perſonæ, quæ a jure ſpecialiter excuſantur: nec poterit niſi per nos vel per Officialem noſtrum interdicti ſententia relaxari. Officialis autem noſter poſt competentem monitionem excommunicet participantes, cum requiſitus fuerit, vel videbitur expedire. Et quoniam intelleximus, quod hujuſmodi contemptus eccleſiaſticæ diſciplinæ partim invaluit propter favorem & negligentiam ſacerdotum, qui tales excommunicatos non denunciant, ut debent; nec contra participantes cum eis volunt procedere, ſicut ſuperius eſt expreſſum; immo ab excommunicatis oblationes accipiunt, & aliter cum eis participant; & quod horrendum eſt dicere, eis tertio excommunicatis miniſtrare ſacramenta eccleſiaſtica non verentur; idcirco volentes huic morbo quantum poſſumus obviare, præcipimus, ut ſi quis ſacerdotum culpabilis inventus fuerit in præmiſſis, & illi pro quo illata fuerit ſententia audeat intereſſe, condemnetur: & tanquam inobediens & perjurus, cum in inſtitutione ſua juraverit obedire ſuperioribus ſuis, ab officio & beneficio ſuo ſuſpendatur, vel privetur beneficio, prout inobedientia meruerit aut offenſa.

Contra autem illos, qui per annum & amplius ſuſtinuerint excommunicationis ſententiam, volumus juxta ſtatutum Provinciale hoc modo procedi; quod ſinguli qui ſuſtinuerint publicam ſententiam excommunicationis per annum & amplius, moneantur diligenter, ut infra duos menſes a tempore monitionis, faciant ſe abſolvi: denunciando eis, quod ſi non fecerint, nullo modo parcetur eis de emenda novem librarum Pariſienſium, quin integre levetur: de qua monitione, denunciatione, & die, fiant litteræ illorum, per quos monebuntur, continentes nomina teſtium coram quibus facta fuit, & quamdiu ſuſtinuerint excommunicationem. Et elapſis duobus menſibus prædictis, dictæ litteræ mittantur ad nos vel Officialem noſtrum; qui procedemus contra eos hoc modo. Monebimus, & per cenſuram eccleſiaſticam compellemus, ſi opus fuerit, ſecularem poteſtatem, ut dictos excommunicatos ſua poteſtate compellant redire ad eccleſiæ unitatem, mittendo manum in perſonas & bona. Item monitione præmiſſa generali & ſpeciali, excommunicabimus participantes cum eis. Item citabimus dictos excommunicatos ad primam ſynodum, tanquam ſuſpectos de fide, reſponſuros. Et ſi venerint, procedemus contra eos prout nobis videbitur. Si autem non venerint, excommunicabuntur tanquam ſuſpecti de fide. Nihilominus citabuntur ad ſynodum ſequentem pro meritis recepturi, niſi interim faciant ſe abſolvi: & nunc contra eos juxta ſtatuta canonum procedemus. De his autem qui minus anno ſuſtinent excommunicationem, juxta qualitatem perſonarum, & temporis quo ſuſtinuerint, emenda ſervabitur juxta conſuetudinem & uſum noſtræ diœceſis.

Item quoniam plures excommunicati communioni hominum irreverenter ſe ingerunt; & nonnulli etiam clerici excommunicatis participare non formidant, in ſuarum periculum animarum; ne aliquis per ignorantiam ſe valeat excuſare ſuper hoc, ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, ut ſinguli eccleſiarum rectores, vel eorum locum tenentes, habeant rotulos vel quaternos, in quibus ſcribant excommunicatos ſuæ parochiæ, & quorum auctoritate, & ad quorum inſtantiam, & quo tempore ſunt excommunicati; & eos excommunicatos nominatim denuncient publico, diebus Dominicis & feſtivis, donec de abſolutione eorum conſtiterit evidenter: & fuerit compoſitum inter partes.

Item noverint ſacerdotes, quod cum generale interdictum poſitum fuerit, tamen poſſunt pueri baptizari, & homines ad pœnitentiam admitti, & viaticum miniſtrari.

Item clerici, qui ſervaverint interdictum, ſi deceſſerint, poſſunt in cœmeterio ſepeliri, ſine campanarum pulſatione, & aliis ſolemnitatibus. Item in conventualibus eccleſiis poſſunt bini & bini horas canonicas dicere januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, ſubmiſſa voce, ita ut exterius exaudiri non poſſint.

Item præcipimus ſacerdotibus, ut ſi manifeſtum eſt, aliquem manus temerarias in clericum vel in religioſam perſonam injeciſſe, nullatenus ad divina recipiatur, quamvis nondum ſit denunciatus excommunicatus. Item ſi quis publice eccleſiam excommunicatus intraverit, publice moneatur quod exeat: & ſi exire noluerit, officium dimittatur, niſi forte Canon Miſſæ eſſet inceptus: & tunc Canon Miſſæ perficiatur, & reſiduum dimittatur, & turbatio divini officii ſuperiori denuncietur.

Item excommunicamus omnes illos, qui poſt ſolutionem debitorum ſibi factam, ſcienter retinuerint litteras ſuper hujuſmodi debito confectas, niſi ex diſpoſitione vel ordinatione Ordinarii eas retinuerint ex juſta cauſa. Et hanc ſententiam volumus per parochiales preſbyteros ſingulis diebus Dominicis publice nunciari.



ANNO CHRISTI 1268.

Item excommunicamus omnes uſurarios manifeſtos, & concubinarios publicos: volentes ut hujuſmodi ſententiam excommunicationis ſinguli ſacerdotes parochiales ſemel in quolibet menſe publicent, vel faciant publicari, eoſque publice denuncient excommunicatos, vel faciant nunciari.

## VII. *De abſolutionibus.*

De abſolutionibus iſta ſtatuimus obſervari. Devote & cum maturitate eſt abſolutio impertienda. Archipresbyteri igitur & presbyteri, quibus hæc mandatur, caveant quod in primis emendam recipiant ſecundum formam mandati, plegios de emenda petentes, & eorum nomina petentes penes ſe ſcripta retineant: providentes, ne defectu plegiorum, vel impotentia, de ſuo ſupplere cogantur.

Item cum aliquis eſt excommunicatus ab eccleſia, tunc præſtito juramento, quod nunquam peccabit de cauſa illa propter quam fuerat excommunicatus, ſolemniter abſolvatur, verberatus cum pſalmo pœnitentiali, *Miſerere mei Deus*, &c. In fine dicatur, *Kyrie eleiſon*, &c. *Pater noſter. Et ne nos inducas. Salvum fac ſervum tuum. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Præſta, quæſumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum; ut eccleſiæ tuæ ſanctæ, a cujus integritate deviavit peccando, admiſſorum reddatur innoxius veniam conſequendo. Per Dominum noſtrum* &c. *Et ego auctoritate Dei Patris omnipotentis, & beatæ Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium ſanctorum, & domini Epiſcopi, vel Officialis, te abſolvo ab iſta excommunicatione de qua ſatisfeciſti. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.*

Item ſciendum eſt, quod excommunicatus a domino Papa, a quolibet alio ſacerdote de jure abſolvi poteſt in articulo mortis, ſatisfactione præmiſſa, ſi pro offenſa erat excommunicatus: ſi tamen de hoc habeat facultatem: recepto ab eo juramento, quod quam cito opportunitatem habebit, excommunicatoris ſui perſonam [a] adhibebit, mandato pariturus ipſius. Item ſi infirmus offenſam emendare non potuerit, vel ſolvere judicatum, nihilominus eſt abſolvendus; & inducendus eſt hæres ut ſatisfaciat, & per judicem compellendus.

[a] Forte, adibit.

Item ſtatutum eſt in Concilio Provinciali, ut circa principium Quadrageſimæ, & poſt, moneant frequenter ſacerdotes parochianos ſuos excommunicatos, ut ante Ramos Palmarum faciant ſe abſolvi; ſcientes quod nullus ex magna cauſa citabitur ad jure audiendam abſolutionem adverſarii ad aliquem diem ſeptimanæ illius, quæ eſt poſt Ramos Palmarum: maxime quia tunc in cauſis procedere non poſſunt, niſi in caſibus exceptis.

## VIII. *De Officio archipresbyterorum.*

Statuimus, ut archipresbyteri quamlibet ſibi ſubjectam eccleſiam viſitent annuatim perſonaliter. Et ſi procurationem omittere voluerint, nullatenus tamen viſitationem omittant. Item inquirant ſummarie de omnibus notoriis: & ſi quid eſt quod ſcandalum generet ibidem in populo, ſive clero, & quod per ſe non poterunt corrigere; nobis vel Officiali noſtro referant infra menſem: ut ſecundum relationem eorum ad plenam inquiſitionem deſcendamus, & corrigamus, ſicut nobis videbitur expedire.

Item quærant, utrum eccleſiis vel prioratibus impoſitæ fuerint novæ impenſiones ab abbate, vel ab alio aliquo, abſque conſenſu noſtro. Et ſi invenerint, nobis renuncient fideliter abſque mora.

Item præcipimus, quod archipresbyteri, quando procurationes recipiunt, duorum equorum numerum non excedant, prout in Lateranenſi & in Provinciali Concilio eſt ſtatutum. Et ſi exceſſerint, procuratio denegetur.

Item prohibemus omnibus & ſingulis archipreſbyteris, & eorum locum tenentibus, ſub pœna excommunicationis, quam in eos, & quemlibet eorum ferimus in his ſcriptis, ſi contra fecerint; ne de cauſis cognoſcant, nec cauſas audiant, niſi de mandato ſpeciali, vel Officialis noſtri.

Item prohibemus omnibus & ſingulis archipreſbyteris & capellanis parochialibus, & eorum vicariis, ſub pœna ſuſpenſionis, ne auctoritate propria ſententias interdicti, excommunicationis, aut ſuſpenſionis proferant in aliquos ſubditos ſeu parochianos ſuos, niſi de ſpeciali mandato noſtro, aut Officialis noſtri: aut niſi auctoritate Provinciali ſtatuti, vel Synodalis.

Item prohibemus omnibus & ſingulis capellanis parochialibus, & eorum vicariis, ſub pœna ſuſpenſionis, quam in eos in his ſcriptis ferimus, ſi contra fecerint; ne ad mandatum archipresbyterorum, vel eorum locum tenentium, citent aliquos in cauſis coram eiſdem archipresbyteris, vel eorum locum tenentibus; ne mandata eorumdem, vel alicujus eorum, ſuper his quæ ad cauſas pertinent, exſequantur.

## IX. *De impedientibus juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Quia nonnulli ſæculares, quam per viles perſonas, quam per extraneas, capi faciunt perſonas eccleſiaſticæ juriſdictioni ſubjectas, vel eorum bona, vel hominum ſuorum, maxime cum audent in foro eccleſiaſtico litigare; & ſic caute faciendo, ne videantur feciſſe. Unde contingit, quod propter capientium paupertatem, vel conveniendi difficultatem, non poſſunt violentiam paſſi conſequi juſtitiam de præmiſſis. Idcirco nos volentes remedium quod poſſumus adhibere, juxta ſtatutum Provincialis Concilii volumus, ut & ipſis poteſtatibus, ſi de hoc ſuſpecti diffamati fuerint . . . vel . . . contra ipſos præſumptio habeatur, eiſdem purgatio indicatur. Quam ſi ſubire noluerint, vel ſe purgare non poſſunt, pro conſciis habeantur: & juramento paſſorum damna cum judicis taxatione credatur.

Item quia perſonæ eccleſiaſticæ ſæpius ad ſæcularia judicia trahunt & trahuntur in caſibus non conceſſis; idcirco juxta ſtatutum Provincialis Concilii volumus, ut Conſtitutio illa, *Quam ſit grave*, publicetur, & etiam obſervetur. In qua conſtitutione inter cetera continetur, quod ſi clerici contra clericos in judicio ſæculari litigaverint, denunciandi ſunt, & ab Ordinario excommunicati, niſi ſint exempti; nec poſſunt ſine mandato ſummi Pontificis abſolvi. Quod tamen intelligitur, non reali actione, utpote ſi de ſæculari feudo ageretur. In aliis enim

enim clericus etiam voluntarius foro ſuo non poteſt renunciare.

Item quia ſæpe perſonas eccleſiaſticas & ſæculares monere contingit auctoritate judicum eccleſiaſticorum, ut vel perſonas eccleſiaſticas, quas cepiſſe vel detinere dicuntur, reddant & liberent, aut recredant; quia ſæpiſſime negant malitioſe ſe res illas cepiſſe vel detinere: eorum quotidianis fraudibus occurrere cupientes; deliberatione provida ſtatuit Provinciale Concilium, ut monitus quicumque teneatur jurare ſe rem illam vel perſonam per ſe vel per alium non cepiſſe, nec .... retinere, nec etiam vel malitia deſiiſſe habere, nec deliberandi, nec reſtituendi poteſtatem habere. Qui juramentum hujuſmodi præſtare noluerit, monitus excommunicationis vinculo innodetur. Item de paſturis quæ requiruntur occaſione captionis rerum vel perſonarum eccleſiaſticarum, ſic ſtatutum eſt in Provinciali Concilio, quod excommunicetur capiens & detinens, quouſque integre & libere reddat vel recredat perſonam & rem captam illicite vel detentam: quod arbitrio judicis eſt relictum.

### X. *De exemptis.*

Quoniam Sedes Apoſtolica Templariis & Hoſpitalariis, & aliis quibuſdam perſonis, inter cetera privilegia conceſſit, quod non poſſent coram Ordinariis conveniri; & quod ab eis interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſſent: propter quod a pluribus ſumebatur audacia delinquendi, cum in ipſos judicialis poteſtas non poſſit libere exerceri. Idcirco dominus Papa volens ſuper hoc congruum remedium adhibere, dicta privilegia declaravit; ut tales quantacumque gauderent libertate, tamen ratione delicti, ſive contractus, aut rei de qua contra ipſos agitur, poſſint etiam coram locorum Ordinariis conveniri, & item Ordinarii in ipſos ſuam juriſdictionem exercere, ſicut in nova conſtitutione, quæ incipit, *Volentes*; & in alia, quæ incipit, *Non in illis*, continetur expreſſe. Hoc autem ſignificare volumus, ut cum [a] ipſis privilegiatis oppreſſi fueritis ſuper præmiſſis, ad Ordinarios recurratis, tali privilegio non obſtante.

Item contingit aliquoties aliquos exemptos coram Ordinariis conveniri in caſibus a jure conceſſis, utpote ratione contractus, rei, vel delicti, de quibus agitur contra ipſos; & ſi propter præmiſſa excommunicati fuerint, ipſi contemnunt ſententias, & ingerunt ſe divinis, irregularitatem incurrentes: a qua irregularitate non faciunt ſe abſolvi. Unde nos eorum ſaluti providere volentes, præcipimus, ut quicumque ſupradictos exemptos talem irregularitatem noverit incurriſſe, nobis vel Officiali noſtro providenter hoc denunciet; & inſuper qualiter irregularitas probari poterit contra eos, ut eiſdem excommunicatis & irregularibus pœna debita infligatur.

Nos igitur Frater Guido, de Ordine Fratrum Prædicatorum, miſeratione divina Arvernorum epiſcopus, notum facimus univerſis in noſtra diœceſi conſtitutis, quod nos propter communem utilitatem omnium nobis ſubditorum, de conſilio diſcretorum virorum, cum magno ſtudio ac diligentia hunc librum ſynodalem fecimus compilari, & eum in teſtimonium veritatis ſigillo noſtro fecimus roborari. Sed quia, prout intelleximus, ſacerdotes aliqui præcepta ſynodalia non conſervant, immo (quod pejus eſt) eadem habere contemnunt; diſtricte præcipimus, ut quilibet ſacerdos parochialis habeat, prout hic ſunt ordinata, ſub ſigillo noſtræ Curiæ Claromontis ſigillata, & per manum Juratorum Curiæ ad hoc deputatorum correcta; ne eos aliquid addere vel diminuere liceat abſque noſtra licentia ſpeciali; ut cuicumque eadem legere præcipimus, ea ſciat legere incunctanter: ne circa eorum obſervantiam negligens videatur. Injungimus omnibus & ſingulis archipresbyteris noſtris in virtute obedientiæ, ut in convocationibus ſeu ſynodis ſuis capellanos parochiales ſibi ſubditos diligenter examinent, an hujuſmodi præcepta ſynodalia legere ſciant, ac intelligant prout decet. Si quis autem aliqua inſerat, radat, addat, vel diminuat, ſciat ſe graviter puniendum, & tanquam falſarium condemnandum. Datum & correctum per manum magiſtri Adæ ſcriptoris noſtri, anno Domini MCCLXVIII. menſe Octobris.

[a] Forte, Ab ipſis.

# *** CONCILIUM LONDINENSE,

## AB OTHOBONO CARD. SEDIS APOSTOL. LEGATO CELEBRATUM

## Anno Domini MCCLXVIII. IX. Kalend. Maji.

Ex MS. edidit collector Anglicanus: ſed male ad annum MCCXLVIII. ut oſtendetur in notis.

TITULI CAPITULORUM.


1. *De baptiſmo.*
2. *Ne pro ſacramentis eccleſiaſticis aliquid exigatur: & quod forma in confeſſione ſervetur.*
3. *De conſecratione eccleſiarum.*
4. *De clericis arma portantibus.*
5. *De habitu clericorum.*
6. *Ne clerici ſint advocati in cauſis ſæcularibus: neque judices, neque aſſeſſores, in cauſa ſanguinis.*
7. *Ne clerici juriſdictionem ſæcularium exerceant.*
8. *De concubinariis.*
9. *De vicariorum reſidentia, & inſtitutione.*
10. *De intruſis.*
11. *Quibus notis de vacatione conſtet.*
12. *Ne una eccleſia dividatur in plures.*
13. *De abſtrahentibus confugientes ad eccleſiam vel cœmeteria, ſeu res ibidem depoſitas. Et de auferentibus aliquid præter voluntatem dominorum eccleſiaſticorum de domibus, maneriis, ſeu grangiis.*
14. *Ne quis impediat matrimonia ſolemnizari in facie eccleſiæ.*
15. *De executione teſtamentorum.*
16. *Ne prælati fructus eccleſiarum vacantium percipiant, vel ſuos faciant.*
17. *De oblationibus capellarum matrici eccleſiæ reſtituendis.*
18. *De domibus eccleſiarum reficiendis.*
19. *De procurationibus, quæ ratione viſitationis debentur, non recipiendis ab archidiaconis, vel aliis inferioribus prælatis, niſi cum viſitant.*
20. *Ne pecunia recipiatur a ſubditis pro delicto notorio.*
21. *De firmis.*
22. *De reſidentia archiepiſcoporum & epiſcoporum.*
23. *De appropriationibus eccleſiarum non faciendis.*









24. *De bonis inteſtatorum.*
25. *De delegatione cauſarum.*
26. *De forma citationis.*
27. *De juramento advocatorum.*
28. *Ne judex pacem vel concordiam litigantium impedias.*
29. *De publicanda abſolutione.*
30. *De inſtitutionibus & collationibus.*
31. *De commendis eccleſiarum.*
32. *De confirmatione epiſcoporum.*
33. *De iis qui tempore electionis dimittunt beneficia, & poſtea ea recipiunt, ſi eos eligi non contingat.*
34. *De iis qui pactiones faciunt cum iis quos præſentant.*
35. *Quod negotiationes non fiant in eccleſiis.*
36. *Quod fiat proceſſio pro pace regni & terræ ſanctæ.*
37. *De legendis conſtitutionibus ſingulis annis.*
38. *De monachis, & canonicis regularibus, & monialibus.*
39. *De proceſſione facienda.*
40. *Quod conſtitutiones ſummorum pontificum legantur.*
41. *De proprietariis monachis ſeu aliis religioſis.*
42. *Quod non detur pecunia pro veſtibus & ceteris neceſſariis.*
43. *Quod ſoli non ſtent in eccleſiis & maneriis.*
44. *Quod non dentur maneria ad firmam monachis.*
45. *De eſu carnium.*
46. *Ne aliqui religioſi utantur in refectorio aut in dormitorio pretioſioribus aliis.*
47. *Quod ſemper in refectorio duæ partes remaneant.*
48. *De infirmis.*
49. *Quod nulli religioſi vendant vel aſſignent aliquas liberationes.*
50. *Quod ſervetur antiquus monachorum numerus.*
51. *De ratione adminiſtrationis reddenda.*
52. *Quod religioſi non emant vel vendant.*
53. *Quod moniales ad certa loca non exeant.*
54. *Quod monachi frequenter confiteantur, & frequenter celebrent.*


## PRÆFATIO.

OThobonus miſeratione Divina S. Hadriani diaconus cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, ad perpetuam rei memoriam. Mandata Dei, & lex altiſſimi data ſunt a diebus antiquis, ut creatura, quæ fregerat jugum, recedens a pace Dei ſui, venturum pacificum regem reconciliatorem medium, & inſtaurantem omnia pontificem, manens ſub obſervantia legis & mandati, tanquam lucernæ & lucis data ſpe, quaſi umbraculum, in patrum promiſſionibus expectaret. Hæc autem eſt dignitas adoptivorum ſponſæ, & gloria filiorum S. matris eccleſiæ, ut audiant ex ea mandata vitæ, cuſtodientes cor ſuum in illis in pacis pulcritudine, pudicitiæ claritate, ac regimine modeſtiæ, appetitum noxium rationis judicio ſubjugantes.

Ad cujus rei commodam executionem, ſanctorum patrum decreta, per ora ipſorum divinitus promulgata, juſtitiæ regulas, & æquitatis dogmata complectentia, quaſi lata flumina prodierunt, & tam ſummorum pontificum, quam ipſius ſedis apoſtolicæ legatorum, aliorumque prælatorum eccleſiæ ſanctæ, toto orbe diffuſæ conſtitutiones ſacræ, tanquam rivuli de fluminum latitudine, pro diverſorum temporum neceſſitate, ſunt productæ; ut novis morbis fragilitate humana generatis, nova remedia provenirent. Sed effrænis illa cupiditas, quæ in primis generis humani parentibus radices miſit, ita virus ſuum in poſteros ſeminavit, ita per illicitos motus diſcurrit, ut comminuta virga virtutis, & directionis, ad aliena irreverenti fronte proſiliat, & quaſi ebria ſe dimittat. Quo fit, ut corruptæ mentis aviditas, nec abſtinere ſe noverit a vetitis, nec gaudere permiſſis, neque ad bona conſenſum adhibeat pietatis. Sane ſi antiqua & remota peſtis hujuſmodi exterminia dolenda ſuſcipimus: amarius flendum, modernum vulnus incumbens, quod non modo auribus, ſed etiam oculis & manibus ſe palam exhibet, æſtimamus; eo quod temporis hujuſmodi dies mali, quantum a primis longævitate diſcedunt, dum juris ſemita derelicta, divertitur in obliquum; cedit potentiæ veritas, juſtitiam favor expellit: & dum omnes, quæ ſibi ſua videntur, expoſcunt; quæ Chriſti ſunt, quæ animarum profectibus conſulunt, quæ eccleſiarum decus erigunt, non ſolum negligentiæ nebulis, ſed etiam deſpectus & ignorantiæ latebris tenebroſis abſcondunt.

Nos igitur ad regnum Angliæ inclitum, quod diebus proximis a gloriæ ſuæ culmine, in extinctione utriuſque poteſtatis exciderat; necnon ad regnum Scotiæ, Hiberniæ, & Walliæ partes, de gremio ſanctæ matris eccleſiæ, commiſſo nobis in ipſis pleno legationis officio deſtinati, plantandi, & evellendi, atque ædificandi ſolicitudine, de manu ſanctiſſimi patris domini Clementis, ipſius ſanctæ univerſalis eccleſiæ ſummi pontificis, non ex affectu propriæ voluntatis, ſed pro debitæ obedientiæ bono ſuſcepta: ut noſtrum, juxta doctrinam Apoſtoli, miniſterium impleamus, cum ſacrorum canonum ſtatuta, quorum imitationem principum quoque ſæcularium leges aſſumunt, conſtitutiones quoque, bonæ memoriæ, Othonis Portuenſis epiſcopi, tituli S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, in regnis Angliæ apoſtolicæ ſedis legati; nec non provincialium conciliorum proviſiones, mores, & actus fidelium ſubditorum ſalubriter informantes: horum aliqua ſiquidem a paucis, aliqua vero a nullis invenimus obſervari: dignum duximus, præſenti ſacro approbante concilio, ad omnem ſanctam, & Deo placitam obſervationem certas conſtitutiones facere, atque jam promulgatis, certa quædam capitula necnon pœnas adjicere, quæ, authore Deo, valeant profectum inducere ſalutarem.

## CAPITULA.

### I. *De baptiſmo.*

INgredientibus hoc mare magnum, mundum videlicet naufragiis plenum, prima tabula nos ad portum ſalutis adducens, baptiſmus eſſe dinoſcitur: quem omnium ſacramentorum eſſe januam Salvator noſter inſtituit, & eum ſequentium patrum ſanctorum teſtatur authoritas. Cum igitur circa ingreſſum januæ error maxime periculoſus exiſtat: prædictus legatus, quoſdam de idolatria execrabili revocans, qui temporibus deputatis ad baptiſmum ſolemniter celebrandum, ſabbato ſcilicet ante Reſurrectionem Domini, & ſabbato ante Pentecoſten, ſuſpicabantur periculum, ſi diebus hujuſmodi pueri baptizarentur: ſtatuit, ut a tanto errore populus averteretur prædicatione frequenti, & inducerentur ad ſolemnizandum

ANNO CHRISTI 1268.

in præfatis diebus baptiſmum, & ad ſuos pueros baptizandum.

Cum autem nemo prorſus debeat abſque hujuſmodi ſacramenti perceptione dimitti, poteſt a quocumque, neceſſitatis caſu occurrente, conferri: & collatum in forma eccleſiæ proficit ad ſalutem. Quia vero multorum ſimplicitas in baptiſmi collatione deficeret, cum neceſſitatis articulus immineret, niſi a miniſtris Chriſtianæ fidei docerentur: a prædicto legato invenimus provide conſtitutum, ut parochiales presbyteri formam baptiſmi firmiter addiſcentes, eum parochianis ſuis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari: ut ſi articulus neceſſitatis emergat, in quo oporteat per ipſos aliquem baptizari, eam ſciant & valeant obſervare. Nos igitur, quod in hujuſmodi ſtatuto de presbyteris parochialibus eſt expreſſum, ad perpetuos eccleſiarum vicarios extendimus, & ab ipſis præcipimus obſervari. Et quia præter certum ſalutis periculum non poteſt hoc negligi vel omitti, adjiciendo ſtatuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus: ut quilibet archidiaconus, per ſuum archidiaconatum, circa presbyteros & vicarios ipſos inquiſitionem faciat diligentem, eos, quos hoc ſalubre ſtatutum invenerit non ſervare, graviter, prout rei qualitas exegerit, puniendo.

*II. Ne pro ſacramentis eccleſiaſticis aliquid exigatur, & quod forma in confeſſione ſervetur.*

Quoniam ceca cupiditas ita ruit in prælatos, ut operum terrenorum quæſtu minime contenta, pro ſacris etiam & Divinis, quæ æſtimationem non capiunt, pretium profana venalitate ſuſcipiant: præfatus legatus circa hoc ſtatuit & præcepit, oleum ſanctificatum & chriſma a miniſtris eccleſiæ pure atque devote, qualibet excluſa cupiditatis labe, conferri, nulla difficultate in eis exhibendis adhibita, prætextu alicujus conſuetudinis, qua dicitur, ab eiſdem qui ea recipiunt, aliqua quibuslibet perſolvenda. Nos igitur conſtitutioni hujuſmodi dicti legati adjiciendo, ſtatuimus, ut ſuper iis, tam epiſcopi, quam archidiaconi, per loca ſuæ juriſdictionis, contra recipientes, inquiſitionem faciant diligentem: & quos tales invenerint, tanquam ſimoniacos puniant, ſecundum canonicas ſanctiones. Qui ſi hoc implere neglexerint: epiſcopus a pontificalibus, archidiaconus ab officio, quouſque rem congrue emendaverint, ſint ſuſpenſi. Quæ omnia circa illos, qui antequam ad pœnitentiam confitentes admittant, quicquam ab eis exigunt vel extorquent, & qui alia quælibet ſacramenta interventu pecuniæ conferunt, diſtricte præcipimus obſervari. Omnes autem qui confeſſiones audiunt aliquorum, a peccatis expreſſe confitentes abſolvant, verba ſubſcripta ſpecialiter exprimentes: *Ego te abſolvo a peccatis tuis, &c. authoritate qua fungor te abſolvo.* Et quoniam confitentes, in ipſo confeſſionis actu ſigna contritionis & humiliationis debent oſtendere: præcipimus, ut omnes, qui confeſſiones audiunt, confitentes inducant, ut cum reverentia ſacerdoti & humilitate confiteantur peccata. Adhæc, quia major eſt animæ cædes quam corporis, cum illa perpetua ſit, hæc autem brevis temporis anguſtatione depereat: nemo confeſſionis remedium deneget poſtulanti. Quod a cuſtodibus carcerum aliquando circa captivos fieri miſerabiliter audientes; ſtatuimus, ut ſi quis de cetero in hoc caſu vel alio gratiam confeſſionis inhibuerit carcerato, vel alii, in pœnam immanis ſceleris, cum ipſe ad mortem pervenerit, niſi ad mandatum ſui epiſcopi vel prælati in vita ſatisfecerit, careat eccleſiaſtica ſepultura.

*III. De conſecratione eccleſiarum.*

Domus Dei, materiali ſubjecto non differens a privatis, per miniſterium dedicationis inviſibile, fit templum Domini, ad expiationem delictorum, & Divinam miſericordiam implorandam: & ut in ea ſit menſa, in qua panis vivus, qui de cælo deſcendit, pro vivorum & mortuorum ſuffragiis manducatur. Ne igitur tam ſalubre miniſterium contemni vel negligi videretur, a dicto legato invenimus provide conſtitutum: ut omnes cathedrales & conventuales eccleſiæ, a tempore perfectionis ipſarum, infra biennium, per diœceſanos ad quos pertinent, vel eorum authoritate per alios, munus conſecrationis acciperent. Quod ſi loca hujuſmodi a perfectionis tempore infra biennium minime fuerint dedicata: idem legatus eadem uſque ad conſecrationem, a Miſſarum ſolemniis manere ſtatuit interdicta: diſtricte inhibens, ne abbates aut eccleſiarum rectores, antiquas eccleſias conſtructas, ſub prætextu amplioris vel pulcrioris fabricæ faciendæ, diruere præſumant, abſque diœceſani epiſcopi licentia & conſenſu; qui diligenter conſideret utrum expediat dari licentiam in hujuſmodi, vel negari.

Nos ergo hujuſmodi ſalubre ſtatutum negligi aut contemni a plurimis cognoſcentes, adjiciendo ſtatuimus: ut iis qui eccleſiæ nondum conſecratæ rector ſeu gubernator exiſtit, ſive ipſius vicarius, infra annum poſt eccleſiæ conſtructionem, epiſcopum ſuum, ſi commode poſſit, ſu-





ANNO CHRISTI 1268.

per ipſius eccleſiæ conſecratione requirat; alioquin, archidiaconum ſuum, ut per ipſum infra dictum tempus ſuper hoc epiſcopus requiratur. Quod ſi rector ſeu gubernator, ſive vicarius, aut archidiaconus, ab hujuſmodi requiſitione deſtiterint: ipſos ex tunc, donec ea fecerint, ab officio decernimus manere ſuſpenſos. Epiſcopus vero, qui ab eis taliter requiſitus, eccleſiam detrectaverit per ſe vel per alium conſecrare, niſi conſecrandarum eccleſiarum in ſua diœceſi multitudo, tempus in aliquibus differat conſecrandi, aut aliud legitimum impedimentum excuſet: extunc a dalmaticæ, tunicæ & ſandalium uſu, donec eam duxerit conſecrandam, noverit ſe ſuſpenſum: quæ in ipſo conſecrationis actu illico reaſſumet. Gratis autem & ſine omni penitus exactione, excepta debita procuratione, ſtudeat epiſcopus miniſterium conſecrationis præbere, ne ultione Divina cum Simone & Giezi percellatur.

*IV. De clericis arma portantibus.*

Quoniam in armis virtutum, conſiſtit ſecuritas innocentiæ Chriſtianæ: docet Apoſtolus, ut induamur armaturam Dei, & gladio ſpiritus accingamur, eo quod non ſit nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes tenebrarum, qui non armis ferreis, ſed orationibus & lacrymis, & virtutum operibus expugnantur. Cum igitur clericis, qui " præclaram Chriſti hereditatem aſſumpti ſunt, uſus armorum, Divini & humani juris auctoritate ſit omnino prohibitus, ita ut eis etiam pro juſtitia ad defenſionem aut vindictam nullatenus ſit permiſſus: nos eccleſiaſtici honoris zelo ſuccenſi, eorum abominamur enormes exceſſus, qui Divini nominis & ſuæ honeſtatis obliti, arma deferre præſumunt, & ſeſe furibus, prædonibus, ac aliis malefactoribus aſſociantes, ut furta, prædas, & rapinas percipiant, non ſolum in privatorum hominum bonis, ſed eccleſiarum, & aliis quacunque occaſione repoſitis in eiſdem, vel clauſtris, vel cœmeteriis earumdem, talia nefaria committentes.

" addi ad

In his ergo tam horrendis ſceleribus clericos debacchantes, pia ſalutis proviſione perſequimur: ſtatuentes, ut quicumque in clericali ordine conſtitutus, arma detulerit, vel aliter deliquerit in præmiſſis, ipſo facto vinculum excommunicationis incurrat; &, niſi poſtmodum monitus, infra certum terminum a prælato ſuo præfigendum, ad ipſius prælati arbitrium ſatisfecerit, ex tunc ipſo facto, omni ejuſdem regni eccleſiaſtico beneficio ſit privatus, & nihilo minus ordinis ſui periculo ſe noverit ſubjacere. Qui ſi forte nullum beneficium prius habebat, ne ſine tanti ſceleris pœna remaneat, per quinquennium ſit inhabilis ad beneficia quælibet obtinenda. A prædicta vero excommunicationis ſententia a ſuo diœceſano nullatenus abſolvatur: niſi prius ad ipſius diœceſani arbitrium ſatisfecerit de præmiſſis.

*V. De habitu clericorum.*

Cum ſancti evangelii veritas hominem veſtem nuptialem non habentem jubeat foras mitti, quanquam de virtutum ornatu dictum eſſe illud ſacra expoſitio doceat, quia cum per exteriorem habitum ſæpe interior deſignetur: oportet tamen exterius talem oſtendere, ut ei qui debet intus eſſe veriſimiliter coaptetur, ne ex habitu forſan indecenti, is qui geſtat, in ſe ipſo vilis appareat, & corda videntium pro facilitate indicii ſcandalizet. Proinde tam ab antiquis, quam modernis patribus, tradita eſt moderatio, quam clerici, qui juxta nominis impoſitionem in ſortem Domini ſunt vocati, in habitu exteriori ſequantur, qui in ſe lumbos præcingere, & lucernas ardentes in manibus gerere edocentur. Ex horum conſideratione, bonæ memoriæ, præfatus legatus ſtatuendo præcepit, ut ad formam tam de veſtibus clericorum, quam etiam de ornamentis equorum in generali concilio editam, per ſubtractionem beneficiorum ab epiſcopis compellantur: ita quod in menſura decenti veſtes habeant, & cappis clauſis utantur in ſacris ordinibus conſtituti, maxime in eccleſiis, & coram prælatis ſuis, & conventibus clericorum, & ubique in parochiis ſuis, qui cum animarum cura regendas eccleſias ſuſceperunt.

Et ut melius poſſint epiſcopi alios ad honeſtatem veſtium, & tonſuram, decentes coronas, & equorum ornamenta idonea, coarctare: provideant, ut a ſuis clericis commenſalibus hæc prius faciant obſervari, quod in veſtibus, calcaribus, frænis, & ſellis, clericalem gerant habitum honeſtatis. Nos autem gravem & perverſum nimis abuſum contra præmiſſa quaſi generaliter diffuſum in clericos harum noſtræ legationis partium, deteſtantes, in quo Deus irrideri videtur, obfuſcari decus eccleſiæ, clericalis ordinis celſitudo deprimitur, Chriſtus a ſuis militibus inſignia ferentibus aliena deſeritur, decor honeſtatis eccleſiaſticæ maculatur, dum clericum a laico reſpiciens oculus non diſcernit, ſuntque omnibus vere fidelibus in ſcandalum & deſpectum: ſtatuimus,

Anno Christi 1268.

& diſtricte præcipimus, ut clerici univerſi veſtes gerant non brevitate nimia ridiculas vel notandas, ſed ſaltem ultra tibiarum medium attingentes. Aures quoque patentes quilibet, non opertas, & coronas habeant probanda latitudine condecentes: in quibus præcipue depoſitio terrenorum, & regalis ſacerdotii dignitas deſignantur. Nec, niſi in itinere conſtituti, nunquam aut in eccleſiis, vel coram prælatis ſuis, aut in communi conſpectu hominum publice infulas, quas vulgo coifas vocant, portare aliquatenus audeant vel præſumant. Qui autem in ſacerdotio ſunt, qui etiam ſunt decani & archidiaconi, nec non omnes in dignitatibus curam animarum habentibus conſtituti, cappas clauſas deferant: niſi forte cauſa itineris, vel alia cauſa juſta, honeſtam aliam veſtem gerunt.

Si qui vero in ſacerdotio vel dignitatibus conſtituti, aut curam habentes animarum, ſeu cathedralium eccleſiarum canonici, contra præmiſſa in infulis, corona, vel tonſura deliquerint: ſi moniti non emendaverint, ipſo facto ab officio ſuſpenſionem incurrant: in qua ſi per tres menſes perſtiterint, extunc a beneficio ſint ſuſpenſi; nec prius per ſuos diœceſanos ab hujuſmodi ſententiis abſolvantur, quam ſextam reddituum ſuorum anni illius partem ſolvant, per ipſos diœceſanos fideliter pauperibus erogandam: ſalvis aliis pœnis condignis, quas prælati ſubditis, in his delinquentibus, voluerint irrogare. De ipſis quoque ſacerdotibus, decanis, archidiaconis, & aliis in dignitatibus conſtitutis, qui in veſtium habitu contra præmiſſa deliquerint, eadem ſtatuimus obſervari. Reliquos vero clericos in præmiſſis delinquentes, ſuorum prælatorum arbitrio relinquimus puniendos.

Præcipimus autem, in virtute ſanctæ obedientiæ, univerſis archiepiſcopis, epiſcopis, archidiaconis & ceteris prælatis, ut in locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, ſuper præmiſſis diligenter inquirant, & contra delinquentes ſtatutum præſens efficaciter obſervent, & faciant obſervari. Qui ſi, poſtquam eis, per facti evidentiam, vel alio juſto modo, conſtiterit quemquam delinquere in præmiſſis, corrigere ſecundum ea quæ ſunt ſtatuta neglexerit: archiepiſcopi quidem & epiſcopi dalmaticæ, tunicæ & ſandalium uſu, archidiaconi vero & alii inferiores prælati, ipſo facto ab ingreſſu eccleſiæ, donec circa correctionem & emendationem exerceant ſui officii debitum, ſint ſuſpenſi.

Adhæc, cum epiſcopalis dignitas religionis affectum augere debeat, & cultum ejus apertius demonſtrare: præcipimus univerſis epiſcopali præditis dignitate, ut habitum gerant dignitati & honori ſuo congruentem, prout canonica edocent inſtituta. Specialiter autem indicimus iis, qui de monaſteriis vel aliis regularibus locis in epiſcopos ſunt aſſumpti, vel de cetero aſſumentur, ut ſuum deferant habitum regularem: ne religionem præcedentem dignitas excludere videatur, quam ſibi debeant vinculo individui fœderis adoptare. Quibus etiam diſtrictius inhibemus, ne utantur pannis, aut pellibus, aut aliis ornatibus ab ordine ſive regula ſua priori diſcrepantibus in colore: ſed in talibus ſtatutum concilii generalis ſatagant obſervare.

*VI. Ne clerici ſint advocati in cauſis ſæcularibus; neque judices, neque aſſeſſores, in cauſa ſanguinis.*

Juxta ſacrorum ordinum cenſuram, præſenti conſtitutione diſtrictius inhibemus: ne quis in clericali militia conſtitutus, advocationis officium in foro ſæculari, pro cauſa ſanguinis, vel alia quacunque, niſi in caſibus a jure permiſſis, exercere præſumat. Si quis autem contra fecerit, ſi quid in cauſa ſanguinis, pro actoris parte certaverit*, ipſo facto ab officio ſint ſuſpenſi. In alios vero per diœceſanos exceſſum hujus compeſci præcipimus & puniri: pœnæ condignæ qualitatem, ipſorum arbitrio reſervantes. In eiſdem quoque ſanguinis cauſis, in quibus mortis aut mutilationis membrorum judicium agitur, ſimiliter inhibemus: ne quis in clero conſtitutus, judex ſeu aſſeſſor eſſe præſumat. Quiſquis vero contra fecerit, præter ſuſpenſionis ab officio pœnam, quam ipſo facto incurret, alias juxta ſui ſuperioris arbitrium puniatur. A quibus ſuſpenſionum ſententiis per ſuos diœceſanos nullatenus abſolvantur, niſi prius ſatisfecerint competenter.

*VII. Ne clerici juriſdictionem ſæcularium exerceant.*

Cum honeſtatis eccleſiaſticæ ſpeciale decus exiſtat, a carnalibus longe fieri actibus, nec ſæcularibus negotiis immiſceri manus cœleſtibus miniſteriis deputatas: grave ac ſordidum reputamus, quod clerici quidam terrena lucra & temporales juriſdictiones fidei * ſpeculantia & avida voracitate ſectantes, juriſdictionem a laicis recipiunt ſæcularem, & juſtitiarii nuncupantur, ut miniſtri fiant juſtitiæ, quam non poſſunt ſine canonicæ diſpenſationis & clericalis ordinis injuria miniſtrare. Nos igitur horrendum hoc vitium extirpare volentes; univerſis eccleſiarum rectoribus & perpetuis vicariis, immo quibuſcumque in ſacerdotio conſtitutis, diſtrictius inhibemus, ne juriſdictionem a perſona ſæculari ſuſcipiant, vel ipſam exercere præſumant. Qui autem jam ſuſceperunt, infra duos menſes omnino dimittant, eam de cetero nullatenus ſuſcepturi. Quia vero apud malevolos animos inhibitio non cohibet delinquentes, niſi pœnalis ultio ſubſequatur: decrevimus, ut quiſquis contra prædicta venire præſumpſerit, ipſo facto ab officio & beneficio ſit ſuſpenſus. Ad quæ ſi temere ſic ſuſpenſus ſe ingeſſerit, ultionem canonicam non evadet. Hujuſmodi vero ultio, per diœceſanum ejus, qui contra iſta fecerit, donec emendaverit ipſius diœceſani arbitrio, & juramentum præſtiterit quod de cetero alias non committat, nullatenus relaxetur. Salvis domini regis privilegiis in hac parte.



*VIII. De concubinariis.*

Quoniam indecorum ſit & puritati Chriſtianæ contrarium, pollutis labiis & manibus ſacra contingere, vel laudem offerre munditiæ, aut ſeipſum fœdatum luxuriæ maculis in templo Domini præſentare: non ſolum Divinæ aut canonicæ leges, verum etiam ſæcularium principum monita, ſanctæ conſiderationis judicio proſpexerunt omnibus Chriſti & ſanctæ eccleſiæ miniſtris pudicitiam, tam conſultæ, quam indicentes. Quas prædictus legatus ſequens, laudabili ſtudio præcepit & ſtatuit, ut ubi clerici & maxime in ſacris ordinibus conſtituti, qui in domibus ſuis vel alienis detinent publice concubinas; niſi eas a ſe prorſus amoveant infra menſem, eas vel alias de cetero nullatenus retenturi ab officio & beneficio ſint ſupenſi, & uſque ſuper hoc ſatisfecerint, de beneficiis eccleſiaſticis ſe nullatenus intromittant: alioquin, decrevit ipſos eiſdem beneficiis fore ipſo jure privatos. Nos autem pudicitiam, veluti gemmam virtutum, optantes in clero fulgere, quibus poteſt non ſolum perſuaderi, ſed etiam aſſumptæ profeſſionis vinculo & imperari: ſtatutum prædicti legati contra clericos, qui publice detinent concubinas, editum, cura qua poſſumus perſequentes, adjiciendo ſtatuimus, ut archidiaconi locorum, qui poſt epiſcopos curam gerunt, contra concubinarios hujuſmodi annis ſingulis inquiſitionem faciant diligentem, & circa eos prædicti legati ſtatutum exquiſite faciant obſervari. Et quæ invenerint, epiſcopis teneantur nihilo minus nunciare, ut ipſi ſuper iis paſtoralis officii debitum exequantur. Quod ſi in exequendis iis quæ præmiſſa ſunt, quiſquam archidiaconus, vel epiſcopus, poſtquam ſibi denunciatum fuerit ab archidiacono, negligens fuerit: archidiaconus quidem ab ingreſſu eccleſiæ ipſo jure noverit ſe ſuſpenſum, quouſque denunciaverit epiſcopo; epiſcopus vero a Dalmaticæ, tunicæ, & ſandalium uſu, ſit ſuſpenſus, donec a ſe negligentiam excutiens, quæ ſtatuta ſunt, duxerit exequenda.

Ad hæc cum ad peccatum accedens conſenſus & auxilium alterius, utrumque in peccato parificet, & pari pœna condemnet: ſtatuimus, ut ii, qui clericos in domibus ſuis ad peccandum recipiunt, vel ſcienter peccare permittunt, ſive concubinis eorum domos locant ſcienter, vel accommodant; ſi clerici ſint, pœna ſimili; ſi vero laici, ad arbitrium epiſcopi puniantur. Prædictæ vero concubinæ, de quibus conſtiterit per facti evidentiam, vel aliquo alio juſto modo, ab ingreſſu eccleſiæ, dum celebrantur Divina, penitus arceantur; nec eis paſchali tempore tribuatur viaticum, cum judicium ſibi manducent & bibant, qui illud indigne aſſumunt. Ceterum, quia plerumque evenire didicimus, quod convictus ſuper crimine adulterii, aut alio peccato notorio, ad partes fugiat alienas, ut & pœnam effugiat, & liberius in crimine perſeveret: ſtatuimus, ut ſi quis taliter de provincia in provinciam aliam noſtræ legationis effugerit, epiſcopus, in cujus diœceſim venerit, ſeu ejus officialis ad mandatum prælati: in cujus diœceſi vel juriſdictione fugiens ille deliquerit, ſententiam excommunicationis in ipſum latam efficaciter exequatur, donec ad pœnitentiam redeat ſalutarem.

*IX. De vicariorum reſidentia, & inſtitutione.*

Sacrorum ordinum diſpenſatio, quaſi clavis ad aperiendum varias portas ſalutis, & gratiæ ſpiritualis, hominibus eſt conceſſa: quam habere neceſſe eſt, ut clavis aperiat, qui curam obtinet animarum. Qui etiam clavem geſtat, extra manſionem vagari non debet, ut paratus ſit in ſtatione continua vocantibus: & non vocantes ſuis exhortationibus, quaſi paſtor ſolicitus, ad ſe trahat. Hæc licet antiqua ſanctorum patrum decernat auctoritas: quia tamen ab iis, qui temporalem fructum plus diligunt quam æternum, invenitur temere non ſervatum, prædictus legatus circa utrumque provide ſtatuit inter alia, nullum de cetero ad vicariam admittendum, niſi in presbyterum jam ordinatum, vel ſaltem in diaconum proximis temporibus ordinandum: qui renuncians aliis beneficiis, ſi qua habet curam animarum habentia, juret ibi reſidentiam facere corporalem: alioquin inſtitutio-

tutionem ipſius nullam fore decrevit, & vicariam alii conferendam.

De iis autem qui tunc jam fuerant inſtituti, non tamen in presbyteros ordinati, ſtatuit & præcepit, ut extunc infra annum ad minus, ſe facerent in presbyteros ordinari: alioquin, privatos ipſos extunc vicariis fore decrevit: quod de reſidentia circa inſtituendos præceptum erat, ſtatuens etiam circa ipſos. Nos autem contra hoc agentium compeſcere malitiam noſtra quoque ad hoc opportuna diſtrictione volentes, adjiciendo ſtatuimus, ut ſi quis de cetero contra hoc ſtatutum vicariam tenuerit, fructus ſuos non faciat ſic perceptos, ſed ipſos reſtituere teneatur: & ipſorum medietas eccleſiæ, cujus eſt vicaria, tradatur, in ipſius utilitatem modis omnibus convertenda: medietatis vero alterius pars una in pauperes illius parochiæ expendatur, & altera loci archidiacono applicetur.

Ipſe vero archidiaconus ſuper his, annis ſingulis, inquiſitionem faciat diligentem: ſuaque opera & ſolicitudine ſtatutum hoc faciat firmiter obſervari. Qui etiam, ſi aliquem contra præmiſſa vicariam comperit retinere, prælato, ad quem ipſius collatio vel inſtitutio pertinet, vicariam ipſam ſine mora denunciet fore vacantem: ut idem circa id exequatur, quod officii ſui viderit intereſſe. Qui etiam nec aliter inſtituat, nec poſt factam ſibi denunciationem hujuſmodi, vel poſtquam ad ejus pervenerit notitiam, inſtitutionem vicariæ differre præſumat. Quod ſi contra fecerit, a collatione, inſtitutione, & præſentatione beneficiorum quorumlibet, quiſquis fuerit, donec quæ ſtatuta ſunt exequatur, noverit ſe ſuſpenſum.

Ad hæc, cum omnis malitiæ conatus diligenti reprimamus induſtria: ſtatuimus, ut ſi quis contra præmiſſa vicariam retinere contenderit, per menſem unum in ſua rebellione perſiſtens, præter pœnas ſuperius impoſitas, aliis beneficiis, ſi qua habet, ſit ipſo facto privatus: nec non & ad vicariam, cui ſic moleſtus incumbit perpetuo, & ad cetera beneficia, quibus vitioſo & adulterino contagio ſe reddit indignum, per triennium ſit inhabilis obtinenda. Quæ omnia non ſolum ad futura porrigimus, verum etiam ad præterita referri volumus: & in eiſdem efficaciter ſtatuimus, & præcipimus obſervari. Archidiaconus vero, ſi quæ ſuperius ſunt injuncta, neglexerit, præter indignationem omnipotentis, quam incurrat, ab ipſa parte ſibi applicanda privetur, & ab ingreſſu eccleſiæ, præſentis ſtatuti auctoritate, quouſque præmiſſa fecerit, ſit ſuſpenſus.

*X. De intruſis.*

Amoris proprii damnabilis & immoderata præſumptio, ſubvertens in judicio rationem, dum ſibi temere alienum concupiſcit, caritatem tradit exilio, mortemque affectat proximi, quem noverit præſidere. Quin etiam morte vel immutatione alia nil agente, calliditas & ſimulatio Divinam provocantes iram impudenter inſurgunt: cum qui vivit, mortuum, & qui adhuc poſſidet, reſignaſſe verbo vel actu mendaciter confingentes. Quia vero in eccleſiis, præcipue circa mare Anglicanum conſtitutis, mortalis hic morbus irrepſit: præfatus legatus ſuper hoc ſtatuit, ne prætextu opinionis vel famæ, quæ de morte vel ceſſione habetur abſentis, ejus beneficium aliquatenus conferatur; ſed prælatus, donec plenius de veritate inſtruatur, exſpectet: alioquin, ad reſarciendum omne damnum ex hoc inflictum, abſenti ipſum obligatum; illum vero, qui ſe procuravit intrudi, præter damnorum reſtitutionem, ab officio & beneficio, ipſo facto, ſuſpenſum fore decrevit. Quod etiam ad illum extendi voluit, qui beneficium eccleſiaſticum, altero poſſidente, occupare, vi vel clam, auctoritate propria, vel potius temeritate, præſumit: vel poſtquam declaratum fuerit ad alium pertinere, armis ſe defendere nititur in eodem. Nos autem latius & plenius mederi per noſtrum antidotum cupientes, adjiciendo ſtatuimus, ne quis de cetero patronus eccleſiaſticus vel ſæcularis, ad eccleſiam, in qua jus obtinet patronatus, quemquam audeat præſentare, niſi probabilem habeat de ipſius eccleſiæ vacatione notitiam. In quo caſu licet præſentare poſſit, ne ſibi per lapſum temporis præjudicium generetur: prælatus, ad quem inſtitutio ſpectat, nequaquam præſentatum præſumat admittere, vel inſtituere, niſi de morte rectoris, vel alias de vacatione legitima, prius conſtet.

*XI. Quibus notis de vacatione conſtet.*

De iis autem non aliter conſtare ſufficiat, quam per ipſius mortem, vel reſignantis, ſeu aliter dimittentis præſentiam corporalem; aut ſi abſens ſit, per epiſcopi ſeu diœceſani, in cujus civitate vel diœceſi mortuus eſſe, vel alias dimiſiſſe dicetur, aut ſaltem alterius perſonæ authenticas litteras, ſigillo authentico uno vel pluribus communitas, vel per inſtrumentum publicum, vel per teſtes juratos & idoneos omni exceptione majores, a quibus ſuper hoc non tantum de credulitate, ſed de ſcientia, ſecundum juris exigentiam, ſufficiens & apertum teſtimonium deponatur. Quod ſi contra ea quæ dicta ſunt, quiſquam in eccleſia de facto fuerit inſtitutus, vel quod verius eſt, intruſus: inſtitutio talis, invalida, & nullius penitus ſit momenti; nec per ipſam cuiquam jus aliquod adquiratur, etiamſi poſtmodum forſitan appareret ipſam eccleſiam tempore inſtitutionis hujuſmodi vacaſſe. Cumque poſtmodum de primi rectoris vita conſtiterit, eo quod perſonaliter veniens, ſe ipſum oſtendat, aut alias per authenticas litteras, vel inſtrumentum publicum, vel per teſtes idoneos vivere comprobetur: tam prælatus inſtituens, quam is qui fuerat taliter inſtitutus, ipſi rectori ad reſtitutionem integram fructuum, damnorum & expenſarum, quæ propter hoc ipſe rector incurrerit, teneatur; altero alterius ſolutione minime liberato. Et quia non ſufficit pecuniaria pœna, ubi ſpirituale delictum: prælatum, qui contra hoc inſtituerit, nihilo minus ab eo tempore, quo in prædicta commiſerit, a collatione, inſtitutione, & præſentatione beneficiorum quorumlibet, ſtatuimus manere ſuſpenſum, donec ipſi rectori poſſeſſio reddatur eccleſiæ.

Adjicientes, ut ſi poſtquam de ipſius rectoris vita, ſupradicto modo conſtiterit, eccleſia non reſtituatur eidem: intruſus, ſi per tres menſes in tam peſſima rebellione perſtiterit, præter pœnas ſupra impoſitas, extunc omnibus beneficiis, quæ in eodem regno obtinet, ipſo facto perpetuo ſit privatus; & ad illud, quod taliter detinuit, quandocumq; vel quocumq; modo vacaverit, perpetuo ſit inhabilis obtinendum: ad quod, cupiditatis & rapinæ vitio, reddidit ſe indignum. Et ſi quidem nullum fortaſſis beneficium habeat, non ſolum ad hoc, quod ſic ſe habere præſumpſit, ſed etiam ad quodlibet aliud in illa diœceſi, quam ſceleris ſui peſte turbavit, ipſo facto, auctoritate hujuſmodi ſtatuti ſe inhabilem perpetuo eſſe ſciat, & penitus eſſe incapacem. Ceterum ad omnes, qui præſentatione patroni, aut aliis modis, beneficia vel eccleſias, ſine canonica inſtitutione prælati, per ſe, vel per alios, occupare præſumpſerint, quos adhuc gravius delinquere conſtat; necnon ad eos quoque, qui ante hanc conſtitutionem noſtram occuparunt viventis beneficium, vel eccleſiam, & adhuc detinent occupatam; ad eos quoque qui ſine canonica inſtitutione prælati ſe ipſos intrudere præſumpſerunt (niſi infra tres menſes a publicatione hujuſmodi conſtitutionis, tam occupatores, quam intruſores hujuſmodi, omnino dimiſerint quod taliter acceperant, & ut ſupradictum eſt, ſatisfecerint) ſupra nominatas pœnas extendi volumus & mandamus: iis, quæ contra tales in conſtitutionibus prædicti legati & provincialium conciliorum totius noſtræ legationis ſtatuta ſunt, in nullo penitus diminutis. Contra hos etenim delinquentes, pœnas illas ex * quo ſufficere non putamus, ſanctius eſſe ac tolerabilius æſtimantes, eccleſiam vel beneficium vacare diutius per incognitam veritatem, quam momento quocumque adulterari apud violentum vel nefarium poſſeſſorem.

Ad hæc, cum ad archiepiſcopum vel epiſcopum, ad quem eccleſiæ vel beneficii collatio ſpectat, vacationis notitia probabiliter alias quam prædictis modis forte pervenerit: ſi forſitan beneficium illud vel eccleſiam conferat, timens ne per lapſum temporis præjudicium ſibi fiat, poſſeſſionem tamen ipſius eccleſiæ vel beneficii corporalem, priuſquam de vacatione ſupraſcriptis modis conſtiterit, non tradat vel tradi faciat, ſeu conſentiat, vel permittat, neque is, cui collatio facta eſt, ingredi poſſeſſionem propria vel alterius cujuſcumque auctoritate præſumat. Quod ſi archiepiſcopus vel epiſcopus contra fecerit, prædictis pœnis ſe noverit ſubjacere. Is vero, cui collatio hujuſmodi facta eſt, ſi contra præmiſſa poſſeſſionem acceperit: ipſa eccleſia ſeu beneficio perpetuo ſe noverit eſſe privatum, & nihilo minus alias pœnis ſubjaceat ſupra dictis.

*XII. Ne una eccleſia dividatur in plures.*

Unitatem in omnibus, maxime vero Divinis & ſpiritualibus officiis & miniſteriis, ita perfectio ſequitur, ut diviſionem ſuper omnia deteſtetur, quæ deſolationem & ruinam inducit. Nec enim ullum ipſum materiale ſubjectum ſtabit, nulla ſacræ rei deſignatio, intellectum conformiter ad ſe trahit, cum in illo vel in iſto diviſio aget, diverſum faciens quod eſt unum. Ex his catholica unitas ſanxit & auctoritas, ut in una eccleſia unus ſit rector, quaſi unius corporis unum caput. Sed ſtupefactivæ zizaniæ ſeminator, interdum per plurium in una eccleſia patronorum diſcordiam; interdum per cupidorum figmenta, qui de ipſa eccleſia nihil aliud quam commodum temporale venantur, hanc peſtiferam factionem diverſis modis inducit, aut in plures collata una eccleſia dividatur: rei pravitatem quadam mutatione vocabulorum ſeu nominum occultates. Quod deteſtabilius eſt, in tantum in quibuſdam prælatis ardor cupiditatis & avaritiæ exardeſcit, ut præſentatos ad eccleſiaſtica beneficia non admittant, nec ea aliter conferant, niſi certa proventuum & reddituum beneficiorum ipſorum portione retenta, quam ſuis uſibus applicant, vel aliis eam ad tempus vel ſimpliciter conferunt pro ſuæ libito voluntatis.

Super his autem legitime compeſcendis, diviſiones vel particulares aſſignationes & permutationes penitus prohibens, ſtatuit, ut nunquam in plures perſonatus vel vicarias eccleſia divideretur, & quæ tunc ante diviſæ fuerant, integrarentur quam citius facul-

facultas ſe offerret: niſi aliqua eccleſia ſic foret ab antiquo forſitan inſtituta, in qua per loci epiſcopum provideri ſtatuit, quod tam redditus, quam parochia, inter eos congruis portionibus dividantur, & quod ſemper apud eccleſiam reſideat aliquis, qui de animarum cura ſolicitus, celebratione Divinorum, & collatione ſacramentorum, ſe viriliter exerceat & honeſte. Nos igitur prædicti legati ſanctionem digna æmulatione ſequentes, adjiciendo ſtatuimus: ut omnis hujuſmodi prorſus diviſio ante prædicti legati conſtitutionem facta, niſi tanto eam præceſſerit tempore, ut merito poſſit antiquitatis jure cenſeri, quæque poſtmodum eſt ſecuta, nec non cujuſcumque portionis proventuum eccleſiaſticorum beneficiorum retentio & aſſignatio, quæ fieri poſſe dinoſcitur abſque labe ſimoniacæ pravitatis, per locorum diœceſanos penitus revocentur.

Si qua vero de cetero fiat diviſio, ſeu alicujus portionis retentio vel aſſignatio: hanc nullam ipſo jure fore decernimus. Et ne conferentis, ſeu præſentantis, vel admittentis plures ad unam eccleſiam exemplum mali relinquat * impunitas: præſentans quidem, unus aut plures, jus illa vice præſentandi amittat, ad ſuperiorem proximum devolvendum. Si vero prælatus ſic contulerit, vel præſentatos admiſerit, vel ſi certam retinuerit vel alii aſſignaverit portionem, ſimpliciter, vel ad tempus: non ſolum inſtitutio ejus, & retentio, vel aſſignatio, viribus careat, verum etiam ipſe, quouſque id revocaverit, ipſo facto a collatione, inſtitutione, ſeu præſentatione beneficiorum quorumlibet, ſit ſuſpenſus.

*XIII. De abſtrahentibus confugientes ad eccleſiam vel cœmeteria, ſeu res ibidem depoſitas*

*Et de auferentibus aliquid præter voluntatem dominorum eccleſiaſticorum de domibus, maneriis ſeu grangiis.*

Ad tutelam & confugium oppreſſorum ita immunitatem eccleſiaſticam cernimus conſtitutam; ut etiam reos ſanguinis ab hominum incurſu defendat. Quanto magis inſontes criminum confugientes ad ipſam, & res nulli vitio ſubjacentes, hoſtili timore intra ipſius eccleſiæ ſepta repoſitas, convenit non ſolum exinde non abſtrahere vel rapere, ſed etiam non contingere, ut in eis temeritatis aliquid attentetur: ſatis intelligit qui prudenter attendit. Præterea circa tuitionem, tam perſonarum ad eccleſias vel cœmeteria confugientium, & rerum quæ in ipſis pro ſecuritate fiducialiter reponuntur; quam circa hominum ſalutem profanorum, qui, Dei timore contempto, & eccleſiæ reverentia prorſus abjecta, immo totius humanitatis & famæ pudore depoſito, ad hujuſmodi confugarum abſtractionem, & rerum prædam & rapinam de locis ipſis ſe conferunt impudenter: nos tanto promptius oportet intendere, quanto ſceleris hujuſmodi perfidia majus noſcitur periculum importare.

Nos igitur hujuſmodi iniquitates & ſcelera perfecto odio, ex officii noſtri debito, proſequentes, ſtatuimus, ut ſi quis aliquem ad eccleſiam vel cœmeterium aut clauſtrum confugientem, inde abſtraxerit violenter, vel alias victum neceſſarium prohibuerit, in quo ſimilis eſt necanti; aut res alienas in locis prædictis depoſitas violenter ſeu hoſtiliter aſportaverit, vel aſportari fecerit; aut factam ſuo nomine vel a familiaribus ſuis abſtractionem, prohibitionem, vel aſportationem ratam habuerit; aut abſtrahentibus, prohibentibus, vel aſportantibus præbuerit publice vel occulte auxilium, conſilium, vel conſenſum: ipſo facto ſit excommunicationis vinculo innodatus, a quo nullatenus abſolvatur, niſi prius eccleſiæ, cui tantam injuriam ", & damnum paſſo, ſatisfaciat competenter. Et quidem ſi excommunicatus hujuſmodi, monitus a ſuo diœceſano, infra præfixum ab eo tempus, non ſatisfecerit: terra ipſius ſubjiciatur eccleſiaſtico interdicto, quod ante priſtinam " ſatisfactionem nullatenus relaxetur.

" Deeſt, ſic cit.

" f. pretii tus.

Quod ſi forte terram non habuerit, dominus terræ in qua moratur, ſi monitus infra terminum ſibi ad hoc indictum, extra eam non expulerit hujuſmodi peſtilentem: extunc terra ipſius eccleſiaſtico interdicto ſupponatur, quamdiu ille ibidem remanſerit duraturo. Nempe ſi talis excommunicatus clericus ſit, & a prælato ſuo monitus, infra terminum quem ei duxerit præfigendum minime ſatisfecerit: extunc omni beneficio eccleſiaſtico, quod in eodem regno obtinet, ſit privatus. Si vero nullum obtinet: ad quodcumque ejuſdem regni beneficium eccleſiaſticum per quinquennium ſit inhabilis obtinendum. Etenim digne ab eccleſiaſticis bonis excluditur, qui caritatem & eccleſiæ decus, in Dei contemptum, & proximi diſpendium, tam nequiter violavit. Quæ autem in præmiſſis ſtatuta ſunt, eadem circa eccleſiarum incendiarios & effractores volumus & præcipimus obſervari.

Ad hæc, ſi quis de domibus, maneriis, grangiis, vel aliis locis hujuſmodi, ad archiepiſcopos, epiſcopos, vel alias perſonas eccleſiaſticas, vel ad ipſas eccleſias pertinentibus accedens *, quicquam præter voluntatem aut permiſſionem præmiſſorum dominorum, vel eorum qui ſunt hujuſmodi rerum cuſtodes deputati, conſumere, vel auferre, aut contrectare præſumpſerit: ipſo facto ſit excommunicatione ligatus, a qua, donec ſatisfecerit, abſolutionis gratiam minime conſequatur. Et ne hoc ſalubre ſtatutum prætextu ignorantiæ negligatur, ipſum vel intentionem " ipſius, per annum continuum a tempore publicationis ejuſdem in eccleſiis cathedralibus, collegiatis, & aliis, per rectores & capellanos earum, quibuslibet diebus Dominicis, aſtanti parochianorum & fidelium multitudini præcipimus publicari.



" hoc eſt, ejus ſenſum

*XIV. Ne quis impediat matrimonia ſolemnizari in facie eccleſiæ.*

Conjugale fœdus ab ipſo Domino inſtitutum, ſicut poteſtati humanæ non ſubjacet, ita nullius temerario patere debet occurſui, quo minus in conſpectu hominum ſolemnitatem accipiat: per quam, prout expedit, omnibus innoteſcat. Quapropter diſtrictius inhibemus, ne quis matrimonia contracta legitime, quo minus in facie ſolemnizentur eccleſiæ impedire præſumat. Epiſcopi vero, quorum intereſt ſacra tueri, punire condigne ſtudeant hujuſmodi præſumptores.

*XV. De executione teſtamentorum.*

Libertatem extremi judicii ſicut multa favoris prærogativa muniunt legitimæ ſanctiones: ita ipſius executionem convenit adjuvare, ne quid impedire valeat arbitrium teſtatoris. Præterea ſuper executione teſtamentorum duximus ſtatuendum, ut executor teſtamenti cujuslibet, ad executionem teſtamenti nullatenus admittatur, neque teſtamentum, cum ordinario ſecundum approbatam conſuetudinem præſentatur, per ipſum aliquatenus approbetur: niſi prius quoad hunc actum ſui fori privilegio coram eo expreſſe renunciet executor. Præcipimus etiam ſtatuendo, quod hujuſmodi teſtamentorum executores, priuſquam adminiſtrationem bonorum attingant, inventarium in præſentia aliquorum fide dignorum, qui veriſimiliter bonorum defuncti noverint qualitatem, omnino conficiant, & illud ſuo ſuperiori prælato oſtendant. Si quis autem, inventario non confecto, adminiſtrare præſumpſerit, ad ſui epiſcopi arbitrium puniatur. Super approbatione ſiquidem teſtamenti ejus, qui in diverſas diœceſes beneficia, dum viveret, obtinebat: approbationi epiſcopi illius, in cujus diœceſi teſtator deceſſit, fidem volumus adhiberi.

*XVI. Ne prælati fructus eccleſiarum vacantium percipiant vel ſuos faciant.*

Eccleſiarum diſpendia injunctæ nobis ſolicitudinis cura ſubmovere volentes, ne duplici deſolatione affectæ nimium deprimantur, ab iis maxime qui ſuperintendentes, quotidianam inſtantiam ſubjectis debent eccleſiis, viduatis propriis rectoribus, paterno conſolari tenentur affectu: ſtatuimus, ut cum eccleſias vacare contigerit, prælati ſub quibus conſiſtunt, fructus & proventus, per annum vel aliquanto alio tempore, nequaquam percipiant earundem, neque ſuos faciant ſic perceptos: ſed de ipſis fiat, quod in canonibus eſt ſtatutum. Niſi forte iidem prælati jus hujuſmodi ſibi valeant, ex ſpeciali privilegio vel conſuetudine, ab antiquo vendicare. Quod ſi contra fecerint, donec totum reſtituerint, ab officio ſint ſuſpenſi. Sequeſtrationes etiam fructuum & proventuum beneficiorum eccleſiaſticorum, a prælatis penitus fieri prohibemus, quod & leges & canones interdicunt: niſi caſus ſpeciales emergant, in quibus ſequeſtrationes, certæ conſuetudines & jura permittant. Aliter autem factas ſequeſtrationes, & latas, occaſione hujuſmodi, excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, nullas fore decrevimus ipſo jure. Prælatus etiam qui hujuſmodi, ſequeſtrationes fecerit, quouſque revocaverit, ipſo facto a pontificalibus ſit ſuſpenſus.

Deeſt aliquid

*XVII. De oblationibus capellarum matrici eccleſiæ reſtituendis.*

Gratia quæ de concedentis benignitate procedit, recipientem manifeſte reddit ingratum, ſi vertitur in abuſum: & ſuis non contenta finibus, extenditur in alterius læſionem. Eccleſiaſticæ quidem providentiæ pietas, alteri per alterum non vult iniquam conditionem afferri: ſed quando privata perſona capellam propriam deſiderat obtinere, quod ", cauſa juſta mediante, conceſſerit, ſemper adjicere conſuevit, ut id fiat ſine juris præjudicio alieni. Quod & nos ſalubri & opportuno remedio conſequentes: ſtatuimus & diſtricte præcipimus, ut capellani miniſtrantes in capellis hujuſmodi, quæ, ſalvo jure matricis eccleſiæ, ſunt conceſſæ, univerſas oblationes, & cetera, quæ ipſis non recipientibus ad matricem eccleſiam pervenire deberent, ipſius rectori ſine difficultate reſtituant: cum id tanquam alienum juſte nequeant detinere. Si quis autem reſtituere contempſerit: ſuſpenſionis vinculo, quouſque reſtituerit, ſe noverit innodatum.

" f. qui

XVIII.

ANNO CHRISTI 1268.

## XVIII. *De domibus eccleſiarum reficiendis.*

Improbam quorundam avaritiam perſequentes, qui cum a ſuis eccleſiis & eccleſiaſticis beneficiis multa bona ſuſcipiant, domos ipſarum & cetera ædificia negligunt, ita ut integra non conſervent, & diruta non reſtaurent (propter quod ipſarum eccleſiarum ſtatum deformitas occupat, & multa incommoda ſubſequuntur) ſtatuimus atque præcipimus, ut univerſi clerici, B ſuorum beneficiorum domos, & cetera ædificia, prout indiguerint, reficere ſtudeant condecenter: ad quod per ſuos epiſcopos vel archidiaconos ſolicite moneantur. Si quis vero poſt epiſcopi vel archidiaconi ſui monitionem, per duos menſes id facere ceſſaverit: extunc epiſcopus ipſe, ipſius clerici ſumptibus, id fieri faciat diligenter, de fructibus ipſius eccleſiæ vel beneficii, præſentis authoritate ſtatuti, tantum accipi faciens, quantum ad refectionem hujuſmodi ſufficiat peragendam. Cancellos etiam eccleſiæ, C per eos, qui ad hoc tenentur, refici faciant, prout ſuperius eſt expreſſum. Archiepiſcopos vero, epiſcopos, & alios inferiores prælatos, domos ac ædificia ſua ſarta tecta reficere, & in ſtatu ſuo conſervare ac tenere, ſub Divini judicii obteſtatione præcipimus: ut ipſi ea reficiant, quæ refectione noverint indigere.

## XIX. *De procurationibus, quæ ratione viſitationis debentur, non recipiendis ab archidiaconis, vel aliis inferioribus prælatis, niſi cum viſitant.*

D Naturalis diſpoſitionis effectus ſemen ſerenti reddit, & ſemen laboris multiplicabit operanti. Abſurdum vero ſimulque iniquum nemo dubitat, ibi quemquam, ubi non ſeminat metere: & ex iis colligere quæ non ſpargit. Ex his ſacrorum canonum proviſio æquitate ponderata decrevit, ut eccleſia, quæ viſitationem recipit, temporalibus & ſpiritualibus eccleſiarum bonis ſalubriter inſtitutam procurationem exhibeat viſitanti. E Cum autem ratione viſitationis procuratio debeatur: ſi quid exigitur vel recipitur, hujuſmodi ratione ceſſante, jam male accepti & indebiti nomen ſubit. Cum igitur intellexerimus, quod plerique prælati procurationes a ſubditis exigunt, licet viſitationis officium non impendant: nos tam indemnitati eccleſiarum, quam prælatorum ſaluti, conſultius providentes, diſtrictius inhibemus, ne quis eorum, procurationem, quæ ratione viſitatio- A nis debetur, ab eccleſia quacunque recipiat, niſi cum eidem officium impendit viſitationis. Qui vero aliter receperit, donec reſtituerit, ab ingreſſu eccleſiæ ſit ſuſpenſus. Epiſcopi vero & alii inferiores prælati, cum viſitant, in ſuperflua comitiva, ſeu evectionum numero, vel alias in expenſis, gravare ſubditos non præſumant ultra quantitatem & numerum determinatum in conſtitutione felicis recordationis Innocentii papæ quarti; ne videantur in viſitationibus magis lucris pecuniariis inhiare, quam B eccleſiarum velle conſervare ſtatum, vel ſalutem quærere animarum. Quod ſi contra facere attentaverint: ſubditi eis non pareant in hac parte. Latas etiam, occaſione hujuſmodi, excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, ipſo jure decernimus eſſe nullas. Secum etiam viſitationis tempore ſuperfluam & oneroſam multitudinem hominum non adducant: per quam eccleſiarum requies perturbari ſæpius conſuevit: ſed moderationem ſequantur conſtitutionis canonicæ in Lateranenſi concilio promulgatæ.

C

## XX. *Ne pecunia recipiatur a ſubditis pro delicto notorio.*

Deus omnipotens, cujus omnia ſunt, pretium quodlibet pro delicto non accipit, & holocauſtum non poſtulat pro peccato. Quidam vero ad aliorum regimen deputati, hoc ignorantes, aut ex temeraria quadam induſtria contemnentes: cum peccatur a ſubditis, debitam pro pecunia pœnam remittunt. Ex quo fit, ut, Deo non indul- D gente, tam vindex criminis, quam commiſſor, ſua in eodem ſacculo delicta conſignent, pariter judicandi. Et quia juxta beatum Iſidorum, nullam reus pertimeſcit culpam, quam redimere nummis æſtimat: non ex hoc mala voluntas minuitur vel mutatur, ſed potius datur authoritas & licentia delinquendi: Circa correctionem quidem criminum præfatus legatus ſtatuit, ut archidiaconi eccleſias utiliter & fideliter viſitent de ſacris vaſis & veſtibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis eccleſiæ ſerviantur, & generaliter de temporalibus & ſpi- E ritualibus inquirendo: & quæ corrigenda invenerint, corrigant diligenter. Eccleſias autem ſuperfluis non gravent expenſis, ſed procurationes, duntaxat cum viſitant, exigant moderatas. Non ſecum ducant extraneos, ſed modeſte ſe habeant in familia & in equis: nec pecuniam ad hoc, ut non viſitent, vel non corrigant, vel ut crimina non puniant, ab aliquo recipere præſumant: nec aliquos ſententiis ſuis involvant injuſte, ut ab eis poſſint ex hoc pecuniam extor-



ANNO CHRISTI 1268.

A torquere. Unde, cum hæc ſapiant Simoniacam pravitatem, decrevit, ut qui talia agere præſumpſerint, ſic extorta in duplum erogare in pios uſus, epiſcopi ſui arbitrio, compellantur. Salva nihilo minus alia pœna canonica contra ipſos.

Præcepit etiam, ut dicti archidiaconi capitulis per ſingulos decanatus frequenter interſint: in quibus diligenter inſtruant inter alia ſacerdotes, ut bene ſciant & ſane intelligant verba canonis Miſſæ, & baptiſmatis ea ſcilicet maxime, quæ ſunt de ſubſtantia ſacramenti. B Nos igitur ſtatutum prædicti legati contra tales editum adjuvantes: adjiciendo ſtatuimus, ut archidiaconi pro nullo mortali & notorio crimine, vel de quo ſcandalum generatur, pecuniam a delinquente pro ipſo recipiant, ſed commiſſum crimen puniant animadverſione condigna. Epiſcopis vero diſtricte præcipimus, ut hujuſmodi ſalubre ſtatutum firmiter faciant obſervari.

## XXI. *De firmis.*

*ſ. in ſpi* Indignum eſt, cum " ſpiritualibus pecu- C niarum inire commercium, dicente apoſtolo Petro ad Simonem: *Act. 8.* *Non ſit tibi pars neque ſors in ſermone iſto.* Avare enim & facile ſpiritualia vendit, qui eorum exercitium pecuniæ interventione conducit. Provide igitur conſtitutionem legati prædicti comperimus inhibentem, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel proventus ex eccleſiaſticæ vel ſpiritualis juriſdictionis exercitio, ſeu ex pœnitentia, vel altari, vel ſacramentis aliis quibuslibet, venientes, nullo modo concedantur ad firmam. D Nos autem contra hoc tam ſanum & ſalubre ſtatutum fieri a pluribus audientes. adjiciendo ſtatuimus, ut ſi de cetero quiſquam contra fecerit, datio ad firmam ſic facta non teneat; & contrahentium neuter alterutri ex tali contractu, tanquam invalido, quacunque juris authoritate, aut beneficii, hujus noſtræ conſtitutionis expreſſa renunciatione, vel alia pactione vallante, aliquatenus obligetur: nihilo minus tertia parte proventuum ejus rei, quam de facto ad firmam dari contra hoc ſtatutum conſtiterit, fabricæ majoris eccleſiæ cathedralis E modis omnibus applicanda. Quæ omnia habere locum volumus, & ſtatuimus obſervari, cum laicis datur eccleſia ad firmam: & cum ultra quinquennium etiam clericis eccleſiæ firma conceditur, contra conſtitutiones a dicto legato ſuper his ſalubriter promulgatas. Eccleſiis quoque a gravi præjudicio præcavere volentes, ipſas ad firmam dari patronis earum ſub præmiſſis pœnis diſtrictius prohibemus.

A

## XXII. *De reſidentia archiepiſcoporum & epiſcoporum.*

Paſtor bonus agnoſcens gregem ſuum, debet ipſum mentis & corporis oculis jugiter intueri: & ne ipſum inſidioſus lupus invadat, ſicut hoſtis perſequendo invigilat, ſic prælatus reſiſtet continue defendendo. Oportet igitur, ut corporalis præſentia ipſum ſolicite tueatur: quia vadens paſtor & veniens ſæpe non invenit quod reliquit, eo B quod illud adverſarius non recedens neque dormiens aſportavit. Sane licet epiſcopi ad perſonalem reſidentiam circa gregem Domini ſibi commiſſum, tam Divinis, quam eccleſiaſticis præceptis noſcantur aſtricti: quia in partibus noſtræ legationis nonnulli ſunt, qui hoc attendere non videntur: nos prædicti legati monitionem & exhortationem, ſuper hoc, archiepiſcopis & epiſcopis prudenter emiſſam, æmulationis condignæ ſtudio ſequentes, ipſos efficaciter hortamur in Domino, & in virtute ſanctæ obedientiæ, atque ſub Divini obteſtatione C judicii commonemus, ut ad commiſſi gregis curam, & deſponſatarum ſibi eccleſiarum ſolatium, præcipue diebus ſolemnibus, Quadrageſimalibus, & Adventus, præſentiam ſuam exhibeant debitam, quibus ſe fide media copularunt: ſanctum chriſma, oleum ſacrum, & oleum infirmorum, in die cœnæ Domini quolibet anno conficiant, niſi eos dictis diebus ab ipſorum eccleſiis, a ſuis ſuperioribus evocatos, vel ex alia juſta cauſa, oporteat abſentare: ut quod ipſorum nomen prætendit, & commiſſum ſibi miniſterium exigit, quod non minus gerit D oneris quam honoris, ſolicitis ſtudeant excubiis obſervare.

## XXIII. *De appropriationibus eccleſiarum non faciendis.*

Quoniam alienationes eccleſiarum, ſanctorum patrum, & Romanorum pontificum decreta prohibere ſummopere ſtuduerunt: nos ipſos ex officii noſtri debito, ſufficientia qua poſſumus imitantes, univerſis epiſcopis diſtrictius inhibemus, ne quis E eorum, eccleſiam ſibi ſubjectam, alteri epiſcopo, vel monaſterio, ſeu prioratui, appropriationis jure conferat vel aſſignet: niſi is, cui appropriare voluerit, adeo manifeſte paupertatis prematur onere, vel alia legitima cauſa ſubſit, quod talis appropriatio, non tam juri contraria, quam pietati conſona merito cenſeatur. Si vero contra præmiſſa facta fuerit hujuſmodi appropriatio: ipſo jure invalida, & nullius penitus ſit momenti, ſed ab ipſo, qui hoc fe-

fecerit, ſicut de facto proceſſit, modis omnibus revocetur.

Nonnulli quoque in eccleſia, quæ per proprios conſuevit gubernari rectores, in uſus eorum conceſſa, ut totum, quod ex appropriata ſibi eccleſia provenit, inhianter abſorbeant; ipſam dimittunt vicario deſtitutam; aut ſi vicarium in ea fortaſſis inſtituunt, ita modicam eidem relinquunt fructuum portionem, quod non poteſt ſibi ſufficere, & archidiaconorum, & alia incumbentia ſibi onera ſupportare. Quo fit, ut quod in eleemoſyna eſt proviſum, in ſitim avaritiæ confluat, & tranſeat in rapinam. Super his igitur ſalubria remedia cogitantes, ſtatuimus, & diſtricte præcipimus, ut univerſi religioſi, exempti & non exempti, Ciſtercienſes, & alii quicumque, qui eccleſias in proprios uſus habent, ſi vicarii non ſint poſiti in eiſdem, infra ſex menſium ſpatium, vicarios præſentare diœceſanis, qui eos inſtituere debeant, non omittant; quibus ſufficientem aſſignare pro facultate eccleſiarum ſtudeant portionem. Alioquin, extunc iidem diœceſani id facere ſtudeant diligenter.

Statuimus quoque ut epiſcopi, qui eccleſias in proprios uſus habent, domos in ipſarum eccleſiarum parochiis conſtruant, vel olim conſtructas reædificent & conſervent, in quibus honeſte poſſint recipi viſitantes. Supradicta vero omnia tam ab epiſcopis, quam ab aliis qui eccleſias in proprios uſus habent, fieri præcipimus & ſervari.

*XXIV. De bonis inteſtatorum.*

Cum mortis præoccupatio incerta, ſæpe ſic anticipet ultimi arbitrii voluntatem, ut conficiendi teſtamenti, ſeu extremæ diſpoſitionis, adimat vitæ deciſio facultatem: agit humana pietas miſericorditer in defunctum, cum res temporales, quæ illius fuerant, per diſtributionem in pios uſus ipſum adjuvando ſequuntur, & coram cœleſti judice pro ipſo propitiabiliter intercedunt. Proinde, ſuper bonis ab inteſtato decedentium, proviſionem, quæ olim a prælatis regni Angliæ, cum approbatione regis & baronum dicitur emanaſſe, firmiter approbantes: diſtrictius inhibemus, ne prælati, vel alii quicunque, bona inteſtatorum hujuſmodi quocunque modo recipiant, vel occupent, contra præmiſſam proviſionem.

*XXV. De delegatione cauſarum.*

Judicii robur & decus exornat authoritas judicantis: & coram illo tutis greſſibus incedere veritas præſumitur, de quo ſtatus eminentior, & meliora ſtipendia, ſtrenuos actus & dignos fructus juſtitiæ repromittunt. Proinde ſacris canonibus inhærentes, quibus ſtatutum eſt, ut non niſi perſonis in majori ſtatu conſtitutis cauſæ a ſede apoſtolica delegentur: ejuſdem juris ratione commoniti, ſtatuimus, ut ab archiepiſcopis, vel aliis ordinariis, non niſi perſonis in dignitate vel officio conſtitutis, aut cathedralium vel aliarum collegiatarum eccleſiarum canonicis, cauſæ aliquatenus committantur.

*XXVI. De forma citationis.*

Ita mortalium ſæva cupiditas ſuum in ſeipſum reflectit ardorem, ut quicquid ſibi poſſit attrahere, non deſiſtat, non timens Divinam offenſam, vel proximi læſionem: quod litigiorum anfractus, & procellæ cauſarum manifeſte declarant, in quibus ſeipſum ſolum reſpiciens litigator, ſic errat in via juſtitiæ, ut rectum & æquum exiſtimet, quicquid adverſario noceat, & jure vel injuria ſibi proſit. Sane quoniam in citationis articulo fraudem ſæpe fieri eſt compertum: prædictus legatus ſtatuit, ut per impetrantes, vel eorum nuncios, in cauſis regni Angliæ, citatoriæ litteræ non mittantur; ſed judex moderatis ſumptibus impetrantis per ſuum fidele nuncium eas mittat, qui vocandum diligenter perquirat: quem ſi reperire non poterit, die Dominico vel alio ſolemni, apud eccleſiam loci illius, in quo degere conſuevit, dum Miſſa cantatur, litteras legi faciat & exponi, vel ſaltem ad decanum, in cujus decanatu moratur qui vocandus exiſtit, citatio dirigatur: qui a judice miſſus hæc fideliter perſequatur per ſe, aut per ſuos certos nuncios & fideles: quodque inde fecerit, eidem judici reſcribere non omittat. Nos autem, ut circa citationis articulum cautius & tutius procedatur, & diſcriminis materia, quantum in nobis eſt, penitus auferatur, conſtitutioni dicti legati adjiciendo, ſtatuimus: ut, cum judex contra quemlibet abſentem emittit citationis edictum, citationem faciendam decano loci vel alicui alii certæ perſonæ demandet. Is vero, cui demandata fuerit, cum eam fideliter fuerit aſſecutus, ſecundum ſtatuti formam, ſe citaſſe reſcribat. Alioquin citationi, quæ aliter facta appareat, fides nullatenus habeatur: nec ſecundum ipſam, contra eum qui citatus dicitur, ad pœnam aliquam procedatur.





*XXVII. De juramento advocatorum.*

Laudabile vitæque hominum neceſſarium advocatorum officium, qui quaſi athletæ juſtitiæ, in campo judicii militant, multum quidem exauthoratur ab illis, qui in ipſo infideliter ſe exercent, per quos juſtitia deperit, & litium proceſſus innumeris ſubterfugiis impeditur. Hæc ſane prædictus legatus diligenter conſiderans, & prudenter attendens, inter alia facta in conſtitutione, decrevit: ut quiſquis advocati officium voluerit generaliter promereri, apud diœceſanum, cujus juriſdictionis exiſtit, originis vel domicilii ratione, præbeat juramentum, quod in cauſis, quarum patronus exiſtit, patrocinium fidele præſtabit. Nos igitur hujuſmodi ſtatuto, per quod iniquitati occurritur, relevatur juſtitia, & ſuccurritur veritati, parare volentes ſemitam ampliorem: adjiciendo ſtatuimus, ut ſecundum ea quæ in dicto ſtatuto contenta ſunt, nullus advocatus, niſi litteras diœceſani, coram quo jurare præcipitur, prius oſtendat, fidem de juramento hujuſmodi exhibito facientes, vel de novo exhibeat hujuſmodi juramentum, ad nullius cauſæ patrocinium admittatur.

*XXVIII. Ne judex pacem vel concordiam litigantium impediat.*

Cum partes ſuas amittat judicium, niſi actoris & rei diſſenſio conquieſcit, nec aliud agere judex debeat juxta legitimas ſanctiones, quam ut controverſiam dirimat inter ipſos: multo profecto delinquit, qui partes ad pacem vel concordiam paratas, maxime prætextu alicujus commodi, nititur impedire. Quia vero, per impedimentum hujuſmodi, ſi contingat, provocatur Deus, læditur proximus, judicii contaminatur honeſtas, & jurgiorum materia confovetur: nos ſtatutum prædicti legati, qui ſuper hoc ſimplici fuit inhibitione contentus, efficacius proſequentes, adjiciendo ſtatuimus, ut ſi quis deinceps, pro impedimento paci ſeu compoſitioni litigantium objiciendo, quicquam receperit, ei qui dederit, omnibus modis reſtituere teneatur: necnon tantundem exſolvat pauperibus erogandum. Alioquin, ex eo tempore, quo ſcelus hujuſmodi ſic recipiendo commiſerit: donec, ſicut dictum eſt, reſtituerit, excommunicationis vinculo ſe noverit alligatum.

*XXIX. De publicanda abſolutione.*

Sicut eccleſiaſticæ cenſuræ vinculum ad medelam inventum, ut ſanum efficiat languidum, quem coercet publice notum, fieri conſuevit: ita beneficium abſolutionis, quæ ligato impenditur, expedit notum eſſe; ne non vitandus, in ſui contumeliam vel ſcandalum ab aliis evitetur. Proinde ſtatuimus, ut cum aliquam excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti ſententiam, contigerit relaxare: mandet alicui, ut relaxationem hujuſmodi publice nunciet locis & temporibus opportunis.

*XXX. De inſtitutionibus & collationibus.*

Chriſtianæ religionis veritas ita pleroſque in ſuorum cordium elatione reliquit, ut cum animæ ſuæ curæ vix unuſquiſque ſufficiat, ipſi ſe plures eſſe mendaci ſtatera penſantes, non ſolum unius beneficii ſuper multos intrepide curam ſuſcipiunt, in quo quandoque nec reſident, nec ad ſacros ordines ſe faciunt promoveri, quos ipſius beneficii cura requirit; ſed multas ſuper innumeras curas ſibi congregant impudenter, & per vanitates & inſanias falſas ambulantes, miſeras animas, quas curandas acceperunt, neceſſario negligunt, cum onus tale implere ipſa facti impoſſibilitate non poſſunt. Sane hos carni contra ſpiritum, & adverſus Deum & proximum, aſſiſtentes, & quaſi de induſtria recedentes a Deo, dum ſeipſos in manibus diaboli præcipitant manifeſte, animas Chriſto auferunt, & pauperum alimonias in uſus ſuperfluos, ne dicamus in malos, nefanda perverſitate convertunt, a tantis irruere "periculis, ſanctorum patrum, Romanorum pontificum, & ceterorum ſuper his authoritatem gerentium, conſtitutiones, tam antiquis retro temporibus, quam modernis, multiplici ſolicitudine laborarunt. Quorum labor etſi meritorius fuerit iis, qui vineam Domini fideli exercitio coluerunt, quibus virtus fuit, etiam maleuſis materiam miniſtrare virtutis: multis tamen in hoc profanæ cupiditatis ardore ceſſantibus, laboris hujuſmodi profectum invenimus defuiſſe, qui, præter clavem diſpenſationis apoſtolicæ ſedis, pluralitatem beneficiorum eccleſiaſticorum, animarum curam habentium, non ſolum de manu prælatorum male ſuſcipere, verum etiam authoritate propria, violentiaque majorum, damnabiliter occupare præſumunt, & temere per excogitatas malitias & ſubterfugia detinere.

"Corr. coerce- re.

Ex his autem dicere non ſufficimus, quanta mala proveniunt. Eccleſiæ namque maculatur honeſtas, adnullatur authoritas, fides Chriſti proſternitur, caritas exulatur, ſpes pauperum deperit, eo quod vident apertum diviti vel potenti, quod intret, omne beneficium vacaturum, quod ſuum non eſt.

ANNO CHRISTI 1268.

Miſer peccator & cæcus, rectorem ſe jactans, non tam recipit quam furatur. Inter ipſos quoque divites contentiones & ſcandala oriuntur, lites & odia confoventur. Digne etiam ſuper hujuſmodi regnorum homines Divinæ indignationis exarſiſſe in ignem, & aliquorum delicta in omnes miſiſſe vindictam, ex hoc præcipue formidamus: & dum nihil aliud ita periculis plenum conſpicimus, talia vel graviora & pertimeſcimus in futurum, niſi Dei miſericordia nos deſpiciens, correctionis apponat remedium ſalutare. Volentes igitur, circa peſtiferum hunc & vix incurabilem" morbum, officii noſtri diligentiam adhibere, & tota, quantum in nobis eſt, virtute curare: prædicti quoque legati conſtitutionem ſuper his editam, ipſius inhærendo veſtigiis, adjuvantes, adjiciendo præcipimus: ut de præteritis ante hanc noſtram conſtitutionem circa beneficiorum cum cura pluralitatem, nec non contra illos, qui, prout debent, in beneficiis ſuis non reſident, nec ordinem ſacrum recipiunt, quem ipſius beneficii ſui cura requirit, commiſſis, prælati ſinguli ſine ulla diſſimulatione diligenter inquirant, & in illis faciant ſtatutum generalis concilii efficaciter obſervari.

"Corr. vix curabilem

Archiepiſcopi etiam ſuper præmiſſis diligenter inquirant in provincialibus conciliis ſuis, & negligentes corrigant, ut tenentur, cum de his in diſtricto Dei judicio rationem reddere teneantur. In poſterum autem, cum ad beneficium curam habens animarum, quenquam præſentari; aut ipſius collationem alias fieri debere contigerit: ſtatuimus, ut prælatus, qui circa hoc ſuum gerit officium, prius de vita & converſatione præſentati & inſtituendi, ac de aliis, quæ jura præcipiunt, inquiſitione præmiſſa inquirat. Hoc quoque vigilanter diſcutiat & perquirat, utrum habeat præſentatus vel inſtituendus hujuſmodi, perſonatus, ſeu alia beneficia curam animarum habentia: & ſi quidem habet, an illa cum diſpenſatione, vel abſque tenuerit: quam ſi habere ſe aſſerat, illam infra terminum a prælato ſtatuendum, poſt aſſertionem hujuſmodi, ipſi prælato exhibere procuret: alioquin extunc nullatenus admittatur. Quod ſi alias inſtitutus fuerit, nulla ſit inſtitutio ipſo jure. Diſpenſatione vero exhibita, ipſe prælatus provide conſideret, an ex vi diſpenſationis ipſius, aliud vel alia, cum jam habitis, valeat obtinere. Quod ſi eum plura beneficia ſine diſpenſatione habere vel habuiſſe comperit: ipſum ad id, de quo agitur, aliquatenus non admittat. Hoc idem obſervans, ſi exhibita diſpenſatio non ad futura, ſed tamen" ad præterita ſe extendat: niſi prius in hoc caſu inſtituendus, ipſe præſtet corporaliter juramentum, quod habita poſſeſſione beneficii, in quo inſtituitur, ſtatim alia beneficia, quæ prius habuit, ſine difficultate dimittens, de illis, per ſe vel alium, extunc nullatenus ſe intromittat. Quod ſi facere præſumpſerit, præter notam perjurii, quam incurrit, habitis & habendis ipſo jure noverit ſe privatum.

"Corr. ſed tantum.

Poſtquam autem, ſecundum ea quæ diximus, quiſquam fuerit inſtitutus: illico prælatis in regno eodem conſtitutis, in quorum diœceſi conſiſtant priora beneficia quæ habebat, necnon patronis ipſorum quod geſtum eſt, ſi commode poterit, denunciet inſtitutor: ut ſic de beneficiis ipſis, quæ ad eos ſpectare videntur, diſponant. Et nihilominus nomina beneficiorum ipſorum conſcribens, in proximo tunc provinciali futuro concilio, ea denunciet: in quo videatur, qualiter ſit de ipſis beneficiis ordinatum, & ut appareat, utrum inſtitutus verum dixerit, qui prius dixerat ſe alia beneficia non habere. Quod ſi prælatus inſtituens ſecus egerit, inſtitutionem factam revocet infra menſem: alioquin a collatione & inſtitutione ad ipſum in quibuſcumque beneficiis ſpectantibus, quouſque revocaverit, ſit ſuſpenſus. Cum" qui a ſe reprobatum crimen incurrit, merito culpa redarguit: & in quo alium judicat, ſeipſum condemnat, dum in eodem ipſe reprobus invenitur. Hanc, Apoſtolo dicente, fugiendam labem in prælatis eccleſiæ deteſtantes, firmiter inhibemus, ne prælatus, qui præſentatum ſibi ad vacantem eccleſiam, ob defectum ſacrorum ordinum, recuſat admittere, alii eandem eccleſiam conferat, qui defectum hujuſmodi patiatur: ne ſic videatur potius acceptaſſe perſonam, quam juſtitiam dilexiſſe. Quod ſi fecerit, ejus collatio vel inſtitutio ipſo facto ſit invalida, & nullius momenti penitus cenſeatur.

"f. eum

*XXXI. De commendis eccleſiarum.*

Locus corruptus. "f. receſſu"[?] regiæ

Miſerabilis humanæ dignitatis caſus, ita concupiſcentiæ fræna laxavit, ut recuſatio" acumen rationis, & circa mala ſtatutæ iraſcibilitatis, virga conjuncta, nihil putetur iniquum, quod in explebilia vaſa cupiditatis videatur influere; nihil inhoneſtum, quo avaritiæ paretur cibus, eſuriem non minuens ſed augmentans. Hi ſi animos ſimplicium obſident, dolendum eſt in uno genere hominum, qui laici idcirco dicuntur, quod popularibus ſunt miniſteriis derelicti. Sed in illis, quibus Dominus pars eſt hæreditatis eorum, qui hæreditatis ſuæ reſtitutionem ſibi debent a Domino præſtolari, qui ducatu ſuo regere alios & gubernare tenentur:



ANNO CHRISTI 1268.

tur: hoc tanto amarius & acerbius flenda conſpicimus, quanto iniquius committuntur in illis, & periculoſius tolerantur. Sane inter adinventiones eorum, qui fraudes contra ſuas animas moliuntur, hanc maxime comperimus, Divini & humani juris præſidia confundentem: quod, cum una eccleſia unius debeat eſſe rectoris, ſicut & ratio dictat, & multiplicis juris ſtatuta declarant, quidam tamen rationis expertes, vel juris regulas contemnentes, dum ad plurium eccleſiarum occupationem, velamen aliud non habentes quomodo ditari feſtinant, vacantes eccleſias ſibi commendari procurant, amplectentes juris verba, non ſenſum, quod aliquando permittit unam haberi eccleſiam intitulatam, & aliam commendatam. Et cum juxta ſanum intellectum, propter neceſſitatem vel utilitatem vacantis eccleſiæ, jus commendationis, non tam præceptoriæ quam permiſſivæ, fuerit introductum: ipſi ad cupiditatis ſuæ lucrum omnia convertentes, in ipſarum eccleſiarum diſſipationem, non ſolum unam ſed plures recipiunt commendatas.

Corruptus locus ut & infra.

Inter multa vero pericula, quæ ex hac peſtifera factione proveniunt, advertimus eccleſiarum diſpendia, rerum ſpiritualium negligentiam & contemptum iterum miſceri, ſuſcipientis caſum in malum ſuum, quæ aliena eſſe debuerant congregantis; aut in proprios luxus & pompas ſuperbiæ profundentis, quæ ſunt ad pauperum alimonia conſtituta. Hæc autem pro mole peccati, furta, rapinas, & filii in conſpectu patris victimationem excedere Divini juris teſtimonio comprobantur: nec præterit Divinum intuitum cæcitas concedentis, qui, dum eccleſiæ commodum proſpicere debet, perſonam hominis accipit, cui non tam curandam ovem committit, quam miſerabiliter devorandam. Quia igitur nec timorem Divini judicii, nec ſacrorum canonum intentionem, ad coercitionem talium ſufficere, illi etiam proficere nunc uſque videntus: nos, & animarum ſaluti, & eccleſiarum ſtatui & indemnitati, diligentia, qua poſſumus, ex officii noſtri debito, proſpicere cupientes, univerſas eccleſiarum commendationes hactenus quibuſcunque factas, niſi ex evidenti utilitate, unius tantum eccleſiæ commendatio facta ſit, penitus revocamus, & ipſas extunc vacantes decernimus: eis ad quos ipſarum collatio vel ad eas præſentatio ſpectat, diſtricte mandantes, ut infra duos menſes poſt præſentis conſtitutionis noſtræ publicationem, conferant ſeu præſentent: alioquin, ipſarum collatio ad ſedem apoſtolicam devolvatur.

In poſterum autem inhibemus eccleſiam quamlibet commendari, niſi juſta cauſa & legitima id expoſcat. Et ut omnibus verſutiis, adinventionibus, & fallaciis occurramus: ſtatuimus, ne cuiquam ultra unum cum cura animarum beneficium obtinenti, eccleſia commendetur, neque plures eccleſiæ alicui perſonæ valeant commendari. Quod ſi contra ea, quæ ſalubriter hac noſtra proviſione ſtatuta ſunt, eccleſiæ commendationem a quoquam, & cuiquam in locum noſtræ legationis fieri contigerit: ipſam, & quicquid ex ea ſecutum fuerit, ipſo jure decernimus non valere. Epiſcopus vero qui commendationem contra præmiſſa fecerit, donec revocaverit, ipſo facto a collatione ſeu præſentatione beneficiorum quorumlibet ſit ſuſpenſus.

*XXXII. De confirmatione epiſcoporum.*

Paſtoralis ſedis eminentia . . . . indigens gratiæ Divinæ muneribus, ut paſtor mundus in ſe ambulet coram Deo in meritum & in conſpectu populi ad doctrinam. Inter alia quæ de pontificum electione ſacri canones providerunt, illud ſibi præcipuum vendicat, ut talis ad eam perſona conſcendat, quæ nullis, quantum humanitus poſſibile eſt, ſit maculis denigrata. Quorundam igitur ignorantiam vel negligentiam, aut diſſimulationem, quæ circa electorum confirmationes frequenter habetur, vel etiam procurant", ex officii noſtri debito, diligentia qua poſſumus corrigentes, ſtatuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, ut cum electionis epiſcopalis confirmatio poſtulatur, inter cetera ſuper quibus inquiſitio & examinatio procedere debet, ſecundum canonum ſtatuta, illud exactiſſime inquiratur, utrum beneficia plura cum animarum cura, qui electus eſt, antequam eligeretur, habuerit; & ſi habuiſſe inveniatur, an cum eo ſuper hoc fuerit diſpenſatum; & an diſpenſatio, ſi quam exhibuerit, vera ſit, & ad omnia beneficia, quæ obtinuerit, extendatur. Quod ſi in aliquo præmiſſorum, is ad quem confirmatio ſpectat, electum deficere, ſua diſcuſſione comporerit: eidem nullatenus munus confirmationis impendat.

"f. procuratur.

*XXXIII. De iis qui tempore electionis dimittunt beneficia, & poſtea ea recipiunt, ſi eos eligi non contingat.*

Ambitionis vitium in ardore ſitis æſtuans, dum nec Mariæ optimam partem amplectitur, nec ad Marthæ miniſterium in frequentiam profectus aſpirat, ſed pro dominandi libidine ad omnem eum ducentem tramitem detorquetur: abjecto rationis intuitu

fas & nefas improba temeritate permiſcet. Sane illud interdum evenire didicimus, ut cum, vacante ſede, quam quis aſcendere concupiſcit, ipſe metuens ſe obtentorum beneficiorum pluralitate in ſuo deſiderio poſſe deficere, ipſa beneficia reſignat, immo penes eum, ad cujus collationem ſpectant, deteſtabili quadam fictione deponit, ut ſi eum eligi non contingat, eadem beneficia, quaſi depoſita, poſtmodum reaſſumat. Contra hoc ergo tam abominabile colludium, & ſanctum, & Deo placens obſtaculum opponentes, diſtrictius inhibemus, ne cuiquam de cetero taliter ſua beneficia reſignanti, eadem reſtituantur, nec quaſi de novo aliquatenus concedantur, ſed tanquam ad vacantia de perſonis aliis canonice ordinetur. Quod ſi hujuſmodi reſignanti beneficia, ipſa vel aliquid ex eis, fuerint reddita, vel conceſſa: redditionem & conceſſionem in eum factam invalidam decernimus & inanem. Qui vero taliter in ſuis manibus reſignata, poſtmodum ſcienter ea contra præmiſſa contulerint, aut ipſum reſignantem inſtituerint in eadem: ſi quidem epiſcopus fuerit, a pontificalium indumentorum uſu; alius vero prælatus inferior, ab officio ſint ſuſpenſi: donec illud duxerint revocandum.

### *XXXIV. De iis qui pactiones faciunt cum iis quos præſentant.*

Quia plerumque evenire didicimus, quod cum ad vacantem eccleſiam fuerit præſentatio facienda, is, qui præſentandus eſt, prius cum patrono, de certa ſumma ex bonis eccleſiæ ſibi annuatim ſolvenda, paciſcitur; & ſic pactus, ad eccleſiam præſentatur: nos huic actui tam ſimoniæ vitium, quam eccleſiæ diſpendium ingerenti, occurrere intendentes, univerſas promiſſiones & pactiones hujuſmodi penitus revocamus, & eas in poſterum fieri diſtrictius inhibemus; & ſi factæ fuerint, vires aliquas decernimus non habere. Penſiones autem omnes, eccleſiis parochialibus hactenus impoſitas revocamus: niſi qui eas obtinent ſeu percipiunt, præſcriptione legitima, vel ſpeciali privilegio, aut certo jure alio ſint muniti.

### *XXXV. Quod negotiationes non fiant in eccleſiis.*

Omnipotens Dominus, qui cum propter peccata noſtra nobis iraſcitur, non obliviſcitur miſereri, ſciens ſe poſſe ac debere placari per contritorum & humiliatorum orationes & gemitus: templa & oratoria conſtrui voluit, in quibus convenientes fideles, abſtracti a cunctis exterioribus actibus, & ſeipſos, clauſis corporis ſenſibus, in ſuis conſcientiis colligentes, per oblationes & hoſtias, & præcipue per ſacrificia contriti cordis, & orationes, quibus Deo conjungimur, iram juſti judicis mitigarent; ut, in miſericordiam converſa juſtitia, peccatores juſte non conſumantur pro meritis, ſed per clementiam creatoris unanimiter miſericordiam conſequantur. Hoc ipſe Dei filius, quam acceptum ſit ſibi, verbis & operibus indicavit, eccleſiam, cum ſit domus orationum, ſpiritualiter aſſerens domum ſuam eſſe: non negotiationis, ſed orationis domum voluit nominari; tantum abhorrens in templo negotiationum commercia exerceri, ut, de funiculis facto flagello, vendentes & ementes de templo ejiceret, licet in eo illa, quæ ad uſum ſacrificiorum erant neceſſaria, venderentur. Aperte ſignificans, quam deteſtandum ſit illorum delictum, qui mercata in eccleſiis faciunt & negotiationes exercent, de domo Dei, ſpeluncam latronum & domum diaboli facientes, cum in hujuſmodi contractibus ſe adinvicem decipiant vel intendant decipere contrahentes. Eapropter diſtrictius inhibemus, & inhibendo ſtatuimus, ut in eccleſiis quibuſcunque noſtræ legationis, nullus de aliquibus rebus venalibus mercatum teneat, nec ullam prorſus negotiationem præſumat exercere. Archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter injungentes, ut hoc ſalubre ſtatutum per cenſuram eccleſiaſticam ab omnibus inviolabiliter faciant obſervari.

### *XXXVI. Quod fiat proceſſio pro pace regni & terræ ſanctæ.*

Juſtus & miſericors Dominus, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, hominum peccata quandoque punit temporaliter, ut æternaliter non condemnet; juſte viſitat & miſericorditer affligendo caſtigat, ut convertantur ad Deum, & non pereant peccatores. Unde quando peccata noſtra dividunt inter nos & Deum noſtrum, ipſe languores, peſtilentias immittit & fames, & bella exoriri permittit, diſſenſiones & guerras, & alia multa mala, quibus inceſſanter, peccatis eorum exigentibus, homines affliguntur. Ex hoc ſiquidem regnum Angliæ inclitum, quod pacis pulchritudine gaudere ſolebat, guerris, diſſenſionibus, & bellis, afflictum eſt multipliciter temporibus iſtis & miſerabiliter deſolatum: &, quod pudori & dolori eſt toti populo Chriſtiano, terram ſanctam, in qua ipſe Dei filius ſalutem humani ge-





generis operatus eſt, tradidit in manibus hoſtium nominis Chriſtiani, ut, propter delicta noſtra, nos terræ tam ſanctæ habitatione indignos oſtendens, populum Chriſtianum ad bellandum bellum ſuum exerceat ad ſalutem. Ipſe vero Dominus, qui quos diligit, arguit & caſtigat, qui vulnerat & medetur, converſus ad orationes fidelium ad ſe revertentium miſericordiam in iram non continens; ſed cum juſtus iratus fuerit, miſericordiæ recordatur, ut, peſtilentiis & malis ceſſantibus, afflictis conſolationem tribuat, & languidis ſanitatem reſtituat, & diſcordibus unitatem. Eapropter antiqui patres deliberatione provida ordinarunt, ut certis temporibus proceſſiones publicæ fierent & ſolemnes, in quibus conveniens fidelium populus, viſitatione Domini caſtigatus, & eo zelo devotionis accenſus, orationibus ad miſerandum Dominum provocaret; & ne vitio ingratitudinis arguatur, de collatis beneficiis Deo grates exhibeat & laudes exſolvat. Quos nos digna æmulatione ſequentes, ſtatuimus & præcipimus, ut in omnibus terris legationis noſtræ, quolibet anno, in craſtino octavarum Pentecoſtes, fiat una proceſſio publica & ſolemnis; in qua convenientes fideles, tam religioſi quam ſæculares, de pace miſericorditer reſtituta Deo gratias exſolventes, orent ad Dominum, ut ipſe, converſo furore ſuo, regnorum & terrarum ipſarum gubernacula dirigat: pacem fidelibus tribuat, & reſtitutam concordiam continuet & confirmet: terram ſanctam, quam ſuo proprio ſanguine rubricavit, ad laudem & gloriam nominis ſui reſtituat cultui Chriſtiano.

### *XXXVII. De legendis conſtitutionibus ſingulis annis.*

Honoris eccleſiaſtici converſatio, eccleſiaſticæ fidei unitatem, & meritum præbens & augens, gratiam & pacem adquirit a Domino populis Chriſtianis: & apud miſericordem patrem, pro ſanctæ matris eccleſiæ reverentia, placabilia, & exauditione digna facit vota juſtorum. Ex diverſo vero diverſa & contraria prorſus eveniunt, ut fidem & unitatem ſcindant; conculcata religio iram & indignationem omnipotentis Dei effundat ſuper populum exlegem, per ſua deſideria naufragantem, & inexorabilem reddat miſericordis Dei pietatem. Proinde ad conſervandos hujuſmodi poſitos a Domino, ſuper cuſtodias gregis ſui, archiepiſcopos & epiſcopos ſalubriter excitamus, & eis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, ut ad eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum tuitionem ſeu cuſtodiam ſolicite invigilent, & intendant circa reformationem ipſarum; paſtoralem curam & operam ac intentam diligentiam apponentes, per quæ eccleſiæ & eccleſiaſticæ perſonæ plurimum ad reſtaurationem & converſationem poterunt adjuvare. Contra eos vero, qui in his eorum juriſdictionem & opus impedire tentaverint, ſanctorum patrum Romanorum pontificum, & noſtras conſtitutiones circa talia promulgatas, obſervent & faciant obſervari, ſub pœnis, quæ in eiſdem conſtitutionibus exprimuntur. Ne autem ignorantia conſtitutionum ipſarum ab earum obſervatione quemquam poſſit avertere: præcipimus univerſis archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, prioribus, exemptis, & non exemptis, necnon cathedralium eccleſiarum capitulis, ut omnia ſtatuta, quæ in hoc noſtro ſunt concilio promulgata, in ſcriptis habeant, & ipſi archiepiſcopi & epiſcopi eadem in ſuis ſynodis, ſingulis annis, de verbo ad verbum, perlegi faciant diligenter.



### *XXXVIII. De monachis, & canonicis regularibus, & monialibus.*

Regnum cœlorum manſionibus, teſte veritate, diſtinctum, de mundo iſto quaſi de torculari ſibi exprimit & colligit incolas, per varias incedentes virtutum ſemitas, & extra mundi contagia per diverſos cancellos pœnitentiæ ſalientes, manſionum cœleſtium tabernacula variis præmiorum ſtipendiis ingreſſuros. Inter omnes hujuſmodi, ſanctum & Deo proximum ordinem monachorum, per virum illum venerabilis vitæ, gratia & nomine Benedictum, docente ſancto Spiritu, inſtitutum & elevatum ad chariſmata meliora, quanto per altioris vitæ gradus a diebus antiquis de terrenis triumphantem accendimus, regnum Dei ſancta violentia rapientem; tanto cura nobis major incumbit illius reſervare decorem, munire ſanctimoniam, & manſiones per angelos malos præcludere, atque illatos ab hoſtibus gladio & inſidiis ſanare languores. Quoniam igitur hæc ſancta religio, ſolutis aliquibus conſtantiæ nodis in luxum labentem ad tramites latitudinis, quæ ducit ad mortem, miſerabiliter declinavit: occurrimus ſub Divino conſilio & ſpe cœleſtis adjutorii, ut officii noſtri debito circa opportunam reformationem ſalubriter inſiſtamus.

a Lege, immiſſiones. H.

### *XXXIX. De profeſſione facienda.*

Sane bonæ memoriæ Otho, S. Nicolai in

in carcere Tulliano diaconus cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, inter alia de ſtatu monachorum provida deliberatione conſtituit, ut quicunque eſt in monaſterio ad probationem admiſſus, profeſſionem incontinenti faciat, anno probationis elapſo, aut exeat de eodem. Alioquin, abbas vel prior, qui aliquem ſine profeſſione ſuſtinuerit ultra annum, per præſidentes capitulo graviter puniatur: & novitius qui ſic ſteterit, profiteri cogatur, & haberi debeat pro profeſſo. Nos autem, ut expreſſa & inſtans pœna coerceat quos dilata & tacita ſub confidentia impunitatis non cohibet a delicto: adjiciendo ſtatuimus, ut abbas, vel prior, ſeu abbatiſſa, cujuſcunque ordinis vel religionis exiſtant, qui novitium profiteri non fecerint, anno probationis elapſo, niſi canonico fuerint impedimento detenti, vel novitius ipſe monaſterium exierit infra menſem; tamdiu in omnibus ſextis feriis in pane & aqua jejunent, donec novitium ipſum fecerint profiteri. Nulli quoque novitio, antequam profeſſionem fecerit, aliquod officium ſeu miniſterium committatur: cum eo tempore ita regulari diſciplinæ deditus eſſe debeat & intentus, ut ad alia divertere, ſibi valde nocivum, apertiſſime dignoſcatur.

*XL. Quod conſtitutiones ſummorum pontificum legantur.*

Porro, cum ignorantia, mater erroris, ita in incertum ducat, ut cæcus ambulans in tenebris, illius non prius damnum ſentiat quam incurrit: antedictus legatus ſalubri conſtitutione decrevit, ut abbates & priores continue poſt regulam ſcribi faciant conſtitutiones & ſanctiones ſummorum pontificum ad eos, & eorum ordinem præcipue pertinentes, quæ in compilatione domini Gregorii papæ IX. ſub infra titulis continentur: videlicet de regularibus. cap. *Ex parte: Statuimus: Ne religioſi.* De ſtatu monachorum, cap. *Monachi: Cum ad monaſteriorum: In ſingulis provinciis: Ea quæ.* De ſimonia, cap. *Labes*". De ſententia excommunicationis, cap. *Monachi: Univerſitatis: Cum illorum abſolutio: De monialibus.* De fidejuſſoribus, cap. *Quod quibuſdam.* De ſolutionibus, cap. *Si quorundam.* Nos autem adjiciendo ſtatuimus & diſtricte præcipimus, ut magiſtri novitiorum eos in regula beati Benedicti, vel S. Auguſtini, ſeu quacunque alia, doceant & inſtruant diligenter: ita ut quilibet monachorum & religioſorum regulam quam" plene addiſcat, & quaſi corde tenus eam ſciat. Prædictæ vero conſtitutiones in ſingulis monaſteriis bis in anno, in principio ſcilicet adventus Domini, & in capite Quadrageſimæ, omnibus fratribus convocatis, in capitulo legantur.

" Non extat hoc capitulum.

" Deeſt profectus, aut ſimile quiddam

*XLI. De proprietariis monachis ſeu aliis religioſis.*

Quia vero in monachis eſt veluti idololatria quarumcunque rerum detenta proprietas, in cujus habendæ cæcationem facile inducuntur, & corruunt, diabolo ſuggerente: prædictus legatus ſimplici canonis præceptione contentus, ſtatuit, ut quilibet monachus de cetero proprium non habeat, & ſi habet, illud ſine dilatione reſignet. Quod nos efficacius proſequentes, ſtatuimus & diſtricte inhibemus, quod cujuſcunque ordinis abbates, & priores qui proprios abbates non habent, ſuper proprietariis bis in anno inquiſitionem faciant diligentem: quoſque tales invenerint, puniant ſecundum canonicas ſanctiones & regularia inſtituta. Quod ſi ipſi abbates & priores hoc implere neglexerint: ipſo facto, ſuis adminiſtrationibus ſint ſuſpenſi, donec præmiſſa diligenter fuerint executi.

*XLII. Quod non detur pecunia pro veſtibus & ceteris neceſſariis.*

Et quidem ne proprietatis vitio ſuper dorſum peccatoris fabricandi occaſio ſatanæ offeratur, & ipſi homini detur habilitas delinquendi: ſtatuimus, ut cum quiſpiam monachorum ſeu aliorum religioſorum veſtibus, calciamentis, vel aliis vitæ neceſſariis indiguerit, is, qui ſuper iis miniſtrandis gerit officium, pecuniam ſive denarios non tradat pro re hujuſmodi taliter indigenti; ſed res ipſas, prout neceſſitas exegerit, ſubminiſtret. Si autem is, qui hujuſmodi præeſt officio, contra facere præſumpſerit, officio, in quo ſic deliquit & præſtitit materiam delinquendi, ſit privatus: & nihilo minus aliter ſuperioris arbitrio puniendus.

*XLIII. Quod ſoli non ſtent in eccleſiis & maneriis.*

Monachos ſeu canonicos regulares per maneria vel eccleſias ſolos morari, tam indecens, quam animabus eorum periculoſum eſſe conſpicientes, firmiter & diſtricte præcipimus, ut abbates & priores, monachos ſic manere non faciant, vel permittant: ſed ſi qui ſint, eos, ſine moræ diſpendio, revocent ad conventum, vel ſibi unum monachum ſtudeant ſociare. Alioquin, ipſi abbates & priores, ab officio, donec adimpleverint, ſint ſuſpenſi. Quod ſi forte pauperes habeant eccleſias, quæ duobus non ſufficiant exhibendis: faciant illis per ſæcu-



lares clericos deſerviri, ut ſic nec debitis eccleſiæ fraudentur obſequiis, nec regularis frangatur integritas diſciplinæ.

*XLIV. Quod non dentur maneria ad firmam monachis.*

Ad firmam vero, quæ mercationis inſtar habet, alicui monacho dari manerium, eccleſiam, poſſeſſiones, vel alia quælibet bona, ſive a proprio prælato, ſive ab alio quocunque, diſtrictius inhibemus. Quod ſi factum fuerit, præter pœnas antedicti legati, vel in aliis conſtitutionibus impoſitas, quicunque dederit firmam hujuſmodi, ſingulis ſextis feriis in pane tantum & aqua per unius anni ſpatium jejunet.

*XLV. De eſu carnium.*

Ad hæc, quoniam regularis obſervantia, quæ per arctam viam ducit ad vitam, per carnis ſuperbiam, laxatis habenis, multipliciter impugnatur: merito ſancti patres carnem voluerunt ab eſu carnium cohibere, ut ejus ſuperbiam cohiberet parcitas, & per mundi abſtinentiam carne devicta, ſpiritus gratiam Domino decantaret. Super his prænominatus legatus ſtatuit, ut cum eſus carnium ſit monachis nigri ordinis, per regulam beati Benedicti, niſi in certis caſibus & locis, nec non abbatum præſidentium eorum generali capitulo, interdictus: monachis qui per abuſum conſueverunt veſci carnibus, abbates & priores loco hujuſmodi vetiti cibi, juxta facultatem domus, alium competentem miniſtrare curarent. Nos autem adjiciendo firmiter & diſtricte inhibemus, ut abbates, & priores abbates proprios non habentes, ac abbatiſſæ ſeu prioriſſæ ordinis beati Benedicti, circa eſum carnium ſolicite & diligenter inquirant: & eos, quos in hoc invenerint delinquentes, graviter puniant, delicti & delinquentium circumſtantias attendentes. Epiſcopi vero cum ſubjecta ſibi monaſteria viſitant, de hujuſmodi eſu carnium fideliter diſcutiant & inquirant: & puniant, quos pœna invenerint indigere.

*XLVI. Ne aliqui religioſi utantur in refectorio aut in dormitorio pretioſioribus aliis.*

Illud quoque ridiculoſæ ſcurrilitatis opprobrium auferentes, quo monachi & alii religioſi quidam, ſe majores aliis æſtimantes & oſtentare volentes, vaſis pretioſioribus uti contendunt: diſtrictius inhibemus, ne quis monachorum, vel monialium, ſeu canonicorum regularium, ſcypho argenteo vel pretioſiore in refectorio, vel in aliis locis utatur, illum quaſi proprium poſſidendo; aut in dormitorio, majore apparatu lecti vel tegu-minis. Cum enim omnes pares ſint, & ſub ſanctæ fraternitatis nomine coæquales: ridiculum eſt, ut alter majorem altero ſe oſtendat, qui de hoc gloriari debet, ut oſtendat ceteris ſe minorem.

*XLVII. Quod ſemper in refectorio duæ partes remaneant.*

Statuimus inſuper & diſtricte præcipimus, ut cum abbas vel prior vult aliquos in camera ſua reficere, ita reficiendorum numerus moderetur, quod ſaltem duæ partes fratrum in comeſtione remaneant in conventu. In hoc vero apponant providentiam diligentem, ut ſine perſonarum acceptione, nunc hos, nunc illos, ad refectionem vocent, quos magis noverint indigere.

*XLVIII. De infirmis.*

De infirmis, quibus humanitatis præbere præſidium caritas jubet, & pietas interpellat, diſtricte præcipimus: ut prior vel ſuperior clauſtralis, ſæpe viſitationis exercitium adhibens, circa ipſos vigilanter perquirat, qualiter ab infirmario procurentur. Si quos vero in hoc defectus invenerit, ipſos abbati vel priori denunciare feſtinet. Abbas autem ſeu prior, omnem defectum ſine tarditate & negligentia circa id faciant emendari.

*XLIX. Quod nulli religioſi vendant vel aſſignent aliquas liberationes.*

Volentes etiam eccleſiarum indemnitatibus providere, illud vitium extirpamus, quod quidam abbates, priores, & alii eccleſiarum rectores, & cuſtodes hoſpitalium, cupiditatis ardore, qui eorum corda vehementer inflammavit, interveniente pretio, plus perſonis quam eccleſiis conſulentes, ad certum tempus ſeu ad vitam illorum, quibus fit conceſſio, certum quid, quod communiter liberationes appellant, vendunt & aſſignant, pro vitæ neceſſariis, diebus ſingulis, vel certis temporibus exſolvendis. Ex quo fit, ut in eccleſiis, hoſpitalibus, & monaſteriis, in dictarum liberationum ſolutione gravatis, eorum, qui deberent eccleſiis & monaſteriis deſervire, ac infirmorum & pauperum, ad quorum ſuſtentationem hujuſmodi bona ſpecialiter ſunt aſſignata, numerus minuatur. Per quod eccleſiæ ſervientes debitis, & pauperes ac infirmi alimoniis defraudantur: in illo-

illorum, qui eas concedunt, animarum periculum & ſcandalum manifeſtum. Propter quod diſtrictius inhibemus, ne unquam perſonis aliquibus hujuſmodi liberationes vendantur: & ſi aliquæ ante hanc noſtram conſtitutionem conceſſæ fuerint in perpetuum, vel ad tempus, reſignantibus vel decedentibus illis, qui eas obtinuerunt hactenus, abbates & priores, rectores & cuſtodes præfati, eas de novo eorum hæredibus vel aliis non concedant.

*L. Quod ſervetur antiquus monachorum numerus.*

Ceterum cum, juxta ſapientiæ doctrinam, in multitudine populi ſit dignitas regis; & in paucitate plebis, ignominia principis: nulla debet avaritia, nulla deſideria vel contemptus arripere, ne Regis regum cultum attenuet colentium paucitas, & contra multiformis nequitiæ hoſtem minuatur exercitus bellatorum. Ideoque ſtatuimus & diſtricte præcipimus, ut in ſingulis monaſteriis, & in iis præcipue, quæ ſunt eccleſiæ cathedrales, ſervetur antiquus numerus monachorum.

*LI. De ratione adminiſtrationis reddenda.*

De prælatis autem & miniſtratoribus atque officialibus illud ſtatuimus: ut abbates, & priores, abbates proprios non habentes, ſaltem ſemel in anno, præſente toto conventu, aut aliquibus de ſenioribus & prudentioribus, ad hoc a capitulo deputatis, reddant de ſtatu monaſterii & adminiſtratione ſua plenarie rationem. Si quis vero abbas vel prior ſtatutum hujuſmodi neglexerit obſervare: ipſo facto, donec id ſatisfecerint, a ſuis adminiſtrationibus ſint ſuſpenſi.

*LII. Quod religioſi non emant vel vendant.*

Venalium commercia rerum, quibus cupiditas dandi minus, vel plus recipiendi, expetit captiones, vix aut nunquam ſine interventu peccati, etiam inter laicos fieri dignoſcuntur: quanto magis eorum manus, qui ſanctæ religionis habitu & obſervantia ſunt a terrenis actibus elevati, ſordidum & fœdum exiſtit a talibus inquinari! Hoc igitur contra illos, quaſi abominabilem lepram, officio debitæ ſolicitudinis inſequentes, arctius inhibemus, ne monachi vel moniales, aut religioſi quilibet, cujuſcunque religionis exiſtant, mercationes, quæ in emendo vel vendendo conſiſtunt, in nundinis, mercatis, vel alias, audeant in quibuſcunq rebus aliquatenus exercere. Alioquin de quorum mandato proceſſerit, ipſo facto ab officio ſint ſuſpenſi: quæ ſuſpenſio nullatenus relaxetur, quouſque ſatisfecerint de præmiſſis. Quæcunque vero contra monachorum ſtatum, & converſationem ſuperius ſunt ſtatuta: in monialibus, quæ in eadem quoque profeſſione cenſentur, æque volumus & præcipimus obſervari.

*LIII. Quod moniales ad certa loca non exeant.*

Moniales Deo dedicatæ, quæ abnegantes ſe ipſas, & renunciantes ſæculo, ſoli Chriſti ſervitio ſe perpetuo manciparunt, omni cuſtodia ſervare ſe debent, & portas ſenſuum obſerare, ne unquam introitus pateat maligno ſpiritui, ex quo eis vel aliis in pravorum deſideriorum ardore, vel ſaltem levi cogitatione, detur occaſio delinquendi. Eapropter in cœnobiis certa loca ſunt deputata, quæ eas exire non convenit: ut poſſint Domino, cordis & corporis innocentiam conſervare. Intrare enim debet oratorium monialis, in quo prudenter orando ſibi provideat, ne aliquando in tentationem incidens, in delictum aliquod prolabatur: accedat ad capitulum, in quo juſte puniat quæ commiſit: intret dormitorium & refectorium horis ſuis, in quibus corpus ad ſuſtentationem ne deficiat recreando, aſſiſtat ſibi temperantia, ne ex refectionis ſuperfluitate caro recalcitret, & eam non deſerat fortitudo, ut reſiſtat fortiter tentationibus, dum quieſcit. Sed ceteris horis moretur in clauſtro, in quo ſic ſe claudat, & corporis ſui ſenſus, ut inter ſe & mundum, chaos firmatum eſſe intelligens, & ſolum Deum oculis mentis aſpiciens, aliquod prægustet de æternæ vitæ dulcedine contemplando. Præmiſſa vero loca perſonis ſæcularibus vacua eſſe præcipimus: ut ad ea non niſi ex neceſſaria & juſta cauſa, perſonæ ſæculares accedant: & hoc non frequenter, ſed raro, ne ex frequenti converſatione ſæcularium, quies earum vel contemplatio perturbetur, vel ſaltem ad ſæcularia, cogitatione vel deſiderio, earum animus pertrahatur.

Eapropter illud ſtatuimus, ut nunquam cum hominibus, vel aliquibus perſonis religioſis vel ſæcularibus, niſi in publico & non ſuſpectis locis, colloquium habeat monialis. Et ubi ſerioſum colloquium eſt habendum, monialis ſola non conveniat ad loquendum, ſed ſibi ad minus monialis alia Deum timens, & in religionis obſervatione rigida, ſocietur, quæ illos videat, & poſſit omnium, quæ per aliam facta fuerint, eſſe teſtis: niſi quando voluerit confiteri. Nunquam autem extra domum, niſi de ſuæ ſuperioris permiſſu, cum aliquo homine comedat: nec tunc, niſi cum tali, qui tanta ſit ei conſanguinitate vel affinitate, ſeu alia honeſta familiaritate conjunctus, & alias non ſuſpectus, quod non liceat inter eos aliquod ſuſpicari ſiniſtrum. Alia vero loca, quam quinque præmiſſa, monialis ſibi reputet penitus interdicta; ut ad ea nunquam accedat, niſi ad locum infirmariæ, vel ad alium ad hoc monialibus deputatum; in quo de licentia abbatiſſæ ſeu prioriſſæ cauſa recreationis eſſe poterit, ſi debilitate ſeu infirmitate detenta, vel ut ibi recreationem & infirmitatis remedia percipiat opportuna.

Ad officinas etiam, moniales, niſi illæ quibus hoc ex officiis competit, non accedant: & illæ nunquam ſolæ, ſed cum honeſta ſocietate, ut ſuperius de aliis eſt expreſſum. Abbatiſſæ vero, & prioriſſæ, & ceteræ, quæ monaſteriis præſunt, quocunque nomine cenſeantur, monaſteria non exeant, niſi ex evidenti monaſterii utilitate, ſeu neceſſitate urgente, & cum honeſta ſocietate. Ceteris vero inferioribus monialibus, nuſquam, niſi juſta vel neceſſaria cauſa, exeundi monaſterium licentia præbeatur.

Et tunc nunquam ſolæ ire, eſſe, vel morari extra monaſterium permittantur: niſi tali moniali fuerit alias ſociata, quæ ſic probata in monaſterio fuerit, quod de ipſa nihil ſiniſtrum valeat ſuſpicari. In terris quoque noſtræ legationis conſuetudinem abolemus, qua moniales monaſteria conſueverunt exire, occaſione proceſſionum, quæ quandoque fiunt publicæ & ſolemnes: firmiter ſtatuentes, ut occaſione prædicta monaſteria ſua non exeant moniales; ſed infra ſepta monaſteriorum, proceſſionum ſolemnia peragant temporibus, quibus conſueverunt fideles in proceſſionibus convenire. Nihilominus archiepiſcopis, epiſcopis, & aliarum eccleſiarum prælatis, quibus viſitandi officium de jure ſeu conſuetudine competit, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub obteſtatione Divini judicii diſtricte præcipimus, ut monaſteria monialium, cum expedit, viſitantes, quæ ſtatuta ſunt, faciant firmiter obſervari.



*LIV. Quod monachi frequenter confiteantur, & frequenter celebrent.*

Ad hæc quia ſcriptum eſt, quod ſepties cadit juſtus in die, & quod nemo exiſtens in mortali corpore ſine crimine vivit: neceſſaria multum & utilis eſt, præcipue religioſis, confeſſio, in qua omnibus, quæ Deum poſſent offendere, & illis conſcientiam premunt, cum cordis contritione diſcuſſis, & cum amaritudine recenſitis, accedant cum ſecuritate conſcientiæ ad orandum, & ad offerendum hoſtiam immaculatam in altari. Propter quod ſtatuimus, quod abbates, ſeu priores, ſeu ſubpriores eis abſentibus, frequenter requirant ſaltem ſemel in menſe, confeſſores monachis deputatos, de nominibus confitentium monachorum: ut ſic illos qui non frequenter confitentur, graviter arguant, & ad confitendum inducant. Quod mandamus circa monachos conſtitutos in ſacerdotio, qui non frequenter celebrant, obſervari.

## NOTÆ GABR. COSSARTII S.J.

Summæ in Britannia fuit auctoritatis hoc concilium. Quapropter *magnum concilium* vocat Matth. Weſtmonaſterienſis: celebratum ſcilicet, ut ait idem, *præſentibus univerſis prælatis Angliæ, VValliæ, Scotiæ, & Hiberniæ.* Itaque ex illius decretis totius eccleſiæ Britannicæ conſenſu conditis, eccleſiaſtica conſtituta diſciplina eſt: & ad uſque Anglorum a Romana eccleſia defectionem inſtituta illa ſervata ſunt. Hinc frequentiſſima in eccleſiaſticis Britannorum libris mentio conſtitutionum Othonis & Othoboni.

Anno MCCLXIX. concilium hoc perperam attribuit Pariſii continuator, cujus chronologiam anno uno tardiorem eſſe ſolere, jam obſervavi ad concilium Bononienſe anni MCCLXIV. Certe ante anni MCCLXVIII. finem e Britannia Othobonus diſceſſerat. Revocatus enim eſt a Clemente IV. & ab eo miſſus ad Caſtellæ regem, ut conſtat ex pontificis ipſius epiſtola, data x. Kal. Jul. quæ apud Raynaldum extat. Atque anno MCCLXVIII. prid. Kal. Decembr. Clemens pont. obiit.

Gravior eſt in Anglicana collectione lapſus, in qua hæc ſynodus anno MCCLXVIII. collocatur: cum præferat titulus & Clementem pontificem, qui anno MCCLXV. ſedere cœpit; & Othobonum legatum, qui anno MCCLXVII. a Clemente in Angliam miſſus.

ANNO CHRISTI 1268.

Collocari debuerat ante Londinenſe concilium.

## *** S. LUDOVICI FRANCORUM REGIS

### PRAGMATICA SANCTIO.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut eccleſiarum prælatis, patronis, & beneficiorum collatoribus ordinariis, jura ſua ſerventur.*
2. *Ut liberæ ſint electiones eccleſiarum.*
3. *Ut ſimonia a regno eliminetur.*
4. *Ut promotiones & collationes beneficiorum fiant ſecundum diſpoſitionem juris communis.*
5. *Ut libertates & privilegia eccleſiis & locis religioſis concesſa, conſerventur.*

LUdovicus Dei gratia Francorum rex, ad perpetuam rei memoriam. Pro ſalubri & tranquillo ſtatu eccleſiæ regni noſtri, necnon pro Divini cultus augmento, & Chriſti fidelium animarum ſalute; utque gratiam, & auxilium omnipotentis Dei (cujus ſolius ditioni ac protectioni regnum noſtrum ſemper ſubjectum extitit, & nunc eſſe volumus) conſequi valeamus: quæ ſequuntur, hoc edicto conſultiſſimo, in perpetuum valituro, ſtatuimus & ordinamus.

CAPITULA.

*I. Ut eccleſiarum prælatis, patronis, & beneficiorum collatoribus ordinariis, jura ſua ſerventur.*

PRimo, ut eccleſiarum regni noſtri prælati, patroni, & beneficiorum collatores ordinarii, jus ſuum plenarie * habeant, & unicuique ſua juriſdictio ſervetur.

* al. Plenarium.

*II. Ut liberæ ſint electiones eccleſiarum.*

Item eccleſiæ, cathedrales, & aliæ regni noſtri, liberas electiones**, & earum effectum integraliter habeant.

** In codice MS. collegii Navarr. additur, promotiones, collationes.

*III. Ut ſimonia a regno eliminetur.*

Item ſimoniæ crimen peſtiferum eccleſiam labefactans, a regno noſtro penitus eliminandum volumus & jubemus.

*IV. Ut promotiones & collationes beneficiorum fiant ſecundum diſpoſitionem juris communis.*

Item promotiones, collationes, proviſiones, & diſpoſitiones prælaturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum & officiorum** eccleſiaſticorum regni noſtri, ſecundum diſpoſitionem, ordinationem, & determinationem juris communis, ſacrorum conciliorum eccleſiæ Dei, atque inſtitutorum antiquorum ſanctorum patrum, fieri volumus & ordinamus. E

** al. Beneficiorum eccleſiaſticorum, & officiorum regni noſtri.

*V. Ut libertates & privilegia eccleſiis & locis religioſis conceſſa, conſerventur.*

Item libertates, franchiſias, prærogatiA vas, jura ac privilegia, per inclitæ recordationis Francorum reges prædeceſſores noſtros, & ſucceſſive per nos, eccleſiis, monaſteriis, atque locis piis, religioſis, necnon perſonis eccleſiaſticis regni noſtri conceſſas, & conceſſa, innovamus, laudamus, approbamus.

*Mandatum de exequendo.*

Earum tenore univerſis juſtitiariis, officiariis, & ſubditis noſtris, ac loca tenentibus, præſentibus & futuris, & eorum cuilibet, prout ad eum B pertinuerit, diſtricte præcipiendo mandamus: quatenus omnia & ſingula prædicta diligenter & attente ſervent, teneant, & cuſtodiant, atque ſervari, teneri, & cuſtodiri inviolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quovis modo faciant, vel attentent, ſeu fieri, vel attentari permittant; tranſgreſſores, aut contra facientes tali pœna plectendo, quod ceteris deinceps cedat in exemplum. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium, præſentes litteras ſigilli noſtri appenſione muniri fecimus. Datum Pariſius anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octavo, menſe Martio.

C G. C. Sic edita eſt in bibliothecis patrum hæc pragmatica. Editiones ejuſdem aliæ ſunt, in quibus ſunt capitula ſex, addito uno, quod ibi quintum locum obtinet, quinto noſtro ſextum in locum rejecto. Sic autem ſe habet.

Item exactiones & onera graviſſima pecuniarum, per curiam Romanam eccleſiæ regni noſtri impoſita, vel impoſitas, quibus miſerabiliter regnum noſtrum depauperatum extitit, ſive etiam imponendas vel imponenda, levari, aut colligi nullatenus volumus: niſi dumtaxat pro rationabili, pia, & urgentiſſima cauſa, vel inevitabili neceſſitate, & de ſpontaneo & expreſſo conſenſu noſtro, & eccleſiæ regni noſtri.

D HENR. SPONDANI EPISC. APAMIENSIS Nota in poſtremum hoc capitulum.

*Ex tomo I. continuationis annal. eccleſ. anno 1268.*

Hoc ſane etſi non abnuamus vere nec injuſte a Rege fuiſſe ſtatutum, haud tamen videmus quomodo a pleriſque contra Romanam ſedem contorqueatur, cum non conſueverit illa, nec certe conveniens ſit ut agat, abſque regum & principum conſenſu onera eccleſiis imponere: & alioqui ne adeo videatur hæc Ludovici prohibitio cohærere cum iis quæ leguntur in** quodam chronico, provincias Remenſem, Senonenſem, & Rothomagenſem, audito quod Rex peteret a pontifice decimam in ſubſidium terræ ſanctæ, querelas in eum ad Clementem pontificem miſiſſe, quibus petierunt ne quid ejuſmodi Regi concederetur: Regem vehementer inde exaſperatum ad papam contra illos ſcripſiſſe, ac papam illis auſtere acceptis, decimam regi ad triennium conceſſiſſe. (de cujuſmodi conceſſione dictum eſt anno ſuperiori.) An dicemus ſanctum regem inv idiſſe Apoſtolicæ ſedi de bonis eccleſiæ, quod ſibi tanta aſperitate petebat? procul dubio ſi ſingula geſta ex bono & æquo æſtimentur, non erit unde in mutuas amaritudines protumpatur.

** Chron. Nortmanniæ editum a Duchesn.

CON-



ANNO CHRISTI 1268.

## *** CONCILIUM APUD CASTRUM GONTERII.

A Vincencio de Pilenis Turonenſi archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno MCCLXVIII.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De invadentibus & occupantibus bona eccleſiaſtica.*
2. *De impedientibus juriſdictionem eccleſiaſticam.*
3. *Ut ſuſtinentes ſententiam excommunicationis ultra annum, careant eccleſiaſtica ſepultura.*
4. *Ne vacantes prioratus bonis omnibus denudentur.*
5. *Ne monachi extra abbatias vel prioratus depoſitum habeant.*
6. *De veſtimentis archidiaconorum & decanorum.*
7. *Ut epiſcopus in ſua diœceſi abſolvere poſſit, in caſibus, in quibus præſens concilium excommunicat.* B
8. *Ut ſuperiora concilia obſerventur.*

CAPITULA.

*I. De invadentibus & occupantibus bona eccleſiaſtica.*

QUIA clericis laici oppido ſunt infeſti, univerſos ballivos, poteſtates, perſonaſque alias ſæculares, in generali per locorum ordinarios moneri præcipimus, & eis firmiter inhiberi, ne eccleſias, prioratus, domos, poſſeſſiones, & alias res eccleſiaſticas indebite occupent, vel invadant, aut in religioſorum domibus ponant comeſtores, quod in quibuſdam locis præſumptione damnabili aliqui ſæculares judices facere præſumpſerunt: & ſi qui, poſt monitiones & inhibitiones hujuſmodi, quidquam in contrarium facere præſumpſerint, excommunicationis ſententia innodamus. D

*II. De impedientibus juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Præterea nonnulli barones, milites, ballivi, & alii ſæculares homines, confœderationes, colligationes, ſeu conſpirationes faciunt contra eccleſiaſticam libertatem, maxime reſtringendo & diminuendo eccleſiaſticam juriſdictionem, & ſubditis ſuis, ne in foro eccleſiaſtico litigent, in his quæ ad forum eccleſiaſticum de jure vel conſuetudine pertinent, inhibendo. Nos omnes hujuſmodi præſumptores per locorum quoſcumque ordinarios, aut de ipſorum mandato, in locis publicis, in generali moneri volumus & mandamus, ut infra duos menſes a A tempore monitionis hujuſmodi revocent quicquid contra * hoc attentaverunt: & inhiberi ne in futurum talia attentare præſumant. Si qui vero in præmiſſis culpabiles exiſtentes, prædictis monitionibus & inhibitionibus parere contempſerint: nos auctoritate concilii ipſos extunc in ſcriptis excommunicamus.

* al. ſuper hoc

*III. Ut ſuſtinentes ſententiam excommunicationis ultra annum, careant eccleſiaſtica ſepultura.*

Sane quia multi ſuæ ſalutis immemores, excommunicationis ſententiam, per unum annum vel amplius, animo ſuſtinent indurato, abſolutionis beneficium uſque ad ægritudinem in qua decedunt, petere differentes: ſtatuimus, ut talibus denegetur in morte eccleſiaſtica ſepultura.

C *IV. Ne vacantes prioratus bonis omnibus denudentur.*

Cum ex cupiditate, quæ radix eſt omnium malorum, videatur procedere, quod abbates ſeu priores, transferentes ſeu tranſlati, prioratus vacantes ceſſione, morte, vel mutatione priorum, bonis in prioratibus inventis denudent: nos indemnitati locorum providere volentes, inhibemus ne priores in ſuis tranſlationibus, vel mutationibus, ſeu etiam abbates, prioratus ſeu loca vacantia bonis mobilibus ibidem exiſtentibus adeo denudare præſumant, quin ſufficiens proviſio prioribus & monachis ibidem morantibus uſque ad tempus collectarum remaneat in prioratibus ſupradictis. Si qui vero contra ſtatutum hujuſmodi aliquid attentare præſumpſerint: ad arbitrium illius epiſcopi, in cujus epiſcopatu deliquerunt, puniantur: diœceſano epiſcopo, in cujus diœceſi abbates vel priores ipſi conſiſtunt, pœnæ hujuſmodi impoſitionem ad illius requiſitionem executioni mandante. E

*V. Ne monachi extra abbatias vel prioratus depoſitum habeant.*

Item ſtatuimus & ordinamus, quod omnes & ſinguli religioſi in propriis abbatiis depo-

ANNO CHRISTI 1268.

depoſita habeant; alibi pecunias, vel theſauros quos habent vel habebunt in futurum, ſine licentia, conſilio, & aſſenſu abbatum ſuorum, nullatenus deponentes. Et ſi in alio aliquo loco aliqua habeant depoſita, ad proprium monaſterium infra duos menſes inducant. Illorum vero qui ſtatuti hujuſmodi inventi fuerint tranſgreſſores, prædictæ pecuniæ & theſauri, ipſorum monaſteriis applicentur.

*VI. De veſtimentis archidiaconorum & decanorum.*

Statuimus inſuper, ut archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, infra juriſdictionum ſuarum metas, & aliis publicis locis, deferant cappas clauſas: alioquin ſuper hoc per epiſcopos corrigantur.

*VII. Ut epiſcopus in ſua diœceſi abſolvere excommunicatos poſſit, in caſibus, in quibus præſens concilium excommunicat.*

In omnibus autem caſibus, in quibus excommunicationis ſententias in præſenti concilio duximus promulgandas, cuilibet epiſcopo in ſua civitate & diœceſi abſolvendi excommunicatos hujuſmodi, poſt ſatisfactionem congruam in forma eccleſiæ, authoritate præſentis concilii damus liberam poteſtatem.

*VIII. Ut ſuperiora concilia obſerventur.*

Concilia autem omnia & ſingula, tam per nos, quam prædeceſſores noſtros hactenus celebrata, renovamus: & hujus authoritate concilii confirmamus.

Actum apud Caſtrum Gonterii die Lunæ poſt feſtum beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCLXVIII.

ANNO CHRISTI 1269.

## ** CONCILIUM ANDEGAVENSE.

Ex editione Joannis Maani, & ex codice MS.

Incipiunt ſtatuta provincialis concilii facta Andegavis, die Martis poſt quindenam nativitatis B. Joannis Baptiſtæ anno Domini MCCLXIX.

### CANONES.

*I. De prohibentibus donationes & legata eccleſiis fieri a ſuis ſubditis.*

QUIA intelleximus, quod quidam domini temporales, & eorum allocati, inhibent ſeu inhiberi faciunt ſubditis ſuis pro ſuæ libito voluntatis, in grave præjudicium eccleſiæ & periculum animarum, ne iidem ſubditi de rebus, quas tenent ab iiſdem, eleemoſynæ, legati, aut donationis, vel alterius licitæ alienationis titulo, transferant aliquid in eccleſias vel alia pia loca: id præſentis authoritate concilii de cetero fieri prohibemus: ſtatuentes, ut niſi per locorum ordinarios ſufficienter moniti, attentata ſuper hoc revocare, aut ab hujuſmodi præſumptione ceſſare noluerint, ad revocandum & deſiſtendum per ipſorum ordinarios cenſura eccleſiaſtica compellantur.

*II. Ut perſonæ eccleſiaſticæ non ſint advocati in curia ſæculari.*

Item, quia juxta legitimas ſanctiones turpe eſt clericis, ſi peritos ſe velint oſtendere diſceptationum forenſium: hujuſmodi authoritate concilii prohibemus, ne clerici beneficiati, vel in ſacris ordinibus conſtituti, in cauſis forenſibus coram ſæcularibus judicibus ſe venales exponant, aut patrocinium cuiquam publice præſtare præſumant: ipſoſque monemus præſentis authoritate concilii, ut ab hujuſmodi præſumptione deſiſtant: ſtatuentes, ut ſi qui de cetero hujuſmodi ſtatuti fuerint tranſgreſſores, per locorum epiſcopos canonice compeſcantur: præcedentium conciliorum ſtatutis in ſuo robore duraturis. In cujus rei teſtimonium, &c. Datum ut ſupra.

CON-



ANNO CHRISTI 1269.

## ** CONCILIUM SENONENSE.

Edidit Lud. Bail. ex codice cenſuali epiſcopatus Pariſienſis.

Statuta in concilio Senonenſi quod celebravit archiepiſcopus Senonenſis die ſabbati ante feſtum SS. Simonis & Judæ, anno Domini MCCLXIX.

### TITULI CAPITULORUM.

1. *Contra clericos qui focarias tenent.*
2. *Ne eccleſiaſtici contractibus uſurariis ſubſcribant: & contra uſuras.*
3. *Ut uſurarii communione & ſepultura careant.*
4. *Ut ſervetur canon,* Omnis utriuſque ſexus.
5. *Ne clerici clericos trahant ad publica judicia.*
6. *De abuſibus privilegiorum.*

### CAPITULA.

*I. Contra clericos qui focarias tenent.*

CUm legatorum ſedis apoſtolicæ ſtatuta edita in provincia eis commiſſa, perpetuo ſunt ſervanda, & bonæ memoriæ quondam apoſtolicæ ſedis Gallo legatus in Francia contra ſacerdotes & clericos concubinarios ſtatutum fecit in his verbis: Excommunicamus omnes ſacerdotes & clericos quoſcumque, qui poſt legitimam admonitionem, focarias, vel alias mulieres de quibus mala ſuſpicio poſſit ſuboriri, in domibus propriis vel alibi, unde populus vel eccleſia ſcandalizetur, duxerunt retinendas, niſi ſint clerici qui ſunt in minoribus conſtituti ordinibus, quos legitime contraxiſſe probatur. Qui tamen cum vigore eccleſiaſtica beneficia retinere non debent: ac ex hujuſmodi ſalubri ſtatuto rarus aut nullus fructus pervenit, quia forte ſtatutum hujuſmodi ad multorum notitiam non pervenit, cum multi ſacerdotes & clerici in propriarum periculum animarum, plurimorum ſcandalum, pernicioſum exemplum, vituperium miniſterii noſtri, & ad diſpendium eccleſiaſticæ dignitatis, tenent focarias, vel alias mulieres ſuſpectas, in domibus propriis vel alibi, unde populus vel eccleſia ſcandalizetur: præcipimus, & in virtute diſtrictæ obedientiæ mandamus, ut omnes, prælati, ſive majores, ſive minores, ſubditos ſuos ſacerdotes & clericos tenentes in domibus ſuis vel alibi mulieres hujuſmodi, ſi ſint per hoc publice diffamati, auctoritate ſtatuti prædicti in ſynodis & capitulis, præſentibus........ moneant competenter, ut ab inſolentiis hujuſmodi pernicioſis & deteſtabilibus reſipiſcant. Quod ſi competenter moniti non fecerint, auctoritate ſtatuti hujus, excommunicati, publice denuncientur, ac exigente eorum rebellione, eorum beneficia ſaizientur. Caveant prælati quicumque, ne in faciendis his monitionibus ſint tepidi vel remiſſi, ſi canonicam ultionem velint effugere ac infamiam; ne ſcrupulo ſocietatis non careat, qui manifeſto facinori, cum poſſit, deſinit obviare.

V. ſupra ad ann. 1208.

*II. Ne eccleſiaſtici contractibus uſurariis ſubſcribant: & contra uſuras.*

Quia ſubſcripti ſigilli appoſitio in multis juris articulis conſenſum & probationem inducit: prohibemus ne qua perſona eccleſiaſtica litteras vel inſtrumenta ſuper contractibus uſurariis, vel de uſura ſuſpectis, ſigillare vel ſigillari præſumat. Ex hoc enim quidam laici credentes vel confingentes contractus hujuſmodi per eccleſiam approbari, peccant ſecurius, nec verecundantur dare publice pecuniam ſuam ad uſuram. Ex qualitate auctoritatis, negotii, & perſonæ creditoris, contractus uſurarios reputamus; videlicet ſi creditor conſuevit fœnerare: prohibentes, ne quis in domibus, vel in locis, aut terris eccleſiarum, Lombardos vel alios advenas qui vulgariter ..... dicuntur, uſurarios manifeſtos, recipere præſumat: cum receptores hujuſmodi approbare videantur uſuram, quam utriuſque teſtamenti pagina deteſtatur. Qui contra fecerint, a ſuperiori ſuo, monitione competenti præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcantur.

*III. Ut uſurarii communione & ſepultura careant.*

Item quia parum eſt eſſe jura, niſi ſint qui ea regant & obſervent & faciant obſervari: conſtitutionem concilii contra uſurarios editam, qua cavetur ne uſurarii manifeſti ad communionem admittantur altaris, nec Chriſtianam, ſi in peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam, & quod oblationem ipſorum nullus recipiat, firmiter præcipimus obſervari. Qui contra fecerint, præter pœnam conſtitutionis ejuſdem, ſui ſuperioris arbitrio puniantur. Si vero exempti ſive privilegiati contra conſtitutionem eamdem fecerint: epiſcopi loci illius contra eos, quantum de jure poterit, procedere non omittant. Et ſi propter hoc ipſe, vel alius ad quem pertinet, litem, ſeu moleſtiam, aut calumniam patiatur: expenſis communibus quæ fient de contubernatione capi-

Later. III. c. 25.

ANNO CHRISTI 1269.

communi, per duos, videlicet unum de capitulo cathedralis eccleſiæ, & unum abbatem ejuſdem diœceſis fide dignum, imponenda & exigenda ſuper illos quos ad hoc deputaverint, defendetur. Durabit autem præſens ſtatutum uſque ad ſequens concilium: & tunc melius videbitur quis fructus ex hoc poterit provenire, & de hoc computabitur in concilio ſubſequenti.

*IV. Ut ſervetur canon*, omnis utriuſque ſexus.

Later. IV. c. 21.

Item ſtatutum concilii generalis de viventibus arcendis ab ingreſſu eccleſiæ, & morientibus qui Chriſtiana debent ſepultura carere, niſi ſaltem ſemel in anno omnia peccata ſua fideliter confeſſi fuerint proprio ſacerdoti, & ad minus in Paſcha ſuſceperint reverenter Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de proprii ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ab ejus perceptione ad tempus abſtinendum duxerint, obſervetur firmiter, & frequenter in eccleſiis publicetur. Caveant ſacerdotes, ne ad communionem altaris aliquem admittant, niſi ſibi vel alii idoneo de ſua licentia omnia peccata ſua ſit confeſſus.

*V. Ne clerici clericos trahant ad publica judicia.*

*Eſt fragmentum epiſtolæ pontificis alicujus.*

Quamvis hoc grave nimis & Divini plenum animadverſione judicii, quod aliqui laici falcem in meſſem Domini ſacrilegis auſibus ingerentes perſonas eccleſiaſticas ſuis ſubjiciendo judiciis in periculum fidei, eccleſiaſticam moliuntur ſubjicere libertatem: hoc tamen attentius zelum commovet ultionis, quod iidem laici, ſui fermentum erroris dicuntur in clero aliquotiens invenire; dum clerici a clericis, in" eo quod eſt gravius, religioſi, non ſolum ...... ſed interdum voluntarii, ſpretis eccleſiaſticis tribunalibus, ad publica judicia educantur. Hinc volentes juxta ſacrorum inſtituta canonum nos ſalubriter contra morbum hujuſmodi remedia invenire, ad inſtar felicis recordationis Innocentii papæ prædeceſſoris noſtri ſtatuendum duximus, ac etiam inhibendum, ut tam prælati, ſive regulares ſint ſive & ſæculares, quam alii clerici regni Franciæ, alii alios in contemptum publici beneficii, quod toti clericorum collegio ita inviolabiliter inſtitutum eſt, ut eis privatis aliquorum pactis vel conſenſibus nequeat derogari, ſuo relicto judice ad publica trahere judicia non præſumant. Alioquin præſumptores hujuſmodi cauſam perdant, habendi a communione nihilo minus alieni: & tam epiſcopi, quam alii, in criminali negotio, ſi relicto eccleſiaſtico judicio publicis judiciis expurgare voluerint, ſuum locum amittant, etiamſi pro ipſis eccleſia profiteatur. In civili vero perdant quod ſi locum ſuum maluerint obtinere. Quocirca fraternitati veſtræ ad inſtar prædeceſſoris ejuſdem in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus & inhibitionem hujuſmodi in veſtris provincialibus conciliis & epiſcopalibus ſynodis per.......... diœceſes publicetis, & faciatis ſolemniter publicari, ubi & quando videbitis expedire. Si quos vero vobis lege diœceſis ſubjectos, ſeu & exemptos (contra quos, quantum ad hunc articulum pertinet, vobis, tanquam delegatis a nobis, committimus auctoritate præſentium vices noſtras) circa prædicta manifeſte culpabiles inveneritis, excommunicatos expreſſe denuncietis, & faciatis auctoritate noſtra uſque ad ſatisfactionem condignam publice nunciari: quos abſolvi abſque ſpeciali mandato ſedis apoſtolicæ prohibemus, ſi ſecus actum fuerit irritum nunciantes. Ipſos nihilo minus alias animadverſione caſtigando canonica, ſi fuerit opportunum: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtante ſi aliquibus eorum ab apoſtolica ſede ſit indultum, quod excommunicari aut interdici per apoſtolicas litteras, neque vel ſuſpendi, quæ de indulto hujuſmodi ejuſque tenore de verbo ad verbum plene & expreſſe non fecerint mentionem, ſeu conſtitutione de duobus dictis edita in concilio generali.

*Corr. & eſt quod eo g.*

*VI. De abuſibus privilegiorum.*

*Fragmentum epiſtolæ alicujus pontificis.*

Licet regularis ordinis profeſſores, illi præſertim quos majoris libertatis apoſtolica ſedes privilegiis honoravit, attollere congruis favoribus, & ipſorum illibata omnino ſervare privilegia intendamus: ſic tamen ſuis juribus volumus manere contentos, quod ipſorum privilegiorum limites obſervantes, jura non occupent vel impediant aliorum. Sane intelligimus, quod Templarii, & alii religioſi privilegio exemptionis gaudentes, de regno Franciæ, hoſpites ſuos, qui dati ordinum eorum ſeu oblati dicuntur vel qui aliquem cenſum, etiam modicum, eis ſolvunt, per ſe ac conſervatores a ſede apoſtolica deputatos, privilegiorum prætextu defendunt, ne, cum delinquunt, a ſuis ordinariis eccleſiaſticis, ſicut alii laici, pro furtis videlicet, adulteriis, & aliis criminibus, quorum ad ordinarios ipſos ſpectare noſcitur correctio, puniantur. Cappellas autem & oratoria ſine conſenſu & auctoritate diœceſanorum conſtruunt, necnon & interdicti & ſuſpenſionis ſen-



ANNO CHRISTI 1269.

tentias, quas ordinarii proferunt in loca & perſonas ſibi ſubjecta, damnabiliter contemnentes, faciunt in locis eiſdem, capellis, & oratoriis, Divina renitente juſtitia, celebrari: quanquam quod hæc ipſis liceant, apoſtolicum privilegium aut indulgentiam non oſtendant. Cauſas quoque ſuorum hominum aſſumentes, illos quos propriis hominibus injuriari aſſerunt, ſuper hujuſmodi injuriis, licet ſint iidem homines liberi, conveniunt, & in cauſam nomine ſuo trahunt. Iidem etiam exempti, & alii quamplures religioſi, pro cunctis" peccatis cunctas pœnas ſtatuunt infligendas: ex quo interdum evenit ut dum tales pœnæ delinquentibus infliguntur, eorum peccata quæ occulta fuerant, veniant in notitiam aliorum. Volentes itaque talium præſumptionibus, congruis, prout noſtræ incumbit ſolicitudini, remediis obviare: apoſtolica authoritate, de conſilio fratrum noſtrorum ſtatuimus, quod ſi hoſpites vel homines qui dati dicuntur vel oblati, vel qui præfatis exemptis aliquem ſolvunt cenſum, ſi non ſe omnino iiſdem exemptis reddiderint, ſicut in proprietatibus ſuis omnimodo duxerunt remanendum, propter hæc ab epiſcoporum ſuorum ſententia nullatenus eximantur, ſed poteſtatem in eos ipſi epiſcopi, ſicut in alios ſuos parochianos, eximant", cum pro ſuis exceſſibus fuerint corrigendi: nec ob hoc, exemptorum ipſorum conſervatores quicquam contra epiſcopos valeant attentare. Oratoria vero vel capellas in locis non exemptis, ſine diœceſanorum locorum licentia, iidem exempti conſtruere non præſumant: nec in ſic conſtructis, neque in locis non exemptis, cum ab ordinariis fuerint interdicta, celebrent vel faciant celebrari Divina. Quod ſi talia præſumpſerint, per locorum ipſorum ordinarios compeſcantur: & ſi quas propter hoc exemptorum ipſorum conſervatores ſententias in contrarium protulerint, illas penitus revocamus. Prohibemus autem, ne in locis exemptis hæc ipſi exempti facere audeant, niſi ſuper his licentiam ſedis apoſtolicæ habeant, vel ipſius privilegium ſpeciale. Cauſas quoque ſive lites proprias ſuorum liberorum hominum, quæ videlicet ad ipſos tantum homines" iidem exempti ſuo nomine ſive ut actores, ſive ut defenſores, veluti ſuas aliquatenus non aſſumant, etiamſi ſint ipſi dicti homines cenſuales: cum id nequaquam licitum ſit iiſdem. Pro peccato vero incognito & occulto cuncta" pœna nullatenus ſtatuatur: ex quo, ſi per eum ſatisfiat, quodammodo peccatum ipſum percipi valeat vel adduci.

"ſ. certis pec. certas pœnas

"ſ. exerceant

"deeſt ſpectant,

"certa

ANNO CHRISTI 1270.

## "** CONCILIUM RAVENNENSE,

Adverſus Cæſenatis epiſcopatus invaſores, Philippo archiepiſcopo præſide, anno Dom. MCCLXX. IV. Kal. Maii.

ANno MCCLXX. (*inquit Hieronym. Rubeus, Raven. hiſtoriæ lib. VI.*) Ravennæ provinciale concilium habitum eſt; dieque D. Vitalis feſto, cum in ſacrarium ædis D. Vitalis conveniſſent, Michael Comaclienſis, Gratia Saſſinas, Hennerardus Cæſenas, Rodulphus Forolivianus, Ravaldinus Foropompilianus, Sinibaldus Forocornelianus, epiſcopi, & Drudo Ravennatis eccleſiæ præpoſitus, Philippique archiepiſcopi vicarius; inſpectantibus atque aſſentientibus, Aldevrandino archidiacono, ſacerdotumque choro; cum Ravennates etiam ad celebrandam Divi tutelaris memoriam frequentes concurriſſent: ut conſuleretur eccleſiarum damnis, diris devoverunt omnes, qui contra Hennerardum epiſcopum Cæſenatem, ejuſque epiſcopatum, armati inermeſve moviſſent, cum illiſque conſilia, aut copias conjunxiſſent: neque poſſent abſolvi, niſi ſatisfeciſſent. Quod ſi qua reſpublica idem tentaſſet, illi jam ſacris eſſet interdictum. Adſcribuntur huic decreto teſtes, Placidus D. Vitalis, Beneventus D. Laurentii, Jacobinus D. Mariæ in monte Cæſenati, abbates, atque item alii. Statim etiam epiſcopi ſibi invicem, alter alteri partes quiſque ſuas detulerunt, polliciti, quam execrationis ſententiam in bonorum eccleſiæ ſuæ raptores ex eis unus tuliſſet, reliquos ratam habituros, divulgaturoſque ac ſervaturos.

## "** CONCILIUM COMPENDIENSE,

Ex R. P. Jac. Sirmondi MS. nunc primum editum.

Concilium provinciale eccleſiæ Remenſis celebratum Compendii a R. patre D. Joanne de Courtenay archiepiſcopo Remenſi, anno MCCLXX.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Joannes de Courtenay permiſſione Divina Remenſis archiepiſcopus; Milo de Bazochiis Sueſſionenſis, Garo de Campania Laudunenſis, Warmundus de Boiſteria Noviomenſis, Rainaldus de Nantolio Belvacenſis, Bernardus Ambianenſis, I". Tornacenſis, & Robertus Silvanectenſis, eadem permiſſione epiſcopi, Remenſis eccleſiæ ſuffraganei: in concilio celebrato apud Compendium, cum procuratoribus aliorum ſuffraganeorum ejuſdem provinciæ abſentium, & cathedralium eccleſiarum, congregati, ſalutem in Domino Noveritis nos anno Domini MCCLXX. die Lunæ ante Aſcenſionem Domini ſtatuiſſe & ordinaſſe ea quæ ſequuntur in concilio ſupradicto.

"Joannes

## STATUTA CONCILII.

*Adverſus eos qui bona eccleſiaſtica capiunt, vel ſaiſiunt.*

NOnnunquam ballivi, præpoſiti, & ceteri laici temporalem juriſdictionem habentes, homines, animalia & alia bona prælatorum & eccleſiarum, & hominum eorundem, per ſe, vel miniſteriales ſuos, pro ſuæ voluntatis arbitrio nequiter capiunt vel ſaiſiunt: nec capta vel ſaiſita volunt reſtituere requiſiti, ſed damna injuriis cumulando, gravant & lædunt enormiter eccleſias, non reſtituendo nec reddendo, donec ſibi, cum maxima prælatorum & eccleſiarum jactura, & aliqua pecuniæ ſumma, expenſarum prætextu, fuerit ſatisfactum, per tale concuſſionis diſpendium iniquum perverſi lucri compendium proſequentes; dum homines captos & animalia ſic adducta non reddunt, donec ipſis pro eorum paſtu interdum plurimum refundatur.

Præterea ut res eccleſiarum ab eis injurioſe ſaiſitæ & captæ, ad dominos aut damnoſæ aut inutiles reddantur: eas in captione vel ſaiſina ſic affligere, ſic afficere, ſic onerare ſuperflue ſumptibus occaſione cuſtodiæ, vel aliter pro eorum libito faciendo, ſic ſuis & aliorum abuſibus diſſipari & deteriorari procurant, ut in reſtitutione non reddi, ſed redimi videantur.

Plerumque contingit, quod domini ſæculares, ballivi, præpoſiti, & alii juſtitiarii, ſeu miniſteriales eorum, res, homines, vel animalia prælatorum & eccleſiarum, ſeu ſubjectorum eiſdem, ſaiſiunt, capiunt, & arreſtant & detinent, ſeu capi, ſaiſiri, arreſtari, & detineri faciunt pro ſuæ libito voluntatis, ad juriſdictionis eccleſiaſticæ præjudicium & gravamen. Et hæc ipſi interdum faciunt, vel fieri procurant a talibus, & per tales, qui non reperiantur in diœceſi," in quibus hæc faciunt vel fieri mandant, ſeu in quibus authoritate ipſorum talia perpetrantur. Propter quod diœceſani epiſcopi in quorum territorio res & bona prædicta, ſaiſita & arreſtata ſunt & detenta, in prædictos dominos ſæculares, ballivos, præpoſitos, juſtitiarios, ſeu miniſteriales ipſorum, extra territorium ſuum, & juriſdictionem, cenſuram eccleſiaſticam non exercent.

" Corr. diœceſibus.

Ut igitur eccleſiaſticis indemnitatibus conſulatur, & malignantium perverſitatibus obvietur: ordinamus atque ſtatuimus, quod tales invaſores, raptores, & captores rerum ſeu bonorum eccleſiaſticorum, dummodo exceſſus ſint notorii & manifeſti, vel de his aliter legitime conſtet, canonica monitione præmiſſa, niſi plane & libere reſtituerint, & debite ſatisfecerint, per ordinarium diœceſanum anathematis gladio feriantur; & non" ſibi dicti raptores ſeu invaſores celeri reſtitutione provideant, in eos ſententia diſtrictius aggravetur; in participantes & conſentientes, auxilium & conſilium præbentes, excommunicationis ſententiam promulgando, ac etiam a Divinis ceſſando, ubi res & bona detinebuntur eccleſiæ, vel ubi dicti malefici reſidentes fuerint vel præſentes, ulterius ad interdicti generalis ponendi ſententias procedendo, ſi ſecundum arbitrium epiſcopi contumacium pertinacitas hoc exegerit, vel enormitas facinoris perpetrati: & unius epiſcopi latas ſuper his ſententias ceteri requiſiti ab eo publicare teneantur, & facere in ſuis diœceſibus, quantum ad juriſdictionem ſuam pertinet, obſervari (ſi quidem, ut dictum eſt, ipſos maleficos in alterius diœceſi commorantes, in alterius diœceſi prænominatos exceſſus conſtet notorie perpetraſſe) vel alias legitime, cum ratione delicti, forum ejus in cujus deliquerint diœceſi ſortiantur. Statuimus ordinantes, quod taliter notorie delinquentes moneri & citari", ubicumque valeant inveniri. Contra illos autem, quos non notorie ſed legitime conſtiterit deliquiſſe; non authoritate concilii, ſed ordinaria procedatur.

" Corr. ſi.

" add. libere.

Et ſi monitus vel citatus, contumax fuerit, aut parere vel emendare noluerit: ab ipſo epiſcopo, in cujus deliquit diœceſi, volumus quod poſſit in ipſum ſeu eos exerceri. Ita quod ſi idem epiſcopus in ipſos malefactores notorios animadvertens, alium ordinarium ſuffraganeum Remenſis metropolis requiſierit, vel proceſſum ſuum ei inſinuare curaverit: requiſitus epiſcopus ſententias publicet, & legitime aggravet ſecundum quod expedientius fieri poterit; ac ſic alter alterius onera portet, & mutuum conſilium & auxilium ſibi præbendo, ab oppreſſionibus & injuriis hujuſmodi, eccleſias unanimi præſidio tueantur.

Salvis nihilo minus iis quæ ſuper prædictis & aliis articulis per ſedem apoſtolicam, ac per venerabiles patres eccleſiæ Gallicanæ, ac in aliis conciliis provincialibus Remenſis provinciæ, ordinata ſunt & ſtatuta: quæ præcipimus & ſtatuimus obſervari, & a ſuffraganeis, ſi eis videatur expediens, in eorum ſynodis publicari. In cujus rei teſtimonium & munimen ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Datum & actum anno & die ſupradictis.

CON-





# " ** CONCILIUM AVENIONENSE

## Anno MCCLXX. Id. Jul.

Nunc primum prodit ex MS. Eminentiſſ. Card. Chiſii.

Concilium I. per dominum B". Maleferrati, quondam archiepiſcopum Arelatenſem, celebratum.

" Bertrandum

### TITULI CAPITULORUM.


1. *Ut alienationes bonorum eccleſiaſticorum revocentur.*
2. *Ut pecunia legata, ad arbitrium executorum dividatur in cauſas pias.*
3. *Ut archiepiſcopus & ſuffraganei ſe invicem juvent in ſententiis ſervandis & publicandis.*
4. *Ut qui habent perſonatus, & beneficia curata, presbyteri fiant intra annum.*
5. *Ut expenſæ factæ in legatos apoſtolicos, ſolvantur de contributione eccleſiarum.*
6. *Ut perſonatibus aſſignentur certi redditus.*
7. *Ut religioſi & clerici non quærant defenſionem ſæcularem contra epiſcopos.*
8. *De clerico qui epiſcopum, præpoſitum, &c. graviter læſerit.*


### PRÆFATIO.

ANno Domini MCCLXX. Idibus Julii, venerabiles patres domini B". Dei gratia archiepiſcopus Arelatenſis. R. Cavallicenſis. G. Carpentoratenſis. Zoen Avenionenſis. N. Vaſionenſis. P. Auriacenſis. I. Tricaſtinus, epiſcopi Arelatenſis eccleſiæ ſuffraganei, atque multi alii prælati ejuſdem provinciæ, apud Avenionem in provinciali concilio congregati, hæc ſubſcripta capitula in eodem concilio promulgata ſervari per totam eamdem provinciam mandaverunt: licet eadem non ſint ſtatuta, ſed in forma pronunciata fuerint ſtatutorum.

" Bertrandus.

### CAPITULA.

*I. Ut alienationes bonorum eccleſiaſticorum revocentur.*

ALienationes factas de poſſeſſionibus eccleſiarum ſine diœceſanorum conſenſu, rectores ſeu priores earumdem eccleſiarum, ſive ſint alienatores, ſeu eorum ſucceſſores, ſtudeant celeriter revocare, quatenus proceſſerint de facto: alioquin per diœceſanos locorum, tam dicti rectores ſeu priores, quam abbates, ſeu alii ad quos ſpectant illæ eccleſiæ, ad id monitione præmiſſa, per cenſuras eccleſiaſticas compellantur.

*II. Ut pecunia legata, ad arbitrium executorum dividatur in cauſas pias.*

Cum autem teſtator legat certam pecuniæ quantitatem vel res alias pro foreſtis ſuis diſtribuendis arbitrio gadiatorum ſeu executorum teſtamenti ſui, nec extant certæ perſonæ, quibus, ſeu inter quas, pecunia ſeu res ſic legata diſtribuantur: ſtatuimus quod pecunia ſeu res prædictæ, per ipſos executores, de conſilio tamen & aſſenſu prælatorum, ne fraus aliqua per ipſos gadiatores valeat procurari, in pias cauſas dividantur. Et niſi teſtator tempus præfixerit ad hujuſmodi perſolvenda, dicti executores, per diœceſanos locorum, ea infra annum ſolvere per cenſuras eccleſiaſticas compellantur.

*III. Ut archiepiſcopus & ſuffraganei ſe invicem juvent in ſententiis ſervandis & publicandis.*

Item ſtatuimus, quod dictus archiepiſcopus & ejus ſuffraganei, mutuum ſibi ad invicem auxilium in ſententiis ſervandis & publicandis præſtent, cum per illum, qui ipſas ſententias tulit, fuerint requiſiti.

*IV. Ut qui habent perſonatus, & beneficia curata, presbyteri fiant intra annum.*

Item ſtatuimus, quod illi qui habent perſonatus etiam ſine cura, ſeu beneficia curam animarum habentia, compellantur per diœceſanos per ſubtractionem beneficiorum infra annum in presbyteros promoveri, niſi rationalem cauſam oſtenderent, quare infra annum non poſſent, vel deberent: vel niſi ſint archidiaconi, quibus ſufficit quod ſint diaconi, & quod in diaconatu miniſtrent.

*V. Ut expenſæ factæ in legatos apoſtolicos, ſolvantur de contributione eccleſiarum.*

Item ſtatuimus, quod ſi epiſcopus, vel aliquis rector alicujus eccleſiæ, de diœceſi expenſas neceſſarias fecerit in legatis & nunciis ſedis Apoſtolicæ, expenſæ illæ ſolvantur de communi contributione eccleſiarum totius diœceſis: & iſtæ expenſæ ſemel in anno in una ſynodo colligantur.

*VI. Ut perſonatibus aſſignentur certi redditus.*

Item ſtatuimus, quod epiſcopi & capitula aſſignent, & deputent clericis in perſonatibus ſeu dignitatibus ſuæ eccleſiæ conſtitutis, qui carent redditibus, certos redditus

ANNO CHRISTI 1270.

juxta facultates ſuas, & qualitatem dignitatis, ſine magno præjudicio aliorum: quod videtur poſſe fieri, ibi præſertim ubi communia bona habentur.

*VII. Ut religioſi & clerici non quærant defenſionem ſæcularem contra epiſcopos.*

Item ſtatuimus, quod ſi religioſi vel clerici ſæculares ſe in quidagio ſeu defenſione ſæculari poſuerint contra epiſcopos & prælatos ſuos, niſi canonica admonitione præmiſſa illi quidagio ſeu defenſioni penitus renunciaverint, per diœceſanum excommunicentur: alias per ſubtractionem bene- B ficii, ſi quod habent, ſi hæc contempſerint, puniantur.

*VIII. De clerico qui epiſcopum, præpoſitum, &c. graviter læſerit.*

Item ſtatuimus, quod ſi quis clericus epiſcopum, præpoſitum, ſeu alium in perſonatu, dignitate, ſeu canonia alicujus eccleſiæ conſtitutum, factis vel verbis graviter dehoneſtaverit: non admittatur ulterius ad aliquod beneficium illius eccleſiæ, niſi paſſo injuriam ſatisfecerit de injuria ſeu offenſa.

ANNO CHRISTI 1271.

## * ** CONCILIUM APUD S. QUINTINUM,

Ab epiſcopis Remenſis provinciæ vacante ſede Remenſi celebratum, anno MCCLXXI.

*Concilii hujus quidquid ſupereſt, ſuppeditat Cl. Hemeraus in auguſta Veromanduorum illuſtrata, cujus hæc verba ſunt.* Eodem (anno MCCLXXI.) Milo Sueſſionenſis antiſtes, vacante ſede Remenſi, concilium provinciale, pro uſu jamdiu in eadem metropoli recepto, indixerat Sanquintini. C Celebrationem tamen ejus canonici Remenſes interturbarunt: vetantes inconſultis iis, nec largitis habendæ ſynodi facultatem, quemquam intereſſe ſuffraganeorum. Prohibitio publicata, Milonis inſtitutum aliquandiu retardavit. Sed illo tandem compoſito diſſidio, habitum illud eſt in eadem urbe apud Dominicanos: qui locus conſuetus ejuſmodi ſynodorum: Eoque cum alia præclara, tum in primis de ſacrarum perſonarum & eccleſiarum privilegiis, &c. conſtituta quæ ſequuntur.

*I. Ut prælati mutua non contrahant.*

Indemnitatibus eccleſiarum, prout ad noſtrum ſpectat officium, providere volentes: ſtatuimus, ut abbates, & alii inferiores prælati eccleſiarum, per litteras ſuas mutua non contrahant, niſi pro ſuis & eccleſiæ ſuæ negotiis procurandis. Qui vero contra hoc fecerint, ipſo facto noverint ſe ſuſpenſos.

*II. De eo qui aliquem ab eccleſia abſtraxerit.*

De violatoribus eccleſiarum ſtatuimus, ut ſi quis ab eccleſia aliquem abſtraxerit, ab E ingreſſu eccleſiæ per annum noverit ſe ſuſpenſum.

*III. De eo qui aliquem in eccleſia interfecerit.*

Si quis in eccleſia aliquem interfecerit, quandiu vixerit, ipſo facto, ingreſſu eccleſiæ ſit privatus, niſi cum ipſo per provinciale concilium fuerit diſpenſatum: ſalvis aliis pœnis, quæ contra tales in canonicis conſtitutionibus continentur.

*IV. Ut prioratus debito monachorum numero non defraudentur.*

Si cultum domus Domini creatione novorum miniſtrorum amplificaverunt reges veteris teſtamenti: nos novi teſtamenti pontifices, ſuſtinere non debemus in eccleſia Dei diminui numerum ſervitorum. Sane pro certo didicimus quod quidam abbates, prioratuum ſuorum adeo exhauriunt facultates, quod iidem prioratus debito monachorum numero defraudantur. Cum ergo hæc non debeamus ſub diſſimulatione pertranſire: ſtatuimus, ut viſitationis officium exercentes inquirant inter alia, quotus debet eſſe numerus ſervitorum: & ſi diminutus D fuerit, abbati denuncient, ut infra menſem ſuppleat numerum diminutum, ſecundum quod poſſunt facultates eorum ſufficere. Si vero facere noluerint, per ſaiſitionem bonorum, vel alio modo, ſecundum quod prælati expedire viderint, compellantur. Præcipimus autem ut hoc ſtatutum ſine acceptione perſonarum obſervetur.

*Hemeraus idem pag. 278. iterum deſcribit poſtremum illum canonem ex codice Sueſſionenſi; in quo conciliorum Remenſis provinciæ canones. Tum ſubjungit:* Item ex eodem concilio.

*V. Ut ſæculares magiſtratus non cogant clericos ad debita Judæis perſolvenda.*

Sacras conſtitutiones legentibus ſatis liquet, quod nullam habeant de rebus eccleſiaſticis diſponendi laici aliquo modo poteſtatem. Verum nobis multorum quæſtio patefecit, quod in tantum quorumdam principum ſæcularium proceſſit temeritas, ut ſi Judæi conquerantur de aliqua eccleſiaſtica per-



ANNO CHRISTI 1271.

ſona, quod eis ſit debitis obligata, ſtatim irrequiſito loci prælato, non convictos nec confeſſos, per captionem bonorum eorumdem nituntur compellere ad ea debita perſolvenda. Cum igitur iſtud manifeſte ſit contra omnia jura tam canonica quam civilia, & etiam a ratione diſcordet, ut injuria A *Crucifixi, melioris conditionis ſint quam Chriſtiani: præcipimus, ut prælati, quando in eorum juriſdictione tale quid acciderit, in delinquentes hujuſmodi pœnam canonicam vigilanter exercere non relaxent, donec non ſolum de damnis, ſed de injuria, ſatisfecerint competenter.

* f. ut inimici cruc.

## ELECTIO THEALDI ARCHIDIACONI

Leodienſis in ſummum pontificem Gregorium X. Kal. Septembr. ann. MCCLXXI.

G. COSSARTII ADMONITIO.

Annos jam duos, menſes novem, dies duos, ſedes Romana vacaverat: habiti a cardinalibus fuerant multi de creando pontifice conventus: ſed propter factiones, quibus ſciſſum erat ſacrum collegium, eventu nullo. Tandem anno MCCLXXI. Kal. Septembris, compromiſſo facto, ſex cardinalibus poteſtas facta pontificis eligendi. Acta ipſa primus edidit Luc. Waddinghus Franciſcanus, annalium ordinis ſui auctor eruditus æque ac diligens; ac deinde, Odoric. Raynaldus Baronii digniſſimus continuator. Deſcripſerunt autem illa ex Vaticano codice MS. formularum Marini Ebulenſis, auctoris coævi, Galli hominis, qui ex theſaurario Saresberienſi in Anglia, & eccleſiæ Romanæ vicecancellario, factus eſt demum a Clemente IV. archiepiſcopus Capuanus. Opus ejus, ex quo hæc acta deſcripta ſunt, continet formulas litterarum & inſtrumentorum cancellariæ apoſtolicæ.

I.

Compromiſſum, quo ſex cardinalibus poteſtas datur pontificis eligendi.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*

ANno Incarnationis Dominicæ MCCLXXI. menſe Septembris, die prima menſis ejuſdem, nos miſeratione Divina Odo Tuſculanus epiſcopus, Simon tituli S. Martini, Ancherius tit. S. Praxedis, Guillelmus tit. S. Marci, Guido tit. S. Laurentii in Lucina, Simon tit. S. Cæciliæ, C Ambaldus baſilicæ duodecim Apoſtolorum, preſbyteri; Richardus S. Angeli, Octavianus S. Mariæ in via lata, Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano, Othobonus S. Hadriani, Jacobus S. Mariæ in Coſmedin, Gottifridus S. Georgii ad velum aureum, Ubertus S. Euſtachii, & Matthæus S. Mariæ in porticu, diaconi, cardinales: Apoſtolica ſede per obitum fel. rec. domini Clementis papæ IV. vacante, in communi conſiſtorio, ſolito more convenimus, de electione ſummi pontificis tractaturi. Cumque omnes & ſinguli conſentiremus per viam procedere compromiſſi, nos prædicti O. Tuſculanus epiſcopus, A. tit. S. Praxedis, G. tit. D S. Marci, S. tit. ſanctæ Cæciliæ, A. baſilicæ duodecim Apoſtolorum, presbyteri; O. S. Adriani, G. S. Georgii ad velum aureum, V. ſancti Euſtachii, & M. S. Mariæ in porticu, diaconi, cardinales; venerabili patre domino Joanne Portuenſi epiſcopo tunc abſente a dicto conſiſtorio, & infra paſchale *palatium in ſua camera conſtituto, requiſito & expreſſe conſentiente: in venerabiles patres præfatos dominos S. tit. S. Martini, G. tit. S. Laurentii in Lucina, presbyteros, R. S. Angeli, Octavianum S. Mariæ in via lata, Joannem S. Nicolai in carcere Tull. & Jac. S. Mariæ in Coſmedin diaconos, cardinales, conſenſimus, & eos com- E promiſſarios eligentes, ipſis volentibus & expreſſe conſentientibus, ac compromiſſum hujuſmodi & formam acceptantibus infra ſcriptam, contulimus concordi voto, & unanimi conſenſu omnes & ſinguli poteſtatem providendi ſacroſanctæ Romanæ & univerſali eccleſiæ de paſtore in forma ſubſcripta. Videlicet quod quinque ex eiſdem ſex compromiſſariis de ſexto ex ipſis ſex, vel omnes ipſi B ſex de aliquo alio de collegio dictorum cardinalium, ſeu etiam extra ipſum collegium, in pontificem & paſtorem ipſius eccleſiæ concorditer providerent: ad hæc facienda ipſis præfata prima die Septembris & ſequenti conceſſis. Dicti vero compromiſſarii ſinguli ſingulariter, & omnes communiter conſentientes, ut præmittitur, hujuſmodi compromiſſo, ipſum & poteſtatem in præſcripta forma conceſſam eiſdem benigne ac humiliter ſuſceperunt. Actum Viterbii in dicto conſiſtorio, anno, menſe, & die prædictis. Ego O. Tuſculanus epiſc. in prædictos compromiſſarios conſenſi, eos elegi, & ipſis pro me poteſtatem contuli providendi ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ & univerſali de paſtore in forma præſcripta. Et ſic ſcribant ſinguli qui compromiſerunt. Ut autem huic compromiſſo fides plenior habeatur, ipſum ſigillorum noſtrorum munimine fecimus communiri.

* Curr. papale.

II.

Inſtrumentum electionis factæ per compromiſſarios.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*

ANno Incarnationis Dominicæ MCCLXXI. menſe Septembris, die prima menſis ejuſdem, nos miſeratione Divina S. tit. S. Martini, Guido, tit. S. Laurentii in Lucina, presbyteri; Richardus S. Angeli, Octavianus S. Mariæ in via lata, Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano, & Jacobus S. Mariæ in Coſmedin, diaconi, cardinales, compromiſſarii electi a reverendo collegio dominorum cardinalium, data nobis poteſtate providendi ſacroſanctæ ac univerſali eccleſiæ vacanti per obitum fel. rec. domini Clementis papæ IV. de paſtore, in forma ſubſcripta in compromiſſum ipſum conſenſimus; & illud ac poteſtatem nobis conceſſam recepimus reverenter. Forma vero dictorum compromiſſi ac poteſtatis nobis conceſſæ hæc eſt: In nomine ſanctæ & individuæ, &c. *ut ſupra*. Nos itaque præfati compromiſſarii, hujuſmodi compromiſſo & poteſtate ſuſceptis, habito in conclavi diligenti, prout negotii exigebat arduitas, & perpenſo tractatu; ac conſideratis circumſtantiis univerſis, quæ neceſſitate ipſius eccleſiæ, ac totius

Anno Christi 1271.

totius orbis inſpecta, nos ſecundum Deum movere poterant & debebant: ad honorem domini noſtri Jeſu Chriſti, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ matris ſuæ, beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, omnium ſanctorum, ac ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, dicta prima die Septembris, ex collata nobis poteſtate juxta formam nobis traditam procedentes, convenimus, & concorditer conſenſimus, vice noſtra & ejuſdem collegii, in venerabilem patrem noſtrum dominum Thealdum Placentinum, archidiaconum Leodienſem ſeu in eccleſia Leodienſi, ipſum in Romanum pontificem nominantes ac aſſumentes: & præfato domino Simoni nos reliqui quinque compromiſſarii dedimus poteſtatem, ut eundem dominum Thealdum vice ſua & noſtra, nec non & totius præfati collegii, eligeret in ipſius Romanæ ac univerſalis eccleſiæ pontificem & paſtorem. Et nos præfatus Simon ipſum e veſtigio elegimus per hæc verba: Ego Simon tit. S. Martini presbyter cardinalis, ad honorem domini noſtri Jeſu Chriſti, beatiſſimæ matris ejus, & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium ſanctorum, nec non & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ memoratæ, eligo venerabilem patrem dominum Thealdum Placentinum, archidiaconum Leodienſem ſeu in eccleſia Leodienſi, in Romanum pontificem & paſtorem. Actum Viterbii in dicto conſiſtorio, anno, menſe, & die prædictis.

Ego Simon tit. S. Martini presb. cardinalis, in venerab. patrem dictum dominum Thealdum conveni, conſenſi, ac ipſum in Rom. pontificem nominavi, & aſſumpſi ac eligi mandavi in forma præſcripta.

In eundem modum alii compromiſſarii.

Ut autem huic proceſſui fides plenior habeatur, ipſum ſigillorum noſtrorum munimine fecimus communiri.

## III.

### Aſſenſus ceterorum cardinalium, electionem ratam habentium.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen.*

ANno Incarnationis Dominicæ MCCLXXI. &c. *Repetitur hic compromiſſum, ſuperius jam editum, uſque ad hæc verba*: benigne & humiliter ſuſceperunt. *Deinde*. Porro nos præfati compromiſſarii, hujuſmodi compromiſſo & poteſtate ſuſceptis, habito in conclavi diligenti, prout negotii, &c. *ut in inſtrumento proxime edito electionis per compromiſſarios factæ uſque ad hæc verba*: eligo venerabilem patrem dominum Thealdum Placentinum, archidiaconum Leodienſem ſeu in eccleſia Leodienſi, in Romanum pontificem & paſtorem. *Sequitur*.

Sane iis peractis, incontinenti omnibus cardinalibus vocatis, & convenientibus in conſiſtorio memorato, nos prædicti compromiſſarii conſenſus noſtros & electionem prædictam publicavimus, & publicando ipſos conſenſum & electionem iteravimus in communi. Nos autem prædicti omnes & ſinguli epiſcopi & presbyteri & diaconi cardinales; in eodem conſiſtorio congregati, proceſſum & electionem hujuſmodi ratificantes, acceptantes, & etiam in ipſum venerabilem patrem dictum dominum T. conſentientes expreſſe, ipſum licet abſentem recepimus & recipimus in Romanum pontificem & paſtorem. Ceterum venerabilem patrem dominum H. Oſtienſem epiſcopum, poſt hæc ad idem conſiſtorium convocantes, communicavimus ei omnia ſupra dicta: qui ea omnia & ſingula gratanter acceptans, memoratum dominum Thealdum in Romanum pontificem & paſtorem humiliter & devote recepit.

Anno Christi 1271.

## IV.

### Cardinalium epiſtola ad Thealdum electum Romanum pontificem.

*Sanctiſſimo patri & domino reverendo, domino Thealdo archidiacono in eccleſia Leodienſi, Divina providentia, in Romanum & ſummum electo pontificem; miſeratione Divina epiſcopi, presbyteri, & diaconi, ſacroſanctæ Rom. eccleſiæ cardinales, pedum oſcula beatorum.*

SEmpiterno ſplendens lumine, ac ineffabili præditus majeſtate Patris æterni Filius, dominus Jeſus Chriſtus, qui cuncta diſponit virtute mirabili, prout ſuæ placet ſanctiſſimæ majeſtati, circa ſanctam Romanam & univerſalem eccleſiam ita ſuæ continuat benignitatis affectum, & roborat protectionis auxilium: quod nullo unquam turbine vexationis evertitur, nec propter alicujus perſecutionis vel adverſitatis inſtantiam naufragatur; quin immo glorioſa incrementa ſuſcipit, & tanquam ſtella matutina per mundi climata refulgeſcit, prout multis liquet indiciis, & patet clariſſimis argumentis. Nam licet jam dicta eccleſia, poſt habitum a ſuperno rege de morte triumphum, & ipſius regreſſum ad gloriam cœleſtis patriæ, ſui fulgore luminis perenniter illuſtratæ, fuerit pro diverſitate temporum, perſonarum illarum deſtituta præſidiis, quas ad ejus regimen celſitudo providerat omnium conditoris: ipſa tamen eccleſia per ſucceſſivam ſubſtitutionem Romanorum pontificum, favente ſupernæ virtutis auxilio, felicis habuit perſeverantiæ firmamentum. Et quidem diebus iſtis circa dictam eccleſiam hoc ipſum virtuti altiſſimi dignanter placuit operari: quia piæ recordationis domino Clemente papa IV. dudum de hac luce finibili ad infinibilem evocato (ſicut de Redemptoris noſtri confidimus pietate,) ac ipſius corpore tumulato; nos, Miſſarum ſolenniis, ſicut moris eſt, ad honorem ſancti Spiritus devotiſſime celebratis, in unum convenimus ad habendum de ſummi pontificis ſubſtitutione tractatum. Quo frequenter habito, & circa tanti profunditatem negotii, cui ſimile in humanis actibus non cernitur inveniri, diffuſi temporis ſpatio interjecto, ac deſideriis eligentium, permittente Domino, in diverſa diviſis: tandem, Divina propitiante clementia, vota noſtra in venerabilem perſonam veſtram unanimiter & concorditer dirigentes, vos per compromiſſi viam elegimus in Romanum ſummum pontificem, conſueto laudis Divinæ cantico, fidelium aſtante multitudine, decantato: ducti credulitate firmiſſima, quod cum in vobis ab annis teneris laudabilis converſationis & vitæ reſulſerint ornamenta, & odor famæ veſtræ gratiſſimus hinc inde per loca plurima ſit diffuſus; ille benedictus in ſæcula qui vos dignanter in ſuum aſſumpſit vicarium, & in Chriſtiani populi patrem & dominum gratioſum, de veſtris ſanctis dabit provenire meritis, quod in ſtatum proſperum & jucundum reſurgat eccleſia generalis: etiam quod fidei catholicæ gloria ubique votiva ſuſcipiet incrementa; nec non quod terræ ſanctæ negotium facilem & felicem ſortietur effectum; maxime, cum ſit veriſimile, quod Redemptoris noſtri benignitas vos ad terram ipſam voluit illa de cauſa per-



Anno Christi 1271.

ſonaliter pervenire, ut oculata fide viſis ejus anguſtiis, & tribulationibus intellectis, de illo ſibi procuretis provideri ſubſidio, ex quo proveniat acquiſitionis perfectę gaudium, a longis retroactis temporibus laudabiliter expectatum. Quid ad iſta, vir virtutis eximiæ? vir in oculis Dei & hominum glorioſe?

Venerabiles, ac providos, & diſcretos viros . .................. latores præſentium, noſtros quidem ſpeciales nuncios, cum decreto electionis canonicæ de vobis concorditer celebratæ ad præſentiam veſtram duximus deſtinandos: ſupplici precum petentes inſtantia, & per Dei miſericordiam obſecrantes, quatenus in virtute illius, qui ſuper pennas ventorum ambulat, & in momento cuncta perficit, prout ſuæ ſanctiſſimæ voluntatis exiſtit, ceſſantibus quibuſcunque diffugiis, vos accingatis ad iter adeundi ſedem apoſtolicam, ſub anxietate multa ſpiritus conſtitutam, quouſque de clementiſſima virtute Altiſſimi ſibi proveniat veſtram deſiderabilem faciem intueri; qua viſa ſtillabunt cœli dulcedinem, & colles fluent lactis & mellis inceſſabilem ubertatem. Quin immo ad pedum veſtrorum oſcula non ſolum concurret multitudo fidelium numeroſa, ſed ante vos etiam curvabitur altitudo principum, & perſonarum ſublimitas inclytarum. Nec mirum, quia ſicut pie confidimus, & devote ſperamus, vobis habentibus Deum ſolum præ oculis, & amplectentibus jugiter vitæ ſtudium innocentis; vitiorum in malevolis extirpatione præmiſſa, & plantatione virtutum in benevolis ſubſecuta; benignitas veſtra lætificabit Dei populum in exhibitione juſtitiæ, ac etiam in condignis gratiis opportuno tempore liberaliter conferendis: miſeranda multitudine pauperum ob illam cauſam habitura de vobis affluentiam gaudiorum, quia ipſorum nomen erit coram vobis amabile, ac eorum animas conſolari in veſtris exiſtet affectibus ſpeciale. Vobis autem, pater orphanorum & judex clementiſſime viduarum, ſufficiat iſtam brevem audiviſſe particulam de profectibus innumeris, qui proventuri ſunt univerſitati fidelium per veſtræ miniſterium ſanctitatis, illius favente clementia, qui mannæ cœleſtis edulio ſuum ſatiavit miraculoſe populum; & de quinque panibus, ac duobus piſcibus, quinque millia perſonarum, duodecim cophinis in augmentum ſuæ gloriæ ſuperantibus de fragmentis. Iſtis etenim noſtræ devotionis eloquiis cum affectu paterno clementer auditis, virtute Paracliti feſtinate nos veſtros videre fratres & filios, & conſolari corda gementium, quibus in viſione veſtri vultus angelici quaſi dabitur vidiſſe delicias paradiſi. Reliqua ſuper iis votiva nobis & Chriſtiano populo infundat præcordiis Spiritus ille paraclitus, qui diſcipulorum corda languentium fuit pleniſſime conſolatus.

Anno Christi 1271.

### NOTA GABR. COSSARTII

Ex his actis falſi convincuntur, & Meyerus, qui Gregorii electionem ab ejuſdem conſecratione minime diſtinguens, eam ad annum conſequentem differt: & Binius, apud quem in Gregorii vita mox leges eum decimo ſeptimo Septembris electum eſſe: & chronica Franciſcana, in quibus legitur compromiſiſſe cardinales omnes in S. Bonaventuram, eique poteſtatem feciſſe ſui ipſius renunciandi, at illum, ſingulari exemplo, dignitatem ſummam alteri contuliſſe: & S. Antoninus, qui Placentinum epiſcopum prius fuiſſe aſſerit: & Ricordanus ac Joannes Villanus qui cardinalem, & in Syria ſedis apoſtolicæ legatum fuiſſe narrant; & Nangius, aliique, qui Theobaldum nuncupant: & Longinus Polonicæ hiſtoriæ ſcriptor, qui Simbaldum appellat: & Geſnerus, qui in bibliotheca ſua Laudenſem archidiaconum vocat.

# VITA GREGORII PAPÆ X.

GRegorius decimus, Theobaldi nomine antea vocatus, e vicecomitibus Placentiæ & archidiacono Leodienſi, vitæ ſanctiſſimæ homo, cum in Aſia contra infideles cum exercitu Chriſtianorum pugnaret, poſt interregnum duorum annorum novemque menſium, Viterbienſium & ſancti Bonaventuræ hortatu, ab omnibus prope cardinalibus electus eſt Viterbii " decimoſeptimo Septembris anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, tempore" Rudolphi primi imperatoris. Rogatu Caroli regis maritimo itinere in Apuliam profectus, regiſque comitatu Caperanam " uſque ſtipatus, terreſtri itinere Viterbium conceſſit: inde cum cardinalibus Romam devenit, ubi vigeſimoſeptimo Martii coronatus & conſecratus eſt. Rebus eccleſiæ pacatis, in præſentia Gallorum regis, inter Venetos & Genuenſes quinque annos induciarum pepigit. Exinde Lugduni congregavit concilium, in quo, Palæologo Græcorum imperatore per legatos præſente, Græca & Latina eccleſiæ decimatertia vice unitæ fuerunt. Florentiam interdicto punivit, quod Gibellinos eo per ſe remiſſos ejeciſſent. Abſoluto concilio in Italiam regrediens, obviam factus eſt regi Caſtellæ. Quo graviter conquerente quod in electione imperatoris, Rudolpho fuiſſet poſthabitus, auditis tamen pontificis optimis rationibus pacatum reddidit. Aretium delatus, cum propter interdictum Florentiam declinare ſtuderet, in morbum incidit, & poſt quatuor annos, totidemque menſes, & decem dies, ab electionis tempore elapſos, mortuus eſt Aretii in Tuſcia quarto Idus Januarii, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto: ſepultus eſt ibidem in cathedrali eccleſia. In concilio jam dicto, inter alia decreta, authore Onuphrio, hoc unum adinvenit, ut mortuo pontifice, cardinales in conclavibus ſub firma cuſtodia recluderentur: ad evitanda pericula quæ ex diuturniori electionis dilatione oriri potuiſſent. Hujus tempore emerſerunt ex Italia Flagellantes hæretici, incerto authore: qui per Germaniam & Galliam vagantes, ſemetipſos flagellabant, & inter ceteros errores, hos prædicabant: Neminem ſalvari poſſe, niſi in ſanguine de proprio ſuo corpore per flagella excuſſo baptizaretur: Aquam benedictam nihil efficaciæ habere. Plures vide apud Sanderum libro ſeptimo de viſibili monarchia. Quo & quali habitu uſi fuerint, Stero in ſuis annalibus anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo deſcribit his verbis: Ab umbilico ſurſum corpora "

de-

" *Kal. Septemb. Vide pag. 468. in Not.*
" *Meminiſſe Binius debuerat Rodolfum poſt annos duos imperare cœpiſſe.*
" *Ceperanum dicere voluit.*

denudantes, quadam veſte partem corporis inferiorem uſque ad talos tectam habebant; & ne quis eorum agnoſceretur, cooperto capite & facie incedebant. Procedebant etiam bini, terni, tanquam clerici, vexillo prævio vel cruce, flagellis ſemetipſos bis in die per triginta tres dies, & deinde in memoriam temporis humanitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuper terram apparentis tamdiu cruciantes, quouſque ad quaſdam cantilenas, quas de paſſione ac morte Domini dictaverant, duobus vel tribus præcinentibus circa eccleſiam vel in eccleſia compleverunt, nunc, in terram corruentes, nunc ad cœlum nuda brachia erigentes, non obſtante luto, vel nive, frigore vel calore. Miſerabiles itaque geſtus ipſorum & dira verbera, multos ad lacrymas & ad ſuſcipiendam eamdem pœnitentiam provocabant. Sed quia origo ejuſdem pœnitentiæ, nec a ſede Romana, nec ab aliqua perſona auctorabili fulciebatur: a quibuſdam epiſcopis & domino Henrico duce Bavariæ cœpit haberi contemptui, unde tepeſcere in brevi cœpit, ſicut res immoderate concepta. Hæc Stero. Vide infra hiſtoriam concili Lugdunenſis II.

## EPISTOLA GREGORII PAPÆ X.

### AD HENRICUM LEODIENSEM Epiſcopum.

*Eum in concilio Lugdunenſi * propter incontinentiam denunciatum & convictum, antequam epiſcopatu privaret, hortatur ad pœnitentiam.*

* *Scripta eſt epiſtola ante concilium Lugdunenſe. Vide notam noſtram ad calcem epiſtolæ.*

DEbet unuſquiſque, cui Dominicus grex committitur, & cura imminet animarum, ſuper gregem ipſum vigilias adverſus nequitias ſpirituales obſervare. Nam vigilias ſalutares eſſe nullus ſanæ mentis ignorat: quia revera plus vigilare, plus vivere eſt. Quid eſt tam morti ſimile, quam dormientis aſpectus? aut quid tam vita plenum, quam forma ſeu conditio vigilantis? Indulgendum quidem ſomno eſt, ut quis corpus reparet, non ſolvat; ut vires revocet, non coerceat. Quænam ars, quod opus, officium ſeu poteſtas, quæ non vitæ lucubratione proficiat, & quæratur?

Nauta enim vigilando calles tranſit invios, & nocturno veſtigio ad lucroſi portus votivam pervenit manſionem: paſtor ſibi totum denegat dormiendi tempus, ne qua lupis, ſuffragante ſomno, graſſandi in gregem occaſio præbeatur: viator etiam ſolers, æſtus, per noctis ſemitas, ſolis prævenit, & actum diei providentius deputat manſioni: miles quoque in caſtris ſupervenientes impetus nocturnos ſolita pernoctatione propellit: at rex in procinctu pervigil, callidi hoſtis præcavet inſidias & evitat.

Si itaque tantæ exiguntur vigiliæ, ubi de temporalibus agitur & caducis: evidenter apparet, quod ſolicitudinis oculus claudi non debet, ubi fructus ipſarum perquiritur animarum. Tenetur ergo quilibet pro gregis cuſtodia ſummopere vigilare prælatus: ſed lumbis præcinctus: tota enim in præcingendis lumbis cura mandatur, totum in conſtringendis ipſis a Dei Filio ſtatuitur jus præcepti: addito tamen lucernarum ſolatio, ſine quo nec noctis aperitur obſcuritas, nec venientis diei clareſcit aſpectus. Sed cur lumbos potiſſime nominat? cur tanta jubentis auctoritas lumborum ſignanter efficit mentionem? Hoc profecto accidit, quia in lumbis eſt tota pene humani lapſus & humanæ fragilitatis occaſio. Propter quod principaliter ipſe Dei Filius lumbos præcingi jubet balteo caſtitatis, totumque carnis pendulum, fluidum, reſolutum conſtringi mandatur ligatura virtutis: ut carne ſuccincta, liberior ad Deum ipſi prælato pro ſubditis ſit acceſſus. Nam tunc, non carnis corruptela, non mole corporis prægravatus, inter Deum & ſubditos eoſdem, ſeipſum, juxta etymologiam nominis, pontem faciat. Offert namque ipſi Deo tanquam mediator legitimus populi preces & vota; & per ipſum tanquam pontem medium, benedictio ejus reportatur & gratia. Ingratis enim improperat Divinæ bonitatis beneficia, contemnentibus potentiæ ſeveritatem inſinuat, utriſque tamen ſtudet indignantis placare fervorem: nunc hominum infirmitatem, nunc Divinæ prætendens magnitudinem pietatis. Conſtringenda ergo eſt ipſa caro continentiæ cingulo: ne effuſa vitiis ac toto peccatorum gravata pondere, cœleſtibus ipſe prælatus pro ſe ac ſubditis inſiſtere minus poſſit. Sed nec quidem carnis impetus refrænare, parvulos ad petram elidere, &, quod majus eſt, conſcientiam mundam habere, non ſufficit in paſtore: immo ultra id oportet, ut lucernas in manibus habeat; tum ex eo quod lucernæ ſemper in teſtimonium innocentiæ tempore nocturno portantur; tum etiam, quia ſicut vitiis amicæ ſunt tenebræ, ita lucernæ ſemper ſunt criminum inimicæ. Nec tamen iſtud ſatis eſt in prælato, niſi ipſe deferat lucernas ardentes: quia etſi lucere eſt vanum, ardere parum, ex his tamen duobus conficitur quid validum & perfectum. Nam quid lucernæ ardentes, niſi exempla in ipſo prælato vitæ ſanctitate præclara? quæ dum fomentis operum, miſericordiæ oleo, ac caritatis inflammantur ardore, ipſum prælatum talem exhibent & oſtendunt, quod dici poteſt merito forma gregis, ac populi ſui ſalus.

Luc. 12. De pœnitentia dist. [illegible] cap. Quis [illegible]

Dolere itaque merito & gemere debes & potes, & nos vice tua, cum te ſincere diligamus, non amaricari non poſſumus: ex eo quod, ſi vera ſunt, quæ de te dicuntur, non tanquam paſtor, ſed idolum nihil obtines de præmiſſis, quia gregis tui profectibus non invigilas, nec intendis. Zona continentiæ non inhæret lumbis tuis: nec exempla vitæ, ſed mortis, tranſmittis ad ſubditos, quos tyrannice proſequeris; non complecteris caritate. Quæ vero publice de tua dicuntur perſona, etſi non omnia, aliqua tamen tuis pro tua ſalute aſpectibus volumus tenore præſentium præſentari: ut ſaltem rubore perfuſus, ſpiritum juxta deſiderium noſtrum emendationis aſſumas, reddaſque te talem, quod nobis de tua correctione gaudentibus, plorandi te mortuum culpaque proſtratum de cetero neceſſitas non incumbat.

Accepimus namque, non ſine multa mentis amaritudine, quod tu, epiſcopali gravitate prorſus abjecta, ſimoniæ, incontinentiæ, aliiſque variis & diverſis criminibus irretitus, voluptatibus & deſideriis carnis te totaliter deputas: ita quod tam ante promotionem tuam, quam etiam poſt, quamplures filios & filias procreaſti. Qui etiam in operibus mortis gloriam tuam ponens, & quandam abbatiſſam ordinis ſancti Benedicti tibi publice conſtituens concubinam: dum ſederes in quodam convivio, coram omnibus qui tunc aderant impudenter confeſſus fuiſti, te infra viginti duos menſes quatuordecim filios ſuſcepiſſe: quorum aliquibus in minori conſtitutis ætate beneficia eccleſiaſtica cum cura vel ſine cura contuliſti, & ab aliis procuraſti conferri: aliis etiam filiis tuis utriuſque ſexus, quos matrimonialiter nobilibus & potentibus procuraſti conjungi, bona tui epi-



ſcopatus mobilia & immobilia aſſignando.

Ad majorem quoque tuæ damnationis cumulum, in quodam manerio tuo, quod parcus vulgariter nuncupatur, quandam monialem monaſterii ſanctarum virginum ejuſdem ordinis diu tenens, alias mulieres eidem moniali aſſociare curaſti: & cum ad locum illum accedis, relictis exterius illis, quos tecum ducis, ſolus ingrederis ad eaſdem. Præterea cum in cœnobio quarundam monialium diœceſis tuæ, abbatiſſæ regimine deſtituto, electio abbatiſſæ canonice celebrata fuiſſet: tu hujuſmodi electione caſſata, quandam puellam natam nobilis viri ..... comitis de ...... cujus filio quandam filiam tuam in uxorem tradideras, in abbatiſſam ibidem præficere præſumpſiſti: quæ poſtmodum ex te ſibi inceſtuoſe concipiens nuper peperiſſe dicitur, in totius ſcandalum regionis. Ad hæc cum quædam alia monialis, quam ſolicitaveras, tuæ prudenter non acquieſceret voluntati, quidam clericus frater ipſius monialis, te promittente ſibi quod de beneficio provideres eidem, monialem prædictam, cui mendaciter ſuggeſſerat, quod ipſam ad quandam villam duceret cauſa viſendi conſanguineos quos habebat in ea, ad quoddam manerium tuum fraudulenter adduxit, quæ jam ex te dicitur concepiſſe. Sicque nominatus clericus præbendam in eccleſia Leodienſi ex collatione tua extitit aſſecutus. Inſuper autem tres filios, quos genuiſti de prædicta moniali ſanctarum virginum feciſti recipi in eccleſia tuæ diœceſis in clericos & in fratres. Duas ſimiliter filias ex eadem moniali ſuſcipiens, earum alteram A. filio ejuſdem comitis tradidiſti in uxorem, cui poſſeſſiones emptas de bonis eccleſiaſticis pro mille quingentis marchis argenti diceris contuliſſe.

Porro cum pro eccleſiæ debitis, quibus epiſcopatum tuum obligatum dicebas, viceſimam eccleſiaſticorum redditiuum eccleſiarum tuæ civitatis & diœceſis tibi obtinuiſſes ab apoſtolica ſede concedi: tu ipſa viceſima non contentus, in qualibet eccleſia tuæ civitatis & diœceſis, fructus dimidiæ præbendæ, prætextu terrarum eccleſiæ Leodienſis, quas obligatas mendaciter aſſerebas, percipis annuatim. Et tam prædictam viceſimam, quam eoſdem proventus congregas, ut ex eis prædictos tuos filios locupletes: prout ex eo patet, quod quadam vice dum ægrotares, palam aſſeruiſti id dumtaxat cordi tuo eſſe moleſtius, quod male de negotio tuorum cogitaveras puerorum.

Illud etiam non duximus omittendum, quod ſi aliqui ſuper proviſionibus ſuis de beneficiis ad tuam collationem ſpectantibus apoſtolicas litteras impetrant: tu ipſos uti hujuſmodi litteris aliqualiter non permittis: & ſi contra fecerint, eos perſonaliter capi, & carcerali facis cuſtodiæ mancipari, in gravem apoſtolicæ ſedis injuriam & contemptum. Et quod ita ſit, manifeſte convincitur ex eo, quod dilectum filium A. clericum, natum nobilis viri comitis de ...... turpiter ejici feciſti de ipſa eccleſia Leodienſi; reſignare compellens eumdem, quemdam archidiaconatum, qui ſibi in eadem eccleſia ex ejuſdem ſedis gratia competebat.

Ad hæc tu libertatem & immunitatem eccleſiaſticam, quantum in te eſt, evacuare contendens, ſæculares ac etiam religioſos, clericos atque laicos, indebitis exactionibus aggravas. Et ſi forte aliqui perſonatum ſuarum periculum vitare volentes, ad eccleſiam confugiant: ipſos puniendos facis extrahi exinde violenter, in derogationem eccleſiaſtici juris, quod ſuper hoc in illis partibus laudabiliter obſervatur. Jura quoque eccleſiarum adverſus nobiles, qui ea ſæpius occupant, non defendis: & in exercenda temporali juſtitia, prout ad te pertinet, omnino negligens & remiſſus exiſtens, fures, homicidas, & malefactores alios, deprehenſos, pro commiſſis exceſſibus puniri, dummodo tibi ab eis perſolvatur pecunia, animadverſione debita non permittis.

Quid plura? Horas canonicas, maxime cum eas neſcias, & illitteratus exiſtas, in animæ tuæ periculum prætermittens, laicalibus & interdum purpureis veſtibus te induis, zonis argenteis & deauratis uteris, ita quod te non prælatum, ſed potius militem repræſentas.

Ha Deus! ſi hæc vera ſunt, immo quia ſine aliqua dubitatione pro veris habentur: quid faciet populus Leodienſis tibi commiſſus, quem non ſalutis pabulo reficis, ſed inficis pernicioſis exemplis? Grex iſte Leodienſis quomodo inveniet paſcua, quæ tu paſtor ignoras? quomodo dirigetur per viam, quam tu dux ejus non tenes? aut quomodo a contagione curabitur, qua tu ejus medicus es infectus? *Non enim mundatur aliquid ab immundo*: immo qui ſordes vult alienas diluere, mundas manus debet habere. Ha Deus! ſi populus iſte indigeat gratia Dei, quomodo eam, quam tu non habes, ſibi poteris precibus impetrare? *Nam peccatores non exaudit Deus*: & dum reus ad intercedendum mittitur, ad deteriora irati judicis animus provocatur. Ha Deus! Cur tu ſic es famæ prodigus, & ſalutis oblitus, quod obſeratis interioris hominis auribus divinæ comminationis tonitruum non attendis? Clamat enim quæ non mentitur ſcriptura. Et quid clamat? *Quod exiguo debetur miſericordia, ſed potentes potenter tormenta patientur, & grave judicium imminet his qui præſunt.* Nam ſi manus hominis evaſeris, ipſius tamen Dei pro tantis exceſſibus manus effugere non valebis. O quam terribilis eſt in judicio ipſe Deus! nam furor eſt zelus ipſius. In die vindictæ non parcet, non acquieſcet cujuſquam precibus, non verebitur vultum potentis, & in muneribus non flectetur.

Eccleſ. 34. Joan. 9. Sap. 6.

Tu vero qui gregem ipſum ſic pereundo perimis, ſi ineſt tibi tanquam homini aliquid rationis, ſi qua ſcintilla Divini timoris imminet cordi tuo; ſi devotionem aliquam ad nos habes: ingredere ſaltem nunc in cubiculum mentis tuæ, & diligenter attende defectus, quos circa officium patris paſtorale, ac maculas quibus reſpergeris, tanquam vitiorum ſentina. Tunc, ſi tuam ſalutem non negligis, ſed velis ſalubriter ab hujuſmodi labe curari, & tam ſeverum declinare judicium animarum: quaſi unigeniti fac tibi planctum, lamentatrices advoca, ut ſuper mortuum & abjectum, lamentum doloris aſſumant, & terram pro te lacrymis irrigantes, tibi veniam impetrent, antequam tartarus rapiat, & exterioribus tenebris involvaris. Feſtina converti ad Deum, noli tardare, ne, ſi in mora fueris, jam non ſit locus remedio, ex quo vicia fuerint in mores converſa. Non enim longe ſunt lamentatrices hominum: ſed inveniuntur Leodii ſcilicet mulieres, & viri religioſi, qui profundis gemitibus ſua & aliorum ſæpe peccata deplorant, quorum, ſi velis, ſuffragiis poteris utiliter adjuvari.

Nec te quidem oblectatio deinceps peccati ſeducat, quia æternum eſt quod cruciat, etſi ſit momentaneum quod in ipſo peccato delectat. Nec te florida juventus decipiat, longum tibi ad pœnitendum ſpatium temporis promiſſura: quia res Deus humanas ita celeri citatas turbine verſat, ut nemo quantumcumque juvenis jam ſibi poſſit craſtinum polliceri.

Pro-

Protinus itaque tuæ proviſurus ſaluti, advoca medicum animæ tuæ languoribus congruentem, cujus ſalubri conſilio ſic commiſſa fletibus diluas, quod ea ulterius non committas. Orationi quoque inſiſtere, vacare jejunio, & miſericordiæ operibus ſtudeas inſervire: quia ſi horum munimine vallatus perſtiteris, diaboli jacula, mundi machinas, & carnis dementes impetus, tanquam bellator Dominicus, non poteris formidare. Nam jejunio cogitur caro ſervire ſpiritui, oratione tentator fugatur, & fluentis miſericordiæ in perſona proximi ipſe Deus ſe aſſerit viſitari. Circa Divinum quoque ac pontificale officium, ſic te ſedulum & devotum exhibeas: quod licet tuæ ſervitutis ſit debitum, eo tamen ipſi Deo fiat acceptius, quo & devotius fuerit perſolutum. Denique renoveris ſpiritu mentis tuæ, ut veteri homine, qui ambulaverat juxta deſideria carnis ſuæ, prorſus depoſito, novum induas hominem qui creatus eſt in juſtitia & ſanctitate: ut per hoc tam ſubditi tui, quam etiam alii, converſationem tuam bonam videntes, glorificent ipſum Deum: & ex fragrantia bonorum operum fias eis odor vitæ in vitam, quibus prius fueras odor in mortem, exigentibus culpis tuis.

Quod autem ad præſens ſic ſcribimus, officium noſtrum, cum Deus nos licet indignos ſpeculatorem domus Iſrael deputarit, hoc requirit: quia ſi tibi non denunciaverimus, ut a via tua mala avertaris, & vivas, ſanguis tuus eſt de noſtris, teſtante ſcriptura, manibus requirendus. Sed profecto nos ad id non tantum ipſum inducit officium, immo & caritatis ſinceritas, quam ad tuam perſonam & eccleſiam tibi commiſſam ſpecialiter habemus: quæ nos circa ſalutem tuam, & honorem dictæ eccleſiæ ſic ſolicitos efficit & attentos, quod tunc quieſcere ſeu ſilere non poſſumus, ubi tibi & ejuſdem " eccleſiæ ex præmiſſis caſum ſeu jacturam conſpicimus imminere. Tu ergo in manſuetudine ſpiritus, quod tuam poteſt ſalvare animam, reverenter ſuſcipias verbum noſtrum paternum, exauditione quidem dignum: ſicque diligenter illud impleas, quod nobis deſiderantibus tuam ſalutem, ad gaudium, tibique ſecundum utrumque hominem cedere poſſit ad profectum. [" Concilia]

NOTA GABR. COSSARTII.

Indicat Binius in argumento epiſtolæ, ſcriptam a pontifice fuiſſe ad Henricum jam in concilio convictum, necdum depoſitum. Atqui conſtat ex authore ipſius vitæ Joanne Hocſemio, ejuſdem Leodienſis eccleſiæ canonico, & fermo æquali, Henricum Lugdunum eſſe profectum ad concilium, ibique depoſitum a Gregorio fuiſſe. Quod ipſum mox leges in actis concilii.

ANNO CHRISTI 1273.

# " ** CONCILIUM REDONENSE,

Celebratum die Lunæ poſt Aſcenſionem Domini anno MCCLXXIII.

Ex editione Joannis Maani, & duobus MSS.

TITULI CAPITULORUM.


1. *Ne quis in epiſcopum, abbatem, abbatiſſam, manus injiciat violentas, vel in domos eorum ignem mittat: nec rectorem eccleſiæ, vel perſonam eccleſiaſticam occidat.*
2. *Ut de bonis eccleſiæ fiat hoſpitalitas: & quomodo eccleſiæ parochiales dandæ ad firmam.*
3. *Ne prioratus bonis omnibus denudentur.*
4. *De occupantibus & invadentibus bona eccleſiaſtica.*
5. *Declaratio, quæ ſint bona eccleſiaſtica.*
6. *Ut epiſcopus in ſua diœceſi abſolvere excommunicatos poſſit; in caſibus, in quibus præſens concilium excommunicat.*
7. *Ut ſuperiora concilia obſerventur.*


PRÆFATIO.

AD honorem Dei, & utilitatem provinciæ Turonenſis, cui authore Domino præſidemus, necnon & reformationem eorum, quæ in viſitatione dictæ provinciæ invenimus corrigenda: vocatis venerabilibus fratribus ſuffraganeis noſtris, capitulis, abbatibus, & aliis, qui fuerant evocandi, concilium provinciale apud Redones die Lunæ poſt Aſcenſionem Domini duximus celebrandum: in quo de ipſorum epiſcoporum, abbatum, & aliorum ad hoc vocatorum conſilio, ordinavimus & promulgavimus capitula quæ ſequuntur.

CAPITULA

*I. Ne quis in epiſcopum, abbatem, abbatiſſam, manus injiciat violentas, vel in domos eorum ignem mittat: nec rectorem eccleſiæ, vel perſonam eccleſiaſticam occidat.*

Si quis in hoc genus ſacrilegii inciderit, ut in epiſcopum, abbatem, vel abbatiſſam, manus injecerit, vel in domos eorum ignem immiſerit, vel ſacerdotem, vel rectorem eccleſiæ, vel perſonam eccleſiaſticam voluntarie occiderit, vel mutilaverit: ſi clericus fuerit, omni beneficio eccleſiaſtico, tam obtento, quam obtinendo, ipſo facto, ſine ſpe reſtitutionis ſit privatus, & anathematis periculo innodatus. Si vero laicus prædicta attentaverit, vel aliquid de prædictis: ejus liberi, & quilibet ſucceſſor, uſque in gradum tertium, a ſuſceptione etiam primæ tonſuræ, & omnium ordinum, ac quolibet beneficio eccleſiaſtico, habeantur per totam Turonenſem provinciam penitus alieni. Et qui tales præſentaverit ſcienter, ſit illa vice præſentatione privatus: & qui



ANNO CHRISTI 1273.

cum ſcienter receperit, vel inſtituerit, vel inſtitui mandaverit, per ſequens provinciale concilium canonice puniatur: prædicto tamen clerico totaliter ex prædicta cauſa expulſo, vel amoto, quem vinculo excommunicationis conſtringimus, ſi per violentiam illud beneficium præſumpſerit retinere.

*II. Ut de bonis eccleſiæ fiat hoſpitalitas: & quomodo eccleſiæ parochiales dandæ ad firmam.*

Verum quia quicquid habent clerici, pauperum eſt, & domus eorum omnibus debent eſſe communes: perquam indecens videretur, ſi de bonis eccleſiaſticis Chriſti pauperibus hoſpitalitas negaretur. Idcirco ſtatuimus, quod nulla parochialis eccleſia concedatur ad firmam; niſi, juxta diœceſani loci arbitrium, firmario tanta portio relinquatur, quod Chriſti pauperibus valeat condecens hoſpitalitas exhiberi. Et ad id rectores eccleſiarum per epiſcopos proprios compellantur.

*III. Ne prioratus bonis omnibus denudentur.*

Ex cupiditate, quæ radix omnium malorum eſt, procedit, quod abbates, vel priores, vel adminiſtratores, de loco ad locum transferentes, vel translati, prioratus, & alias adminiſtrationes vacantes, ceſſione, morte, vel mutatione abbatum, priorum, vel adminiſtratorum, bonis in eiſdem inventis denudant. Super quo alias [an. 1268; cap. 4.] in concilio edito apud Caſtrum Gonterii, per recolendæ memoriæ Vincentium prædeceſſorem noſtrum, provida fuit deliberatione ſtatutum, ne iidem abbates, ſeu priores, aut adminiſtratores, prioratus hujuſmodi ſeu loca, vacationis tempore, adeo denudare præſumant bonis in eiſdem inventis, quin prioribus & monachis in eiſdem morantibus uſque ad tempora collectarum ſufficiens proviſio remaneret: & ſi contra facerent, ad diœceſani arbitrium punirentur. Sed quia parum aut nihil utilitatis adhuc ex hoc eveniſſe comperimus: nos ſtatutum prædictum, ſicut in præcedenti prædicto concilio plenius ſcriptum eſt, innovantes, adjicimus, quod ſi abbates, priores, aut alii adminiſtratores, hujus ſtatuti concilii fuerint tranſgreſſores: præſentis authoritate concilii ipſo facto noverint ſe ſuſpenſos.

ANNO CHRISTI 1273.

*IV. De occupantibus & invadentibus bona eccleſiaſtica.*

Sane cum in prædicto Caſtri Gonterii concilio fuerit ordinatum ut barones, ac milites, ballivi, poteſtates, perſonæque aliæ ſæculares, ſi poſt monitiones & inhibitiones legitimas, generaliter per locorum ordinarios, vel de ipſorum mandato, eis factas, eccleſias, prioratus, domoſve, aut poſſeſſiones, vel alias res eccleſiaſticas indebite occupaverint, ſeu invaſerint, aut in religioſorum domibus poſuerint comeſtores, ipſo facto ſint excommunicationis vinculo innodati: nos ſtatutum hujuſmodi, præſentis authoritate concilii innovamus; adjicientes, ut loca ad quæ deferentur bona taliter occupata, & in quibus etiam detinebuntur, ſupponat diœceſanus, prout & quando vel quandiu videbitur expedire, eccleſiaſtico interdicto. [Ibid. c. 1.]

*V. Declaratio, quæ ſint bona eccleſiaſtica.*

Bona autem eccleſiaſtica intelligimus in hoc caſu, non ſolum propria clericorum, verum etiam depoſita, commodata, & ab eis conducta, & precario conceſſa, & quorum habent eccleſiaſticæ perſonæ poſſeſſionem, aut detentionem quamcunque, & quæ in ipſorum ſervitio capiuntur: necnon ſi eccleſiaſticarum perſonarum occaſione, & in ipſorum præjudicium, & contemptum, eorum homines, & bona eorumdem hominum qui ſub juriſdictione temporali conſiſtunt eccleſiæ, capiantur, aut etiam invadantur, hac appellatione volumus contineri. Et quia facientes & conſentientes par pœna conſtringit: receptatores & defenſores invaſorum, raptorum, & malefactorum hujuſmodi, de quibus ſupra fecimus mentionem, eiſdem pœnis, quibus & ipſos malefactores, eo ipſo quod eoſdem receptaverint aut defenderint, volumus & præcipimus excommunicationis ſententiæ ſubjacere: ut quos par facinus coinquinat & æquat, utroſque pœna ſimilis comitetur.

*VI. Ut epiſcopus in ſua diœceſi abſolvere excommunicatos poſſit, in caſibus in quibus præſens concilium excommunicat.*

In omnibus autem caſibus, in quibus excommunicationis & ſuſpenſionis ſententias in præſenti concilio duximus promulgandas, cuilibet epiſcopo in ſua civitate & diœceſi abſolvendi excommunicatos hujuſmodi, & ſuſpenſos, poſt ſatisfactionem congruam in forma eccleſiæ, authoritate [Ibid. c. 7.]

præ-

ANNO CHRISTI 1273.

præſentis concilii liberam concedimus poteſtatem, A

*VII. Ut ſuperiora concilia obſerventur.*

Ibid. c. 8.

Concilia vero omnia & ſingula celebrata per prædeceſſores noſtros cum ſuffraganeorum conſenſu hactenus renovamus, & præſentis approbatione concilii confirmamus, In cujus rei, &c.

Actum apud Redones, die Lunæ poſt Aſcenſionem Domini, anno ejuſdem MCCLXXIII. B

NOTA GABR. COSSARTII S. J.

Adſcribunt MSS. quidam annum MCCLXIII. quos ſecuti Bochellus, Spondanus, & Synopſeos conciliorum author, hos ipſos canones decennio toto vetuſtiores faciunt. Quo fit etiam, ut hujus præſidem concilii dicant fuiſſe Vincentium de Pilenis, qui tum Turonenſem provinciam moderabatur. Quos profecto dedocere debuit hujus concilii canon III. ſi eum legerunt, in quo Turonenſis archiepiſcopus deceſſorem ſuum vocat Vincentium. Præerat ergo huic concilio Vincentii ſucceſſor Joannes de Monteſorello, qui anno MCCLXX. electus eſt archiepiſcopus. Quamobrem alii ſunt præferendi codices, qui anno MCCLXXIII. hoc concilium aſſignant: neque ſupereſſe locus ullus dubio poteſt.

ANNO CHRISTI 1274.

Ex Raynaldi Annal. ad an. 1274. n. 15.

# CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM,

## IN QUO AGITATA,

## Et decreta eſt unio Eccleſiæ Græcæ cum Latina.

HUjus Concilii meminit Pachymeres auctor Schiſmaticus in Hiſtoria Michaelis Palæologi lib. 5. referens exarſiſſe inter Græcos controverſiam, cum ad Eccleſiarum conjunctionem redintegrandam ſynodus coacta eſſet; adeout cum Palæologus Imperator graviſſimis ſententiis ad eam eos pelliceret, Cartophylax Joannes Veccus ſuam de Latinis ſententiam juſſus depromere, annuente Patriarcha Joſepho, impudenter has voces protulerit: *Aliqui dicuntur hæretici, & ſunt; alii nec ſunt, nec dicuntur; hi dicuntur & non ſunt; & rurſus alii ſunt quidem, ſed non dicuntur: In horum numero collocandi Latini, qui hæretici non dicuntur, ſed manifeſtis hæreſibus ſunt inquinati.* C Quam quidem diſſenſionem animorum Græci Præſules, qui ab impio Patriarcha diſceſſere, Gregorio litteris ſignificarunt, infra extantibus in actis Concilii Lugdunenſis, & celebrata ſynodo ſe ad ſupremum illius in omnes eccleſias imperium agnoſcendum mutuo conſenſiſſe. Interfuere huic Concilio 36. Metropolitæ ex Aſia & Europa cum ſuis ſuffraganeis.

# CONCILIUM LUGDUNENSE II.

## GENERALE

## A GREGORIO PAPA DECIMO

## CELEBRATUM.

## *HISTORIA EJUSDEM CONCILII.*

a Nicephorus Gregoras libro 6. hiſt. Georgius Pachymeres lib. 5. Joannes Villanus lib. 6. cap. 79.

b Humbertus in libro contra Græcos.

MICHAEL Palæologus, Conſtantinopolitana urbe capta, [a] Balduino imperatore, qui poſtremus ex Latinis Conſtantinopoli regnavit, expulſo, Græciæ adeptus eſt principatum. Quare magnum erat periculum, ne Græci omnes ad priſtinos redirent errores. Nam Michaele patriarcha Conſtantinopolitano, & Leono Acridano epiſcopo authoribus, [b] Conſtantino Monomacho imperante, Græci a Romanę eccleſię obedientia omnino defecerant: ac Latinorum ritum, Miſſæ ſacrificium in azymo peragendi, ſabbati jejunium, ac pleraſque alias Romanæ eccleſiæ conſuetudines damnare auſi erant. Negabant preterea, Spiritum D ſanctum a Filio procedere, ac Latinos anathematis vinculo devinctos eſſe aſſirmabant, propterea quod particulam illam (Filioque) Conſtantinopolitano ſymbolo addidiſſent. Hos errores multo ante Photius [c] Romanæ eccleſiæ hoſtis acerrimus promulgaverat, quem poſteriores ſecuti ſunt Græci.

c [illegible]

Non defuerunt Romani pontifices officio ſuo ac muneri, ut eos ad veritatis tramitem reducerent. Præſtitit in primis hoc Leo nonus. Qui legatis ac litteris [d] Michaelem Conſtantinopolitanum, Leonem Acridanum, ut reſipiſcerent, admonuit. Atque id facere recuſantes, a pontificis legatis anathemate percuſſi ſunt. Idem effecere, qui Leo-

d [illegible]



ANNO CHRISTI 1274.

a Vincentius Belvacenſis lib. 29. cap. 65.

Leonem ſecuti ſunt Romani pontifices. Tandem A Balduini opera, [a] qui primus ex Latinis Conſtantinopolitanus imperator fuit, Græci ad eccleſiæ Romanæ obedientiam reverterunt: ſed Latinis paulatim ex Græcia pulſis, paulatim quoque Gręci ad vetus ſchiſma revertuntur.

b Martinus Polonus. Joannes Villanus lib. 7. cap. 40. & 44. Guillelmus de Nangis in vita Philippi regis, & Georgius Pachymeres lib. 5. hiſtoriar.

Cum autem poſt duorum annorum apoſtolicæ ſedis interregnum, Gregorius decimus, [b] qui in exercitu Chriſtianorum adverſus Saracenos in Syria commorabatur, pontifex eſſet electus: protinus legatos ad Michaelem Palæologum deſtinavit, ut eum ad catholicam fidem reduceret. Sciens præterea Gregorius, in magno diſcrimine res Chriſtianorum in Syria verſari, prædeceſſorum pontificum veſtigiis inhærens, generale concilium convocavit: in quo de ſubſidio Chriſtianis mittendo B in Syria degentibus ageretur. Rem etiam arduam judicavit, ac dignam, de qua in concilio ageretur, de Græcis nimirum ad catholicæ ac Romanæ eccleſiæ fidem communionemque traducendis. Acceſſit huc tertia cauſa, quæ priores pontifices fere ad indicenda concilia permoverat: ut ſcilicet Chriſtianorum mores ad priſtinam eccleſiaſticam diſciplinam informarentur, & modus aliquis pręſcriberetur ad celerem Romani pontificis electionem faciendam. Multa enim mala ex longa Romanæ eccleſiæ vacatione accidere ſolebant.

Scripſit igitur omnibus epiſcopis biennio ante concilii celebrationem, ut ad concilium Lugduni convenirent. Scripſit regibus atque principibus, ut ipſi quoque oratores ad ſynodum mitterent. C Viros præterea & ſanctitate & doctrina præſtantiſſimos evocavit. In his fuere ſanctus Thomas Aquinas, [c] qui dum ad concilium proficiſcitur, ex hac vita ad Dominum migravit: ac ſanctus Bonaventura, quem Lugduni pontifex cardinalem epiſcopum Albanenſem creavit. Convenerunt igitur ad indictum diem Lugduni, præter Conſtantinopolitanum & Antiochenum patriarcham, epiſcopi quingenti, abbates [d] & inferiores prælati permulti. Adfuit quoque Jacobus Aragoniæ rex, aliorum vero regum ac principum oratores complures.

c Matthæus Vveſtmonaſterienſis in anno 1274. Villanus li. 6. cap. 118.

d Martinus Polonus. Guillielmus de Nangis loco citato.

e Quæ ſequuntur ex actis concilii excerpta ſunt.

Quocirca prima ſeſſio celebrata fuit ſeptima die Maii [e] anno Domini MCCLXXIV. In qua pontifex tres illas cauſas, cur concilium convocaſſet, D expoſuit. Peracta ſecunda ſeſſione, pontifex, cardinales, & epiſcopi, decimas omnium eccleſiaſticorum reddit  uum pro ſubſidio belli Hieroſolymitani collaturos ſe eſſe promiſerunt. Poſt tertiam ſeſſionem, ad concilium imperatoris Græcorum legati advenerunt, atque honorificentiſſime a ſummo pontifice & a ſynodo univerſa ſunt excepti: & in ſolenni Miſſa, quam pontifex celebravit, ſymbolum eſt cum additione illa (Filioque) ter Gręce decantatum. In quarta vero ſeſſione, lectis imperatoris & Græcorum epiſcoporum litteris, [f] in quibus catholicam fidem profitebantur, & Romanæ eccleſiæ primatum agnoſcebant: eorum legati ſummo pontifici obedientiam exhibuerunt, & magna cum pontificis ac totius concilii lætitia publice E eamdem profeſſi ſunt fidem.

f Matth. Vveſtmonaſterienſis ubi ſupra.

g Lib. 5. hiſt.

h Lib. 5. hiſt. in principio.

Addunt Græci ſcriptores Georgius Pachymeres, [g] & Nicephorus Gregoras, [h] Græcos ad communionem Romanæ eccleſiæ admiſſos fuiſſe cum tribus conditionibus. Prima fuit, ut a Græcis ſummi Romani pontificis in ſacris Miſſarum myſteriis mentio fieret. Secunda, ut Græcis omnibus liceret ad ſedem apoſtolicam appellare. Tertia, ut ſummo Romano pontifici principatus in omnibus deferatur.

Acceſſerunt etiam Tartarorum oratores ad concilium pro pace cum Chriſtianis ineunda, ex qui- A bus unus Chriſtianam fidem amplexus, a Petro epiſcopo Oſtienſi baptizatus eſt. Interim ſanctus Bonaventura ſummo cum pontifici ac patrum omnium dolore ab humana ad cœleſtem vitam profectus eſt. Demum cohortatus eſt Gregorius epiſcopos univerſos ad ſancte pieque vivendum, & ad gregibus ſibi commiſſis invigilandum: cum ex malorum paſtorum moribus reliqui omnes Chriſtiani, a majorum diſciplina degenerantes, in graviora vitia prolabi ſoliti ſint. In hoc concilio decrevit pontifex, Græcis etiam ipſis conſentientibus, Spiritum ſanctum, ut a Patre, ita a Filio, tanquam ab uno principio æternaliter procedere, Complures præterea edidit conſtitutiones, quarum præcipua illa fuit, in qua modus & locus ſum- B mi Romani pontificis eligendi ſtatuitur. Eas omnes Guilielmus Durantes commentariis illuſtravit, ac deinde Bonifacius octavus ſummus pontifex in ſuam canonum collectionem retulit.

## EPISTOLA

## GREGORII PAPÆ X.

Qua convocat ad concilium poſt duos annos celebrandum.

*Gregorius epiſcopus, &c. venerabilibus fratribus, patriarchæ Hieroſolymitano, & epiſcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, C præpoſitis, & aliis eccleſiarum prælatis per Hieroſolymitanam provinciam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SAlvator noſter, in cujus ditione cuncta ſunt poſita, civitatem Jeruſalem videns & prævidens ruituram, fleviſſe deſcribitur ſuper eam. Et nos itaque, qui civitatis veri David (religionis videlicet Chriſtianæ, circa cujus regimen, non in ſufficientia noſtræ debilitatis, ſicut nec debemus, innitimur, ſed de ſola ſuperabundantia virtutis Divinæ ſperamus) non ſolum ſciſſuras, juxta prophetæ vaticinium, multiplicatas aperte videmus, ſed & ruinæ magnæ periculum in ſubtractione populi Græcorum, qui a ſedis apoſtolicæ devo- D tione ac obedientia ſe ſubtraxit, in occupatione maxima & vaſtatione valida terræ ſanctæ, in ſubverſione morum, quæ univerſaliter in clero graviter obrepſiſſe videtur & populo, jam non tam cernimus quam palpamus, num poſſumus non lugere? num comprimere lacrymas? continere ſuſpiria? vel cohibere ſingultus? Profecto cum tanta ſubſit plangendi ratio, planctum declinare non poſſumus. Sed neceſſe eſt jam foras exeat, ab olim, dum etiam nos minor ſtatus haberet, tanto altius radicatus introrſum, tantoque diuturnitate factus acerbior, quanto facultate vetante diutius non eſt efficaciter exire permiſſus. Exeat igitur, exeat ad fratres & filios: ut ſcientes incommodum, ipſumque prudentius æſtimantes, cooperationis E remedio efficacius pro viribus relevent, & planctum piæ compaſſionis officio dulcius conſolentur, Quis ergo dabit capiti noſtro aquam, aut oculis noſtris fontem lacrymarum, ut ſic populi noſtræ humilitati commiſſi ſpiritualiter & temporaliter interfectos diebus & noctibus lugeamus, quod culparum ſordes, quibus iram meruiſſe creditur, diluamus? Lugendum ſiquidem occurrit, quod per ſubtractionem prædictam, a ſedis ejuſdem unitate ſubtractos, & in devio poſitos, grandis culpę mors afficit: quod ſanctæ univerſalis [corpus] eccleſiæ membra, tam nobilia, eadem gravis admodum & diſpendioſa ſubtractio, tanto tempore mutilavit.

*Abundat vox, corpus.*

ANNO CHRISTI 1274.

A Lugendum & iterum, ac amare dolendum, quod ſicut in partibus tranſmarinis non tantum audivimus, ſed & oculis noſtris vidimus, & manus noſtræ contrectaverunt, (proh dolor!) deteſtabilius ſolito blaſphematur in gentibus nomen Chriſti, cum jam non tam verbis, quam rebus ipſis & factis, Chriſtianis inſultetur ab infidelibus, & dicatur: Ubi eſt Deus eorum? Dum funiculus hæreditatis Domini, eadem terra ſancta, per nefandiſſimos Saracenos ſic audacter invaditur, ſic ſecura occupatur audacia, ſic vaſtatur intrepide, ſic in eiſdem partibus Chriſtianus populus immaniter trucidatur: quaſi non ſit illius adjutor, nec ſit qui miſereri poſſit ipſorum. Lugendum & amplius, pariter & horrendum, quod cum ille paterfamilias diligens, qui horis diei variis operarios ſuam miſit in B vineam, ille ſummus agricola ſator bonorum omnium & plantator, agrum mundi hujus diligenter excolens, in eo ſeminaverit ſemen bonum: inimicus homo tanta invenitur in ipſo ſuperſeminaſſe vitiorum zizania, & errorum, ut ea deflere magis liceat quam narrare: idemque ager quotidie potius areſcere videatur ad ignem, quam albeſcere inveniatur ad meſſem. Hæc dum miniſterio conſiderationis debitæ, mentis noſtræ præſentantur obtutibus, ignis in noſtris meditationibus exardeſcit: & ad tanta diſcrimina relevanda ſuſpirat affectus, zelus accenditur, & ſpiritus anxiatur. Ad quod cum nos ſufficere non poſſe ſciamus, levamus oculos noſtros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde oppor- C tunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devote ſperamus. Et quia ſalubre in his adhiberi remedium, intereſt generaliter omnium: nos cum fratribus noſtris aliiſque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum conſilio generale concilium, ſicut imitatione digna ſanctorum patrum conſuetudo laudabilis longæque obſervationis exemplum nos inſtruit, opportuno tempore decrevimus congregandum: ut in eo, tam circa præmiſſa, quam circa cetera quæ ſalutem reſpiciunt animarum, illa, Deo auſpice, communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione concilii roboretur: per cujus ſalutiferam executionem, virtus Altiſſimi, eli- D minatis erroribus, roborata fide, reductis errantibus, redintegrata ejuſdem fidei unitate, ſedatis diſcordiis, pace firmata, extirpatis vitiis, virtutibuſque plantatis, correctis exceſſibus, moribus reformatis, repreſſis oppreſſionibus, libertate ſolidis munimentis inſtructa, recuperatis deperditis, & ejuſdem terræ ſanctæ ſtatu proſpere reparato, hujuſmodi ſciſſuras uniat, ruinas impleat, occupata reſtituat, vaſtata reſtauret, reſtituta & reſtaurata conſervet; nobiſque viam aperiat idem ipſe qui novit, & facultatem tribuat ipſe qui poteſt, ut vitiorum errorumque zizaniis ad comburendum faſciculos alligatis, ad triticum in ejus horreum congregandum, ſic in præmiſſis juxta intenſum animi noſtri deſiderium ſibi miniſtrare poſſimus E utiliter, quod idem verus ejuſdem univerſalis ſponſus eccleſiæ ipſam dilectam ſuam, expeditam rugis, purgatam maculis, munitam virtutum monilibus ac ornatam, unam ſemper habeat, & formoſam, ad ſui nominis fidei laudem & gloriam, ad animarum profectum; robur, pacem, & exaltationem populi Chriſtiani. Quia vero proſecutio tanti propoſiti tempore indiget, ut deductum maturius ac felicius, authore Domino, effectum debitum ſortiatur, biennium numerandum ab initio inſtantis Maji ad id duximus deputandum: deputaturi præterea interim aliquos viros tanto A miniſterio competentes ad prædicandum in terræ præfatæ ſuffragium ſalutiferum verbum crucis: per quod corda principum, prælatorum, ceterorumque fidelium, inducantur ad ſubſidium eidem terræ, prout ipſius expoſcit extrema neceſſitas, impendendum. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, diſpoſitis & paratis, ſic medio tempore vos accingatis ad iter, quod Kalendis Maji anni ab Incarnatione domini milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi quarti, quas vobis & aliis pro termino aſſignamus, in loco, quem, licet ad præſens ſubticeamus ex cauſa, competenti tamen tempore vobis curabimus intimare, noſtro vos con- B ſpectui præſentetis, ad ſubventionem neceſſariam terræ prædictæ, ſolers & operoſum interim ſtudium impenſuri, proſequendo favorabiliter, & fideliter adjuvando illos, quos ad hujuſmodi proſequendum negotium duxerimus deputandos. Volumus autem, quod in veſtra provincia ex vobis, fratres epiſcopi, unus vel duo remaneant, ad ea quæ officium epiſcopale requirunt inibi exercenda: & tam ille, vel illi, quos propterea contigerit remanere, quam alii quos ad idem venire concilium præpeditio forſan canonica prohibebit, capitula inſuper eccleſiarum omnium ejuſdem provinciæ tam cathedralium, quam etiam aliarum, quibus per vos, fratres patriarcha & præfati epiſcopi, ex parte noſtra volumus id mandari, cum in eodem concilio tra- C ctanda ſint aliqua quæ pertinebunt ad ipſos, ad idem concilium viros idoneos pro ſe mittant: non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, ſeu indulgentiis, quibuſcumque perſonis, ordini, vel dignitati, ſeu collegio, ſub quacumque verborum forma vel expreſſione a prædicta ſede conceſſis, per quæ poſſit effectus hujuſmodi mandati noſtri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari: circa perſonarum, & evectionum numerum, moderamine, quod alias ſtatuit Lateranenſe concilium, taliter obſervato, ut nemini liceat illud excedere, ſed omnibus prout libet arctare. Nullus pompoſus aut inanis gloriæ quæſitor, ſed quilibet ſic veræ humilitatis cultor appareat, quod & eccleſiæ ſibi commiſſæ nequaquam oneroſus exiſtat. Interim D quoque per vos & alios prudentes viros Deum timentes, & habentes præ oculis omnia quæ correctionis & reformationis limam expoſcunt, inquirentes ſubtiliter, & conſcribentes fideliter, eadem ad ipſius concilii notitiam deferatis. Et nos nihilo minus variis modis & viis ſolers ſtudium & efficacem operam dare proponimus: ut omnia talia in examen ejuſdem deducta concilii, correctionem, & directionem recipiant opportunam. Nullus igitur inobedientiæ notam, & canonicæ ultionis acrimoniam, vitare deſiderans, fallacium excuſationum velamento ſe muniat, vel ex impedimentis itinerum, quæ, Domino prava in directa, & in vias planas ſua omnipotentia convertente aſpera, ceſſaverunt, frivolæ allegationis munimenta confingat, E ut a tam ſancti proſecutione operis ſe ſubducat: ſed occurrant ſinguli voluntarii ad id quod & Divinæ congruit voluntati, & ſalutem animarum, ac utilitatem reſpicit ſingulorum.

Datum Laterani Kalendis Aprilis, pontificatus noſtri anno primo.

G. C. Eadem exemplo datæ ſunt ad prælatos omnes encyclicæ litteræ, ut conſtat ex Gregorii Regeſto. Aliis quoque litteris reges omnes ac principes invitavit ad concilium, & maxime Michaelem Palæologum, Græcorum imperatorem, ad quem has dedit.

*** GRE-



ANNO CHRISTI 1274.

## *** GREGORII PP. X. EPISTOLA A AD MICHAELEM PALÆOLOGUM GRÆC. IMP.

Admonet de indicto generali concilio, eique ut per ſe vel legatos interſit, hortatur.

*Viro magnifico Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

Iſ. 46. QUi miſeratione ineffabili, cum venit temporis plenitudo vocavit ab Oriente avem, & virum voluntatis ſuæ de terra longinqua: ipſe nos in Orientalibus peregrinantes partibus, ut, licet immeritos, ejus vicarium ſua ſola dignatione ſta- B tueret, qui ore prophetico, avis nomine in metaphora præmiſſa ſignatur, vocari ad gerendum apoſtolatus miniſterium dignanter potius, quam digne permittens, vota noſtra, etiam dum nos minor ſtatus haberet, ſicut firmiter credimus, & fatemur humiliter, ut pacis direxit ſemitas, & eadem a noſtræ promotionis auſpiciis ad illius commoda in omnes pretioſo Chriſti redemptos ſanguine, præcipue autem in Chriſtiani nominis titulo inſignitos diffundenda pro viribus eo magis accendit, quo ſalutem animarum, ad quam nos & affectus intentio afficit, & debitum ſuſcepti officii paſtoralis aſtringit, ſperamus exinde liberius & efficacius Divina concedente clementia proventurã.

Unde quamprimum ad locum, in quo cum fratribus noſtris ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardi- C nalibus, quorum ſpecialiter conſilio ultimo & auxilio communimur, convenire potuimus, nos hibernis maris calcatis fluctibus potentia Divina perduxit: nequaquam torpuimus otio. Sed non ſine gravi amaritudine attendentes præfiguratam in piſcatoris Petri reti, quod præ multitudine piſcium rumpebatur, ſciſſuram univerſalis eccleſiæ, quam in ſuis fidelibus non in fide, pro qua ille, qui pro ſua reverentia eſt in omnibus exauditus, ſe rogaſſe teſtatur, ne deficiat fides ejus, aperte videmus non ſolum damnoſe divelli, verum etiam in eorundem ſciſſura, caſu, & averſione fidelium periculoſe divulſam, & ruinis gravibus deformatam: elaborandum ſummopere fore putavimus, ut illo, qui eſt lapis angularis, utraque unum fa- D ciens, & parietem utrumque connectens, ſua immenſa pietate donante, ſalubris exquiratur, & deſiderata proviſio, per cujus proſecutionem dicente Domino Aquiloni, *Da*; & Auſtro, *noli pro-*
Iſ. 43. *hibere*: ipſa mater eccleſia ſuos afferens filios de longinquo, & filias ſuas ab extremis terræ, ſciſſuris coeuntibus, cadentibus relevatis, averſiſque converſis, ruinis impletis, & deformitatibus reformatis, diſſidentium multitudine in unitate fidei & vinculo caritatis unita, juxta prophetæ vaticinium, dilatet tentorii ſui locum, funes tabernaculorum ſuorum extendat, & conſolidet clavos ſuos, ad dexteram & lævam penetret, ſemen ejus gentes E hæreditet, & deſertas inhabitet civitates. Hoc eſt enim quod ab ipſo largitore bonorum omnium profundis ſuſpiriis petimus, hoc quod effuſis lacrymis poſtulamus, ut ipſe & in cujus unitate fundatur fidei unitas, unitatis eccleſiaſticæ fundamentum, dicente Apoſtolo, *unus Dominus, una*
Epheſ. 4. *fides*, ſuam ſanctam atque catholicam eccleſiam redintegrando uniat, & puniendo redintegret; in ſinu ejus populis univerſis, Latinis & Græcis, ſpecialiter adunatis, in fide integra, ſpe ſolida, & caritate ſincera.

Et quia hæc, ſi fons miſericordiæ deſideriis noſtris benignus annuerit, ad communem cedent utilitatem omnium, communi ad eam deliberavimus A conſilio inſiſtendum. Ideoque cum eiſdem fratribus noſtris, multiſque aliis prudentia & veritatis amore pollentibus, deliberatione præhabita, propter hæc, & ad providendum utiliter & efficaciter de neceſſario terræ ſanctæ ſuccurſu, de generali morum reformatione, quorum deformatio in clero & populo nimis generaliter obrepſiſſe videtur, necnon & propter alia, quæ cunctis Chriſti fidelibus ſperamus authore Domino ſpiritualiter maxime, ac inſuper temporaliter profutura: de dictorum fratrum noſtrorum conſilio, ſynodum generalem, univerſis catholicis mundi principibus, & eccleſiarum prælatis, ad illam per noſtras ſub certa forma litteras evocatis, in Kalendis Maji anni ab Incarnatione Domini milleſimi ducenteſi- B mi ſeptuageſimi quarti, annuente Domino duximus congregandam. Super quo licet ab exordio indictionis hujuſmodi ad magnificentiam tuam litteras & nuncios diſpoſuerimus deſtinare: ipſorum tamen conſulte ſuſpendimus miſſionem, anxii expectantes, ut a te ſuper iis, quæ felicis recordationis Clemens papa prædeceſſor noviſſime tuæ celſitudini ſcripſerat, apocriſariis receptis aliquibus, noſtros plenius mitteremus inſtructos.

Nobis vero de tuorum apocriſariorum expectatione ſolicitis, dilectus filius frater Joannes de ordine Minorum a tua ſerenitate tranſmiſſus, bonus de terra longinqua nuncius ſupervenit, tuas nobis devotione plenas, & lætitiæ cauſa non vacuas litteras repræſentans: in quibus gaudium de C noſtro quem ſperabas ad tuas partes adventu conceptum, & honorem, & reverentiam nobis, ut patri affectuoſiſſimo, a te ac tuis, velut a dilectis filiis, exhibendos, & ſubſecutum dolorem ex noſtro tranſitu aliunde reverenter exprimens, inter cetera inferebas non debere diligenter advertere, qualem affectum & zelum, tuum gerit, ut dicebas, imperium ad pacem & unionem populi Chriſtiani: ſperans, ſicut eædem litteræ continebant, ex hujuſmodi noſtro adventu diſtantiam, quam inter paſtorem & ovile ſathanæ induxit ſuggeſtio, diſſolvendam. Ac deinde in litteris ipſis edicens, quod idem frater tuo dilectus imperio, ut earumdem litterarum verba ſequamur, enarrabit ore tenus reverentiam, quam gerit idem imperium erga D ſummam & apoſtolicam ſedem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matris tuæ; & maximum dolorem, quem habes propter ſchiſmata, quæ intra eccleſiam Chriſti permanent doloſa; & præcordialem affectum, quem obſervas thalamo cordis tui pro pace ac unione populi Chriſtiani; ac ferventem zelum contra omnes impios crucis vivificæ ac honorabiliſſimæ inimicos. Demum in calce litterarum ipſarum, ejuſdem fratris verbis, tanquam ex ipſius ore prolatis imperii, nos fidem adhibere plenariam petiiſti.

Sane tantæ tuæ ad nos devotionis indicia nobis in præmiſſis exhibita valde nimirum grataner ac- E cepimus, ſed laudabile tuum propoſitum & affectum ad reparandas ipſius populi Chriſtiani ſciſſuras, ac ipſum in identitate catholicæ fidei & caritatis glutino uniendum, necnon & recognitionem reverentiæ debitæ præfatæ ſedi apoſtolicæ, ipſique Romanæ eccleſiæ matri tuæ, per fratrem & litteras prædictos expreſſa, cum tanto majori gaudio acceptamus, quanto id credimus Deo acceptius, populo eidem utilius, ac tuæ & ipſorum ſaluti, noſtriſque proinde affectibus plenius convenire.

Adjicit quoque non modicum ad conceptam ex præmiſſis cordis noſtri lætitiam, quod hujuſmodi laudabilem zelum tuum ad ejuſdem populi unionẽ claræ memoriæ Ludovico regi Francorum illuſtri, ſicut intelleximus, apertius revelaſti: & eidem paten-

Anno Christi 1274.

patenter inſinuans, quod tu, clerus & populus tuæ ditioni ſubjecti, deſiderantes ad obedientiam ejuſdem eccleſiæ Romanæ redire, ipſique in ejuſdem fidei profeſſione uniri, ac varias ſuper hoc ad eandem ſedem litteras & nuncios deſtinantes, quorum etiam aliqui in via detenti nõ pervenerunt ad eandem ſedem, frequenter & humiliter ad id vos poſtulaſtis admitti, nec adhuc tuæ ac ipſorum fuerat inſtantiæ ſatisfactum; apud eundem Regem multiplicatis ſuper hoc litteris & nunciis inſtitiſti, petens inſtanter, ut ipſe in tam pio & utili negotio, arbitri partes aſſumens, ad ipſius conſummationem ſolicita intenderet pietate; ac inſuper ut tuis verbis, prout nobis referuntur, utamur, te velle regem eundem arbitrum in hoc conſtituere aſſerens, promittebas quidquid idem rex ſuper hoc diceret, te plene ac inviolabiliter ſervaturum. Et ut plenius circa hoc tuum manifeſtares affectum, adjuraſſe diceris regem eundem per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, ne aſſumere onus hujuſmodi recuſaret; & ne ſecus faceret, ad ſummum judicem, ut ipſe rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellaſſe. Et licet idem rex prudenter attẽdens, & humiliter recognoſcens, quod ſuum non erat, tale in eodem negotio, quod ſpecialiter pertinere dignoſcitur ad ejuſdem ſedis examen, officium uſurpare, conſulte reſponderit, quod in ipſo nequaquam hujuſmodi partes aſſumeret, ſed pro ipſius conſummatione apud ſedem ipſam libenter inſtaret; ac propterea litteras, & ſuos ad eandem ſedem nuncios deſtinaret, qui hæc omnia, ipſa tunc ſede vacante, coram prædictis noſtris fratribus retulerunt, ad quorum etiam pro parte ipſius regis inſtantiam, bonæ memoriæ Albanenſi epiſcopo tunc in partibus illis ejuſdem ſedis legato, ſuper hoc plena commiſſio facta fuit: tamen ipſis rege ac legato humana de hac luce ſubtractis, proceſſus aliquis haberi non potuit per eundem.

Habent hæc itaque multæ jucunditatis cauſam, & materiam exultationis in Domino repræſentant. Si enim prout eſt de tanto principe ſupponendum, de arcano mentis ori conſonæ in veritate procedant: veriſimile credi poteſt, quod ille, qui ubi vult ſpirat, tuum ad tale tam utilis unionis deſiderium animum inſpirarit.

Quæſumus itaque, ſpiritum non extinguas, nec irrita facias, quæ ad eandem tuam matrem eccleſiam, & ad tantum principem per diverſos, ut promittitur, nuncios, & litteras, de tuis dicuntur labiis proceſſiſſe. Sed attende potius, & in conſpectu attentæ conſiderationis expende, quod ille, qui eſt verum caput corporis myſtici, eccleſiaſticæ videlicet unitatis, juxta illud Apoſtoli, *omnes ſumus unum corpus in Chriſto*, (1. Cor. 12.) inſtante ſuæ paſſionis articulo, pro hac ſibi placita unitate legitur dignanter oraſſe: *Volo*, inquiens, *pater, ut omnes in nobis unum ſint*. (Joan. 17.) Si ergo juxta ſacræ ſcripturæ teſtimonium, conſilium ejus ſtabit, & fiet omnis voluntas ipſius: neceſſe profecto eſt, hanc unionem impleri. Feſtina itaque, tolle moras, & conſulte tui fac eſſe muneris, quod omnino alicujus futurum eſt temporis. Feſtina, & conſiderans incertam humani temporis brevitatem, tantum bonum non ultra differendo procraſtines: ne forte, cum voluntas adfuerit, ad perficiendum quod volueris vita deſit: ſed celeriter viam ſalutis & pacis per deſiderabilem cordi tuo (ut tam publice, tam laudabiliter profiteris) unionem Latinorum pariter & Græcorum in unius profeſſione fidei & caritatis ſolidæ unitate, tuis ſubditis aperi, tuis poſteris præpara, & incomparabile meritum tibi ſolicite ac prudenter ex tam utili, tam ſalubri præparatione præoccupa.

Conſidera, conſidera, quam intrepidus, quam ſecurus in extremo judicio coram tremendo judice tantis ad ejuſdem matris gremium tecum tuo miniſterio reductorum ſtipatus cuneis, aliis tuis ad id concurrentibus meritis apparebis: quam gratus advenies, quam gratanter etiam admitteris, quomodo comitiva gratiſſima ornandus illorum, quos innumeros, ut ſperamus, de tam numeroſa multitudine quam ad illius ovile ipſo præſtante reduces, tandem ipſe paſtor bonus qui pro eis animam ſuam poſuit, in dilecta ſua tabernacula introducet, tu in eandem exultans & jubilans de ſuo munere introibis. O te felicem ſi ad hæc te Dominus præparavit; ſi facultatem quæ ad ea tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter proſequens, & de contingentibus nil omittens, multis olim ad eandem laborantibus per diverſos modos & vias, tu in labores eorum introiens, pervenias ſolus ad bravium optatum, illorum finem obtineas & ineſtimabilem gloriam, quam ſpecialiter ſequi debes, finaliter aſſequens.

Ceterum ut ſit incepti ſuper iis tractatus proſecutio, Deo adjuvante, facilior, & deſideratus exitus promptior: felicis recordationis prædeceſſorum noſtrorum Urbani, & ejuſdem Clementis, Romanorum pontificum geſta, circa inſtans negotium habita, recenſuimus diligenter: & eos, prius de fidei veræ dogmatibus, quam de concordia inter eoſdem Latinos & Græcos in caritate mutua ſolidanda, tractandum, evidentibus ad hoc inductis rationibus, licet aliud continere tua petitio videretur, elegiſſe comperimus. Nec indigne, cum ſpiritualem unionem fides initiet, dicente Domino per prophetam, *ſponſabo te mihi in fide*: (Oſeæ 2.) caritaſque conſummet, egregio gentium doctore teſtante, quod *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*: (1. Cor. 6.) unus profecto cum illo, non tam identitate ſubſtantiæ, quam gratiæ participatione ac gloriæ.

Memoratus itaque prædeceſſor noſter Clemens, apocriſariis & litteris tuis ad ipſius præſentiam ſuper hujuſmodi negotio deſtinatis, benigne receptis; & tam ſecrete, quam publice, prout eis placuit, plene ac patienter auditis; multiſque aliis ejuſdem negotii utilitate ac juſtitia exigente, peractis, quæ ipſius Clementis prædeceſſoris litteræ per eoſdem duos apocriſarios ad te miſſæ, ad tuam, ut credimus, notitiam detulerunt: demum ut hujuſmodi conjunctionis ſpiritualis initium ordinate procederet, idem prædeceſſor Clemens, ad utilem & finalem expeditionem tanti negotii, præmiſſum ordinem, quem rationibus probaverat, facto etiam approbavit. Et ne ultra contingeret idem negotium per inefficacia verba deduci, manifeſte in prædictis litteris ſuis expreſſit, quid tibi, tuis clero & populo ſupradictis, faciendum incumberet, ut reverenter ad ejuſdem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſinum, tu & ipſi ſano freti conſilio, rediretis, in eiſdem litteris veræ catholicæ fidei profeſſionem, quam eadẽ Romana eccleſia firmiter tenet, fideliter docet, cõſtanter prædicat, & publice profitetur, quemque a te, tuis clero & populo ſupra dictis, idem prædeceſſor noſter Clemens expoſtulans te ac ipſos profiteri, ſi velletis juxta ejus deſiderium redire ad eccleſiæ unitatem; ea inſuper, quæ circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum ab ipſis tuis clero & populo acceptari, & recipi voluit, plenius explicando.

De ipſa præterea fidei profeſſione dictis tuis apocriſariis copiam faciens, clementer obtulit eiſdem ſatisfacere, ſi ſuper ea in aliquo dubitarent: adjecto nihilominus in litteris ſupra dictis, qualiter provida deliberatione cõceperat aliquos in lege Dei peritos ad tuam præſentiam deſtinare, cum quibus tu, iidemq; tui clerus & populus, ſuper præmiſſis conferre poſſetis: & quod ſi nihilominus aliquid



Anno Christi 1274.

aliquid tuum tuorumque animos concuteret, aut turbaret, propter quod aliquid de contentis in præſcriptæ fidei profeſſione, tu vel ipſi vereremini profiteri: aliquos de peritioribus eorumdem tuorum cleri & populi mitteres ad eumdem. Quibus ſe paratum obtulit, ſicut eadem Romana eccleſia parata ſemper extitit, & exiſtit, omni poſcenti, de ea quæ in ipſa eſt fide ac ſpe reddere rationem.

Quamquam autem hujuſmodi ſuos apocriſarios, pro eo quod aliqui ex eis qui ad hoc fuerant de longinquis partibus advocati, & ipſemet, morte præventi fuerunt, non potuerit mittere ut concepit: tuam tamen excellentiam per eaſdem ſuas litteras monuit, & variis exhortationibus invitavit inſtanter, ut ſic ſtuderes habilitare materiam, ſic animos tuum tuorumque diſponere: quod in eorumdem apocriſariorum, quos ad te, ut prædicitur, mittere ſperabat, adventu, te ac prædictis tuis clero & populo præſcriptam humiliter ſuſcipientibus, & fideliter profitentibus fidei veritatem, facilis foret ad reliqua, Divina gratia favente, progreſſus. Ad quorum proſecutionem, & ſpecialiter ad caritatis vinculum inter eoſdem Latinos & Græcos ſolido fœdere confirmandum, ſi poſt receptionem & profeſſionem ejuſdem fidei, & poſtquam ad obedientiam ipſius Romanæ eccleſiæ tu, ac iidem tui clerus & populus, rediiſſetis, ad locum, de quo eadem Romana expedire videret eccleſia, generale concilium peteres convocari: ſatis aperte ſpem tribuit, quod tuum in hoc deſiderium adimpleret. Non ad prædictæ diſcuſſionem vel novam diffinitionem fidei, quam tanquam innumeris ſacræ paginæ auctoritatibus, numeroſis ſanctorum patrum ſententiis, & Romanorum pontificum ſtabili diffinitione firmatam, nec ipſe voluit, nec nos intendimus, ſicut nec decet nec foret expediens, in dubium, novo ipſam exponendo examini, revocare.

Cujus ſeriem ad majorem certitudinem, ne forſan ejus copiam caſus abſtulerit, vel illius memoriam oblitterarit oblivio, nec non & illorum, quæ circa ejuſdem Romanæ eccleſiæ primatum idem prædeceſſor Clemens, a te, tuis clero & populo ſupra dictis, acceptari, & recipi voluit, licet eadem per prædictas ipſius prædeceſſoris Clementis litteras ad tuam notitiam perveniſſe credamus, præſentibus duximus, annectendam: quæ talis eſt. Credo ſanctam Trinitatem, &c. *Eadem forma, iiſdemque verbis, quibus in epiſtola Michaelis Palæologi ad Gregorium papam, quæ infra extat Græce ac Latine, cum aliis litteris in concilio lectis, vel ex concilio datis: ideoque omittenda hic viſa eſt ea profeſſio.*

Nos igitur debita meditatione penſantes, idem negotium tam utiliter, tam propenſo conſilio, & exacta maturitate diſpoſitum, & electum: ad executionem ipſius ab eiſdem prædeceſſoribus noſtris ordinem imitandum potius, quam mutandum, dilectos filios religioſos viros fratres, Hieronymum de Eſculo, Raymundum Berengarium, Bonamgratiam de S. Joanne in Perſeceto, & Bonaventuram de Mugello, de ordine Minorum, viros quidem pauperes ſpiritu, ſed divites fide, mundi hujus contemptis divitiis, ceteriſque abjectis illecebris, poſt Chriſtum, ſimul in unam, divitem & pauperem, per ſuorum, quantum eis ab ipſo conceditur, gradiendo ſemitam mandatorum, ipſam veram ſapientiam imitantes; decrevimus ad tuam celſitudinem deſtinandos.

Ideoque magnificentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino unigenito Dei filio Jeſu Chriſto, per ſuæ crucis myſterium, & immenſum redemptionis humanæ beneficium, in caritatis viſceribus obſecrantes, quatenus ipſos benigne recipiens, & ad illum reſpiciens ſalutis & pacis auctorem, qui operatus eſt in medio terræ ſalutem, qui oriens ex alto pacem ſibi acceptam, & ab omnibus acceptandam evidenter oſtendens, eam in ortu ſuo angelorum miniſterio bonæ voluntatis hominibus nunciavit, & inter homines converſatus verbo docuit, prædicavit exemplo; ut ad ovile Domini redeas, ac ipſos tuos clerum & populum eo concedente reducas; tibi & ipſis quietem tribuas; innumerabilibus periculis animarum, & corporum, rerumque diſpendiis, quæ guerrarum induceret, quam avertat Altiſſimus, horrenda calamitas, prudenter occurras; & de tam pii negotii conſummatione in æternum tibi memoriale conſtituas, hujuſmodi ſalutarem unionem Latinorum & Græcorum, quam tibi votivam admodum evidentibus fateris affatibus, ſedulis proſecuturus affectibus; præſcriptam Catholicæ fidei puritatem, immo puram & ſolidam veritatem agnoſcas, ſuſcipias corde humili & ſincero, & coram eiſdem fratribus apocriſariis noſtris profitearis, ore veridico, & fideli; præmiſſum etiam ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, ad illius obedientiam ſpontaneus veniens, recognoſcas; ipſum acceptes & ſponte recipias, prædictoſque tuos clerum & populum, ipſam fidem ſimiliter ſuſcipere, profiteri, ac ad obedientiam ipſius eccleſiæ Romanæ venire, primatum ejus recognoſcere, ac acceptare procures.

Præmiſſis primitus adimpletis, ad memoratam ſynodum, cui una cum aliis catholicis principibus te decebit, & nos deſideramus & petimus, intereſſe; in loco in quo ipſam congregari continget, ut ad cetera quæ imminent, ipſorum & tuo fulti conſilio, ſecurius procedamus, vel perſonaliter venturus, ſi facultas adfuerit, vel apocriſarios, magnæ auctoritatis & prudentiæ viros, tuo miſſurus nomine, per quos tuum nobis ſuper agendis inibi conſilium reveletur. Peracta ſiquidem hujuſmodi utriuſque populi, Latinorum ſcilicet & Græcorum, in prædictis profeſſione fidei, & recognitione primatus, tam ſancta, tam deſiderabili unione: per quam præmiſſum tuum laudabilem zelum a te verbis & litteris frequenter expoſitum, facto manifeſtabis & probabis apertius; per quam noſtrum eorumdem fratrum noſtrorum aliorumque Latinorum tibi animos attrahere poteris, & in iis quæ agenda ſuperſunt, noſtrum & ipſorum favorem, in quibus ſine offenſa Dei præſtari poterit, merito vendicare: ad præmiſſa ſolide roboranda commodius, & ad tractatum caritatis inter ipſos Latinos & Græcos, radicibus zizaniorum evulſis, omnibuſque diſcordiis Domino annuente ſedatis, inviolabiliter ſolidandæ, tanto efficacius, tantoque favorabiliter intendemus, quanto liberius tibi de regione diſſimilitudinis jam reverſo, poſt productam in ſpe recuperandæ innocentiæ ſtolam primam, poſt annulum in manu tua ex fidei profeſſione poſitum condeſcendere poterimus, & ſine conſcientiæ læſione rationabilibus acquieſcere votis tuis. Sic namque præmiſſa cordi noſtro inſident, ſic ad ea totis præcordiis aſpiramus: ut pro eorum executione, non ſolum labores impendere, ſed etiam ſuperimpendi, modicum reputemus.

Propter quod, licet tam tibi & tuis hæc via ſalubrior, quam ipſius negotii qualitate ſint aptior, cum fidei puritas conſenſum purum & liberum exigat, & conditionem aliquam non admittat: tamen ſi peccatis exigentibus populi utriuſque nondum datum eſt deſuper, ut ad ea prædicto modo complenda tuus tuorumque animi ſint parati; nos non intendentes idem ſalutare negotium deſperatione præcidere, ſed ſaltem manuductio-

Anno Christi 1274.

ductione, quam poſſumus, promovere, & tolerabimus patienter.

Quod ſi velis ad eamdem ſedem, ante prædictam ſynodum, vel in ipſa ſynodo, (ut ibi ordine ſuo prædicta omnia tam circa profeſſionem fidei cum recognitione primatus ejuſdem eccleſiæ Romanæ, quam circa ipſos Latinos & Græcos, diſſenſionis cujuſlibet inter eos ſublata materia, in caritate mutua uniendos, plenius & ſolidius compleantur) tuos apocriſarios deſtinare: ad eadem pro te ac ipſis tuis clero, & populo facienda, ſecure cum poteſtate plenaria ſolemnes, prout facti qualitas exigit, mittas apocriſarios ad præmiſſa. Volumus tamen quod prius, tam tu ſerenitatis tuæ apices, quam omnes, vel ſaltem patriarcha Græcorum, & aliqui alii majores prælati ejuſdem imperii, prædictis noſtris nunciis (in forma quam deſtinamus ſub bulla noſtra per ipſos tibi, cum te ac eoſdem tuos clerum & populum, ad hæc procedere velle patuerit, oſtendendam) litteras concedatis, de præmiſſis profeſſione fidei, & recognitione primatus ejuſdem eccleſiæ Romanæ, primo apud nos per eoſdem ſolemnes mittendos apocriſarios, (Domino viam ad ſedandas inter eoſdem Latinos & Græcos diſcordias alias demonſtrante,) tuo & tuorum nomine infallibiliter faciend s; & poſtmodum per te, prælatos omnes, ac tuos clerum & populum ſupradictos, cum a ſede ipſa mandatum fuerit, perſonaliter iterandis. Nos enim eoſdem tuos apocriſarios, conceſſis prædictis tuis apicibus & prælatorum litteris deſtinandos, recipiemus alacriter, caritative tractabimus, & ad conſummationem præmiſſorum cum omni diligentia, prout Dominus conceſſerit, procedemus. Et nihilo minus ſuper ſedatione diſcordiarum ipſarum, tam per ipſos apocriſarios, quos ad præſens mittimus, quam per alios hinc inde mittendos, poterit interim tractatus haberi, & exquiri diverſæ viæ ac modi, qui ad expeditionem faciliorem idem negotium favente Domino præparabunt.

Quia vero cordi nobis eſt de ipſo negotio ſaltem in eadem ſynodo providere ſalubriter, & ideo deſideramus, quod dudum ante ipſam ad nos de illorum exitu, felici utinam, perveniat certitudo: celſitudinem tuam affectuoſe requirimus, & rogamus inſtanter, ut eoſdem fratres apocriſarios noſtros feliciter & ſic celeriter ſtudeas expedire, quod redeuntes cum tuo certo ad præmiſſa reſponſo, dictum tempus pro ejuſdem ſynodi congregatione præfixum adeo valeant commode prævenire, quod ad ejuſdem negotii proviſionem ante ipſam ſynodum poſſit, ut decet, habilitari materia, ſufficientis ad hoc temporis opportunitate conceſſa.

Scire quidem te volumus, quod ſi eoſdem noſtros nuncios, contra hujuſmodi noſtrum deſiderium, retardari contingat: nos de tua reſponſione incerti, tam utilis negotii proſecutionem, per vias, quas ad animarum ſalutem Dominus aperire dignabitur, propterea nec omittere intendimus, nec differre. Datum apud Urbem veterem nono Kalend. Novembris, anno I.

## *** EJUSDEM EPISTOLA AD JOSEPHUM PATRIARCHAM GRÆCORUM.

Vocat eum & alios epiſcopos ad concilium generale, & ad promovendam Græcorum cum Latinis concordiam hortatur.

*Dilecto in Chriſto fratri patriarchæ Græcorum, ſpiritum gratiæ ſalutaris.*

Ex regeſto Vaticano edidit Vvadingus, ut

MUlto, ſicut noſſe te credimus, labore ſudatum eſt, ut inter Latinos & Græcos ſubductis ſeminariis antiquæ ſciſſuræ, vigeret inter eos fidei unitas, conſolidetur inter ipſos unio caritatis. Sed impediente illo, ut credimus, qui primum ſchiſma excitavit in cœlo, nondum eſt votis laborantium ſatisfactum. Nos autem de illius omnipotentia ſpe concepta, qui concordiam in ſublimibus operatur, a labore tam utili non putavimus deſiſtendum: ſed inſiſtendum potius tanto propenſius, quanto fructus ex eo, Deo auſpice, proventurus, ipſi erit acceptior, mundo utilior, & ſaluti conventior animarum. Et ideo cum fratribus noſtris deliberatione præhabita, propter hoc, & ad providendum utiliter de ſuccurſu terræ ſanctæ, necnon & de reformatione morum, qui videntur in clero & populo graviter deformati, ac aliis, quæ animarum ſalutem reſpiciunt, & ad ſtatum orbis pacificum, auctore Domino, redundabunt: concilium de ipſorum fratrum noſtrorum conſilio indiximus generale in Kalendis Maii anni ab Incarnatione Domini milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi quarti, annuente Domino, congregandum, univerſos Catholicos orbis principes & prælatos ad ipſum per noſtras ſub certa forma litteras advocantes.

Anno Christi 1274. & ſequentes dux. Vadingus.

Et quia tractatum concordiæ inter eoſdem Latinos & Græcos a felicis recordationis Urbano & Clemente prædeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus invenimus laudabiliter ordinatum: ordinem ab ipſis provido approbatum conſilio, dignum proſecutione potius, quam immutatione cenſentes, ad faciliorem expeditionem tractatus ejuſdem, & conſummationem tam pii negotii, concedente Domino, promptiorem, ipſum deliberavimus proſequendum. Ad quod magnifico viro Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri nuncios & litteras deſtinamus: per eas, ſibi perſuaſiones varias, qualitati tractatus ipſius aptas & utiles, necnon & alia, quæ ad felicem exitum tam ſalutaris negotii expedire putavimus, plenius explicando. Quæ cum tibi per eaſdem litteras innoteſcenda ſperemus, conſulto præſentibus non duximus repetenda.

Quia vero tuum ſpecialiter in his credimus conſilium utile ac auxilium opportunum: fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, per ſua immenſa beneficia obſecrantes, quatenus Divinæ remunerationis obtentu, te non ſolum cooperatorem, ſed & ſpecialem in his conſtituens promotorem, ad celerem & felicem expeditionem illorum, quæ per eaſdem litteras paternis affectibus, & piis deſideriis poſtulamus, ſtudio piæ devotionis intendens, ſic ad illa celeriter exequenda tam memoratum imperatorem, quam alios, qua potes, inductionis diligentia, exhorteris, & efficacia exhortationis inducas, quatenus negotio hujuſmodi tuo ſuffragio feliciter conſummato, in retributione juſtorum, ab eo qui nullum bonum ſine remuneratione relinquit, cum ſpe favoris apoſtolici tibi proinde non immerito acquirendo, mercedem condignam tam utilis cooperationis, immo potius promotionis, ſecurius expectes.

Ceterum quia his Domino præſtante peractis, te ac alios prælatos Græcorum, prout priſca conſuetudo ſuggeſſerit, decebit ei concilio intereſſe, ut una cum prædictis principibus & prælatis, nobis in dirigendis, quæ inibi ſunt agenda, tu & ipſi conſilio & auxilio aſſiſtatis: rogamus, & petimus, ut tu, & illi, quibus per te id denunciari volumus, ad idem concilium, loco, in quo illud congregari continget, perſonaliter veniatis. Nos enim te ac illos benigne recipiemus, & caritative tractabimus, & honore quo decuerit, proſequemur. Datum ut ſupra.





Anno Christi 1274.

## *** MICHAELIS PALÆOLOGI IMPERATORIS AD GREGORIUM X. EPISTOLA.

Reſpondet epiſtolæ Gregorii.

*Sanctiſſimo & beatiſſimo domino Gregorio papæ veteris Romæ, ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, & ſedis apoſtolicæ ſucceſſori, reverendiſſimo patri ſuo; Michael in Chriſto Deo fidelis imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, ſemper Auguſtus. Suæ ſanctitatis obediens filius, debitam paternitati tuæ reverentiam & orationem petitionum.*

Ex eodem regeſto Vvadingus edidit, Har.

MUlta ſunt, ſanctiſſime Domine, quæ poſſent ſpiritualem delectationem conferre homini, & ſuaderent exultatione & lætitia animæ actionum gratiarum laudem attribuere Deo vero. Sed nobis videtur, quod nunquam aliquid ſic lætificare potuit aliquem, ſicut nos exhilaravit epiſtola veſtræ apoſtolicæ ſanctitatis, nuper imperio noſtro tranſmiſſa: quam gaviſi recepimus, cum in ſpe eramus ipſam ad nos diutius deſtinari. Quam etiam multo deſiderio legimus, & perlecta lætati fuimus in lectione ipſius: & ſicut ex adipe & pinguedine ipſius delectatione repleti, omni gaudio fuimus recreati.

Primo quidem quia nobis fuit a vobis deſtinata epiſtola, quem ſupremum profitemur pontificem, utpote apoſtolicæ ſedis ſucceſſorem & decus, & etiam erga imperium noſtrum affectuoſe diſpoſitum, paternalem obtinere affectum, quem tanquam lucernam lucentem puritate converſationis & vitæ divinitate, ſuper maximam pontificatus ſedem, veluti ſuper candelabrum, Deus conſtituit, ut in omnibus finibus fulgeretis. *Cujus opera*, juxta Sirac, *ſicut Sol in conſpectu Domini: & oculi conſpicui ſuper vias ejus*; cujus laudem lingua noſtra tota die propterea meditatur.

Eccli. 26. 17.

Secundario vero, quia pacem Chriſtianitatis & plenitudinis unionem, quæ adeſt ſecundum Deum, quam nos etiam ſemper ſitimus (novit hoc pacis Deus) deſiderare veſtram paternitatem ipſa epiſtola deifice denotabat: quæ nos etiam ſuadebat, veſtram in hac parte agnoſcere ſanctitatem inſtantem cohortatricem boni hujus, & cooperationem promptiſſimam & ſinceram, & dicere: Ecce vir *timens nomen Domini, in cujus ore lex veritatis conſiſtit, & iniquitas in ejus labiis non invenitur: quoniam ambulat in pace directus*. Et juxta magnum Eliam: *correſtituit patris ad filium*.

Malach. 2. 6. — Luc. 1. 17.

Hujus gratia multo magis exultati in his, ultra quam qui invenit ſpolia multa, & illum, qui hoc perficit, non cognovimus alium preter Deum: cui juſte & digne ad gratiarum acumen aſſurgere commonemur, dicentes: magnificetur ſemper Dominus, quia erexit vos ſemper magnum pontificem ſuorum ſervorum, pacem optantem, qui ſuum ſanctiſſimum nomen invocant indefeſſe.

Et licet antea pergeremus ad viam unionem ferentem, & feſtinaremus ad hoc negotium ab antiquo, quod communem Chriſtianorum utilitatem exhibet, nunquam ſine ſolicitudine tanti operis moraremur: nunc tamen, ex quo ad nos veſtræ ſanctitatis litteræ pervenerunt, multo magis inſtituimus, & cum ardore animæ feſtinantes, opus ſuſcepimus peroptatum: ad Dominum continue aſpicientes, illum inceptionis noſtræ & promptitudinis cooperatorem obtinere & perfectorem continuum invocantes, qui jam veſtris ſanctiſſimis & ſacratiſſimis orationibus exhilarati. Cum ipſe Deus clemens, ſit cupiens unionem, propitius ad nos inſpexit, & orationes noſtras benigne intendit, ſuper cogitationes noſtras aſcendens: & ſecundum ſuam magnam & ineffabilem miſericordiam intellectus noſtros direxit, & viam nobis rectam oſtendit, per quam bene perficietur, & dexteram conſummationem accipiet negotium ſupra dictum, & modico temporis ſpatio tantum opus Deo acceptum manifeſtabitur: cum ad honorem & gloriam ejus exiſtat, acceptum etiam apoſtolicæ eccleſiæ & veſtræ etiam ſanctitati.

Anno Christi 1274.

Primitus enim, ſanctiſſime Domine, dum occuleretur via, quæ ducebat ad pacem, incertus erat modus qualiter ipſam tractare deceret: & ſicut errantes vere oves currebant, & dubium erat, ut aliquis poſſet ad finem hujus operis pervenire. Deus autem ex quo oſtendit principium, nullum impedimentum conſiſtit nec prohibet: ſed negotium ſic facile de cetero compleri videtur, quod omnis dubitatio & formido procul habetur, quod ſpes quoque melior animabus plantatur, & nos cum favore Divino putamus amodo finem inde attingere concupitum. Tali enim modo in ſpe bona exiſtentes, quod etiam ſic oportet cum Deo ſperare veſtram apoſtolicam ſanctitatem.

De hoc vero quod accidit moram nobiſcum protrahere fratres, & aliquis finis uſque ad hodiernum diem non apparuit, exinde veſtra ſanctitas non admiretur: cum licet quid modicum videretur in principio, quæ inter nos & vos differentia modica conſiſtebat: ſed ipſius prolixitas in tantam invaluit, & tam magnam dilatavit & fecit, quod nec facilem eſſe, quamvis hoc putetur ab aliquibus, verum etiam difficilem & oneroſam diſſolutionem hujuſmodi, repræſentat.

Quare omnes dicent: opus eſt ad hoc temporis, & laboris. Temporis quidem, ut congregatio fiat pontificum, qui longe exiſtunt; quos neceſſe eſt adeſſe huic communi negotio, & voluntatem & propriam intentionem facientem pacem proferre, & nobiſcum ſentire, quod omnibus expedit: qui prælati non modica pars univerſitatis conſiſtunt, ut ne forte veterem ſciſſuram ſuere quærentes, alteram de novo ex imperitia, & non minorem priore aliunde rumpamus. Laboris autem, quia per inſtantiam & perſeverantiam fit, & etiam quæ ſunt difficilia emendare quis poteſt. Præter autem iſta nihil unquam homo de levibus perfecit, non ſolum tantum negotium, quale hoc exiſtit propoſitum. Unde ſi debet illorum aliquid conſummari, quæ expediunt, & quæ conſummatum ad omne tempus, quod deinceps erit firmum, forte, & perenne, vallari: neceſſarium eſt, quod labor ſit, & temporis erogatio intercedat.

Sed ne forte propterea veſtra ſanctitas aggravetur, ut aliquas inde cogitationes aſſumat propter moram fratrum. Duo ex ipſis videlicet fr. Raymundus Berengarius, & fr. Bonaventura de Mugello, electi, ad præſens mittuntur ad veſtræ præſentiam ſanctitatis: alii vero apud nos manent. Illi quidem ut annuncient veſtræ ſanctitati ea quæ viderunt, & audierunt, & quod in vanum minime cucurrerunt, nec inaniter laborarunt: ſed annuente Deo præclarus illico eorum labore conſequetur & fructus. Hi autem conſummato opere (cujus dies conſummationis non longe eſt a præſenti, ſed jam animabus noſtris ſplendidam producit auroram) cum noſtris nunciis apoſtolico veſtro culmini, quid confirmatum fuerit, intimabunt.

Quantam autem ad hoc negotium Dei amabile feſtinationem, quantamve ſolicitudinem & antea noſtrum intulit imperium, & nunc magis etiam introducit, non eſt opus litteris explicare: cum hujuſmodi opus non duxerimus omittendum. Fratres vero cum ſint viri religioſi & ſpirituales, pleni

Anno Christi 1274.

bonorum fructuum, & ſervitores propriæ veritatis, ſicut veri diſcipuli Chriſti, & ſanctitatis veſtræ, bene ſcimus, quod nullatenus occultabunt noſtram proferre operationem ad veſtram apoſtolicam ſanctitatem. Ipſi enim eorum oculis diligenter viderunt, didicerunt, & noverunt certiſſime, quod cum David paſſi ſumus aſſiduam afflictionem, dum oculis noſtris ſomnum non dedimus, nec palpebris dormitationem: ſed noctis vigiliæ nos occupant, meditantes ea quæ pacis & unionis exiſtant. Sol autem oriens in his ſedentes nos conſpicit, & occidens hoc nos meditantes dimittit. Loquimur cum aliquibus, & hęc ſunt facta noſtri colloquii: conſulimus, & de his diſpenſantes continue cogitamus, & cogitantes intra nos hęc meditamur. Non enim tempus comeſtionis a noſtro pectore curam iſtam expellit, non diſpenſatio communium rerum, non moderamina militię, non curę bellorum, non quęcumque aliquis poſſet dicere, aut delectationem, aut contrarium ad nos ducentia: ſed aliorum omnium rationem minimi facientes, pro uno tantummodo opere iſto cogitationes omnes revolvimus, cum ad alias ſolicitudines, ſicut homines corpus habentes, laborantes, fatigantes, & feſſi aliquando effecti, ad unum ſolum tantummodo Deum nempe erigentem, & potentes nos facientem, infatigati pacifice invenimur, non omnino a noſtra priſtina promptitudine deſiſtentes, ſed ſupereminentem promptitudinem promoventes amplius peraugemus. Quare argumentamur, quod nunc Deus magis aſtitit in medio noſtrum, quam unquam fuit temporibus retroactis, uniens & conjungens diſtantia, ſecundum magnam ejus & inſcrutabilem voluntatem.

Et de his quidem fratres, ſi voluerint, ac de noſtro imperio coram veſtra ſanctitate veritatis teſtimonium perhibebunt: propoſitum autem animę erga beatitudinem veſtram, nec ipſi narrantes poſſent ſufficienter oſtendere, nec nos propter tanti loci diſtantiam litteris explicare. Propoſitum autem animę quantum exiſtit, nunquam per opera poteſt manifeſtari: quanto magis ſermonibus enarrari? Verumtamen quamvis aliquam modicam imaginationem magni negotii poſſit quis a vobis comprehendere: bene novit magnitudo veſtra, ſanctiſſime Domine, quod tam cito unionis perfectę reſplendet bonum, ſicut jam in Deo confidimus, apud quem totius operis eſt conſummatio. Hujus ſolo nutu omnia poſſibilia inveniuntur, tunc & nunc, ex quo & quę pertinent a veſtra ſanctitate, tanquam a ſpeciali patre, a noſtro imperio tribuentur, ſpecialem filium nos invenietis ſanctę Dei eccleſię, & veſtrę apoſtolicæ ſanctitatis; & benedictiones & orationes veſtras, & aliter, & quę ad veſtram ſanctitatem pertinent, & ad me tanquam filium immediatum, hęredes effecti ſuſcipiemus, & obediemus vobis, & quod vobis erit placitum faciemus, propriamque veſtrę ſanctitatis intentionem complebimus, quęcumque, & ubicumque volueris, juxta omne, quod videbitur bonum Deo. Non enim eſſet decens, ſi nos ſicut filii paternitate veſtra fruentes, & quę ab ipſa paternitate debentur filio, quod nos condignam obedientiam & reverentiam non oſtendiſſemus ſicut filii ſpeciales ad patrem. Et propter hoc parati erimus, & nos parabimus quod Deo placitum eſt, & veſtrę ſanctitati, cum magno ſtudio percomplere, & taliter ut ſcribimus in propoſito firmiter obtinemus. Poſtquam conſummatum erit negotium, dexterum a Deo finem recipiet. Sed veſtrum de cetero opus erit, ſanctiſſime Domine, & magis vos ipſos dari huic adeo amabili & ſalutari negotio, & feſtinare ad conſummationem pacis, nullatenus deſiſtentes. In quantum ſit veſtrę altitudinis magnitudo, & ſuper omnes cognoſcetur: in tantum oportet prę ceteris feſtinare, & operam adhibere, ut ad conſummationem veniat opus propoſitum peracceptum.

Anno Christi 1274.

Hujuſmodi autem pręſumptuoſe quodammodo ſcribere moti ſumus veſtrę apoſtolicę ſanctitati, quia & alias, cum debemus advincem ad pacem conjungi, exiſtentes jam ad unionis conſummationem, licet alio modo tunc temporis ea quę ſunt pacis tractabantur, aliter vero nunc diſpenſatur gratia Chriſti. Conſideravimus aliquos ſequentes proprias voluntates, & injuſte pacis proſecutionem prohibentes, qui jam conſenſu diutino perſecerunt propoſitum eorumdem, & bonum Chriſtianę gentis invidentes, inimicitiam ad commune intentum omnium introduxerunt. Nos tamen omnem curam unionis & concordię apponentes, ſic habemus per omnia, ſicut dictum eſt, & nulla a nobis conſurgit occaſio. Nam quales in verbis nos oſtendimus fore, tales etiam, & ferventiores, nos in operibus invenietis paratos.

Beatitudo autem veſtra, ſanctiſſime domine, non aliter de nobis recogitet, nec aliquam hęſitationem habeat de conſummatione negotii ſæpe dicti: ſed omnem ambiguitatem & timorem ejicientes ab anima, de conſummatione & perfectione negotii ſæpe dicti, quod ad manus eſt, ſicut jam ad præſens recipiet ſanctitas veſtra. Tempus enim, in quo magis convenit diſpenſari ſuper Chriſtianorum utilitate communi, non aliud nunc quidem videtur, quam præſens, ad quod nos quidem, ad unum convenientes, cooperatione Spiritus ſancti, ubicumque voluerimus ambulare, in Deo faciemus virtutem, angulari lapide Chriſto, qui eſt caput eccleſiæ, in quo omnis ædificatio ad templum ſanctum in medio noſtrum compaginata concreſcit, juſtam exinde promiſſionem habentes, & nos in pace indiruptibiliter conjungentes, non duo vel tres exiſtimemus, ſed milliana infinita & innumerabilia in ipſius nomine congregata.

Contra inimicos autem Dominicæ crucis, divi Amos dictum bene & optime inducitur: *Occidet Sol in eis in meridie*, ſic opinantibus ex anguſtia cordis, & obumbrabitur ſuper terram eorum in die lumen, & in meridie velut in nocte palpabunt: expugnatio erit eis, & totalis deſtructio: redemptio vero terræ ſanctæ & ultra alienigenæ non tranſibunt per eam. Ait Joel magnus: *Ægyptus ad deſtructionem erit, & Idumæa ad campum perditionis*. Et ſic tanquam ignis & flamma novi Iſraelis domus apparebit. Domus vero Eſau tanquam ſtipula, & conſummabuntur, inquit: quoniam venerunt dies vindictæ juxta dictum divi Oſeæ, & dies retributionis eorum. Nos vero tota Chriſtiana gens dicimus, faventibus orationibus veſtris, virtutem a Deo accipientes: dilatati erimus, & ad priſtinum iterum veniemus. Si diſtantia enim noſtra impiis ſuperbiendi libertatem conceſſit: coadunatio utique & in unum congregatio maniſeſtiſſimum eis interitum præparabit. Iſtud eſt tempus illud, quod multi quidem noſtrorum ſpiritualium virorum, & etiam non pauci veſtrorum, mentis oculis diſcernentes, & prophetizantes ſuper hoc, deſiderarunt etiam illud corporeis oculis revidere; ſed non viderunt. Deus autem in veſtris diebus, ſanctis veſtris orationibus annuens, videre hoc nos dignos conceſſit, ſecundum ſuæ judicium voluntatis: quod non decet omittere apoſtolicam animam veſtram, nec in vanum tranſire concedere. Incertum enim exiſtit, ſi tale deinceps tempus eveniet.

Amos 5.

Joel 3.

Sed



Anno Christi 1274.

Sed hæc quidem, beatiſſime domine, & propter bonas ſpes & confiſas, quas decet vos de futuro habere, ſuggerunt veſtræ ſcribere ſanctitati, ut ad futurum quod jam per vos debet celebrari, concilium, futuram cum Deo eccleſiarum annuncietis confirmationem & reſtaurationem; & omnes divi viri qui congregari debent ibidem, cum deceat ipſos gaudere ſuper negotio ipſo, lætiores fiant, certificati de perfectione unitatis prædictæ: & etiam quod omnibus certificetur, quod labor, quem ſanctiſſima benignitas veſtra ad præſens negotium ſubrogavit, non vanus factus eſt, illius gratia qui ad hoc vos inſpiravit; illa fiducia, quam ad ipſum habetis; ſed ad tempus conducens, reddet fructum, non ſolum in triginta & ſexaginta, ſed etiam ad centuplum, juxta vocem Salvatoris in evangeliis. Reſiduum ſane in cura veſtræ ſanctitatis exiſtit.

Quid reſtat? debent in brevi nuncii noſtri una cum aliis fratribus qui penes nos exiſtunt, viam cum Deo accipere, ad veſtram ſedem altiſſimam proficiſcentes, ut appareant coram vobis cum perfectione operis peroptati. His autem hoc facere debentibus, ſicut ſummus pontifex & paſtor pervigil animarum, ac proviſor omnium, provideatis, ſi placet, & viam qua tranſire debent nuncii, modis omnibus ſecuram & ſine periculo fieri ſtatuatis: ut ſine impedimento, noſtri nuncii valeant ad veſtram ſanctiſſimam præſentiam proficiſci. Nam timemus valde, ne ipſis differentibus tanti & talis operis effectum, forte antiquus bellator pacis, motus invidia, tanto Divino operi obviare conetur: &, ut imperfectum contingat multo tempore remanere, per quoſdam iniquos homines indeſperate periculum operetur. Sed divinitas veſtra, ſua magna providentia repellat inſidias aſſidui inimici. Quare dictis nunciis, & fratribus, viam præparetis ſecuram; ut exinde verecundia malignitatis principi fiat, & eorum cogitatione annullata, veſtræ providentia ſanctitatis, bonum, quod labore eſt tanto tempore acquiſitum, perducatur ad finem: ne propter deſpectum, antequam confirmetur & radicetur, aperte rumpatur. Quemadmodum enim labor poteſt reædificare, quod deſtruxit inertia: ita deſtruit incuria, quod acquiſitum eſt labore. Quapropter divinam veſtram & efficacem in operationibus providentiam ad hæc cogitavimus incitare, quam certi ſumus tribuere velle negotio ante dicto: in Deo confidentes, qui pacem ſuper omnia acceptat, & ipſam tribuit animabus diligentium ipſum, & in veſtra providentiſſima & imitativa ſanctitate, cujus orationes nobis affectuoſe concedantur. Amen.

## GREGORII X. EPISTOLA

### ENCYCLICA

*Ad omnes Prælatos, qua eis ad generale Concilium celebrandum Lugdunum urbem electam indicit.*

Ex Campi Histor. Placent. tom. 2. in regeſ. n. 141.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Senonen. & Epiſcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpoſitis, & aliis Eccleſiarum Prælatis per Senonenſem provinciam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

In literis, quas ad univerſos orbis Principes, & Prælatos ſuper generalis convocatione Concilii deſtinavimus, locum, in quo idem Concilium convenire deberet, ex cauſa duximus ſubticendum: prædiximus tamen in illis, quod locum eumdem ipſis Principibus, & Prælatis intimare competenti tempore curaremus. Nobis igitur cum fratribus noſtris hujus loci electionem deducentibus in exactæ diſcuſſionis examen, occurrebant hinc inde diverſa, qui diſcutientium videbantur judicium alternare. Nec enim præterit noſtræ conſiderationis indaginem, quam grave, quam durum eſt locum ſedis Apoſtolicæ proprium, in quo præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus, in quo illorum corpora glorioſa quieſcunt, terrarum ſpatio tam diffuſo dimittere, tanto locorum intervallo a peculiari noſtro populo Romanæ urbis abeſſe; convicinis partibus, quæ Sedi eidem non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam temporaliter ſubeſſe noſcuntur, commoditatem vicinitatis noſtræ ſubtrahere; quanta ex abſentia noſtra diverſis Italiæ partibus poſſent imminere diſcrimina, quantum partium earumdem inveterata ſciſſura, pro integrandæ unitatis obtinendo remedio, noſtro auxilio indigebat; quantis denique oneribus, quantis laboribus nos & fratres noſtros, quorum aliquos ætas, quoſdam debilitas, nonnullos infirmitas, & omnes ad hæc deſuetudo reddit inhabiles, exponimus non ſine rerum diſpendiis, quæ quaſi pro nihilo ducimus; non ſine diſcriminibus corporum, quæ non facile contemnuntur. Hæc, & alia, quæ non poſſet ſuccinctus ſermo percurrere, in partibus iſtis locum hujuſmodi eligendum concludere videbantur. Verum ea, qui in eodem ſunt agenda Concilio, contrarium ſuadebant, & ſpecialiter negotium Terræ Sanctæ, quam dum Creatori omnium cariorem omnibus Scriptura deſcribit, ſatis aperte indicat cariſſimam proculdubio a nobis habendam, cum ſoleat, quod eſt in ſuperioris conſpectu, præſtantius in ſubditorum extimatione præſtare. Adjicit inſuper beneficiorum conſideratio, quæ inibi humano generi de divinæ ſuperabundantia gratiæ, obvenerunt. Siquidem Salvator omnium operatus eſt in medio illius Terræ ſalutem. Ibi ſumpſit corporalis nativitatis initium. Ibi converſationis humanæ deduxit tempora. Ibi poſt probroſæ paſſionis opprobria, pro redemptione noſtra mortem ſubiit temporalem, & ſui pretioſi effuſione cruoris vetus piaculum expiavit. Numquid igitur non contingent redemptorum corda, immenſa & innumerabilia beneficia Redemptoris? nunquid non accendent cujuſque præcordia, ut ipſi pro tot, quæ nobis tribuit, hoc ſaltem neceſſitatis tempore aliquid impendamus? Dum Crucis hoſtes Crucifixum habentes oſtentui, cultores ipſius, Chriſtiani nominis profeſſores, ut Chriſti cultum deleant, inceſſanter exterminant, & conculcant, ipſos debilitantes viribus, extenuantes opibus, & eorum facies replentes ignominia, ipſoſque diverſis confuſionibus ſaturantes. Ad vindicandas itaque Redemptoris injurias, ac redimenda ignominioſæ conculcationis opprobria in redemptis, noſtrum circa Terram eandem Creatoris conformantes affectui, ac debita meditatione, quod ejuſdem Terræ ſubſidium præcipue de Principum, & Prælatorum pendet auxilio, quos, ultra montes credimus convenire poſſe commodius, exinanivimus noſmetipſos, & ſub ſpe illius, qui dat lapſo virtutem, debilitatem noſtram contempſimus; ſub ipſius fiducia, qui de ſua miſericordia nos confortat, quod intendimus in eo poſſe ſperantes, parvipendimus onera, labores conſideratione calcavimus, & ceteris noſtris ac fratrum noſtrorum incommoditatibus in ejuſdem conſiderationis examinatione poſtpoſitis, ut Principum &

Anno Christi 1274.

Præ-

Prælatorum eorundem facilius habere poſſimus præſentiam, ac Terræ prædictæ ſubventionem efficaciter promovere, civitatem Lugdunenſem, quo inibi Concilium cum majori commoditate conveniat, de ipſorum fratrum conſilio duximus eligendam. Quod vobis tenore præſentium nunciantes, Univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur in Domino, Apoſtolica vobis nihilominus auctoritate mandantes, quatenus in prædicta civitate Lugdunenſi juxta præſcriptam per ſupradictas literas noſtras formam ſtudeatis omni, quam inevitabilis neceſſitas non indicet, excuſatione poſtpoſita, in præfixo per eaſdem literas termino comparere. Dat. apud Urbeveterem Idib. Aprilis Pontificatus noſtri anno ſecundo.

In eundem modum.

In Francia.

Capitulo Rhemen.
Rhotomagen. & } Archiepiſcopis.
Turonen.

In Anglia.

Eboracen. &
Cantuarien. } Archiepiſcopis.

In Ibernia & Scotia.

Dublinen.
Caſſellen. &
Tuanen. } Archiepiſcopis.
Armachan.

In Norvegia.

Nidroſien. &
Upſalen. } Archiepiſcopis.

In Polonia.

Gneznen. Archiepiſcopo.

In Hiſpania.

Iſpalen.
Compoſtellan.
Toletan. } Archiepiſcopis.
Tarraconen.
Electo Bracharen.

In Provincia.

Aquen.
Arelaten.
Ebredunen. } Archiepiſcopis.
Viennen. &
Narbonen.

In Vaſconia.

Auxitan. Archiepiſcopo.

In Sardinia.

Calaritan.
Turritan. & } Archiepiſcopis.
Arboren.

In Ungaria.

Colocen. &
Arigonien. } Archiepiſcopis.

In Alamania.

Magdeburgen.
Bromen.
Troveren. } Archiepiſcopis.
Salzeburgen.
Colonien. &
Moguntin.

In Lombardia.

Patriarchæ Graden.
Mediolanen. & } Archiepiſcopis.
Januen.

In Tuſcia.

Univerſis Prælatis Tuſciæ.

In Campania.

Univerſis Prælatis Campaniæ.

In Marchia Anconitana.

Univerſis Prælatis Marchiæ.

In Romania.

Corinthien. Archiepiſcopo, & Electo Patracen.

In regno Siciliæ.

Singulis Archiepiſcopis ejuſdem regni.

In Iſtria ſup. mare.

Jadren. &
Spalaten. } Archiepiſcopis.

In Sclavonia.

Raguſin. &
Antibaren. } Archiepiſcopis.

In Burgundia.

Tarantaſien. &
Biſuntin. } Archiepiſcopis.

In eundem modum.

Abbati Caſinen.

In Ducatu Spoletano.

Univerſis Prælatis ipſius Ducatus.

## EJUSDEM EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Reges, Principes, & Civitates,

*Ejuſdem tenoris.*

REgi Francorum illuſtri. In literis, quas ad univerſos orbis Principes, & Prælatos ſuper generalis convocatione Concilii deſtinavimus, locum &c. *ut ſupra uſque ad verba* duximus eligendam. Quod tibi tenore præſentium nunciantes, Serenitatem Regiam rogamus, & hortamur in illo, qui regibus dat ſalutem, in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, ut te illi gratifices, qui tot gratiis te prævenit; laborem voluntarium ad tam ſancti, tam utilis negotii promotionem aſſumens, præfixo per eaſdem literas termino interim ad hoc opportunitate captata, in civitate prædicta una cum aliis Principibus, & Prælatis, quorum ſuper hoc Dominus corda tetigerit, tuam velis præſentiam exhibere. Dat. ut ſupra.

In eundem modum ſcribitur Regibus, Comitibus, & aliis infraſcriptis.

Angliæ
Scotiæ
Norvegiæ
Ungariæ
Boemiæ } Regibus.
Caſtellæ
Aragonum
Navarræ

Carnoten.
Flandren.
Attrebaten.
Britanniæ } Comitibus.
Bleſen.
Nivernen.
Burgundiæ

Burgundiæ
Brabantiæ
Saxoniæ & } Ducibus.
Brunſuuic

Brandeburgen.
Miſnen. } Marchionibus.
Principi Achajæ.

Galluris
Arboren. & } Judicibus.
Calaritan.





## EJUSDEM EPISTOLA AD ARMENIÆ REGEM

*Eum ad Concilium Lugduni celebrandum invitat, & ut antiquorum Conciliorum exemplaria ſecum deferas.*

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cariſſimo filio.......Regi Armeniæ illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad laudem divini nominis, & ſtatum proſperum Chriſtianæ religionis, nec non pro Terræ Sanctæ negotio, indiximus generale Concilium, a Kalendis inſtantis menſis Maji ad unum annum apud civitatem Lugdunenſem, divina favente clementia celebrandum, ad quod, ſicut ceteri reges, Orbis terræ Catholici, per alias noſtras literas invitaris. Quia vero multipliciter expedit, ut in ejuſdem celebratione Concilii antiquorum Conciliorum copiam habeamus, Celſitudinem Regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus integrum Nicenum Concilium, & alia Concilia, quæ habere diceris in Armenica litera, cum aliquibus peritis interpretibus, qui de Armenico transferant in Latinum; ſuper quo venerabili fratri noſtro.......Catholico ſimilia noſtra ſcripta dirigimus; Nobis cum ea, qua poteris, celeritate tranſmittas, ut in iis, quæ facienda fuerint, per eadem Concilia ſalubris haberi poſſit inſtructio, & Nos Regalis devotionis promptitudinem exinde commendare dignis in Domino laudibus merito debeamus. Dat. Urbeveteri V. Kal. Maji Pontificatus noſtri anno ſecundo.

## ** GREGORII X. EPISTOLA ad Græcorum imperatorem.

Reſpondet ejus epiſtolæ, & ad mittendos quamprimum apocriſarios hortatur.

*Magnifico viro Michaeli Paleologo illuſtri imperatori, gratiam in præſenti, per quam gloriam obtineat in futuro.*

Ex eodem regeſto edidit Wadingus. *Hard.*

LItterarum ſeries, quas nobis noviſſime tua magnificentia deſtinavit, cunctis, qui ſpiritu Dei aguntur, ipſas audientibus, gaudii & exultationis in Domino materiam ſubminiſtrat. Siquidem circa inſtans unionis Latinorum & Græcorum deſideratæ, perutilis, ac Deo acceptæ negotium, & intenſum tuum teſtatur affectum, & votivum illius exitum proximum repromittit: adjiciens inter cetera, quod cum qualem te oſtendis in verbo, talis & ferventior inveniaris in opere, nullius dubitationis ſcrupulus in noſtro corde remaneat de confirmatione ac perfectione negotii ſupradicti. Hæc quidem catholicos rei conſcios in jubilum excitant animos.

Sed multorum circa hoc motus reprimit, quod, ut verum fateamur, quamplures magnæ conditionis & ſtatus aſſerunt, unionis prædictæ tractatum ex Græcorum parte diutius in figmentis verborum & ſimultate deductum. Propter quod & nobis ſuper apocriſariorum noſtrorum, qui ad tuam pervenere præſentiam, deliberantibus miſſione, id diſſuaſere frequentius: viam aliam, quæ ſe videbatur offerre præ manibus, potius ſuadentes. Licet autem illis credulitatis aures non duxerimus inclinandas, hæc tamen excellentiæ tuæ ad ſtimulum quaſi ſolicitudinis exponimus: ut attendens, quod ex iis, quæ de prædictis tuis litteris brevis ſupra commemoravit epilogus, & aliis, quæ patent latius in eiſdem, te oris tui verbo non ſolum Deo, ſed & univerſis audientibus, ſi famam tuam non negligas, ad conſummationem prædicti negotii quaſi obligaſſe videris; ad illam ſic ſolerter intendas, & efficaciter, & in veritate procedas, quod tuæ promiſſionis effectu per evidentiam operis apparente, obſtruantur ora inique loquentium, qui celſitudinem tuam libenter forte notarent, quaſi non in ſinceritate debita hoc tam ſalubre negotium proſequaris; ſed & nunc poſt nuncios noſtros tanto tempore detentos, quaſi neceſſitatem dilationis ingeſſeris, ſicut hactenus ex eadem parte frequenter ingeſtas aſſerunt, ut per anguſtias tempori s& per inopinatos caſus, qui perſæpe in negotiis tractandis emergunt, deſiderato fructu hoc tam ſalubre negotium fruſtraretur, ne quando nobis ſupergaudeant & inſultent ac dicant: ecce quod verebamur, accidit. Sicut enim vobis prædiximus, ſolam perditionem temporis noſtrorum miſſio habuit nunciorum.

Hæc ſicut ad tuam inſtructionem & proviſionem de paterna dulcedine prodeunt, ita in tuæ conſiderationis attentione dulceſcant. Sic enim ad ſalutem animæ tuæ afficimur, ut & perſonę in via hac, quam pręmiſſę litterę te ambulare deſcribunt, zelemus honorem; & deſideremus te diligentiſſimum fore opinionis tuę cuſtodem, curam habentem de tuo nomine, nec famam aliquatenus negligentem. Perſta igitur: noſti enim, quod perſeverantię palma debetur. Perſta, & quę te pręmiſſę tuę litterę tam ſolicite incœpiſſe commemorant, & nuncii noſtri, qui ad nos rediere, teſtantur, ſolicitudine continuanda, & quantum facultas permiſerit, augmentanda, proſequere, ad obtinendum immenſum Divinę retributionis pręmium, & memoriale inter homines de tam pio, Deo tam amabili, & Chriſtianitati tam votivo, tam utili opere in ęternum: miſſurus apocriſarios, quorum eædem magnitudinis tuæ litteræ pollicentur adventum cum poteſtate plenaria; & ad omnia, quæ noſtrarum miſſarum ad te per eoſdem nuncios litterarum tenor exigit, plene, prout decet, inſtructos.

De quorum ſecuro conductu, ſicut inſerta tuis litteris petitio continebat, per viam a celſitudinis tuæ nunciis ad nos propter hoc inter cetera deſtinatis de ſpeciali mandato tuo, ut dicebant, electam, ſalubriter duximus providendum. Datum Lugduni IX. Kal. Decembris, pontificatus noſtri anno II.

## BREVIS NOTA EORUM

quæ in ſecundo concilio Lugdunenſi generali acta ſunt.

*In nomine Domini. Amen.*

ANno ejuſdem milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, menſe Maji, die Lunæ ſeptima ejuſdem, tertia Indictione, congregato generali concilio per ſanctiſſimum patrem dominum Gregorium decimum, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummum & univerſalem pontificem, Lugduni, in majori eccleſia ſancti Joannis Lugdunenſis, injuncto prius per ipſum ſanctiſſimum patrem, quinto die ante ſeſſionem, ſcilicet ſecunda ejudem menſis, omnibus prælatis & capellanis ſuis jejunio triduano, & ſedibus preparatis in navi ipſius eccleſię per circuitum: idem dominus papa

ANNO CHRISTI 1274.

circa horam Miſſæ deſcendens de camera ſua in ipſam eccleſiam, præparato ſibi faldiſtorio in choro, conducentibus eum duobus diaconis cardinalibus, ut moris eſt, dixit Tertiam & Sextam, quia erat dies jejunii. Quibus finitis ſubdiaconus venit cum ſandalibus, & calceavit eum, capellanis dicentibus pſalmos conſuetos circa ipſum: & eo calceato, & lotis manibus, diaconus & ſubdiaconus more ſolito induerunt eum omnibus veſtimentis pontificalibus albi coloris, quia inter Paſcha & Aſcenſionem erat, & pallio, ſicut ſi eſſet Miſſam celebraturus. Et inde præcedente cruce, aſcendit pulpitum præparatum & ornatum, & ſedit in faldiſtorio ſuo, miniſtrante ſibi pro presbytero, domino Simone tituli ſancti Martini, & diacono domino Othobono cardinale, & aſſiſtentibus ſibi in eodem pulpito ipſo domino Othobono ſancti Hadriani, & dominis Jacobo ſanctæ Mariæ in Coſmedin ", ſancti Georgii ad Velum aureum, Huberto ſancti Euſtachii, Matthæo ſanctæ Mariæ in Porticu, diaconis cardinalibus; etiam ſedente juxta eum domino Jacobo rege Aragonum, aſſiſtentibus etiam ſibi quibuſdam capellanis ſuperpelliceis indutis: ſedens idem ſummus pontifex in faldiſtorio ſuo fecit crucem ſuper prælatos & concilium, qui ſic ſedebant ab oppoſito, & in eminentibus ſedibus præparatis. In medio navis ejuſdem eccleſiæ ſederunt domini, Pantaleo Conſtantinopolitanus, & Opizio Antiochiæ, patriarchæ ". In ſedibus aliis a latere dextro pontificis ſederunt domini, Ioannes Portuenſis, & ſanctæ Rufinę, Petrus Tuſculanus vicedominus Præneſtinus, frater Bonaventura Albanenſis, frater Petrus Oſtienſis & Velletrenſis, Bertrandus Sabinenſis, epiſcopi cardinales; a latere vero ſiniſtro, Averus tituli ſanctę Praxedis, Guilielmus ſancti Marci, Simeon tituli ſanctę Cęcilię, presbyteri cardinales. Poſt hos vero a dextris & ſiniſtris ſederunt primates, archiepiſcopi & epiſcopi, abbates & priores, & alii eccleſiarum prelati in magna multitudine, non diſcrepantes de locis, cum per eundem ſummum pontificem fuerit ordinatum, quod ſine prejudicio eccleſiarum ſuarum ſederent: ſtantibus autem inferius fratre Vilielmo de Hoſpitali, & fratre Roberto magiſtro Templi, & aliquibus fratribus earundem religionum, & nunciis ſolennibus Francię, Alemanię, Anglię, & Sicilię regum, & aliorum multorum quoque principum, baronum, capitulorum, & eccleſiarum procurator ". Capellani cantaverunt antiphonam, *Exaudi nos Domine*: qua finita dominus papa ſurgens, dixit *Oremus*, Dominus Othobonus flexis genibus, & dominus Jacobus, dixerunt: *Levate*. Et ſummus pontifex dixit alta voce orationem, ſicut habetur in ordinario. Deinde per unum capellanum cantata eſt litania minor, domino papa & omnibus cardinalibus & prelatis adſtantibus genibus flexis: & ſine mitra. Qua finita per eundem capellanum, & reſpondentibus ſibi quamplurimis, dominus papa ſurgens, dixit: *Oremus*. Dominus Jacobus flexis genibus, & dominus Gotifredus, reſponderunt: *Levate*. Et dominus papa dixit aliam orationem in tono ſecundum primam. Poſthæc dominus Othobonus, facta reverentia domino papæ, & benedictione petita, ut moris eſt, cantavit evangelium ſecundum Matthæum, ſcilicet: *Deſignavit Dominus Jeſus alios ſeptuaginta duos*. Quo finito dominus papa ſtans erectus, alta voce incepit hymnum, ſcilicet, *Veni creator Spiritus*. Quo cantato per ipſum, & totum concilium, ſtans ſine mitra, cum magna devotione, ipſe ſedit in faldiſtorio ſuo, & omnes prelati in locis ſuis ſederunt: & tunc ipſe incœpit ſermocinari, propoſito themate, ſcilicet: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar, & antequam moriar*: & proſecutus eſt ſermonem ſuum. Quo finito, & pauſato aliquantulum, cœpit alloqui concilium, narrando motum & votum animi ſui, & cauſas, propter quas evocaverat concilium, & ſuper quibus, ſcilicet ſuper ſubſidio terræ ſanctæ, & ſuper unione Grecorum, & ſuper reformatione morum. Qua allocutione completa, ſurrexit de ſede, & indixit aliam ſeſſionem ad aliam diem, Lunę ſcilicet: & ſic diſſoluta eſt prima ſeſſio. Idem autem papa rediens ad locum, ubi ipſe ſe induerat, exuit ſe pontificalibus veſtimentis, & dixit Nonam.

[" Adde, Gottifredo.] [" Patriarcha tituli Latini.] [" Corr. procuratoribus] [Luc. 10.] [Luc. 22.]

Eodem anno & menſe, die vero veniente decima octava, ejuſdem, facta eſt ſecunda ſeſſio, in qua omnia facta ſunt ſicut in prima, excepto quod non fuit indictum jejunium, & pro presbytero ſervivit dominus Averus, pro diacono dominus Jacobus, & quod aliud evangelium cantatum eſt, ſcilicet ſecundum Lucam: *Vos eſtis ſal terræ*: & quod aliæ orationes dictæ ſunt, ſicut in ordinario habetur; & quod dominus papa non fecit ſermonem, ſed allocutionem tantum ſuper illis quæ fuerant in prima ſeſſione. Qua allocutione finita, latæ ſunt conſtitutiones pro zelo fidei, & licentiati ſunt omnes in iſta ſeſſione procuratores capitulorum, ac abbates & priores non mitrati, exceptis illis qui fuerunt nominatim ad concilium evocati: licentiati ſunt omnes alii inferiores prælati mitrati, & indicta eſt tertia ſeſſio ad diem Lunæ poſt octavam Pentecoſtes, quæ erat vigeſima octava Maji. Et ſic diſſoluta eſt ſecunda ſeſſio. [Luc. 14]

Inter primam & ſecundam ſeſſionem, dominus papa cum cardinalibus advocarunt ſegregatim archiepiſcopos, & quemlibet cum uno epiſcopo & abbate ſuæ provinciæ, & diviſos habuit eos in camera ſua, epiſcopos etiam & abbates, qui immediate ſubſunt Romanæ eccleſiæ: & petiit & obtinuit ab eis omnes decimas reddituum, fructuum, & proventuum eccleſiarum uſque ad ſex annos continuos, incipiendo a feſto ſancti Joannis Baptiſtæ inſtantis anni Domini milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimiquarti, uſque ad ſex annos continuos futuros, ſicut in conſtitutione habetur.

Item pendente termino ſequentis ſeſſionis, frater Hieronymus & frater Bonagratia de ordine fratrum Minorum, qui miſſi fuerant nuncii cum duobus fratribus per Romanam eccleſiam ad Græcos, miſerunt quaſdam litteras domino papæ, de quibus ipſe dominus papa multum gaviſus eſt, & fecit vocari omnes prælatos in majori eccleſia Lugdunenſi: & ibi omnibus prælatis exiſtentibus in cappis ſuis, frater Bonaventura Albanenſis epiſcopus ſermocinatus eſt, propoſito themate, quod legitur Baruch: *Exurge Jeruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & inde collige filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem*: poſt cujus ſermonem lectæ ſunt prædictæ litteræ. [Baruch 5.]

Eodem anno, menſe vero Junii, die ejuſdem ſeptima, in qua omnia facta ſunt ſicut in prima, excepto quod non fuit indictum jejunium, & quod pro diacono ſervivit dominus Gaufredus ad Velum aureum; & quod cantatum eſt aliud evangelium, ſcilicet ſecundum Matthæum: *Acceſſerunt ad Jeſum diſcipuli*, &c. & quod aliæ orationes dictæ ſunt ſicut in ordinario continetur, & quod non fuit ibi rex Aragonum, & quod frater Petrus Oſtienſis epiſcopus ſermocinatus eſt, incipiens thema, ſcilicet: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi*. Et poſtea lectæ ſunt conſtitutiones, ſcilicet: Ut circa electionem, Avaritiæ cæcitas, Quam ſit eccleſiis, Perpetuæ ſanctionis, Nulli dicere, Si quando contigerit, Quamvis conſtitutio, Properandum, Eos qui clericos, Exigit multorum, Conſtitutionem felicis recordationis Innocentii papæ, Preſente generali. Quibus lectis dominus papa allocutus eſt concilium, & dedit licentiam omnibus prælatis quod poſſent exire Lugdunum, & elongare ſe uſque ad ſex leucas. Diem alterius ſeſſionis non prefixit, propter dubium adventum Græcorum: & ſic abſoluta eſt tertia ſeſſio. Tamen inter ſecundam & tertiam ſeſſionem dominus papa vocavit prælatos, ſicut inter primam & ſecundam, & fecit legi coram eis conſtitutiones prædictas: quæ lectæ ſunt. [Matth.] [Iſai. 60.]





ANNO CHRISTI 1274.

Eodem vero anno & menſe, die vigeſimaquarta, nuncii imperatoris Græcorum venerunt, quorum nomina ſunt in littera miſſa papæ. Omnes prælati qui erant in concilio cum familiaribus ſuis, camerarius cum tota familia papæ, vicecancellarius, & omnes notarii, ac omnis familia cardinalium, exiverunt eis obviam, & eos uſque ad palatium domini papæ honorifice conduxerunt: qui ab eodem domino papa ſtante in aula ejuſdem palatii cum omnibus cardinalibus, & multis prælatis, ad pacis oſculum honorifice ſunt recepti: & eis repræſentaverunt litteras imperatoris Græcorum bullatas bulla aurea, & alias litteras prælatorum, & dixerunt in præſentia domini papæ, quod veniebant ad omnimodam obedientiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & ad recognitionem fidei, quam ipſa eccleſia tenet, & primatum ipſius, &c. Et poſt hoc venerunt ad hoſpitia ſua.

Eodem anno, & menſe, die vigeſimaoctava, in feſto apoſtolorum Petri & Pauli, dominus papa celebravit Miſſam in majori eccleſia ſancti Joannis Lugdunenſis, exiſtentibus ibidem omnibus cardinalibus, & prelatis, qui ad concilium fuerant evocati: lecta eſt epiſtola in Latino, & Greco, & cantatum eſt evangelium per dominum Othobonum in Latino, & quemdam diaconum Græcorum in habitu in quo Græci ſolent cantare, in Græco, poſt eum. Quibus dictis, frater Bonaventura fecit ſermonem ſuum uſque ad finem: poſtea vero cantatum eſt ſymbolum, ſcilicet, *Credo in unum Deum*, in Latino, incipientibus dominis cardinalibus, & epiſcopis, qui ſicut cantores, ſeu primicerii, tenuerunt chorum in cantu, & proſequentibus canonicis ejuſdem eccleſiæ. Poſt hoc vero immediate prædictus patriarcha, cum omnibus Grecis archiepiſcopis de Calabria, & frater V. de Morbecca, de ordine fratrum Prædicatorum, & frater Joannes de Conſtantinopoli de ordine fratrum Minorum, pœnitentiarii domini papæ, qui linguam Græcam noverant, cantaverunt ſolenniter & alta voce prædictum ſymbolum: & quando ventum eſt ad articulum illum, *Qui a Patre, Filioque procedit*; ſolenniter, & devote ter cantaverunt. Quo ſymbolo finito, idem patriarcha, archiepiſcopi, & logotheta, cum aliis cantaverunt laudes ſolennes in lingua Greca domino papæ, & poſt hæc Miſſa per ipſum dominum papam, ſtantibus Grecis predictis, juxta altare proſecuta eſt, & completa.

Eodem anno, menſe vero Julii, die tertia ejuſdem, dominus papa fecit vocari dominum epiſcopum Leodienſem ad ſe, & propoſitis quibuſdam exceſſibus ſuis, ſibi compulit eum cedere oneri, & honori. Sequenti vero die, nuncii Tartarorum regis repræſentaverunt ſe domino papæ in camera ſua, exiſtentibus ibi omnibus cardinalibus, & multis prælatis, qui ante eum convenerant ad tractandum de negotiis concilii: quibus etiam omnibus familia cardinalium & prælatorum, de mandato domini papæ obviam exiverunt, & eodem die eſt quarta ſeſſio nunciata ad diem Veneris futuri, ſcilicet ejuſdem menſis, omnibus prælatis per curſores domini papæ. Et eodem die dominus papa fecit vocari dominum Fridericum abbatem ſancti Pauli de Urbe, & propoſitis quibuſdam exceſſibus ſuis ſibi, compulit cedere eum dictæ abbatiæ.

Eodem anno, & menſe, die Veneris, ſexta ejuſdem, in octava ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, facta eſt quarta ſeſſio, exiſtentibus in loco, ubi dominus papa cum diacono cardinali ſedebat, prædictis nunciis imperatoris Græcorum a latere dextro poſt cardinales: in qua omnia facta ſunt ſicut in prima, excepto quod fuit cantatum per dominum Hubertum evangelium ſecundum Matthæum, ſcilicet: *Juſſit Dominus diſcipulis ſuis aſcendere naviculas*, quod competebat diei; & frater Petrus Oſtienſis prædicavit, qui domino papæ pro presbytero ſerviebat, thema ſcilicet, *Illuminans tu*, &c. poſt cujus ſermonem dominus papa allocutus eſt concilium, narrans prædictas tres cauſas vocationis concilii, & dicens qualiter contra opinionem quaſi omnium, Greci libere veniebant ad obedientiam Romanę eccleſię, profitendo fidem, & recognoſcendo primatum ipſius, nihilque temporale petendo: de quo multum dubitabatur. Dixit etiam, qualiter ſcripſerat imperatori Grecorum, quod ſi non vellet ſpontanee venire ad obedientiam Romanę eccleſię, & fidem ejus, quod mitteret nuncios ſolennes ad tractandum ſuper his, quę petere volebat; & ipſe Deo favente omnibus pretermiſſis, ſpontanee, & libere fidem Romanę eccleſię, & primatum ipſius profeſſus eſt, & recognovit in ſumma, quod predictos nuncios ad profitendum & recognoſcendum miſerat in ſua preſentia, ſicut in litteris per prædictum dominum imperatorem ſibi miſſis continebatur expreſſe. Tunc mandavit legi ipſas litteras, & alias litteras multorum prelatorum: quod fecerat predictis nunciis, & litteras filii ipſius imperatoris: quę tres erant bullatę bulla aurea, tranſlatę in litteras Latinas. Quibus lectis, unus de predictis nunciis, ſcilicet logotheta, dicens ſe viva voce a dicto imperatore in mandatis habere, quod poſſet jurare in animam ipſius, ſi domino papę placeret, profeſſus eſt publice fidem Romanę eccleſię, quę lecta fuerat in concilio, tenere dictum imperatorem, & imperium, & eam perpetuo ſervaturos, & nullo tempore receſſuros ab ea, ut in forma juramenti plenius continetur. Et ſic eſt finis ipſius ſeſſionis. [Matth. 14.] [Pſal. 75.]

Poſtea vero dominus papa alta voce incœpit, *Te Deum laudamus*: quod totum domino papa ſtante ſemper erecto, & ſine mitra, cum magna devotione, & multis lacrymis, proſecutum eſt & completum. Quo completo quidam capellanus dixit verſiculum: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*: & reſponſum eſt ab aſtantibus: *A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem*. Quo dicto, dominus papa dixit: *Dominus vobiſcum*. Reſponſum eſt: *Et cum ſpiritu tuo*. Poſtea dixit: *Oremus*, ſine *Flectamus genua*: & dixit orationem: *De eccleſiæ tuæ quæſumus omnipotens Deus, ut ſancto Spiritu congregata, &c.* ſicut in ordinario habetur. Qua finita, ſedit in faldiſtorio ſuo, & allocutus eſt concilium ſuper tanto gaudio, incipiens: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*: & dictis paucis verbis, prefati patriarcha, & archiepiſcopus Grecorum, deſcenderunt in navim eccleſię, & ſederunt in ſedibus altis, in loco in quo ſedebant preſbyteri [Luc. 22.]

byteri cardinales poſt eos. Et tunc dominus papa reverenter incœpit, *Credo in unum Deum*, in Latino, quod per eum, qui ſine mitra ſtabat, & totum concilium proſecutum eſt & completum. Quo completo, patriarcha Gręcorum incœpit ſimiliter, *Credo in unum Deum*, in Gręco: quod per eum, & archiepiſcopum Nicoſienſem, & alios Gręcos qui ſecum venerant, & alios archiepiſcopos, & abbates Gręcos de regno Sicilię, proſecutum eſt & completum: dicendo publice, & ſolenniter, *Qui a Patre, Filioque procedit*; cantando eum bis. Quo completo, dominus papa allocutus eſt concilium paucis verbis, & dixit inter alia, qualiter rex Tartarorum miſerat nuncios ſuos cum litteris ad eum, & concilium, qui nuncii ſtabant ad oppoſitum domini papę, ad pedes B patriarcharum: & mandavit legi litteras ipſius regis Tartarorum per quemdam capellanum. Quibus lectis dominus papa iterum alloquitur concilium paucis verbis, & indixit aliam ſeſſionem ad diem Lunę undecimam ejuſdem, & aliam ad diem Martis ſequentis, non tamen pręciſe, quia dixit, ſi commode poſſet: in quo dixit ſe debere finire concilium. Et ſic diſſoluta eſt quarta ſeſſio.

Eodem anno, & menſe, die ſabbati, ſeptima ejuſdem, dominus papa oſtendit cardinalibus conſtitutionem, quam fecerat ſuper electione Romani pontificis, per quam orta eſt diſſenſio inter eum & cardinales in privato, quę poſtmodum venit in publico. Nam dominus papa vocavit pręlatos ſine cardinalibus, & vocavit cardinales C per nationes, & cardinales in conſiſtorio. Omni die conveniebant ſine papa, & ſimiliter allocuti ſunt aliquos pręlatos ſuper conſtitutione pręfata in conſiſtorio: & rogaverunt, quod ſi dominus papa eorum aſſenſus requireret ſuper ipſa conſtitutione, quod non darent diffinitivum conſilium, vel conſenſum, donec rationes ipſorum audirent, & ſimiliter multi ex cardinalibus per nationes vocarunt prelatos in domibus ſuis, petentes ab eis conſilium, quid eſſet ſuper hoc faciendum, & auxilium, ſi neceſſe eſſet, modo prędicto. Et dominus papa ſimiliter vocatis prelatis, ut ſupra dictum eſt, & expoſita intentione ſua, prius injunxit eis in virtute ſanctę obedientię ſub excommunicationis pœna, quod nemini revelarent illa D quę audirent, & viderent, & facerent tunc ibi cum eo. Et fecit eos conſentire, & aſſentire illi conſtitutioni, & mandavit, quod ſinguli ſua ſigilla apponerent conſtitutioni prædictę, quod & fecerunt. Nam factę ſunt ſchedulę per regna, & provincias, quibus omnes prelati ſua ſigilla appoſuerunt: propter quod dilata eſt ſeſſio ad diem Lunę decimamſextam ejuſdem menſis.

Eodem anno, & menſe, die Dominico, decimaquinta ejuſdem, hora matutinali obiit clarę memorię frater Bonaventura Albanenſis epiſcopus, qui fuit homo eminentis ſcientię, & eloquentię, vir quidem ſanctitate pręcipuus, vita, commiſeratione, ac moribus excellentiſſimis decoratus, benignus, affabilis, pius, & miſeri- E cors, virtutibus plenus, Deo & hominibus dilectus, qui ſepultus eſt ipſo die Dominico in loco fratrum Minorum Lugduni, cujus exequiis interfuit dominus papa cum omnibus prelatis, qui erant in concilio, & tota curia. Et frater Petrus Oſtienſis epiſcopus celebravit Miſſam, & predicavit propoſito themate, ſcilicet: *Doleo ſuper te, frater mi Jonatha*. [2. Reg. 1.] Multę lacrymę, & gemitus ibi fuerunt: hanc ei gratiam conceſſerat Dominus, quod quicumque eum videbant, ipſius amore A incontinenti capiebantur ex corde.

Eodem anno, & menſe, die decimaſexta ejuſdem, facta eſt quinta ſeſſio, in qua antequam dominus papa intraret eccleſiam, frater Petrus Oſtienſis epiſcopus, pręſentibus omnibus pręlatis, baptizavit unum ex nunciis Tartarorum cum duobus ſociis: quibus dominus papa fecit fieri veſtes de ſcarlato more Latinorum. Et poſtmodum dominus papa intravit eccleſiam, & facta ſunt omnia, ſicut in prima, excepto quod dominus Matthęus ſanctę Marię in Porticu cantavit evangelium ſecundum Matthęum, ſcilicet: *Videte, & vigilate, & orate: attendite vobis, & univerſo gregi.* [Act. 20.] Quo finito, lectę ſunt conſtitutiones, ſcilicet: Ubi periculum, Si forte, Si canonici ab- B ſolutionis, Sciant cuncti, Etſi pignorationes, Quicumque, Generali conſtitutioni, Altercationis antiquę, Decet domum Dei, Uſurarum voraginem, Quanquam uſurarii, Hoc conſultiſſimo, Statutum felicis recordationis. Quibus lectis, dominus papa allocutus eſt concilium, dicens quomodo eccleſia Dei ineſtimabile damnum perpeſſa fuerat ex obitu fratris Bonaventuræ Albanenſis epiſcopi: & mandavit omnibus prælatis, & omnibus presbyteris per totum mundum, ut quilibet eorum unam Miſſam deberet cantare pro anima ipſius, & aliam pro animabus omnium aliorum qui mortui ſunt adveniendo, ſtando, ſeu redeundo ad concilia, ſive ad concilium. Et quia propter baptiſmum Tartarorum, & lectionem C conſtitutionum, hora tarda videbatur, continuavit aliam ſeſſionem in craſtinum, ſcilicet decimam octavam ejuſdem: & ſic diſſoluta eſt quinta ſeſſio.

Eodem anno, & menſe, die decimaſeptima ejuſdem facta eſt ultima ſeſſio: in qua incontinenti dominus papa intravit eccleſiam, indutus omnibus pontificalibus veſtimentis, aſcendit in pulpitum, & nonnulli alii prælati: lectæ ſunt conſtitutiones, ſcilicet, Religionum diverſitatem, &, Cum ſacroſancta. Quibus lectis dominus papa allocutus eſt concilium, narrans prædictas tres cauſas vocationis concilii, & quomodo negotium terræ ſanctæ & Græcorum erat incœptum & feliciter Domino favente conſummatum: & inter alia dixit, quod prælati faciebant ruere totum D mundum, & quod mirabatur quod aliqui malæ vitæ & converſationis non corrigebantur, cum particulares malę vitę, & bonę vitę, & converſationis, veniſſent ad ipſum inſtanter petentes ceſſionem. Unde monuit eos, quod ipſi ſe corrigerent, quia ipſis correctis non erat neceſſe condere aliquas conſtitutiones ſuper reformatione eorum: alioquin dixit ſe dure acturum cum ipſis ſuper reformatione morum. Super ordinatione vero parochialium eccleſiarum, ne fraudentur rectorum ſuorum præſentia, & viri idonei ponantur in eis; & ſuper alii, dixit ſe cito, dante Domino, apponere remedia opportuna: quod uſque in ipſo concilio fieri non potuit, propter multorum negotiorum occupationem. Omnibus E finitis, dominus papa dixit, *Oremus, Flectamus genua, Levate*, & oratione, ſicut in ordinario habetur. Qua finita, data eſt licentia omnibus prelatis recedendi: & dominus papa dedit benedictionem, ſcilicet, *Sit nomen Domini benedictum, &c.* & dominus Othobonus dixit: *Recedamus in pace*: & ſic diſſolutum eſt concilium, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.





# ΜΙΧΑΗΛ ΤΟΥ ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΡΩΜΑΙΩΝ

ἐπιστολὴ πρὸς Γρηγόριον πάπαν τὸν δέκατον.

# LITTERÆ MICHAELIS PALÆOLOGI IMPERATORIS

Græcorum ad Gregorium papam X.

Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ, τῷ πρώτῳ καὶ ἄκρῳ ἀρχιερεῖ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, οἰκουμενικῷ πάπᾳ, καὶ κοινῷ πατρὶ πάντων τῶν Χριστιανῶν, καὶ σεβασμίῳ πατρὶ τῆς βασιλείας μου, κυρῷ Γρηγορίῳ, Μιχαὴλ ἐν Χριστῷ τῷ θεῷ πιστὸς βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων, Κομνηνός, Δούκας, Ἄγγελος, ὁ Παλαιολόγος, καὶ γνήσιος υἱὸς τῆς μεγάλης ἁγιοσύνης σου τὴν ἀνήκουσαν τιμὴν καὶ αἰδῶ μετὰ εἰλικρινοῦς καὶ καθαρᾶς διαθέσεως, καὶ εὐχῶν αἴτησιν.

A *Sanctiſſimo & beatiſſimo primo & ſummo pontifici apoſtolicæ ſedis, [a] venerabili papæ, & communi patri omnium Chriſtianorum, & venerabili patri imperii noſtri, D. Gregorio, Michael in Chriſto Deo fidelis imperator & moderator Romaorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & ſpiritualis filius magnæ ſanctitatis veſtræ, convenientem honorem & reverentiam cum ſincera & pura affectione, & orationum poſtulationem.*

[a] Lege ex Græco: univerſali Papæ. Hard.

ΕΠΕΙ ἀπεστάλησαν παρὰ τῆς σῆς μεγαλειότητος πρὸς τὴν βασιλείαν μου ἀποκρισιάριοι τῆς θεαρέστου τάξεως τῶν Μινόρων, ὅ, τε, ἀδελφὸς Ἱερώνυμος ντὲ Ἄσκουλο, ὁ ἀδελφὸς Ῥαϊμοῦνδος Μπερεγκάριος, ὁ ἀδελφὸς Μποναγράτζια ντὲ σάγκτο Ἰωάννε ἰν Περσετζέτω, καὶ ὁ ἀδελφὸς Μποναβεντούρας ντὲ Μουτζέλο, καὶ διεκομίσαντο γράμμα τῆς σῆς μεγάλης ἁγιοσύνης, ἐν ᾧ σὺν ἄλλοις καὶ περὶ τῆς ὁμολογίας τῆς πίστεως, ἣν διδάσκει καὶ ὁμολογεῖ καὶ κηρύττει ἡ ἁγία ἐκκλησία τῆς Ῥώμης, διελαμβάνετο, καὶ ἔδει ἐν τούτοις μᾶλλον ἀπόκρισιν ἡμᾶς δεόντως ποιήσασθαι. ἰδοὺ τοῦτο ποιεῖ ἡ βασιλεία μου. ἔχει δὲ ὁμολογία τῆς πίστεως, ἐπὶ λέξεως οὕτως. πιστεύομεν τὴν ἁγίαν τριάδα, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱόν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἕνα θεὸν παντοδύναμον, ὅλην τε ἐν τριάδι τὴν θεότητα ὁμοφυῆ καὶ συναΐδιον καὶ συμπαντοδύναμον, ἑνὸς θελήματος, ἐξουσίας, καὶ μεγαλειότητος, δημιουργὸν πάντων τῶν δημιουργημάτων, ἀφ' οὗ πάντα, ἐν ᾧ πάντα, δι' οὗ πάντα τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, τὰ σωματικὰ καὶ πνευματικά. πιστεύομεν ἕκαστον ἐν τῇ τριάδι πρόσωπον, ἕνα ἀληθινὸν θεόν, πλήρη, καὶ τέλειον. πιστεύομεν αὐτὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, λόγον τοῦ θεοῦ, ἀϊδίως γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρός, ὁμοπαντοδύναμον, καὶ ἴσον κατὰ πάντα τῷ πατρὶ ἐν τῇ θεότητι, χρονικῶς γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου μετὰ ψυχῆς λογικῆς, δύο ἔχοντα γεννήσεις, μίαν ἐκ πατρὸς ἀΐδιον, ἄλλην ἐκ μητρὸς χρονικήν· θεὸν ἀληθινόν, καὶ ἄνθρωπον ἀληθινόν, ἴδιον ἐν ἑκάστῃ φύσει καὶ τέλειον· οὐχ υἱοθετόν, οὐ φανταστικόν. ἀλλ' ἕνα καὶ μόνον υἱὸν θεοῦ ἐν δυσὶ καὶ ἐκ δύο, θείᾳ καὶ ἀνθρωπίνῃ, φύσεσιν, ἑνὸς προσώπου ἑνότητι, ἀπαθῆ καὶ ἀθάνατον τῇ θεότητι, ἀλλ' ἐν τῇ ἀνθρωπότητι ὑπὲρ ἡμῶν καὶ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας παθόντα ἀληθεῖ σαρκὸς πάθει, θανόντα καὶ ταφέντα καὶ κατελθόντα ἐν κατωτάτῳ, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ τῶν νεκρῶν ἀληθεῖ σαρκὸς ἀναστάσει· μεθ' ἡμέρας τεσσαράκοντα μετὰ τὴν ἀνάστασιν σὺν τῇ σαρκὶ ᾗ ἀνέστη, καὶ ψυχῇ, ἀνελθόντα τὸν οὐρανόν, καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρός, καὶ πάλιν ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, καὶ ἀποδώσοντα

QUONIAM miſſi ſunt a magnitudine veſtra ad imperium meum nuncii Deo B placentis ordinis fratrum Minorum, frater Hieronymus de Aſculo, frater Raimundus Berengarius, frater Bonagratia de ſancto Joanne in Perſiceto, & frater Bonaventura de Mugello; & obtulerunt litteras magnæ ſanctitatis veſtræ imperio meo, in quibus inter alia de confeſſione fidei, quam docet, & prædicat, & confitetur ſancta Romana eccleſia, continebatur, & oportebat in his magis reſponſionem convenientem nos facere: ecce hoc facit imperium meum. Habet autem profeſſio fidei in dictionibus taliter. Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate dei- C tatem coeſſentialem & conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia quæ ſunt in cœlo & in terra, viſibilia, inviſibilia, corporalia, & ſpiritualia. Credimus ſingulam quamque in Trinitate perſonam, unum verum Deum, plenum & perfectum. Credimus ipſum Filium Dei, Verbum Dei, æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu ſancto, & Maria ſemper virgine, cum anima rationali; duas habentem nativi- D tates, unam ex Patre nativitatem æternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum nec phantaſticum, ſed unum & unicum Filium Dei, in duabus & ex duabus naturis, Divina ſcilicet & humana, in unius perſonæ ſingularitate: impaſſibilem & immortalem divinitate, ſed in humanitate pro nobis & ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum, & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione: die quadrageſima poſt reſurrectionem cum carne, qua reſurrexit, & anima, aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum judi-

Edidit Waddingus in Annal. Minorum ad An. 1274. & Binius in Collect. Conciliorum, Hard.

Anno Christi 1274.

care vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala. Credimus & Spiritum ſanctum plenum & perfectum verumque Deum ex Patre Filioque procedentem, coæqualem, & conſubſtantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio. Credimus hanc ſanctam Trinitatem, non tres Deos, ſed unicum Deum, omnipotentem, æternum, & inviſibilem, & incommutabilem. Credimus ſanctam catholicam & apoſtolicam unam eſſe veram eccleſiam, in qua unum datur ſanctum baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem hujus carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam. Credimus etiam novi & veteris teſtamenti, legis, ac prophetarum, & apoſtolorum, unum eſſe authorem Deum ac Dominum omnipotentem. Hæc eſt vera fides catholica: & hanc in ſupradictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia. Sed propter diverſos errores, a quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat, eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum conſequi veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes in caritate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis: eorum animas pœnis purgatoriis, ſeu catharteriis, ſicut nobis frater Joannes explanavit, poſt mortem purgari: & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum eccleſiæ inſtituta. Illorum autem animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Eadem ſacroſancta eccleſia Romana firmiter credit, & firmiter aſſeverat, quod nihilo minus in die judicii, omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, redditurí de propriis factis rationem. Tenet etiam & docet eadem ſancta Romana eccleſia, ſeptem eſſe eccleſiaſtica ſacramenta, unum ſcilicet, baptiſma, de quo dictum eſt ſupra; aliud eſt ſacramentum confirmationis, quod per manuum impoſitionem epiſcopi conferunt, chriſmando renatos; aliud eſt pœnitentia, aliud euchariſtia, aliud ſacramentum ordinis, aliud eſt matrimonium, aliud extrema unctio, quæ ſecundum doctrinam beati Jacobi infirmantibus adhibetur. (Jacob. 5.) Sacramentum euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana eccleſia, tenens & docens, quod in ipſo ſacramento panis vere tranſ-

ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, εἴτε ἀγαθὰ ἔσονται, εἴτε κακά. πιστεύομεν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πλήρη καὶ τέλειον θεὸν, ἀληθῆ θεὸν, ἐκ πατρὸς υἱοῦ τε ἐκπορευόμενον, ἴσον καὶ ὁμοούσιον καὶ συμπαντοδύναμον καὶ συναΐδιον κατὰ πάντα τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ. πιστεύομεν ταύτην τὴν ἁγίαν τριάδα οὐ τρεῖς θεοὺς, ἀλλ' ἕνα θεὸν παντοδύναμον ἀΐδιον, ἀόρατον, ἀναλλοίωτον. πιστεύομεν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν μίαν εἶναι ἀληθινὴν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ δίδοται ἅγιον βάπτισμα, καὶ ἀληθὴς πασῶν ἄφεσις ἁμαρτιῶν. πιστεύομεν δὲ καὶ ἀληθῆ ἀνάστασιν τῆς δὲ τῆς σαρκὸς, ἣν νῦν φέρομεν, καὶ ζωὴν ἀΐδιον. πιστεύομεν δὲ τῆς νέας καὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης, τοῦ νόμου, καὶ τῶν προφητῶν, καὶ ἀποστόλων, ἕνα ἀρχηγὸν εἶναι, θεὸν καὶ κύριον παντοδύναμον. αὕτη ἐστὶν ἡ ἀληθὴς πίστις καὶ καθολική, καὶ ταύτην ἐπὶ τοῖς ῥηθεῖσι κεφαλαίοις κρατεῖ καὶ κηρύττει ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία. ἀλλὰ διά τινας διαφόρους πλάνας παρά τινων μὲν ἐξ ἀγνοίας, παρά τινων δὲ ἐκ κακίας εἰσαχθείσας, λέγει καὶ κηρύττει, τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα εἰς ἁμαρτίας ὀλισθαίνοντας μὴ ἀναβαπτίζεσθαι, ἀλλὰ δι' ἀληθοῦς μετανοίας τῶν ἰδίων δύνασθαι λαμβάνειν συμπάθειαν ἁμαρτιῶν. ἐὰν δὲ οἱ ἀληθῶς μετανοοῦντες, ἐν ἀγάπῃ ἀποχωρήσωσι πρὸ τοῦ ἀξίοις καρποῖς μετανοίας περὶ τῶν πλημμεληθέντων τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι ἢ τῶν ἁμαρτηθέντων· τούτων τὰς ψυχὰς ποιναῖς πυργατωρείοις, ἤτοι καθαρτηρίοις, καθὼς ὁ ἀδελφὸς Ἰωάννης διεσάφησε, μετὰ θάνατον καθαρίζεσθαι· πρὸς δὲ τὸ τὰς ποινὰς ταύτας ἀνακουφίζεσθαι, ὠφελεῖν αὐτοὺς τῶν ζώντων πιστῶν ἡ συνκρότησις, λειτουργιῶν λέγω ἱεροτελεστίαι, προσευχαὶ καὶ ἐλεημοσύναι, καὶ ἄλλα εὐσεβείας ἔργα τὰ παρὰ τῶν πιστῶν ὑπὲρ ἄλλων πιστῶν γίνεσθαι εἰθισμένα, κατὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἀποκατάστασιν. τούτων δὲ τὰς ψυχὰς μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα λαβεῖν εἰς μηδένα ἁμαρτίας μῶμον ἐπιδραμόντων, κἀκείνας τὰς μετὰ τὸ ἐφελκύσαι ἁμαρτίας μῶμον, ἂν ἢ ἐν τοῖς οἰκείοις μένουσαι σώμασιν, ἢ μετὰ τὴν τούτων ἀπέκδυσιν, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, καθαρισθήσονται, εἰς τὸν οὐρανὸν αὐτίκα παραδέχεσθαι. ἐκείνων δὲ τὰς ψυχὰς τῶν ἐν θανασίμῳ ἁμαρτήματι, ἢ μετὰ μόνης τῆς προπατορικῆς ἀποχωρησάντων, παραυτίκα εἰς τὸν ᾅδην καταβαίνειν, ποιναῖς ἀνίσοις τιμωρηθησομένας. ταὐτὸ ἡ ἁγία ἐκκλησία τῆς Ῥώμης πιστεύει καὶ στερρῶς βεβαιοῖ, καὶ ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως πάντες ἄνθρωποι πρὸ τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ μετὰ τῶν ἰδίων σωμάτων φανήσονται, ἀποδώσοντες περὶ τῶν οἰκείων πράξεων λόγον. κρατεῖ δὲ καὶ διδάσκει αὕτη ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία, ἑπτὰ εἶναι ἐκκλησιαστικὰ μυστήρια, ἓν λέγω τὸ βάπτισμα, περὶ οὗ εἴρηται ἄνω· ἄλλο ἐστὶ μυστήριον βεβαιώσεως, ὃ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν οἱ ἐπίσκοποι φέρουσι χρίοντες τοὺς ἀναγεννωμένους. ἄλλο ἐστὶν ἡ μετάνοια. ἄλλο ἐστὶν ἡ εὐχαριστία· ἄλλο μυστήριον τῆς ἱερατικῆς χειροτονίας· ἄλλο ἐστὶ τὸ τοῦ γάμου· ἄλλο τὸ ἔσχατον χρῖσμα, ὃ κατὰ τὴν διδασκαλίαν τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῖς ἀσθενέσιν ἀποδίδοται, τὸ ἱερούργημα τῆς εὐχαριστίας ἐξ ἀζύμου ἐκτελεῖ ἡ τοιαύτη τῆς Ῥώμης ἐκκλησία, κρατοῦσα καὶ διδάσκουσα, ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ ἱεροτελεστίᾳ



Anno Christi 1274.

ὁ ἄρτος ἀληθῶς μετουσιοῦται εἰς σῶμα, καὶ ὁ οἶνος εἰς αἷμα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. περὶ τοῦ γάμου δὲ κρατεῖ, ὅτι οὔτε εἷς ἀνὴρ πολλὰς γυναῖκας ὁμοῦ, οὔτε μία γυνὴ παραχωρεῖται ὁμοῦ ἔχειν πολλοὺς ἄνδρας. διαλυθέντος δὲ τοῦ γάμου ἀπὸ θανάτου θατέρου τῶν ὁμοζύγων, δευτέρους καὶ τρίτους ἐντεῦθεν γάμους θεμιτοὺς εἶναι λέγει, εἰ ἐμποδισμὸς κανονικὸς ἐξ αἰτίας τινὸς οὐ προσίσταται. αὕτη ὡσαύτως ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία ἄκρον καὶ τέλειον πρωτεῖον καὶ ἀρχὴν ἐπὶ πᾶσαν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν κατέχει· ἣν ἐν αὐτῇ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τῷ τῶν ἀποστόλων ἄρχοντι, ἢ τῇ κορυφῇ, οὗ ὁ τῆς Ῥώμης ἀρχιερεύς ἐστι διάδοχος, μετὰ πλήρους ἐξουσίας παραδέξασθαι, ἀληθῶς καὶ ταπεινῶς ἀναγνωρίζει. καὶ καθὼς παρὰ τὰς ἄλλας κρατεῖται τῆς πίστεως τὴν ἀλήθειαν διεκδικεῖν. οὕτω καὶ ἐάν τινες περὶ τῆς πίστεως ἀναφύωνται συζητήσεις, τῇ ταύτης χρεὼν κρίσει διορίζεσθαι. εἰς ταύτην δύναται καὶ βαρυνόμενος ἕκαστος ἐν πράγμασι τοῖς εἰς τὴν αὐτὴν ἐκκλησίαν ἀνήκουσιν ἐκκαλεῖν, καὶ ἐν πάσαις ταῖς αἰτίαις ταῖς πρὸς δοκιμασίαν ἐκκλησιαστικὴν ἀφορώσαις, πρὸς ταύτης δύναταί τις ἀνατρέχειν τὴν κρίσιν· καὶ ταύτῃ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι ὑπόκεινται, καὶ τούτων οἱ ἀρχιερεῖς ὑπακοὴν καὶ αἰδῶ ταύτῃ ὀφείλουσι. πρὸς ταύτην δὲ οὕτως τὸ τῆς ἐξουσίας πλήρωμα συνίσταται, ὅτι τὰς ἑτέρας ἐκκλησίας, καὶ τὰς πατριαρχικὰς ἐξαιρέτως, ἐν διαφόροις προνομίοις αὕτη ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία τετίμηκε, τοῦ ἰδίου πλὴν πρεσβείου, τὸ μὲν ἐν ταῖς γενικαῖς συνόδοις, τὸ δὲ ἔν τισιν ἄλλοις, ἀεὶ σωζομένου. τὴν ἀνωτέρω γραφεῖσαν τῆς πίστεως ἀλήθειαν, καθὼς πληρέστατα ἀνέγνωσται καὶ πιστῶς ἐκτέθειται, ἀληθῆ, ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ὀρθόδοξον πίστιν, ταύτην εἶναι γινώσκομεν, καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ καρδίᾳ καὶ στόματι ὁμολογοῦμεν, ὅτι ταύτην ἀληθῶς κρατεῖ καὶ πιστῶς διδάσκει, καὶ κηρύττει ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία. καὶ ἀδιαφθόρως φυλάξαι τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν, καὶ ἐν αὐτῇ παντὶ καιρῷ διαμεῖναι, καὶ οὐδέ τινι ποτε καιρῷ ἀπ' αὐτῆς ἀναχωρῆσαι τινι τρόπῳ, ἢ παροδεῦσαι, ἢ διχονοῆσαι ὑπισχνούμεθα· τό, τε πρωτεῖον τῆς τοιαύτης ἁγίας ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης, καθὼς ἐν τῷ προρρηθέντι εἱρμῷ περιέχεται, πρὸς τὴν τῆς τοιαύτης ἐκκλησίας ὑπακοὴν αὐτοπροαιρέτως ἐρχόμενοι, ὁμολογοῦμεν, καὶ ἀναγνωρίζομεν, καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ ἑκουσίως ὑποδεχόμεθα. ὁμολογοῦντες δὲ ταῦτα, καὶ στέργοντες, καὶ ἀποδεχόμενοι, καὶ ὑπισχνούμενοι διαφυλάξαι ὡς προείρηται, ἀξιοῦμεν σου τὴν μεγαλειότητα, ἵνα ἡ ἡμετέρα ἐκκλησία λέγῃ τὸ ἅγιον σύμβολον, ὡς ἔλεγε τοῦτο πρὸ τοῦ σχίσματος καὶ μέχρι τῆς σήμερον. καὶ ἵνα ἐμμένωμεν καὶ τοῖς ἡμετέροις ἐθίμοις, οἷς ἐχρώμεθα καὶ πρὸ τοῦ σχίσματος· ἅτινα ἔθιμα οὐκ εἰσὶ κατὰ τῆς προγεγραμμένης πίστεως, οὔτε κατὰ τῶν θείων ἐντολῶν, οὔτε κατὰ τῆς παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης, οὔτε κατὰ τῆς διδαχῆς τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἀποδεχθέντων παρὰ τῶν ἁγίων συνόδων τῶν συγκροτηθεισῶν τῇ πνευματικῇ δεσποτείᾳ τῆς ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης. τοῦτο οὖν ἀβαρές ἐστι τῇ μεγάλῃ ἁγιωσύνῃ σου καὶ οὐκ ἀσύνηθες, καὶ ἡμῖν νῦν δύσκολον

ſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores ſimul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, ſecundas, & tertias deinde nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit: ſi impedimentum canonicum aliud ex cauſa aliqua non obſiſtat. Ipſa quoque ſancta Romana eccleſia ſummum & plenum primatum & principatum ſuper univerſam eccleſiam catholicam obtinet: quem ſe ab ipſo Domino in beato Petro apoſtolorum principe ſive vertice, cujus Romanus pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter recognoſcit. Et ſicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere: ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri. Ad quam poteſt gravatus quilibet ſuper negotiis ad eccleſiaſticum forum pertinentibus appellare: & in omnibus cauſis ad examen eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt judicium recurri: & eidem omnes eccleſiæ ſunt ſubjectæ, ipſarum prælati obedientiam & reverentiam ſibi dant. Ad hanc autem ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod eccleſias ceteras ad ſollicitudinis partem admittit: quarum multas, & patriarchales præcipue, diverſis privilegiis eadem Romana eccleſia honoravit, ſua tamen obſervata prærogativa, tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis ſemper ſalva. Supraſcripta fidei veritate, (prout plene lecta eſt & fideliter expoſita) veram, ſanctam, catholicam & orthodoxam fidem cognoſcimus, & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod vere tenet & fideliter docet, & prædicat ſancta Romana eccleſia: inviolabiliter obſervare eamdem profeſſionem, & in ea omni tempore perſeverare, nec ullo unquam tempore ab ipſa diſcedere quoquo modo, aut deviare, vel diſcordare promittimus. Primatum quoque ejuſdem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſicut in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius ſanctæ eccleſiæ obedientiam ſpontaneam venientes, confitemur, & recognoſcimus, acceptamus, & ſponte ſuſcipimus. Confitentes vero hæc & approbantes, & acceptantes, & promittentes obſervare, ut ſuperius dictum eſt, rogamus magnitudinem veſtram, ut eccleſia noſtra dicat ſanctum ſymbolum, prout dicebat hoc ante ſchiſma uſque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus noſtris, quibus utebamur ante ſchiſma, qui ſcilicet ritus non ſunt contra ſupradictam fidem, nec contra Divina præcepta, nec contra vetus & novum teſtamentum, nec contra doctrinam ſanctorum generalium conciliorum, & SS. patrum receptorum per ſancta concilia, quæ celebrata ſunt a ſpirituali dominatione eccleſiæ Romanæ. Hoc igitur non grave eſt veſtræ ſanctitati, nec inuſitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi. Commiſimus autem,

ANNO CHRISTI 1274.

ſuper his, præſentibus nunciis imperii noſtri, ut dicta per præſentes litteras noſtras confiteantur & affirment vice imperii noſtri, coram magna ſanctitate veſtra. Præſens igitur ſcriptum de noſtra recognitione, ſuſceptione, acceptatione, & profeſſione, & confeſſione, propria manu noſtra Dei gratia imperiali ſubſcriptione ſignavimus, & ſigillum noſtræ potentiæ inferius appendi fecimus.

διὰ τὸ τοῦ λαοῦ ἄπειρον πλῆθος. ἀνεθέμεθα πρὸς τούτοις καὶ τοῖς παροῦσιν ἡμετέροις ἀποκρισιαρίοις, ἵνα τὰ δηλωθέντα διὰ τῆς παρούσης ἡμετέρας γραφῆς ὁμολογήσωσι καὶ στέρξωσι δικαίῳ τῆς βασιλείας ἡμῶν, ἐνώπιον τῆς σῆς μεγάλης ἁγιωσύνης. τὸ οὖν παρὸν γράμμα τῆς ἡμετέρας ἀναγνωρίσεως, ἀποδοχῆς, καὶ ὑποδοχῆς, καὶ ὁμολογίας, οἰκειοχείρως τῇ ἡμετέρᾳ, θεοῦ χάριτι, βασιλικῇ ὑπογραφῇ ἐσημειωσάμεθα, καὶ τὸ σφράγισμα τοῦ ἡμετέρου κράτους κάτωθεν ἀπῃωρήσαμεν.

Subſcriptio imperatoris.

Μιχαὴλ ἐν Χριστῷ τῷ θεῷ πιστὸς βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων, Δούκας, Ἄγγελος Κομνηνός, ὁ Παλαιολόγος.

## SACRAMENTUM IMPERATORIS Græcorum.

Edidit Vvaddingus in Annal. Minor. ad an. 1274. & Binius. Harduinus.

EGo Georgius Acropolita, & magnus logotheta, nuncius domini imperatoris Græcorum Michaelis, Ducæ, Angeli, Comneni, Palæologi, habens ab eodem ſufficiens ad infra ſcripta mandatum, omne ſchiſma prorſus abjuro, & ſubſcriptam fidei unitatem, prout plene lecta eſt & fideliter expoſita, in nomine dicti domini mei, veram, ſanctam, catholicam, & orthodoxam fidem eſſe cognoſco: eam accepto, & corde, & ore profiteor; ipſamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, ipſum inviolabiliter ſervaturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, vel quoquo modo diſcrepaturum vel deviaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ, eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam, nomine ipſius & meo, ſpontaneus veniens, pro ipſo & pro me, fateor, recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio: & ipſum omnia præmiſſa, tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum; & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam, ac præſentiam ᵃ, ſervaturum, præſtito in animam ipſius & meam corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic ipſum Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia, &c.

ᵃ Corr. perſeverantiam ex ſacramento Græcorum, quod eſt infra.

## LITTERÆ PRÆLATORUM GRÆCIÆ.

Ex eodem VVaddingo & Binio. Harduinus.

SAnctiſſimo, reverendiſſimo, & beatiſſimo papæ antiquo Romanorum, domino Gregorio, magno pontifici excellentiſſimæ apoſtolicæ ſedis, & venerabiliſſimo domino & patri noſtræ ᵃ humanitatis. Nos qui eccleſiaſticam complemus ordinationem, veſtræ Romanæ ſanctiſſimæ eccleſiæ ſalutem, ſpiritualis ſubjectionis affectionem ubique: metropolita Epheſius præhonoratus exarchus totius Aſiæ, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolitanus Heracleæ in Thracia, & præſul * honoratorum, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolita Chalcedonis ſuperhonoratus, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolita Tyanorum, cum ea quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; epiſcopus metropolitanus Iconii, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus Naupacti ſuperhonoratus, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolitanus Heracleæ Ponti ſuperhonoratus, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus ᵇ Conconii, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus Carias, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolitanus Berœas ſuper honoratus, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo: metropolitanus Athenarum, & locum Philippopolitæ ſupplens, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus ſuperhonoratus & exarchus inſularum Cycladum, cum his, qui circa me ſunt epiſcopis; metropolitanus Philippenſium, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus * Sinnicæ, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus Serrorum cum ea, & C. metropolitanus Amaſtridæ, metropolitanus * Alaniæ, metropolit. Pruſæ, metropolitanus Madytorum, metropolit. Abydi metropolit. Chriſtianopoleos, metropolit. Solybriæ, metropolitanus Meſembriæ, metropolitanus Apri, metropolitanus Acinati, metropolitanus Parii, metropolitanus Didymotichi, metropolitanus Anaſtaſiopoleos, archiepiſcopus Byziæ, archiepiſcopus Cypſellorum, archiepiſcopus Gatilleris, archiepiſcopus Dercæ, archiepiſcopus Præconneſi, archiepiſcopus Lopodii, archiepiſcopus Pergami, archiepiſcopus Melanii, archiepiſcopus Beriæ: adhuc autem cum nobis pontificibus, & magna ſynodo, & archidiaconus honoratiſſimus Severubilis cum totali venerabili clero; cum iis autem, & qui clerum complent ſanctiſſimæ eccleſiæ magnæ Dei, videlicet magnus œconomus, protecdicus, logotheta, caſtrinus, referendarius, qui ſuper judicia, qui ſuper ſecreta, qui ſuper ſacrum & dona apoſtolica, qui primicerius patriarchalium notariorum, qui princeps eccleſiarum, qui ſuper petitiones, qui rememoratorii, qui oſtiarii, qui patriarchales notarii, qui protopapæ, cum toto presbyterio archidiaconatus eccleſiaſtici, & qui domeſtici, cum omnibus pſalmiſtis & lectoribus: non ſolum nunc, ſed prius beatiſſimæ & ſanctiſſimæ veſtræ eccleſiæ magnam faciebamus diviſionem integritatis, & eccleſiarum Chriſti totaliter unitatem dilacerabamus.

ᵃ Forte, humilitatis. Harduinus.

* leg. Honorentard.

ᵇ Vvaddingus habet Iconii. ...

* ſ. Sagr...

* Apamiæ

Quomodo, qui unius paſtoris ſumus, non in unum & inter unum aggregamur ovile; nec unum replemus mandatum Chriſti? ſed ea quæ ſunt diſcordiæ, magis eligimus, & bono pacis amiſſo, invenire non quærimus illud, quod ex bono zelo nobis declarabatur? Nullus autem erat, qui conjungeret omnes in unum, & ſufflaret quaſi ad unum flamen ſingulorum concordiam: quam autem ſecundum Chriſti deſiderium a Deo coronandus ſanctus noſter imperator totus ad ſe ipſum, intellectum attendens, ut oportebat, nunc in hac parte Dei gratia præhonorabilibus aliquibus deputavit. Pius ipſe in ſeipſo laborabat, quo utique modo non declinaret nec ad remiſſionem: donec ſciſſuram eccleſiæ ad unam interim compaginaret unitatem. Deinde non deficiebat communicando nobis, quod in voluntate habebat ſemper, & oſtendendo qualiter habet ſuum propoſitum animæ. Ut autem ad ipſum venerabiles nuncii veſtræ ſanctitatis apoſtolicas litteras & porrexerunt & præſentaverunt, quam veſtra beatitudo deſiderantium accelerat conjunctionem, totus exurgit promptius, & prætermittit quod alienum eſſet: & quaſi in ſecunda conſideratione omnia negotia ſua reputat, proponens ea quæ mandatorum veſtrorum ſunt, & ſuarum ſolicitudinum & diſpoſitionum. Convocat igitur ad ſeipſum noſtrum univerſum pontificale collegium, & poſtmodum alios, quotquot maxime ſpiritualitati adhærent, & circa ſtudium eccleſiaſticum exercitium habent unum, & quantus eorum quidem nocturnus & diurnus ejus labor in medio eſt. Qui inſtat, quaſi totaliter pervigil; qui etiam & ſtudioſe exercuit, & quaſi ſemper in ſuſcepto opere fuit, donec ad unam & eamdem multorum attraheret ſententiam, longiore quidem & indigno ſermone agitatam, ſi totum proceſſum veſtræ magnitudini præſentaremus. Quidam tamen noſtrum ſtatim convenerunt, & quæ pacis fuerant amplexati ſunt: quidam vero magis obſtinatiores apparuerunt, temporis antiquitatem revolventes in mentem, & opponentes alii, quaſi de neceſſitate hoc imponeretur eis. Sed a Deo coronati imperatoris diligentia vicit in finem, & habet omnes jam concordes ad unicam hanc unionem, per quam apoſtolicæ ſedi antiquæ Romæ, ab antiquiſſimis attributos primatus attribuere aſſentimus. Hoc ſcilicet Dei gratia cooperata eſt, ut habeat ex nobis apoſtolica magnitudo, noſtræ ſanctitatis ſententiam agnoſcere, qualiterque magnifico imperatori noſtro ſimul communicaverimus in ſententia: & quæ quidem attenderit & vult libenter, & nos acceptamus: breviter præſentem epiſtolam annotamus, & ad conſpicuam excellentiam veſtræ magnitudinis tranſmittimus. Scitote quid nos volumus: quod pontificalis ſedis tota plenitudo, cum toto venerabili clero, & omnibus officiariis, ſacerdotibus, diaconis, & lectoribus ſanctiſſimæ eccleſiæ Dei, convenit in unum, ut attribuat prompte veſtræ ſanctitati & apoſtolicæ ſedi quod ad honorem pertinet, nec alium primum & ſummum pontificem eccleſiarum omnium nominaturi. Sed antiquam internunciorum confectionem agnovimus, quam & patres noſtri ſemper attenderunt toto præterito tempore uſque ad tempus hoc. Unde noſtrum patriarcham ᵃ, & ſubſequentes omnes alios, quotquot convenerunt, ut in unum hæreant, & ſedis ponerent concordiam, obſecravimus. Ipſe vero cum magna inſtantia tenet, quod agnoſci debet primus: & poſtea, ut indicat, non decidet ab iſta voluntate: nec adhuc a prima ſententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus eſt. Unde & pluries nos prælati correximus ipſum, ipſe ne quidquam ad præſens acquievit. Nos autem & nobiſcum potentiſſimus imperator injunximus illi a patriarchali ſede recedenti, omnino in una forma ſolitudinis manere, quæ ſunt Conſtantinopoli monaſteriorum, donec nuncii ad veſtram ſanctitatem accedant, & audiant ſermonem veſtrum; & ſi magnitudo veſtra ita recipiat, deleget certos delegatos cum noſtris reverſis legatis. Et nos hunc finem obtinentes, communiter & interim convenientes, attrahemus patriarcham noſtrum, ut ſi recedere ipſum ab intentione contingat, nobiſque inclinaverit, & nos reddet benevolos eſſe, quod præteritis temporibus throno apoſtolicæ ſedis inſuper excellens honor attributus eſt: ſic habebimus ipſum pontificem etiam ſpiritualiter, ſicut prius præſidentem. Si vero immutabiliter ſe habeat in ſententia, tunc dependebit omnis neceſſitas, & ipſum dejicere, & patriarchali principatu privare. Nos autem conſtituemus & promovebimus alium, qui utique conſentiat nobiſcumque ejuſdem voluntatis eſſe, & reddere convenientem primatum ſummitati ſanctitatis veſtræ, Hoc igitur proponimus, a Deo honorate domine, nos, quos patriarchalis Conſtantinopolitanæ ſedis ſublimes pontifices, cum omnibus qui circa nos venerabilibus clericis per hoc ſcriptum noſtrum vobis conjungi habemus: qualiter ſi ſolum veſtra magnitudo, ea quæ legationis ſunt admittat, non eſt quod tempus teratur: & nos inclinamus prompte, & magnæ veſtræ altitudini ſubmittimus, & valde gratanter ea quæ ſunt ſpiritualis ſubjectionis totius aſſerimus, & nihil eorum denegamus quæ ante ſchiſma præſtabant patres noſtri his, qui apoſtolicam regebant ſedem, ſed ſtatim & nos attribuimus. Alia quidem ſignabunt nuncii, & glorioſæ veſtræ ſanctitati notificabunt. Finaliter, ſicut in ſpiritualibus potentiſſimus noſter imperator & nos, pontificum collegium epiſcopis commiſimus: ſicut ceteri ſpiritualiter ab imperiali magnificentia mandatum acceperunt, de quibus quæcumque ad ſæcularis principatus pertinent gubernationem, veſtræ ſanctitati reſerabunt a Deo coronato noſtro imperatore. Confidimus autem quod pacis auctor Deus unitatem, paterna victus clementia, adaperiet, noſque & magiſtratus gratanter ſuſcipiet inclinatos, & veſtram familiaritatem invocantes & paternitatem.

ᵃ Huic patriarchæ, Joſepho nomen erat.

### Sacramentum Græcorum.

Ex eodem VVaddingo ad an. 1274. n. 7. & ex Binio. Harduinus.

Ego N. nuncius habens ab eiſdem ſufficiens ad infra ſcripta mandatum, omne ſchiſma prorſus abjuro, & ſubſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita a me, Dei & Domini noſtri nomine veram ſanctam catholicam fidem eſſe cognoſco, eam accepto, & corde & ore confiteor: ipſamque, prout tenet, & fideliter docet, & prædicat ſancta Romana eccleſia, inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, vel quoquo modo deviaturum, nec diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens, fateor, recognoſco, accepto, & ſponte ſuſcipio. Et ipſe omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, & epiſcoporum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam, ac perſeverantiam, ſervaturum, præſtito corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic Deus ipſum adjuvet, & hæc ſancta evangelia. Scriniarius, ſacriſta, chartophylax, & magnus ſcevophylax ſanctiſſimi ejus qui in Conſtantinopoli eſt patriarchatus, Joannes lector.

G. C. Iiſdem conceptum eſt verbis, quibus imperatoris ipſius ſacramentum, antea editum; ex quo aliquot vocum lacunam hic ſupplevimus. Quid vero ſi deſcriptum eſt hic ſacramentum imperatorium, pro epiſcopali? Nam dicere debuiſſet epiſcoporum nuncius, *epiſcoporum nomine*: uti dixit Cæſareus, *in nomine dicti domini mei*. Quæ voces hic corruptæ ſunt, & in has mutatæ, *Dei & Domini noſtri nomine*. Neque enim ille hanc fidem Dei nomine acceptabat, aut Dei nomine ac vice promittebat: obedientiam Romanæ eccleſiæ primatui. Deinde quid aliud ſub finem loquuntur hæ voces: *Sic Deus ipſum adjuvet*. Quod autem eſt ſupra: *Et ipſe omnia præmiſſa, &c.* illud eſt, quod in ſacramento imperatoris legitur: *Et ipſum omnia præmiſſa, &c.*

ANNO CHRISTI 1274.

## EPISTOLÆ GREGORII PAPÆ X.

### I.

*Cariſſimo in Chriſto filio Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Ex eodem Waddingo n. 46. & Binio, Hardi.

EXultat mater eccleſia renaſcentis prolis fecunditate jucunda; exultat & jubilat, gaudenter attendens ſe drachmam deperditam inveniſſe; immenſæ lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea ſchiſma multiplicarat antiquum, impleri per tuum aliorumque reditum ad ipſius eccleſiæ unitatem, ſine ſtragis cujuſque periculo, ſolo pacis auctore prævio, intuetur. Exultamus & nos, paſtoris, prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus procul dubio in illo vero paſtore, qui animam ſuam pro ſuis ovibus ponere non expavit. Ipſi vitulum labiorum exolvimus, de cujus non eſt dubium munere proceſſiſſe, ut ovis quæ perierat ſit inventa, & revixerit filius quem mors animæ, mors utique gravior, occuparat. Occurrentes itaque tibi de regione diſſimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te ſolidæ caritatis oſculo preſſius oſculamur. O utinam tibi, fili, pateret ad plenum, cum quanto in his occurrit tripudio eadem eccleſia nuper in Lugdunenſi concilio congregata! O ſi voces pſallentium inibi, Deumque flexis genibus & nudatis capitibus laudantium, præcipue prælatorum, in tuis ſonuiſſent auribus, & revelata facie ipſorum oculos deducentes quaſi aquarum exitus inſpexiſſes! profecto prudenter adverteres quod erant eorum lacrymæ tam excuſſi doloris indices, quam adeptæ lætitiæ proditrices: nec minus intelligeres, quam grati tui advenerint nuncii, quam fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam jubilo tua profeſſio acceptata. Exulta igitur & tu, fili, exulta & lætare in eo qui eſt ſplendor lucis æternæ, Divinæ quædam emanatio claritatis: qui tuum ſic animum ſuo lumine illuſtravit, ut lumen veritatis intelligens, non ſolum redires ad illam, ſed ad redeundum aliis dux & prævius effici mereretis. Exulta & gaude talem ac tantum jam datum laboribus tuis effectum, ut & de tuo ad ſinum unitatis eccleſiaſticæ reditui ndubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum. Perſta ergo, & quod cœpiſti, ſolicite cum omni diligentia & ſolicitudine proſequaris, efficacem pro poſſe daturus operam, ut nec in aliquibus ejuſdem ſchiſmatis reliquiæ qualeſcumque ſuperſint. Dei quidem perfecta ſunt opera: & tu creatura illius, creatorem tuum in tam placiti conſummatione operis pro viribus imitare, ut ſpei conceptæ de præmio res ſuccedat, & præmiſſum debitum exhibitio regalis exolvat. Super his autem & aliis habitis circa præmiſſa proceſſibus: præfati tuæ celſitudinis nuncii, quorum tibi notior eſt virtus & probitas, ad te plenius revertuntur inſtructi: quibus te non dubitamus fidem indubiam adhibere.

Datum Lugduni v. Kalendas Auguſti, anno tertio.

### II.

*Andronico primogenito cariſſimi in Chriſto filii noſtri Michaelis Palæologi imperatoris Græcorum illuſtris ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Ex eodem Waddingo, Harduino.

HAbes, fili, unde Domino Deo tuo in vocem exultationis & confeſſionis erumpas: exultes in eo, & fatearis humiliter tibi de immenſo ipſius dono conceſſum, veræ fidei agnoſcere veritatem, illam amplecti piis affectibus, & devotis nobis miſſis affatibus confiteri. Hæc ſi corde contrito & humiliato ſpiritu recognoſcens, a cœptorum proſecutione ſolicita non deſiſtas: plura tibi ſalutaribus inhærenti ſtudiis procul dubio ipſe bonorum omnium dator adjiciet, perfectæ tandem retributionis præmium largiturus. Ideoque magnitudinem tuam monemus & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus in præmiſſis, ſicut diſcrete ſcripſiſti, tui genitoris inclyti laudabili propoſito, nobis per ejus & tuas expreſſo litteras, conſtanter adhærens, totis viribus ſatagas ut antiquati ſchiſmatis aboleantur omnino reliquiæ, ſitque Latinorum & Græcorum unitas perpetuis temporibus inconcuſſa.

Datum Lugduni quinto Kalendas Auguſti, anno tertio.

### III.

*Venerabilibus fratribus Epheſin. in Thracia Heracliæ, Sarden. Lydiæ, Nicomediæ, Nicææ, Chalced. Naupacti, Philadelphiæ, Theſſalonicen. Tyanorum, Heracliæ Ponti, Iconii, Cariæ, Corſien. Athenien. Rhodien. Philippen. Smyrnen. Serrarum, Amaſtridæ, Alamæ*, Pruſæ, Maditorum, Alydi, Chriſtianopoleos, Silibriæ, Meſembriæ, Apri, Achiraus**, Pigarum, & Parii, Didymothichi, Anaſtaſiopoleos, Byziæ, Cypſellorum, Garellæ***, Derci, Praconeſi, Lopadiæ****, Pergami, Meleniai, & Beriæ, metropolitas, & dilectis filiis archidiacono & univerſo clero, œconomo, ſacellario, protecdico, logothetæ, caſtriſio, referendario, didaſcalo, primicerio, ipominiſco*****, oſtiariis, & notariis omnibus, necnon decano, archidiacono, diaconis, cantoribus, & lectoribus univerſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* forte Apamiæ. ** forte Achiralli. *** forte Gardicii. **** forte Lopedii. ***** forte hypomnemiſte.

Ex eodem Waddingo, & Binio, Harduino.

CAriſſimi in Chriſto filii noſtri Palæologi Græcorum imperatoris illuſtris & veſtros nuncios, & litteras, tanto nimirum recepimus gratius, quanto procul dubio gratiora, & noſtris acceptiora deſideriis retulerunt. Hoc eſt enim, quod fervor zeli patrum ſedis apoſtolicæ a longis retro temporibus exquirebat: hoc eſt, ad quod profundis anhelabat ſuſpiriis, & totis conatibus ſuſpirabat: ad hoc noſter inardeſcebat animus: ad hoc ſemper amplius accendebatur affectus, ut videlicet antiquo ſubducto ſchiſmate una eſſet columba Domini, formoſa ejus, perfecta ipſius; una quidem eccleſia Latinorum pariter & Græcorum, unita in ejuſdem veræ fidei & capitis unitate. His & veſtra, ut ſcripſiſtis, vota ex intimis concurrebant. Adſtitit itaque his diebus, multiplicatis interceſſoribus, virtus Chriſti: qui vere teſtatur nos nihil poſſe facere abſque ipſo. Adſtitit benignus ſapientiæ Spiritus, & prædicti principis ac veſtros animos miſericorditer inſpiravit, taleque ac tantum dedit ipſius ac vero miniſterio deſideratis initium: ut ipſo ac vobis perſiſtentibus, ut ſperamus, in identitate propoſiti, cōſummationis celeris & perfectæ proſperitas indubie ſubſecutura ſperetur. Illi ergo laus, illi gloria, illi actio gratiarum, qui vere lapis angularis parietem utrumque connexuit, & utraque unum fecit. Qui largitor bonorum omnium tantam nobis & vobis largitus eſt gratiam: ut nos in hæc tempora reſervarit, ut diem hunc nobis videre conceſſerit, quem videntes, ſumus in immenſum non indigne gaviſi, ex immenſitate gratiæ menſuram lætitiæ metientes. Vos igitur fratres & filios monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad perfectionem ſolidam inceptorum totis viribus ſatagentes, ejuſdem ſchiſmatis abolere ſtudeatis omnino reliquias, abjicientes oves morbidas, ne gregem valeant contaminare Dominicum, aut fidei a vobis noviter agnitæ in veſtris cordibus inficere puritatem. In his autem exequendis utilius, & efficacius adimplendis, eidem principi conſtanter & fideliter adhærete, ipſum fulcite conſiliis, & auxiliis adjuvate. Decet enim vos prelatos præcipue, qui conſtituti eſtis in ſpecula, veritatis lumen aliis oſtenſuri, aberrantes de tenebris errorum educere, devios in viam rectitudinis revocare, ut vobis adimplentibus officii debitum, æterni plenitudine præmii veſtrorum laborum exitus compleatur. Datum ut ſupra in proxima.



ANNO CHRISTI 1274.

### IV.

*Abaghæ regi Tartarorum illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

Ex eodem Waddingo ad an. 1275. & ex Binio. Hard.

EXcellentiæ tuæ litteras, & nuncios latores ipſarum, quorum alterum poſtmodum ſors, ut dicitur, humana ſubduxit, ad noſtram præſentiam venientes, una cum ſacro concilio, adventus eorum tempore, in noſtra præſentia congregato, in quo ſicut per ſuperſtitis relationem intelligere poteris, principum & prælatorum multitudo copioſa & veneranda convenit, cum animi lætitia & vultus ſerenitate recepimus; & litteris in communi perlectis, ac nunciis ipſis benigne in omnibus quæ proponere voluerunt auditis, corde contrito & humiliato ſpiritu exoravimus, & exoramus Altiſſimum, ut ipſe, qui eſt lux vera, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, tibi & tuis ſua pietate concedat ſic ſemper in lumine vultus ſui lumen veritatis agnoſcere, quod in ſuis beneplacitis ambulantes, ad exaltationem fidei Chriſtianæ, veſtramque ſalutem, indefeſſo propoſito intendatis. Ceterum ſuper iis quæ per nuncios & litteras prædictas tua magnificentia intimavit, ante Chriſtiani exercitus ad tranſmarinas partes adventus diſpoſuimus ad tuam præſentiam legatos noſtros, prout opportunitas permiſerit, deſtinare, qui & magnitudini tuæ ad illa plene reſpondeant, & te nihilo minus ad alia, quæ, ſi aures illis exauditionis præſtiteris, tuam, tuorumque ſalutem & utilitatem communem reſpicient, ſolerter inducant.

Datum Lugduni tertio Idus Martii, anno tertio.

## CONSTITUTIONES A GREGORIO PAPA DECIMO IN CONCILIO LUGDUNENSI GENERALI SANCITÆ.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, &c.*

INfra ſcriptas conſtitutiones nuper in generali concilio Lugdunenſi & poſt ſuper certis articulis duximus promulgandas, quibus univerſos uti volumus, & mandamus in judiciis, & in ſcholis, ipſaſque ſub ſuis titulis inſeri, prout exprimitur ſuper eis.

### I. [1]

*De ſumma Trinitate, & fide catholica.*

Fideli ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet ſacroſancta Romana eccleſia, mater omnium fidelium, & magiſtra: hoc habet orthodoxorum patrum atque doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera ſententia: Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis, in errores varios ſunt prolapſi: nos hujuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere; ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno, procedat.

### II.

*De electione & electi poteſtate.*

Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio eſt plenius conſulendum. Quam gravibus autem ſit onuſta diſpendiis, quot & quantis ſit plena periculis, eccleſiæ Romanæ prolixa vacatio: exacti temporis conſideratio edocet, & conſiderata prudenter illius diſcrimina manifeſtant. Hinc nos evidens evocat ratio, ut dum reformandis etiam

---

1 Capitulo primo hæc verba præfige. *Gregorius X. in generali Concilio Lugdunenſi*. Item capitulo 2. Capitulo 3. lege: *Idem in eodem*. Sic etiam in capitulo 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 18. 27. 30. 31. Capitulo 15. lege: *Gregorius X. in generali Concilio Lugdunenſi*. Et ſic in capitulo 16. 17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. *Harduinus*.

etiam minoribus noſtra ſolerter vacat intentio, ea quæ periculoſiora ſunt nequaquam abſque remedio reformationis accommodæ relinquamus. Ideoque omnia, quæ pro vitanda diſcordia, in electione Romani pontificis a noſtris ſunt prædeceſſoribus, & præcipue a felicis recordationis Alexandro papa tertio, ſalubriter inſtituta, omnino immota in ſua firmitate manere cenſentes, (nihil enim illis detrahere intendimus, ſed quod experientia deeſſe probavit, præſenti conſtitutione ſupplere) hoc ſacro concilio approbante ſtatuimus, ut ſi eumdem pontificem in civitate, in qua cum ſua curia reſidebat, diem claudere contingat extremum, cardinales, qui fuerint in civitate ipſa præſentes, abſentes expectare decem diebus tantummodo teneantur. Quibus elapſis, ſive abſentes venerint, ſive non, extunc omnes conveniant in palatio, in quo idem pontifex habitabat, contenti ſinguli ſingulis tantummodo ſervientibus clericis, vel laicis, prout duxerint eligendum. Illis tamen quibus patens neceſſitas id ſuggerit indulgeri, duos habere permittimus, ejuſdem electionis arbitrio reſervato. In eodem autem palatio unum conclave, nullo intermedio pariete, ſeu alio velamine, omnes habitent in communi. Quod (ſervato libero ad ſecretam cameram aditu) ita claudatur undique, ut nullus illuc intrare valeat vel exire; nulli ad eoſdem cardinales aditus pateat, vel facultas ſecrete loquendi cum eis: nec ipſi aliquos ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium cardinalium inibi præſentium, pro iis tantum quæ ad electionis inſtantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas ſit, ipſis cardinalibus, vel eorum alicui, nuncium mittere vel ſcripturam. Qui vero contra fecerit, ſcripturam mittendo vel nuncium, aut cum aliquo ipſorum ſecreto loquendo: ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. In conclavi tamen prædicto aliqua feneſtra competens dimittatur, per quam eiſdem cardinalibus ad victum neceſſaria commode miniſtrentur: ſed per eam nulli ad ipſos patere poſſit ingreſſus. Verum ſi, quod abſit, infra tres dies, poſtquam, ut prædicitur, conclave prædictum iidem cardinales intraverint, non fuerit ipſi eccleſiæ de paſtore proviſum: per ſpatium quinque dierum immediate ſequentium, ſingulis diebus, tam in prandio, quam in cœna, uno ſolo ferculo ſint contenti. Quibus proviſione non facta decurſis, extunc tantummodo panis, vinum, & aqua, miniſtrentur eiſdem, donec eadem proviſio ſubſequatur. Proviſionis quoque hujuſmodi pendente negotio, dicti cardinales nihil de camera papæ recipiant, nec de aliis eidem eccleſiæ tempore vacationis obvenientibus undecumque: ſed ea omnia ipſa vacatione durante, ſub ejus, cujus fidei & diligentiæ camera eadem eſt commiſſa, cuſtodia maneant, per eum diſpoſitioni futuri pontificis reſervanda. Qui autem aliquid receperint, teneantur extunc a perceptione quorumlibet redituum ad ipſos ſpectantium abſtinere, donec de receptis taliter plenariam ſatisfactionem impendant. Iidem quoque cardinales accelerandæ proviſioni ſic vacent attentius, quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant: niſi forſan neceſſitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de terra ipſius eccleſiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere: vel niſi aliquod tam grande, tam evidens periculum immineret, quod omnibus & ſingulis cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum. Sane ſi aliquis de prædictis cardinalibus conclave prædictum, ut ſupra exprimitur, non intraverit; aut intrans, abſque manifeſta cauſa infirmitatis exierit: ipſo minime requiſito, nec in ejuſdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum "ſubſtituendum pontificem, libere procedatur. Si vero infirmitate ſuperveniente, idem conclave aliquem ex eis exire contingat: ipſa etiam infirmitate durante poterit, ejus ſuffragio non requiſito, ad electionem procedi. Sed ſi ad alios poſt ſanitatem ſibi redditam, ſeu antea, redire voluerit, vel etiam ſi alii abſentes, quos per decem dies diximus expectandos, ſupervenerint re integra, videlicet antequam eidem eccleſiæ ſit de paſtore proviſum: in eodem negotio, in illo ſtatu, in quo ipſum invenerint, admittantur, præmiſſa, tam de clauſura, quam de ſervientibus cibo ac potu, & reliquis, cum aliis ſervaturi. Porro ſi quando Romanum pontificem extra civitatem prædictam, in qua erat cum ſua curia reſidens, contigerit ab hac luce migrare: teneantur cardinales in civitate, in cujus territorio ſeu diſtrictu idem pontifex obiit, convenire; niſi ſit forſitan interdicta, vel contra eccleſiam Romanam in aperta rebellione perſiſtat. Quo caſu in alia viciniori conveniant, quæ ſimiliter nec interdicto ſubjaceat, nec ſit, ut prædicitur, aperte rebellis. In hac etiam civitate, tam quoad expectationem abſentium, quam quoad habitationem communem, clauſuram, & cetera omnia, in domo epiſcopali, vel alia qualibet eiſdem cardinalibus deputanda, eadem obſerventur, quæ ſuperius, obeunte dicto pontifice in ea, in qua cum ſua reſidebat curia, ſunt expreſſa.

In concilio Lateranenſi cap. 1.

Præterea, quia parum eſt jura condere, niſi ſit qui eadem tueatur: adjiciendo ſancimus, ut dominus, aliique rectores, & officiales civitatis illius, in qua Romani pontificis celebranda fuerit electio, authoritate noſtra, & ejuſdem approbatione concilii, poteſtate ſibi tradita, præmiſſa omnia & ſingula plene ac inviolabiliter ſine fraude ac dolo aliquo faciant obſervari: nec cardinales ultra quam præmittitur, arctare præſumant. Super his autem taliter obſervandis, ſtatim audito ſummi pontificis obitu, coram clero & populo civitatis ipſius, ad hoc ſpecialiter convocandis, præſtent corporaliter juramentum. Quod ſi forte in præmiſſis, vel circa ea, fraudem commiſerint, aut ipſa diligenter non obſervaverint: cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, omni ceſſante privilegio, eo ipſo excommunicationis ſint vinculo innodati, & perpetuo ſint infames, nec unquam eis portæ dignitatis pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur. Ipſos inſuper feudis, & bonis, ceteriſque, quæ ab eadem Romana vel quibuslibet aliis eccleſiis obtinent, ipſo facto decrevimus eſſe privatos: ita quod ad eccleſias ipſas plene ac libere revertantur, adminiſtratorum earumdem eccleſiarum arbitrio ſine contradictione aliqua diſponenda. Civitas vero prædicta, non ſolum ſit interdicto ſuppoſita, ſed & pontificali dignitate privata. Ceterum quia cum arbitrium vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquid obligationis cujuſque neceſſitas adigit, ceſſat electio, dum libertas adimitur eligendi: cardinales eoſdem obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obteſtamur, ut penſantes attentius quid eis immineat, cum agitur de creatione vicarii Jeſu Chriſti ſucceſſoris Petri, rectoris univerſalis eccleſiæ, gregis Dominici directoris, omni privatæ affectionis inordinatione depoſita, & cujuslibet pactionis, conventionis, obligationis neceſſitate, necnon condicti & intendimenti contemplatione ceſſantibus, non in ſe reciprocent conſiderationis intuitum, vel in ſuos, non quæ ſua ſunt quærant, non commodis privatis intendant, ſed nullo arctante ipſorum in eligendo judicium, niſi Deo, puris & liberis mentibus, nuda electionis conſcientia utilitatem publicam libere proſequantur omni conatu, & ſolicitudine, prout poſſibilitas patitur, id acturi tantummodo, ut eorum miniſterio acceleretur utilis & perneceſſaria totius mundi proviſio, idoneo celeriter eidem eccleſiæ ſponſo dato. Qui autem ſecus egerint, Divinæ ſubjaceant ultioni, eorum culpa, niſi gravi propter hoc peracta pœnitentia, nullatenus abolenda. Et nos nihilo minus pactiones, conventiones, obligationes, condicta, & intendimenta omnia, ſive juramenti, ſive cujuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, caſſamus, irritamus, & viribus decernimus omnino carere: ut nullus ad illa obſervanda quomodolibet ſit aſtrictus, nec quiſquam ex eorum tranſgreſſione notam vereatur fidei non ſervatæ, ſed non indignæ laudis titulum potius mereatur: cum lex etiam humana teſtetur, Deo magis tranſgreſſiones hujuſmodi, quam jurisjurandi obſervationes, acceptas.

Quia vero fidelibus non eſt tam de ſolicita quantumcumque inventione fidendum, quam de inſtantia orationis humilis & devotæ ſperandum, huic adjicimus ſanctioni, ut in omnibus civitatibus, ceteriſque locis inſignibus, ubi primum de memorati pontificis obitu certitudo claruerit, a clero & populo ſolennibus pro eo exequiis celebratis, ſingulis diebus, donec de ipſius eccleſiæ proviſione indubitatus rumor pertulerit veritatem, humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus inſiſtatur, ut ipſe qui concordiam facit in ſublimibus ſuis, ſic efficiat eorumdem cardinalium corda in eligendo concordia, quod proviſio celer, concors, & utilis, prout animarum ſalus exigit, & totius requirit orbis utilitas, ex ipſorum unanimitate ſequatur. Et ne tam ſalubre præſentis ſanctionis edictum, ignorantiæ negligi prætextu contingat: diſtricte præcipimus, ut patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, & alii eccleſiarum prælati, ceterique, quibus conceſſum eſt proponere verbum Dei, clerum & populum propter hoc ſpecialiter frequentius congregandos in ſuis ſermonibus ad ſupplicum precum ſuffragia, pro celeri & felici exitu tanti negotii frequentanda, ſolerter hortentur, & ipſis eadem authoritate, non ſolum orationum frequentiam, ſed & obſervantiam, prout circumſtantiæ penſandæ ſuaſerint, jejuniorum indicant.

## III.

Ut circa electiones, poſtulationes, & proviſiones eccleſiaſticas, viam malitiis, prout eſt poſſibile, præcludamus, nec diutius periculoſe vacent eccleſiæ, vel perſonatuum, dignitatum, & aliorum eccleſiaſticorum beneficiorum proviſio differatur: edicto perpetuo providemus, ut ſi quando aliqui electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus ſe opponunt, proponendo aliqua contra electionis, poſtulationis, ſeu proviſionis formam, aut perſonas eligentium, vel electi, ſive illius, cui proviſio erat facienda vel facta, & propter hoc contigerit appellari, appellantes in inſtrumento publico, ſeu litteris ſuper appellatione confectis, omnia & ſingula exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel perſonas

nas coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant veritati, corporali præſtito juramento, quod credunt ea quæ ſic exprimunt, eſſe vera, & ſe poſſe probare. Alioquin tam opponentes, quam (tempore appellationis interpoſitæ, vel poſtmodum) adhærentes eiſdem, objiciendi aliqua, quæ non fuerint in hujuſmodi litteris vel inſtrumentis expreſſa, poteſtatem ſibi noverint interdictam; niſi aliquid poſtea forſan emerſerit, vel ſuper antiquis ſupervenerit probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes appellationis emiſſæ tempore veriſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint. Super hujuſmodi autem ignorantia, & ſuperveniente facultate probandi, fidem per proprium præſtandum corporaliter faciant juramentum, hoc adjiciendo in juramento eodem, quod ad ea probanda credunt ſe ſufficientes probationes habere. Illa ſane quæ felicis recordationis Innocentius papa quartus, contra non plene probantes ea quæ in formam vel perſonam objecerunt, ſtatuit, in ſuo volumus robore permanere.

## IV.

Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ ſibi a jure interdicta noverint, exquiſitis fraudibus uſurpare conentur. Nonnulli ſiquidem ad regimen eccleſiarum electi, quia eis jure prohibente non licet, ſe, ante confirmationem electionis celebratæ de ipſis, adminiſtrationi eccleſiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipſam ſibi tanquam procuratoribus ſeu œconomis committi procurant. Cum itaque non ſit malitiis hominum indulgendum, nos latius providere volentes, hac generali conſtitutione ſancimus, ut nullus de cetero adminiſtrationem dignitatis, ad quam electus eſt, priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur, ſub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæſito colore, in ſpiritualibus vel temporalibus, per ſe vel per alium, pro parte vel in totum, gerere vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos qui ſecus fecerint, jure, ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit, decernentes eo ipſo privatos.

## V.

Quam ſit eccleſiis ipſarum diſpendioſa vacatio, quam periculoſa etiam eſſe ſoleat animabus, non ſolum jura teſtantur, ſed etiam magiſtra rerum efficax experientia manifeſtat. Cupientes itaque competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo decreto ſtatuimus: ut ſi quando fuerit electio in aliqua eccleſia celebrata, electores, electionem ipſam, quam citius commode poterunt, electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius, procurent; electus vero illum adhibere infra menſem a tempore præſentationis hujuſmodi teneatur. Quem ſi electus ipſi præſtare ultra diſtulerit, jure, ſi quod ei ex ſua electione fuerat acquiſitum, extunc ſe noverit eo ipſo privatum: niſi forſan ea ſit electæ perſonæ conditio, ut electioni de ſe celebratæ, abſque ſuperioris ſui licentia, ex prohibitione, ſeu quavis proviſione ſedis apoſtolicæ, conſentire non poſſit. Quo caſu, idem electus, ſeu electores ipſius, conſentiendi licentiam ab ejus ſuperiore, cum ea celeritate, quam ſuperioris ipſius præſentia vel abſentia permiſerit, petere ſtudeant, & habere. Alioquin, ſi lapſo tempore, pro ejuſdem ſuperioris præſentia vel abſentia, ut præmittitur, moderando, hujuſmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat: electores extunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Ceterum quivis electus infra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum, confirmationem electionis ipſius petere non omittat. Quod ſi juſto impedimento ceſſante, infra hujuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem eo ipſo viribus vacuetur.

## VI.

Perpetuæ ſanctionis oraculo declaramus, quod ſcienter in electionibus nominantes indignum, propter ſuffragium in ſcrutinio præſtitum, niſi adeo in eo perſtiterint, quod ex votis eorum communis electio ſubſequatur, nequaquam eligendi poteſtate priventur: licet pro eo quod indignum nominando ſcienter contra conſcientias ſuas agunt, & Divinam vindictam, & apoſtolicæ ultionis metum, quem qualitas facti ſuaſerit, poſſint non immerito formidare.

## VII.

Nulli licere decernimus, poſtquam in ſcrutinio nominaverit aliquem, & electio fuerit ſubſecuta, vel poſtquam præſtiterit electioni de ipſo ab aliis celebratæ conſenſum, illum ſuper electione ipſa, niſi ex cauſis poſtea emergentibus, impugnare: vel niſi ei morum ipſius antea celata de novo pandatur improbitas, ſeu alicujus alterius latentis vitii, vel defectus, quæ veriſimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur. De hujuſmodi autem ignorantia fidem proprio faciat juramento.





## VIII.

Si quando contigerit, duabus electionibus celebratis, partem alteram eligentium duplo majorem numero inveniri: contra electores, qui partem reliquam ſic excedunt, ad extenuationem zeli, meriti, vel authoritatis ipſorum, reliquis, vel electo ab eis aliquid opponendi, omnem præſenti decreto interdicimus facultatem. Si quid autem opponere voluerint, quod votum illius, cui opponitur, nullum redderet ipſo jure; id eis non intelligimus interdictum.

## IX.

Quamvis conſtitutio felicis recordationis Alexandri papæ quarti prædeceſſoris noſtri, cauſas electionum epiſcopalium, ſeu ſuper electionibus epiſcoporum exortas, non immerito majoribus cauſis annumerans, cognitiones ipſarum per appellationes quaslibet devolvi aſſerat ad apoſtolicæ ſedis examen: nos tamen, & temerariam appellantium audaciam, & effrenatam appellationum frequentiam, refrenare volentes, hac generali conſtitutione duximus providendum, ut ſi extra judicium in prædictis electionibus, vel in aliis de dignitatibus epiſcopatu majoribus celebratis, expreſſa cauſa manifeſte frivola, contigerit appellari, per appellationem hujuſmodi nequaquam ad ſedem eamdem negotium devolvatur. Sed cum in electionum earumdem negotiis, in judicio, vel extra judicium appellatur, inſcriptis ex cauſa probabili, quæ probata deberet legitima reputari, ad ſedem ipſam hujuſmodi negotia deferantur. Ceterum in præmiſſis omnibus caſibus liceat partibus ab hujuſmodi appellationibus, nulla tamen interveniente pravitate, recedere: antequam præfatæ ſedi fuerint præſentatæ. Inferiores autem judices, quorum erat ipſarum cauſarum cognitio, appellatione ceſſante, an in hoc pravitas interceſſerit ante omnia diligenter inquirant: & ſi eam interceſſiſſe repererint, ſe de cauſis ipſis nullatenus intromittant, ſed præfigant dictis partibus terminum peremptorium competentem, in quo cum omnibus actis & monimentis ſuis apoſtolico ſe conſpectui repræſentent.

## X.

Si forte inter cetera quæ objiciuntur electo, aut poſtulato, ſeu alias promovendo ad aliquam dignitatem, evidentem ſcientiæ vel alium perſonæ defectum opponi contingat: in diſcuſſione objectorum illum ſtatuimus ordinem incommutabiliter obſervandum, ut promovendus ſuper defectu ipſo ante omnia ſubjiciatur examini, cujus eventus examinandis aliis aut dabit initium aut negabit. Ceterum ſi præmiſſi examinis exitus, hujuſmodi oppoſitiones docuerit veritate deſtitui: opponentes omnino a proſecutione cauſæ, in qua talia objecerunt, excludimus, & perinde puniri decernimus, ac ſi penitus in probatione omnium quæ objecerant defeciſſent.

## XI.

Sciant cuncti, qui clericos vel quaslibet alias perſonas eccleſiaſticas, ad quos in aliquibus eccleſiis, monaſteriis, aut aliis piis locis ſpectat electio, pro eo quod rogati, ſeu alias inducti, eum pro quo rogabantur, ſive inducebantur, eligere noluerunt, vel conſanguineos eorum, aut ipſas eccleſias, monaſteria, ſeu loca cetera, beneficiis, ſive aliis, bonis per ſe vel per alios ſpoliando, ſeu alias injuſte perſequendo, gravare præſumpſerint, ſe ipſo facto excommunicationis ſententia innodatos.

## XII.

Generali conſtitutione ſancimus, univerſos & ſingulos qui regalia, cuſtodiam ſive guardiam advocationis, vel defenſionis titulum, in eccleſiis, monaſteriis, ſive quibuslibet aliis piis locis, de novo uſurpare conantes, bona eccleſiarum, monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant, clericos etiam eccleſiarum, monachos monaſteriorum, & perſonas ceteras locorum eorumdem qui hæc fieri procurant, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Illos vero clericos qui ſe, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus eccleſiarum, ſeu locorum ipſorum, pro tempore quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, aliquid percipere diſtrictius inhibemus. Qui autem ab ipſarum eccleſiarum ceterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine, jura ſibi hujuſmodi vindicant: ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos miniſtros in eis ſolicite faciant abſtinere, quod ea quæ non pertinent ad fructus ſive reditus provenientes vacationis tempore non uſurpent; nec bona cetera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.

XIII.

Licet canon a felicis recordationis Alexandro papa tertio prædeceſſore noſtro editus, inter cetera ſtatuerit, ut nullus regimen eccleſiæ parochialis ſuſcipiat, niſi vigeſimumquintum annum ætatis attigerit, ac ſcientia & moribus commendandus exiſtat, quodque talis ad regimen aſſumptus hujuſmodi, ſi monitus, non fuerit præfixo a canonibus tempore in presbyterum ordinatus, a regiminis ejuſdem amoveatur officio, & alii conferatur: quia tamen in obſervatione canonis memorati ſe multi exhibent negligentes, nos periculoſam illorum negligentiam volentes juris executione ſuppleri, præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus ad regimen parochialis eccleſiæ aſſumatur, niſi ſit idoneus ſcientia, moribus, & ætate. Decernentes collationes de parochialibus eccleſiis, iis qui non attigerunt vigeſimumquintum annum de cetero faciendas, viribus omnino carere. Is etiam qui ad hujuſmodi regimen aſſumetur, ut gregis ſui crediti diligentius gerere curam poſſit, in parochiali eccleſia, cujus rector extiterit, reſidere perſonaliter teneatur: & infra annum a ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum ſe faciat ad ſacerdotium promoveri. Quod ſi infra idem tempus promotus non fuerit: eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis conſtitutionis authoritate privatus. Super reſidentia vero, ut præmittitur, facienda, poſſit ordinarius gratiam diſpenſative ad tempus facere, prout cauſa rationabilis id expoſcet.

XIV.

Nemo deinceps parochialem eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima & ſacerdotio commendare præſumat. Nec tali etiam niſi unam, & evidenti neceſſitate, vel utilitate ipſius eccleſiæ ſuadente. Hujuſmodi autem commendam, ut præmittitur, rite factam declaramus ultra ſemeſtris temporis ſpatium non durare. Statuentes, quidquid ſecus de commendis eccleſiarum parochialium actum fuerit, eſſe irritum ipſo jure.

XV.

*De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.*

Eos qui clericos parochiæ alienæ, abſque ſuperioris ordinandorum licentia, ſcienter, ſeu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito, præſumpſerint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus eſſe ſuſpenſos; iis quæ jura ſtatuunt contra taliter ordinatos in ſuo robore duraturis. Clericis quoque parochiæ taliter ſuſpenſorum, poſtquam eorum ſuſpenſio fuerit manifeſta, abſque ipſorum etiam licentia, interim recipiendi ordines ab aliis vicinis epiſcopis, alias tamen canonice, liberam concedimus facultatem.

XVI.

*De bigamis.*

Altercationis antiquæ dubium præſentis declarationis oraculo decidentes, bigamos omni privilegio clericali declaramus eſſe nudatos, & coercitioni fori ſæcularis addictos: conſuetudine contraria non obſtante. Ipſis quoque ſub anathemate prohibemus deferre tonſuram vel habitum clericalem.

XVII.

*De officio judicis ordinarii.*

Si canonici a Divinis ceſſare voluerint, prout in eccleſiis aliquibus ſibi ex conſuetudine vel alias vindicant, antequam ad ceſſationem hujuſmodi quoquo modo procedant, in inſtrumento publico, vel patentibus litteris ſigillorum ſuorum aut alterius authentici munimine roboratis, ceſſationis ipſius cauſam exprimant, & illud, vel illas, ei, contra quem ceſſare intendunt, aſſignent. Scituri, quod ſi hoc prætermiſſo ceſſaverint, vel cauſa, quam expreſſerint, non fuerit inventa canonica, omnia, quæ de quibuſcumque proventibus illius eccleſiæ, in qua ceſſatum fuerit, ceſſationis tempore perceperunt, reſtituent. Illa vero, quæ pro eodem tempore debentur eiſdem, nullo modo percipient, ſed ipſi eccleſiæ cedere, ac nihilo minus ei, contra quem ceſſaverant, de damnis & injuriis ſatisfacere tenebuntur. Si autem cauſa eadem canonica fuerit judicata: is qui occaſionem ceſſationi dederat, ad omne intereſse dictis canonicis, & eccleſiæ, cui debitum officium ejus eſt culpa ſubtractum, ad certam quantitatem taxandam, & in Divini cultus augmentum convertendam, ſuperioris arbitrio condemnetur. Ceterum deteſtabilem abuſum horrendæ indevotionis illorum, qui crucis, beatæ Virginis, aliorumve ſanctorum imagines, ſeu ſtatuas, irreverenti auſu tractantes, eas in aggravationem ceſsationis hujuſmodi proſternunt in terram, urticis ſpiniſque ſup-





ponunt, penitus reprobantes: aliquid tale de cetero fieri diſtrictius prohibemus. Statuentes, ut in eos qui contra fecerint ultrix procedat dura ſententia: quæ delinquentes ſic graviter puniat, quod alios a ſimilium præſumptione compeſcat.

XVIII.

Ordinarii locorum ſubditos ſuos, plures dignitates, vel eccleſias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, ſeu perſonatum, aut dignitatem, cum alio beneficio, cui cura ſimilis eſt annexa, diſtricte compellant, diſpenſationes, authoritate quarum hujuſmodi eccleſias, perſonatus, ſeu dignitates, canonice tenere ſe aſſerunt, infra tempus, pro facti qualitate ipſorum ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere. Quod ſi forte, juſto impedimento ceſſante, nullam diſpenſationem infra idem tempus contigerit exhiberi: eccleſiæ beneficia, perſonatus, ſeu dignitates, quæ ſine diſpenſatione aliqua, eo ipſo illicite detineri conſtabit, per eos, ad quos eorumdem collatio pertinet, libere perſonis idoneis conferantur. Ceterum, ſi diſpenſatio exhibita ſufficiens evidenter appareat: exhibens, nequaquam in beneficiis hujuſmodi, quæ canonice obtinet, moleſtetur. Provideat tamen ordinarius, qualiter nec animarum cura in eiſdem eccleſiis, perſonatibus, ſeu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipſa debitis obſequiis defraudentur. Si vero de diſpenſationis exhibitæ ſufficiencia dubitetur, ſuper hoc erit ad ſedem apoſtolicam recurrendum: cujus eſt æſtimare, quem modum ſui beneficii eſſe velit. In conferendis inſuper perſonatibus, dignitatibus, & aliis beneficiis, curam habentibus animarum annexam, iidem ordinarii diligentiam illam obſervent, ut perſonatum, dignitatem, vel aliud beneficium ſimilem curam habens, alicui plura ſimilia obtinenti non ante conferre præſumant, quam eis ſuper obtentis diſpenſatio evidenter ſufficiens oſtendatur. Qua etiam oſtenſa, ita demum ad collationem procedi volumus, ſi appareat per eamdem, quod is, cui eſt collatio facienda, hujuſmodi perſonatum, dignitatem, vel beneficium retinere licite valeat cum obtentis. Vel ſi ea, quæ ſic obtinet, libere ac ſponte reſignet. Aliter autem de perſonatibus, dignitatibus, & beneficiis talibus, facta collatio, nullius penitus ſit momenti.

XIX.

*De poſtulando.*

Properandum nobis viſum eſt, ut malitioſis litium protractionibus occurratur: quod ſperamus efficaciter provenire, ſi eos, qui circa judicia ſuum miniſterium exhibent, ad id congruis remediis dirigamus. Cum igitur ea quæ ad hoc ſalubriter fuerant circa patronos cauſarum legali ſanctione proviſa, deſuetudine abolita videantur: nos ſanctionem eamdem, præſentis redivivæ conſtitutionis ſuffragio, cum aliqua tamen adjectione, nec non & moderamine, renovantes, ſtatuimus ut omnes & ſinguli advocationis officium in foro eccleſiaſtico, ſive apud ſedem apoſtolicam, ſive alibi, exercentes, præſtent, tactis ſacroſanctis evangeliis, juramentum, quod in omnibus cauſis eccleſiaſticis, & aliis in eodem foro tractandis, quarum aſſumpſerunt patrocinium, vel aſſument, omni virtute ſua, omníque ope, id quod verum & juſtum exiſtimaverint, ſuis clientulis" inferre procurent; nihil in hoc ſtudii, quod eis ſit poſſibile, relinquentes, quodque in quacumque parte judicii eis innotuerit improbam fore cauſam, quam in ſua fide receperant, amplius non patrocinabuntur eidem, immo ab ea omnino recedent, a communione illius ſe penitus ſeparantes: reliquis, quæ circa hæc ſunt in eadem ſanctione ſtatuta, inviolabiliter obſervandis. Procuratores inſuper juramento ſimili aſtringantur. Hujuſmodi quoque juramentum, tam advocati, quam procuratores in foro, in quo idem aſſumpſerunt officium, teneantur annis ſingulis iterare. Qui vero ad eamdem ſedem veniunt, vel ad curiam cujuslibet eccleſiaſtici judicis, in qua nondum tale præſtiterant juramentum, accedunt, in aliquibus ſingularibus cauſis patrocinium, vel procurationis miniſterium præſtituri, præſtent in ſingulis cauſis eiſdem, mota controverſia, ſimile juramentum. Advocati autem, & procuratores, qui juxta prædictam formam jurare noluerint, executionem officiorum ſuorum, hujuſmodi voluntate durante, ſibi noverint interdictam. Quod ſi juramentum præſtitum violare præſumpſerint, præter reatum perjurii, conſiliarii etiam, qui ſcienter iniquam cauſam foverint, Divinam & noſtram maledictionem incurrant, a qua non aliter liberentur, niſi duplum ejus reſtituerint, quod pro tam iniquis advocatione, procuratione, vel conſilio receperunt; ac nihilo minus de damnis quæ per iniqua hujuſmodi miniſteria partibus irrogarunt, illis ſatisfacere teneantur. Ceterum ne cupiditatis ardor aliquos ad hæc ſalubria ſtatuta contemnenda præcipiter, diſtrictius inhibemus, ne aliquis advocatus in quacumque cauſa ultra viginti, procurator vero ultra duodecim libras Turonenſes recipere, ſalarii nomine, vel etiam ſub palmarii colore, præſumat;

" fore

ANNO CHRISTI 1274.

Qui autem ultra receperint, nequaquam dominium eorum, quæ prædictam quantitatem excedunt, acquirant: ſed ad reſtitutionem integram teneantur illorum. Ita quod nihil horum, ad quæ reſtituenda eos teneri præmiſimus, in fraudem præſentis conſtitutionis remitti poſſit eiſdem. Et inſuper advocati conſtitutionem præſentem taliter violantes, ab advocationis officio triennio ſuſpendantur. Procuratores vero extunc ſibi ſciant cujuslibet procurationis in judicio licentiam denegatam.

## XX.

*De iis quæ vi metuſve cauſa fiunt.*

Abſolutionis beneficium ab excommunicationis ſententia, vel quamcumque revocationem ipſius, aut ſuſpenſionis, ſeu etiam interdicti per vim vel metum extortam, præſentis conſtitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem ſine vindicta violentiæ creſcat audacia, eos qui abſolutionem ſive revocationem hujuſmodi vi vel metu extorſerint, excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

## XXI.

*De præbendis & dignitatibus.*

Statutum felicis recordationis Clementis papæ IV. prædeceſſoris noſtri de dignitatibus & beneficiis in curia Romana vacantibus, nequaquam per alium quam per Romanum pontificem conferendis, decrevimus taliter moderandum, ut ii ad quos eorumdem beneficiorum & dignitatum ſpectat collatio, ſtatuto non obſtante prædicto, demum poſt menſem, a die quod dignitates ſeu beneficia ipſa vacaverint numerandum, ea conferre valeant tantummodo per ſeipſos, vel, ipſis agentibus in remotis, per ſuos vicarios generales in eorum diœceſibus exiſtentes, quibus id canonice ſit commiſſum.

## XXII.

*De rebus eccleſiæ non alienandis.*

Hoc conſultiſſimo prohibemus edicto, univerſos & ſingulos prælatos eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura ipſarum, laicis ſubmittere, ſubjicere, ſeu ſupponere, abſque capituli ſui conſenſu, & ſedis apoſtolicæ licentia ſpeciali, non concedendo bona ipſa, vel jura in emphyteoſim, ſeu alias alienando, in forma & caſibus a jure permiſſis, ſed conſtituendo, vel recognoſcendo, ſeu profitendo ab illis ea tanquam a ſuperioribus ſe tenere, ſeu ab ipſis eadem advocando (prout in quibuſdam partibus vulgariter dicitur, "*Avober*) vel ipſos patronos, ſive advocatos eccleſiarum, ſeu bonorum ipſarum, perpetuo, aut ad tempus non modicum, ſtatuendo. Contractus autem omnes, etiam juramenti, pœnæ vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos, quos de talibus alienationibus, ſine hujuſmodi licentia & conſenſu contigerit celebrari, & quidquid ex eis ſecutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi etiam cauſam pariant. Et nihilo minus prælatos, qui ſecus egerint, ipſo facto officio & adminiſtratione, clericos etiam, qui ſcientes contra inhibitionem prædictam aliquid eſſe præſumptum id ſuperiori denunciare neglexerint, a perceptione beneficiorum, quæ in eccleſia ſic gravata obtinent, triennio ſtatuimus eſſe ſuſpenſos. Laici vero qui prælatos, vel capitula eccleſiarum, ſeu alias perſonas eccleſiaſticas, ad ſubmiſſiones hujuſmodi faciendas hactenus compulerunt, niſi poſt competentem monitionem, remiſſa ſubmiſſione quam per vim vel metum exegerant, eccleſias & bona eccleſiaſtica eis ſubmiſſa taliter in ſua libertate dimittant; illi etiam qui de cetero prælatos vel perſonas eaſdem ad talia facienda compulerint, cujuſcumque ſint conditionis aut ſtatus, excommunicationis ſint ſententia innodati. Ex contractibus præterea ſuper premiſſis hujuſmodi licentia & conſenſu intervenientibus hactenus initis, vel quos in futurum iniri continget, ſeu occaſione illorum, laici, ultra id quod eis ex natura contractuum ipſorum vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non uſurpent. Qui vero ſecus egerint, niſi legitime moniti ab hujuſmodi uſurpatione deſtiterint, reſtituendo etiam quæ taliter uſurparant, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant: & extunc ad ſupponendum terram ipſorum, ſi opus fuerit, eccleſiaſtico interdicto libere procedatur.

* In quibuſdam Galliæ [illegible]

## XXIII.

*De religioſis domibus, ut epiſcopo ſint ſubiecta.*

Religionum diverſitatem nimiam, ne confuſionem induceret, generale concilium conſulta prohibitione vetuit. Sed quia non ſolum importuna petentium inhiatio illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, verum etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diverſorum ordinum, præcipue mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium, effrænatam quaſi multitudinem adinvenit, repetita conſtitutione diſtrictius inhibentes, ne aliquis de cetero novum ordinem aut religionem inveniat, vel habitum novæ religionis aſſumat. Cunctas affatim religiones, & ordines mendicantes, poſt dictum concilium adinventos, qui nullam confirmationem ſedis apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubjicimus, & quatenus proceſſerant, revocamus. Confirmatos * autem per ſedem eamdem, poſt tamen idem concilium inſtitutos, quibus ad congruam ſuſtentationem reditus aut poſſeſſiones habere profeſſio ſive regula vel conſtitutiones quælibet interdicunt, ſed per queſtum publicum tribuere victum ſolent incerta mendicitas, modo ſubſiſtere decernimus infraſcripto: ut profeſſoribus eorumdem ordinum ita liceat in illis remanere, ſi velint, quod nullum deinceps ad eorum profeſſionem admittant, nec de novo domum aut aliquem locum acquirant, nec domos ſeu loca quæ habent, alienare valeant, ſine ſedis ejuſdem licentia ſpeciali. Nos enim ea diſpoſitioni ſedis apoſtolicæ reſervamus, in terræ ſanctæ ſubſidium, vel pauperum, aut alios pios uſus, per locorum ordinarios, vel eos quibus ſedes ipſa commiſerit, convertenda. Si vero ſecus præſumptum fuerit, nec perſonarum receptio, nec domorum vel locorum acquiſitio, aut ipſorum, ceterorumque bonorum alienatio valeat: & nihilo minus contrarium facientes ſententiam excommunicationis incurrant. Perſonis quoque ipſorum ordinum omnino interdicimus, quoad extraneos, prædicationis & audiendæ confeſſionis officium, aut etiam ſepulturam. Sane ad Prædicatorum & Minorum ordines, quos evidens ex eis utilitas eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos, præſentem non patimur conſtitutionem extendi. Ceterum Carmelitarum & eremitarum ſancti Auguſtini ordines, quorum inſtitutio dictum concilium generale præceſſit, in ſuo ſtatu manere concedimus, donec de ipſis fuerit aliter ordinatum. Intendimus ſiquidem tam de illis, quam de reliquis, etiam non mendicantibus ordinibus, prout animarum ſaluti, & eorum ſtatui expedire viderimus, providere. Ad hæc perſonis ordinum, ad quos conſtitutio præſens extenditur, tranſeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concedimus generalem: ita quod nullus ordo ad alium, vel conventus ad conventum, ſe ac loca ſua totaliter transferat, ſedis ejuſdem permiſſione ſuper hoc ſpecialiter non obtenta.

Concilium Lateranenſe [illegible] cap. [illegible]

* al. tamen



ANNO CHRISTI 1274.

## XXIV.

*De cenſibus & procurationibus.*

Exigit perverſorum audacia, ut non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti, ſed pœnam etiam delinquentibus imponamus. Conſtitutionem itaque felicis recordationis Innocentii papæ quarti prædeceſſoris noſtri, editam ſuper non recipiendis in pecunia procurationibus, & ſuper receptione munerum, viſitantibus, eorumque familiis interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter obſervari, eam decrevimus pœnæ adjectione juvandam: ſtatuentes, ut univerſi & ſinguli, qui, ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam, exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, aut alias conſtitutionem ipſam, recipiendo munera, ſive viſitationis officio non impenſo procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occaſione violare præſumpſerint, duplum ejus quod receperint, eccleſiæ, a qua id receptum fuerit, infra menſem reddere teneantur: alioquin extunc patriarcha, archiepiſcopi, epiſcopi, duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi eccleſiæ interdictum ſentiant. Inferiores vero ab officio & beneficio noverint ſe ſuſpenſos: quouſque de duplo hujuſmodi gravatis eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant. Nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura.

## XXV.

*De immunitate eccleſiarum.*

Decet domum Domini ſanctitudo, decet, ut cujus in pace factus eſt locus ejus, ſit cultus cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad eccleſias humilis & devotus ingreſſus. Sit in eis quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus placida, quæ conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed reficiat. Convenientes ibidem, nomen illud quod eſt ſuper omne nomen, a quo aliud ſub cœlo non eſt datum hominibus, in quo ſalvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Jeſu Chriſti, qui ſalvum fecit populum ſuum a peccatis eorum, exhibitione reverentiæ ſpecialis attollant, & quod generaliter ſcribitur, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur; ſinguli ſingulariter in ſe ipſis implentes, præcipue dum aguntur Miſſarum ſacra myſteria, glorioſum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur. At-

tendantur in locis ipſis intentis præcordiis ſacra ſolennia, devotis animis orationibus intendatur. Nullus in locis eiſdem, in quibus cum pace ac quiete vota convenit celebrari, ſeditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Ceſſent in illis univerſitatum & ſocietatum quarumlibet conſilia, conciones, & publica parlamenta. Ceſſent vana, & multo fortius fœda & profana colloquia. Ceſſent confabulationes quælibet. Sint poſtremo quæcumque alia Divinum turbare poſſunt officium, aut oculos Divinæ majeſtatis offendere, ab ipſis prorſus extranea: ne, ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. Ceſſent in eccleſiis earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum, ac fori cujuſque tumultus. Omnis in eis ſæcularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat. Nulla inibi cauſa per laicos, criminalis maxime, agitetur. Sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hæc faciant obſervari, ſuadenda ſuadeant, interdicta hujus canonis authoritate compeſcant: ad hæc alios etiam in eccleſiis ipſis magis aſſiduos, & ad præmiſſa idoneos, deputando. Et nihilominus proceſſus judicum ſæcularium, ac ſpecialiter ſententiæ prolatæ in eiſdem locis, omni careant robore firmitatis. Qui vero præmiſſas inhibitiones animo petulanti contempſerint, præter proceſſum ordinariorum, & deputandorum ab ipſis, Divinæ ultionis & noſtræ poterunt acrimoniam formidare, donec ſuum confeſſi reatum, a ſimilibus firmato propoſito deliberaverint abſtinere.

## XXVI.

*De uſuris.*

Later. III. cap. 25.

Uſurarum voraginem, quæ animas devorat, & facultates exhaurit, compeſcere cupientes, conſtitutionem Lateranenſis concilii contra uſurarios editam, ſub Divinæ maledictionis interminatione præcipimus inviolabiliter obſervari. Et quia quo minor fęneratoribus aderit fęnerandi commoditas, eo magis adimetur fęnus exercendi libertas: hac generali conſtitutione ſancimus, ut nec collegium, nec alia univerſitas, vel ſingularis perſona, cujuſcumque ſit dignitatis, conditionis, aut ſtatus, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipſorum, publice pecuniam fęnebrem exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittat; ſed hujuſmodi uſurarios manifeſtos omnes infra tres menſes de terris ſuis expellant, nunquam aliquos tales de cetero admiſſuri. Nemo illis ad fęnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocumque concedat. Qui vero contrarium fecerint, ſi perſonæ fuerint eccleſiaſticæ, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, ſuſpenſionis; minores vero perſonæ ſingulares, excommunicationis; collegium autem ſeu alia univerſitas, interdicti ſententiam ipſo facto ſe noverint incurſuros. Quam ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, terræ ipſorum, quamdiu in eis iidem uſurarii commorantur, extunc eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Ceterum, ſi laici fuerint, per ſuos ordinarios ab hujuſmodi exceſſu, omni privilegio ceſſante, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcantur.

## XXVII.

Quamquam uſurarii manifeſti de uſuris, quas receperant, ſatisfieri expreſſa quantitate, vel indiſtincte in ultima voluntate mandaverint: nihilo minus tamen eis ſepultura eccleſiaſtica denegetur, donec vel de uſuris ipſis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie ſatisfactum, vel illis quibus eſt facienda reſtitutio, ſi præſto ſint ipſi, aut alii qui eis poſſint acquirere, vel eis abſentibus loci ordinario, aut ejus vices gerenti, ſive rectori parochiæ in qua teſtator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipſa parochia: quibus quidem ordinario, vicario, & rectori, prædicto modo cautionem hujuſmodi, eorum nomine, liceat præſentis conſtitutionis authoritate recipere; ita quod illis proinde actio acquiratur, aut ſervo publico de ipſius ordinarii mandato idonee de reſtitutione facienda ſit cautum. Cæterum ſi receptarum uſurarum ſit quantitas manifeſta, illam ſemper in cautione prædicta exprimi volumus; alioquin aliam recipientis cautionem hujuſmodi arbitrio moderandam. Ipſe tamen ſcienter non minorem, quam veriſimiliter creditur, moderetur; &, ſi ſecus fecerit, ad ſatisfactionem reſidui teneatur. Omnes autem religioſos, & alios qui manifeſtos uſurarios contra præſentis ſanctionis formam ad eccleſiaſticam admittere auſi fuerint ſepulturam, pœnæ in Lateranenſi concilio contra uſurarios promulgatæ ſtatuimus ſubjacere. Nullus manifeſtorum uſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent, ut præmittitur, idoneam cautionem. Teſtamenta quoque manifeſtorum uſurariorum aliter facta non valeant, ſed ſint irrita ipſo jure.

XXVIII.





## XXVIII.

*De injuriis, & damno dato.*

Etſi pignorationes, quas vulgaris elocutio repreſalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves, legibus & æquitati naturali contrariæ, civili ſint conſtitutione prohibitæ, ut tamen earum prohibitio in perſonis eccleſiaſticis tanto amplius timeatur, quanto in illis ſpecialius inhibentur, eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſorum, aut quantumcumque generaliter, prætextu cujuſvis conſuetudinis, quam potius reputamus abuſum, forte conceſſas, ad illas extendi præſenti decreto diſtrictius inhibemus. Illi autem qui contra fecerint, adverſus perſonas eaſdem, pignorationes ſeu repreſalias concedendo, vel extendendo ad eas, niſi præſumptionem hujuſmodi revocaverint, a conceſſionis vel extenſionis tempore infra menſem, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant: ſi vero univerſitas, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

## XXIX.

*De ſententia excommunicationis.*

In concilio Lugdunenſi cap. 21.

Conſtitutionem felicis recordationis Innocentii papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ prohibet participantes excommunicatis ea participatione, quæ ſolam minorem excommunicationem inducit, monitione canonica non præmiſſa, majori excommunicatione ligari, decernens promulgatam aliter excommunicationis ſententiam non tenere: ad tollendum omnem ambiguitatis ſcrupulum, declarantes: decernimus ita demum monitionem eſſe canonicam in hoc caſu, ſi aliis rite ſervatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim. Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas, ut canonice promulgetur excommunicationis ſententia, ſtatuunt jura permitti, judices ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus, obſervent aliquorum dierum competentia intervalla: niſi facti neceſſitas ea ſuaſerit aliter moderanda.

## XXX.

Præſenti generali declaramus edicto, beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti ſententias, in civitates, caſtra, vel quælibet alia loca, ſive terras aliquas, generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere.

## XXXI.

Quicumque pro eo, quod in reges, principes, barones, nobiles, ballivos, vel quoſlibet miniſtros eorum, aut quoſcumque alios, excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata: licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis vel ſuorum, gravandi eos qui tales ſententias protulerunt, ſive quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes, niſi licentiam ipſam re integra revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa ſint infra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto. Eadem quoque ſint ſententia innodati omnes qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquid præmiſſorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibemus, alias committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio: extunc ab ea non poſſint, niſi per ſedem apoſtolicam, abſolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni Kalendis Novembris, anno tertio.

## DE ACTIS CONCILII LUGDUNENSIS II.

Excerpta ex variis authoribus a Sev. Binio.

*Aliter Binius inſcripſerat: nempe,* in concilium Lugdunenſe, &c. Notæ.

*De loco & tempore habiti concilii, de perſonis quæ præſto fuerunt, de rebus in concilio conſtitutis & peractis ſummatim Trithemius in chronico Hirſangienſi iſta ait:* Concilium generale Lugduni celebravit Gregorius X. anno pontificatus ſui ſecundo, in quo multi cardinales, archiepiſcopi, abbates, aliique diverſi generis prælati comparuerunt, multa ad electionem ſummi pontificis, ad expeditionem in Saracenos, ad unionem Græcæ Latinæque eccleſiæ, & ad pacem Chriſtianorum pertinentia, mature ſtatuentes. Ibi comparuit Palæologus imperator Conſtantinopolitanus cum magno comitatu, qui tertiadecima vice in ſententiam Romanæ eccleſiæ Græcos ſuos toties deficientes conſilio neceſſario pertraxit. *Hæc chronicon Hirſaugienſe.*

*Siffridus presbyter lib. 11. ſuæ epitomes:* Anno MCCLXXIV. celebratum eſt, *inquit*, Lugduni concilium magnum, præſente papa Gregorio X. Hic electionem regis Rudolphi confirmavit. *Blondus decade 2. lib. 8.* Gregorius pontifex, *ait*, Lugduni concilium indixit. Contulit ſe ad id concilium Michael Palæologus Græcorum imperator, & unioni Orientalis ad Occidentalem eccleſiam conſenſit: ſecutique illum nonnulli Tartari, gentis Scythicæ proceres, ſacro baptiſmatis charactere

re ſuperfuſi, Chriſtianos ſe & catholicos fore profeſſi ſunt. Sed & Rudolphus ab electoribus Germanis in Romanorum regem declaratus, ea conditione a Gregorio pontifice in concilio eſt acceptus, ut Romam pacificus ad inunctionem accipiendam ſe conferret, ac rebus Hieroſolymæ quantam poſſet opem ferret. *Hæc Blondus. Ejuſdem ſynodi meminit Robertus Gaguinus lib. 7. his verbis:* Eodem prope tempore, anno ſalutis MCCLXXIV. patrum ſynodus præſide Gregorio X. Romano pontifice Lugduni habita eſt, ubi de expeditione in Syriam ducenda actum eſt. Philippus cognito imperatoris adventu ad eum ſalutandum profectus, poſtquam de Chriſtiano ſtatu diu confabulati ſunt, tres Lugduno finitimas arces in poteſtate Gregorii, donec ſynodus ſolveretur, permiſit, attributo inſuper ad pontificis cuſtodiam non parvo numero milite. Adfuit concilio Palæologus Græcus imperator, eccleſiæque Occidentali ſe univit. Quem nonnulli ex Tartaris ſecuti ſacro lavacro abluti ſunt, & Chriſtiani effecti. *Hæc Robertus Gaguinus.*

*Nauclerus & Joannes de Oppido ſcribunt, in hoc concilio Græcos non ſolum profeſſos eſſe Spiritum ſanctum a Patre Filioque procedere, ejuſque rei gratia coram toto concilio ſymbolum Nicænum decantaſſe, verum etiam a Romano pontifice imperii confirmationem impetraſſe, eique ſe in omnibus ſubmiſiſſe.*

*Qua occaſione iſta contigerint, ſcribit lib. 5. Nicephorus Gregoras his verbis:* Proinde tot difficultatibus circumventus imperator, pene ad deſperationem compulſus, legatos ad papam mittit de ineunda veteris & novæ Romæ eccleſiarum concordia, modo Caroli expeditionem averteret. Ea legatio a pontifice benigne audita eſt: ea ſe facile quæ imperator petiviſſet confecturum eſſe pollicetur; ſtatimque ſuos legatos illis adjungit, qui concordiam conciliarent atque amplecterentur. Cujus hæc tria capita fuerunt. Primum, ut in ſacrorum voluminum hymnodiis papæ cum quatuor patriarchis mentio fieret. Alterum, ut liceret cuivis Romam veterem, quæ curia major & perfectior eſſet, appellare. Tertium, ut illi principatus in omnibus deferretur. De appendice vero ſacri ſymboli, quam illi noverunt, aut alio quovis argumento, tum nulla acrior contentio incidit; ſed (quod ad eas quidem res attinebat) pacata & tranquilla fuerunt omnia.

*Matthæus Weſtmonaſterienſis res in hac ſynodo geſtas ſummatim recenſens, addenſque Orientalium fidei confeſſionem, iſta habet quæ ſequuntur.*

Anno gratiæ MCCLXXIV. Kal. Maji, ſub papa Gregorio X. apud Lugdunum fuit concilium maximum celebratum, quod a Kalendis prædictis uſque ad XVI. Kalendas Auguſti duravit. In hoc concilio dominus papa Eadwardum commendavit omnibus, dicens terram ſanctam fuiſſe deperditam, niſi veniſſet citius ad eamdem. In hoc concilio papa ſtatuit, quod ſubſequentes ſeptem annos de cunctis proventibus eccleſiaſticis in ſubſidium terræ ſanctæ decimæ ſolverentur. In hoc etiam concilio de converſione Græcorum, poſt ſchiſma, lætitia magna fuit. Qui Græci litteras auro bullatas cum litteris prælatorum de Græcia attulerunt ad concilium, quarum tenor ſequitur.

Litteræ Palæologi imperatoris Græcorum.

*Sanctiſſimo & beatiſſimo patri & ſummo pontifici apoſtolicæ ſedis univerſali papæ, & communi principi Chriſtianorum omnium, venerabili patri imperii noſtri, D. Gregorio, Michael a Chriſto Deo fideliter rex, & imperator, & moderator Græcorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & ſpiritualis filius magnæ ſanctitatis veſtræ, decentem honorem & reverentiam, cum ſincera & pura affectione, & omni poſtulatione.*

QUoniam miſsi ſunt a magnitudine veſtra ad imperium meum nuncii Deo placentis ordinis fratrum Minorum, *&c. ut ſupra Græce & Latine, pag. 507.*

Litteræ prælatorum Græciæ.

*Sanctiſſimo, reverendiſſimo, & beatiſſimo papæ antiquo Romanorum, domino Gregorio, magno pontifici excellentiſſimæ apoſtolicæ ſedis, & venerabiliſſimo D. & patri noſtræ humanitatis.*

NOs qui eccleſiaſticam complemus ordinationem, veſtræ Romanæ ſanctiſsimæ eccleſiæ ſalutem, ſpiritualis ſubjectionis affectionem ubique, *&c. ut ſupra pag. 513.*

Poſt hanc epiſtolam, *addit Matthæus Weſtmonaſterienſis,* Græci etiam alias litteras, quas propter earum prolixitatem huic operi non inſeruimus, ad concilium detulerunt. Venerunt etiam poſt Græcos ſexdecim Tartari (qui Moalli) cum litteris regis ſui, in concilio publicantes verbis pompaticis potentiam Moallorum. Hi non pro fide, ſed ut confœderationem haberent cum Chriſtianis venerunt. Hos papa benigne ſuſcipiens, donis & honoribus ampliavit, & ad petitionem ipſorum, non baptizatos fecit honorifice baptizari. In itinere verſus concilium Lugdunenſe, venerabilis frater Thomas de Aquino, ordinis Prædicatorum, in quadam abbatia monachorum Ciſtercienſium, quæ Foſſa nova dicitur, diem clauſit extremum. Hic natione Campanus, filius comitis de Aquino, invitis parentibus (qui eum monachatum ſuſcipere nolebant) Prædicatorum ordinem eſt ingreſſus. *Hæc de actis ſynodalibus concilii Lugdunenſis II. Matthæus Weſtmonaſterienſis.*

*Eberhardus, Ratiſponenſis eccleſiæ archidiaconus, in ſuis annalibus, quos ab anno MCCLXXIII. uſque ad annum MCCCV. ſcripſit, atque nunc primum ex codice manuſcripto Auguſtani monaſterii ſanctorum Afræ & Udalrici, antiquitatum indagator diligentiſſimus Henricus Caniſius edidit, accuratiſſime hujus œcumenici concilii res geſtas deſcribit. Lectori igitur pergratum fore arbitratus ſum, ſi eadem hoc loco verbotenus recitentur.* Anno Domini MCCLXXIV. celebratum eſt generale concilium apud Lugdunum per Gregorium papam decimum, cui interfuerunt plus quam DCC. epiſcopi & abbates, & præpoſiti, ceterique eccleſiarum prælati in numero copioſo. Item, eidem concilio interfuerunt ſolennes nuncii ſeu procuratores Græcorum, qui coram toto concilio ſymbolum Niceni concilii, *Credo in unum Deum*, quod a ſuo veteri errore, quo dicebant Spiritum ſanctum tantum a Patre,



tre, & non a Filio procedere, ſe receſſiſſe demonſtrarent; & velle credere, quod ſancta mater Romana & orthodoxa eccleſia credit & prædicat, ſcilicet quod Spiritus ſanctus a Patre & Filio æterna ſpiratione procedit; ſicut patet per decretalem quæ ſuper hoc eſt in eodem concilio promulgata, cujus tenor talis eſt.

Fideli ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno; non duabus ſpirationibus, ſed una ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit & docuit ſacroſancta Romana eccleſia, mater omnium fidelium & magiſtra: hoc habet orthodoxorum patrum atque doctorum, Latinorum pariter & Græcorum, incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis, in errores varios ſunt prolapſi, nos hujuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre & Filio procedere, ſive etiam auſu temerario aſſerere, quod Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam uno procedat.

Sed ipſi Græci ab hac fide & promiſſione ſubito receſſerunt: propter quod dominus papa Martinus in Urbe veteri eos excommunicatos nunciavit, ut patet in littera ſubſequenti:

*Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.*

MIchaelem Paleologum, qui Græcorum imperator nominatur, tanquam eorum Græcorum antiquorum ſchiſmaticorum, & in antiquo ſchiſmate conſtitutorum, & per hoc hæreticorum, necnon & hæreſis ipſorum ac ſchiſmatis antiqui fautorem, de fratrum noſtrorum conſilio denunciamus, præſente fidelium multitudine copioſa, excommunicationis ſententiam latam a canone incurriſſe, ac ipſius fore ſententiæ vinculo innodatum. Ceterum univerſis & ſingulis regibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, & ceteris omnibus, cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus; necnon univerſitatibus civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum, diſtrictius inhibemus, ne cum eodem Michaele Palæologo in hujuſmodi excommunicatione manente ſocietatem vel confœderationem aliquam contrahere ſub quovis ingenio vel machinatione præſumant, vel etiam ei alias in his, pro quibus excommunicatus eſt denunciatus a nobis, præſtare conſilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, omnes ſingulares perſonas contrarium facientes, non obſtante qualibet indulgentia, ſub quacumque forma verborum vel expreſſione, ipſis ab apoſtolica ſede conceſſa, vel in poſterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, ſententiam excommunicationis, quam extunc in ipſos ferimus, volumus incurrere ipſo facto. Terras autem ipſorum necnon univerſitates prædictas, quæ ſecus attentare præſumpſerint, prout expedire viderimus, eccleſiaſtico ſubjicere curabimus interdicto ad privationem omnium bonorum, quæ a quibuſlibet tenentur eccleſiis. Et ad pœnas alias ſpirituales & temporales, prout utile putabimus, proceſſuri, & nihilominus ſocietates confœderationum ipſas, etiamſi pœnarum & juramenti adjectione vel quacumque fuerint alia firmitate vallatæ, decernimus irritas & inanes. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur: chartas ſive membranas proceſſum continentes in eumdem, in majoris Urbevetanæ eccleſiæ appendi vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum quaſi ſonoro præconio & patulo judicio publicabunt: ita quod idem Palæologus, & alii, contra quos proceſſus ipſe contigit, nullam poſſint poſtmodum excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem; cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum apud Urbem veterem in platea dictæ majoris eccleſiæ, in feſto dedicationis baſilicæ principis apoſtolorum, pontificatus noſtri anno primo.

Item quia in partibus Alemanniæ, & forſitan in aliis etiam, iniqua conſuetudo inoleverat de impignorationibus, in quibus unus pro alio, ſive innocens pro nocente, indebite prægravatur: contra impignorantes hujuſmodi idem papa Gregorius in eodem concilio edidit decretalem, cujus tenor eſt talis.

Etſi impignorationes, quas vulgaris elocutio repreſalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves legibus & æquitati naturali contrariæ, civili ſunt conſtitutione prohibitæ: ut tamen earum prohibitio in perſonis eccleſiaſticis tanto amplius timeatur, quanto in illis ſpecialius inhibetur eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſarum, aut quantumcumque generaliter prætextu cujuſvis conſuetudinis, quam potius reputamus abuſum, forte conceſſas, ad illas extendi præſenti decreto diſtrictius inhibemus. Illi autem qui contra fecerint, adverſus perſonas eaſdem, impignorationes ſeu repreſalias concedendo, vel extendendo ad eas, nec præſumptionem hujuſmodi revocaverint a conceſſionis vel extenſionis tempore infra menſem, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant: ſi vero univerſitas, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto.

Ex hac tamen ſalubri conſtitutione modica provenit utilitas, vel quia rite poſt concilium in provinciis publicata non extitit, vel quia excommunicationis præcipitium a malis hominibus non timetur. Item pro ſubſidio terræ ſanctæ impoſita fuit in eodem concilio omnibus eccleſiis & monaſteriis, non tamen xenodochiis nec orphanotrophiis, ſolutio decimarum omnium proventuum eccleſiaſticorum per ſex annos cōtinuos idem concilium ſubſequentes. Quæ decima, quamvis ſtudioſe exacta fuerit & recepta, non tamen eſt evidens, quæ utilitas terræ ſanctæ exinde fuerit procurata. *Hæc ſunt fragmenta actorum ſynodalium quæ apud ſcriptores hujus temporis invenire potui. Tu lector iiſdem utere ac fruere.*

## G. COSSARTII NOTÆ.

INterfuiſſe concilio Palæologum ipſum imperatorem, aſſerunt plerique, quorum modo teſtimonia legiſti. Sed in eo errarunt. Nam per nuncios tantum ſuos interfuiſſe conſtat tum ex actis concilii, quæ inſcribuntur, *Brevis nota*, &c. pag. 500. tum ex nunciis ac litteris ab eo miſſis, reſponſiſque pontificis.

Ibidem actum eſt de Romano imperatore creando, idque concilii patres magnis a pontifice clamoribus efflagitarunt, ut refert Odor. Raynaldus ex Marini Ebulenſis formulis. Cumque de imperio Rodulfus Haſburgicus, & Alfonſus Caſtellæ ac Legionis rex, per legatos contenderent: Germanici oratores ad ſacramentum ejus nomine nuncupandum admiſſi ſunt, Caſtellani dimiſſi. Perlecta hic Othonis IV. Friderici II. & Rodulfi ipſius privilegia & ſacramenta. Quorum omnium formulæ a Raynaldo editæ

Anno Christi 1274.

editæ ſunt ex arcano molis Hadrianæ tabulario. Sed cum hæc non in concilio, ac in conſiſtorio, ut ex inſtrumentis ipſis conſtat, acta ſint: iis deſcribendis ſuperſedeo. Quid quod Rudolfi electionem ratam pontifex non habuit, niſi VI. Kal. Octobr. ut ait Surita, Indic. lib. II. ac proinde poſt dimiſſum concilium, quod XVI. Kal. Aug. abſolutum eſt, Mariana vero confirmatam eſſe ait electionem VIII. Id. Septemb.

Poſt ſeſſionem ſecundam, Jacobum regem Aragonum Lugduno receſſiſſe, acta commemorant. Diſceſſus cauſam, quam tacent acta, hanc Mariana profert: *Ad conventus*, inquit, *Lugdunenſes Jacobus Aragoniæ rex profectus eſt, extrema ætate homo decoris avidus. Inde tamen haud ullo magno operæ pretio rediit in patriam, non obſcure iratus pontifici, quod ipſius capiti regni coronam imponere recuſaſſet, niſi vectigali perſoluto, quod Petrus ipſius pater, quo tempore Romæ coronam ſuſceperat, pendere quotannis pactus erat, Jacobo regi indignum videbatur, regnum majorum virtute partum, cuiquam externo principi eſſe vectigale.* Idem ferme Surita in Indicibus.

S. Bonaventuram in hoc concilio præſediſſe ajunt, non tantum Petrus Galeſinus in ejus vita, ſed etiam Sixti duo ſummi pontifices: quartus nimirum in bulla, ut vocant, canonizationis; quintus in ea, qua Bonaventuram eccleſiæ doctoribus annumerandum decrevit. Primas autem in concilio tenere, ac præeſſe, præſente pontifice cum non potuerit: ita Galeſinus intellexit, ut *dirigendi concilii* curam ei pontifex commiſerit, providendi ſcilicet quæ proponenda eſſent.

S. Thomam Aquinatem a pontifice vocatum ad hoc concilium, in itinere obiiſſe, res cuivis nota eſt, præterquam Centuriatoribus, qui hunc eventum tribuunt Lugdunenſi I. celebrato ab Innocentio IV. anno Dom. MCCXLV. Multa ſunt ab iiſdem peccata in utriuſque deſcriptione concilii.

# [1] CONCILIUM SALTZBURGENSE

## PRO RECIPIENDIS LUGDUNENSIS SYNODI CONSTITUTIONIBUS

### Aliiſque de cauſis congregatum anno Domini MCCLXXIV. tempore Gregorii papæ X.

TITULI CAPITULORUM.


1. *De capitulis provincialibus abbatum ac aliorum prælatorum.*
2. *De revocatione monachorum fugitivorum.*
3. *De prava conſuetudine abbatum erga monachos.*
4. *De dignitatibus abbatum.*
5. *De correctionibus capitulorum provincialium.*
6. *De indulgentiis & remiſſionibus.*
7. *De pluribus beneficiis clericorum.*
8. *De reſidentia plebanorum.*
9. *De ordinatione clericorum.*
10. *De præſentatione vicariorum.*
11. *De tonſura & veſte clericorum.*
12. *De tabernis.*
13. *De ſacerdote ſuſpenſo ab officio.*
14. *De captivitate monachorum vel clericorum.*
15. *De converſis vagabundis.*
16. *De vagis ſcholaribus.*
17. *De epiſcopis puerorum.*
18. *De ſententiis excommunicationis a nobis traditis.*
19. *De veneratione patrum ſive patronorum.*
20. *De confeſſione religioſorum.*
21. *De correctione religioſorum, aut aliorum monachorum.*
22. *De captivatione epiſcoporum ſeu monachorum.*
23. *Ne clerici ſumant eccleſiaſtica beneficia de manibus laicorum.*
24. *De advocatis eccleſiarum.*


PRÆFATIO.

AD honorem & gloriam ſponſæ Chriſti, & fidei Chriſtianæ. Nos Dei gratia [a] F. ſanctæ Saltzburgenſis eccleſiæ archiepiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, Leo, Petrus, Bruno, Wernhardus, & Joannes, Ratiſponenſis, Pataviénſis, [a] Brixienſis, Secowenſis, & Chimenſis eccleſiarum epiſcopi, in provinciali hoc ſancto concilio congregati, de conſilio venerabilium prælatorum Saltzburgenſis provinciæ, qui præſenti interſunt concilio, abſentium etiam fratrum tam epiſcoporum quam aliorum prælatorum accedente conſenſu, diffiniendo præcipimus, ut epiſcopi, abbates, archidiaconi, & alii eccleſiarum prælati, ſtatuta ſacri generalis concilii celebrati proxime in Lugduno, in eccleſiis & ſubditis ſuis clericis & laicis, ſecundum quod eadem ſtatuta iſtis & illis conveniunt, & quantum eos tangunt, ſic ſolicite & frequenter ſtudeant publicare, ut ipſorum pronunciantium & ſubditorum memoriæ & obſervantiæ imprimantur. Sed & conſtitutiones venerandæ memoriæ quondam domini Guidonis [b], tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, in provincia Saltzburgenſi apoſtolicæ ſedis legati; quæ licet eccleſiarum utilitatem contineant, & ſalutem ſuadeant animarum, in diſſuetudinem tranſierunt, cum prædicti generalis concilii ordinationibus & ſtatutis; nec non & his quæ pro utilitate locorum & temporum in hoc provinciali concilio apponentur a nobis, ad notitiam ſubditorum taliter deducantur, ne quemquam totius provinciæ probabilis error ac ignorantia valeat excuſare.

[a] Fridericus

[a] Fr. Briſinenſis Hard.

[b] In concil. Vienn. an. 1267.

## CAPITULA.

### I. *De capitulis provincialibus abbatum ac aliorum prælatorum.*

CUm abbates ordinis ſancti Benedicti Saltzburgenſis provinciæ, capitula

1 Exhibetur hæc ſynodus in MS. Cæſareo inter Codd. juri. Canon. n. 217. a fol. 207. p. 2. cujus miniata inſcriptio ſic habet: *Hæc ſunt ſtatuta domini Friderici Archiepiſcopi Salzburgenſis edita anno Domini MCCLXXIV. menſe Novembri. Ad honorem & gloriam ſponſæ Chriſti & fidei Chriſtianæ. Nos Dei gratia Fridericus ſanctæ Salzburgenſis eccleſiæ Archiepiſcopus, Apoſtolicæ ſedis Legatus &c.* Capitula ſunt XXVI. contra quam in Collectionibus Labbei & Harduini, apud quos numerantur duntaxat Capita XXIV. propterea quod in MS. capitulum ſextum in duo tributum eſt ab his verbis: *Præterea cum prædicti Anteceſſores noſtri aliorum Epiſcoporum &c.* Rurſum inter caput XVI. & XVII. interponitur integrum caput, quod in editis non comparet, hoc exemplo: *De eiſdem: qui dat vagis, ſi eſt plebanus, dabit LX. den. ſocii & alii Clerici XXIV. den. infra quindenam, alioquin poſt eandem ſint ſuſpenſi ab officio donec ſolvant. Et quoties non dant, toties incidunt in pœnam. Hæc etiam extendi volumus ad Prælatos.* Ad calcem poſtremi capituli adjicitur ſubſcriptio miniata, quæ pariter in editis non viſitur. *Finis conſtitutionis Concilii Provincialis Salzburgenſis celebrati anno MCCLXXIV. II. Kal. Novembris, id eſt ultimo die menſis Octobris.* Hæ conſtitutiones menſe dein Novembri ſunt in publicum editæ, ut ſupra ſcriptum. *Hanſizius German. ſacr. tom. 2. pag. 378.*



Anno Christi 1274.

ſua provincialia longis retro temporibus non curaverint celebrare, propter quod circa regulares obſervantias idem ordo non mediocriter eſt collapſus: nos eiſdem abbatibus noſtræ provinciæ firmiter & diſtricte præcipiendo mandamus, ut provinciale capitulum ſuum infra feſtum Reſurrectionis venturum proximo celebrent, juxta formam a ſacris canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tam in ſeipſis quam in ſuis ſubditis, tractent & ordinent diligenter: alioquin nos in proximo provinciali concilio ad reformationem prædicti ordinis, quantum de jure poſſumus, procedemus.

### II. *De revocatione monachorum fugitivorum.*

Exnunc tamen eiſdem abbatibus præcipimus & mandamus, ut monachos fugitivos in ſæculo divagantes revocari procurent. Et quod in ſingulis monaſteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles, ſeu alias delinquentes enormiter monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur. Sed nec licitum ſit abbatibus, cum nec unquam licuerit, monachos ad ordinem ſtrictiorem tranſeuntes minime abſolvere ab obedientia, quæ monachorum oſſibus inſeparabiliter eſt affixa.

### III. *De prava conſuetudine abbatum erga monachos.*

Illam & pravam abbatum conſuetudinem reprobamus, qua abbates pro exceſſibus levibus, & nonnunquam ſimulatis offenſis, paſſim & indifferenter de monaſteriis ad monaſteria monachos ſuos mittunt, cum delictum potius illic puniri & mori debeat, ubi committitur, & patratur, cum nec tales miſſi ad alia monaſteria peccata ſua lugeant, ſed vagentur potius diſſolute. Quod ſi neceſſitas exigit, ut monachus ad monaſterium aliud tranſmittatur: hoc abbati non liceat, niſi cauſa miſſionis & tempus reditus per loci epiſcopum ordinentur.

### IV. *De dignitatibus abbatum.*

Sunt inſuper quidam abbates, qui indulgentiis & remiſſionibus faciendis, in mitris, annulis, ſedibus [a] deferendis, necnon in benedictione ſacrarum veſtium, & eccleſiaſticorum vaſorum, & ceteris quæ ordinem & officium eccleſiæ requirunt, ſibi pontificum poteſtates uſurpant. His diſtricte præcipiendo mandamus, ut de cetero talia non attentent, aut in proximo provinciali concilio fidem nobis faciant privilegiorum, quibus ſibi talem vendicant poteſtatem.

[a] ſ. ſandalibus. Sic enim ea ætate locuti. Vide pag. 360. E

### V. *De correctionibus capitulorum provincialium.*

Hæc eadem in canonicis regularibus, quantum diverſitas religionum ſuſtinet, volumus obſervari: ſalva dignitate & privilegio Saltzburgenſis capituli, cujus ordinationem nos archiepiſcopus nobis ſpecialiter reſervamus. Ceterum in aliis quæ ad morum correctionem & obſervantias pertinent, regulares ſibi in provinciali capitulo ſic provideant, ne nos ipſis in hoc deficientibus providere cogamur: maxime in moderandis eorum evectionibus, & quibuſdam vanitatibus, quæ ad pompam labentis ſæculi pertinent, refrenandis in ipſis.

### VI. *De indulgentiis & remiſſionibus.*

Ad hæc cum prædeceſſores noſtri bonæ memoriæ pontifices, diverſarum religionum fratribus, in confeſſionibus audiendis, remiſſionibus & indulgentiis largiendis, & aliis pluribus faciendis, quæ ad ſacerdotale & pontificale miniſterium pertinent, poteſtatem ſuam duxerint committendam, quarum religionum nonnullæ in proximo generali concilio ſunt ſublatæ, [a] quorum & fratrum aliqui poteſtate ſibi tradita ſunt abuſi: nos authoritate præſentis concilii, omnium authoritatem, poteſtatem, ſive licentiam, a nobis vel a noſtris prædeceſſoribus, cuicumque religioni, vel ordini aut fratribus ordinum quorumcumque traditam, in præmiſſis, aut aliquo præmiſſorum, revocamus in totum. Si quis autem ex vobis novam ſuper his commiſſionem decrevit facere: in hoc, illud quod ſaluti animarum expedit, & alieno juri non detrahat, arbitretur. Præterea cum prædicti noſtri antedeceſſores, clericorum epiſcoporum remiſſiones & indulgentias in diœceſibus ſuis datas diverſis locis, ordinibus, & perſonis, ratas habere conſueverint indiſtincte, ac per hoc formam modoſque correctionis debitæ, ſicut experimento didicimus, in locis pluribus [b] enumerentur: præſentis [c] ſynodi omnes & ſingulas ratihabitiones tam noſtras, quam prædeceſſorum noſtrorum, in hujuſmodi indulgentiis manere volumus in ſuſpenſo, & ne quis eis utatur, ſub anathemate prohibemus, donec epiſcopus loci ordinarius plene diſcutiat, quas & in quibus locis ratas habere conveniat, aut quas magis expediat revocari: & hoc maxime in perſonis quæſtuariorum volumus obſervari, qui per hujuſmodi indulgentias indiſcretas ad contemptum clavium & errorem longe plures præcipitant, quam erigant ad ſalutem. Hos & nullo modo recipi volumus, vel admitti, niſi cum diœceſani epiſcopi nuncio litteratorio deſtinato.

[a] Forte, quoniam, Hard.

[b] forte enervent,

[c] forte ſynodi authoritate,

VII. De

ANNO CHRISTI 1274.

*VII. De pluribus beneficiis clericorum.*

Cum in provincia Saltzburgenſi diverſi clerici ſæculares, non ponentes terminum avaritiæ, nec ſalutem propriam prætendentes, onerare ſe pluribus beneficiis eccleſiaſticis non formident: nos, qui aliorum indigentiis & ſaluti occurrere cupimus, & eccleſiarum neceſſitatibus providere, authoritate præſentis concilii firmiter & diſtricte præcipimus, ut ſinguli plura beneficia poſſidentes, aut recepto ultimo ſint contenti, aut in ipſo proximo provinciali concilio, ſeu epiſcopali ſynodo, quem terminum ipſis peremptorium aſſignamus, legitimis documentis edoceant, ſecum eſſe per eum, qui de jure hoc facere potuerit, diſpenſatum. Alioquin nos tam [a] formam canonum circa hoc traditam, quam ſtatutum bonæ memoriæ domini Guidonis cardinalis, quondam in provincia noſtra apoſtolicæ ſedis legati, providere curabimus beneficiis & perſonis.

[a] Forte; ſecundum formam, H.

*VIII. De reſidentia plebanorum.*

Ceterum cum per mercenarios temporales, quos eccleſiarum rectores & plebani in eccleſiis parochialibus inſtituunt & deſtituunt nonnunquam interpoſito turpi pacto, animarum ſalus & eccleſiarum utilitas damnabiliter negligantur: nos omnes & ſingulos clericos in Saltzburgenſi provincia curam animarum habentes, hujus authoritate concilii, ad perſonalem in beneficiis reſidentiam revocamus, terminum eis peremptorium feſtum purificationis beatæ Mariæ virginis venturum proximo aſſignantes: omnibus & ſingulis licentiis pro diſſimulanda eorum abſentia ipſis datis penitus revocatis; ſalva nobis authoritate dandi licentiam iis quibus viſum fuerit expedire. Quod ſi præmiſſa contempſerint aut neglexerint adimplere, ex tunc ipſos a perceptione fructuum & adminiſtratione temporalium ſuſpendimus, & volumus remanere ſuſpenſos. Quod ſi temere ſe ingeſſerint, privati ſint beneficiis ipſo jure: fructus autem per locorum archidiaconos in utilitatem illius eccleſiæ convertantur; ſalva vicarii ſufficienti & debita portione.

*IX. De ordinatione clericorum.*

Eiſdem inſuper eccleſiarum rectoribus præcipimus, ut ad ordinem quem beneficii ſui cura requirit, ſe faciant ordinari infra tempus a canone inſtitutum. Alioquin quod de non reſidentibus eſt prædictum, circa fructus non percipiendos & privationem beneficii, intelligi volumus in eiſdem.

*X. De præſentatione vicariorum.*

In beneficiis vero, quibus licet per vicarios deſervire, volumus ſic ſervari, ut viri idonei loci epiſcopo præſententur, qui per ſe vel per alios, ipſos in hujuſmodi vicariis perpetuet, & ſufficientem ſuis neceſſitatibus de eccleſiarum redditibus eis conſtituat portionem: alioquin ſinguli epiſcopi per ſuas diœceſes elapſo trimeſtri tempore providere curabunt.

*XI. De tonſura & veſte clericorum.*

Edicto perpetuo prohibemus, ne clerici comam nutriant: maxime ſacerdotes, qui taliter tondeantur, ut pateant eis aures. Ceteri inferioris ordinis clerici, in tonſura non multum diſcrepent ab eiſdem, coronam & deſuper congruentem habeant. Veſtes non deferant niſi clauſas, quas omnimodo prohibemus a latere aperiri. Argentatis aut quocumque metallo ordinatis "cingulis, fibulis, modulis, in manicis & capitiis, non utantur: ſed nec procedant in publicum "circumcincti veſte ſuprema. In pileis ſuffurraturas non habeant, nisi forte de nigro cenlato, vel panno, aut nigra pelle "aguna. Caudata pilea diſtrictiſſime prohibemus.

" Cum orn. tis
" Forte circumcincti
" ſeu agni na,

*XII. De tabernis.*

Clericus non viator in ſacris ordinibus conſtitutus, aut monachus, vel canonicus regularis, ſi tabernam intraverit ſine cauſa evidenti rationabili & honeſta, ibique bibens aut comedens, aut in vicino loco ſervienti tabernæ, vel alias publico, aliquantulam moram traxerit: ab officio ſit ſuſpenſus, donec unum diem in pane & aqua jejunet; ſi ibidem luſerit ad aleas vel taxillos, ab officio ſit ſuſpenſus, donec duos dies in pane & aqua jejunet. Sed "in his tertio deprehenſus conſuetudinem non amittat, aut ſi ſuſpenſus ingeſſerit ſe Divinis: per ſententiam epiſcopi privetur beneficio, ſi quod habet; ſi non habet, pro epiſcopi arbitrio puniatur.

" Alii 4

*XIII. De ſacerdote ſuſpenſo ab officio.*

Sacerdos, qui excommunicatione aut officii ſuſpenſione ligatus, animo indurato præſumpſerit profanare Divina, epiſcopali carceri mancipetur, uſque ad expiationem tanti criminis puniendus: & hoc idem in clerico, ſeu religioſo, in furto vel alias in enormi crimine deprehenſo, volumus obſervari.





ANNO CHRISTI 1274.

*XIV. De captivitate monachorum vel clericorum.*

Qui clericum vel monachum pro exceſſibus ſuis a prælato ſuo rationabiliter captivatum præſumpſerit fracto carcere liberare, ipſo facto ſententia excommunicationis, quam exnunc in ipſum proferimus, ſit ligatus: &, ſi poſſibile fuerit, qui non liberandum liberat, pœnam patiatur, & carcerem, & in locum ſubeat injuſte liberati.

*XV. De converſis vagabundis.*

Nullus deinceps prælatus, nullus plebanus, nullus alius, cujuſcumque ordinis vel religionis exiſtat, maſculum aut feminam tonſurare, aut benedicere ſibi veſtes præſumat, niſi certam de approbatis profiteatur regulam, & ſe deſtinet certo loco. Eos vero vel eas, qui vel quæ contrarium fecerint, a locorum rectoribus vel plebanis per cenſuram eccleſiaſticam, monitione præmiſſa, compelli præcipimus; aut 'certæ religioni ſe conferant, aut religionis veſtem, quæ vagandi eis præſtat materiam & opportunitatem accommodat delinquendi, abjiciant; ne irregularem vitam religioſa veſtis obumbret. Hoc ſtatutum tantum extendi volumus in futurum.

' Corr. ſuperius

*XVI. De vagis ſcholaribus.*

Sub vagorum ſcholarium nomine quidam per Saltzburgenſem provinciam diſcurrentes, monaſteriis & eccleſiis ſe exhibent adeo oneroſos, quod per eorum importunitatis audaciam nonnunquam clerici illud eis erogare coguntur, de quo fuit neceſſitatibus pauperum providendum: denegantibus ſibi ſuffragia, per quæ occaſionem nutriunt malæ vitæ, calumnias inferunt: conferentibus ſibi quod poſtulant, vituperium exiſtunt: reverentiæ clericali utique multum detrahitur, dum blaſphemia hujuſmodi ſe perſonas eccleſiaſticas profitentur. Ut autem viri hujuſmodi per ſubtractionem noſtri & nobis ſubditorum ſuffragii reſipiſcere compellantur: authoritate ſacri concilii prohibemus, ne quis prælatorum, plebanorum, aut vicariorum, ſeu quæcumque perſona eccleſiaſtica, poſt ſpatium duorum menſium, infra quem terminum de ordinata ſibi vita provideant; ipſis aliquid beneficii vel juvaminis erogare præſumat. Qui contrarium fecerit, tamdiu ab ingreſſu eccleſiæ ſit ſuſpenſus, donec in ſubſidium terræ ſanctæ, uſualis monetæ conferat unam libram. Hanc tamen conſtitutionem extendi [a] volumus ad pauperes advenas, & pro neceſſitatibus ſuis publice mendicantes.

[a] Forte, nomini. H.

*XVII. De epiſcopis puerorum.*

Ad hæc quidam ludi noxii, quos vulgaris elocutio 'Eptus puor. appellat, in quibuſdam eccleſiis exercentes " adeo inſolenter, quod nonnunquam enormes culpæ & damna gravia ſubſequuntur. Ex ipſis hos ludos in eccleſiis & a perſonis eccleſiaſticis de cetero fieri prohibemus, niſi forte parvi ſexdecim annorum & infra fuerint, qui hujuſmodi ludos exercent, quibus alii ſeniores ipſis nullatenus ſe miſceant, aut interſint.

" Lege epiſcopatus puerorum
" ſ exercentur.

*XVIII. De ſententiis excommunicationis a nobis traditis.*

Sententias excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti, quas unus ex nobis juſte protulerit, ceteri per civitates ſuas publicabunt, & a ſuis facient ſubditis uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari: ſic ut ad puniendum ſcelera perverſorum celeritate communi nobis invicem ſuccurramus.

*XIX. De veneratione patrum ſive patronorum.*

Patres noſtros venerabiles & patronos venerabiliter honorandos B. S. Rupertum, Virgilium, & Auguſtinum, honoribus debitis, noſtræ humilitatis obſequiis venerantes, dies feſtorum ſuorum celebres eſſe volumus, & ſub pœna excommunicationis præcipimus in eiſdem diebus ab omni ſervili opere abſtineri.

*XX. De confeſſione religioſorum.*

Nulli religioſo liceat extra ſuam profeſſionem vel ordinem ſibi eligere confeſſorem, niſi de prælati ſui licentia ſpeciali.

*XXI. De correctione religioſorum, aut aliorum monachorum.*

Si adverſus correctionem ſuperioris ſui monachus aut religioſus quicumque, ſæcularis perſonæ adjutorium aut potentiam duxerit invocandam, ſi hujuſmodi invocatione uſus fuerit, carcerali cuſtodia tanto tempore concludatur, donec præſumptionem hujuſmodi pro ſuperioris arbitrio pœna ſufficiens recompenſet. Et ut aliis talia præſumendi pœnæ duritia ſit terrori, præſumptionem hujuſmodi nullo unquam tempore, in eadem eccleſia ſeu monaſterio, cujuſcumque dignitatis vel adminiſtrationis officium conſequatur. Alias etiam pro ſuperioris arbitrio legitime puniendus.

*XXII. De captivatione epiſcoporum ſeu monachorum.*

Statutum venerandæ memoriæ domini Guidonis, quondam tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, quon-

Anno Christi 1274.

dam in noſtra provincia apoſtolicæ ſedis legati, quo ſalubriter eſt proviſum, ut in diœceſi, in qua contingit prælatum aliquem aut canonicum cathedralis eccleſiæ captivari, ceſſetur generaliter a Divinis, pro neceſſitate " corporis, ad nos archiepiſcopum & epiſcopos extendentes, præſenti conſtituimus edicto, ut ſi (quod abſit) archiepiſcopum vel epiſcopum ex nobis captivari contingat, aut eccleſias noſtras vel alterius noſtrum ſic hoſtiliter & injurioſe invadi, ut de ſubverſione ſtatus ipſius probabiliter timeatur, extunc per totam provinciam Saltzburgenſem ceſſetur generaliter a Divinis, poſtquam de captivitate aut perſecutione hujuſmodi per provinciam innotuerit manifeſte. Perſonis tamen illuſtribus decoratis principum dignitate, pro ipſorum reverentia deferentes, præſens edictum ad eos & terras eorum extendi nolumus; niſi prius admoniti ceſſare contempſerint ab offenſis hujuſmodi, nec emendare voluerint infra unius menſis ſpatium quod fecerunt.

" *ſ. tempo-ris.*

*XXIII. Ne clerici ſumant eccleſiaſtica beneficia de manibus laicorum.*

Adverſus præſumptionem damnabilem clericorum, prælaturas aut parochiales eccleſias temeritate propria occupantium, aut recipientium de manibus laicorum, antequam per diœceſanum loci, vel ſuperiorem ejus, ſi ipſe facere quod tenetur neglexerit, fuerit inveſtitus, auctoritate præſentis concilii, jure, ſi quod habet in beneficio eodem, ſit ipſo jure privatus; & nihilo minus ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat: in qua ſi per annum perſtiterit contumaciter animo indurato, ab omni eccleſiaſtico beneficio removeatur, tanquam inhabilis & indignus, nunquam de cetero ad aliquod aliud beneficium admittendus. Hanc & conſtitutionem * incidere volumus, qui jam in præmiſſis delinquere præſumpſerunt.

* *Locus corruptus.*

*XXIV. De advocatis eccleſiarum.*

Præſentis auctoritate concilii, eccleſiarum advocatos, qui eccleſias onerant ultra conſuetam & debitam ſervitutem, ac per hoc eccleſiarum libertates violant & infringunt, publice commonemus, ut ab indebitis vexationibus eccleſiarum & bonis ipſarum abſtineant, & juris ' debitis ſint contenti; alioquin adverſus eorum injuriam mediante juſtitia refrenandum, ad conceſſa nobis juris beneficia recurremus.

' *Corr. juri.*

NOTA SEV. BINII.

Henricus Caniſius, qui primus hanc cum aliis quibuſdam ſynodis a tenebris eruit, initio hujus ad lectorem ita præfatur: *Admodum reverendus & clariſſimus dominus, dominus Georgius Lauterius ad divæ Virginis Monachii præpoſitus, &c. pro ea qua præditus eſt recondita eruditione, omniſque antiquitatis ſcientia, eruit e tenebris manuſcripti codicis hæc concilia digna luce. Illi ergo, amice lector, id pariter mecum acceptum refer, & gratias habe, quod habes hæc, quæ, ſcio, venerabéris, videbiſque quaſi præſens, faciem aliquam Germanicæ eccleſiæ illorum temporum. Nomen archiepiſcopi Saltzburgenſis non exprimitur in primo concilio, ſed littera F. innititur. Ego audacter Fridericum interpretor; qui, teſte Eberhardo Altahenſi, obiit anno 1284. De tempore concilii Saltzburgenſis, quod apographum noſtrum refert ad annum 1274. non contemnenda difficultas oboritur. Nam, teſtibus Eberhardo Altahenſi & Sterone, celebratum eſt generale concilium eodem anno 1274. apud Lugdunum, cujus ſtatuta ut ſerventur præcipit hoc noſtrum Saltzburgenſe concilium in initio. Neceſſe ergo eſt vel * eodem anno Lugdunenſe & Saltzburgenſe concilia celebrata, vel in numero mendum eſſe. Accedit quod Henricus Stero editione Francofordienſi hæc habeat:* Anno 1281. a Friderico Saltzburgenſi archiepiſcopo apud Saltzburgam concilium celebratur. *Quæ verba numerata omnia das etiam noſter Eberhardus Altahenſis: in cujus editione reſtituimus, propter ſequentia & antecedentia, numerum anni 1281. licet manuſcriptus codex Eberhardi habuerit (ut notavimus ibi in margine) annum 1286. ſine dubio vitioſe; cum Fridericus Saltzburgenſis archiepiſcopus obierit anno 1284. An vero idipſum noſtrum ſit concilium Saltzburgenſe, cui adſcriptus 1274. annus, omnino diſerte neſcio: ſed non putavi, annum vero factum cenſui, lectorem admoneri. Quare autem potius duo diverſa hæc provincialia concilia fuiſſe putem, unum anno 1274. alterum 1281. celebratum, movent me verba hujus concilii hæc:* Alioquin nos in proximo provinciali concilio ad reformationem prædicti ordinis, quantum de jure poſſumus, procedemus. *Ubi vides in hoc concilio promitti quaſi proximum aliud. Et paulo poſt idem:* In primo provinciali concilio, fidem nobis faciant privilegiorum. *Et iterum:* In ipſo proximo provinciali concilio, ſeu epiſcopali ſynodo (quem terminum ipſis peremptorium aſſignamus) legitimis documentis doceant. *Immo ſingulis annis tum ſynodus provincialis cogebatur: quod colligo ex Viennenſis concilii verbis:* Singulis annis in ſynodo illi qui clericos capiunt, *&c.* excommunicati denuncientur. *Immo anno quarto Pipini regis, in concilio apud palatium Vernis ſtatutum canone quarto, ut bis in anno ſynodus celebraretur.* Hæc Caniſius.

* *Quin... hi probabile, ... lis ... tum ... ... e ... ... neis.*

Anno Christi 1274. — Anno Christi 1275.

# CONCILIUM ARELATENSE

A Bertrando de ſancto Martino, Arelatenſi archiepiſcopo, cum ſuffraganeis celebratum circa annum Dom. M. CC. LXXV.

Ex Coſſartii Appendice Tom. XI.

Ex MS. cod. eminentiſſ. Card. Chiſii.

TITULI CAPITULORUM.

1. 2. 3. 4. *Deſiderantur. Quinti ſuperſunt ultimæ voces.*
5. *Ut cenſura lata ab uno, ab aliis obſerventur.*
6. *Ut fiat inventarium de bonis eccleſiarum & hoſpitalium.*
7. *Ne calices & alia vendantur, aut pignorentur.*
8. *Ut teſtamenta fiant coram parochiali presbytero.*
9. *Ut parochiales presbyteri diligentiſſimi ſint circa legata pia.*
10. *Ut nemo ſollicitetur ad eligendam ſepulturam extra eccleſiam parochialem: & ne teſtatoris voluntas impediatur.*
11. *Ut in prædictis jura canonica obſerventur.*
12. *De caſibus epiſcopo vel papæ reſervatis.*
13. *Iterum de caſibus epiſcopo reſervatis.*
14. *Ut clerici beneficiati, vel in ſacris conſtituti, bladum vel vinum non emant cauſa revendendi.*
15. *Ut iidem in vendendis victualibus uſura vel dolo non utantur.*
16. *Ut ſint in eccleſiis calices argentei.*



Anno Christi circiter 1275.

17. *Ut eccleſiæ rurales, & domus quæ ad eas pertinent, reficiantur.*
18. *Ut uſurarii & adulteri denuncientur excommunicati.*
19. *Ut nomina eorum qui in Quadrageſima confeſſi non fuerint proprio ſacerdoti, vel religioſis qui id proprio ſacerdoti teſtentur, deferantur ad epiſcopum.*
20. *De defuncto, de cujus confeſſione intra annum facta non conſtat.*
21. *De confeſſionibus infirmantium.*
22. *Ut presbyteri eccleſias ſuas non dimittant.*

## CAPITULA.

*I. II. III. IV. Deſiderantur, Quarti ſuperſunt ultimæ voces.*

........: latenter excepta ſuper civitatem Arelatenſem & aliis locis in quibus epiſcopus præſens erit.

*V. Ut cenſura lata ab uno, ab aliis obſerventur.*

Item quod ſententias excommunicationis vel interdicti latas ab uno, alii denunciari & obſervari faciant, cum a proferente ſuper hujuſmodi fuerint requiſiti. Addentes, quod prædictæ ſententiæ excommunicationis & interdicti, non niſi ex juſtis cauſis, & cum maturitate & ſolemnitate debita, proferantur.

*VI. Ut fiat inventarium de bonis eccleſiarum & hoſpitalium.*

Item ſtatuimus, quod priores & rectores eccleſiarum, & hoſpitalium pauperum, & omnes alii beneficia eccleſiaſtica obtinentes, faciant inventarium de omnibus bonis immobilibus & mobilibus, in principio ſui regiminis infra menſem: & idem faciant inſtitui poſt primam ſynodum infra menſem.

*VII. Ne calices & alia vendantur aut pignorentur.*

Item ſtatuimus, quod calices, libri, & alia ornamenta eccleſiæ, non vendantur, nec pignori ſupponantur, ſine diœceſani licentia ſpeciali: & frequenter hoc ſtatutum in eccleſia publicetur, quod tam vendens, quam emens, tam ſupponens pignori, quam recipiens, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacebunt.

*VIII. Ut teſtamenta fiant coram parochiali presbytero.*

Item ſtatuendo volumus & præcipimus, ut teſtamentum & ultima voluntas, in præſentia ſemper catholicorum virorum, & parochialis ſacerdotis, vel alterius perſonæ eccleſiaſticæ de voluntate ipſius parochialis presbyteri, vel locum ejus tenentis, condatur ſeu ordinetur: præſertim ut idem ſacerdos vel locum ejus tenens, valeant de ipſo teſtatore laudabile teſtimonium perhibere, & ne de ipſo aliqua infidelitatis ſuſpicio habeatur, & maxime ut ea quæ in pias cauſas relinquet, fidelius & citius perſolvantur. Quod ſi teſtator vocare, ut diximus, ſacerdotem parochialem contempſerit, careat eccleſiaſtica ſepultura, donec de hujus mandati contemptu, quod eo ipſo præſumitur niſi eum vocaverit cum effectu, eccleſiæ ſatisfactum fuerit competenter. Notarius vero, qui abſque ſolemnitate ſuperius expreſſa notare vel ſcribere præſumpſerit teſtamenta & ultimas voluntates, quouſque ad cognitionem diœceſani ſatisfecerit, ingreſſum eccleſiæ ſibi noverit interdictum.

*IX. Ut parochiales presbyteri diligentiſſimi ſint circa legata pia.*

Verum quia parochiales presbyteri, circa ſolutionem eorum quæ ad pias cauſas a decedentibus relinquuntur, negligentes exiſtunt, præcipue ex quo in his, quæ ipſis proveniunt, eiſdem fuerit ſatisfactum: ſtatuimus, ut omnia legata ad pias cauſas ab ipſis teſtatoribus derelicta, omnes parochiales ſacerdotes in ſcriptis penes ſe retinere procurent, ut ſciant quid, a quo & quibus * licitos eſſe præcipimus & intentos: ſtatuentes, ut poſt obitum teſtatoris, infra quindecim dies, hæres ab ipſo parochiali presbytero requiſitus, ipſius teſtamenti ſeu voluntatis ultimæ eidem ſacerdoti dare tranſcriptum ſeu tranſlatum, quo ad pias cauſas, & piis uſibus deputata, expenſis legatariorum teneatur, ad quod ab eodem presbytero per cenſuras eccleſiaſticas compelli valeat ipſe hæres: Inſuper ſtatuentes, ut legantur publice tunc, proxima die Dominica vel feſtiva, legata ſupradicta; ut quid cui legatum fuerit vel relictum, minime ignoretur: adjicientes, ut ſacerdos qui hoc legerit, pro perſona quæ legatum ſeu relictum hujuſmodi fecerit, Dominum deprecetur, & ad rogandum pro ipſa perſona ſubditos ſuos ſive parochianos moneat, & inducat ut ſaltem orationem Dominicam dicant.

*Citatur ac deſcribitur hic canon integer in Concil. Inſulano anni 1288. can. 8. Hard.*

* *Aliquid hic deeſt, cujus ultima ſyllaba ſo, certe enim legendum, ſolicitos eſſe præcip. & int.*

*X. Ut nemo ſolicitetur ad eligendam ſepulturam extra eccleſiam parochialem: & ne teſtatoris voluntas impediatur.*

Item excommunicentur omnes illi qui ſoli-

ANNO CHRISTI 1275.

ſolicitant, monent, inducunt, aliquo modo, aliquam vel aliquem, per ſe vel per alium, ut dimiſſa ſua eccleſia parochiali vel matrice, ad aliam ſe transferant, ſepulturam ibi eccleſiaſticam eligendo. Adjicientes, ne quis clericus ſeu alia perſona, teſtatoris voluntatem ſeu ordinationem impediat, vel ad impediendum, per ſe vel per alium præſtet conſilium, auxilium, vel favorem, in præjudicium alicujus eccleſiæ vel eccleſiaſticæ perſonæ. Et ſi quis contra fecerit, ipſo facto excommunicationis ſententia ſit ligatus, donec a ſuo diœceſano abſolutionis beneficium meruerit obtinere.

*XI. Ut in prædictis jura obſerventur.*

Item volumus & mandamus, quod in dictis exigendis jura canonica obſerventur.

*XII. De caſibus epiſcopo, vel papæ reſervatis.*

Item ſtatuimus, quod ſi quis confitebitur ſe credere pravitatem hæreticam: item ſi quocumque modo commiſerit ſimoniam: item clerici excommunicati majori excommunicatione, vel interdicti aut ſuſpenſi, ſi ante abſolutionem divina officia celebrarent, ſcilicet miſſam cantando, evangelium, epiſtolas, vel alias horas canonicas dicendo, & faciendo principaliter officium ſuum in eccleſia: item clerici per ſaltum promoti, aliquo ordine prætermiſſo: item clerici, qui ab aliquo epiſcopo ſe fecerunt ordinari, epiſcopi ſui licentia non obtenta: item incendiarii: item illi qui tractaverunt in malos uſus Euchariſtiam ſive chriſma: item illi qui ſuos filios occiderunt: item illi qui facto, verbo, conſenſu, vel aliquo modo, homicidium perpetrarunt: item ſacrilegi & violatores eccleſiarum: item illi qui luxuriam expleverunt cum matre, vel ſorore, vel cum alia conſanguinea ſua, vel uxore fratris, vel cum ſanctimoniali conſecrata, vel qui violenter virginem defloraverunt: item illi qui in eccleſiis luxuriam commiſerunt: item illi qui cum Judæa vel Sarracena vel bruto animali coire auſu temerario, vel alias contra naturam, præſumpſerunt: item mulier, quæ de adulterio recepit infantem, quem maritus ejus credit eſſe ſuum, propter quem legitimi liberi fraudantur hæreditate paterna: item qui mulieribus aliquid fecerunt, propter quod fecerunt abortivum, vel non concipiunt; mulier contra ſi hoc fecerit, vel ſibi procuraverit fieri: transmittantur abſolvendi per ipſos epiſcopos, ſi id eis de jure competit; alioquin, cum eorum litteris, ad ſedem apoſtolicam transmittantur.

*XIII. De caſibus epiſcopo reſervatis.*

Item, illi qui contra aliquos falſum tulerunt teſtimonium in aliquibus cauſis: item qui contractis ſponſalibus cum aliquibus præſtito juramento, & non diſſolutis, poſtmodum contrahunt cum aliis ſponſalia vel matrimonium, contra juramentum prius præſtitum temere veniendo. Item illi qui excommunicati, vel nominatim interdicti a quocumque judice, ingerunt ſe Divinis in eccleſia ante abſolutionem, invito proprio ſacerdote, nec ad monitionem ſacerdotis volunt exire de eccleſia, Divinum officium perturbantes. Item clerici qui ſcienter celebraverunt in eccleſia interdicta. Item illi qui in cœmeterio eccleſiaſtico, interdicto ſuppoſito, præſumunt ſcienter excommunicatorum corpora ſepelire. Item, ſi aliqui abſtulerunt, ſubtraxerunt, aut fore fecerunt, vel qualitercumque illicite acquiſierunt, rapuerunt, ſeu decimam retinuerunt: niſi ſciatur, quibus perſonis certis vel locis prædicta de jure fuerint emendanda. Item de his qui in teſtamento ſeu ultimis voluntatibus, pro forefactis incertis relinquuntur, emendandis, vel etiam dividendis. Statuimus omnes caſus ſupradictos ad epiſcoporum audientiam, ab omnibus confeſſiones audientibus, ſpecialiter reſervandos: inhibentes, quod illi qui confeſſiones audiunt, ſe intromittere non debeant de abſolutionibus peccatorum, niſi perſonæ quæ in aliquos prædictorum caſuum inciderint, fuerint adeo ſenes vel valetudinariæ, quod ad epiſcopos, vel eorum pœnitentiarios, venire non poſſint; vel niſi fuerint in mortis articulo conſtitutæ. Et tunc eis nihilominus injungantur, quod ſi recuperaverint ſanitatem, pro prædictis ſe debeant epiſcoporum aſpectibus præſentare.

*XIV. Ut clerici beneficiati, vel in ſacris conſtituti, bladum vel vinum non emant cauſa revendendi.*

Item ſtatuimus, quod nullus clericus beneficiatus, nullus in ſacris ordinibus conſtitutus, per ſe vel per alium emat bladum vel vinum cauſa revendendi, vel negotiandi, vel huic ſtatuto fraudem aliquam adhibeat. Quod ſi contra fecerit, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto: de qua ſententia, niſi per diœceſanum poſſit abſolutionis beneficium obtinere: & tunc puniatur in amiſſione bladi vel vini, ſeu pretii convertendi in fabricam eccleſiæ parochialis: ſalva etiam pœna alia majori, ſi diœceſano videbitur imponenda juxta ipſius contractûs qualitatem.





ANNO CHRISTI CIRCITER 1275.

*XV. Ut iidem in vendendis victualibus uſura vel dolo non utantur.*

Item, ordinamus & ſtatuimus, ut nullus clericus beneficiatus, nullus in ſacris ordinibus conſtitutus, vendat bladum, vel vinum, ſeu alia victualia, ſub ea forma quod contractus uſurarii veriſimiliter præſumantur, nec fraudem aliquam per ſe vel per alium circa præmiſſa adhibeat. Quod ſi fecerint, in pœnam amittat rem venditam, ſeu pretium, convertendum in fabricam ſeu ornamentum eccleſiæ parochialis, juxta majorem neceſſitatem & utilitatem eccleſiæ antedictæ.

*XVI. Ut ſint in eccleſiis calices argentei.*

Item ſtatuimus, quod in omnibus eccleſiis, quarum redditus & proventus annuatim attingunt ſummam xv. lib. Turon. expenſis dumtaxat quæ fiunt in colligendo & reponendo deductis, fiant calices argentei ab ipſarum rectoribus infra annum.

*XVII. Ut eccleſiæ rurales, & domus quæ ad eas pertinent, reficiantur.*

Item ſtatuimus etiam, ut epiſcopi Arelatenſis provinciæ, rectores eccleſiarum, vel alii qui ad hoc de conſuetudine tenentur, compellantur ad reficiendas eccleſias rurales, & alias domos quaslibet, & alias officinas eiſdem eccleſiis neceſſarias, & ſervitoribus earundem, prout ipſis qui hoc tenentur facere propriæ ſuppetunt facultates.

*XVIII. Ut uſurarii & adulteri denuncientur excommunicati.*

Item ſtatuimus, quod uſurarii publici, & adulteri, publice denuncientur excommunicati diebus Dominicis & feſtivis.

*XIX. Ut nomina eorum, qui non fuerint confeſſi proprio ſacerdoti, vel religioſis qui hoc proprio ſacerdoti teſtentur, deferantur ad epiſcopum.*

Item ſtatuimus, quod omnes ſacerdotes curam animarum habentes, de bonis ipſarum eccleſiarum emant chartularia, in quibus quolibet anno, ſaltem in Quadrageſima, conſcribant nomina parochianorum, qui ad pœnitentiam venerunt, & dicta chartularia teneant & cuſtodiant diligenter, ipſa, quando ab eccleſia receſſerint, penes eccleſiam dimittentes. Nomina autem illorum, qui in Quadrageſima non fuerint ad confeſſionem faciendam proprio ſacerdoti, vel alii de licentia ipſius, in ſynodo poſt Paſcha, per proprios ſacerdotes in ſcriptis ad diœceſanum epiſcopum deferantur. Et ſi contigerit, quod religioſi, aut alii confeſſiones audiant, præſertim in Quadrageſima, de parochia alicujus: nomina ſibi confitentium, infra octavam Paſchæ, in ſcriptis tradant proprio ſacerdoti, ut ſic parochialis ſacerdos certitudinem habeat de confeſſionibus ſubditorum, ad fraudulentas quorundam parochianorum verſutias evitandas, & animarum pericula evitanda.

*XX. De mortuo, de cujus confeſſione infra annum facta non conſtat.*

Adjicimus etiam huic ſtatuto, quod ſi parochianum alicujus mori contingat, de cujus confeſſione facta infra annum non conſtat proprio ſacerdoti, non tradatur eccleſiaſticæ ſepulturæ abſque diœceſani epiſcopi licentia ſpeciali.

*XXI. De infirmantium confeſſionibus.*

Et quoniam parochialibus presbyteris curam animarum habentibus ſpecialiter & præcipue cura commiſſa eſt animarum: ſtatuimus inhibentes, quod infirmantium confeſſiones, non niſi per ipſos parochiales presbyteros, ſi haberi potuerint, vel per alios presbyteros ſæculares vel religioſos, de ipſorum licentia, audiantur: quam licentiam dari volumus & præcipimus ab eiſdem liberaliter & libenter, cum fuerint requiſiti.

*XXII. Ut presbyteri eccleſias ſuas non dimittant.*

Statuimus etiam, ut prædicti parochiales presbyteri, eccleſias quarum curam habent, uſque ad ſynodum poſt feſtum B. Lucæ, non dimittant, nec ad alias ſe transferant, nec curam deferant animarum, donec de cura ſibi commiſſa coram prælato ſuo reddiderint rationem.

Actum Arelat. in eccleſia B. Trophimi, ibi generali concilio congregato.

## G. COSS. OBSERVATIO.

Concilium Inſulanum anno MCCLXXXVIII. ab ejuſdem provinciæ prælatibus celebratum, c. 8. refert hujus concilii canonem, quem nonum vocat, eumque totum deſcribit. Abſque hoc eſſet, quis eorum fuerit numerus, & a quo archiepiſcopo celebratum concilium, ignoraremus: ignoramus certe, quo anno.

# VITA INNOCENTII PAPÆ V.

INnocentius quintus, Tarantaſia, quod eſt municipium non procul a Maurienna valle in Alpibus ſitum, oriundus, ante pontificatum Petrus nominatus, ordinis ſancti Dominici religioſus, propter ſcientiam, & intelligentiam ſacrarum litterarum (erat enim doctor theologus, & ſuper libros quatuor ſententiarum & ſancti Pauli epiſtolas commentarium ſripſerat) Oſtienſis epiſcopus factus, ad extremum Aretii per cardinales, ſecundum legem a Gregorio X. latam in conclave ingreſſos, in pontificem electus eſt XII. Kalendas Februarii tempore Rudolphi imperatoris anno 1276. Romam ingreſſus, ibidem ſacro diademate apud ſanctum Petrum coronatus eſt. Exinde amator publicę tranquillitatis, ad pacem componendam omnes cogitationes convertens, plures legationes miſit ad Etruſcos, iis ſub pœna excommenicationis injungens, ut armis contra Piſanos arreptis abſtinerent. Michaelem Palęologum imperatorem Orientis fidei in concilio Lugdunenſi datę admonuit. Venetos & Genuenſes ſimiliter monuit, ne ſe deinceps bellis laceſſerent. Etruſci & Florentini, pontificis mandato paruerunt: qui proinde ab interdicto per pontificem abſoluti ſunt. Veneti & Genuenſes ab inchoatis pręliis non deſtiterunt, ex quibus Innocentius pacis amantiſſimus eos extricaſſet, niſi pręmatura morte pręventus fuiſſet: nam poſt quinque menſes & aliquot dies ab electione lapſos defunctus, in baſilica Lateranenſi ſepultus fuit.

# VITA HADRIANI PAPÆ V.

HAdrianus V. Genuenſis patria, ex illuſtri Fliſcorum familia natus, antea Othobonus nominatus, Innocentii quarti nepos, a quo ſancti Hadriani cardinalis creatus erat, dum ad comprimendam ſeditionem inter regem & barones Anglię legatum egiſſet, ſubrogatus eſt in locum defuncti Innocentii quinti, IV. Idus Julii, anno Chriſti 1276. imperante Rudolpho I. Qua de cauſa cum ad eum agnati ſui gratulaturi acceſſiſſent, iis dixiſſe ſcribit Maſſonius: Utinam me cardinalem proſpera valetudine, non moribundum pontificem inveniſſetis. Viterbium profectus, imperatorem ad retundendam Caroli regis Sicilię potentem inſolentiam in Italiam vocavit. Sed imperator bello contra Bohemos ſuſcepto impeditus, pontifici ſatisfacere non potuit. Carolus vero omne belli robur in Gręciam convertit. Hadrianus inchoato Lateranenſi palatio, 40. electionis ſuę die moritur Viterbii, antequam conſecrationem conſecutus fuiſſet. In conventu fratrum Minorum ibidem ſepultus eſt. Eccleſię ſtatum tutiorem & tranquilliorem reddere, & Gregorii conſtitutionem de eligendo pontifice in meliorem formam redigere, ille quidem apud ſe propoſuerat: verum ejus conatibus & animi magnitudini mors obſtitit.

# SYNODUS DUNELMENSIS

Edita in collectione Anglicana ex cod. MS. eccleſiæ Dunelmenſis.

Incipiunt conſtitutiones ſynodales domini Roberti (de Inſula) quondam Dunelmenſis epiſcopi, anno Domini MCC LXXVI.

### I. *De Decimis.*

QUoniam cęca cupiditas ita ruit in laicos, ut terrenorum proventuum quęſtu minime contenti, ad bona eccleſiaſtica, & pręſertim ad decimas, indirecte, quandoque etiam directe, manus avidas extendere ſatagunt, & jura clericorum per abuſum abripere moliuntur: præſenti decreto duximus ſtatuendum, ne de cetero patroni eccleſiarum, ſeu domini locorum, vel eorum ſubditi, decimas eccleſiarum detineant; vel alios ſolvere vel emere volentes, de cetero perturbent; ſeu rectores eccleſiarum, decimas colligere, collectas reponere, vendere, cariare libere, vel abducere, latenter ſeu patenter, per ſe vel per alios impediant; ſeu fraudem & dolum machinantes adhibeant, per quam decimæ impediantur, vel pereant, vel vilius diſtrahantur. Si quis autem hujus conſtitutionis violator exiſtat, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrat: ad damna & intereſſe, necnon & ad expenſas quas rectores eccleſiarum propter hoc ſe feciſſe docuerint, ante abſolutionem quamlibet, nihilo minus condemnamus[a].

Decimas autem de omnibus, quæ per annum renovantur, vel lege Divina, vel conſuetudine approbata debitas, & maxime conſuetas, decimas eſſe decernimus, & diſtricte præcipimus[b]: ita ut occaſione mercedis ſervientium in autumno, vel meſſe, eccleſiæ non fruſtrentur. Detentores decimarum prædictarum, ſi ſemel, ſecundo, & tertio commoniti, exceſſum ſuum non emendaverint: uſque ad ſatisfactionem condignam, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Cum autem ii qui decimas retinuerint vel ſurripuerint, ad pœnitentiam acceſſerint, non admittantur, niſi per ſe, vel ſufficientem procuratorem, in manu ſacerdotis, illi cui decimæ debentur, ſatisfaciant competenter.

[a] for. condemnandus.

[b] Cor. ſolvendas eſſe vel aliquid ſimile.





Ne decimarum confuſio provenientium ex lana, & agnis, & caſeo, omnium eccleſiarum perſonis præbeat contentionis occaſionem generalem: cum conſilio totius ſynodi noſtræ, in epiſcopatu noſtro ſtatuimus, ut in quacumque parochia, per totum annum, fuerit ovile (ſicut oves, vicinæ parochiæ limites tranſeant ad quærendum paſcua) illi eccleſiæ reddatur decima integre, ubi fuerit ovile, & remanentia. Quod ſi oves ab una parochia in aliam, ex toto tranſlatæ fuerint; per aliam partem anni in una moram fecerint, & per aliquam in alia: eccleſiæ in quarum parochiis ſic moram fecerint, ſecundum quantitatem temporis & moræ, proventionum decimationes accipiant, tam de lana quam de agnis & caſeo. Ita ſcilicet, ut illa eccleſia, in cujus parochia prolixior mora facta fuerit, uberius percipiat: illi autem in cujus parochia minorem moram fecerint, ſecundum quantitatem moræ ſicut diximus, minor pretio decima remaneat.

Similiter de decimis, quæ de vaccis proveniunt, ſtatuendum duximus: quod ubicumque fuerit receptaculum earum, licet in vicinis parochiis *horn Vaith horn* ſecundum Anglicam linguam, paſcua quærant, illi remaneat tota decima, ubi fuerit domicilium, & remanentia.

### II. *De compeſcendis litibus circa decimas.*

Cordi nobis eſt litium amputare materiam, & ſubditorum jurgia, quæ frequenter in exactione decimarum, ex varia locorum inſtitutione accidunt, ad debitam reducere unitatem. Statuimus, ut agni, vituli, pullani, & cetera per annum renovata, in[a] villa qua naſcuntur & renovantur, parochia, duntaxat in poſterum detineantur, ſub interminatione anathematis: inhibentes, ne quis excogitata fraude vel malitia, oves, vaccas, vel equas prægnantes, ad aliam transferat eccleſiam, per quod hæc eccleſia, in fœtu hujuſmodi, jure ſuo aliquatenus defraudatur. Verum de pellibus lanigenis, quo tempore debeant decimari, ſæpe oriuntur in noſtra diœceſi quæſtiones: ſtatuendo ſanximus, tam de pellibus lanigenis, poſt quadraginta dies a tempore tonſionis cum occiduntur, vel poſt feſtum ſancti Michaelis, qualitercunque moriantur; quam de agnis tonſis, ſtatim poſt tonſionem, decima integra perſolvatur.

[a] Lege; illa. Hard.

### III. *De rebus liberorum decimandis; & mortuariis inde ſolvendis.*

Solet hactenus in dubium revocari, utrum liberi in parentum poteſtate & familia conſtituti, habentes proprium ex cauſa profectitia, vel adventitia, vel alia, agnos, vitulos, & quæ renovantur conſimilia, per ſe aut conjunctim cum bonis parentum debeant decimare: & an liberi hujuſmodi, ſi præmoriantur parentibus, debeant de bonis propriis ſolvere mortuarium. Utramque etiam dubitationem una decidentes ſententia: ſanximus bona liberorum hujuſmodi, cum ſint domini rerum, ſeparatim & per ſe debere decimari: quodque diem claudentes extremum, de bonis propriis, ſi exiſtant, mortuarium matrici eccleſiæ ſolvere teneantur. Porro huic ſanctioni adjicimus, quod ſi plures liberi proprium habentes, in parentum pariter familia vivant, ad denarios, qui nuncupantur *Retepenis*, minime arceantur: cum ſicut communiter intrinſecis aluntur a parentibus, ſic in extrinſecis ab eiſdem lætentur pariter ſe defendi.

### IV. *De decimis pecorum in diverſis parochiis paſcentium.*

Quoniam ut audivimus ſuper decimis de nutrimentis animalium inter eccleſiarum rectores, propter appellationes pecorum ad diverſas parochiarum paſturas, contentiones multimodæ ſæpius oriuntur: nos viam pacis præparare volentes, ſtatuimus, quod eccleſiis, in quarum parochiis oves a tempore tonſionis, uſque ad feſtum ſancti Martini continue paſcuntur & cubant, decima lanæ, caſei, & lactis ejuſdem temporis, licet poſtea amotæ fuerint, & alibi tondeantur, integre perſolvatur. Et ne fraus fiat in caſu præmiſſo, præcipimus, quod antequam oves amoveantur a paſcuis, vel etiam diſtrahantur, eccleſiarum rectoribus ſufficienter de ſolvenda decima caveatur. Quod ſi oves infra prædictum tempus ad diverſarum parochiarum paſcua transferantur: quęlibet Eccleſia, pro rata temporis, portionem decimarum percipiat earumdem, minori triginta dierum ſpatio in rata temporis minime computando. Si vero per totum prædictum tempus contubant in una parochia, & continue paſcuntur in alia: inter eccleſias decima dividatur. Decima quidem caſei ſive lactis, de vaccis & capris proveniens, ubi cubant & paſcuntur, ibi ſolvatur: alioquin ſi cubant in una parochia, & paſcuntur in alia, decima inter rectores dividatur omnino. Agni vero, hædi, vituli, pulli equitii, habita ratione ad diverſa loca ubi gignuntur, eduntur, & nutriuntur, & ad moram quam traxerint in eiſdem, partialiter decimentur.

### V. *De varioribus pecorum decimis.*

Quid vero decima[a] dari ubi lac propter paucitatem vaccarum, vel ad caſeum faciendum non ſufficit; & pro agnis, pullis equitiis, velleribus, ancis, & aliis hujuſmodi; de quibus propter modicitatem eorum decima certa dari non poteſt, conſuetudini locorum duximus relinquendum. Item præcipimus, quod ſi quis poſt feſtum ſancti Martini oves occiderit, vel ſi oves quovis modo fortuito moriantur, decimam inde legitimam perſonæ eccleſiæ ſolvere non poſtponat. Et ſi oves extraneæ in alicujus parochia tondeantur: decima ibidem tradatur rectori eccleſiæ per ſe fideliter conſervanda; niſi ſufficienter doceri poſſit, quod pro decimis fuit alibi ſatisfactum, vel ſolutionem faciendam ibi legitimo modo legitime valeant expedire.

### VI. *De invaſoribus decimarum.*

Ad hæc adjicimus, quod quidam juſtitiæ contemptores, decimas vicinorum; quidam vero proprias, in quarum poſſeſſione hactenus non fuerint, manu laicali & armata invadere non formidant: nos præteritis edocti periculis, ut obviemus futuris, auctoritate Dei patris, & approbatione præſentis ſynodi ſacroſanctæ, excommunicamus omnes illos, qui de cetero talia impetrare præſumpſerint: ac eorum fautores, etiam & ſine[a] conſcientia, ſalva ſuperiorum auctoritate, nullatenus abſolvantur, pœnæ legati decrevimus eſſe ſubdendos; cum quemquam non deceat propria auctoritate invadere, per quod judicis officium habet expoſcere.

Item quod *peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi*[b] *zelus idololatriæ, nolle acquieſcere*, ſicut ſacra teſtatur ſcriptura: ſuperiorum noſtrorum ut con-

[a] f. fautores etiam, & illi conſentientes.

1. Reg. 15.

[b] Pro ſcelus. Hard.

ANNO CHRISTI 1276.

condecet præceptis canonicis obedire nolentes, & in iis maxime quæ in favorom eccleſiæ ſtatuuntur, ſententias in perturbatores libertatum Eccleſiæ in Oxonienſi concilio promulgatas, in præſenti ſancta ſynodo duximus innovandas: injungentes omnibus & ſingulis curam noſtrarum animarum habentibus parochialem, ut ipſam in ſingulis eccleſiis, ter in anno, in majoribus ſolemnitatibus, accenſis candelis, & pulſatis campanis, promulgare publice non poſtponant, in forma tradita quæ talis eſt.

*In Dei nomine. Amen.*

“AUctoritate Dei patris omnipotentis, & beatæ Mariæ Virginis, & omnium ſanctorum, ac approbatione preſentis ſacre ſynodi, excommunicamus omnes illos noſtre juriſdictionis, qui malitioſe eccleſias ſuo jure privare preſumunt, aut per malitiam libertates earum infringere, vel perturbare contendunt. Item qui pacem & tranquillitatem domini regis & regni injurioſe * illos qui gratia lucri, odii, vel favoris, vel alia quacumque de cauſa, alicui malitioſe culmen imponunt, cum non ſit diffamatus apud bonos & graves; ut ſic vel ſaltem ei purgatio indicatur, vel alio modo gravetur. Item approbante hac ſacra ſynodo, excommunicamus omnes illos, qui teſtamenta ſeu ultimas decedentium voluntates, aut eorum executiones rationabiles, ſcienter & malitioſe impediunt, aut perturbant. Item qui ſequeſtra dicti domini epiſcopi, aut ejus officialis, legitime interpoſita, ſcienter & malitioſe violaverit. Item qui mandata regia pro coercendis excommunicatis, a quibuſlibet impetrata gratia, vel alio alicujus per * ſancto, ſeu lucri cauſa, exequi malitioſe differunt vel omittunt. Item excommunicamus omnes incendiarios, eccleſiarum fractores, veneficos & veneficas, & magicis incantationibus utentes, ſeu hoc fieri permittentes.” Item præmiſſas ſententias & alias in conſtitutionibus canonicis & legatorum, ac ſtatutis epiſcoporum Dunelmi, contra tranſgreſſores provide latas, & publice promulgatas, ſtatuendo, approbante præſenti ſacra ſynodo ſolemniter publicamus, & mandamus & injungimus eas ſingulis annis in tribus ſolennitatibus majoribus ſolenniter publicari.

*Locus mendoſus.*

*Ricardus, venerabilis patris domini rev. Dei gratia Dunelm. epiſcopi officialis, ad memoriam futurorum.*

Cupientes, prout noſtro incumbit officio, ut excluſis ac ſubductis ſupervacuis dilationibus, & quibuſlibet aliis impedimentis emergentibus, unicuique exhibeatur in curia ſeu conſiſtorio Dunelmenſi noſtri regimini commiſſo, celere juſtitiæ complementum: ad ſtatuta ſalubria, per dominum venerabilem patrem, circa advocatos, procuratores, & miniſtros dictæ curiæ, dudum edita, adjicientes quædam alia, quæ eis adjici fore conſpicimus opportunum: ſtatuimus infraſcripta, quæ decrevimus & præcipimus de cetero inviolabiliter obſervari.

Nullus procurator regimen alicujus cauſæ ſuſcipiat, neque libellos, preces, exceptiones, aut actiones faciat, ſine conſilio advocati: quod ſi ſecus fecerit, [a] tandem a procurationis officio ſuſpendatur, donec præſidentis ipſius curiæ gratiam conſequatur.

[a] Legitima dia. Bard.

Item procuratores, advocatos ſuos ex . . . . & aliis, quæ in cauſis in quibus advocati exiſtunt ordinanda vel agenda fuerint; præmuniant tempeſtive: ut cum competenti deliberatione omnia fieri valeant atque ſcribi; & die litis adveniente in præconizatione ea proponant continuo bene ſcripta, ita quod non poſſit eorum aliqua negligentia deprehendi. Alioquin tamdiu a procurationis officio ſint ſuſpenſi, donec duos aureos perſolverint fabricæ eccleſiæ Dunelmenſis.

# [a] ** CONCILIUM SALMURIENSE

Ex duobus MSS. altero collegii Pariſ. S. I. altero Ægidii Menagii v. cl. in quo incerti loci concilium vocatur.

## Concilium provinciale apud Salmurum anno Domini MCCLXXVI. celebratum.

### TITULI CANONUM


1. *Ut in eccleſiis accenſum luminare continuo teneant.*
2. *De arcis & aliis ejiciendis ex eccleſiis.*
3. *De pluralitate beneficiorum.*
4. *De vita & honeſtate clericorum, & monachorum.*
5. *De vita & honeſtate monachorum.*
6. *Ut abbatiſſæ bona beneficiatorum per ipſas non retineant.*
7. *Ne monachi locum in diverſis monaſteriis obtineant.*
8. *Ut novi religioſi ad prioratus non conventuales de cetero non mittantur.*
9. *Ne prioratus vacantes, bonis omnibus denudentur.*
10. *Ut prioratus clericis ſæcularibus non concedantur.*
11. *Ut judices ſæculares compellantur ad exhibendam juſtitiam eccleſiaſticis injuriatis.*
12. *Ut excommunicati, ab agendo, patrocinando, & teſtificando repellantur.*
13. *Ut epiſcopus in ſua diœceſi abſolvere poſſit, in caſibus, in quibus præſens concilium ſuſpendit, vel excommunicat.*
14. *Ut ſuperiora concilia obſerventur.*


### PRÆFATIO.

AD honorem Dei, & utilitatem eccleſiarum provinciæ Turonenſis, quibus auctore Domino præſidemus, necnon ad reformationem eorum quæ in viſitatione dictæ provinciæ invenimus corrigenda, vocatis venerabilibus fratribus ſuffraganeis noſtris, capitulis, abbatibus, & aliis qui fuerant evocandi, concilium provinciale apud Salmurum, die Lunæ poſt feſtum Decollationis B. Joannis Baptiſtæ duximus celebrandum. In quo de ipſorum epiſcoporum, abbatum, & aliorum ad hoc vocatorum, conſilio, & conſenſu, ordinamus, & promulgamus capitula quæ ſequuntur.

### CANONES.

*I. Ut in eccleſiis accenſum luminare continuo teneant.*

Statuimus ut de cetero, tam in cathedralibus eccleſiis, quam monaſteriis conventualibus & collegiatis, tam eccleſiis quam prioratibus, de die & de nocte, in



ANNO CHRISTI 1276.

quibus ad id ſuppetunt facultates, vel ſaltem de nocte, accenſum luminare continuo teneatur: quodque illi qui ad hoc tenentur ex officio, per locorum epiſcopos compellantur; & pœna condigna, ad ipſorum epiſcoporum arbitrium, ipſi qui negligentes fuerint, percellantur. Nam quod in eccleſiis ob Divini cultus reverentiam, devotioniſque fidelium incitationem, debeant teneri luminaria *, ſatis utriuſque juris docet authoritas: dum non aliter permittitur ædificari eccleſia, priuſquam fundator ſufficientes expenſas conſtituat ad luminaria, & ad ſervientium alimenta.

* al. luminaria accenſa, utr.

*II. De arcis & aliis in eccleſiis exiſtentibus, ejiciendis.*

In pleriſque partibus hujus provinciæ, propriis oculis ſubjectis locis comperimus eccleſias quaſdam adeo plenas arcis & doliis laicorum, ad blada & alia temporalia reponenda, quod non ſolum in eis impeditur Divinum officium audiendum, verum etiam eccleſiæ ipſæ, non Divinæ domus, ſed potius quædam horrearia videantur. Ideoque cum domus Dei orationibus & Divino cultui dedicatæ, non debeant ad aliquos humanos uſus converti: firmiter prohibemus, ne de cetero arcæ, dolia, blada, ſtramina, aut quævis alia temporalia, niſi ad fabricam, aut ad aliam utilitatem eccleſiarum ipſarum, & non miniſtrorum earum, pertineant, introducantur in ipſis, guerrarum & juſti timoris temporibus dumtaxat exceptis; & quæ introducta ſunt hactenus, amoveantur exinde. Nos enim in illos qui contra hoc ſalubre ſtatutum, poſt monitiones per locorum ordinarios ſuper hoc in generali legitime factas, venire præſumpſerint, excommunicationis ſententiam præcipimus promulgari.

*III. De pluralitate beneficiorum.*

Nuper tempore recolendæ memoriæ Vincentii quondam prædeceſſoris noſtri, fuit ex cauſa ſtatutum in concilio Nannetenſi, ut ſi quiſquam capellaniam adeptus fuerit, quæ reſidentiam exigat perſonalem, aut aliud beneficium curam habens animarum annexam, ipſo jure vacet primum, quod ſimiliter perſonalem reſidentiam requirebat. Quod nonnulli adeo ſtricte pro ſua voluntate intelligunt, ut poſt ſecundi aſſecutionem beneficii, præciſe & abſque remedio vacet primum. Nos autem benigniori interpretatione utentes, ſic intelligimus, ac intelligi & teneri debere hujus approbatione concilii declaramus: ut tunc videlicet vacet primum beneficium per aſſecutionem ſecundi, niſi epiſcopi ſuper his cum aliquibus duxerint diſpenſandum.

*IV. De vita & honeſtate clericorum, & monachorum.*

Licet in Carthaginenſi concilio provida fuerit deliberatione ſtatutum, ne in veſtibus aut calceamentis clerici quærant decorem: plures tamen canonici regulares & monachi, qui maxime fulgidis indumentis ornari non debent, in his inveniuntur plurimum diſſoluti. Ideoque hujus ſacri approbatione concilii prohibemus, ne monachi, aut canonici regulares, utantur de cetero forraturis de griſo, aut de vario, aut de ſcuriolis, vel cendatis: nec inſuper ipſi canonici regulares, decollatos, aut nodatos habeant ſotulares, niſi tres nodos ad minus habeant in quolibet ſotulari.

*V. De vita & honeſtate monachorum.*

Monachi quoque ſotulares quomodolibet feneſtratos cum porta, vel ocreas laicorum & ſæcularium more plicatas omnino non deferant; nec zonas, aut burſas de ſerico; ſed nec cultellum, aut aliquod aliud ornamentum, in quo quicquam auri vel argenti poſitum fuerit ad decorem. Tranſgreſſores autem hujus conſtitutionis, per abbatem proprium, vel ſi fuerit negligens, per epiſcopum, adminiſtratione, ſi quam habeant, omnino priventur. Et tam ipſi, quam qui in his ſine adminiſtratione deliquerint, ad aliquam adminiſtrationem, uſque ad biennium, non aſcendant.

*VI. Ut abbatiſſæ bona beneficiorum per ipſas non retineant.*

Nonnullæ abbatiſſæ, ſicut oculata fide comperimus, dum aliquas perſonas recipiunt, in aliquibus ſibi ſubditis locis aut prioratibus moraturas, bona quæ hujuſmodi perſonæ ſecum afferunt, totaliter retinentes, eaſdem vacuas in locis ipſis ſeu prioratibus ad hoc quandoque non ſufficientibus, ultra debitum numerum frequenter inſtituunt: ſibi lucrum ex integro, & prioratibus totum onus nimis inæqualiter partientes. Cum ergo ferendi non ſint, qui lucra venantur, annexam autem eis fortunam recuſant: ſtatuimus, ut illi loco ſeu cœnobio, in quo perſonæ hujuſmodi cauſa perpetuæ moræ fuerint inſtitutæ, bona quæ tempore ſuæ receptionis habebant, totaliter applicentur. Quæ vero contra hoc ſtatutum venire præſumpſerint, ſeu fraudem aliquam adhibuerint: per locorum ordinarios pœna debita puniantur.

VII.

ANNO CHRISTI 1276.

*VII. Ne monachi locum in diverſis monaſteriis obtineant,*

Olim generali concilio approbante noſcitur inſtitutum, ne quis in diverſis monaſteriis locum monachi audeat obtinere. Quod quia negligenter hactenus invenimus obſervatum: accidit aliquando, ut tali monacho, pluribus ſuis abbatibus præcipientibus contraria, vel diverſa, dum non poſſit utrique parere, vilipendatur utriuſque obedientia; & inter monachos utriuſque monaſterii, ſcandalum generetur. Propter quod eandem generalis concilii ſaluberrimam conſtitutionem, pœnæ decernimus adjectione juvandam: ſtatuentes, ut poſtquam quis religioſorum monaſterium ingreſſus fuerit, & profeſſus, ſi aliud forſitan ingredi præſumpſerit, non ut recedat a primo, ſed ut intitulari valeat in utroque, ad primum per loci epiſcopum omni adminiſtratione privatus compellatur redire; & in neutro monaſteriorum ipſorum, ad quemcumque honorem, dignitatem, adminiſtrationem, vel officium, uſque ad triennium valeat promoveri; ſed ejus promotio, ſi de facto procedat, irrita ſit ipſo jure. Eadem pœna illis monachis imponenda, qui plures adminiſtrationes, ſeu officia, in eodem monaſterio, vel diverſis, abſque diœceſani conſenſu de cetero præſumpſerint obtinere. Illi vero qui plures adminiſtrationes, prioratus, vel officia, obtinent in præſenti: ad eorum alterum reſignandum per locorum ordinarios compellantur.

*VIII. Ut novi religioſi ad prioratus non conventuales de cetero non mittantur.*

Ut ingreſſi monaſticam religionem, in obſervantia regulari, & Divino ſervitio uberius informentur: ſtatuimus, ut poſt ingreſſum hujuſmodi, majores decem & octo annis, ingreſſus tempore, ad prioratus non conventuales cauſa morandi de cetero non mittantur: donec ad minus per continuum biennium moram traxerint in monaſteriis, in quibus aſſumpſerunt habitum monachalem: niſi ipſi infra idem tempus in obſervantia hujuſmodi, & Divino officio, appareant ſufficienter inſtructi. Minores vero decem & octo annis, niſi poſt prædictum biennium, & tunc demum dicta ætate completa, extra monaſteria in quibus fuerint recepti, non tranſeant ad alia, morandi cauſa in ipſis. Si ſecus actum fuerit, a locis, in quibus in provincia Turonenſi, contra hujuſmodi ſtatuti tenorem, miſſi fuerint, per locorum ordinarios compellendi [a], ut ad monaſteria propria revertantur. Quod in canonicis regularibus volumus obſervari: niſi diœceſani circa dictos canonicos aliter duxerint ordinandum.

[a] al. expellendi

*IX. Ne prioratus vacantes, bonis omnibus denudentur.*

Cum alias in Redonenſi concilio ſuſpenſionis ſententia fuerit promulgata in abbates, priores, adminiſtratores, qui vacantes prioratus adeo ſpoliare, ſeu denudare præſumunt, quod ex bonis dimiſſis ibidem fratres & familia uſque ad ſequentem collectam ſuſtentari nequeant nec morari, & domorum, quas ex hoc comperimus ruinoſas, ſuſtinere jacturam, refici, & in debito ſtatu conſervari non poſſint; nec ſit dubium illos abbates, priores, & adminiſtratores, etiam de extra [b] provinciam Turonenſem, qui contra ſtatutum hujuſmodi fecerint, ratione talis delicti, eidem ſententiæ ſubjacere: ſtatuimus ut ordinarii locorum, in quibus in provincia Turonenſi hæc contigerit attentari, ſolerter requirant diœceſanos illorum abbatum, priorum, adminiſtratorumque, ut ipſos ſic ſuſpenſos publice nuncient, & faciant nunciari: alias uſque ad ſatisfactionem congruam, contra eos, prout juſtitia [c] docuerit, proceſſuri. Circa quam requiſitionem ipſi locorum ordinarii ſe taliter exhibeant diligentes: ut de negligentia eorum, quod abſit, non poſſint merito reprehendi.

An. 1273. can. 5.

[b] al. eccleſia prov. Turonenſi

[c] al. prout decuerit,

*X. Ut prioratus clericis ſæcularibus non concedantur.*

Præterea licet in prædeceſſorum noſtrorum conciliis fuerit alias rationabiliter ordinatum, de ſupplendo, in prioratibus clericis ſæcularibus conceſſis, debito numero monachorum: quia tamen nullum exinde fructum invenimus ſubſecutum, ne fundi locus in talibus de cetero relinquatur: prohibemus, ne quis abbas, vel alius, prioratum quemlibet in Turonenſi provincia ſitum, in quo poſſint, ad minus, duo monachi commode ſuſtentari, vel conſueverint morari, cuiquam ſæculari conferre præſumat: ſi ſecus actum fuerit, id irritum decernentes.

Concil. Salmur. an. 1253. Concil. Nannet. an. 1264.

*XI. Ut judices ſæculares compellantur ad exhibendam juſtitiam eccleſiaſticis injuriatis.*

In puniendis exceſſibus, qui clericis & aliis



ANNO CHRISTI 1276.

aliis perſonis eccleſiaſticis frequenter a laicis inferuntur, comites, barones, milites, ballivi, præpoſiti, ſeneſcalli, & alii juſtitiarii ſæculares, ſicut experimento didicimus, ſæpe inveniuntur remiſſi. Ideoque præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi de cetero cuiquam clerico, eccleſiaſticæve perſonæ, gravis aut atrox injuria, captionis videlicet & detentionis, incarcerationis, vulnerationis, mutilationis, ſeu interfectionis, aut gravis alterius corporis proprii læſionis, ſeu redemptionis, necnon invaſionis aut deprædationis totius, ſeu majoris partis ſuæ ſubſtantiæ, ab aliquo laico inferatur: moneantur per locorum ordinarios illi juſtitiarii ſæculares, ſub quorum temporali juriſdictione malefactores ipſi conſiſtunt, ut exceſſus hujuſmodi cum exiſtent notorii, ſufficienter faciant læſo & eccleſiæ ab ipſis injuriatoribus emendari. Ubi vero notorii non fuerint exceſſus prædicti, de plano inquiſitione præhabita per judices eccleſiaſticos, ab his qui ſuper hoc inventi fuerint culpabiles, injuriam paſſo, & eccleſiæ, iidem judices ſæculares, infra duos menſes a tempore monitionis, ſatisfactionem fieri faciant competentem. Et ſi præfati ſæculares juſtitiarii, legitime per ordinarios moniti, in hoc negligentes fuerint vel remiſſi: ipſos hujus authoritate concilii excommunicationis ſententia innodamus. Hoc etiam ad jam perpetratos exceſſus citra biennium extendi volumus & mandamus.

*XII. Ut excommunicati, ab agendo, patrocinando & teſtificando repellantur.*

Cum per felicis recordationis Alexandrum papam ſit ſtatutum, quod judices ſæculares, cenſura eccleſiaſtica per eccleſiaſticos judices, legitima [a] monitione præmiſſa, excommunicatos, ab agendo, patrocinando, ſeu teſtificando, in ſuis curiis ſeu judiciis repellere compellantur; & in aliquibus partibus provinciæ Turonenſis, ut pro certo intelleximus, hoc ſalutare ſtatutum per negligentiam nullatenus obſervetur: ſtatuimus præcipientes, ut judices eccleſiaſtici prædictum ſtatutum diligenter faciant obſervare.

[a] al. trina monitione

*XIII. Ut epiſcopus in ſua diœceſi abſolvere poſſit in caſibus; in quibus præſens concilium ſuſpendit, vel excommunicat.*

In his autem omnibus caſibus, in quibus ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententias in præſenti concilio duximus promulgandas, cuilibet epiſcopo in ſuis civitatibus & diœceſi abſolvendi ſuſpenſos & excommunicatos, poſt ſatisfactionem congruam in forma eccleſiæ, authoritate præſentis concilii liberam concedimus poteſtatem.

*XIV. Ut ſuperiora concilia obſerventur.*

Concilia vero omnia & ſingula, per prædeceſſores noſtros cum ſuffraganeorum aſſenſu hactenus celebrata, renovamus; & præſentis approbatione concilii confirmamus.

In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum, una cum ſigillis ſuffraganeorum noſtrorum præſentium & conſentientium, duximus apponendum. Actum die Lunæ prædicta, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto.

## **CONCILIUM BITURICENSE,

### A Simone S. Cæciliæ cardinale, Apoſtol. ſedis legato celebratum Id. Septembr. anno Domini MCCLXXVI.

Ex duobus codicibus MSS. & codice jam edito conſtitutionum Santonenſium.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De electione.*
2. *De officio & poteſtate judicis delegati.*
3. *Quod judices delegati non poſſint aliquid pro abſolutionibus exigere vel levare.*
4. *De officio judicis ordinarii.*
5. *De his qui contra laicos.*
6. *De his quæ vi metuſve cauſa fiunt.*
7. *De foro competenti.*
8. *De decimis.*
9. *De teſtamentis.*
10. *De immunitate eccleſiarum.*
11. *Contra illos qui banna faciunt proclamare contra eccleſiarum libertates & antiquas conſuetudines.*
12. *Contra illos, qui fugientes ad eccleſiam extrahere præſumunt ab eccleſia, vel in ipſa eccleſia vulnerant vel interficiunt.*
13. *Contra illos qui impediunt juriſdictionem eccleſiaſticam.*
14. *De Judæis.*
15. *De privilegiis & exceſſibus privilegiatorum.*
16. *De pœnis.*

PRÆ-

ANNO CHRISTI 1276.

## PRÆFATIO.

*Simon miſeratione Divina tituli S. Ceciliæ presbyter cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, ad futuram rei memoriam.*

INter curas quæ noſtro cohærent officio, illa nos præcipue adſtringit, viſceribus noſtri cordis infixa profundius, atque ſolidius radicata, noſtrum inceſſanter perurgens animum ſuarum aculeis punctionum, ut noſtræ legationis eccleſiæ ſolicitæ proviſionis remediis, prout nobis deſuper miniſtratur, contra malignorum defendantur incurſus, cohibeantur injuriæ, & violentiis propulſatis, in pacis pulchritudine delectentur; ut hoſtium ſublata formidine, in tranquillitate ſerena, & ſerenitate tranquilla, pacis authori, cujus mancipantur obſequio, eo devotius quo tranquillius; & quo devotius, eo acceptius valeant famulari. Itaque libenter aſſiduos labores amplectimur, quamquam noſtris impares humeris ad portandum, nocturnis inſiſtentes vigiliis nonnunquam etiam ſupra vires, ut perſonis eccleſiaſticis noſtro commiſſis regimini, moleſtationum turbinibus relegatis, Divino fulti præſidio, ſolicitudinibus noſtris pacem ac proprio labore quietem opportunæ proviſionis commercio *præparemus. *al. remiſſio

Sane in Bituricenſi concilio, quod ad quorumdam prælatorum noſtræ legationis inſtantiam nuper convocandum duximus, & authore Domino feliciter celebrandum, per quoſdam prælatos aliaſque perſonas eccleſiaſticas noſtræ legationis, nonnullis eccleſiarum & perſonarum ipſarum oppreſſionibus, injuriis, & offenſis, ad noſtram deductis notitiam, & per nos toti concilio reſeratis, ac deliberatione ſuper his in ipſo concilio habita pleniore, de totius concilii providentia unanimi & concordi, juxta negotiorum ingruentium & temporis qualitatem, remedia ſuper eiſdem injuriis, pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ, adhibere curavimus opportuna. Quæ quidem, ex parte concilii requiſiti, redigi fecimus in ſcripturam, & in ipſo concilio ſolenniter publicari, authoritate qua fungimur, ſacro approbante concilio, ſtatuentes, ut quæ pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ, & ipſarum eccleſiarum ſtatu pacifico, duximus ſtatuenda, a noſtræ legationis perſonis, prout continetur inferius, ſerventur in perpetuum illibata.

### I. De electione.

In totius concilii quod nuper Bituris duximus celebrandum, noſtris auribus clamor horrendus inſonuit, ad nos per diverſos prælatos aliaſque quamplures perſonas eccleſiaſticas non ſine gravi lamentatione delatus, & toti concilio patefactus. Aſſerebant ſiquidem quod in regno Franciæ, in quo eccleſiarum libertas & honor eiſdem debitus, ſervari retroactis temporibus, præ regnis cæteris atque provinciis, abundantius conſuevit, his diebus in electionibus celebrandis, in quibus libertatis puritas potiſſime conſervanda, pro libertate datur impreſſio & quaſi pro auro plumbum, pro argento ſcoria, honores in contumelias convertuntur: adeo quod quando in certis locis electiones paſtorum A immineant faciendæ, multitudine populi per iniquitatis filios concitata, in electores impetum faciente, electiones ipſæ in nonnullis eccleſiis aut ad tempus impediuntur totaliter, aut in locis hactenus conſuetis nequeunt celebrari, prout in Lugdunenſi, Burdegalenſi, & Carnotenſi eccleſiis nuper dignoſcitur eſſe factum. In qua quidem Burdegalenſi eccleſia, dum immineret electio, occaſione impreſſionis habitæ, in eadem homicidium de ſacriſta nobili membro præfatæ eccleſiæ inhumaniter extitit perpetratum. Quoniam igitur novis morbis nova B convenit antidota præparari, ne morbus tam pernicioſus obreperet, & ſui contagione trahatur a poſteris in exemplum: ſacri proviſione concilii duximus ſtatuendum, quod quicumque de cetero, per ſeditioſam conſpirationem aut conventionem habitam ſimul cum aliis, quacumque firmitate vallatam, impedimentum latens aut patens præſtiterit, quominus eccleſiis ſæcularibus aut regularibus, dignitatibus, aut perſonatibus, ſeu adminiſtrationibus quibuſcumque, per illos ad quos locorum ipſorum, vel C dignitatum, ſeu adminiſtrationum, per viam electionis ſeu poſtulationis, ſpectat proviſio, eiſdem locis, dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, de perſonis idoneis, undecumque extiterint oriundæ, & alias per electionem aut poſtulationem canonicam, valeat provideri, incurrant excommunicationis ſententiam, quam in ipſos proferimus, ipſo facto. Et ſi clerici vel regulares extiterint: nos privantes eoſdem omnibus privilegiis, beneficiis eccleſiaſticis, dignitatibus, vel adminiſtrationibus, D ſeu perſonatibus, quas eos obtinere contigerit, decernimus fore inhabiles & indignos, ut quævis beneficia, adminiſtrationes, vel honores eccleſiaſticos, ulterius aſſequantur. Si vero laici; præter dictam excommunicationis ſententiam, ipſorum familiæ interdicto eccleſiaſtico ſint ſubjectæ; nullaque eorum poſteritas uſque ad quartam eorum incluſive progeniem, ſi ſæcularis fuerit, prælaturam, dignitatem, perſonatum, præbendam, ſeu aliud quodcumque beneficium eccleſiaſticum; aut ſi regularis E fuerit, adminiſtrationem quamlibet regularem in civitate vel diœceſi, in qua exceſſum hujuſmodi commiſerit, in perpetuum valeat obtinere. Illi autem qui prædicti facinoris cauſis *non contenti, populum vel turbam, potentes, vel quoslibet concitaverint, vel in prædicto facinore opem ferunt, quorumve data opera, ſuggeſtione, vel conſilio, populus turbave, cum armis, vel ſine armis, ad hoc convenerint, pœnis ſimilibus ſint ſubjecti. Clerici præter hæc* a civitate vel loco, in quo perpetraverint ta-

*al. [illegible] · *al. propter hoc



ANNO CHRISTI 1276.

talia, per triennium procul agant. Porro qui coacta multitudine, cum armis, vel ſine armis, contumelioſa acclamatione, concitato tumultu in loco in quo hi ad quos ſpectat electio, poſtulatio, vel proviſio, convenerint, ſive in ipſos electores, vel in aliquos de eiſdem, tempore quo præmiſſa imminent facienda, duxerint irruendum; & eidem loco fracturam ſeu violentiam vel in perſonas electorum notabilem injuriam irrogaverint; & poſtremo qui opere vel conſilio, clam vel palam, per ſe vel per alium, aliquid egerint, per quod conſpirationis vel conventionis hujus initæ nequitia in aliquo ſumat robur, & per hoc contingat, electionem, poſtulationem, ſeu proviſionem, impediri totaliter, vel differri: excommunicationis ſententia noverint ſe adſtrictos, necnon eorum familias, ſi laici fuerint, eccleſiaſtico ſuppoſitas interdicto: quæ ſententiæ relaxari nequeant, niſi auctoritate ſedis apoſtolicæ ſpeciali. Clerici vero, qui in talibus culpabiles adfuerint, cum offenſa eorum tanto gravior reputetur, quanto in ſortem redemptoris aſſumpti, ac gradu celſiori pollentes, libertatem ac immunitatem eccleſiaſticam ſervare tenentur præ ceteris illibatam: præter excommunicationis ſententiam, eo ipſo, beneficiis quæ obtinent, ſint privati; ad obtinendas dignitates, perſonatus, beneficia, vel officia quæcumque, in eccleſiis in quibus talia perpetraverint, & locorum ipſorum ordinibus*, nullo unquam tempore ſpem aut fiduciam habituri. Si vero regulares fuerint, ad adminiſtrationem regularem aliquam nullatenus admittantur, cadantque nihilo minus ab obtentis. Inſuper & laicorum prædictorum poſteritas, uſque ad quartum gradum, ad beneficia eccleſiaſtica quælibet aſſequenda in ipſis eccleſiis civitatis aut diœceſis, in qua perpetraverint talia, ſint inhabiles & indigni.

*al. dictis ſedibus.

### II. De officio & poteſtate judicis delegati.

Cum juris remedia per ora ſummorum pontificum & principum promulgata, Divinitus ad tutelam *bonorum, & cohibendas malorum inſolentias, utiliter introducta, non deceat nec liceat, per corruptelam judicum ſive fraudem, ad iniquitatis trahi diſpendium: ſic illos, qui a nobis judicandi recipiunt poteſtatem, commiſſum ſibi volumus officium exercere, ut per viam regiam ductrice juſtitia gradientes, ab æquitatis tramite, odio, gratia, vel favore, ſeu cujuſquam alterius corruptelæ vitio, non recedant. Cupientes igitur ut in citationibus faciendis per judices, ſive conſervatores, auctoritate qua fungimur deputa- A tos, nulla corruptelæ ſpecies vendicet ſibi locum, ſed forma per Romanam curiam in talibus introducta, ab eiſdem judicibus ſeu conſervatoribus firmiter obſervetur: ſtatuimus & mandamus, expreſſius inhibentes, ne judices ſeu conſervatores prædicti, ſub tali forma, *quos vobis lator præſentium nominabit*, vel alia conſimili, citare præſumant. Hujus autem citationis mandatum nullus exequi teneatur, ſed ei non pareatur impune: nec ad perſonas in noſtris litteris non expreſſas*, prætextu teſtimonii perhibendi, B ubi vel quando ſtatus cauſæ vocationem teſtium non requirit, ſed ut ipſe vel actor citatos fatiget laboribus & expenſis, aut aliquid extorqueat ab iiſdem, litteras ipſas aliquatenus prorogent aut extendat. Si quis vero ſecus præſumpſerit attentare: in utroque caſu talis citatio non teneat, nec quemquam valeat coarctare. Et ſi occaſione citationis hujuſmodi, judex ille ſententiam quamcumque in quenquam duxerit proferendam: nullius penitus ſit momenti. Judex vero qui talia perpetraverit, officium judicandi ſeu procedendi, auctoritate no- C ſtra, non ſolum in illa, ſed in aliis cauſis, de cetero non valeat exercere: quin immo excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto, a qua nullatenus abſolvatur, niſi læſis intereſſe & expenſis quibuslibet ab ipſo primitus reſtitutis.

*al. cautelam. · *al. conteſtas.

### III. Quod judices delegati non poſſint aliquid pro abſolutionibus exigere vel levare.

Cæca cordis ambitio repleri neſciens, ſed quanto plus recipit, tanto fortius inardeſcit, ſic quorumdam interiores oculos cæcutienti obtexit caligine: ut quid de ju- D re liceat, non advertant; quidve de honeſtate deceat, non attendant. Quod in illis qui judiciali præeminent dignitate, eo conſtat pericoloſius tolerari, quo per auctoritatis qua funguntur potentiam, in concepto malignitatis propoſito poſſunt adverſus ſubditos liberius debacchari. Eapropter ad inhiantem eorum avaritiam cohibendam, provide duximus id ſtatuendum, ut nullus judex, executor, ſeu conſervator, datus a nobis, pro relaxationis vel abſolutionis E beneficio impendendo, his quos excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiis duxerint innodandos, emendas pecuniarias, ſeu res alias, pro emendis, quoquo exquiſito colore, præſumant petere, exigere, aut oblatas recipere etiam ex poſt facto. Quiſquis autem contra præſumpſerit, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrat, a qua non niſi per legatum ſedis apoſtolicæ abſolvatur: & tunc demum, cum læſis cum omni intereſſe reſtituerit, integre

ANNO CHRISTI 1276.

tegre ſic extorta. Ejuſdem tamen ſedis authoritate in his & in aliis ſemper ſalva.

*IV. De officio judicis ordinarii.*

Sicut ille qui præeminet judiciaria poteſtate, juſtis oppreſſorum querelis aures debet patulas inclinare: ſic voces malignantium queruloſas ipſum decet & convenit obaudire. Debet igitur diligenter advertere & penes ſe ponderare prudenter, quis, contra quem, & ſuper quibus, etiam ſuperioris officium interpellat: ut penſatis conditionibus & meritis perſonarum, & incumbentis negotii & officii qualitate, ſolerter intelligat unde veniat conquerens ſpiritus, aut quo vadat. Ob hanc cauſam prælatis qui nimis facile clauſtralium vel forenſium monachorum contra ipſorum abbates, maxime ubi de correctione agitur, querelas recipiunt, per quas plerumque enervari contingit vigorem eccleſiaſticæ diſciplinæ, frequenter etiam miniſtratur occaſio evagandi; ſub obteſtatione Divini judicii duximus injungendum, quod querelas hujuſmodi facile de cetero non admittant; ſed tunc demum quando circumſtantiis, quæ circa hoc fuerint attendendæ, examinatis plenius & diſcuſſis, veriſimiliter præſumetur, ipſos non cauſa vitandi correctionem eccleſiaſticam, ſeu canonicam diſciplinam, ſecundum eorum regularia inſtituta, ſed juſte & ex cauſa probabili, ad prælatorum præſidium confugiſſe.

*V. De his qui contra laicos.*

Ut prælatorum officium eo fructuoſius, quo liberius, valeat exerceri: præſenti ſtatuto laicis quibuſdam duximus inhibendum, ne prælatos quoslibet impedire vel turbare præſumant, quo minus in locis religioſis vel regularibus, aut aliis eiſdem prælatis ſubjectis, officii ſui debitum exequantur: ipſis ad hoc per eoſdem prælatos authoritate præſentis concilii, competenti monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, ſi res exegerit, compellendis.

*VI. De his quæ vi metuſve cauſa fiunt.*

Cum parum proficiat jura condi in civitatibus, niſi extiterint qui edita regere valeant & tueri; nec ſolum magiſtri militum conſiſtat officium in diſciplina per ipſum imponenda, ſed in ea, prout opportunum* fuerit, obſervanda: præcipimus, ut quicumque judices eccleſiaſticos ad abſolutionis vel relaxationis cujuslibet, ab excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiis, beneficium impendendum, vi vel metu compulerint, per diœceſanos locorum, præſentis authoritate concilii excommunicati publice nuncientur.

* al. optime

*VII. De foro competenti.*

Cum falcem propriam nulli in meſſem liceat mittere alienam: de juſtitiariis laicis, ſeu aliis ſolam juriſdictionem temporalem habentibus, qui in actionibus mere perſonalibus, eccleſiaſticas coram ſe perſonas litigare compellunt, contra canonicas ſanctiones: hujus proviſione concilii duximus ſtatuendum, quod licet eædem perſonæ eccleſiaſticæ, non ſolum coram eis juſtitiariis litigare, ſed etiam ad ipſos venire in cauſis hujuſmodi de jure minime teneantur: ſi tamen venerint, & allegato fori privilegio, coram ipſis iidem judiciarii compulſioni inſtiterint ſupradictæ, eo ipſo excommunicationis ſententiam, quam in ipſos ferimus, incurrant: quæ circa eos nullatenus relaxetur, niſi læſis hujuſmodi de damnis, expenſis, & intereſſe, prius per ipſos juſtitiarios fuerit integre ſatisfactum, eorum proceſſibus atque ſententiis habitis in hujuſmodi quæſtionibus, etiam prolatis, nihil omnino roboris habituris. Ad hæc ſi quis juriſdictionem temporalem exercens, de excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiis, ſcilicet an juſte latæ fuerint an injuſte, aut aliquam in aliis eccleſiaſticis vel ſpiritualibus cauſis deciſionem ſeu cognitionem præſumpſerit uſurpare: per diœceſanos locorum, præſentis authoritate concilii, deſiſtere moneatur: & niſi competenter monitus duxerit deſiſtendum, ad hoc per cenſuram eccleſiaſticam compellatur.

*VIII. De decimis.*

Cum in illis in quibus periculum vertitur animarum, præſcriptio quantuncumque longæva non vendicet ſibi locum; ſed quanto graviora ſunt crimina, tanto diutius miſeram animam teneant alligatam: exceptionem præſcriptionis ſuper rerum illarum decima, de quibus, ſive ſimilibus, in locis eiſdem hactenus a ſimilis conditionis perſonis conſuevit exſolvi, præcipimus non admitti: ſtatuentes, quod illi qui eis ad quos ſpectat perceptio hujuſmodi decimarum, quo minus eas percipiant, impedimentum præſtare præſumpſerint, ſi moniti competenter, ab impedimento hujuſmodi non duxerint abſtinendum, extunc authoritate præſentis concilii per locorum ordinarios excommunicationis ſententia percellantur.

IX.



ANNO CHRISTI 1276.

*IX. De teſtamentis.*

Ad præſumptionis quorumdam conatus damnabiles reprimendos, qui teſtamenta ſeu alias voluntates ultimas, quocumque nomine cenſeantur, licet rite ſint facta juxta canonicas ſanctiones, tanquam legitimas non admittunt, ſed pro eo reprobant & impugnant, quod ſcabini aut ſæculares judices præſentes non fuerint, aut auctoritatem nequaquam præſtiterint, quando teſtator ſuum condidit teſtamentum, aut aliam ultimam voluntatem: hoc duximus ſtatuendum, quod ipſi, cujuſcumque conditionis vel dignitatis extiterint, niſi infra octo dies poſtquam ſuper hoc moniti competenter fuerint, ab impedimento hujuſmodi duxerint deſiſtendum, anathematis innodentur vinculo, quo ipſos adſtringi volumus ipſo facto.

*X. De immunitate eccleſiarum.*

Sanguiſugæ ſitibunda progenies ac radix omnium malorum cupiditas, ſemper vociferans, affer, affer, moliri non deſinit quemadmodum per exquiſitas aſtutias & callidiora commenta, ardori proprio, licet inextinguibili, lucri temporalis, quamquam illiciti, pocula ſubminiſtret. Ex hac autem ſemper ſitienti radice proceſſiſſe cognovimus, quod cum ſedes apoſtolica excommunicationis ſententiam in omnes nova conſtituentes pedagia olim duxerit promulgandam, ipſam annis ſingulis in certis feſtivitatibus ſolenniter renovando: nonnulli mammonæ filii, propriæ cupiditatis vitium colorare nitentes, non nova, ut aſſerunt, conſtituentes pedagia, antiqua ad clericos & ipſorum res, quas non ratione mercaturæ per terram vel aquam deferri faciunt, prorogant & extendunt in eluſionem memoratæ ſententiæ, & manifeſtum præjudicium eccleſiaſticæ libertatis. Nos itaque ipſorum fraudibus obviare volentes, & tam præſumptæ calliditatis aſtutiam pœna debita caſtigare: ſtatuimus, ut niſi infra duos menſes, a tempore ſolennis publicationis hujuſmodi, factæ in civitate & diœceſi in quibus conſiſtunt ipſa pedagia, numerandos, ab his in totum deſtiterint, excommunicationis ſententiæ, quam extunc in ipſos inferimus, extunc ſubjaceant ipſo facto.

*XI. Contra illos qui banna faciunt proclamare contra eccleſiarum libertates & antiquas conſuetudines.*

Cum jure canonico caveatur, quod qui de cetero ſervare fecerit ſtatuta edita & conſuetudines introductas contra eccleſiæ libertatem, ſtatutarii & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, necnon poteſtates, conſules, rectores, & conſiliarii locorum ubi hujuſmodi ſtatuta & conſuetudines de cetero edita fuerint vel ſervata; necnon etiam illi, qui ſecundum ea judicare præſumpſerint, vel in formam publicam ſcribere judicata, excommunicationis ſententiæ debeant ſubjacere: nonnulli propriæ ſalutis obliti, & ſuæ verecundiæ non parcentes, juris ſententiam, verborum amplexu non ſine fraude circumvenire nituntur, non ſtatuta, ut aſſerunt, banna tamen faciunt proclamare, præcepta & prohibitiones inducunt, quæ non eſt dubium in libertatis eccleſiaſticæ præjudicium redundare. Nos igitur fraudibus malignorum, quas circa hoc adhibitas fuiſſe cognovimus, obviare volentes: ſtatuimus, ut quicumque contra ipſius eccleſiæ libertatem, banna, prohibitiones, ſeu præcepta ſcienter fecerint, aut fieri procuraverint, ſive facientibus, conſilium vel opem duxerint adhibenda, ipſi poſtquam per locorum ordinarios ſuper hoc fuerint requiſiti, abſque difficultatis cujuſlibet obſtaculo indilate revocent, ſeu faciant revocari, ad conſimilia nunquam de cetero proceſſuri: alioqui cenſura conſimili ſint adſtricti. Qui vero contra eccleſiaſticas conſuetudines antiquas, rationabiles, approbatas, & hactenus pacifice obſervatas, ſtatuta, banna, prohibitiones vel præcepta fecerint vel fieri procuraverint, ſeu jam facta ſervaverint, aut ſervari fecerint, aut facientibus vel ſervantibus in hoc conſilium vel opem duxerint adhibendam, per diœceſanos locorum, præſentis auctoritate concilii moneantur, ut infra menſem a tempore monitionis hujuſmodi numerandum, ſtatuta deleant, banna, prohibitiones, & præcepta revocent, ad conſimilia nunquam ulterius proceſſuri: alioquin excommunicationis ſententiæ, quam ex nunc in ipſos ferimus, extunc ſubjaceant ipſo facto.

*XII. Contra illos qui fugientes ad eccleſiam extrahere præſumunt ab eccleſia, vulnerant, vel interficiunt.*

Quorumdam inſolentias perverſorum, qui Dominum Jeſum Chriſtum verbis tantummodo profitentes, nec Deum timere, nec homines revereri, pro ſuorum atrocitate factorum maniſeſtiſſime convincuntur, in tantam accepimus temeritatis vel inſaniæ audaciam prorupiſſe, quod confugientes ad eccleſiarum tutelam, contra juris utriuſque ſtatuta, & eccleſiaſticam libertatem, ibidem vulnerant; mutilant, interficiunt aut incedunt*; aut exinde ex-

* al. intendunt.

ANNO CHRISTI 1276.

trahunt, violenter extractos vulnerare ſeu mutilare præſumunt, nonnumquam eis ultimum ſupplicium inferentes; aut iſta fieri præcipiunt aut procurant, ſeu conſilium aut opem exhibent in tantis ſceleribus perpetrandis. Nos itaque, quos zelus comedit domus Dei, hujuſmodi ſacrilegorum exceſſus deteſtabiles & horrendos, quos non ſolum evidentia rei docet inhumaniter excreviſſe, ſed inoleviſſe jam præſumptione damnabili, recenſita præteritorum memoria comprobat & declarat, caſtigatione canonica cohibere volentes, præſentis approbatione concilii duximus ſtatuendum, quod taliter delinquentes, excommunicationis ſententiæ, quam in ipſos proferimus, ſubjaceant ipſo facto. Quam quidem ſententiam locorum ordinarii, ejuſdem authoritate concilii, ſolenniter in ſubjectis ſibi eccleſiis denunciari faciant, & uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari: eiſdem nihilo minus mutilatoribus & interfectoribus, necnon & iis qui hujuſmodi mutilationes & homicidia fieri præcipiunt vel procurant, aut facientibus, conſilium vel opem impendunt, feuda & beneficia, ſi qua ab eccleſiis taliter violatis obtinent, eo ipſo protinus amiſſuris, quæ ad eccleſiam a qua illa obtinere noſcuntur, libere revertantur. Filii etiam eorumdem non ſolum nihil obtineant de præmiſſis, ſed ad beneficia eccleſiaſtica de cetero aſſequenda, eo ipſo reddantur prorſus inhabiles & indigni.

*XIII. Contra illos qui impediunt juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Cum nonnulli temporale dominium obtinentes, ſeu ſæcularis judiciariæ poteſtatis gerentes officium, juriſdictionem ſanctæ matris eccleſiæ ſubvertere vel imminuere exquiſitis aſtutiis moliantur; nos eorum malitias ultione canonica reprimentes, ſtatuimus inhibentes, ne quis in foro eccleſiaſtico litigantes, ſeu litigare volentes, ſuper cauſis mere eccleſiaſticis, ſeu quæ ad forum eccleſiaſticum de antiqua & approbata conſuetudine, & hactenus pacifice obſervata, pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum compellat, per ipſorum, vel parentum, aut conſanguineorum, ſive rerum eorum vel perſonarum, hujuſmodi captionem, modiſve aliis quibuſcumque. Si qui vero contra præſumpſerint, excommunicationis ſententiæ, præſentis authoritate concilii, ſe noverint ſubjacere.

*XIV. De Judæis.*

De Judæis, quorum perfidia plerumque ſimplices Chriſtianos fraudulenter decipit, & malitioſe ſecum pertrahit in errorem, ſacro approbante concilio duximus ordinandum, ut non niſi in civitatibus, caſtris, & aliis locis inſignibus, habitare præſumant; temporalibus locorum dominis, & vices gerentibus, ſeu loca tenentibus eorumdem, diſtrictius inhibentes, ne Judæos ipſos permittant alibi, quam in locis expreſſis ſuperius habitare; ipſis ad hoc, ſi res exegerit, a diœceſanis locorum, ejuſdem authoritate concilii, per cenſuram eccleſiaſticam compellendis.

*XV. De privilegiis & exceſſibus privilegiatorum.*

Licet regularis obſervantiæ profeſſores, & alios quos ſedes apoſtolica exemptionis ſeu libertatis majoris decoravit titulis, aut privilegiis inſignivit, attollere condignis favoribus intendamus, ipſorumque privilegia, quantum ad nos attinet, ſervare penitus illibata: ſic tamen eos ſuis juribus manere contentos affectamus, quod privilegiorum ſuorum limites in aliorum injuriam non extendant*. Proinde ſacro approbante concilio duximus ſtatuendum, diſtrictius inhibentes, ne deinceps religioſi quicumque, vel etiam ſæculares, exemptionis ſeu libertatis ſedis apoſtolicæ privilegiis communiti, excommunicatos publice, vel nominatim interdictos, ſeu uſurarios manifeſtos, ad Divina ſeu eccleſiaſtica ſacramenta, vel eccleſiaſticam ſepulturam, ſcienter admittant. Qui vero contra præſumpſerint, præter pœnas a jure ſtatutas, ingreſſum eccleſiæ eo ipſo ſibi noverint interdictum: donec prolatoribus ſententiarum hujuſmodi, quorum authoritatem contempſerint, & aliis quorum intereſſe contigerit, de prædictis exceſſibus & omni intereſſe ac damnis, ſatisfecerint competenter.

[* al. excedant]

*XVI. De pœnis.*

Cum juris utilitas tot & tantis excogitata vigiliis, ſufficienter nequeat proſperari, ſi proceſſus miniſtrorum juſtitiæ contingat iniquorum machinationibus impediri: ut illorum audaciam, quos amor Divinus a malo non revocat, ſaltem rigor eccleſiaſticæ coerceat diſciplinæ: ſacri proviſione concilii duximus ſtatuendum, quod ſi quis, cujuſcumque dignitatis, aut conditionis extiterit, nuncios ſeu executores eccleſiaſticorum judicum, aut alios litteras eorundem actave judicialia deferentes, hac occaſione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, mutilare, aut quod gravius eſt cenſendum, interficere, litteras vel acta prædicta perſonis memoratis auferre, ſeu ea corrumpere, cancellare, aut alias deſtruere quoquo modo, vel ſic ablata celare præſumpſerit, aut ut iſta fiant procuraverit, aut facientibus conſilium vel opem duxerit adhibendam, excommunicationis ſententiæ, quam exnunc in ipſos proferimus, ſubjaceat ipſo facto: a qua niſi prius tam judici, cujus authoritatem contempſerit, quam paſſo injuriam, & ceteris quorum intererit, prout exceſſus poſtulabit atrocitas, ſatisfecerit competenter, nullatenus abſolvatur.



Ad quorum memoriam in perpetuum obſervandam, & præmiſſorum teſtimonium, ſigillum noſtrum duximus præſentibus apponendum. Datum in eodem concilio, Idibus Septembris, anno Domini MCCLXXVI. Romana eccleſia vacante.

AUTHORITAS CONCILII.

*Simon miſeratione Divina tituli S. Cæciliæ presbyter cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, ad futuram rei memoriam.*

NUper in generali concilio noſtræ legationis per nos Bituris congregato, nonnulla pro defenſione eccleſiaſticæ libertatis, & tranquillo ſtatu eccleſiarum, a ſede apoſtolica noſtro regimini commiſſarum, deliberatione provida, de ipſius approbatione concilii ordinanda duximus, ac etiam ſtatuenda: quæ quidem noſtræ approbationis hujus perpetuam decernimus obtinere firmitatem. Ne igitur per aliquorum malitiam, privilegiorum ſive indulgentiarum, collegiis, locis, ordinibus, communitatibus, ſeu perſonis quibuslibet, ſub quacumque forma vel conceptione verborum, a ſede apoſtolica conceſſarum, prætextu, adverſus obſervationem ordinationum & ſtatutorum hujuſmodi, quiſquam immunitatem quovis exquiſito colore ſibi vendicare præſumat, aut habeat ſe quomodolibet excuſare: litterarum apoſtolicarum tenorem, per quas nobis expreſſe conceditur, quod præmiſſis ſeu aliis nequicquam obſtantibus, cenſuram eccleſiaſticam, officium noſtrum, & omnia ad ipſum ſpectantia, aut quæ nobis officii ratione competunt, exercere libere valeamus (quas quidem in dicto Bituricenſi concilio ſolemniter fecimus publicari) litteris præſentibus ipſis ordinationibus & ſtatutis annexis juſſimus annotari. Tenor autem litterarum ipſarum talis eſt.

» GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Simoni tituli ſanctæ Cæciliæ presbytero cardinali, apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum tibi* plenæ legationis officium in regno Franciæ, civitate ac diœceſi Lugdunenſi, necnon & in partibus tranſmarinis, duxerimus committendum: ne circa executionem illius, vel eorum quæ ad ipſum ſpectant officium, vel tibi ratione ipſius competunt, te contingat aliquatenus impediri: diſcretioni tuæ, ut non obſtante aliqua indulgentia, quibuſcumque archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, ceteriſque prælatis eccleſiarum, ſive aliis perſonis eccleſiaſticis vel ſæcularibus, cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, ſeu collegiis, vel dignitatibus, aut ordinibus, a ſede apoſtolica ſub quacumque forma verborum vel expreſſione conceſſa, etiamſi contineatur in ea quod aliquæ litteræ quantumcumque quælibet obſtantia ſeu obſtare poſſibilia expreſſius removentes, ipſi aliquatenus non obſiſtant; ſive quod de ipſa indulgentia, dignitatibus, ordinibus, ſeu nominibus propriis ipſorum ordinum, dignitatum, ſeu etiam perſonarum, plenam & expreſſam, ſeu etiam de toto tenore ipſius indulgentiæ ſigillatim & de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem; ſeu quod perſonæ hujuſmodi ab homine excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per litteras apoſtolicas vel legatorum ſedis apoſtolicæ, in quibus de ipſis dignitatibus, ordinibus, nominibus, ſeu indulgentia, vel ejus tota ſerie plena & expreſſa, ſive de verbo ad verbum, in eiſdem apoſtolicis vel legatorum ipſorum litteris mentio non habetur, & qualibet alia indulgentia cujuſcumque tenoris, formæ, vel expreſſionis exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertam, hujus noſtræ conceſſionis effectus impediri poſſit, vel quomodolibet retardari dictum officium, & omnia ad ipſum pertinentia, ſive tibi ratione ipſius competentia, libere ſine cujuſcumque conditionis vel alterius impedimenti objectione valeas exercere, plenam & liberam tibi authoritate præſentium concedimus facultatem. Datum Viennæ VII. Kal. Octobr. pontificatus noſtri anno IV. [an. Chr. 1274.]

» GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Simoni tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali, apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ut eo efficacius commiſſum tibi legationis officium promovere valeas, quo majore per nos fueris authoritate munitus: diſcretioni tuæ exercendi libere cenſuram eccleſiaſticam in omnes tam cathedralium, quam aliarum eccleſiarum prælatos, exemptos & non exemptos, in univerſa quoque capitula & conventus, duces, marchiones, comites, necnon barones, ballivos, & quoslibet alios nobiles, in rectores etiam, poteſtates, conſiliarios, univerſitates, populos, & quaſcumque perſonas eccleſiaſticas, regulares, ſæculares, etiamſi militiæ Templi, vel Hoſpitalis S. Joannis Hieruſalem, vel S. Mariæ Teuthonicorum, ſeu Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Præmonſtratenſis, Minorum, aut Prædicatorum ordinum fuerint, & in quaslibet alias publicas vel privatas tuæ legationis, cum videris expedire: non obſtantibus quod aliquibus a ſede apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, aut aliquibus privilegiis, indulgentiis, vel litteris quibuſcumque, dignitatibus, ordinibus, locis, vel perſonis, generaliter vel ſpecialiter, ſub quacumque forma vel conceptione verborum, ab eadem ſede conceſſis, de quibus, quorumve totis tenoribus, de verbo ad verbum, ſeu ordinibus, locis, aut propriis perſonarum nominibus, certa, ſpecialis, plena, determinata, & expreſſa mentio ſit habenda, & per quæ etiamſi contineantur in ipſis, quod per quaſvis apoſtolicas litteras quælibet obſtantia removentes, eis in aliquo nequeat derogari, nullum in præmiſſis volumus obſtaculum interponi, nec cuiquam contra ea præſidium quomodolibet exhiberi, plenam & liberam concedimus authoritate præſentium poteſtatem. Datum Lugduni XIV. Kalendas Sept. pontificatus noſtri anno III.

In cujus rei teſtimonium & munimen perpetuum, ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Actum in eodem concilio, Idibus Septembris anno Domini MCCLXXVI. Romana eccleſia vacante.

[* al. Cum igitur]

ANNO CHRISTI 1277.

G. C. Hujus concilii ſtatuta miſit Simon legatus ad omnes Francici regni epiſcopos: ut, qua legatio ſua patebat, ubique ſervarentur. Hoc adeo intelligimus ex Joannis archiepiſcopi Turonenſis ad epiſcopum Nannetenſem epiſtola, præmiſſa Bituricenſi concilio in collectione conciliorum provinciæ Turonenſis, quæ a Joanne Maano edita eſt, & apud nos extat manuſcripta beneficio Ægidii Menagii v. cl. Qua in editione, adſcribitur concilium noſtrum anno MCCLXXVII. falſo quidem, ſi ſpectatur annus, quo celebratum eſt; vere forſan, ſi tempus, quo ad omnes epiſcopos tranſmiſſum.

## JOANNES TURONENSIS

### ARCHIEPISCOPUS,

Miſſa ſibi a Simone legato Bituricenſis concilii ſtatuta, ad Nannetenſem epiſcopum tranſmittit.

*Joannes Dei gratia archiepiſcopus Turonenſis, venerabili in Chriſto fratri ejuſdem gratia epiſcopo Nannetenſi ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.*

Statuta concilii Bituricenſis nuper a reverendiſſimo in Chriſto patre domino Simone præmiſſa gratia tit. ſanctæ Cæciliæ presbytero cardinali, convocatis fratribus authore Domino ſalubriter celebrata, ac remedia pro defenſione eccleſiaſticæ libertatis adhibita, opportune nobis ab eodem reverendiſſimo patre tranſmiſſa, & copiam poteſtatis ab apoſtolica ſede ſibi conceſſæ, ut ea faciamus venerabilibus in Chriſto fratribus ſuffraganeis noſtris Turonenſis provinciæ publicari, & a noſtris immediate, & eorum ſuffraganeorum ſubditis per ipſos, inviolabiliter [a] recepimus in hæc verba.

„ Simon miſeratione Divina tit. ſanctæ Cæciliæ presbyter cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, venerabili in Chriſto fratri eadem gratia archiepiſcopo Turonenſi, ad futuram rei memoriam. Nuper in generali noſtræ legationis concilio per nos Bituris congregato nonnulla, &c. *cum litteris duabus Gregorii X. ut ſupra. Addit Simon legatus.* Inde eſt quod vobis authoritate apoſtolica mandamus, quatenus ſtatuta hujuſmodi, quæ vobis mittimus tenore præſentium litterarum noſtro ſigillo ſigillatarum, veſtris ſubditis publicanda, faciatis ab eis, prout convenit, irrefragabiliter obſervari: copiam ſtatutorum ipſorum, ipſis ſuffraganeis, & eorum ſingulis, nihilo minus facientes, cum fueritis requiſiti.

Datum Turonis, die Martis poſt feſtum Reſurrectionis Domini, anno ejuſdem Domini MCCLXXVII.

[a] Deeſt hic, obſervari. Hard.

# VITA ET EPISTOLA JOANNIS PAPÆ XIX.

## VULGO XXI.

Joannes, hujus nominis decimuſnonus, antea Petrus Hiſpanus vocatus, patria Ulyſſipponenſis, profeſſione medicus, ex epiſcopo Tuſculano ad ſupremam eccleſiæ dignitatem evectus eſt Viterbii xv. Septembris anno Domini MCCLXXVI. Palæologum, quem ad Romanæ fidei profeſſionem, prout in concilio Lugdunenſi promiſerat, edendam induxit: hunc ſimul & reges Orientales admonuit, ut arma pro defenſione fidei ſuſciperent. In eo laudem ſingularem meritus eſt, quod pauperes ſtudioſos facultatibus & beneficiis juverit; libroſque de medica, aliaque de arte logica opuſcula compoſuerit, e quibus, teſte Trithemio in chronico Hirſaugienſi, ſummula quædam extat, quam Theſaurum pauperum appellant, medicinæ non inutilis. Siffridus lib. 2. epitomes ſuæ ſcribit de hoc pontifice, quem Joannem XVIII. perperam nominat, quod dum quemdam librum (ut dicebatur) hæreticum & perverſum dictaret, ſubito domus, in qua ſedebat, ſuper eum corruerit, eumque in tantum concuſſerit, ut infra ſpatium quinque dierum miſerabiliter moreretur, replicans ſæpius hæc verba: Quid fiet de libello meo? Quis complebit libellum meum? Quæ per rumorem accepta, ſi vera ſunt, magnam Dei providentiam, qua ſuam ille gubernat eccleſiam, mirabiliter oſtendunt. Idque accidit, cum pontificatum octo menſibus, & aliquot diebus tenuiſſet.

### EPISTOLA

## JOANNIS PAPÆ XIX.

### AD EDUARDUM I. REGEM ANGLIÆ.

De non gravanda Hibernia.

*Joannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Eduardo illuſtri Angliæ regi ſalutem & æternam benedictionem.*

Paternum amorem ad tuæ celſitudinis incrementa, fili cariſſime, gerimus: dum te ad ea, quæ juſto placent judici, tui regni, terrarum & ſubditorum tuorum ſint opportuna quieti, & famæ tuæ pariter & honori proſpiciant, ſolicitis hortationibus invitamus. Propter quod in iis perſuaſiones noſtras devota debes mente ſuſcipere, & ad executionem illarum te paratum & flexibilem exhibere. Ecce, fili, quaſdam accepimus litteras directas pridem per Hibernicos magnates & populum, dilectis filiis noſtris Anſelmo, tituli ſanctorum Marcellini & Petri presbytero, & Lucæ ſanctæ Mariæ in Via lata diacono, cardinalibus, apoſtolicæ ſedis nunciis, & per eos nobis ſuis incluſas litteris deſtinatas: in quarum ſerie vidimus inter cetera contineri, quod cum felicis recordationis Hadrianus papa prædeceſſor noſter, ſub



certis modo & forma diſtinctis apertius apoſtolicis litteris, inde factis, claræ memoriæ Henrico regi Angliæ, progenitori tuo dominium Hiberniæ conceſſiſſet, ipſe rex ac ſucceſſores ipſius reges Angliæ, uſque ad hæc tempora modum & formam hujuſmodi non ſervantes, quinimo eos tranſgredientes, indebite afflictionibus & gravaminibus inauditis importabilium ſervitutum ipſos diutius oppreſſerunt. Nec fuit hactenus qui revocaret illata gravamina, aut errata corrigeret, non fuit quem pia compaſſio ſuper eorum contritione moveret; quamvis ſuper his ad te recurſus habitus fuerit, & clamor validus oppreſſorum aures tuas quandocumque pulſaverit. Unde talia ferre nequeuntes, ulterius coacti ſunt ſe a dominio tuo ſubducere, & alium in ſuum regimen advocare. Hæc, dilectiſſime fili, ſi veritate nitantur, tanto nimirum infectiora noſtris accedunt affectibus, quanto deſideramus intentius ut tibi proſpere cuncta cedant. Circa illa verſari ſedulo debes, eaque promptis affectibus exequi, quæ tuo ſint placita creatori, & ab omnibus abſtinere ſolicite, per quæ contra te debeat provocari ipſe Deus ac dominus ultionum, qui gemitus afflictorum injuſte minime deſpicit, & qui propter injuſtitias peculiarem ſuum dejeciſſe deſcribitur populum, & tranſlationem feciſſe regnorum. Quanto etiam deſiderabilius, iis præſertim impacatis temporibus, cupimus te illis libenter intendere, per quæ ſuorum corda fidelium ad tuam benevolentiam & obedientiam debeant allici, & illa prorſus vitare, quibus valeant a tuæ cultu devotionis avelli. Quia itaque, fili, tua non modicum intereſt hujus novæ mutationis vitare diſpendium, quamplurimumque expedit ut hæc non negligantur turbationis initia, ne, illis periculoſe creſcentibus, ſero medicinæ remedia præparentur, excellentiam regiam ſolicitamus attente præſentibus, ſano nihilo minus conſilio ſuadentes, quatenus hæc prudenti meditatione conſiderans, & cum ſuo diſcreto conſilio conferens, ſuper illis circa præmiſſorum gravaminum correctionem & reformationem debitam & feſtinam, viis & modis decentibus ſic ſufficienter provideri mandes, & facias, ſic diſcriminoſis principiis in hac parte obſtare procures, quod & illi, per quem regnas, placere valeas; & te in iis efficaciter implente quod debes, cujuſvis adverſum te juſtæ querelæ materia conquieſcat. Per quod iidem Hibernici ſaniori ducti conſilio tibi ut domino pareant, aut ſi, quod abſit, in inepta rebellione manere voluerint, cauſam ſuam in apertam injuſtitiam, te apud Deum & homines excuſato, convertant. Ut autem de prædictis gravaminibus & querelis, quibus prædicti innituntur Hibernici, tuis ſenſibus innoteſcat ad plenum, antedictas litteras miſſas cardinalibus antedictis, cum forma litterarum, quas prædictus Hidrianus prædeceſſor noſter eidem Henrico regi Angliæ de terra Hiberniæ conceſſit, tuæ magnitudini mittimus præſentibus incluſas. Datum, &c.

ANNO CHRISTI 1277.

# **CONCILIUM COMPENDIENSE

Ex apographo R. P. Jac. Sirmondi S. J.

Concilium provinciale eccleſiæ Remenſis habitum Compendii a rever. patre ac domino Petro Barbet archiepiſcopo Remenſi in canonicos cathedrales, anno Dom. MCCLXXVII.

Univerſis præſentes litteras inſpecturis, Petrus miſeratione Divina Remenſis archiepiſcopus, Milo Sueſſionenſis, Reginaldus Belvacenſis, Guido Noviomenſis, B. Catalaunenſis, Ingerannus Cameracenſis, Philippus Tornacenſis, Henricus Morinenſis, & R[*]. Silvanectenſis, eadem miſeratione Divina epiſcopi, Remenſis eccleſiæ ſuffraganei, in concilio provinciali apud Compendium congregati, ſalutem in Domino ſempiternam.

[*] Robertus.

Cæca cordis æmulatio, ſuperſeminanſque zizaniam humani generis inimicus, ſic quorumdam interiores oculos obtexit caligine, ſic etiam venenum infudiſſe dignoſcitur cordibus eorumdem: ut quid de jure liceat, aut quid de honeſtate deceat, non attendant. Ac non ſolum in ſubditos, immo etiam, quod horrendum eſt dicere, in proprios prælatos, & ipſos quibus ex debito fore noſcuntur filiationis adſtricti, frequenter ſæviunt, & nonnunquam contra eos calumnioſas & graves non zelo juſtitiæ, ſed rancoris, ſuſcitant quæſtiones. Attendentes igitur quod capitula & canonici cathedralium eccleſiarum noſtræ Remenſis provinciæ in nos, qui licet immeriti præſidemus eiſdem, neſcimus quo ducti ſpiritu, quod dolentes referimus, exercuerunt ſpiritualia jura, ſibi damnabiliter uſurpando, interdum auctoritate propria, interdum etiam per exquiſitas lites, quas contra nos aggredi non verentur, nonnunquam etiam per ſubtractionem Divini officii, contra nos pro ſuæ libertatis arbitrio ſua organa ſuſpendendo: idcirco nos ſuper præmiſſis intendentes, prout poſſibilitas aderit, ſalubre remedium adhibere, & præcavere periculis, quem tam nos quam ſucceſſores noſtri incurrere valeremus: deliberatione inter nos habita, de communi conſenſu conveniendum duximus & unanimiter ſtatuendum, quod quotieſcumque contigerit, inter nos vel quemque ex nobis, & capitulum ſuæ cathedralis eccleſiæ, diſcordiam ſuſcitari ſuper reformatione pacis, ſi fieri poterit, bono modo, necnon ad defenſionem cauſæ, fraterno more, alter alterius portantes onera, adſiſtemus nobis ad invicem, contributionem nihilo minus pecuniariam, prout magnitudo cauſæ popoſcerit, ei qui cauſam hujuſmodi ſeu litem habuerit, facientes. Et ut ſuper his cum majori valeat auctoritate procedi, ne etiam animoſe, quod abſit, contra capitula præfata quicquam proſequi videamur: ordinatum eſt inter nos conſenſu unanimi, quod nos annis ſingulis in quindena Pentecoſtes perſonaliter conveniemus Pariſius, ibidem tam de communibus, quam de propriis negotiis inſimul tractaturi, & habituri maturum conſilium, ne cauſam ullam contra ipſa capitula, niſi veram & juſtam, aliquatenus proſequamur. Obligamus inſuper nos omnes ad invicem ad obſervanda præmiſſa, & omnia bona noſtra. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus litteris ſunt appoſita. Datum in loco prædicto, anno Domini MCCLXXVII. ante Ramos Palmarum.

CON-

# ***CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM,

## In quo Joannes Beccus Romanam fidem profitetur, Romanumque primatum agnoſcit, menſe Aprili ann. MCCLXXVII.

Superſunt hujus concilii ſynodales ad pontificem litteræ editæ ab Odorico Raynaldo: ex quibus conſtat, paulo ante celebratum fuiſſe Conſtantinopoli univerſale Græcorum concilium: miſſum quoque ad pontificem fuiſſe volumen, quo acta concilii continebantur: has autem ipſas litteras eſſe ſynodi, quæ relicta eſt Conſtantinopoli ab illa generaliore.

### Litteræ patriarchæ CP. & concilii cum profeſſione fidei, & recognitione primatus.

*Sanctiſſimo & beatiſſimo ſummo pontifici apoſtolicæ ſedis veteris Romæ, & univerſali papæ, domino Joanni, Joannes miſeratione Divina patriarcha Conſtantinopolitanus Romæ novæ, cum omni noſtra ſacroſancta ſynodo debitam reverentiam noſtræ obedientiæ, ac inclinationem & orationum poſtulationem.*

PRincipii boni optimum eſſe finem, omnibus abſque dubio clare patet. Et quare non, cum *omne donum perfectum deſurſum ſit, deſcendens a Patre luminum?* [Jacob. 1.] Hoc enim conceſſo, conſequens eſt credi omne principium cujuſcumque rei optime inchoatæ a Divino pendere conſilio, & propter hoc neceſſario tale principium in finem deſinere glorioſum. Quod enim a Deo bene inchoatum eſt, quomodo non optime terminabitur auxiliante Deo quale quid factum eſt, & ſuper iis, de quibus nunc propoſitum eſt nobis dicere, o Divinum & ſacrum caput. Nam eccleſiaſtica unione feliciter incœpta tempore felicis memoriæ beatiſſimi illius viri (ſi tamen virum, & non angelum, vocari oportet felicem illum, ſanctiſſimum papam decimum dicimus Gregorium) ad glorioſiorem finem, quam * ad ipſam videlicet unionem [Locus corruptus.] ſummus Dominus conſummavit in diebus, in quibus ad decorem apoſtolicæ ſedis, & illuminationem perſpicuam firmamenti univerſalis eccleſiæ, vos, ᵃ nomine gratiæ nominatum, Deus eligendo conſtituit. [a Hoc eſt, Joannis nomine, H.] Quod quidem apoſtolicæ ſedis nuncii, reverendiſſimi ſcilicet fratres noſtri & coepiſcopi Jacobus Ferentinus & Gaufridus Taurinenſis, & de Deo accepto ordine prædicatorum religioſiſſimi noſtri fratres Raynonus prior Viterbienſis, & Salvus lector Lucanus, veſtræ ſanctitatis orationibus proſperati, pervenerunt ad ſanctos & potentiſſimos noſtros moderatores, & ad noſtram humilitatem, & ad eam, quæ apud nos inventa eſt ſacram & ſanctam ſynodum relictam ab univerſitate magnæ ſynodi, quæ apud nos paulo ante fuerat celebrata: dictæ eccleſiaſticæ unionis inchoatio, authore Deo, abſque defectu fine proſpero conſummata eſt.

Et quomodo quidem potens & ſanctus " moderator noſter, cum " Divinitus germinato ramo radicis, ſacro, potenti, & ſancto noſtro moderatore, confirmationem eccleſiaſticæ unionis in fide perfecta & diligenti certitudine fecerunt, poterit noſcere maxima ſanctitas veſtra & ab ipſis, quæ ad ipſam mittuntur, litteris potentiæ ſuæ, & ab inſtrumento juramentorum factorum per ipſos, & ab iis, quæ apoſtolicæ ſedis nuncii ore tenus divinis auribus veſtræ inſonuerunt ſanctitatis. [" Michael Imp. " Cum Andronico filio etiam imperatore.] Quomodo quoque nos robur præſtamus, & finem apponimus glorioſo principio hujuſmodi operis unionis, poterit ſcire veſtra a Deo magnifica ſanctitas, & a volumine ſynodicali, quod ſibi oſtendetur, quod humilitas noſtra cum toto ſacro ipſius conventu firmavit & roboravit ſubſcriptionibus manualibus, quæ apud nos vigorem obtinent juramenti.

Habet inſuper noſcere & ab iis quæ in præſenti ſcripto ſpecialius nos dicemus omnimode, præbentes veſtræ apoſtolicæ ſanctitati certitudinem noſtræ ad apoſtolicam ſedem puræ perfectæque obedientiæ. Dicimus enim, ſub teſtibus Deo & angelis verba facientes, quod omne ſchiſma inter eccleſias Dei, veteris Romæ ſcilicet & novę noſtræ, male introductum in læſionem Chriſtianitatis, aſpernimus & abjicimus; & præcordiali affectu, & ex tota anima prius ipſum deponentes, per linguam, & labia, & prolativum noſtrum ſermonem, etiam in præſenti ſcripto ipſum abnegamus, & eccleſiaſticam pacem & unitatem, & primatum apoſtolicæ ſedis confitemur, recognoſcimus, acceptamus, & ſponte ſuſcipimus; & ad ipſius obedientiam ſpontanei venientes, ratum habere, & conſervare immutabile promittimus & aſſerimus, & eas prærogativas, quæ a principio ante ſchiſma præſtabantur apoſtolicæ ſedi ab illis, qui pro tempore, pontificio in Conſtantinopoli fungebantur, integra & inviolabilia promittimus conſervare. Schiſma enim, quod in medio interceſſit, intimo cordis affectu & tota animi voluntate aſpernentes: compaginamus & coaptamus noſmetipſos lineæ pontificum illorum, qui ante ſchiſma apoſtolicæ ſedi veteris Romæ ſuam obedientiam canonice & legitime conſervabant; & nihil omnino imperfectum omittere pollicemur de iis, quæ ante ſchiſma illi divi & ſancti imperatores apoſtolicæ ſedi præſtando roborarunt & affirmarunt; inſuper etiam & de iis quæ in ſacris conciliis patres noſtri ad ipſius obedientiam demonſtrabant ſe conſervare. Rurſus ad apoſtolicam ſedem confirmamus inviolabiliter & integre omnes prętogativas & privilegia, quę ante ſchiſma reverendi & beati imperatores, & deiferi patres noſtri doctores, ad primatum apoſtolicæ ſedis in obedientiam oſtendebant: videlicet, quia ipſa ſacroſancta Romana eccleſia ſummum & perfectum primatum & principatum ſuper univerſam catholicam eccleſiam obtinet, quem in ſeipſa ab ipſo Domino, in beato Petro apoſtolorum principe ſeu vertice, cujus Romanus pontifex eſt ſucceſſor, cum plenitudine poteſtatis recepiſſe, vere ac humiliter recognoſcimus. Et quemadmodum prę aliis tenetur fidei veritatem defendere: ſic, & ſi quę de fide ſubortę fuerint quęſtiones, ſuo debent judicio definiri. Ad hanc poteſt quilibet, gravatus in negotiis ad forum eccleſiaſticum pertinentibus, appellare: & in omnibus cauſis, ad examen eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri judicium: & eidem omnes eccleſię ſunt ſubjectæ, ipſarumque prę lati obedientiam & reverentiam ſibi debent. Apud hanc autem plenitudo poteſtatis conſiſtit, quod ea, quę ceterę eccleſię, & patriarchales ſpecialiter, diverſis temporibus privilegia obtinuerunt, ſanctionibus beatorum ſanctorum imperatorum illorum, & canonicis ſanctionibus ſacrorum & Divinorum conciliorum, eadem Romana eccleſia confirmavit & roboravit: & non aliter obtinuerunt confirmationem eccleſiarum hujuſmodi prerogativę, niſi eadem eccleſia Romana ſuum ſuper iis judicium & ſententiam protuliſſet: ſua tamen prerogativa tam in generalibus conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva. Et de abnegatione quidem ſchiſmatis, & recognitione primatus apoſtolicę ſedis, tanta ſint dicta.



Quoniam autem multum ſchiſmatis tempus, opinionem quibuſdam vanam & falſam tribuit, quod ſit aliqua differentia dogmatum interutramque eccleſiam, Gręcam videlicet & Latinam, propter in ſymbolo factam additionem per Romanam eccleſiam: oportet utique, nos libellum fidei exponere, ex quo veſtra Deo magnifica altitudo, & tota Romana eccleſia, cognoſcet, quod nulla differentia fidei eſt iis qui ſymbolum primi Nicęni concilii legunt, & qui ſymbolum Conſtantinopolitani ſecundi concilii prædicant, & iis, qui hoc ſymbolum, quod a Romana eccleſia legitur cum additione, venerantur.

Credimus enim in unum Deum ingenitum Patrem omnipotentem, immortalem, inviſibilem, impalpabilem, univerſum implentem, & ſuper omnia exiſtentem, conditorem totius creaturæ viſibilis & inviſibilis, corporalis & ſpiritualis. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Verbum, unigenitum Filium, æternum ab æterno Patre, principium de principio, lumen de lumine, Deum de Deo, omnipotentem de omnipotente, æqualem incommutabiliter generanti Patri, prout ipſe Dominus in evangelio aſſerit dicens: *Qui videt me, videt & Patrem;* [Joan. 14.] qui ante omnia ſęcula natus, ineffabilem & intellectu incomprehenſibilem habet nativitatem: *Generationem ejus quis enarrabit?* [Iſ. 53.] ſacra fatentur eloquia, hoc eſt nullus. In conſummatione ſęculorum deſcendit inſeparabiliter ex paterno ſinu " intemeratam & ſemper virginem Mariam, [* add. in] & noſtram ex ipſa aſſumpſit naturam, carnem videlicet humanam cum anima rationali, non ſecundum phantaſiam, ſed ſecundum veritatem; neque " ſupernam & intemporalem nativitatem adoptatus, [" add. ſecundum] neque ſecundum inferiorem temporalem: naturalis enim exiſtens & verus filius Dei, naturalis & verus ſemper virginis Mariæ ipſe idem filius exiſtit, qui carnem accepit ex ipſa, viſibilem inviſibilis, mortalem immortalis, paſſibilem impaſſibilis, palpabilem impalpabilis: in qua carne & pro nobis ſponte ſuſcepit paſſionem, vera carnis paſſione. Mortuus & ſepultus & deſcendens ad inferos, & tertia die, ſecundum ſcripturam, reſurgens a mortuis vera carnis reſurrectione. Poſt quadraginta ʼ a reſurrectione ſua a mortuis, [ʼ add. dies] aſcendit ad cœlos, cum eadem, qua reſurrexit, carne & anima: & ſedet ad dexteram Dei Patris, introitum in cœleſte regnum nobis elargiens. Qui venturus eſt iterum judex vivorum & mortuorum, redditurus unicuique ſecundum opera ſua.

Credimus eodem modo & in Spiritum ſanctum, *omnia ſcrutantem, etiam profunda Dei,* [1. Cor. 2.] qui naturaliter ineſt Deo & Patri & eſſentialiter inſitus eſt, ut ita dicamus, & indiviſibiliter ex ipſo procedens; naturaliter ineſt & Filio, & eſſentialiter illi inſitus eſt, & indiviſibiliter ex ipſo procedit. Profunditur ʼ quod enim idem procedit, quemadmodum a fonte, ʼ Deo & Patre: [* Corr. Profunditur quidem & procedit. " add. a Deo] profunditur autem & ab ipſo filio, quemadmodum a fonte, velut utique & ex ipſo Deo & Patre. Sed licet Pater fons Spiritus ſit, & Filius fons Spiritus ſit: non tamen duo fontes Spiritus ſunt Pater & Filius. Unum enim fontem Spiritus Patrem & Filium fidelis & pia intelligentia tenet: & propter hoc communem Patris & Filii Spiritum S. eccleſiæ luminaria & doctores theologizarunt. Sicut enim de ſubſtantia Patris naturaliter Spiritus eſt, ſic & ex ſubſtantia Filii naturaliter Spiritus eſt: & ſicut ſecundum ſubſtantiam exiſtit Dei & Patris, ita & ſecundum ſubſtantiam Filii exiſtit: & ut proprius eſt eſſentiæ Patris, & non extra hanc procedens in eſſe, ita & eſſentię Filii proprius eſt, & non extra hanc procedens in eſſe. Naturalium enim bonorum Dei & Patris eſſentialiter exiſtens Filius communicator, habet Spiritum, ſicut unuſquiſque noſtrum, proprium in ſeipſo continens ſpiritum, & ex intimis viſceribus ad extra profundit ipſum. Propter quod & corporaliter ipſum diſcipulis inſufflavit, quia inſpiratione Filii Spiritum novimus, & ſenſum Chriſti Spiritum eſſe ab apoſtolo edocti ſumus. Unde unam eſſe catholicam & ſanctam apoſtolicam eccleſiam confitentes, in qua unum datur baptiſma, & vere remiſſio omnium peccatorum, tribus perſonis, ſcilicet Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in quibus & ad quas perſonas baptizamur, gloriam referimus, ſicut uni Deo: & ipſas tres eſſe cognoſcentes perſonas, unum Deum omnipotentem ipſas cognoſcimus, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem, coæternam, & coomnipotentem; unius dignitatis, unius potentiæ, unius voluntatis, unius operationis; ſingulam ſanctæ Trinitatis perſonam Deum plenum & perfectum prædicantes, & confitentes. Et ita credentes, gloriam offerimus Patri, gloriam offerimus Filio, gloriam offerimus Spiritui ſancto. Credimus veram reſurrectionem noſtræ carnis, quam in præſenti vita geſtamus, & futuram vitam, æternam, perpetuam expectamus. Credimus etiam ipſum & unum Deum actorem eſſe & dominum omnipotentem, veteris & novi-teſtamenti, prophetarum & apoſtolorum: in Trinitate unum cognitum Deum benedicentes nunc & in ſæcula. Amen. Et hoc quidem uſque in tantum.

Ex quo autem ſancta Romana eccleſia propter diverſos errores, a quibuſdam ex ignorantia, ab aliis ex malitia introductos, dicit & prędicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum, & ſi vere pœnitentes in caritate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas in igne purgatorii poſt mortem purgari; & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe iis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynas, & alia pietatis officia, quę a fidelibus fieri conſueverunt ſecundum eccleſię inſtituta; & illorum quidem animas, quę poſt ſacrum baptiſmum ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerint, illas etiam, quę poſt baptiſmum maculam peccati contraxerunt, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutę, ſicut ſuperius dictum eſt, ſunt purgatę, mox in cœleſte regnum recipi: illorum autem animas, qui cum mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis diſparibus puniendas; & quod nihilo minus in die judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, redditituri de factis propriis rationem: quoniam quidem ſancta eccleſia Romana ſic dicit & prędicat, recipimus hęc & confitemur, quoniam ſanctorum patrum Divinę ſcripturę ipſa continent.

Cum autem iterum cum ſupraſcriptis ſancta apoſto-

ANNO CHRISTI 1277.

apoſtolica eccleſia Romana dicit & prędicat, quod ſeptem ſunt eccleſiaſtica ſacramenta, baptiſmus, de quo dictum eſt ſupra; ſacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem epiſcopi conferunt chriſmando renatos; pœnitentia, euchariſtia, ſacramentum ordinis, matrimonium, & extrema unctio, quę ſecundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus exhibetur: dicimus & de iis hęc baptiſmum [a] hoc recipimus, & confitemur, ſicut ſecundum confirmationis ſacramentum, licet apud eccleſiam Romanam per impoſitionem manuum ſoli epiſcopi conferant chriſmando renatos, apud nos autem indifferenter pręlati & presbyteri hoc faciunt: tamen nos eam, quę hactenus apud nos obtenta fuit conſuetudo, in ipſa ordinatione conſervantes, quod a Romana eccleſia ſuper ipſa ſit, ſanctiſicativum & perfectivum eſſe confitemur. Pœnitentiam & ipſam amplectentes confitemur & recipimus. Euchariſtiam & ipſum ſacramentum Euchariſtię, per ſanctam eccleſiam Romanam ex azymo pane confectum, ſecundum ipſius antiquam conſuetudinem per ipſam hactenus veneratam, ſimiliter illud, quod per nos conficitur ſacramentum dicimus eſſe indiſtanter; credentes & nos ipſum azymum panem in ipſo ſacro officio Euchariſtię vero tranſubſtantiari in corpus domini noſtri Jeſu Chriſti, & vinum in ſanguinem ejus per ſuam ſanctiſſimi Spiritus virtutem & operationem; a nobis iterum ex fermentato confectum pane, ſacramentum etiam illud cognoſcimus. Quod & conſervantes ſicut a principio nobis traditum: credimus ſimiliter, ipſum panem vere tranſubſtantiari in corpus, & vinum in ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti per ſanctiſſimi Spiritus, ut dictum eſt, virtutem & operationem. Sacramentum ordinis & ipſum amplectenter confitemur & recipimus. Matrimonium, de quo tenet ipſa eccleſia Romana, quod nec unus vir plures uxores ſimul, nec una mulier ſimul habere permittitur plures viros; ſoluta vero lege matrimonii per mortem alterius conjugum, ſecundas, & tertias, & [a] deinde nuptias legitime factas, ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum, & cauſa alia non obſiſtat: recipimus eodem modo, & de ipſo idem dicimus nos. Extremam unctionem etiam ipſam recipimus, ſimiliter cum aliis, quæ & a nobis celebrata eptapapadum [b] nominatur. Unum ſummatim dicamus: cum hæc omnia ſic veneretur, & prædicet dicta ſancta eccleſia Romana, credimus & dicimus, quod vere, fideliter, & orthodoxe docet & prædicat ipſa ſancta eccleſia Romana: tamen & ſic debemus nos permanere incommutabiliter in ritibus, qui a principio obtenti ſunt in eccleſia noſtra. Hæc omnia ſupraſcripta ad confirmationem pleniſſimam exponentes abnegationis ſchiſmatis & puræ ac veræ noſtræ obedientiæ ad primatum eccleſiæ Romanæ, & repræſentationem & demonſtrationem, quod concors ſit pleniſſime & ſine defectu noſtra eccleſia ſecundum fidei orthodoxæ intellectum ſanctæ apoſtolicæ matris omnium eccleſiarum eccleſiæ Romanæ, noſtra bulla conſueta roboravimus, menſe Aprilis, quintæ Indictionis, ſexti milleni [c] ſeptimi centeni octuageſimi quinti anni, ſecundo anno pontificatus noſtri.

[a] Ita ſine dubio Græce; quibus ἅλις γάμος, bene eſt, & conſequentes nuptiæ.

[b] Cor. euchelæum. Nam Græce εὐχέλαιον.

[c] Anni Græcorum 6785. reſpondet anno 1277.

# ** CONCILIUM ALTERUM CONSTANTINOPOLITANUM,

## In quo excommunicati ſchiſmatici, qui concordiam cum Romana eccleſia initam reſpuebant.

LITTERÆ SYNODICÆ.

*Joannes miſeratione Divina Conſtantinopolitanus patriarcha, univerſis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, rei geſtæ memoriam cum ſalute.*

CAritati veſtræ notum fieri volumus per præſentes, quod nobis exiſtentibus in concilio Conſtantinopolitano, congregato pro diſcutienda ſciſſura dudum facta inter eccleſiam Latinam & Græcam, per illum qui unitati invidet, & una cum ipſo ſacroſancto concilio deliberatione habita, omnes ſchiſmaticos, ac unionis eccleſiaſticæ turbatores, qui prope & longe ſub pertinacia ſua ubicumque exiſtant; qui non recipiunt ſanctam Romanam eccleſiam eſſe matrem & caput omnium aliarum eccleſiarum, & fidelitatis orthodoxæ magiſtram, & ipſius ſummum pontificem, primum paſtorem omnium Chriſtianorum, quocumque fungantur officio vel ordine, pontificali dignitate ſeu ſacerdotali, diaconali; ac omnes alios univerſaliter ſchiſmaticos perturbatores, cujuſcumque conditionis aut ſtatus exiſtant, ſive de imperiali, ſive de ſenatus conſilio, aut alicujus alterius conditionis, cum quibus & ipſum [a] Nichiſorum ducam, qui nominatur deſpotas, & Joannem ducam de Patra, qui nominatur [b] ſyntocrator, ſicut ſchiſmaticos & perturbatores hujuſmodi eccleſiæ unionis, & ſuſceptores ſchiſmaticorum, & perſecutores ipſorum qui convenerunt ad hujuſmodi eccleſiaſticam unionem, & ſicut illos, qui dividuntur de populitate noſtra, & de noſtra ſocietate fugiunt propter obedientiam, quam fecimus ad apoſtolicam ſedem: excommunicavimus, anathematizavimus, ipſoſque damnatos pronunciavimus, & penitus reprobatos. In cujus rei teſtimonium, bullam noſtram cum noſtra ſubſcriptione ſolita præſentibus duximus apponendam. Datum Conſtantinopoli apud ſanctam Sophiam, anno Dom. MCCLXXVII. die Veneris, ſextodecimo intrante Julio, Indictione quinta.

[a] Forte Niceforum pro Nicephorum. Hard.

[b] Lege Sebaſtocrator: Græce Σεβαστοκράτωρ. Hard.

VITA



ANNO CHRISTI 1277.

# VITA NICOLAI PAPÆ III.

NIcolaus tertius, cui Joannis Cajetani nomen fuerat, ex nobiliſſima Urſinorum familia genitus, ex cardinale diacono tituli ſancti Nicolai, poſt interregnum ſex menſium, magna cum altercatione pontifex creatus eſt Viterbii ſeptimo Kalendas Decembris, anno Chriſti 1277. obſiſtente plurimum Siciliæ rege Carolo, qui ſenator conclavi præſidens omnibus modis urgebat, ut e Gallia quiſpiam eligeretur. Inito pontificatu, Carolo Etruriæ vicariatum & ſenatoriam dignitatem abſtulit: ſtrictiſſime prohibens, ne ullus principum ad eam deinceps aſſumeretur. Exarchatum Ravennatem cum omni Flaminia recepit, cui comitem Bertholdum nepotem præfecit. Poſt multas comminationes, Venetos adegit, ut pacem cum Anconitanis paciſcerentur. Duos reges ex Urſinorum familia creare decreverat, unum Etruriæ, alterum Longobardiæ præfecturus: ille ut Germanos ultra Alpes compeſceret; hic ut Gallorum & Sicilienſium potentiam retunderet. Laudatur in eo quod generoſi animi & ſani conſilii, probatæ vitæ, morumque honeſtiſſimorum fuerit, litterarum ſtudioſos amaverit, in diſtribuendis beneficiis perſonarum electionem evitaverit. Præclaris ædificiis palatium exornavit, ſancti Petri hortos muris circumdedit, eccleſiamque reparavit, in eaque pontifices depingi curavit. Idem etiam in ſancto Paulo perfecit: canonicorum numerum auxit. Ordines eccleſiaſticos diviſit, unicuique domicilium proprium aſſignans, ut advenę, quo in loco quiſque magiſtratus, præſertim forenſis, reperiretur, cognoſcere poſſent. Palatium Lateranenſem ad finem perduxit. Sancta ſanctorum reſtauravit. Eccleſiam S. Joannis propriis expenſis reædificavit. Nunquam Miſſam ſine lacrymarum profuſione celebravit. Ordinem Minorum maxime promovere ſtuduit. Eccleſiis vacantibus optime omnium & prudentiſſime ipſe unus providit. Magiſtratum alioſque curiæ miniſtros reformavit. Multa ad publicam utilitatem ſpectantia ordinavit. In hoc uno quibuſdam culpabilis viſus, quod in ſuos propenſior obſervaretur: præſertim quod, ut iis benefaceret, aliis ſubtrahebat. Tandem, licet cibi potuſque abſtinentiſſimus eſſet, morte tamen ſubitanea in octava Aſſumptionis Suriani ſublatus eſt, cum pontificatum annis tribus, menſibus octo, & diebus quindecim obtinuiſſet. Inde Romam relatus, in eccleſia ſancti Petri ſepultus eſt. Sedes quinque menſibus vacavit.

ANNO CHRISTI 1278.

# ☞ CONCILIUM PROVINCIALE APUD AURELIACUM

## Habitum anno MCCLXXVIII. contra exemptos.

Ex Martenę Theſauro Anecd. Tom. 4. p. 183.

*Ex Archivis illuſtriſſ. archiepiſcopi Albienſis.*

NOs frater Gvido miſeratione divina Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, frater Gvillelmus Claromontenſis, G. Lemovicenſis, S. Mimatenſis, R. Ruthenenſis, B. Albienſis eadem miſeratione Epiſcopi ad æternam rei memoriam. Quia nonnulli his, quæ religionis prætextu ad augmentum ſanctitatis conceſſa fuerant, ſic nequiter abutuntur, quod ut pellem id extendentes gratiæ, quod humilitatem diſciplinatam fovere debuerat, ſe in innatam erigentes ſuperbiam juſtum ſubvertunt, honeſtum deſerunt, ſervitutis juſtæ jugum nitentes excutere, ut in ſubreptam poſſint fraudulenter eripi libertatem: quos etſi effrons malitia continuo agitet in eo obtinendo quod optant, debet tamen juſtæ compeſcere vigilantia diſciplinæ. Frequenter namque comperimus, horum experti malitiam, quod illius immunitatis velamine, qua ſe quidam munitos aſſerunt, ne ab ordinario quolibet excommunicari aut interdici valeant vel ſuſpendi, in locis non exemptis morantes, ordinarios ad viſitationis officium non admittunt, procurationes ex eo debitas eis inhumaniter denegantes, ac jura alia eis debita illo prætextu ſubtrahunt & uſurpant, damnis cumulantes injurias, atque multos alios exceſſus; & plurima illicita & enormia committere minime formidantes, nitentes præfatæ libertatis velamine omnes eorum inſolentias ad excuſandas excuſationes peccaminum obumbrare. Ne igitur diſciplinæ remiſſio hujuſmodi graſſatoribus in viam lubrici paret caſum, de communi concordia, & aſſenſu totius Concilii ordinamus, ut ſi a prædictis vel aliis non exemptis aliter in locis quæ præmiſimus, vel eorum occaſione deinceps ſimilia attententur, poſtquam occaſione hujuſmodi eccleſiaſtico ab ipſis ordinariis loca ipſa fuerint ſuppoſita interdicto, non præſumant ibidem populo celebrare, vel celebrari facere divina officia, aut miniſtrare vel miniſtrari facere eccleſiaſtica ſacramenta, corporali vexatione, ſi non periculoſa commoditas aderit, præbente contrarium facientibus intellectum in defendentes eos quacumque adminiſtratione fungantur laica, vel cujuſcumque officii gradus aut dignitatis exiſtant, & in non prohibentes auctoritate ſui officii, rebellionem ſeu reſiſtentiam cum effectu pro poſſe quamlibet laicam talium requiſitos per ordinarios & monitos competenter auctoritate hujus ordinationis, excommunicationis ſententia, in qua ipſo facto incidant, promulgata: quam ſi per 15. dies animo ſuſtinuerint indurato, & iterum non ſatisfecerint requiſiti, in locis ad quæ eos declinare contingeret, ceſſetur penitus a divinis in die qua illuc venerint, & poſtquam diu inibi moram trahant; eaſdem ſtatuentes pœnas per omnia contra omnes & ſingulos laicos, qui infra Bituricenſem provinciam de rebus eccleſiaſticis vel perſonis cognoſcendo vel occupando, eas, ſub quocumque prætextu, cum in eis, juriſdictionem ordinarii eccleſiaſtici perturbando, ſe

quomo-

quomodolibet intromittent. Cum ſi quicumque A de ordinariis conquerantur, poſſint ſuos adire eccleſiaſticos judices, qui errata corrigant ſecundum canonicas ſanctiones. A prædictis vero ſententiis neminem abſolvi volumus incidentem in eas, antequam paſſis injuriam ſatisfecerit competenter, quæ tunc demum per ordinarios ſervata forma eccleſiæ ſolita abſolvantur. Præcipientes ut præſens ordinatio publicetur per ſingulas parochiales eccleſias bis in menſe, in quorum fidem & teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Datum & actum apud Aureliacum Claromontenſis diœceſis in vigilia feſti S. Bartholomæi annô Domini MCCLXXVIII.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1278.

# ** CONCILIUM LANGESIENSE *

*Langeiſ.

## A Joanne Turonenſi archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno Domini circiter MCCLXXVIII.

### TITULI CANONUM.

1. *De procurationibus poſt viſitationem præſtandis.* B
2. *Ne archidiaconi, archipresbyteri, & decani, extra civitatem officiales non habeant.*
3. *De matrimoniis clandeſtinis.*
4. *De filiis presbyterorum.*
5. *De teſtamentis & eorum executoribus.*
6. *De excommunicatis ultra annum.*
7. *De abuſoribus litterarum apoſtolicarum.*
8. *Qualiter eccleſia parochialis ad firmam tradi poteſt.*
9. *Ne participantes cum excommunicatis in generali excommunicentur.*
10. *De ceſſionibus.*
11. *De regularibus.*
12. *Ne plures in monaſteria recipiantur, quam poterunt ſuſtentari.* C
13. *Ne monachi ſint ſoli in prioratibus.*
14. *Ne prioratus vacantes denudentur.*
15. *De advocatis.*
16. *De juramentis officialium.*

### PRÆFATIO.

Matth. 18.

*UBi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, dicit Dominus. In ipſius itaque domini noſtri Jeſu Chriſti nomine congregati, qui inter multos medium locum ſibi elegit, ut ſcriptura teſtatur, ad ejus honorem & gloriam, noſtri præſentis authoritate concilii promulgamus ſtatuta, dicentes. D

### CAPITULA.

*I. De procurationibus poſt viſitationem præſtandis.*

QUia cautum eſt in jure, procurationem ratione viſitationis deberi in victualibus, non in pecunia numerata; ac nonnulli eccleſiarum prælati non viſitantes eccleſias, ab eis etiam in pecunia recipere procurationes præſumunt: inhibemus, ne pecuniam pro procurationibus, ſed expenſas tantummodo in victualibus, a locis quæ viſitaverunt, recipiant moderatas: niſi a locis, in quibus taxatæ ſunt procurationes ab antiquo in pecuniis, vel quæ inhabilia ſunt ad ſuſtentationem "prælati; adeo quod in eis prælatus honeſte procurari" non poſſet: quæ tamen loca, ante procurationis ſuſceptionem, prælatos ſtatuimus viſitare teneri. E

" al. ſuſceptionem " al. pernoctare

*II. Ut archidiaconi, archipresbyteri, & decani, extra civitatem officiales non habeant.*

Item inhærentes prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis, qui idem in ſuis provincialibus conciliis apud Caſtrum "Gonterii & "Turonum" celebratis, deliberatione provida ſtatuerunt, præſentibus firmiter innovamus: inhibentes, ne archidiaconi, archipresbyteri, & alii eccleſiaſticam juriſdictionem habentes, extra civitatem officiales ſeu allocatos habeant: immo conſuetum officium in perſonis propriis fideliter exequantur. Proceſſus autem, ſi qui per eoſdem officiales ſeu allocatos habiti fuerint, decernimus penitus non valere.

" an. 1231. " an. 1239.

*III. De matrimoniis clandeſtinis.*

Verum quia clandeſtina matrimonia in cauſis matrimonialibus frequenter magnas dubitationes inducunt, & quandoque legitima matrimonia ſeparantur, & illegitima remanent copulata: præcipimus, ut diœceſani ſubditis ſuis diſtricte prohibeant in ſynodis, & etiam viſitantes, ne per verba de præſenti ad matrimonia inter aliquos contrahenda procedant, donec ante portas eccleſiæ convenerint volentes contrahere, benedictionem ſuſcepturi. Sed tunc demum ad matrimonium contrahendum per verba de præſenti coram ſacerdote procedant.

*IV. De filiis presbyterorum.*

Cum carnis concupiſcentia ſtatum clericalem multipliciter dehoneſtet, maxime quando uſus uſque ad ſobolis procreationem perdurat: ſtatuimus ne clerici, maxime in ſacris ordinibus conſtituti, filiis ſuis ab ipſis in ſacris ordinibus procreatis, vel etiam concubinis, in ultima voluntate aliquid legare præſumant. Si quis vero perſonis prædictis aliquod legatum reliquerit, ſi rector exiſtat, eccleſiæ, cujus rector exiſtit, aut ſi eccleſiam non habeat, eccleſiæ a qua vivens eccleſiaſtica conſueverat percipere ſacramenta, dictum legatum decernimus



ANNO CHRISTI 1278.

nimus applicari. Nec impudico patri liceat A filium ſic creatum ſecum tenere.

*V. De teſtamentis, & eorum executoribus.*

Item inter emptorem & venditorem debet eſſe diſcretio perſonalis. Hinc eſt quod cum executores teſtamentorum, unius perſonæ vicem obtineant, ſcilicet teſtatoris: diffinimus quod nullus executor aliquid poſſit emere per ſe vel per alium, vel quoquo modo & titulo ſibi retinere, de rebus ſeu de bonis deputatis executioni teſtamenti, cujus executor exiſtit: juris exemplum in hoc ſequentes, prohibentis procuratoribus aliquid emere de bonis, eorum procurationi ſeu gubernationi commiſſis. Contractus vero contra hoc ſtatutum initos decernimus non tenere: emptorem nihilo minus ad reſtitutionem dupli pretii rei emptæ, in executionis utilitatem convertendæ, decreto hujuſmodi condemnantes. B

*VI. De excommunicatis ultra annum.*

Initium ſuperbiæ eſt apoſtatare, & radix hæreticæ pravitatis contemnere clavis eccleſiaſticæ poteſtatem. Quia igitur nonnulli excommunicationis ſententias, & quod deteſtabilius eſt, Dominici corporis ſacramentum contemnentes, diuturnis temporibus in ſententiis commorantur, de participatione interim Dominici corporis non curantes: præſenti decreto ſtatuimus, ut quicunque excommunicationis ſententiam ultra annum continuum ſuſtinuerit animo indurato, in quocunque teſtamento efficiatur non capax, nec ſine magna ſolemnitate & gravi pœna & publica abſolvatur. C D

*VII. De abuſoribus litterarum apoſtolicarum.*

Conc. Turon. an. 1233 c. 5. Et apud Caſtrum Gonter. an. 1253.

Dignum eſt ut quos Dei timor a malo non revocat, cenſuram ſentiant eccleſiaſticæ diſciplinæ. Inde eſt, quod nos ſtatutum felicis recordationis Gregorii IX. contra litterarum apoſtolicarum abuſores editum, *de reſcriptis*, *Quia nonnulli*, deſiderantes obſervari, in omnes illos qui in aliquem caſuum abuſus in dicta conſtitutione contentorum de cetero committere præſumpſerint, niſi moniti canonice ab ordinariis, deſtiterint: ſi clerici in ſacris fuerint, ſuſpenſionis; ſi laici, aut in minoribus ordinibus conſtituti, excommunicationis ſententiam promulgamus; abſolvendi prædictos poteſtate ordinariis conceſſa. E



ANNO CHRISTI 1278.

*VIII. Qualiter eccleſia parochialis ad firmam tradi poteſt.*

Secundum evangelicam veritatem, mercenarius judicatur non paſtor, qui in beneficiis eccleſiaſticis temporalia principaliter contemplatur. Prohibemus igitur, ne parochiales eccleſiæ, quæ quotidianam inſtantiam, & præſentiam paſtorum ſuorum deſiderant, ad firmam tradantur ſine ſpeciali diœceſani & expreſſo conſenſu: nec tunc ad arbitrium rectoris eccleſiæ taxabitur firma, ſed ad judicium diœceſani.

*IX. Ne participantes cum excommunicatis, in generali excommunicentur.*

Cum excommunicationis ſententia medicinalis cenſeatur: nolentes quod medicina unius, alii tranſeat in venenum, prohibemus, ne cum excommunicationis ſententiam in aliquem, ſeu in aliquos, promulgari contingat, prætextu aggravationis ſententiæ in participantes cum ipſis, aliqua ſententia promulgetur: niſi ex magna cauſa prælatus hoc viderit faciendum.

*X. De ceſſionibus.*

Quia juris ſubſidium ad magnum diſpendium trahi non debet, & ceſſiones actionum ex legitimis cauſis permiſſæ, nonnunquam a pluribus fraudulenter, & etiam ſimulate factæ fuerint: ſtatuimus, ut cum quis ex ceſſione ſibi facta agere voluerit, ante litis conteſtationem jurare teneatur, quod ceſſionem ex qua agit ſibi factam, non recipit fraudulenter. Quod ſi actor jurare noluerit, reus ad litis conteſtationem nullatenus compellatur, aliis exceptionibus reo contra ceſſionem nihilo minus reſervatis.

*XI. De regularibus.*

*Adoleſcens juxta vias ſuas, etiam cum ſenuerit, non recedet ab eis.* Prohibemus ne pueri monachi, antequam ad decimum octavum annum pervenerint, ad prioratus cauſa morandi tranſmittantur: ſed in clauſtro commorentur, ibidem de bonis ſenioribus" inſtruendi in regularibus diſciplinis: niſi ordinarius ex cauſa aliquibus duxerit concedendum.

" al. a moribus ſenioris

*XII. Ne plures in monaſteria recipiantur, quam poterunt ſuſtentari.*

Inter diſcipulos Domini quiſquam egens non erat, ſed ſingulis dividebatur, prout cuique opus erat, ut in actibus Apoſtolorum.

ANNO CHRISTI 1278.

Merito igitur prohibemus, ne abbates vel abbatiſſæ, priores vel prioriſſæ, monachos vel moniales plures in ſuis monaſteriis vel cœnobiis recipiant, quam ex locorum facultatibus competenter poterunt ſuſtentari. Diœceſanis vero locorum ſuper hoc diligenti cura commiſſa, ut in dictis locis ſibi ſubjectis certum inſtituant numerum perſonarum, prout penſatis locorum facultatibus, Deum habentes præ oculis, viderint expedire.

*XIII. Ne monachi ſint ſoli in prioratibus.*

Eccl. 4. Scriptum eſt, *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſublevantem.* Præcipimus igitur abbatibus & prioribus, ut monachos ſibi ſubditos ſingulariter eſſe, vel ſolitarios in prioratibus commorari, de cetero non permittant.

*XIV. Ne prioratus vacantes denudentur.*

Ex cupiditate quæ radix eſt omnium malorum videtur procedere, quod abbates prioratus vacantes ceſſione, morte, vel commutatione priorum, bonis in prioratibus inventis denudant: & etiam aliquando priores tranſlati. Nos indemnitati locorum providere volentes, inhibemus ne priores in ſui tranſlatione vel commutatione, ſeu etiam abbates, loca vacantia, bonis mobilibus ibidem exiſtentibus denudare præſumant, in grave diſpendium prioratus vel prioris inſtituendi: circa quod prælati vigilent diligenter.

*XV. De advocatis.*

Rem non novam aggredientes, ſtatuimus, ut aſſueti patroni ſeu advocati cauſarum, cum in curia ad poſtulandum, ſeu advocandum admittuntur, jurent quod ſcienter injuſtas cauſas non fovebunt, & quod clientibus ſuis fidele pro poſſe ſuo patrocinium exhibebunt. Et quia nonnullæ cauſæ frequenter per advocatorum imperitiam amittuntur: volumus; ut nulli ad poſtulandum in foro eccleſiaſtico admittantur, niſi ſtuduerint per triennium ad minus in jure canonico, & civili, vel alias in exercendo officio ſint experti: aliis ſtatutis circa advocatos editis, in ſuo robore duraturis.

*XVI. De juramentis officialium.*

Juxta ſententiam Salomonis, *xenia & dona excæcant oculos judicum, & quaſi mutus in ore* (Deus ") *avertit correptiones eorum.* Diffinimus itaque, ut officiales, & alii demandatam juriſdictionem habentes, in inſtitutione ſua jurent, quod munera non accipient ratione officii, & bona fide cauſas audient & decident. Eccl. 20. " abeſt hæc vox, Deus.

Actum & ordinatum de conſenſu venerabilium fratrum noſtrorum ſuffraganeorum præſentium apud Langeis.

G. C. Concilii hujus cum MSS. exemplaria nonnulla viderim, nuſquam reperi adſcriptum diem & annum. Quo factum eſſe puto, ut cum tria ejus exempla inveniſſet author metropoleos Turonenſis, ter idem concilium ad varios annos ediderit, iiſdem omnino verbis, quaſi tria eſſent diverſa concilia. Ego vero ut tribuerem anno circiter MCCLXXVIII. adductus ſum ex inſpectis codicibus aliquot, in quibus Bituricenſi concilio Simonis legati ſubjicitur.

ANNO CHRISTI 1279. Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

## ** CONCILIUM AUSCENSE

In quo actum, inter cetera, de juribus epiſcopi & eccleſiæ Vaſatenſis defendendis ab invaſione ſeneſcalli Vaſconiæ anno Chriſti MCCLXXIX.

*Hujus memoriam concilii ſola nobis tuetur epiſtola ſynodalis ad Eduardum Angliæ regem, qui & Aquitaniæ dux idem erat. Cujus epiſtolæ hoc eſt exemplum.*

Epiſtola ſynodalis ad regem Angliæ, eundemque Aquitaniæ ducem.

*Sereniſſimo principi domino Eduvardo, Dei gratia regi Angliæ, domino Hiberniæ & duci Aquitaniæ, Amanenus divina permiſſione archiepiſcopus Auxitanus, G. Lectorenſis, C. Elorenſis, H. Vaſatenſis, A. Aquenſis, P. Adurenſis, & D. Coſeranus, eadem epiſcopi ejus ſuffraganei, ſalutem, & paratam ad ejus beneplacita voluntatem.*

Venerabilis frater noſter epiſcopus Vaſatenſis, & diſcreti viri capitulum ejuſdem eccleſiæ, nobis exponere curarunt in provinciali concilio apud Auxim, quod licet ipſi opem dederint & operam efficacem, ut exortæ diſcordiæ ab antiquo inter veſtros & ſuos prædeceſſores, per viam pacis & compoſitionis amicabilis ſopirentur, prout in compoſitione tractata & ordinata in quorumdam noſtrum præſentia, inter epiſcopos & Seneſcallum veſtrum Vaſconenſem, quam vos non credimus ignorare, plenius dicitur contineri. Cum autem epiſcopus & capitulum ſupradicti, ex compoſitione præfata pacem veſtram perpetuo ſperarent & gratiam obtinere, & grata ſibi & eccleſiæ ſuæ commoda provenire: in contrarium eveniens, tam ipſi quam eorum ſubditi gravius ſolito moleſtantur: & quando fortius ſcribitis litteras Seneſcallo de non moleſtando eoſdem, tunc durius proceditur contra eos. Nam idem Seneſcallus & ejus miniſtri, jura eccleſiæ & ſubditorum ejus



ANNO CHRISTI 1279.

ejus occupant, epiſcopum & capitulum ad curias ſæculares convocant, bona Vaſatenſis eccleſiæ indebite rapiunt & invadunt. Cumque a prædeceſſoribus noſtris in provincialibus conciliis diverſa emanaverint ſtatuta, contra rerum eccleſiaſticarum raptores & invaſores: qui ſtatim factis invaſionibus & rapinis talibus, excommunicationis & interdicti ſententiis percelluntur, & quamdiu bona rapta vel invaſa alicubi detinentur, ceſſatur in loco ubi ſunt a Divinis: ob reverentiam tamen veſtræ majeſtatis regiæ, quam caram ſemper habemus, Seneſcallo & miniſtris veſtris deferimus, nec latas ſententias exequimur, aut exequi facimus contra ipſos, ut in ſtatutis prætactis provincialibus continetur. Cum igitur ex injuncto nobis officio teneamur alter alterius onera ſupportare, & gravatis eccleſiis de opportuno remedio providere: celſitudinem veſtram regiam ex parte noſtra & totius provincialis noſtri concilii, ex corde requirimus & rogamus, quatenus pro Dei amore & noſtra reverentia, eccleſiam, epiſcopum, & capitulum Vaſatenſes recommendatos habentes, eos in rebus & bonis ſuis non ſinatis amplius moleſtari. Super quibus latorem præſentium ad vos mittimus, cui ſuper iis fidem adhibere velitis: per quem nobis voluntatem veſtram mandabitis, quam parati ſumus & erimus adimplere. Augeat vobis Dominus gratiam in præſenti, & gloriam tribuat in futuro. Dat. apud Auxim, Non. Februarii, anno Domini MCCLXXIX.

G. C. Diuturna fuit hæc controverſia inter regios miniſtros, & epiſcopum atque eccleſiam Vaſatenſem: ſed compoſita anno MCCLXXXIII. a P. Adurenſi epiſcopo, & Pontio de Inſula decano Santonenſi, quos arbitros ex compromiſſo utriuſque ſumpſerant. Cujus compoſitionis inſtrumentum ipſum longiuſculum, cum multis Aquitanicarum rerum monumentis in eodem MS. codice continetur, ex quo ſynodalem epiſtolam deſcripſimus. Quod, ut alia multa, beneficium agnoſco v. cl. Vioni Herovallii.

## ** CONCILIUM APUD PONTEM AUDOMARI,

A Guillelmo de Flavacuria archiepiſcopo Rotomagenſi, cum ſuffraganeis, anno MCCLXXIX. celebratum.

TITULI CAPITULORUM.


1. *Ut clerici excommunicati fructus beneficiorum amittant.*
2. *Ut capellanis, qui Miſſas non celebrant, beneficiorum fructus ſubtrahantur.*
3. *Ut ſerventur ſtatuta conciliorum Bituricenſis & Lugdunenſis.*
4. *De injectione manuum in clericos.*
5. *Ut confiteantur & viaticum recipiant ſaltem ſemel in anno.*
6. *De ſæcularibus clericos capientibus.*
7. *Ut clerici non adeant judices ſæculares.*
8. *Ut qui percipiunt majores decimas, reſtaurent fabricam, &c.*
9. *Ut Chriſtiani Judæis non ſerviant, aut cohabitent, & ut Judæi ſigno aliquo diſcernantur.*
10. *Ut vigiliæ & choreæ in ſacris locis non fiant.*
11. *Ne clerici ſint venatores.*
12. *Ut redintegretur numerus religioſorum: & ne ſoli prodeant.*
13. *De monachis commorantibus in prioratibus non conventualibus.*
14. *Ut regulares non morentur cum ſæcularibus.*
15. *Ut religioſi mutuum non contrahant.*
16. *Ut decani rurales non ſuſpendant vel excommunicent niſi in ſcriptis.*
17. *Ut non deſiſtatur a denunciatis excommunicandis, niſi ſint abſoluti.*
18. *Ut non excommunicent in generali.*
19. *Ut capellani diligenter examinentur.*
20. *Ut clerici a negotiis ſæcularibus abſtineant, & ferant tonſuram, & habitum clericalem.*
21. *De clericis non deferentibus tonſuram.*
22. *De ſacerdotibus excommunicatis.*
23. *Ut clerici cruceſignati non abutantur litteris apoſtolicis, aut aliis.*
24. *De canonicis regularibus ad curam animarum epiſcopo præſentatis.*


PRÆFATIO.

Anno Domini MCCLXXIX. die Jovis Aſcenſionis ", apud Pontem Audomari fuerunt ſalubriter ordinata per reverendum Patrem dominum Guillelmum, Dei gratia archiepiſcopum Rotomagenſem, & ejus ſuffraganeos, de totius concilii providentia unanimi & concordi, quæ inferius continentur. " al. die Jovis ante Aſcenſionem Domini.

CAPITULA.

*I. Ut clerici excommunicati fructus beneficiorum amittant.*

Volentes presbyterorum & clericorum excommunicatorum inſolentiam coarctare, ſacris canonibus inhærendo, ſtatuimus, quod presbyteri & clerici beneficiati, quamdiu authoritate ordinariorum ſuorum juſte excommunicati fuerint, beneficiorum ſuorum ſtipendia ſive fructus non percipiant, & recuperandi eoſdem fructus totaliter ſpem amittant: niſi quam citius commode potuerint, quod ordinariorum ſuorum arbitrio duximus relinquendum, procuraverint ſe abſolvi; & niſi ordinarii eorum ipſis ſuper dictis fructibus gratiam fecerint ſpecialem. Si vero per annum dictam excommunicationis ſententiam animo ſuſtinuerint indurato: procedatur acrius contra eos per beneficiorum ſuorum privationem, & alias juxta canonicas ſanctiones.

ANNO CHRISTI 1279.

*II. Ut capellanis, qui Miſſas non celebrant, beneficiorum fructus ſubtrahantur.*

Item volumus & ordinamus, quod presbyteri ordinati, capellas vel eccleſias parochiales obtinentes, qui Miſſas non celebrant, ut deberent, ipſas celebrare diutius ſine cauſa rationabili negligentes, canonice moneantur ut Miſſas celebrent, prout convenit, intra tempus a ſuis ordinariis præfigendum: alioqui contra ipſos per ſubtractionem fructuum beneficiorum ſuorum, & alias prout juſtum fuerit, procedatur. Adjicientes, quod quicumque ſuper hoc moniti fuerint, ſi eidem monitioni non paruerint, pro non reſidentibus habeantur.

*III. Ut ſerventur ſtatuta conciliorum Bituricenſis & Lugdunenſis.*

Volumus etiam & ordinamus, quod ſtatuta in Bituricenſi [a] concilio, præſertim edita contra impedientes juriſdictionem eccleſiaſticam, vel qui impediunt vel imminuunt eccleſiæ libertatem, vel colligationes, ſtatuta, prohibitiones, vel banna, vel quæcumque alia emolumenta ['' faciunt contra ipſam, ſingulis menſibus in parochialibus eccleſiis, cum major aderit populi multitudo, die Dominico vel feſtivo, & in ſingulis ſynodis, bene & intelligibiliter publicentur: necnon & conſtitutiones concilii [b] Lugdunenſis ſuper hoc '' editæ, & contra uſurarios manifeſtos. Præcipientes diſtricte, quod quilibet parochialis presbyter tranſcriptum habeat conſtitutionum dictarum. Ut animarum ſaluti provideatur ſalubrius, adjicimus, ut pœnitentiariis atque confeſſoribus Rotomagenſis provinciæ ſuggeratur, ut' pœnitentes interrogent, an in pœnam inciderint alicujus conſtitutionum dictarum, & ut exponant eis pœnam atque pericula earumdem: ipſos ad ſuos ordinarios remittentes, ſi contra conſtitutiones prædictas ipſos repererint deliquiſſe; cum per ipſos pœnitentiarios vel confeſſores abſolvi nequeant in hoc caſu.

[a An. 1276. c. 11. 13. 16.] [" for. moliamenta] [b II. an. 1274. c. 26. 27. 31.] [" al. contra ipſos] [' al. ut omnes ſibi confitentes dil.]

*IV. De injectione manuum in clericos.*

Statuimus etiam & ordinamus, quod excommunicati a canone propter violentam manuum injectionem in clericum', cum de hoc legitime conſtiterit, per parochiales presbyteros, ad mandatum ordinariorum ſuorum, excommunicati publice nuncientur, atque tanquam excommunicati ab omnibus acrius evitentur: & niſi, infra terminum competentem a ſuo ordinario præfigendum, poſt denunciationem hujuſmodi procuraverint ſe abſolvi, vel iter arripuerint ad ſedem apoſtolicam, vel ejus legatum, pro hujuſmodi abſolutione impetranda, juſtitiari mandentur, ſicut in aliis excommunicatis per ſuos ordinarios in Rotomagenſi provincia eſt hactenus fieri conſuetum.

[c Conc. Later. II. c. 15.] [' al. clericos]

*V. Ut confiteantur, & viaticum recipiant, ſaltem ſemel in anno.*

Præterea præcipimus, ut ſecundum ſtatuta concilii generalis, quilibet Chriſtianus ſingulis annis ad minus ſemel confiteatur proprio ſacerdoti, vel alii poteſtatem habenti audiendi confeſſionem ejuſdem, & ſalutarem ſimul pœnitentiam injungendi: atque quod viaticum recipiat in Paſchate, niſi rationabilis cauſa ſubſit quare a recipiendo viatico debeat abſtinere. Alioquin contra talem, tanquam ſuſpectum de hæreſi, procedatur. Adjicientes, quod nomina talium per ſuos presbyteros ordinario eorum inſinuentur. [Later. IV. c. 21.]

*VI. De ſæcularibus clericos capientibus.*

Statuimus quod poteſtates ſæculares, clericos capientes cum majori violentia quam requirit rebellio defendentis, vel detinentes eos ultra vel contra requiſitionem judicis eccleſiaſtici, denuncientur excommunicati a canone in generali: in ſpeciali vero, non priuſquam de eo conſtiterit evidenter.

*VII. Ut clerici non adeant judices ſæculares.*

Diſtrictius inhibemus, ne de cauſis ad eccleſiam pertinentibus, a perſonis eccleſiaſticis judex ſæcularis, maxime ſuper perſonalibus actionibus, adeatur.

*VIII. Ut qui percipiunt majores decimas, reſtaurent fabricam.*

Statuimus etiam, ut abbates, priores, & aliæ eccleſiaſticæ perſonæ, quæ percipiunt majores decimas in eccleſiis parochialibus, compellantur ad reſtaurandam fabricam, libros, & ornamenta, pro rata quam percipiunt in eiſdem.

*IX. Ut Chriſtiani Judæis non ſerviant, aut cohabitent; & ut Judæi ſigno aliquo diſcernantur.*

Inhibemus, ne aliqui Chriſtiani, ſeu aliquæ Chriſtianæ, Judæis ſervire in hoſpitiis ſuis, ſeu cum ipſis habitare præſumant: & præcipimus, quod Judæi ſigna patentia deferre cogantur, per quæ a catholicis diſcernantur. [Lateran. IV. c. 68.]

*X. Ut vigiliæ & choreæ in ſacris locis non fiant.*

Firmiter inhibemus, ne vigiliæ & choreæ in cœmeteriis & ſacris locis fiant: præcipientes, quod tranſgreſſores canonice puniantur. [Lateran. IV. c. 15.]

*XI. Ne clerici ſint venatores.*

Prohibemus, ne clerici beneficiati, ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, venationibus aut aucupiis ſint intenti vel aſſueti.

*XII. Ut redintegretur numerus religioſorum: & ne ſoli prodeant.*

Statuimus, ut in abbatiis atque prioratibus, in quibus facultates non ſunt diminutæ, reintegretur numerus religioſarum perſonarum: niſi forſan ex ſuperioris expreſſa licentia, atque cauſa rationabili, ſuſtineatur ad tempus. Hoc autem quod a jure ſtatutum eſt, ne monachus ſolus alicubi commoretur, obſervari volumus & mandamus.

*XIII. De monachis commorantibus in prioratibus non conventualibus.*

Moneantur monachi commorantes in prioratibus non conventualibus, cum interminatione ſuſpenſionis & excommunicationis, & prout expediens viſum fuerit inducantur, ut ſtatuta Gregorii papæ, quantum ad eſum carnium, confeſſiones, & jejunia ſtudeant obſervare.

*XIV. Ut regulares non morentur cum ſæcularibus.*

Statuimus quod regulares cum ſæcularibus non morentur, niſi de diœceſani licentia.

*XV. Ut religioſi mutuum non contrahant.*

Statutum factum de non contrahendo mutuo [a] religioſis ultra certam quantitatem, niſi de licentia abbatis ſui, firmiter obſervetur. [a Lateran. IV. c. 59.]

*XVI. Ut decani rurales non ſuſpendant, vel excommunicent niſi in ſcriptis.*

Præcipimus quod decani rurales, exercentes juriſdictionem, non ſuſpendant vel excommunicent niſi in ſcriptis.

*XVII. Ut non deſiſtatur a denunciatis excommunicandis, niſi ſint abſoluti.*

Item præcipimus, quod ſacerdotes non deſiſtant ab excommunicatione, vel a denunciatione excommunicationis, quantumcumque partes pacificent inter ſe: niſi legitime conſtiterit de excommunicatorum abſolutione. Volumus etiam, quod abſolutio fiat cum ſolemnitate.

*XVIII. Ut non excommunicent in generali.*

Item inhibemus ſacerdotibus, ne præſumant excommunicare in generali, niſi pro furtis & deperditis, & competenti monitione præmiſſa.

*XIX. Ut capellani diligenter examinentur.*

Statuimus, ut capellani, quibus eccleſiæ committuntur ad tempus, ſuper litteratura, converſatione, atque ordinatione ſua, diligenter examinentur.

*XX. Ut clerici a negotiis ſæcularibus abſtineant, & ferant tonſuram, & habitum clericalem.*

Placuit ſancto concilio promulgare, quatenus in ſingulis parochialibus eccleſiis, & locis publicis, moneantur diebus Dominicis & feſtivis a ſe diſtantibus ter clerici non uxorati, & etiam uxorati, ut a ſæcularibus negotiis abſtineant, maxime inhoneſtis, quodque tonſuram deferant & habitum clerico congruentes. Alioqui ſi ab hujuſmodi, tertio moniti, non deſtiterint: non conjugatos, dum his ſe implicuerint, quo minus de ſuis facultatibus, ſtatutis & conſuetudinibus patriæ ſubjaceant, eccleſia non defendet. In conjugatis autem æquanimiter tolerabit, quod ab ipſis juſtitias debitas domini ſæculares, velut ab aliis uxoratis, exigant, atque ſervitia conſueta. Denique ſi poſt præmiſſas monitiones clerici in apoſtaſia tonſuræ & habitus clericalis remanſerint, & ſe in negotiis ſæcularibus permiſcuerint, & contingat quod pro ſuis exceſſibus a perſonis atque judicibus ſæcularibus in carceribus fuerint comprehenſi: non præcipiemus eos per cenſuram eccleſiæ liberari.

*XXI. De clericis non deferentibus tonſuram.*

Statuimus etiam de clericis non deferentibus tonſuram, quod ipſi moneantur in ſynodis, in eccleſiis cathedralibus atque parochialibus, & etiam a decanis ruralibus in

ANNO CHRISTI 1279.

ſuis Kalendis, ut ipſi tonſuram & habitum deferant clericis congruentes. Alioqui ſi poſt trinam monitionem, per intervalla debita factam eiſdem ſuper prædictis, contempſerint tonſuram & habitum deferre prædictos, & in delictis enormibus fuerint deprehenſi per juſtitiam laicalem, non defendentur per eccleſiam quoad hæc, quo minus inde a juſtitia ſæculari debite puniantur.

*XXII. De ſacerdotibus excommunicatis.*

Item ſtatuimus de ſacerdotibus excommunicatis propter defectum ſolutionis decimæ, ut infra inſtantem [a] Nativitatem Domini curent ſe abſolvi, ac ſecum diſpenſari ſuper irregularitate, ſi quam occaſione "prædicta incurrerunt. Alioqui puniemus " eos graviter, etiam per beneficiorum ſuorum privationem, ſi viderimus expedire.

[a] al. Aſcenſionem.
" al. excommunicatione
" al. prælati ipſorum punient ipſos gr. &c. ſi viderint

*XXIII. Ut clerici crucesignati non abutantur litteris apoſtolicis, aut aliis.*

Præcipimus etiam ut per ſingulas eccleſias moneantur clerici crucesignati, ne litteris apoſtolicis, vel legati ſedis apoſtolicæ, ſeu alias quoquo modo abutantur: ſcientes, quod ſolicitudine qua convenit, contra eos invigilabimus, ut exceſſus eorum non remaneant impuniti.

*XXIV. De canonicis regularibus ad curam animarum epiſcopo præſentatis.*

Statuimus etiam, quod canonici regulares, qui ad curam animarum a ſuis prælatis ", epiſcopis præſentantur, non recipiantur ad eas, niſi prius per inquiſitionem præhabitam conſtiterit, eos eſſe bonæ vitæ, honeſtæque converſationis, bonis imbutos moribus, atque etiam de ſufficienti ſcientia eorum, atque natalibus eorumdem: quodque eorum prælati, poſtquam ipſi ab epiſcopo recepti fuerint ad curam animarum, eos ſine conſcientia epiſcoporum ſuorum ab eis non valeant amovere; & quod, niſi ſufficientes perſonas, infra quadraginta dies a tempore vacationis eccleſiarum, præſentaverint, per epiſcopos eccleſiis vacantibus provideatur, ponendo ibi presbyteros ſæculares, ſi ſibi videbitur expedire.

" al. a ſuis patronis

His autem ita factis, concilioque concorditer celebrato, receſſimus, dicendo, *In viam pacis*, & quaſdam orationes multum competentes.

APPENDIX.

G. C. Concilium hoc jam editum fuerat, tum a Ludovico Baſil in ſumma conciliorum, tum inter inſtitutiones ſynodales Rotomagenſes, pridem editas ſine ulla loci ac temporis nota. Nos tum editione illa utraque ſumus uſi, tum exemplari alio quod aliunde Sirmondus noſter ſumma cura deſcripſerat, variis etiam lectionibus annotatis. In collectione autem illa Rotomagenſi reperiuntur capitula quædam, quæ nec in aliis extant editionibus, & in hanc perperam aliunde intruſa eſſe, magna ſuſpicio eſt. Cujuſque modi ſunt, ea ſubjicio. Ac primum, poſt capitulum quintum, hæc ſequuntur:

Ad hoc diſtrictius duximus injungendum, quod ſtatuta alia edita in provincialibus conciliis prædeceſſorum noſtrorum, obſerventur, & quod locorum ordinarii ſuper hoc curam adhibeant efficacem, & quod ipſa faciant annis ſingulis, in ſuis ſynodis, ſolenniter publicari.

Renovantes ſtatuta concilii, volumus, & hoc placet ſancto concilio, quod circa procurationes ratione viſitationis debitas, accipiendas ab archiepiſcopis & epiſcopis, & circa gravamina non inferenda prætextu officiorum ſuorum ſervetur quod ſtatutum eſt in concilio Lugdunenſi [b].

[b] II. c. 14.

Volumus quod ſtatuta concilii generalis [c] contra eos qui faciunt colligationes, & ſtatuta contra libertates eccleſiæ edita, frequenter & ſolenniter in ſynodis & parochialibus eccleſiis promulgentur & tranſgreſſores canonice puniantur.

[c] Litterar. I. c. 10. III. c. 19.

Hoc poſtremum aliis jam verbis & uberioribus conceptum erat, c. 3. Quod novum ad cetera argumentum accedit, aliunde hoc irrepſiſſe. Tum poſt capitulum noſtrum VII. hoc ſubjicitur.

Volumus, quod ſtatutum ſynodale Simonis, quod perſonæ eccleſiaſticæ, ad quas veniunt diverſa mandata diverſorum judicum delegatorum, conſervatorum, ſeu executorum, diligenter videant nomina judicum diœceſis, & locorum ad quæ citant, & ipſa authentica firmiter obſerventur; & non citent, niſi videant authenticum, vel tranſcriptum ſub ſigillo authentico.

Ac deinde poſt X. noſtrum.

Moneantur ſolenniter in eccleſiis clerici maxime non uxorati, congruentem deferre tonſuram; crucesignati vero, crucem in aperto deferre cogantur. De ſellis, calcaribus, pectoralibus deauratis, & aliam ſuperfluitatem habentibus, quibus clerico uti prohibitum eſt, & de clauſis deſuper indumentis a ſacerdotibus deferendis, volumus obſervari ſtatutum concilii generalis.

AP-



ANNO CHRISTI 1279.

Ex Beſſin Concil. Rotomag. pag. 133.

## ☞ APPENDIX ALTERA AD CONCILIUM PONTIS-AUDOMARI

ANNO MCCLXXIX.

*Ex Mſ. S. Germani a Pratis, alias S. Ebrulfi, ubi extant ſequentes juris articuli. Rubrica de his quæ vi metuſve cauſa fiunt.*

Cum parum proficiat, jura condi in civitatibus, ſi non extiterit qui editum regere valeant & tueri, nec ſolum magiſtri militum conſtet officium in diſciplina per ipſum officium imponenda, ſed in ea prout opportunum fuerit obſervanda. Præcipimus ut quicumque judices eccleſiaſtici ad abſolutionis vel relaxationis cujuslibet ab excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiis beneficium impendendum vi vel metu compulerint, per diœceſanos locorum, juxta Lugdunenſis ſententiam Concilii excommunicati publice nuntientur.

*De foro competenti.*

Cum falcem propriam nulli in meſſem mittere liceat alteram: de juſtitiariis laicis, ſeu aliis ſolam temporalem juriſdictionem habentibus, qui in actionibus mere perſonalibus eccleſiaſticas coram ſe perſonas litigare compellunt, contra canonicas ſanctiones: hujus proviſione Concilii duximus ſtatuendum quod licet eædem perſonæ eccleſiaſticæ non ſolum coram eiſdem juſtitiariis litigare, ſed etiam ad ipſos venire in cauſis hujuſmodi de jure minime teneantur; ſi tamen venerint, & allegato fori privilegio coram ipſis, juſtitiarii compulſioni nihilominus inſtiterint ſupradictæ; eo ipſo excommunicationis quam in ipſos proferimus incurrant ſententiam, quæ contra ipſos nullatenus relaxetur, niſi læſis hujuſmodi de damnis & expenſis & intereſſe prius per ipſos juſtitiarios fuerit integre ſatisfactum; eorum proceſſibus atque ſententiis, habitis in hujuſmodi quæſtionibus præfatis, nihil omnino roboris habituris.

Ad hæc, ſi quis temporalem juriſdictionem exercens, de excommunicationis, ſuſpenſionis ſeu etiam interdicti ſententiis, videlicet an juſte latæ fuerint an injuſte, aut aliis mere eccleſiaſticis ſeu ſpiritualibus cauſis deciſionem ſeu cognitionem præſumſerit uſurpare: per diœceſanos locorum præſentis auctoritate Concilii diſtricte moneantur; & niſi competenter moniti duxerint deſiſtendum, ad hoc per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

*De Immunitate Eccleſiarum.*

Sanguiſugæ ſitibunda progenies, ac radix omnium malorum cupiditas, ſemper vociferans affer, affer, moliri non deſinit quemadmodum per exquiſitas nequitias & callidiora commenta ardori proprio, licet inextinguibili, lucri temporalis quamquam illiciti, pocula ſubminiſtret.

Ex hac autem ſemper ſitienti radice proceſſiſſe cognovimus quod cum ſedes apoſtolica excommunicationis ſententiam in omnes nova conſtituentes pedagia olim duxerit promulgandam, ipſam annis ſingulis in certis feſtivitatibus ſolemniter innovando: nonnulli mammonæ filii, propriæ cupiditatis vitium colorare nitentes, non nova, ut aſſerunt, conſtituentes pedagia, antiqua ad clericos, & ipſorum res, quas non ratione mercaturæ per terram vel aquam deferre faciunt, prorogant & extendunt in eluſionem memoratæ ſententiæ, & præjudicium libertatis eccleſiaſticæ manifeſtum. Nos itaque ipſorum fraudibus obviare volentes, & eam præſumtæ calliditatis aſtutiam pœna debita caſtigare: ut ipſi infra duos menſes a tempore ſolemnis publicationis conſtitutionis hujuſmodi in civitatibus factæ, & diœceſibus in quibus conſiſtunt ipſa pedagia numerandos, ab his in totum deſtiterint, excommunicationis ſententiæ, quam in ipſos ex nunc proferimus, ex tunc ſubjaceant ipſo facto.

„ Nonnulli * propriæ ſalutis obliti, & „ ſuæ verecundiæ non parcentes, juris ſententiam verborum implexu non ſine fraude circumvenire nituntur, non ſtatuta, „ ut aſſerunt, banna tamen faciunt proclamari, præcepta, ac prohibitiones inducunt; quod non eſt dubium in libertatis „ eccleſiaſticæ præjudicium redundare.

* Ex Conc. Avenion. an. 1279. Canon 7.

„ Nos itaque fraudibus malignorum, quos „ circa hoc adhibitas fuiſſe cognovimus, „ obviare volentes: ſtatuimus ut qui contra eccleſiæ libertatem banna, prohibitiones, ſive præcepta ſcienter fecerint, „ aut fieri procuraverint, ſeu facientibus „ conſilium vel opem duxerint adhibenda, „ ipſa poſtquam per locorum ordinarios ſuper hoc fuerint requiſiti, abſque cujuſlibet difficultatis obſtaculo indilate revocent, ſeu faciant revocari, ad conſilia de „ cetero nequaquam proceſſuri; alioquin „ cenſura ſimili ſint aſtricti.

„ Qui vero contra eccleſiaſticas conſuetudines antiquas, rationabiles, adprobatas, & hactenus pacifice obſervatas, „ ſtatuta, banna, & prohibitiones aut præcepta ſcienter fecerint, aut fieri procuraverint, ſive jam facta ſervaverint, aut

ſer-

ANNO CHRISTI 1279.

,, ſervari fecerint, ſeu facientibus vel ſer-
,, vantibus in hoc conſilium vel opem præ-
,, ſtiterint; per diœceſanos locorum præ-
,, ſentis auctoritate Concilii moneantur ut
,, infra menſem, a tempore monitionis hu-
,, juſmodi numerando, ſtatuta deleant, ban-
,, na, prohibitiones & præcepta revocent,
,, ad conſimilia nunquam ulterius proceſſu-
,, ri; alioquin excommunicationis ſenten-
,, tia, quam extunc in ipſos proferimus,
,, ſint ligati.

Quorumdam inſolentias perverſorum, qui Dominum Jeſum Chriſtum verbis tantum confitentes, nec Deum timere, nec homines revereri pro ſuorum atrocitate factorum maniſeſtiſſime convincuntur, in tantam accepimus temeritatis inſaniam prorupiſſe, quod confugientes ad eccleſiarum tutelam, contra juris utriuſque ſtatuta & eccleſiaſticam libertatem, ibidem vulnerant, mutilant, interficiunt, vel incendunt, ac inde extrahunt, violenter extractos vulnerare ſeu mutilare præſumunt, nonnumquam ipſis ſupplicium inferentes; aut iſta fieri præcipiunt vel procurant, ſeu conſilium vel opem adhibent in tantis ſceleribus perpetrandis.

Nos itaque, quos zelus comedit domus Dei, hujuſmodi ſacrilegorum exceſſus deteſtabiles & horrendos, quos non ſolum evidentia rei docet inhumaniter exercviſſe, ſed inoleviſſe jam præſumtione damnabili, recens ita præteritorum memoria comprobat & declarat, caſtigatione canonica cohibere volentes: præſentis approbatione Concilii duximus ſtatuendum quod taliter delinquentes, excommunicationis ſententiæ, quam in ipſos proferimus, ſubjaceant. Quam quidem ſententiam locorum Ordinarii ipſius auctoritate Concilii ſolemniter in ſubjectis ſibi eccleſiis denunciari faciant uſque ad ſatisfactionem condignam, & inviolabiliter obſervari. Eiſdem nihilominus mutilatoribus & interfectoribus, necnon & his qui hujuſmodi mutilationes & homicidia fieri præcipiunt aut procurant, vel facientibus conſilium vel opem impendunt, feuda & beneficia, ſi qua ab eccleſiis taliter violatis obtinent, eo ipſo protinus amiſſuris, quæ ad eccleſiam a qua illa obtinere noſcuntur, libere revertantur. Filii eorum, non ſolum non obtineant de prædictis, ſed ad eccleſiaſtica beneficia de cetero aſſequenda eo ipſo reddantur prorſus inhabiles & indigni.

* Ex Conc. Avenion. Can. 7. an. 1279. XVI. Kal. Junii.

,, Cum nonnulli * temporale dominium
,, obtinentes, ſeu ſæculares judiciariæ po-
,, teſtatis gerentes officium, juriſdictionem
,, ſanctæ matris Eccleſiæ ſubvertere vel mi-
,, nuere exquiſitis aſtutiis moliantur. Nos
,, eorum malitias ultione canonica repri-
,, mentes, ſtatuimus inhibentes ne quis in
,, foro eccleſiaſtico litigantes, ſeu litigare
,, volentes, ſuper cauſis mere eccleſiaſti-
,, cis, ſive quæ ad forum eccleſiæ ex anti-
,, qua & approbata conſuetudine, & ha-
,, ctenus pacifice obſervata, pertinere no-
,, ſcuntur, ad deſiſtendum compellat, per
,, ipſorum, vel parentum aut conſangui-
,, neorum, ſive rerum eorum vel perſona-
,, rum hujuſmodi captionem, modiſve aliis
,, quibuſcumque. Si quis vero contra præ-
,, ſumſerit, excommunicationis ſententiæ
,, præſentis auctoritate Concilii ſe noverit
,, ſubjacere.

*Rubrica de pœnis.*

Cum juris utilitas tot & tantis irrogata vigiliis ſufficienter nequeat proſperari, ſi proceſſus miniſtrorum juſtitiæ contingat iniquorum machinationibus impediri: ut eorum audaciam quos amor divinus a malo non revocat, ſaltem vigor eccleſiaſticæ diſciplinæ: ſacri proviſione Concilii duximus ſtatuendum, quod ſi quis, cujuſcumque dignitatis aut conditionis exiſtat, nuncios aut executores eccleſiaſticorum judicum, aut alias litteras eorumdem, actave judiciaria deferentes, hac occaſione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, mutilare, aut, quod gravius eſt cenſendum, interficere, litteras vel acta prædicta perſonis mancipatis auferre, ſeu ea rumpere, cancellare, aut alias detinere quoquomodo, vel ſi ablata celare præſumſerit, ut iſta fiant procuraverit, vel facientibus auxilium vel opem duxerit adhibenda, excommunicationis ſententiæ, quam extunc proferimus, ſubjaceat ipſo facto, a qua, niſi prius tam judici, cujus auctoritatem contemſit, quam paſſo injuriam, & ceteris quorum intererit, prout exceſſus poſtulabit atrocitas, ſatisfaciat competenter, nullatenus abſolvatur.

Ad quorum memoriam in perpetuum obſervandam, & præmiſſorum teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum in eodem Concilio Idibus Septembris an. Domini MCCLXXIX. Romana Eccleſia vacante.

In Appendice illa Mſ. Decreta quædam ſubjiciuntur. *De his quæ vi metuſve cauſa fiunt. De Immunitate eccleſiarum. De uſuris. De ſententia excommunicationis.* Quæ omnia Lugdunenſis Concilii generalis ſecundi eſſe conſtat ex hac illorum clauſula. *Datum Lugduni Pontificatus noſtri anno tertio* (ſcilicet Gregorii X.)

CON-



ANNO CHRISTI 1279.

# CONCILIUM AVENIONENSE,

## Ab Arelatenſis Provinciæ epiſcopis, XVI. Kal. Jun. ann. MCCLXXIX. celebratum.

Nunc primum prodit ex MS. eminentiſſimi Cardinalis Chiſii.

Ms titulus in MS. ″ Corr. Bernardum. ‴ Corr. Portuenſem.

Concilium celebratum per dominum Bertrandum ″ archiepiſcopum Arelatenſem, poſtea epiſcopum Sabinenſem‴.

TITULI CAPITUM.


1. *Adverſus invaſores & occupatores bonorum eccleſiaſticorum.*
2. *De injuriis & damno dato.*
3. *Ut prælatus, cui injuria irrogata eſt, poſſit etiam extra territorium ſuum ſententiam ferre in delinquentes.*
4. *De iis qui clericum ceperint.*
5. *Ut nemo alteri ſuadeat, in alienæ eccleſiæ cœmeterio eligere ſepulturam.*
6. *Ut ſerventur jura edita de Judæis.*
7. *Ne banna fiant adverſus eccleſiæ libertatem.*
8. *Ne quis in foro eccleſiaſtico litigantes, ad deſiſtendum compellat.*
9. *Ut privilegiati excommunicatos ad ſacra non admittant, nec ad ſepulturam.*
10. *De excommunicatis, ad officia publica non eligendis: & de iiſdem banna facientibus contra excommunicatores, & denunciatores.*
11. *De iis qui excommunicatos elegerint.*
12. *Ut clerici non negotientur.*
13. *Ut clerici advocationem & judicaturam non exerceant.*
14. *De teſtamentis.*
15. *Ut prælati hæc ſtatuta publicari faciant.*


PRÆFATIO.

Gal. 4. Iſ. 54.

IN nomine Domini, Amen. Jeruſalem quæ ſurſum eſt, libera mater noſtra, ſterilis, quia non pariens filios ſuperbiæ, per Prophetam lætari præcipitur & erumpere, pariter & clamare quæ non parturit humilitatis liberos, quia multi, proh dolor! ſunt hodie deſertæ, ſcilicet ancillantis tumidialitatis, filii, magis quam ejus, cœleſtis videlicet libertatis, quæ virum habet dominum Jeſum Chriſtum. Hanc nempe Jeruſalem nos B. ſola miſeratione Divina Arelatenſis archiepiſcopus, una cum venerabilibus fratribus noſtris. [a] B. Tricaſtino, P. Vaſionenſi, [b] P. Carpentoratenſi, & [c] I. Tolonenſi, Dei gratia epiſcopis; necnon & cum venerabilium fratrum noſtrorum Maſſilienſis, Avinionenſis, Cavallicenſis & Auraycenſis, per eamdem gratiam epiſcoporum, ex certis cauſis abſentium, loca tenentibus in præſenti provinciali capitulo perſonaliter conſtitutis; aſſiſtentibus in perſonis aliis Arelatenſis, & aliarum eccleſiarum ſuæ provinciæ, præſentialiter ut eſt moris: efficacius attendentes ad deprimendos filios ſuperbiæ, quæ multipliciter inolevit, & ad corroborandos humilitatis liberos, qui multifarie, proh dolor! hodie cernuntur oppreſſi, & ad laudem & gloriam cœleſtis Jeruſalem liberæ matris noſtræ, ſtatuta præſentia duximus in hoc ipſo provinciali capitulo proferenda concorditer, & edenda.

a Bertrādo. b Petro. c Joanne.

CAPUT PRIMUM.

*Adverſus invaſores bonorum eccleſiaſticorum.*

IN primis igitur, quoniam aliqui ſuis finibus non contenti, paſſim aliena diripiunt, & eccleſiaſticas libertates effringere non verentur: approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod quælibet perſona, ſæcularis aut eccleſiaſtica, nobilis aut alia, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, officii, conditionis, aut ſtatus fuerit, quæ vel eccleſiaſticas capellas, ſeu earum cœmeteria, hoſpitalia, recluſoria, domos, poſſeſſiones, loca, villas, caſtra, cenſus, taſcas [1], trezena [2], laudimia [3], vintena [4], feuda, leſdas [5] pedagia, ſeu alia quæque utilia, ſeu etiam earum homines aut familias, animalia, ſive bona quælibet mobilia ſeu immobilia, ſive domos religioſas, aut hoſpitalia, ſive recluſoria quomodolibet invadere, capere, occupare, detinere, pignorare, ſeu gadiare; necnon & qui contra eccleſias vel capellas, aut clericos ſive perſonas eccleſiaſticas, ſeu earum homines, loca, villas, caſtra, ſeu manſiones, aut contra libertates eccleſiaſticas, vel domos religioſas, aut hoſpitalia ſive recluſoria quomodolibet edere vel facere quævis ſtatuta, ſive banna, vel præconizationes, aut novitates quaſcumque, ſive quibuslibet ex prædictis directe vel indirecte violentias aut moleſtias irrogare, ſeu eis ſuper bonis quibuslibet eccleſiaſticis ſeu patrimonialibus, quæſtas aut talias, angarias ſive parangarias, aut neceſſitates quaſlibet aliqualiter imponere vel inferre, ſive domos eccleſiarum, aut clericorum, ſeu perſonarum eccleſiaſticarum, occaſione quacumque ſerrare ſeu claudere, vel ferrare ſeu placare, ſive earum banna quæcumque bannire, ſeu etiam vias novas aliquas ubilibet adinvenire, vel facere, per quas eccleſiæ ſeu earum villæ, caſtra, vel loca, in pedagiis ſive leſdis aut quibuslibet juribus aliis poſſint in aliquo diminui, vel etiam pejorari, ſive caminos aut vias, ſeu ſtratas publicas aut privatas, intra limites ſive territoria vel diſtrictus locorum, villarum, ſeu caſtrorum eccleſiaſticæ ditionis, auferre vel ſibi quomodolibet appropriare, attribuere, ſeu etiam applicare, vel termi-

nos

1. Taxæ. 2. Dec[illegible] quodque ex iis quæ vendantur. 3. Quinquageſima pars pretii rei venditæ debita domino prioris Loco. 4. Vigeſimum quodque. 5. Aliud ſervitii genus.

ANNO CHRISTI 1279.

nos eorum arare præſumpſerit, ſeu attentaverit, per ſuam potentiam, aut violentiam, ſive ſuperbiam: * intra tres dies ſuper his a die captionis ſeu invaſionis, attentationis ſive præſumptionis hujus, & eorum fautores, per emendam aut revocationem debitam, ſeu alias ut res exigit, plene ſatisfecerit, excommunicationi ſubjaceat ipſo facto: quam extunc in attentatores & præſumptores hujuſmodi, fautoreſque eorum, conſiliarios, & coadjutores quoslibet, ferimus in his ſcriptis. Et nihilo minus ſi perſona hujuſmodi perſtiterit in excommunicatione B ipſa per tres dies: extunc loca quælibet ubi fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Quam ſiquidem excommunicationis ſeu interdicti ſententiam, cum de præmiſſis, ſeu eorum aliquibus, cuilibet ordinario vel ejus officiali ſummarie conſtiterit aut de plano: volumus, & ſtatuendo mandamus, executioni debitæ per ipſum quemlibet ordinarium, ſeu officialem ipſius, certificatum de plano mandari per univerſas eccleſias Arelatenſis civitatis, diœceſis & provinciæ, ſicut viderit commodius expedire: ſuper quo, tam in genere, quam etiam C quaſcumque perſonas ſingulariter nominandas * plenam habeant facultatem. Et inſuper etiam ad augmentandam hujuſmodi ſententiam prout ei videbitur expedire, inſuper mandamus & præcipimus firmiter & diſtricte, quod ſuper omnibus circa præmiſſa per quoslibet aboleri hactenus attentantes, fiant poſt inſtans feſtum Pentecoſtes, per tres dies Dominicos continuos, monitiones in eccleſiis, videlicet generales: ut quicumque ſuper præmiſſis aut eorum aliquibus, aboleri contra eccleſias & perſonas D eccleſiaſticas ſeu earum juriſdictionem & jura, prout ſuperius ſunt expreſſa, quicquid hactenus attentaverit, illud & illa quælibet intra feſtum inſtans Aſſumptionis beatæ Mariæ totaliter revocent & emendent, ſive de ipſis ſatisfaciant competenter. Quod niſi fecerint, nos eodem approbante concilio, in quoslibet attentatores hujuſmodi, ſeu etiam præſumptores, ex nunc ut ex tunc, excommunicationis ſententiam ſimiliter ferimus in his ſcriptis, & in eorum quoslibet coadjutores, conſiliarios, & fautores. Quam excommunicatio- E nis ſententiam, cum conſtiterit ordinario cuilibet, ſeu ejus officiali, de plano vel ſummarie per officium vel alias aliter, de præmiſſis, volumus & mandamus per univerſas eccleſias civitatum & diœceſum publicari, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, prout per quemlibet ordinarium, ſeu officialem ipſius, fiet requiſitio ſuper eis...

* Deeſt niſi

* Corr. nominandi

ANNO CHRISTI 1279.

*II. De injuriis & damno dato.*

Inſuper approbante præſenti concilio ſtatuimus; quod ſi contingat vel homines, vel res quaslibet, animalia quævis eccleſiarum, ſive perſonarum eccleſiaſticarum, ſive hominum aut locorum ſuorum quorumlibet, abduci per aliquos aut aliquas in prædictam ſive pignorationem aut repreſaliam: abductores hujuſmodi, & eorum fautores, & authorizatores, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto: qui tamdiu per capellanos eccleſiarum civitatis & diœceſis, ubi prædicta commiſſa fuerint, authoritate præſentis concilii denuncientur excommunicati cum campanis pariter & candelis, ſingulis Dominicis diebus & feſtivis, quouſq; de damnis & injuriis irrogatis fuerit eas paſſis plenarie ſatisfactum. Et nihilo minus civitates, caſtra, loca, & villæ, in quibus prædicta hujuſmodi recepta fuerint ſeu admiſſa, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, ſi requiſiti, qui fuerint inibi requirendi, a ſe noluerint abjicere prædicta eadem. Et ad hæc eadem exequenda, diœceſani ſinguli, & officiales eorum, ſe promptos exhibeant ſine contradictione quacunque: ut idem faciant fieri per capellanos ſuos, cum per illum, in cujus civitate vel diœceſi res ſic deteſtabilis commiſſa extiterit, fuerint requiſiti. Et nihilo minus ſuper iis etiam obſervetur attente novella conſtitutio Gregoriana *.

* Concil. Lugd. II. c. 1.

*III. Ut prælatus cui injuria irrogata eſt, poſſit, etiam extra territorium ſuum, ſententiam ferre in delinquentes.*

Præterea quia difficile nimium, & ut plurimum in parte magna damnoſum, & periculoſum etiam ſæpius invenitur, ut contra frequentes & quaſi continuos injuriatorum & invaſorum aggreſſus in alienis territoriis, ex abſentia ſive copia competentis judicis, debita coercitio retardetur: ſtatuimus approbante præſente concilio, quod ſi contingat nobis, vel alicui de fratribus noſtris ſuffraganeis, ſeu noſtro vel illorum officialibus, ſive noſtrum, aut eorum loca tenentibus, aut noſtris ſeu eorum canonicis, clericis, famulis, ſeu hominibus quibuſvis, etiam laicis, caſtris aut villis, feudis, vel retrofeudis, ab aliquibus, cujuſcumque præeminentiæ, ſtatus, officii, vel conditionis fuerint, in quocumque loco civitatis, diœceſis, ſeu provinciæ Arelatenſis, ubicumque, ſeu univerſaliter in locis, vel extra loca, injuriam vel violentiam ſeu offenſam inferri: prælatus, vel ejus officialis, aut locum tenens ipſius, cui ſuper præmiſſis injuria, violentia, ſeu offenſa fuerit irrogata, poſſit per cenſu-



ANNO CHRISTI 1279.

A cenſuram eccleſiaſticam, & aliter ut expedierit, animadvertere ubicumque fuerit, in civitate, diœceſi, & provincia ſupradictis, & punire quoslibet irrogantes, ſeu hujuſmodi delinquentes. Nec poſſit objici, quod quia forſan extra territorium jus dixerit, vel monitiones aut citationes fecerit, vel ſententias excommunicationis aut interdicti tulerit, vel tales punierit, ei non pareatur impune. In caſu enim hujuſmodi civitatem & diœceſim Arelatenſem, & totam ejus provinciam prælibatam, volumus eſſe de territorio cujuslibet de prædictis: & quod inſuper B ad mandatum ſeu ad requiſitionem illius ſeu hujus punientis, quilibet prælatorum, & officialium, ſeu eorum loca tenentium, ſive quorumlibet aliorum eccleſiis præſidentium, quamlibet ſententiam latam a tali, ſine difficultate qualibet, uſque ad ſatisfactionem condignam teneantur executioni mandare: hoc adjecto moderamine, quod per præſens ſtatutum, Arelatenſis archiepiſcopus in ſuffraganeos ſuos, ſive prælatus C quilibet in prælatos alios, vel eorum ſubditos, ſeu eorum communitates & diœceſes, jure metropolitico, ſeu quolibet alio, ratione conſuetudinis, vel uſus, aut aliter, nullum jus, nullamve juriſdictionem acquirat, præſenti quidem ſtatuto poſt terminum minime valituro.

*IV. De iis qui clericum ceperint.*

Ad hæc etiam approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod ſi officiales, vel locorum D domini quilibet ſæculares, ſeu eorum curſores aut bannerii, ceperint clericum aliquem; & requiſiti per diœceſanum, vel officialem ſuum, quod clericum illum captum cum omnibus rebus ſuis reſtituant ſibi confeſtim: ſi per unum diem deſtiterint illum reſtituere, quamquam ipſo facto ſint excommunicati, extunc officiales illi, ſeu domini, & quilibet detinentes atque curſores ſeu bannerii ſupradicti, denuncientur excommunicati nominatim & expreſſe diebus ſingulis cum campanis pariter & candelis. Et ſi denunciati per tres dies, clericum il- E lum non reddiderint: extunc locus aut civitas, ſive caſtrum, aut villa, ubi captus ille clericus detentus fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Nec teneatur aliquis fidem facere dictis officialibus, ſive dominis aut detentoribus, ſive quibuslibet aliis, quod captus ſit clericus: cum ſufficiat, ut illum conſtet clericum, in eo quod diœceſanus, vel officialis, ſeu locum tenens ipſius, afferat per litteras vel nuncium, clericum illum eſſe; nec ſuper his fides aliqua ſit laicis facienda. Hoc autem de tali clerico intelligimus, qui erat in poſſeſſione clericatus tempore captionis.

ANNO CHRISTI 1279.

*V. Ut nemo alteri ſuadeat, in aliena eccleſia cœmeterio eligere ſepulturam.*

Poſthæc approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod nulla perſona eccleſiaſtica vel ſæcularis, cujuſcumque religionis, ſtatus aut conditionis exiſtat, inducat per ſe, vel per alium, aliquam perſonam in infirmitate vel ſanitate conſtitutã, nec etiam moneri faciat, ut dimiſſa ſua parochiali eccleſia, in cœmeterio alterius eccleſiæ cujuslibet eligat ſepeliri. Alioquin contra facientes, ſcilicet tam inducens, quam induci faciens, & tam monens, quam moneri faciens, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant: quæ ſententia debite publicetur.

*VI. Ut ſerventur jura edita de Judæis.*

Inſuper etiam ſtatuimus, ut jura edita de Judæis ſerventur: videlicet in pectoribus appendentia veſtimentis exterioribus diſſimilia ſigna portent; talia ſiquidem, per quæ faciliter & diſtincte valeant a Chriſtianis agnoſci pariter & diſcerni. Sed neque teneant Chriſtianos nutricios aut nutrices: carnes autem per eos occiſas nullus vendat fidelibus Chriſtianis. Ipſi quoque Judæi dies * excolant manifeſte. In Quadrageſima carnes publice non manducent. Obviantes autem cruci, ſive Chriſti corpori, vel penitus ſe recludant, aut cito recedant, vel reverentiam exhibeant ut Chriſtiani. Alioquin Judæi quilibet contra facientes, per ſubtractionem communionis fidelium, & Chriſtiani per excommunicationis ſententiam, per ordinarios, vel officiales, ſeu loca tenentes eorum, ſolicite compellantur.

* Locus mendoſus.

*VII. Ne banna fiant adverſus eccleſiæ libertatem.*

Cum in jure canonico caveatur, quod qui de cetero ſervari fecerit ſtatuta, & conſuetudines introductas contra eccleſiæ libertatem, ſtatutarii & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, necnon poteſtates, conſules, rectores, conſiliarii locorum ubi ſtatuta hujuſmodi & conſuetudines de cetero edita fuerunt vel ſervata, necnon & illi, qui ſecundum ea judicare præſumpſerint, vel in formam publicam ſcribere judicata, excommunicationis ſententiæ debeant ſubjacere: nonnulli propriæ ſalutis obliti, & ſuæ verecundiæ non parcentes, juris ſententiam verborum amplexu non ſine fraude circumvenire nituntur: non ſtatuta, ut aſſerunt, banna tamen faciunt proclamari, præcepta

Conc. Bituric. ann. 1276. c. 11. ad verbum.

ANNO CHRISTI 1279.

cepta & prohibitiones inducunt, quæ non eſt dubium in libertatis eccleſiaſticæ præjudicium redundare. Nos itaque fraudibus malignorum, quas circa hoc adhibitas fuiſſe cognovimus, obviare volentes, approbante præſenti concilio ſtatuimus: ut qui contra eccleſiæ cujuslibet libertatem banna, prohibitiones, ſive præcepta, ſcientes fecerint, aut fieri procuraverint, ſeu facientibus conſilium vel opem duxerint adhibendam, ipſa, poſtquam per locorum ordinarios, vel officiales eorum, ſuper hoc fuerint requiſiti, abſque cujuslibet difficultatis obſtaculo indilate revocent, ſeu faciant revocari, ad conſimilia nunquam de cetero proceſſuri: alioquin cenſura ſimili ſint adſtricti. Qui vero contra eccleſiaſticas conſuetudines antiquas, rationabiles, approbatas, & hactenus pacifice obſervatas, ſtatuta, banna, prohibitiones, aut præcepta, ſcienter fecerint, aut fieri procuraverint, ſive jam facta ſervaverint, aut ſervari fecerint, ſeu facientibus vel ſervantibus, in hujuſmodi conſilium vel opem præſtiterint, per diœceſanos locorum, aut officiales, præſentis auctoritate concilii moneantur, ut infra VIII. dies a tempore monitionis hujuſmodi numerandos, ſtatuta", & banna, prohibitiones & præcepta hujuſmodi debeant revocare, ad conſimilia nunquam ulterius proceſſuri: alioquin excommunicationis ſententia, quam in his ſcriptis exnunc ferimus, ſint ligati.

"al. ſtatuta deleant, banna, prohibitiones, & præcepta revocent, ad conſ.

*VIII. Ne quis in foro eccleſiaſtico litigantes, ad deſiſtendum compellat.*

Ibid. c. 13

Cum nonnulli temporale dominium obtinentes, ſeu ſæcularis juſtitiæ poteſtatis gerentes officium, juriſdictionem ſanctæ matris eccleſiæ ſubvertere vel minuere exquiſitis aſtutiis moliantur: nos eorum malitiam ultione canonica reprimentes, approbante præſenti concilio ſtatuimus, inhibentes, ne quis in foro eccleſiaſtico litigantes ſeu litigare volentes ſuper cauſis mere eccleſiaſticis, ſive quæ ad forum eccleſiæ de antiqua & approbata conſuetudine & hactenus pacifice obſervata pertinere noſcuntur, ad deſiſtendum compellat, per ipſorum vel parentum aut conſanguineorum, ſive rerum eorum & perſonarum hujuſmodi captionem, modiſve aliis quibuſcumque. Si quis vero contra præſumpſerit, excommunicationis ſententiæ auctoritate concilii ſe noverint ſubjacere.

*IX. Ut privilegiati excommunicatos ad ſacra non admittant, nec ad ſepulturam.*

Ibid. c. 15.

Licet regularis obſervantiæ profeſſores, & alios quos ſedes apoſtolica exemptionis ſeu libertatis majoris decoravit titulo, & privilegiis inſignivit, attollere condignis favoribus intendamus, ipſorumque privilegia, quantum ad nos attinet, obſervare penitus illibata: ſic tamen eos ſuis manere contentos juribus affectamus, quod privilegiorum ſuorum limites in aliorum injuriam non extendant. Proinde ſacro approbante concilio duximus ſtatuendum, diſtrictius inhibentes, ne deinceps religioſi quicumq; vel etiam ſæculares, exemptionis ſeu libertatis ſedis apoſtolicæ privilegiis muniti, excommunicatos publice vel nominatim interdictos, ſeu uſurarios manifeſtos, ad Divina ſeu eccleſiaſtica ſacramenta, vel eccleſiaſticam ſepulturam, admittant. Qui vero contra præſumpſerint, præter pœnas a jure ſtatutas, ingreſſum eccleſiæ eo ipſo ſibi noverint interdictum: donec prolatoribus ſententiarum hujuſmodi, quorum auctoritatem contempſerint, & aliis quorum intereſſe contingat, de prædictis exceſſibus & omni intereſſe & damnis ſatisfecerint competenter.

*X. De excommunicatis ad officia publica non eligendis, & de iiſdem banna facientibus contra excommunicatores & denunciatores.*

Inſuper & præſenti approbante concilio ſtatuimus, ut infraſcriptum ſtatutum concilii Valentini ab omnibus firmiter obſervetur, quod eſt iſtud: Excommunicati, in conſules, rectores, poteſtates, aſſeſſores, ballivos, vel ad alia officia publica, nullatenus eligantur: & qui tales ſcienter elegerint, excommunicentur; & nulla ſententia lata per ipſos, ſive auctoritate eorum, valeat, ſeu proceſſus habiti per eoſdem, ſive auctoritate ipſorum. Quia vero intelleximus quod excommunicati quidam, ſtatuta quædam faciunt, præcepta, ſeu banna, contra excommunicatores vel denunciatores excommunicationum, quod eſt quaſi hæreticum, & a diſciplina eccleſiaſtica alienum, cum directe fiat hoc in contemptum clavium, & illuſionem ipſarum, quod ipſas nituntur infringere malitia obſtinata: licet excommunicati intelligantur per conſtitutionem domini Honorii, quia tamen conſtitutionem illam contemnunt: ſtatuimus, quod quicumque ſtatutum, præceptum, bannum, interdictum, furni, molendini, ignis, aquæ, ſeu aliorum commerciorum, ſeu mandatum fecerint contra excommunicatores vel denunciatores, apertum, tacitum, vel occultum, denuncientur etiam excommunicati per totam provinciam, & etiam in vicinis provinciis, ſi videbitur expedire: & ceſſetur a Divinis, in omnibus locis ad quæ venerint taliter excom-

Concil. Valentin. an. 1248. c. 14.

Ibid. c. 15.



ANNO CHRISTI 1279.

communicati, quamdiu moram fecerint in eiſdem: nec abſolvantur donec ſatisfecerint competenter de damnis & injuria, illatis propter hæc eccleſiæ & perſonis eccleſiaſticis. Præcipimus autem quod prælati omnes, cum a diœceſano qui excommunicationem tulit, ipſis fuerit denunciatum; prædictos renuncient, & illos evitent, & hoc medicinale ſtatutum obſervent inviolabiliter. Quod ſi non fecerint, ingreſſum eccleſiæ per menſem unum ſibi noverint interdictum.

Ibid. c. 16.

*XI. De iis qui excommunicatos elegerint.*

Huic autem ſtatuto concilii Valentini adjicimus, approbante præſenti concilio, ſtatuentes, quod quicumque ſumpſerint aut elegerint excommunicatos, qui ſemel aut pluries fuerint in eccleſiis aut in eccleſia denunciati, vel in conſules, vel rectores, vel vicarios, vel judices, vel poteſtates, vel aſſeſſores, vel ballivos, vel clavarios, vel notarios, vel alia officia publica, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto; & omnia in quibus, ſeu ad quæ illi taliter electi fuerint ad officia, ſi requiſiti electores hujuſmodi electos ipſos ab ipſis officiis non amoverint, infra menſem poſt requiſitionem hujuſmodi ſibi factam, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, donec tales prorſus amoti fuerint & receſſerint de locis eiſdem.

*XII. Ut clerici non negotientur.*

Ad hoc etiam, infraſcriptum ſtatutum editum per bonæ memoriæ dominum B". Arelatenſem archiepiſcopum prædeceſſorem noſtrum in provinciali concilio, ſtatuimus approbante præſenti concilio cum ſubſequenti moderamine firmiter obſervari. Et" ante iſtud ſtatutum, quod nullus clericus beneficiatus, nullus etiam in ſacris ordinibus conſtitutus, per ſe vel per alium emat bladum, vel vinum, cauſa revendendi vel negotiandi, neque huic ſtatuto fraudem aliquam adhibeat. Quod ſi facere præſumpſerit, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto: de qua ſententia niſi per diœceſanum poſſit abſolutionis beneficium obtinere. Et tunc puniatur in amiſſione bladi, vel vini, ſeu pretii, convertendi in fabricam eccleſiæ parochialis: ſalva etiam alia pœna majori, ſi diœceſano videbitur, imponenda juxta ipſius facti qualitatem. Hoc autem moderantes ſtatutum, propter animarum periculum, tollimus pœnam excommunicationis impoſitam clericis vendentibus & revendentibus, in ipſo ſtatuto contentam: ipſo ſtatuto quoad alia ibi contenta in ſuo robore alias permanente: Adjicientes, quod venientes contra ipſum ſtatutum, & ſpiritualiter & pecunialiter arbitrio diœceſani ſui puniantur debite.

"Bertrandum de S. Martino. Vide ſupra in Concil. Arelat. ann. 1275. c. 14.

"Corr. Eſt autem iſtud. Statuimus quod

*XIII. Ut clerici advocationem & judicaturam non exerceant.*

Aliud etiam infraſcriptum ſtatutum, olim editum per bonæ memoriæ dominum Florentinum Arelatenſem archiepiſcopum, prædeceſſorem noſtrum, in provinciali concilio, ſtatuimus, ſimiliter approbante præſenti concilio, cum ſubſequenti moderamine, firmiter obſervari: quod eſt iſtud. Ad hæc, cum eccleſiaſtica per eccleſiaſticos, & per ſæculares ſæcularia tractari conveniat, ne forte clericus ad aratrum eccleſiæ mittens manum, & reſpiciens retro, Dei regno efficiatur ineptus: (nec enim beatus apoſtolus Matthæus, qui & Levi telonearius dictus eſt, poſtquam a Domino vocatus fuit, rurſus ad lucra telonei reſedit) inhibemus diſtricte, ne clericus in eccleſia beneficiatus, advocationis officium ſuſcipere in curia laicali præſumat, nec judiciarium exercere: niſi forte pro eccleſia, vel pauperibus, viduis, & orphanis, patrocinari voluerit intuitu pietatis. Si quis autem contra hoc attentare præſumpſerit, ipſo facto ab ingreſſu eccleſiæ noverit ſe ſuſpenſum. Et ſi per prælatum ſuum requiſitus & monitus, ab hujuſmodi officiis deſiſtere noluerit: beneficio ſuo eccleſiaſtico privetur per eundem; & per ipſum, beneficium alteri conferatur. Quod ſi reſipuerit, a dicta ſuſpenſionis ſententia per ipſum epiſcopum abſolvatur. Hoc autem moderantes ſtatutum, volumus ſtatuendo, quod hujuſmodi clericus, de ſententia ſui epiſcopi generali vel ſpeciali, poſſit libere advocationis " judicaturæ officium ubilibet exercere. Adjicientes prædicto ſtatuto, ut nullus clericus eccleſiaſticum habens beneficium, præſertim in dignitate eccleſiaſtica conſtitutus, in aliqua curia eccleſiaſtica vel civili præſumat, contra eccleſiam vel perſonam eccleſiaſticam, advocationis officium in civitate, diœceſi, & provincia Arelatenſi pro laicis exercere: niſi per judicem illius eccleſiaſticæ curiæ fuerit datus laicis advocatus. Alioquin contra faciens ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.

"Add. vel

*XIV. De teſtamentis non occultandis.*

Cum autem plurima teſtamenta ſoleant ex hæredum malitia nequiter occultari, ut ea quæ vel ad pias cauſas, vel ad faciendas emendas, in ultimis defunctorum voluntatibus legata ſive relicta fuerint, ad lucem nequeant pervenire: nos volentes hujuſmodi

Anno Christi 1279.

di malitiis obviare, approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod tam hæres quilibet, quam notarius, qui notam cujuslibet receperit teſtamenti, per eccleſiam, ut commodius videbitur, requiratur, quod teſtamentum, vel notam, ſive tranſcriptum alterutrius, in eo quod vel pias cauſas vel faciendas emendas tangere dinoſcitur, exhibeant infra octo dies, a tempore requiſitionis hujuſmodi computandos. Quod niſi fecerint, ex tunc eos, prout requiſiti fuerint, decernimus excommunicationis ſententiæ ſubjacere, quam excommunicationis ſententiam volumus nominatim & ſolemniter diebus ſingulis publicari.

*XV. Ut prælati hæc ſtatuta publicari faciant.*

Demum, approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod quilibet diœceſanus ſive prælatus Arelatenſis provinciæ præſens concilium habeat infra duos menſes, ab inſtanti feſto Pentecoſtes numerandos: & per eccleſias ſubditas eadem ſtatuta, præſertim excommunicationis & interdicti ſententias continentia, prout eadem ſtatuta requirunt, ſub pœna excommunicationis vel alia, prout eis viſum fuerit, a ſubditis ſuis faciat publicari & diligenter exponi, ut pericula quæ clericis & laicis ex eiſdem poſſunt ſententiis imminere, ſint liquide manifeſta, & cautius evitentur.

Factum Avenione anno Domini MCCLXXIX. XVI. Kal. Junii, die ſcilicet Mercurii ante Pentecoſten.

## ALIA EJUSDEM CONCILII STATUTA

### Super crucesignatorum & religioſorum privilegiis.

### I. De crucesignatis.

Pro crucesignatis in terræ ſanctæ ſubſidium, in provinciali concilio, quod celebratum fuit apud Avenionem anno MCCLXXIX. XVI. Kal. Junii, concorditer extitit ordinatum.

Quod cum apoſtolicæ litteræ Gregorianæ D. archiepiſcopo Arelatenſi & ejus ſuffraganeis omnibus ſimul directæ, per eos fuerint hactenus multipliciter publicatæ, & proceſſus multiplices authoritate earum per eos ſint habiti, & quaſi per univerſum mundum ſit publicum & notorium, quod quilibet metropolitanus, & ejus ſuffraganei, ſuper hoc plenam habeant poteſtatem, tranſcriptum earum ſive copia nulli detur.

Quod inſuper crucesignati & crucesignandi pro ſubſidio terræ ſanctæ, per ipſos dominos, archiepiſcopum & ejus ſuffraganeos, defendantur, juxta indulgentiam contentam in litteris ſupradictis, & in concilio generali.

Anno Christi 1279.

Quod etiam crucesignati, licet antequam crucem ſumpſerint, citati fuerint, vel contra eos ſint aliqui proceſſus habiti, authoritate litterarum ſedis apoſtolicæ de prædictis non facientium mentionem, extra ſuas diœceſes: nihilo minus tamen in poſterum ſimiliter poſtquam crucem ſuſceperint, defendantur, ne ad judicia extra ſuas diœceſes evocentur.

Nec in aliis, in quibus eos ſedes apoſtolica privilegiat, offendantur: ita quod proceſſus habiti coram judicibus delegatis teneant, ut tenere debebunt, & juxta eos ſive poſt eos fiat continuatio per crucesignatorum ordinarios, & finaliter procedatur.

Quod ſi forſitan contra ordinarios, ſeu eorum vices gerentes, quod defenderent crucesignatos, vel contra ipſos crucesignatos defenſos per eos, aliqui delegati procederent, citando vel monendo, vel ſententias aliquas fulminando, vel eas denunciari mandando, ſeu alias quoquo modo: nullus in civitate, diœceſi, & provincia Arelatenſi, delegatorum eorundem ſigillet litteras, nec exequatur mandata.

Quodque cum crucis ipſius tranſmarinæ negotium ſit continuum in favore, & vivente D. Gregorio ſummo pontifice per prælatos fuerit inchoatum, nec per aliquem ſucceſſorem ipſius aliqualiter revocatum, non obſtante morte ipſius domini Gregorii: circa ipſum negotium per prælatos juxta directum prædictum ſibi mandatum apoſtolicum procedatur, cum negotium crucis adhuc maneat & vigeat, nec dum paſſagium ſit incœptum.

Et omnes diœceſani, & eorum officiales, exequantur latas ſententias, per eorum quemlibet pro crucesignatis contra quoſcumque.

### II. De religioſis.

Super confeſſionibus, quas religioſi paſſim audierint, extitit in eodem concilio ſimiliter ordinatum.

Quod religioſi per ipſos diœceſanos, vel tenentes loca eorum, cautius requirantur, an de licentia vel ſine licentia prælatorum audiant confeſſiones. Quod ſi privilegia confeſsiones audiendi ſe dicant habere, illa ſine mora qualibet exhibeant & oſtendant, & copiam dent eorum.

Quodq; deinceps illi religioſi, qui voluerint confeſsiones audire, veniant ad prælatos, ut ab eis ſuper confeſsionibus audiendis recipiant ſpecialiter facultatem.

Quod etiam iidem prælati non committant religioſo alicui confeſsiones generaliter audiendas.

Quod



Anno Christi 1279.

Quod inſuper iidem prælati retineant illos in cauſis, qui retenti ſunt ipſis prælatis per provincialium conciliorum ſtatuta. Si tamen inter religioſos eoſdem aliquæ ſint perſonæ, per quas prælati ſenſerint tali gratia ſpeciali * meritos ſive dignos: ipſi prælati faciant ſuper his erga perſonas hujuſmodi, quod viderint expedire.

*Hic aliquid deeſſe videtur.*

Facta ſunt hæc die præcedente prænunciationis concilii ſupradicti, videlicet XVII. Kal. Junii, in præſentia & teſtimonio plurium perſonatuum, & aliorum, & mei Stephani de ſancta Maria domini papæ ſcriptoris, ſacri palatii notarii, qui de mandato prædictorum domini archiepiſcopi, & dominorum epiſcoporum, & aliorum abſentium loca tenentium, prædictum concilium, ſive ſtatuta contenta in eo, prout omnia ſunt ordinata ſuperius, ſcripſi: & ut ex his publicum inſtrumentum facerem, ſive plura, mandatum ab ipſis recepi. In cujus rei certitudinem, hic appoſui ſignum meum.

Anno Christi 1279.

### G. C. Nota.

Qui præfuit huic concilio Arelatenſis archiepiſcopus (poſtea epiſcopus Portuenſis) Bertrandus hic dicitur, ab aliis omnibus Bernardus & in ipſo ſuo epitaphio, quod ſaxo inciſum, Ughello teſte, hodieque cernitur Urbeveteri ante aram principem eccleſiæ ſancti Franciſci. Mendoſus igitur hac in parte codex noſter eſt. Et in hoc quoque mendoſus, quod Sabinenſem epiſcopum fuiſſe ait: cum Portuenſem dicere debuiſſet. Ex Sabinenſium ac Portuenſium epiſcoporum catalogis & epitaphio, cujus paulo ante mentionem feci, res conteſtatiſſima: immo & ex his ipſis Arelatenſis provinciæ conciliis, eo ſcilicet, cui Bertrandus Amalricus Avenione præfuit, anno MCCLXXXII. & eo quod Roſtagnus Capra, in villa Inſulæ Venaſcini: anno MCCLXXXVIII. celebravit.

*Præponi hoc concilium duobus proxime antecedentibus debuerat.*

## ** CONCILIUM BITERRENSE,

### De mittendis ad Regis parlamentum procuratoribus pro defendendis eccleſiaſticis libertatibus, anno Domini MCCLXXIX. a Petro Narbonenſi archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum.

Notum ſit cunctis quod anno Domini MCCLXXIX. in craſtinum feſti Inventionis S. crucis, fuit celebratum concilium apud Biterrim per reverendos patres dominos, Petrum Dei gratia archiepiſcopum Narbonenſem, Pontium Biterrenſem, Bertrandum Toloſanenſem, Berengarium Magalonenſem, Bertrandum Elnenſem, Petrum Agathenſem, Petrum Nemauſenſem, & Galterum Carcaſſonenſem, eadem gratia epiſcopos. Qui domini epiſcopi, & etiam Lodovenſis & Uticenſis, vocati fuerunt per litteras ipſius domini archiepiſcopi, quarum tenor noſcitur eſſe talis.

„ Petrus miſeratione Divina ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopus, venerabilibus in Chriſto fratribus Dei gratia Biterrenſi, Magalonenſi, Lodovenſi, Uticenſi, Agathenſi, & Nemauſenſi epiſcopis, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem: Cum ſuper magnis & arduis negotiis antiquis, & etiam de novo emergentibus, quæ communem tangunt ſtatum eccleſiarum provinciæ Narbonenſis, vobiſcum & aliis fratribus noſtris ſuffraganeis habeamus loqui pariter & tractare: fraternitatem veſtram rogandam duximus, tenore præſentium, vobis nihilo minus mandantes, quatenus in craſtinum poſt inſtans feſtum Inventionis S. crucis, aliis prætermiſſis negotiis, apud Biterrim nobiſcum perſonaliter interſitis, ut vobiſcum tractemus in præmiſſis quod honori & utilitati communi eccleſiarum ipſius provinciæ expediens viderimus, & Dominus miniſtrabit. Datum Montillis XVI. Kal. Maji, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono.

Sub eadem forma ivit littera ad dominos Toloſanenſem, Elnenſem, & Carcaſſonenſem epiſcopos.

*Litteræ Petri archiepiſcopi Narbonenſis, de rebus geſtis in concilio Biterrenſi anno MCCLXXIX.*

Petrus miſeratione Divina ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopus, diſcretis & religioſis viris, abbatibus, prioribus conventualibus, capitulis, & conventibus, tam ſæcularibus, quam regularibus, per civitatem, diœceſim, & provinciam Narbonenſem conſtitutis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum in concilio apud Biterrim, per nos ac venerabiles fratres noſtros epiſcopos provinciæ Narbonenſis, ad cujus convocationem veſtris credimus non modicum pepercisse laboribus & expenſis, ordinatum extiterit, ut nos una cum venerabili fratre noſtro epiſcopo Toloſano ad inſtans parlamentum debeamus in Franciam perſonaliter proficiſci, conſtitutique ſint in ipſo concilio procuratores, qui in ipſo parlamento comparere debeant pro provincia Narbonenſi, ſuper antiquis & de novo novitatibus aliquibus emergentibus, feudis videlicet & retrofeudis, alodiis, & exercitu, & gravaminibus illatis, & quæ quotidie inferuntur, quæ communem tangunt ſtatum eccleſiarum, & monaſteriorum ejuſdem provinciæ, libertates, immunitates, & privilegia oſtenſuri, prout in ipſo procuratorio videbitis plenius contineri: univerſitatem veſtram requirendam tenore præſentium ducimus & rogandam, quatenus in procuratorio quod vobis per latorem præſentium mittimus, veſtrum quilibet ſigillum ſuum apponat.

Datum Biterris III. Nonas Maii, anno Domini MCCLXXIX.

# ** CONCILIUM REDINGENSE,

## A Joanne Peckham Cantuarienſi archiepiſcopo, cum ſuffraganeis, anno Domini MCCLXXIX. celebratum.

Ex vet. cod. MS. bibliothecæ Cotton. editum, Anglicanæ collectionis tomo II.

ANno Domini MCCLXXIX. circa feſtum S. Jacobi apoſtoli, frater Joannes Cantuarienſis archiepiſcopus, convocatis univerſis ſuffraganeis ſuis apud Radinges, celebravit concilium, in quo conſtitutiones concilii generalis, quod ſilentio præterire non convenit, innovavit: videlicet quod ſinguli rectores eccleſiarum, unico tantum beneficio, curam animarum habente, cogerentur eſſe contenti: quinetiam omnes ad ordinem ſacerdotii infra annum ſe faciant promoveri.

Ex vet. cod. MS.

### Conſtitutiones domini Joannis Peckham Cantuarienſis archiepiſcopi, editæ apud Reding. III. Kal. Auguſti, anno Domini MCCLXXIX.

#### I. *De inſtitutionibus & deſtitutionibus.*

AUdiſtis, fratres conſcripti, iſtius " conſtitutionis tenorem: noviſtis etiam canones ſanctorum patrum ſuper hanc materiam editos, tam in * Theſalono * quam in Romano concilio, necnon & capitulum Dionyſii. Quæ omnia, ſeu qui omnes, pluralitatem beneficiorum cum cura, inhibent uni committi; ſingulas eccleſias ſingulis ſacerdotibus committentes. Secuta ſunt deinde concilia Lateranenſia ſub Alexandro papa, & generale concilium ſub Innocentio tertio: in quibus omnibus iſta pluralitas inhibetur: hoc addito in ultimo concilio, quod per receptionem ſecundi beneficii vacat primum: receptoque ſecundo, primum, per eum, ad quem collatio pertinet, libere alii conferatur: & ſi id infra ſex menſes alteri conferre diſtulerit, non ſolum ad alios, juxta Lateranenſe concilium, collatio devolvatur; verum etiam cogatur de ſuis proventibus in utilitatem eccleſiæ, cujus eſt illud beneficium, aſſignare, quantum a tempore vacationis ipſius conſtiterit eſſe perceptum. Et cum non ſic finis ambitionis, nec cæcæ cupiditatis, eſſet impoſitus: ſucceſſit præſens legati inſtitutio Othoboni, quæ ad multa mala præterita extirpanda, & ad providendum in futurum, ne de cetero peſtis hujuſmodi pullularet, ſufficiens ab eodem fuerat æſtimata, dum peſtes atque miſerias, quæ ex hac radice proveniunt, & pericula quæ ſequuntur evidenter enervans, ea ſtudet imprimere in cordibus peccatorum, dum nec " inſtitutiones decrevit irritas ipſo jure, nunc vero ipſum inſtituendum adigit juramento, nunc perjuros privat beneficiis habitis, & habendis; & contra hoc epiſcopos venientes a beneficiorum collatione ſuſpendit, donec inſtitutiones a ſe factas improvide, contra conſtitutionis tenorem, duxerint revocandas. Licet hæc omnia cum gravi ſtudio, magnaque diligentia ſint proviſa, iſtorum tamen omnium non ſecutus eſt fructus quivis, nec proventus; quin potius, ac ſi nihil prorſus ſuper iſta materia excogitatum fuiſſet a majoribus ſeu proviſum, nec amore juſtitiæ, nec timore pœnæ, ceſſarunt hucuſque aliqui, per fas vel nefas undique ſibi beneficia cumulare: nec ipſi pœnas conſtitutionis verentes, nec alias ſacris inhærentes canonibus, id ipſa beneficia in immerſa ferocitate conferre, licet non fuerit cum eis diſpenſatum. Quæ omnia ſæpe & ſæpius ad aures ſummi pontificis pervenerunt: qui hæc omnia vehementer abhorrens, necnon admirans vehementius, quod nec " conſtitutiones aut canones, per cautelas aut pœnas, hucuſque tantæ præſumptionis audacia enormiter " poterit coerceri, nec etiam remedium eidem adhiberi: vobis " etiam injunxit vivo vocis oraculo, quod tanto incommodo celeri reformitate fecerimus occurri, & hujuſmodi præſumptores a tantæ temeritatis audacia, quacumque poſſemus coertione, compeſci. Et licet ad hæc omnia comprimenda, ſolius metropolis juriſdictionis poteſtas apud nos ſufficere dignoſcatur, qui benignitate toleran- tiam, & lenitate ingredi, & progredi, poſtea " affectamus in ſingulis, quam in ſeveritate nimia, aut rigore, aliter flectere corrigenda: quia cum " facti perverſitas in tantum ſe extulit, quod ex eo ſit multiplicata ruina, & exortum ſit ſcandalum plurimorum, clamorque ad aures ſuperiorum aſcenderit, ut tantum ſcelus contra decorem eccleſiaſticæ honeſtatis, ſub diſſimulatione de cetero nequeat pertranſiri, & multis ceſſantibus, opus ſit exemplo, apoſtolicique præcepti nos urgeat authoritas in hac parte.

" Conſtitutionis Othoboni in concilio Londin. anno 1268. c. 30. quæ lecta eſt in hac ſynodo, ut conſtat inferius. a Forte, Toloſano; anni ſcilicet 1118. Hard.
" Corr. dum nunc
" Alii leg. ... hec, & ... quæ ſeparatur.
" f. alterandum, per
" f. enormiter excedens, poterit.
" Corr. nobis
" f. benignitate toleranti, & len.
" f. potius aff.
" Corr. quia jam

Nos " de adjutorio advocato, prout nobis in præſenti occurrit, manus huic negotio opponimus " adjutrices: decernentes, juxta formam generalis concilii, omnia illa beneficia curam animarum habentia, qui " obtinuerant, & obtinent illi de facto, qui diſpenſationem ſedis apoſtolicæ ſuper hujuſmodi pluralitatem non habent, per beneficii receptionem, quod ipſi ſic beneficiati ultimo receperunt, ipſo jure vacare. Licet, juxta conſtitutionis rigorem domino " Othobono, ſic recipiens plura beneficia, & ipſo * ultimo jure: præcavere tamen volentes, ne rigorem videamur coacervare rigori, mentem etiam conſtitutionis tam concilii generalis, quam etiam domini Othoboni, clarius advertentes, quarum etiam neutra & præobtentis, & ultimo ſimiliter privat, cum concilium generale ſola auferat præobtenta, ultimum tamen reſervat; conciliumque Othoboni, inſtitutionem in ultimo beneficio decrevit irritam, præobtentis tamen non privat: nos miſericordiam cum rigore miſcentes, non tam miſericorditer, quam etiam prudenter, permittimus, ut is qui plura beneficia curam animarum habentia, ſine diſpenſatione apoſtolica, fuerit aſſecutus, ultimo ſic obtento, & eodem juxta concilii generalis tenorem, de noſtra ſpeciali gratia, ſit contentus, niſi forſan, ex temeritate contendit etiam præobtentum improprie retinere. In quo caſu, nec primo, nec ultimo dignum, nec in " medio, immo nec aliquo, judicamus, ſed potius de " inter vacare: quibus omnibus, quatenus ipſo facto eadem detinet occupata, cenſemus perpetuo ſpoliandum. Beneficia vero quæ, per modum ſuperius nominatum eatenus vacaverint, & Deo " ut ad nos, propter negligentiam prælatorum, & capitulorum, fuerit devoluta collatio, nobis ſeu

" f. Dei adjutorio invocato,
" Corr. apponimus
" Corr. quæ obt.
" Corr. domini Othoboni.
" f. nec etiā medio.
" f. de jure
" f. & conta ad nos



ſeu noſtræ collationi reſervamus. Quæ autem per tantum tempus vacaverint, ut per conſimilem negligentiam ad ſummum pontificem jus ea conferendi fuerit devolutum: eidem ſedi, tanquam miniſtri ſedis apoſtolicæ, in hac parte ſpecialiter reſervamus: decernentes exnunc irritum & inane, ſi quid circa eadem beneficia committendo, vel perſonas alias præſentando, ſeu alias quocumque ingenio, vel colore quæſito, per quoſcumque prælatos ſuperiores, vel inferiores, ſeu per quoſcumque clericos, in poſterum fuerit innovatum. Ipſis quoque eccleſiarum detentoribus earundem, per nos & fratres coepiſcopos noſtros, & eorundem confeſſores nunciamus, & volumus inpoſterum nunciari: quod nec ad dignitates eccleſiaſticas, niſi demum purgato vitio, poſſunt aſſumi; & ſi de facto ad eadem aſcenderint, non poſſunt abſque periculo miniſtrare, nec ſalvari poterunt in die judicii, nec in præſenti accipere pœnitentias factas quæ non proficiant ad ſalutem, niſi cum renunciaverint beneficiis, quæ ſic de facto detinent occupata: verum etiam, de fructibus eccleſiæ ſic conſumptis, eccleſiæ Dei quam graviter offenderint, quatenus poterunt, ſatisfaciant competenter. Cum iſta beneficia taliter invadentes ſcienter, falcem in meſſem inferant alienam, cumque non intrent per oſtium: non paſtores, ſed fures pariter exiſtunt, & latrones; miſeraſque animas impudenter decipiunt, quas nec valent utique ſolvere nec ligare. Et illos quoque, qui confeſſores talium clericorum exiſtunt, qui eiſdem in pœnitentia non injungunt, ut fructus eccleſiarum taliter non perceptos, ſed furtive ſurreptos, reſtituant, ſeu de eiſdem faciant, prout " eccleſiis, quas ſic de eiſdem fructibus retinendo læſerint, imperitos decernimus, aut minus benignos, & callidos animarum clericorum hujuſmodi deceptores: inhibentes ſub pœna excommunicationis, ne ad talium abſolutionem manus extendant temerarias, cum hujuſmodi eccleſiaſticorum beneficiorum improbi ſint detentores, in ſcelere continuantes. Huic quoque vulneri canceroſo, per quod Mo ..... alium in futurum ſententiari non poteſt, ferrumque, quod adhuc ſupereſt ignitum in cauſam mucrone anathematis tam enormis flagitii piacula reſecantes; decementes, & pro perpetua ſtabilitate firmantes: quicumque in poſterum plura beneficia curam animarum habentia, abſque ſedis apoſtolicæ diſpenſatione, receperit; vel fuerit aſſecutus per modum inſtitutionis, vel commendationis, ſeu cuſtodiæ; vel unum titulo inſtitutionis, aliud titulo commendationis, ſive cuſtodiæ, præter modum illum, quem conſtitutio Gregoriana edita in concilio Lugdunenſi permittit, ſit eo ipſo privatus omnibus ſic obtentis beneficiis, ipſo facto excommunicationis ſententia permaneat innodatus: a qua, non niſi per nos, vel per ſedem apoſtolicam, abſolutionis gratiam valeat promereri: ut ad beneficiorum vacantium, per hunc modum, vel per alium, pervenire notitiam valeamus.

Nos, fratres cariſſimi, in virtute obedientiæ firmiter injungendo mandamus, quatenus per nos, ſeu officiales noſtros, archidiaconos, & decanos, nomina & " numerum eccleſiarum cum cognitione, agnitione ", vel prænomine, ita quod poſſit haberi notitia perſonarum, tempora ipſarum eccleſiarum factarum ipſis rectoribus, ſeu aſſignatio per modum, quandocumque, quo titulo eas obtineant, inſtitutionis, commendationis, aut ſolius cuſtodiæ, cujus ætatis ſint memorati rectores, ſeu eccleſiarum hujuſmodi detentores, in quo ordine fuerint conſtituti, utrum alibi, quam in una eccleſia beneficiati exiſtant, item autem " cum eis diſpenſatum fuerit ſuper pluralitate hujuſmodi obtinenda; & qui ſint, & in quibus modis cenſeantur earum eccleſiarum patroni: item cujus æſtimationis ſint ſingulæ eccleſię, ſeu valoris, juxta taxationem Norwicenſem, faciatis diſtincte conſcribi, & ſcripturas hæc omnia continentes clare & diſtincte confectas, ſinguli epiſcopi de ſingulis diœceſibus ſuis, nobis ad civitatem London. tranſmittant in octavis S. Hilarii: quibus loco & die, favente Altiſſimo, ad ipſius laudem congregati erimus iterato. Illi autem, qui in renunciatione ſeu deſcriptione præfata, nobis, ut ſupra injunximus, facienda, fraudem vel dolum commiſerint, vel veritatem inſtructioni noſtræ neceſſariam ſubjiciendo ", falſitatem, quod abſit, aliquam immiſcendo, vel per vias alias callide quocumque " circa præfata ſervanda, quo minus ad nos perveniat veritas atque notitia præmiſſorum: pœna falſarii merito poterunt formidare.

" Deeſt, habeamus, aut quid ſimile. " f. agnomine,
" f. item quando cum eis
" Corr. ſubticendo, vel falſ.
" Deeſt modo

#### II. *De inſtitutionibus & eccleſiarum commendis.*

Ut conſtitutio iſta, prout lata eſt in conſtitutione Lugdunenſi, quoad verba, & quoad ſententiam verborum, omnino ſervetur: ipſa quoque " ſummus pontifex decernit, & nos ipſius veſtigiis inhærentes, decernimus: beneficia aliter commendata a tempore concilii Lugdunenſis, ſeu quæ diutius ſub commendatione papæ ſint obtenta, quam conſtitutio Gregoriana memoraliter permittit; ipſa quoque quæ ſub ſpecie cuſtodiæ, quam ſummus pontifex nihil differre æſtimat a commenda, aliter vel diutius ſint obtenta, quam tenor conſtitutionis Gregorianę commemorat; nec non & illa, quæ ſunt collata minoribus XXII. annis, aut iis, qui infra annum poſt admiſſionem talis beneficii in presbyteros non fuerint ordinati, eſſe vacantia ipſo jure: ipſa quoque, quorum per negligentiam prelatorum ſeu capitulorum, ad nos vel ad ſedem apoſtolicam fuerit devoluta collatio, nobis & ſedi apoſtolicæ collationem hujuſmodi ſpecialiter reſervamus, decernentes irritum & inane, &c. Ut ſupra, in capitulo de conſtitutionibus, & in illa clauſula, beneficia quoque, &c.

" Add. quæ

#### III. *De ſententiis excommunicationis publice denunciandis.*

Quoniam malum, niſi cognitum, vitari non poteſt, plures autem ſunt excommunicationum ſententiæ, quibus in ſanctorum patrum conciliis homines etiam probi percelluntur: ne per ignorantiam de cetero in tanti periculi foveam demergantur, præcipimus Cantuarienſis provinciæ ſacerdotibus univerſis, ut, in omni die Dominica ſequenti immediate poſt celebrationem ruralis capituli, exponant aperte populo ſibi commiſſo, excommunicationis ſententias, quæ ſequuntur.

Primo quidem excommunicantur authoritate concilii Oxonienſis, a ſanctæ memoriæ Stephano Cantuarienſi archiepiſcopo, omnes qui malitioſe eccleſias jure ſuo privare præſumunt; aut per malitiam, aut contra juſtitiam, libertates earum infringere vel perturbare intendunt. Ex quo intelligimus, vinculo excommunicationis ſubjacere omnes illos, qui litteras impetrant a quacumque curia laicali ad impetrandum proceſſum eccleſiaſticorum inducunt " in cauſis, quæ per ſacros canones ad forum eccleſiaſticum pertinere noſcuntur.

" Corr. eccl. judicum

Secundo, excommunicantur univerſi, qui ſcien-

ANNO CHRISTI 1279.

ter falſum perhibent teſtimonium, vel perhiberi procurant, vel qui tales teſtes ſcienter producunt vel ſubornant, ad impediendum juſtum matrimonium, vel ad exhæredationem alicujus procurandam.

Tertio, excommunicantur omnes illi, qui pacem & tranquillitatem domini regis & regni injurioſe perturbare præſumunt, & qui jura domini regis injuſte detinere contendunt. Ex quo intelligimus excommunicari non ſolum guerrarum ſuſcitantes errorem, verum etiam latrones publicos, & prædones, & quoſcumque regni juſtitiam impugnantes.

Quarto, excommunicantur advocati omnes, qui malitioſe per quaſcumque exceptiones verum matrimonium impediunt, ne effectum debitum B ſortiatur.

Quinto, excommunicantur omnes illi, qui gratia lucri, odii, vel favoris, malitioſe imponunt crimen alicui, cum apud bonos & graves perſonas non fuerat infamatus, ut ſic ei purgatio indicatur, vel alio modo gravetur.

Sexto, excommunicantur omnes, qui, vacante eccleſia, malitioſe opponunt vel opponi procurant quæſtionem de jure patronatus, ut verum patronum illius eccleſiæ ſaltem impediant illa vice.

Septimo, excommunicantur omnes illi, qui malitioſe contemnunt exequi mandatum regis de excommunicatis capiendis, vel eorum impediunt captionem, ſeu procurant eorum injuſtam liberationem, contra decretum eccleſiaſticæ diſciplinæ. C

Octavo, excommunicantur in concilio ſanctæ memoriæ Othoboni, omnes illi, qui pro impedimento pacis ſeu compoſitione litigantium, quicquid recipiunt, donec ipſum ſic receptum reſtituerint donatori.

Nono, excommunicantur per eundem, quicunque de domibus, maneriis, vel grangiis, vel locis aliis archiepiſcoporum, vel epiſcoporum, vel aliarum perſonarum eccleſiaſticarum, contra ipſorum voluntatem, cuſtodum rerum earum, aliquid auferunt vel conſumunt, vel injurioſe contrectant: quæ omnia ſententia ligantur, nec abſolvi poſſunt, donec de injuriis ſatisfecerint competenter.

Decimo, excommunicantur ab eodem, quicunque abſtrahunt violenter reum, ad eccleſiam vel cœmeterium vel clauſtrum fugientem, vel qui ei victum neceſſarium prohibent exhiberi, vel qui res alienas in locis eiſdem depoſitas violenter aſportant vel aſportari faciunt, vel qui aſportationem talem factam nomine ſuo vel a familiaribus ſuis ratam habent, vel qui ad hoc publice vel occulte conſilium præbuerint, vel conſenſerint.

Undecimo, excommunicati ſunt ab omnibus archiepiſcopis & epiſcopis Angliæ omnes qui veniunt & faciunt contra novam chartam: quæ ſententia, per ſedem apoſtolicam eſt pluries confirmata & approbata.

Audiſtis, fratres cariſſimi, coepiſcopi noſtri, articulos, in quibus, ſanctorum patrum conciliis incurritur ſententia excommunicationis, ipſo facto. Sunt etiam articuli præter iſtos, in quibus epiſcopi, ipſo facto, ſuſpenſionis vinculo innodantur per eadem concilia: quorum conſtitutiones, quandoque prælatos ab officio, quandoque a quibuſdam epiſcoporum inſigniis, quandoque a beneficiorum collatione ſuſpendunt. Quæ omnia ex ipſorum conciliorum tenore colligere poteritis evidenter. In quo "..... quidam penes verentur nos, vel aliquos, tanquam temeratores conſtitutionum, in ipſis editarum concilio incidiſſe verentur; & ne ſic ligati dominia celebrave- A rint & officia noſtra, ut prius fuerint executi verentur, & ne notam irregularitatis contractus" in hac parte. Sed ſi quid fuerit de præterito, hortamur vos ex parte Domini Patris omnipotentis, monemus, & in virtute obedientiæ firmiter vobis injungimus, quod de cetero conciliorum ſtatuta ſupradictorum, necnon & ſtatutorum noſtrorum, in præſenti promulgationis primordio editorum, cum Dei timore, & omni diligentia obſervetis, & faciatis a veſtris ſubditis obſervari: aliter ſuper vos provocabitis. Nam, ut dicitur; in " canonicam merito formidare poteritis ultionem. Et ne iſtorum ignorantia quenquam reddere valeat excuſatum, de omnibus, quæ noſtra congregatione præſenti recitata ſunt, publica etiam, ſeu B ordinata teneri volumus in futurum: ut hæc omnia, fratres & coepiſcopi noſtri, per vos vel archidiaconos veſtros faciatis in veſtris ſynodis publicari. Nihilo minus conſtitutiones domini Othoboni de baptiſmo, nec non etiam extracta de quatuor conciliis, in conceſſionis noſtræ principio memoriter ſuper diverſis articulis, in quibus excommunicationis vinculum incurritur, ipſo facto, jure, in ſingulis eccleſiis tam majoribus quam minoribus, per quatuor dies Dominicos, poſt celebrationem quatuor conciliorum principalium, faciatis recitari. Conſtitutio vero edita ſuper concubinis in concilio Othoboni, in quatuor capitulis ruralibus, & in principalibus, excluſis tamen laicis, publicetur. Quæ autem a nobis C fuerint in præſenti ordinata, vel adjecta conciliis ſupraſcriptis Othoboni, immo, in duobus generalibus capitulis, ſingulorum auribus" inculcari. Ipſam autem chartam domini regis, ſuper libertatibus eccleſiæ per regem conceſſis, bene & aperte conſcriptam, in ſingulis eccleſiis cathedralibus, ſeu collegiatis, in loco publico jubemus affigi: ut omnium intrantium oculis ſe palam exhibeat, & in fine anni, in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, renovetur: ut, ſublata veteri, nova recenſque bene ſcripta ſubſtituatur eidem.

For. in quo quidem pœnas, vel omnes, vel aliquos, tanquam conſt.

in ipſis aliis conciliis, incid. ver. & ne ſic ligati Divin cel.

" leg. contraxerint

del. in

" add. præcipimus, vel quid ſimile.

### IV. *De pueris baptizandis.*

Quod in præſenti conſtitutione cavetur, de D pueris baptizandis, uſque ad generale baptiſmum, Paſchæ & Pentecoſtes videlicet, reſervandum": pro ipſius ſtatuti reverentia, quod hactenus videtur eſſe neglectum, ſic duximus declarandum eſſe vel ſtatuendum: ut pueri, per octo dies ante Paſcha, & per dies totidem ante Pentecoſten, de matrum uteris nati, ſi abſque periculo reſervari valeant, reſerventur uſque ad illa tempora baptizandi: ita quod cum medio tempore inter nativitatem puerorum, & hujuſmodi baptiſmum, perfectum recipiant catechiſmum, ſolaque diebus baptiſmum faciant ſuper univerſo faciendum. Alii autem, qui aliis temporibus nati extiterint, tum propter mortale periculum, quod ſæpe pueris imminet improviſum, tum propter ſimplici- E tatem parentum, qui contra formam baptiſmi ſint faciliter erraturi, abſque offenſionis nota, juxta vetuſtam conſuetudinem, vel incontinenti cum fuerint nati, vel poſtea, prout placuerit ipſis parentibus, baptizentur. Quod ſi forte contigerit, pueros propter mortis periculum a laicis baptizari: caveant ſacerdotes, ne baptiſmum legitime factum audeant iterare.

" Corr. reſervandis

Hæc non deſu.

### V. *De concubinariis puniendis.*

Quia incontinentiæ vitium, clerum maculat, & lamentabiliter dehoneſtat, in ſcandalum plurimo-



ANNO CHRISTI 1279.

rimorum: ſtatutum domini Othoboni contra concubinarios editum præcipimus in ſuo rigore inviolabiliter obſervari. Et ne criminis contagio, caliginem adducens " mentis vitioſæ, & ne tales per ignorantiam vel oblivionem ſe valeant excuſare: præcipimus archidiaconis univerſis in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, quam in ipſos ferimus ſi ſponte contra hoc fuerint negligentes, quatenus conſtitutionem prædictam faciant in quatuor anni principalibus capitulis ruralibus, per ſe vel eorum officiales, vel ſaltem per decanos rurales, ſeu gerentes vices eorundem, diſtricte & aperte coram toto capitulo, excluſis laicis, recitari. Quam recitationem pro monitione haberi volumus, ut libere contra omnes hujuſmodi procedi valeat B vitioſos; ne cauſari poſſint, cum ad executionem privationis in eos late ſententialiter in predicto ſtatuto proceſſum fuerit, ſe monitos non fuiſſe. Si quis autem dicti ſtatuti recitationem malitioſe impedierit: excommunicationi ſubjaceat, ipſo facto. Si quis autem dicta ſtatuta recitari neglexerit, ſeu decanus, ſeu vicem ejus gerens: omni ſexta feria in pane & aqua jejunet per obedientiam, niſi infirmitas impediat, donec in ſequenti capitulo ipſum fecerit recitari.

" for. adducat.

## "" ORDINATIONES DOMINI Joannis Cantuarienſis archiepiſcopi in domibus religioſis.

Ex eadem Anglicana collectione.

FRater Joannes permiſſione Divina Cantuarienſis eccleſiæ miniſter humilis, totius Angliæ primas, dilectis in Chriſto filiabus N. abbatiſſæ & conventui de Godeſtouve ſalutem, gratiam, & benedictionem. Pudicitia virginum, eſt ſpeciale militantis eccleſiæ ornamentum, ſinceritatem repræſentans angelicam, ac regem gloriæ Dominum Jeſum Chriſtum in cordis provocat oſculum & amplexum. Hunc igitur theſaurum tam incomparabilem, qui perditus recuperari non poteſt, quem ſpiritualis Dei adoptio in veſtro collegio repoſuit, volentes circumcingere munimine diſcipline, & ſolius Dei § " aſtringere, cujus, licet indignus, exiſtimus paranymphus: vobis ſubſcripta mandamus inviolabiliter obſervari. Fruſtra enim laboramus pro illibato ſervando veſtre lilio caſtitatis: niſi noſtra conetur ſancta æmulatio noſtris " vos in cunctis coaptare.

Ex vet. cod. MS. in regiſtro archiep. Cantuar. nuncupato Peccam. fol. 223.

§ Addendum timore. Harduinus.

" Corr. nobis.

Imprimis igitur ordinationes ſanctæ memoriæ domini Roberti prædeceſſoris noſtri, cum adjectionibus & modificationibus ſubjungendis, præcipimus firmiter obſervari: ut videlicet eccleſiaſticum officium, in quo habetis ſponſum alloqui, & ejus ſuſcipere ſpiramina, temporibus debitis cum omni reverentia celebretis: quo tempore nulli ſane a choro ſe liceat abſentare, niſi ſit obedientialiter in neceſſariis, non in forinſecis colloquiis, occupata. Ipſum autem officium præciſe & integre præcipimus decantari: præciſe, inquam, ut tam in Miſſis chori, quam beatæ Virginis, excludantur per annum totum ſupervacuæ novitates, nec novum aliquid inibi decantetur, niſi de conſilio magiſtri & abbatiſſæ pariter ac cantricis; ſed novis omnibus vetera preponantur. Integre etiam officium celebretur, rejecta penitus mutilatione officii monaſtici, quam invenerunt nuper præſidentes capituli monachorum, Abandoniæ celebrati. Puerilia autem ſolemnia, quæ in feſto ſolent fieri Innocentum, poſt veſperas S. Joannis tantum inchoari permittimus: & in craA ſtino in ipſa die Innocentum totaliter terminentur.

Pro regimine inſuper conventus, maturiores ac prudentiores teneatur abbatiſſa vocare, pro negotiis domus intrinſecis & extrinſecis ſalubriter diſponendis. Quod ſi aliqua ſecundo vocata venire contempſerit, in ſequenti prandio ei pitancia ſubtrahatur. Quod ſi tertio non veniens, autem obſtringerit " imperanti: panis ei & aqua in proximo prandio tantummodo concedantur. Idem dicimus in omnibus illis, quæcumque, quandocumque inobedientes, proprie inhæſerint voluntati.

" Corr. obſtruxerit

Ad caſtitatis autem teſtimonium certius obtinendum: ſtatuimus, moniales ab ambitu monaB ſterii non exire, niſi pro neceſſitate que " perſonis aliis nequeat expediri: unde perendinationes, que conſueverunt fieri in domibus amicorum, ad ſolatium, & ſubterfugium diſcipline, preſentibus perpetuo condemnamus. Cum vero pro neceſſitate aliqua, aliquas exire contingit, hec quatuor diſtricte precipimus obſervari. Primo, ut tantum " ſecura & matura ſocietas, tam monialium, quam ſecularium perſonarum aſſiſtentium, egredi permittatur. Secundo, ut ſtatim expedito negotio, quatenus per eas expediri poterit, domum illico revertantur: & ſi negotii expeditio tractatum exigat plurium dierum, poſt primam vel ſecundam diem, negotii conſummatio procuratoribus relinquatur. Tertio, ut nunquam in C religioſarum " ambitu, vel clericorum domibus, aut aliis ſuſpectis habitaculis, hoſpitentur. Quarto, ut nulla a ſocie, vel ſociarum ſuarum aſpectibus, ubi humanum poſſit haberi colloquium, abſentetur: ſed nec aliquod audiat ſecretum ſuſurrum, niſi ſub teſtimonio monialium ſociarum: niſi forte pater aut mater, frater aut ſoror, aliquid habeat ſecretius ſibi loqui.

" Add. a

" for. cum ſec. & mat. ſocietate &c. permittatur.

" Corr. religioſorum

Hoc autem ubique ſervari volentes, precipue reſpectu Oxonienſis ſtudii precipimus obſervari. Cujus etiam rei gratia, cum veniunt ad colloquendum vobis ſcholares Oxonii, nolumus monialem aliquam ad confabulandum talibus accedere, niſi de licentia abbatiſſe: & niſi ſint notorie propinqui ad minus in tertio conſanguinitatis D gradu, precipimus eis omnium ſic adventantium ſcholarium colloquia denegari. Nec cum eis familiaritates curetis nectere ſpeciales, quia hujuſmodi affectus, ſordidos frequenter excitat cogitatus: nec in congregationibus aliquid exiſtimamus pernicioſius, quam familiaritates particulares querere, & in partem affectum trahere, qui habet in omnes communiter ampliari.

Cum autem moniali conceditur colloquium, ex cauſa rationabili: ſemper ſub duarum aliarum monialium, de quibus nulla ſit ſiniſtra ſuſpicio, audientia & teſtimonio ſibi permittatur: adeo ut nihil ex propoſito dicat ſcholari, ſeu cuicumque ſeculari, vel religioſo, extra caſum confeſſionis, vel mulieri, preter notorie propinquas, niſi ſub E duarum teſtimonio predictarum. Si enim bona & ſalutaria ſunt dicenda, expedit ut ſciantur: ſi mala quis intendat ſuggerere, non ſunt in ſanctitatis veſtre auribus admittenda. Cum inſuper talia ſunt colloquia terminata, inhibemus de cetero, ne moniales hujuſmodi pro colloquentium conductu locutorii januam exeant ullo modo, nec etiam ſtent exterius in atrio, ubi ſecularium eſt concurſus: ſed interius tantum in hortis, & pomeriis, quatenus requirit neceſſitas; & honeſtas patitur, ſi non deſit omnimodo ſecuritas, conſolentur.

Adjicimus etiam, ne moniales cum quibuſcum-

Anno Christi 1279.

cumque magnatibus, aut perſonis ſecularibus vel religioſis, comitant " intra monaſterii ſui ſepta. Melius eſt enim, ſi volunt quicumque aliquid de ſua munificentia quibuſcumque monialibus erogare, ut id interius diſtribuatur omnium vel plurium neceſſitatibus in communi, quam in parte exterius, non ſine religionis dedecore, quod frequenter erumpit in conviviis, expendatur. Chorum inſuper veſtrum, dormitorium, refectorium, clauſtrum, & interiores ceteras officinas, a perſonis ſecularibus, juxta concilium Othoboni, & religioſis etiam, vacua eſſe precipimus: niſi aliquando aliud expoſcat fieri neceſſitas manifeſta. Et qui contra fecerit, indignationem omnipotentis Dei, ſe noverit incurſurum. Religioſi autem omnes, & ſeculares, ad veſtrum monaſterium accedentes, in communi hoſpitalaria comedant, vel in camera abbatiſſe, & nullatenus in cameris infra clauſtrum. Mulieres etiam ſeculares, ſub ſpecie ancillarum monialibus ſervientes, quantum patitur neceſſitas, repellantur: nec hujuſmodi velentur de cetero, ſine diœceſani licentia ſpeciali.

" Cetr. cogandant.

Obſecramus inſuper, filie cariſſime, ut locis & temporibus ſtatutis ſervetis ſolicite ſilentium diſcipline, ad memoriam reducentes, quod teſte Jacobo apoſtolo: Vana eſt religio & ſeducens, que linguam ab indebitis non refrenat. Quidam etiam ſapiens dicit, quod ille veraciter eſt intelligens, qui linguam ſuam refrenat, ut ſit de ſolo Altiſſimo ſermo ejus.

Jac. 1.

Circa veſtimenta autem monialium, S. Benedicti regula ſolicite obſervetur. Cujus rei gratia inhibemus, ne de bruneto unquam impoſterum induantur, nec rugatas habeant tunicas, nec etiam birrorum immoderantia veſtes ſibi faciant latitudine fluctuantes: cum hoc nihilo minus ſolicite ſervantes, quod circa talia in Oxonienſi concilio dudum fuerat ordinatum.

Quia inſuper verba humilia, humilitatis frequenter affectum excitant: ſciatis vos monachas vel moniales dicendas eſſe, non dominas, ſicut nec monachi poſſunt ſine ridiculo domini appellari. Circa confeſſiones autem taliter duximus ordinandum: ut in loco tantum fiant publico, coram altari, expoſito tranſeuntibus univerſis, nec valeat abſolutio ſecus facta. Confeſſores autem ſint; magiſter, qui pro tempore ſit, ſi ſacerdos exſtiterit; pariter & principalis inter capellanos, ſi nulla obviet ſuſpicio; duo etiam certi fratres Prædicatores; & duo conſimiliter Minores, vel plures; quatuor ſcilicet de illis, & quatuor de iſtis, ſi neceſſitas id requirit. Alii autem religioſi ab auditu confeſſionum noſtrarum ' penitus ſint excluſi. De fratribus autem ſeu converſis, hæc forma impoſterum teneatur: ut videlicet omnes intendant majori capellano, & tam ipſe quam ipſi, obediant magiſtro, nec in diſpoſitione temporalium audeant fratres ſine prædicti magiſtri, vel ſaltem capellani majoris, conſilio, aliquid attentare; ſed eorum ſubjaceant monitis penitus in agendis. Quod ſi fratrum aliquis, eis vel alteri ipſorum contempſerit obedire: ſi per triduum tertio monitus, inobediens perſeveret, ab hac fraternitate, ablato ſibi habitu, expellatur, nec reſtitui valeat, quantumcumque pœnitens, ſine diœceſani licentia ſpeciali. Idem dicimus de illis fratribus, qui de receptis & expenſis contemnunt reddere rationem. Et quia numerus fratrum prædictorum poſſet eſſe faciliter conventui oneroſus: prohibemus, ne frater aliquis de cetero novus fiat, donec per mortem, vel modum alium, numerus eorum ad quaternarium ſit reductus. Et ſi qui contrarium facere præſumpſerint: tam receptores, quam receptos, excommunicationis ſententia innodamus. Poſtquam inſuper ad quaternarium reducti fuerint, nullus ad fraternitatem illam penitus admittatur, niſi de conſilio & aſſenſu magiſtri domus, qui pro tempore fuerit, abbatiſſæ cum ſenioribus & prudentioribus monialibus, & majoris inter eccleſiæ capellanos. Et ſi ſecus attentatum fuerit, excommunicationi ſubjicimus conſentientes pariter & agentes. Fratres etiam ipſi, cum ſunt in ambitu abbatiæ, comedant in loco communi, ubi comedunt ſcilicet magiſter, & eccleſie capellani. Qui magiſter omnes eis ſpeciales delicias ſubtrahat: nec alibi comedere ſuſtineat, niſi pro infirmitate corporis manifeſta. Quod ipſi magiſtro, quantum poſſumus, diſtricte præcipimus: ei, ſi ſecus fecerit, pœnam anathematis comminantes. Valete in Chriſto, & Virgine glorioſa.

Anno Christi 1279.

' Cet. retract.

# '** CONCILIUM BUDENSE

## Anno Domini MCCLXXIX. a Philippo S. A. L. celebratum.

Ex Codd. MSS. Vaticano, & Vallicellano edidit Odoric. Raynaldus ad calcem tomi XIV. annalium.

### TITULI CONSTITUTIONUM

1. *De tonſura prælatorum.*
2. *De veſtimentis eorumdem.*
3. *De arcendo veſtium luxu ab omni clero.*
4. *Quod annulorum uſus prælatis tantum ſit permiſſus.*
5. *Ut clerici tabernas non teneant.*
6. *Ut epiſcopi ex religioſis ordinibus aſſumpti, religionis ſuæ habitum deferant.*
7. *Ut prælati & omnes clerici, a ſævis factis, & bellicis actibus abſtineant.*
8. *De vita & honeſtate clericorum.*
9. *Ut clerici ſententiam ſanguinis non dictent, &c.*
10. *Ut vicariæ non committantur laicis, vel clericis uxoratis.*
11. *Ut clerici arma non portent.*
12. *Ut non cohabitent mulieribus.*
13. *De reverentia in Divinis officiis adhibenda.*
14. *Ut qui ſuas diœceſes viſitant, eas ſumptibus non gravent.*
15. *Ne quis beneficium eccleſiaſticum accipiat de manu laicorum.*
16. *Ut omnes in beneficiis curam animarum habentibus perſonaliter deſerviant.*
17. *Ut eccleſiaſtici a conjurationibus & conſpirationibus abſtineant.*
18. *Ut parochi, antequam eant ad ſynodum, viſitent infirmos.*
19. *Ut adeant ſynodum omnes ad eam convocati, & quo cultu ornatuque.*
20. *Ut omnes curam animarum habentes, in preſbyteros ordinentur.*



Anno Christi 1279.

21. *Ut oleum ſanctum & euchariſtia, ſub clavi ſerventur.*
22. *De Divinis officiis celebrandis.*
23. *De intruſis in beneficia.*
24. *Ut eccleſiaſtici non agant coram judice ſæculari.*
25. *Ut coram eodem, de perſonalibus injuriis, & eleemoſynis eccleſiæ factis, non litigent.*
26. *Ne habeant in domibus ſuis prolem in ſacro ordine ſuſceptam; nec aleas. Sintque liberi illorum, famuli majoris eccleſiæ.*
27. *De reliquiis ſanctorum.*
28. *Qui ſint admittendi ad prædicandum, & de quæſtoribus.*
29. *Ut res eccleſiæ pignori non obligentur.*
30. *Ut res eccleſiæ a rectoribus non donentur.*
31. *Ut nemo peregrinetur ſine ordinarii licentia.*
32. *Ut nemo incognitus admittatur ad ſacra peragenda.*
33. *Ut fideles Divinis officiis interſint in parochialibus eccleſiis.*
34. *Ut rationes reddantur ab iis qui bona eccleſiaſtica adminiſtrant.*
35. *Ut iidem mutuo non dent vel accipiant.*
36. *Ut bona eccleſiaſtica non alienentur.*
37. *Ut eccleſiæ non graventur indebitis exactionibus.*
38. *Ut archidiaconi juri canonico per triennium ſtuduerint, vel ſtudeant.*
39. *De cauſis matrimonialibus.*
40. *Quod irritæ ſint inhibitiones, & aliæ, quibus impediunt prælati, ne ſubditi culpas ſuas revelent ſuperioribus.*
41. *Ut ſupellex non teneatur in eccleſiis, niſi ſacra.*
42. *Ut preſbyteri parochiales, habeant libros eccleſiaſticos.*
43. *Ut profana in cœmeteriis & eccleſiis non peragantur.*
44. *Ut vigiliæ in eccleſiis non fiant a laicis.*
45. *Ut priventur ſtipendiis, qui horis canonicis non interſunt.*
46. *De iis, ad quos ſepeliendos exigitur una marca argenti.*
47. *Ut laici non teneant concubinas.*
48. *Ut meretrices nemo in domibus & poſſeſſionibus ſuis habitare permittat.*
49. *Ut bona decedentium clericorum a laicis non occupentur.*
50. *Ut alienare bona eccleſiaſtica non liceat.*
51. *De jure patronatus.*
52. *Adverſus bonorum eccleſiaſticorum invaſores.*
53. *De iiſdem.*
54. *Ut juſtitia per gratiam aut corruptelam non fiat.*
55. *Ut excommunicati, ab agendo, patrocinando, teſtificando, repellantur.*
56. *Ut exceptio rei judicatæ admittatur.*
57. *Ut judices ſæculares compellant ad officium eos, qui ſunt rebelles judicibus eccleſiaſticis; & viciſſim eccleſiaſtici, eos qui non obediunt laicis.*
58. *De poteſtatibus ſæcularibus, quæ prohibent appellantes ſedem apoſtolicam.*
59. *De immunitate eccleſiaſticorum.*
60. *De eadem.*
61. *Ut omnes regulares eodem veſtiario induantur.*
62. *De veſtibus regularium.*
63. *De abſtinentia regularium.*
64. *Ut regulares monaſterio non exeant ſine licentia.*
65. *Ut regulares non recipiant eccleſias ad firmam.*
66. *Ut religioſi non venentur, non deſerviant ultra octo dies in parochialibus eccleſiis ſæcularium, &c.*
67. *De vitandis excommunicatis, & ſervando interdicto, maxime a prælatis.*
68. *Ut vinearum & agrorum depopulatores excommunicentur.*
69. *Adverſus bonorum & jurium eccleſiaſticorum invaſores.*

Anno Christi 1279.

### Conſtitutiones Hungariæ Philippi quondam legati circa reformationes prælatorum & cleri.

### PRÆFATIO.

SAnctæ conſtitutiones editæ per venerabilem patrem dominum Philippum, Dei gratia Firmanum epiſcopum, in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croacia, Rama, Servia, Lodomeria, Gallicia, ac Cumania, apoſtolicæ ſedis legatum, de conſilio & conſenſu archiepiſcoporum, epiſcoporum, electorum, atque abbatum, præpoſitorum, archidiaconorum, priorum, miniſtrorum, cuſtodum, guardianorum, plebanorum, canonicorum, rectorum, & aliarum perſonarum, & clericorum: nec non capitulorum, tam cathedralium, quam aliarum eccleſiarum, ſæcularium & regularium, Ciſtercienſium, S. Benedicti, Præmouſtratenſium, S. Auguſtini, Prædicatorum, & Minorum, ac aliorum ordinum, congregatorum in concilio celebrato in caſtro Budenſi Veſprimienſis diœceſis, per eumdem legatum ad honorem & gloriam ſanctæ & individue Trinitatis, ad reverentiam & honorem ſancte Romane eccleſie & beatiſſimi ac ſanctiſſimi patris domini Nicolai III. & ſucceſſorum ejus, ac relevationem, fulcimentum, ac defenſionem fidei catholice, & eccleſiaſtice libertatis: necnon reformationem vite, morum, & actuum cleri & populi legationis predicte, ſub annis Domini MCCLXXIX. Indictione VII. die quartadecima intrante Septembris, in quo videlicet die terminatum fuit concilium ſupradictum, pontificatus ſanctiſſimi patris domini Nicolai pape III. anno II.

### CAPITULA.

#### I. *De tonſura prælatorum.*

QUia ſicut prælati quoſque ſibi ſubditos dignitate & auctoritate præcellunt, ita moribus, vita, habitu, converſatione honeſtis, præcellere & præcedere debent eoſdem: cum eorum vita, ſi ſit bona, & amplius ſi ſit mala, trahatur a ſubditis in exemplum: ſtatuimus, quod ipſi prælati coronam & tonſuram patentibus omnino auribus circularem, juxta regularium ſeu religioſorum generalem conſuetudinem approbatam, cum nulla religio pontificali religione ſit major, de cetero deferant, ab omni exceſſu in capillis, & defectu notabili in corona protinus abſtinentes. Sicut " enim ſervantes, in prædictis ſibi ſubditos poterunt reformare. " Sic enim.

#### II. *De veſtimentis eorumdem.*

Præterea ſtatuimus & ordinamus, quod præ-

prælati de cetero, cum equitant, vel etiam in publico pedeſtres incedunt, habeant & deferant cappas rotundas, ſub quibus habeant & deferant camiſcias albas ſive roſetas, quas ſemper ſub cappis ſive mantellis, ante pectus vel poſt collum hinc inde connexis, deferant, cum in publico, hoc eſt extra ſecreta habitationis eorum ipſos contigerit ire vel ſtare. Prohibemus autem, ne ipſi prælati de cetero deferant vel habeant mantellos, cum quibus hactenus equitare, & quos in propriis & alienis hoſpitiis non ſolum coram famulis ſuis, ſed etiam coram aliis conſueverunt deferre; permittimus autem, quod poſſint habere mantellos rotundos ſive tabarda longitudinis moderatæ, eoſque deferre cum capuciis ſeparatis ab eis, tempore pluvioſo, nivoſo, ſeu pruinoſo; & cum ad exercitus, ſeu curiationes, aut expeditiones, ex certis & neceſſariis cauſis, a ſacris canonibus minime reprobatis, eos contigerit proficiſci. Inſuper prohibemus, ne prælati, vel eccleſiarum cathedralium canonici deinceps ſub mantellis vel cappis pro paratura varios quorumcumque colorum ſive varietatum, niſi forte varietates hujuſmodi eſſent in pellibus agninis, vulpinis, & linceis, ſeu zendardum rubeum, vel in aliquibus veſtibus fimbrias, hoc eſt premidiones ſeu ornamenta nobilia exterius appoſita de ludria, ſeu bivaria, ſeta, aut de aliqua alia ſimili materia, deferant ullo modo.

*III. De arcendo veſtium luxu ab omni clero.*

Prohibemus, ne prælati aut alii in dignitatibus, perſonatibus, ſeu canonicatibus eccleſiarum cathedralium, ſeu collegiatarum, ſive in eccleſiis curam animarum habentibus, aut in ſacerdotio conſtituti, manicas deferant conſutitias, nec togas ſive guarnacias, ſeu ſupertunicalia, aut quæcumque alia veſtimenta, deſuper portent aperta ſed ipſa ſuperiora indumenta circumcirca uſque ad fimbrias habeant clauſa nulla collaria, niſi forte in tabardis vel mantellis ad equitandum, circumcirca omnino rotunda; vel bottones, ſive fibulas aureas vel argenteas, aut aliquid auri vel argenti habens ornatum in aliquibus ſuis veſtibus deferentes. Quod ſi qui contrarium fecerint, veſtes hujuſmodi per ſuos ordinarios auferantur in uſus pauperum aut in alios pios uſus convertendæ: nihilo minus qui in hoc inventi fuerint exceſſiſſe, niſi ad mandatum ſui ſuperioris ſe correxerint, uſque ad ſatisfactionem a ſuis beneficiis ſint ipſo facto ſuſpenſi.

*IV. Quod annulorum uſus prælatis tantum ſit permiſſus.*

Interdicimus omnibus clericis portare annulos, niſi ſint prælati, quibus licite competat ex officio dignitatis vel ex privilegio ſedis apoſtolicæ ſpeciali, conſuetudine in hoc contraria non obſtante. Quod ſi quis de cetero clericus annulum portans inventus fuerit, auferatur ei annulus per ſuum ordinarium, & non reddatur eidem: immo idem tranſgreſſor clericus etiam tantumdem ad valorem illius annuli in rebus aliis cogatur pauperibus erogare. Clericus autem qui annulum dare diœceſano, vel prædictam quantitatem ſolvere contemneret, ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, donec annulum reddat & pœnam ſolvat prædictam.

*V. Ut clerici tabernas non teneant.*

Statuimus, quod nulla perſona eccleſiaſtica in domibus ſive curiis, in quibus habitant, tabernam, ubi vinum minutatim vendatur, vel ubi viles, leves, ſeu ſuſpectæ hoſpitentur aut converſentur perſonæ, habere, tenere, vel ſuſtinere præſumat. Quod ſi quis in his exceſſerit, & a ſuo ſuperiore monitus non emendaverit infra terminum ſibi dandum, extunc uſque ad emendationem condignam ab ingreſſu eccleſiæ excludatur.

*VI. Ut epiſcopi ex religioſis ordinibus aſſumpti, religionis ſuæ habitum deferant.*

Statuimus etiam, & inviolabiliter obſervari præcipimus, quod omnes & ſinguli, de aliquibus religionibus ſive ordinibus ad pontificalem dignitatem aſſumpti, aut in poſterum aſſumendi, illius religionis ſive ordinis, de qua vel de quo aſſumpti fuerint, vel de cetero aſſumentur, habitum tam in veſtibus, quam in calceamentis & quibuſcumque aliis, toto tempore vitæ ſuæ deferre teneantur, & deferant in publico & ſecreto; nec habitum illum ullo tempore dimittant, aut veſtes, calceamenta, vel aliqua alia deferant, in colore, forma ſeu materia, contraria vel diſſimilia religioni ſive ordini ſupradictis. Qui vero contra hujuſmodi ſanctum & regulare ſtatutum venire præſumpſerint, ingreſſum eccleſiæ, & executionem pontificalium ſibi noverint interdicta. Per hanc tamen conſtitutionem non interdicimus ocreas, nec cappas rotundas, aut mantellos ante pectus vel poſt collum connexos, in colore & aliis, ſupradictis religionibus ſeu ordinibus congruentes.





ANNO CHRISTI 1279.

*VII. Ut prælati & omnes clerici a ſævis factis, & bellicis actibus abſtineant.*

Perpetuo prohibemus edicto, ne prælati & alii clerici cujuſcumque ſint ordinis, dignitatis, aut ſtatus, ſeditionibus, præliis, ſpoliis, rapinis, incendiis, & aliis ſævis factis ſe aliquatenus immiſcere præſumant: nec bellicis actibus ſe implicent, vel involvant: niſi forte pro eccleſiarum ſuarum & patriæ defenſione, non ad impugnandum vel propulſandum, ſed ad defenſionem tantum, ſi neceſſitas eos compellat: & tunc in propriis perſonis non pugnent.

*VIII. De vita & honeſtate clericorum.*

Clerici officia, vel commercia non exerceant, maxime inhoneſta: mimis, hiſtrionibus, & joculatoribus non intendant, & tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Comam & tonſuram patentibus auribus habeant congruentes, & in officiis eccleſiaſticis & in aliis bonis ſtudiis ſe exerceant diligenter. Exercentes [*] autem in talibus, a ſuis moneantur prælatis; & ſi moniti parere contempſerint, ab officio & beneficio ſuſpendantur: nec prius talis ſuſpenſio revocetur, quam ad arbitrium prælatorum pro eo fuerit ſatisfactum; ac ſub certa pœna ſufficienter caveant, quod in talibus vel ſimilibus ulterius non excedent.

[*] Cert. excedentes

*IX. Ut clerici ſententiam ſanguinis non dictent, &c.*

Nullus clericus ſententiam ſanguinis dictet, aut proferat, aut ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, interſit: nec quiſquam clericus litteras dictet aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas; nec illam partem [*] cerugiæ exerceat, quæ ad uſtionem, vel inciſionem inducit: nec quiſquam purgationi aquæ ferventis ſeu frigidæ, ſeu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis aut conſecrationis impendat: ſciens, quod ſi ex hujuſmodi mors vel membri mutilatio fuerit ſubſecuta, irregularitatis laqueum non evadet.

[*] chirurgiæ

*X. Ut vicariæ non committantur laicis, vel clericis uxoratis.*

Prohibemus quoque, ne archidiaconi & alii rectores eccleſiarum, laicis vel clericis uxoratis ſuas præſumant committere vicarias: & ad hoc dicti archidiaconi & eccleſiarum rectores per ſuſpenſionem officii & privationem beneficii, laici autem vel clerici uxorati, ne hujuſmodi vicarias recipiant, per excommunicationis ſententiam a ſuis diœceſanis compeſcantur omnino.

*XI. Ut clerici arma non portent.*

Diſtricte præcipimus, ne ſacerdotes vel clerici, in quovis ordine conſtituti, gladium vel cultellum, quod vulgariter dicitur bord, portent, niſi eis manifeſti timoris cauſa ingruerit: nec tunc abſque licentia prælatorum portent.

*XII. Ut non cohabitent mulieribus.*

Inhibemus diſtrictius, ut nullus clericus beneficiatus, aut in ſacris ordinibus conſtitutus mulieres aliquas in domibus ſuæ habitationis retinere, vel alibi eis cohabitare præſumat: qui vero ipſas nunc tenet, niſi infra tres menſes, ab ultimo die præſentis ſynodi in antea numerandos, eas a cohabitatione ſua prorſus ejecerit, vel qui ejectas reſumpſerint, vel eis cohabitaverint, extunc ſe ſciant excommunicationis ſententia innodatos: a qua ſententia per ſuum diœceſanum abſolvi poſſint, primo de ſuis cohabitationibus mulieribus prædictis ejecti, ac ipſis clericis ab earum omnino cohabitationibus ſeparatis, & ſufficienti præſtita cautione, quod contra conſtitutionem hujuſmodi de cetero non venient, ſed ipſam omni tempore inviolabiliter obſervabunt.

*XIII. De reverentia in Divinis officiis adhibenda.*

Suademus, ut quotieſcumque clericos contigerit ſimul vel ſingulariter incedere ante altare, ſeu figuram B. Virginis, aut etiam crucifixi, & maxime cum pro Divinis officiis intrant chorum, inclinent capita ſua, depoſitis pileis reverenter, atque inſtruant & inducant laicos diligenter. Volumus, quod omnes clerici, quotieſcumque in Divinis officiis, Ave Maria audiverint, flexis genibus ſe reverenter inclinent: prohibentes, ne clerici beneficiati, aut in ſacris ordinibus conſtituti, diſcalciati, ſeu nudis pedibus, chorum intrare ſeu in ipſo ſtare præſumant, dum ipſa Divina officia celebrantur, quod presbyteri ſine cappis rotundis vel ſuperpelliciis ad pſallendum horas canonicas, maxime veſperas, matutinas, vel Miſſam, eccleſias ingredi, vel in eis ſtare non præſumant; niſi forte eſſent extranei viatores, aut etiam peregrini.

ANNO CHRISTI 1279.

*XIV. Ut qui ſuas diœceſes viſitant, eas ſumptibus non gravent.*

Quoniam, ſicut audivimus, nonnulli eccleſiarum prælati & perſonæ eccleſiaſticæ noſtræ legationis, & maxime regni Hungariæ, cum ſuas diœceſes vel parochias viſitant, vel ex aliis cauſis ad eccleſias ipſas declinant, gravibus & importabilibus fere deſcenſibus non ſolum in prælatis & clericis, verum etiam in laicis reprobandis atque damnandis, eccleſias, vel parochias ipſas plerumque aggravant & moleſtant; nos hujuſmodi deſcenſus graves, oneroſos, difficiles & importabiles fieri de cetero prohibentes, ſtatuimus quod, cum prælatos & perſonas prædictas ex juſtis & rationabilibus cauſis ad eccleſias ipſas declinare contigerit, ſic ſe honeſte habeant & modeſte, ſe ſuaſque familias a ſuperfluis & illicitis cohibentes, quod per immoderatos deſcenſus hujuſmodi, eccleſiæ importabiliter non graventur: in prædictis & aliis taliter ſe habentes, quod ipſi non quæ ſua ſunt, ſed Jeſu Chriſti potius, quærere videantur. Qui autem in prædictis exceſſerint, per ſuperiores ſuos abſtinere atque deſiſtere, & de illatis gravaminibus ſatisfacere læſis & gravatis eccleſiis, per cenſuram eccleſiaſticam & alia prompta remedia, ſublato cujuslibet fruſtratoriæ appellationis obſtaculo, compellantur.

*XV. Ne quis beneficium eccleſiaſticum accipiat de manu laicorum.*

Prohibemus ne aliquis abbatiam, præpoſituram, prioratum, plebanatum, capellaniam, vel aliquod beneficium eccleſiaſticum de manu recipiat laicorum: ſtatuentes quod archiepiſcopi, epiſcopi, & alii, ad quos de jure, vel conſuetudine, ſeu privilegio, abbatum vel aliorum confirmatio, inſtitutio, vel proviſio ſpectat, nullum confirmare vel inſtituere præſumant, niſi eis prius de canonica ipſorum electione, & eligentium ac electi, inter eos plene conſtet; veris patronis in illis eccleſiis, in quibus illius obtinent patronatum, juſtitia ac jure plene ſervatis ac ſalvis, quæ eis a ſacris canonibus conceduntur atque ſervantur.

*XVI. Ut omnes in beneficiis curam animarum habentibus perſonaliter deſerviant.*

Cum ad beneficia eccleſiaſtica, curam habentia animarum annexam, tales quæri debeant & admitti, qui in ipſis beneficiis velint & valeant reſidere, & perſonaliter per ſeipſos, & non per alios deſervire: ordinamus atque præcipimus, ut omnes & ſinguli plebani, rectores, & capellani eccleſiarum parochialium totius legationi nobis commiſſæ, in ipſis deſerviant per ſe ipſos, & non per vicarios; prohibentes, ne aliqui talium eccleſiarum rectores de cetero abſque diœceſanorum conſenſu, quibus eccleſiæ ipſæ ſubſunt, aliquos inſtituant vicarios, vel inſtitutos in eis teneant, vel ſuſtineant; & qui contra fecerint, fructibus & proventibus illius eccleſiæ per annum ſint ipſo jure privati; dictique fructus de mandato diœceſani epiſcopi in libris & ornamentis eccleſiaſticis ad opus ejuſdem eccleſiæ irrevocabiliter expendantur: nec antea percipiant de fructibus eccleſiarum ipſarum, quam ſufficienter caverint, quod hujuſmodi conſtitutionem inviolabiliter obſervabunt. Illos autem qui contra tenorem conſtitutionis præſentis receperint vicarias, ſuorum ordinariorum arbitrio relinquimus puniendos.

*XVII. Ut eccleſiaſtici a conjurationibus & conſpirationibus abſtineant.*

Conjurationes, conſpirationes, & colligationes inter perſonas eccleſiaſticas, quocumque modo, fraude, vel ingenio, omnino de cetero fieri prohibemus; factaſque, necnon juramenta, promiſſiones, obligationes, & alia ſuper prædictis præſtita, vel quæ de cetero ſuper eis fieri contigerit vel præſtari, aut earum occaſione, penitus reprobamus, diſſolvimus, atque caſſamus: & eos, qui hujuſmodi promiſſiones, obligationes, aut etiam juramenta, ſub aliquibus, etiam pecuniariis vel aliis pœnis fecerunt, aut etiam præſtiterunt, protinus abſolventes, ipſos decernimus, ad obſervationem conjurationum, conſpirationum, & obligationum ipſarum, vel ſolutionem aliquarum pœnarum ſive pecuniarum, aliquatenus non teneri; ſtatuentes, quod qui in talibus de cetero inventi fuerint exceſſiſſe, præter excommunicationem, quam ipſo facto incurrent, a ſuis diœceſanis aut aliis ſuis ſuperioribus, per privationem perpetuam aut etiam temporalem beneficiorum quæ obtinent, & alias pœnas, taliter caſtigentur, quod pœna ipſorum tranſeat aliis in exemplum. Quam conſtitutionem, quantum ad pœnas imponendas, ad promotiones ſeu mediationes prædictarum conjurationum, conſpirationum, colligationum, juramentorum, promiſſionum, & obligationum prædictarum, extendi volumus & mandamus.





ANNO CHRISTI 1279.

*XVIII. Ut parochi, antequam eant ad ſynodum, viſitent infirmos.*

Statuimus, quod cum ex deliberatione & ordinatione epiſcoporum, archiepiſcoporum, & aliorum ordinariorum, ſynodus fuerit celebranda, per duos, tres, vel tot dies qui ſufficere videantur, antequam ſe ponant in via eundi ad ſynodum, rectores patriarchalium ″ eccleſiarum, earumque perpetui vicarii, qui præſidentes ″ ſynodo faciendæ fuerint, generaliter, ſive ſpecialiter, ſeu ſingulariter evocati, diligenter inquirant, ſi qui ſint infirmi, ſeu debiles in parochiis ſuis; eoſque viſitent, etiam non requiſiti, & faciant circa eos quidquid neceſſe fuerit ad animarum ſalutem.

″ Corr. parochialium
″ f. præſentes

*XIX. Ut adeant ſynodum omnes ad eam convocati, & quo cultu ornatuque.*

Statuimus etiam, & præcipimus, ut omnes tam regulares quam ſæculares, in dignitatibus, ſeu perſonatibus conſtituti illius metropolitanæ, in qua provincialis, & illius diœceſis, in qua epiſcopalis ſynodus fuerit celebranda, veniant: niſi remanſerint de ſuorum ſuperiorum licentia ſpeciali, de quorum ordinatione ſynodus fuerit facienda. Et ſi taliter impediti fuerint, quod ad ſynodum venire non poſſint, legitimum excuſatorem clericum cum pleno mandato ad acceptandum, & recipiendum ea, quæ in ſynodo fuerint ordinata, tranſmittant. In eundo & redeundo, honeſte ambulent, & honeſta acquirant hoſpitia, & in eis circumſpecte ſe habeant, & modeſte: ne vita, mores, & geſtus clericorum, populo fiant in ſcandalum & contemptum. Qui vero ex cauſa ad ſynodum ire vel venire non poſſunt, eam archidiaconis, & archidiaconi ſuis diœceſanis, ſtudeant nunciare. Quod ſi in veniendo, & denunciando rationabilem cauſam, negligentes, ſeu contemptores extiterint: ad diœceſanorum ſuorum arbitrium puniantur. Præterea ſtatuimus, quod archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, & quilibet alii, qui ex privilegio mitris utuntur, mitrati cum ſuperpelliciis, ſtolis, & cappis, ſeu pluvialibus; præpoſiti vero, priores, & alii inferiores prælati, cum ſuperpelliciis & ſtolis, ſi diaconi ſaltem ſint, & ſi velint, pluvialibus ſeu cappis; rectores vero, & ſimplices ſacerdotes, cum cottis ſeu ſuperpelliciis, & ſtolis tantum; inferioris vero ſtatus vel ordinis clericis, cum cottis ſynodum intrent: & in ea devote & cum reverentia uſque ad finem, niſi caſus neceſſitatis emerſerit, perſeverent. Religioſi ′ quoque, nullam prælaturam vel adminiſtrationem habentes perpetuam, permittimus in habitu ſuo cum ſtolis in ſynodo poſſe ſtare, etiamſi adminiſtrationem habeant.

′ Corr. Religioſos



*XX. Ut omnes curam animarum habentes, in presbyteros ordinentur.*

Statuimus etiam, quod omnes abbates, præpoſiti, priores, plebani, & alii eccleſiarum prælati & rectores, curam animarum habentium, promoti ad dignitates ſeu curas prædictas ante concilium Lugdunenſe noviter celebratum, ſi presbyteri non ſunt, in proximis futuris quatuor temporibus ſucceſſive ſe faciant uſque ad ſacerdotium ordinari, aut omnino dimittant hujuſmodi dignitates & curas: & per ſuos diœceſanos ſeu ſuperiores, ſublato cujuslibet appellationis obſtaculo, amoveantur a dignitatibus & curis prædictis, niſi in ſacerdotes fuerint ordinati. Inſtitutis autem ſive inſtituendis, poſt concilium Lugdunenſe præfatum, per diœceſanos & alios ſuperiores eorum denuncietur ſingulariter ſingulis, & univerſaliter univerſis, quod niſi infra annum a die ſuæ conſtitutionis in dignitatibus & beneficiis, curam animarum habentibus, in presbyteros fuerint ordinati, ipſo jure hujuſmodi beneficiis ſint privati, & beneficia illa per illos, ad quos eorum ordinatio ſpectat, extunc de perſonis idoneis libere ordinentur.

*XXI. Ut oleum ſanctum & euchariſtia ſub clavi ſerventur.*

Statuimus, ut per omnes eccleſias, chriſma, oleum ſanctum & euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur: ita ut non poſſit ad illas manus impia extendi. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio & beneficio ſuſpendatur: & ſi per ejus incuriam aliquid inde nefarium contigerit, gravius puniatur.

*XXII. De Divinis officiis celebrandis.*

Nullus permittatur deſervire altari, vel epiſtolam legere, niſi in ſuperpellicio & cappa clauſa. Sacerdos quoque diurnum officium pariter & nocturnum diſtincte & aperte, quantum Deus dederit, celebret, & devote.

*XXIII. De intruſis in beneficia.*

Quia multorum aſſertione comperimus, & pro certo didicimus, quod in multis eccleſiis, ac monaſteriis, & eccleſiaſticis beneficiis noſtræ legationis, multi per ſæcula-

rem potentiam abſque libero & legitimo eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu, ad quas ipſarum electio, ordinatio, proviſio, & inſtitutio pertinere dignoſcitur, damnabiliter ſunt intruſi, ac quotidie intruduntur, contra ſacrorum ſtatuta canonum & eccleſiaſticam libertatem; ex quo multa provenerunt & proveniunt quotidie detrimenta, & animarum deploranda pericula ſubſequuntur: ſtatuimus, quod nullus laicus, cujuſcumque authoritatis extiterit ſive ſtatus, aliquem de cetero in eccleſiis, vel monaſteriis, aut eccleſiaſticis beneficiis legationis prædictæ, ponere vel intrudere quacumque occaſione, vel authoritate, quin potius tranſgreſſione ſeu temeritate, præſumat; ſalvo & reſervato jure patronatus veri competentis patroni, prout canonica jura declarant. Decernimus autem inſtitutiones, ſive intruſiones talium, nullas eſſe, nullumque jus competere ſic intruſis: & niſi intruſi hujuſmodi, infra ſex menſes, eccleſias, monaſteria, ſive beneficia, quæ de facto, modo ſunt adepti prædicto, omnino & ſine difficultate dimiſerint; & quicumque alii de cetero aliqua beneficia eccleſiaſtica per manus receperint laicorum, & electionibus, poſtulationibus, proviſionibus, ſeu inſtitutionibus, ad minas, comminationes, terrores, ſive impreſſiones laicorum quorumcumque aliorum, præſumpſerint conſentire; extunc ſe ſciant excommunicationis ſententiæ ſubjacere; ipſoſque per diœceſanum, & alios, quibus eccleſiæ, monaſteria, & beneficia ſunt ſubjecta prædicta, arctius compellendos ea dimittere, & ſatisfacere de fructibus & proventibus exinde perceptis, invocato ad talium proterviam conterendam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

*XXIV. Ut eccleſiaſtici non agant coram judice ſæculari.*

Inhibemus, ne perſonæ eccleſiaſticæ agant, vel reſpondeant, ſive fidejubeant, aut ſe aſtringant, vel obligent, coram judice ſæculari: niſi de his, & ſuper his, quæ ad ſæculare, non eccleſiaſticum forum ſpectant; & de quibus abſque ſacrorum canonum injuria & contradictione in prædictis, vel aliis, poteſt per eccleſiaſticas perſonas ſæculare forum adiri. Perſonas autem eccleſiaſticas, quæ contra hujuſmodi inhibitionem venire præſumpſerint, & judices ſæculares, qui perſonas præfatas coram ſe agere, reſpondere, vel fidejubere, aut ſe aſtringere, vel alia facere, quæ ad forum ſæculare non pertinent, contra privilegia ordini clericali vel perſonis eccleſiaſticis, generaliter ſeu ſpecialiter ab homine vel a jure conceſſa, compulerint; niſi poſtquam de hoc exceptum fuerit coram eis, ab hujuſmodi proceſſu omnino deſtiterint; & revocaverint omnem proceſſum habitum contra perſonas prædictas, excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere: a qua per diœceſanos locorum, in quorum juriſdictione perſonæ hujuſmodi conſiſtunt, poſt ſatisfactionem idoneam & condignam, juxta formam eccleſiæ poſſint abſolvi.



*XXV. Ut coram eodem, de perſonalibus injuriis, & eleemoſynis eccleſiæ factis, non litigent.*

Nullus ſacerdos, vel aliqua perſona eccleſiaſtica de perſonalibus injuriis, vel eleemoſynis eccleſiæ factis, coram ſæculari judice audeat litigare, niſi de licentia ſui epiſcopi.

*XXVI. Ne habeant in domibus ſuis prolem in ſacro ordine ſuſceptam: nec aleas. Sit illorum liberi, famuli majoris eccleſiæ.*

Prohibemus ſacerdotibus & aliis clericis in ſacris ordinibus conſtitutis diſtricte, ne ſecum prolem habeant, quam in ſacro ordine genuerunt, propter ſcandalum: & ne hujuſmodi parochiales ſacerdotes in domibus ſuis habeant aleas vel taxillos, diſtrictius inhibemus. Filii autem ſive filiæ prædictorum, in familia, ſive famulatu, ſeu pro famulis majoris eccleſiæ, cui ſunt immediate ſubjecti, redigantur, ac etiam teneantur.

*XXVII. De reliquiis Sanctorum.*

In concilio ſtatutum eſt, ut amodo reliquiæ extra capſam nullatenus oſtendantur, niſi in præcipuis feſtivitatibus, vel ad hoc ex devotione concurrentibus peregrinis, ſicut quarumdam eccleſiarum laudabilis conſuetudo expoſcit, nec aliquo modo exponantur venales: inventas autem de novo nemo publice venerari præſumat, niſi prius authoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Qui vero contra fecerit, ſi clericus fuerit, ab officio & beneficio ſe noverit ſuſpenſum; ſi laicus, per menſem ingreſſum eccleſiæ ſibi noverit interdictum.

*XXVIII. Qui ſunt admittendi ad prædicandum. Et de quæſtoribus.*

Nullus paſſim recipiatur ad prædicandum, niſi fuerit authentica perſona, vel alias per ſedem apoſtolicam privilegiata, aut ad hoc per epiſcopum deſtinata. Quæſtores quoque eccleſiarum tantum ea dicant populo, quæ in litteris domini Papæ vel epiſcopi





ſcopi continentur. Sacerdotes tamen loci populum ſibi commiſſum diligenter inducant ad eleemoſynas erogandas intuitu pietatis, non animo extorquendi. Nullus etiam quæſtuarius pro hoſpitalibus vel aliis ſimilibus locis, recipiatur ad eleemoſynas quærendas ſine litteris domini papæ aut legatorum ejus, vel diœceſanorum ipſorum.

*XXIX. Ut res eccleſiæ pignori non obligentur.*

Statuimus, quod ornamenta eccleſiæ non obligentur pignori, niſi pro neceſſitate eccleſiæ, de licentia epiſcopi, cum conſilio parochianorum. Præterea ſtatuimus, quod nullus prælatus, ſuperior vel inferior, aut eccleſiarum rector, pro alio fidejubere, nec poſſeſſionem eccleſiæ ſuæ, vel alias res eccleſiaſticas quaſcumque, mobiles aut immobiles vel ſe moventes, præſertim ſacras, pro alieno facto obligare præſumat, nec etiam pro ſuo facto proprio, niſi evidentem in utilitatem ſuæ cedat eccleſiæ, & cum licentia diœceſanorum, & cum aſſenſu capituli, ſive conventus illarum eccleſiarum, ſive monaſteriorum, quæ habent capitulum vel conventum. Tranſgreſſores autem conſtitutionis hujuſmodi, per ſuos ſuperiores compellantur reficere omne damnum, quod monaſterio & eccleſiæ ex fidejuſſione vel obligatione hujuſmodi incurriſſent.

*XXX. Ut res eccleſiæ a rectoribus non donentur.*

Statuimus, & ſtatutum etiam declaramus, quod eccleſiarum rectores de bonis mobilibus, vel juribus, ſeu libris, aut ornamentis, ad eccleſias ipſas ſpectantibus, nihil dare, concedere, vel donare poſsint in vita; nec de ipſis ſeu aliis, mobilibus vel immobilibus, aut ſe moventibus, acquiſitis, contemplatione eccleſiarum ipſarum, poſſint condere teſtamentum, niſi in caſibus a jure permiſſis. Quod ſi contra factum fuerit, illud decernimus irritum & inane: præcipientes diſtricte, quod ſucceſſores eorum, qui in talibus exceſſerunt, prædicta bona cum authoritate diœceſanorum & etiam judicum ſæcularium, ſi fuerit opportunum, ad jus & proprietatem ipſarum eccleſiarum efficaciter ſtudeant revocare; ipſique prælati ſe favorabiles & promptos ipſis rectoribus exhibeant in prædictis. Et ſi quis de dictis rectoribus in revocatione hujuſmodi fuerit negligens, ipſos ad id per diœceſanos prædictos compelli volumus & mandamus: archidiaconi quoque, ſinguli videlicet in ſingulis archidiaconatibus ſuis, tam de prædictis, quam aliis ad bonum & utilitatem eccleſiarum ſuorum archidiaconatuum; curam & ſolicitudinem habeant diligentem: & ſi quid ſuper prædictis ac aliis difficultatibus emerſerit, illud diœceſanis ſuis ſtudeant quam citius nunciare.



*XXXI. Ut nemo clericus peregrinetur ſine ordinarii licentia.*

Nullus clericus noſtræ legationis, in quovis ordine conſtitutus, peregrinari extra regnum vel provinciam ſuam præſumat, abſque diœceſanorum epiſcoporum, vel aliorum ſuorum ordinariorum, licentia ſpeciali. Quod ſi quis contrarium fecerit, a beneficio eccleſiæ vel eccleſiarum, in qua, vel in quibus beneficiatus extitit, per unius anni ſpatium ſit ſuſpenſus.

*XXXII. Ut nemo incognitus admittatur ad ſacra peragenda.*

Decernimus, ut nemo incognitus ad miniſtrandum in ſacris ordinibus admittatur, niſi ſui ordinatoris, vel ſucceſſoris ejus, litteras omni ſuſpicione carentes oſtendant, ſuſcepti ordinis mentionem facientes expreſſam. Et qui contra conſtitutionem hujuſmodi venire præſumpſerint, tales ad celebrationem Divinorum admittendo vel retinendo: poſt trinam admonitionem vel unam peremptorie, a Divinorum perceptione & ingreſſu eccleſiæ arceantur: & de hoc per diœceſanos epiſcopos inquiſitio frequens fiat.

*XXXIII. Ut fideles Divinis officiis interſint in parochialibus eccleſiis.*

Præcipimus, ut eccleſiarum parochiani ſingulis diebus Dominicis & feſtivis ad Divina officia, ſpecialiter ad Miſſam, vadant ad ſuas parochiales eccleſias, ibique Divina officia, prout Deus dederit, audiant diligenter: nec ipſi parochiani, relicta ſua parochiali eccleſia vel contempta, ad alias eccleſias, cujuſcumque ſint ordinis, religionis, aut ſtatus, ſive hujuſmodi eccleſiæ ſint parochiales ſive non, ad audienda Divina officia, & ſpecialiter Miſſam, præſumant accedere, maxime diebus Dominicis & feſtivis, aut in alienis parochiis vel eccleſiis ad hujuſmodi officia permittantur; ſeu ipſis per alios, quam per ſuos parochiales presbyteros, miniſtrentur eccleſiaſtica ſacramenta, exceptis clericis religioſis tranſeuntibus & peregrinis, qui ad hujuſmodi officia in parochiis, ſive eccleſiis poſſunt recipi alienis; & niſi forte cauſa devotionis majoris aliqui circa hoc a ſede apoſtolica ſint muniti privilegio, aut indulgentia ſpeciali. Pa-

ANNO CHRISTI 1279.

rochiani vero, contra conſtitutionem hujuſmodi venientes, a perceptione ſacramentorum; illi autem, qui contra conſtitutionem hujuſmodi parochianos alienos receperint ad Divina, vel eis adminiſtraverint eccleſiaſtica ſacramenta, ab executione ſuorum ordinum noverint ſe ſuſpenſos: & qui parochianis alienis taliter ſuſpenſis eccleſiaſtica miniſtrare præſumpſerint ſacramenta, excommunicationis ſententiam ipſo facto ſe noverint incurriſſe, a qua, congrua ſatisfactione exhibita illi parochiali rectori, cujus parochiano miniſtrare præſumpſit * eccleſiaſtica ſacramenta, per diœceſanos epiſcopos ſecundum formam eccleſiæ poſſint abſolvi.

* præſumpſerint

*XXXIV. Ut rationes reddantur ab iis qui bona eccleſiaſtica adminiſtrant.*

Omnes autem abbates, præpoſiti, priores, & alii prælationem habentes, ſaltem ſemel, de ſuis omnibus redditibus & expenſis, & ſtatu eccleſiarum ſuarum; cæteri vero adminiſtratores, camerarii, ſeu officiales, tam interiores quam exteriores, bis in anno duobus terminis, uno videlicet in feſto S. Thomæ apoſtoli, altero in feſto S. Gregorii, reddant in capitulo plenariam rationem, conſuetudine quarundam eccleſiarum, ubi pluries ratio reddi ſolet, in ſuo robore duratura: in quibus ſi prælati & officiales prædicti, negligentes ſeu infideles & mendaces inventi fuerint, ſecundum qualitatem culpæ, per epiſcopum vel alium ſuum ſuperiorem puniantur. Alii vero ipſo facto adminiſtrationes admittant, gravius juxta arbitrium epiſcopi vel ſui ſuperioris ulterius puniendi.

*XXXV. Ut iidem mutuo non dent vel accipiant.*

Inhibemus abbatibus, præpoſitis, prioribus, plebanis, rectoribus eccleſiarum, & clericis univerſis, ne ipſi mutuo dent, vel accipiant, abbates, præpoſiti, ultra duas vel tres marchas; cæteri, unam marcham: ſine notitia & conſenſu capituli ſui, vel majoris partis, ac diœceſani epiſcopi aſſenſu ſpeciali.

*XXXVI. Ut bona eccleſiaſtica non alienentur.*

Prohibemus inſuper, ne inferiores prælati abſque epiſcoporum, nec ipſi abſque archiepiſcoporum, nec ipſi metropolitani abſque ſedis apoſtolicæ licentia ſpeciali, aliqua de bonis immobilibus, vel juribus ad monaſteria ſive eccleſias ſuas ſpectantibus, A niſi in caſibus a jure permiſſis, alienare præſumant. Quod ſi contra fecerint, pro irrito habeatur: & alienantes, ſi inferiores prælati ſint, a ſuorum ordinum; archiepiſcopi & epiſcopi a pontificalium executione, ſint ipſo facto ſuſpenſi: quam ſuſpenſionem ſuperiores ordinarii alienantium, alienatis prius ad jus & proprietatem monaſteriorum ſeu eccleſiarum revocatis, vel alias indemnitati ipſorum monaſteriorum & eccleſiarum proviſo, valeant relaxare.

B *XXXVII. Ut eccleſiæ non graventur indebitis exactionibus.*

Statuimus, quod eccleſiæ parochiales, vel aliæ eccleſiæ, ſeu monaſteria, per majores, ſeu minores, vel perſonas, ſeu magiſtros, aut capitula cathedralium eccleſiarum, vel aliarum eccleſiarum prælatos, novis, injuſtis, & indebitis exactionibus non graventur, nec eis novi imponantur cenſus, aut indebitas exactiones inducant, nec veteres augeant penſiones. Qui vero inventi fuerint in talibus eccleſias moleſtare aut aggravare C prædictas: ſi epiſcopi, per metropolitanos eorum; ſi inferiores perſonæ, per ſuos diœceſanos, a talibus per cenſuram eccleſiaſticam, & alia opportuna remedia deſiſtere compellantur.

*XXXVIII. Ut archidiaconi juri canonico per triennium ſtuduerint, vel ſtudeant.*

Cum tam de jure, quam de generali conſuetudine, multarum eccleſiarum archidiaconi juriſdictionem habeant cauſas matrimoniales & plerumque alias audiendi examinandi, atque decidendi: ſtatuimus atque D præcipimus, quod nulli de cætero in regno Hungariæ & provincia Poloniæ in archidiaconos aſſumantur, niſi in jure canonico taliter ſint inſtructi atque periti, quod cauſas hujuſmodi ſecundum jura & rationabiles conſuetudines locorum, in quibus hujuſmodi juriſdictionem obtinent, audire, examinare, atque decidere poſſint; vel alias in artibus ſint aut in aliis ſcientiis taliter informati, quod in talibus, annuente Deo, veriſimiliter proficere poſſint: & ſi tales in E archidiaconos aſſumi contigerit, teneantur ad minus triennio in canonico jure ſtudere, dimiſſis in ipſis archidiaconatibus talibus vicariis, qui honeſte poſſint ſupplere vices eorum. Hanc autem * ad ſtudium, quantum ad conſtitutionem triennii, ad jam inſtituros archidiaconos extendi volumus & mandamus: niſi & inſtituti jam facti ſint, & inſtituendi, poſt ſuas inſtitutiones fiant abſque vitio & culpa ipſorum adeo pauperes, debiles, vel infirmi, aut alias inhabiles ad ſtudendum,

* [illegible] Hanc autem [illegible] ad ſtudium triennii



dum, quod ſtudium incipere nequeant, vel A perficere, aut terminare inceptum: quibus impedimentis ceſſantibus, teneantur incipere, & inceptum perficere ſtudium, ut ſuperius eſt expreſſum. Ad prædicta quoque implenda archidiaconi ſupradicti a ſuis diœceſanis, per amotionem & privationem perpetuam a ſuis archidiaconatibus, compellantur. Indulgemus autem archidiaconis ſupradictis, quod infra triennium, quo ſtudio præfato vacabunt, archidiaconatuum & aliorum beneficiorum ſuorum fructus & proventus cum ea integritate percipiant, cum qua ipſos perciperent, ſi in dictis ar- B chidiaconatibus vel beneficiis perſonaliter morarentur: quotidianis diſtributionibus, quæ in pane & vino ſingulis vel certis diebus exhibentur, dumtaxat exceptis: niſi in fraudem præſentis conſtitutionis, redditus, qui conſueverunt in pecunia percipi, ordinarentur pro diſtributionibus panis & vini.

*XXXIX. De cauſis matrimonialibus.*

Prohibemus, ne cauſæ matrimoniales, niſi C diſcretis & gravibus ac honeſtis committantur perſonis, & habentibus juris canonici peritiam vel cauſarum experientiam in talibus opportunam. Statuimus, ut judex in cauſis matrimonialibus teſtes per ſeipſum, vel alium diſcretum & honeſtum juriſperitum, vel bonam experientiam cauſarum habentem, examinet.

*XL. Quod irritæ ſint inhibitiones, & alia, quibus impediunt prælati, ne ſubditi culpas ſuas revelent ſuperioribus.*

D

Quia nonnulli prælati, ſæculares & regulares, ſubditis ſuis inhibent, ne eccleſiarum ſive monaſteriorum ſuorum ſtatum, perſonarum, & rerum eorumdem, ſuperioribus ſuis, ſeu aliis, per quos ad notitiam eorum perveniat, inſinuent, vel exponant, eoſdem ſubditos ſub juramenti interpoſitione, & aliis vinculis aſtringentes, vel in ipſos, ſi ſecus fecerint, excommunicationis ſententiam proferentes; nonnulli etiam ex eis, ſubditos ipſos, plerumque alios, ſibi obligant, ne de cætero dicant ſive deponant, E denuncient aut faciant aliquid contra eos, per quod malum vel damnum aliquod incurrere poſſint; ex quibus frequenter venit, quod cum ſuperiores, eccleſias & monaſteria ipſa viſitant, ipſorum monaſteriorum ſeu prælatorum, aut etiam ſubditorum, ſtatum ſcire non poſſunt: propter quæ multa in eis tam in capite, quam in membris, quæ correctione & reformatione indigent, remanent incorrecta: nos contra hujuſmodi dete- ſtabiles & periculoſas aſtutias providere volentes, omnia ſuper his vincula interpoſita, obligationes omnes ſuper hoc initas, ſententias, & quæcumque alia hujuſmodi occaſione ſubſecuta, inita ſeu facta, vel quæ in poſterum ferri vel fieri contigerit, penitus revocamus, relaxamus, atque caſſamus, ac caſſa & irrita nunciamus; decernentes ſubditos, & alios ſupradictos, a prædictis obligationibus, ſententiis, atque pœnis totaliter abſolutos, & ad eorum obſervationem aliquatenus non teneri.

*XLI. Ut ſupellex non teneatur in eccleſiis, niſi ſacra.*

In concilio prohibetur, & nos prohibemus inviolabiliter obſervari, ne ſupellectilia ſacerdotis propria, ſeu alia, in eccleſiis reponantur, aut etiam teneantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ad eas oporteat habere refugium: ſic tamen, ut neceſſitate ceſſante, extra eccleſiam portentur.

*XLII. Ut presbyteri parochiales, habeant libros eccleſiaſticos.*

Librum, qui dicitur manuale, habeant ſinguli presbyteri parochiales, ubi contineatur ordo baptiſmi, extremæ unctionis, & hujuſmodi; necnon libros alios, in quibus poſſint tam diurnum quam nocturnum officium celebrare.

*XLIII. Ut profana in cœmeteriis & eccleſiis non peragantur.*

Præcipimus ſacerdotibus, ut Divino officio celebrato, & populo regreſſo ad propria, eccleſias ſuas firmare debeant diligenter. Prohibeant etiam ſacerdotes ſub pœna excommunicationis choreas in cœmeteriis vel in eccleſiis duci: quia, ut ait Auguſtinus, melius eſt feſtivis diebus fodere vel arare, quam choreas ducere. Sub anathematis interminatione prohibemus, ne quis civiles cauſas in eccleſiis vel cœmeteriis agitare præſumat. Nullus etiam de novo ædificare in cœmeterio permittatur: nec fimus, vel immunditiæ aliæ in cœmeteriis adunentur. Talia facientes, quouſque ſatisfecerint, ad voluntatem rectoris, ab ingreſſu eccleſiæ illius arceantur.

*XLIV. Ut vigiliæ in eccleſiis non fiant a laicis.*

Præcipimus, quod eccleſiarum rectores in ſuis eccleſiis vigilias fieri a laicis non permittant, cum ex hoc ſcandala proveniant, & peccata: niſi forſan in illis eccleſiis, in qui- bus

ANNO CHRISTI 1279.

bus ex devotione fidelium vigiliæ tales conſueverunt fieri ab antiquo.

*XLV. Ut priventur ſtipendiis qui horis canonicis non interſunt.*

Ad dilatandum in Divinis officiis eccleſiæ decus, præſenti conſtitutione duximus ſtatuendum, quod præpoſiti, canonici, plebani, & alii eccleſiarum rectores, & clerici univerſi, in præpoſituris, canonicis, & plebanatibus, rectoriis, & aliis eccleſiis, in quibus beneficiati exiſtunt, vel a quibus eccleſiaſtica recipiunt ſtipendia, reſidentiam facientes, horis canonicis, ad minus matutinis, Miſſæ, vel veſperis interſint: cum eis ād hoc ſint eccleſiaſtica beneficia deputata, ut de ipſis honeſte debeant vivere, ac Deo & dictis eccleſiis in ipſis Divinis officiis cum reverentia deſervire. Quod ſi quis eorum in prædictis* pareat negligens vel remiſſus, & per diœceſanum, vel capitulum, vel alium ſuperiorem, admonitus non emendaverit; ſed hujuſmodi negligentiam, ne dicamus contemptum, non videatur emendationi, ſed conſuetudini potius deputare: quotidianis diſtributionibus illius diei, quo abſque rationabili cauſa abfuit a Divinis in aliqua de tribus horis prædictis, ipſo ſit facto privatus per diœceſanum vel alium ſuperiorem ſuum: ſi hujuſmodi negligentiam vel contemptum non ſtuduit emendare, officia continuando prædicta, gravius puniendus. Et ut hujuſmodi conſtitutio melius obſervetur, deputentur aliqui a ſingulis capitulis cathedralium, & collegiatarum eccleſiarum, qui abſentias & negligentias talium notent & ſcribant. Parochialium vero ſacerdotum & aliorum clericorum negligentiæ & offenſæ in talibus & aliis, quæ a cura & ſolicitudine pendent eorum, per archidiaconos, præpoſitos, aut alios, & demum per epiſcopos quibus ſubſunt, corrigantur & ſalubriter emendentur.

* ſ. appareat

*XLVI. De iis, ad quos ſepeliendos exigitur una marcha argenti.*

Præſenti quoque conſtitutione declaramus atque decernimus, quod conſuetudo, ſecundum quam archidiaconi Hungariæ, pro occiſis gladio, ſive fuſte, vel alio armorum genere, ſeu veneno, aut quocumque alio damnabili & reprobato modo, conſueverunt recipere unam marcham argenti, antequam ſic occiſi tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ, ad eos, qui fulmine percuſſi, fluminibus ſuffocati, exuſti incendio, arboribus oppreſſi aut de equo cadentes, vel aliis ſimilibus, ſive fortuitis caſibus, diem clauſerunt extremum, ſeu interiiſſe noſcuntur, nullatenus extendantur; nec ab eorum heredibus, propinquis, ſive amicis, marcha hujuſmodi exigatur: ſed ſic defuncti, dummodo pœnitentes deceſſerint, vel in morte pœnitentiæ ſigna apparuerint manifeſta, ſicut alii Chriſtiani eccleſiæ ſepulturæ tradantur: archidiaconi vero per ſuos ordinarios ab hujuſmodi exactione indebita arceantur.

*XLVII. Ut laici non teneant concubinas.*

Prohibeant etiam ſacerdotes, ne laici publice teneant concubinas: & qui poſt admonitionem tenuerit, tam ipſe, quam ipſa, ab ingreſſu eccleſiæ arceantur. Et ſi per hoc ſe non emendaverint, per ſuos diœceſanos fortius compellantur.

*XLVIII. Ut meretrices nemo in domibus & poſſeſſionibus ſuis habitare permittat.*

Cum ex vicinitate turpium mulierum, & maxime meretricum publicarum, quæ corpora ſua pro vili pretio vel mercede venalia indifferenter exponunt, multis plerumque peccandi occaſio miniſtretur, ut de multis aliis ſpiritualibus & temporalibus, quæ ſæpiſſime ex earum vicinitate damnabili conſueverunt contingere, periculis taceatur, religio Chriſtiana ac multorum bonorum honeſtas enormiter infametur: ſtatuimus, quod nulla perſona eccleſiaſtica aut etiam ſæcularis, univerſitas, collegium, vel conventus, hujuſmodi infames & abominandas perſonas in aliqua civitate, caſtro, vel villa, in domibus ſeu poſſeſſionibus ſuis habitare permittat, nec eis vel aliquibus aliis ipſarum nomine, vel pro ipſis, aut infamatis de lenociniis, favore, commercio, aut converſatione, ſive protectione talium mulierum, domos ipſas, vel poſſeſſionem ſuam eis concedere, locare, vendere, vel donare quocumque modo vel fraude præſumat. Quod ſi quiſquam contra hujuſmodi conſtitutionem venire præſumpſerit, tamdiu per ordinarios locorum & presbyteros parochiarum, in quibus violatores conſtitutionis hujus deguerint, ab eccleſiæ arceantur ingreſſu; & a perceptione ſacramentorum habeantur ſuſpenſi, donec ipſis turpibus perſonis de dictis domibus & poſſeſſionibus prorſus ejectis, & præſtita ſufficienti cautione, quod ulterius in talibus non excedent; & ad mandatum ordinariorum, ſive ſuperiorum, vel presbyterorum parochialium ſuorum tantum de bonis ſuis in pios uſus expendant, quantum pro hujuſmodi locatione, venditione, ſeu conceſſione perceperint, aut percepturi fuerunt occa-



ANNO CHRISTI 1279.

occaſione prædicta. Perſonæ autem eccleſiaſticæ, ſi in prædictis exceſſerint, præter prædictas pœnas, per ordinarios ſive ſuperiores ſuos gravius puniantur. Hanc autem conſtitutionem ad publicos adulteros, & inceſtuoſas, & ad publicas adulteras & inceſtuoſos, quos & quas excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere, extendi volumus & mandamus.

*XLIX. Ut bona decedentium clericorum a laicis non occupentur.*

Statuimus, quod ad bona decedentium epiſcoporum ſeu epiſcopatuum, & aliorum inferiorum prælatorum, ſæcularium ſeu religioſorum, monaſteriorum, vel aliarum eccleſiarum vacantium, nullus laicus, quantæcumque & cujuſcumque ſit altitudinis, exiſtentiæ, conditionis, vel ſtatus, manus ſuas extendi faciat vel permittat, bona hujuſmodi auferendo, aut etiam occupando, occaſione juris patronatus, vel alio quocumque prætextu. Quod ſi quis laicorum contra conſtitutionem hujuſmodi venire præſumpſerit: ingreſſum eccleſiæ, & perceptionem ſeu participationem ſacramentorum uſque ad ſatisfactionem omnium occupatorum, ſubtractorum, ac etiam ablatorum, ſibi noverit interdicta: ſalvis aliis prædictis, & in aliis conſtitutionibus noſtris expreſſis.

*L. Ut alienare bona eccleſiaſtica non liceat.*

Statuimus, quod nulla perſona eccleſiaſtica aut etiam ſæcularis, cujuſcumque ſit exiſtentiæ, ordinis, dignitatis, vel ſtatus, vel ſub prætextu juris patronatus, quod ſe habere dicat, contendat vel aſſerat, aut in veritate habeat, in aliquibus monaſteriis vel eccleſiis noſtræ legationis, ſeu alio quocumque prætextu vel modo, monaſteria vel eccleſias prædicta, in quibus jura hujuſmodi ſe habere contendunt, aut aliquid de bonis vel juribus, ad ipſas eccleſias vel monaſteria ſpectantibus, per ſe vel alios occupare, vendere, donare, permutare, locare, aut alio modo quocumque alienare, ſeu bona ipſa aut fructus aliquos in perpetuum vel ad tempus, aut alias in feudum ſive in pignus dare, concedere, vel recipere, aut aliquid aliud circa diſpoſitionem & ordinationem eccleſiarum & monaſteriorum prædictorum, ſeu bonorum, mobilium vel immobilium; aut ſe moventium, jurium eorumdem, propria auctoritate attentare præſumant: veris patronis eccleſiarum & monaſteriorum legationis præfatæ, in quibus eccleſiis & monaſteriis jus obtinent patronatus jure competenti, occaſione hujuſmodi patronatus, ſervato in tantum, in quantum in hac parte patronis eccleſiarum canonica inſtituta concedunt. Tranſgreſſores autem conſtitutionis hujus, poſtquam a diœceſano & aliis ſuperioribus illarum eccleſiarum, in quibus prædicta, vel prædictorum aliqua attentarint, per caritatem admoniti fuerint, niſi infra terminum ab ipſis diœceſanis, vel per alios dictarum eccleſiarum ſuperiores ſtatuendum eiſdem, ab ipſarum eccleſiarum, vel monaſteriorum, ſeu bonorum, ac jurium eorumdem ſuper prædictis moleſtatione & perturbatione deſtiterint, & ad ipſorum diœceſanorum, ſeu aliorum ſuperiorum arbitrium ſatisfecerint de damnis & injuriis irrogatis, occaſione prædicta, in onaſteriis & eccleſiis præfatis; extunc ſe ſciant excommunicationis ſententiæ ſubjacere: a qua, juxta tamen formam eccleſiæ, per diœceſanum, ſatisfactione præmiſſa & ſufficenti cautione quod ulterius in talibus vel ſimilibus non excedant poſſint abſolvi * præfatos.

* Locus mendoſus in ipſo Ms.

*LI. De jure patronatus.*

Præſenti quoque declaramus ſtatuto atque præcipimus, quod quæcumque perſona ſæcularis, cujuſcumque ſit exiſtentiæ, dignitatis, aut ſtatus, quantumcumque liberaliter & abſolute concedat, donec* tradat, ſeu tradidiſſe intenderit vel intendat, voluerit vel velit, monaſteria ſeu eccleſias, in quibus jus tantum obtinet patronatus, monaſteriis vel aliis eccleſiis ſæcularibus: illud faciat & facere debeat de illorum diœceſanorum ſeu prælatorum licentia ſeu aſſenſu, in quorum diœceſi vel juriſdictione eccleſiæ vel monaſteria ipſa conſiſtunt. Et tam prædictæ, quam aliæ perſonæ, regulares aut ſæculares, cujuſcumque ordinis, dignitatis, religionis, vel ſtatus, quantumcumque liberaliter & abſolute conceſſerint, donaverint, vel tradiderint, aut concedant, donent, vel tradant, ſeu conceſſiſſe, donaſſe, tradidiſſe, intenderint vel intendant, eccleſias, in quibus jus tantum obtinent patronatus, locis vel perſonis prædictis, nihil aliud intelligatur ſeu præſumatur conferre aut etiam contuliſſe; nec perſonæ, aut loca prædicta aliud ex collatione hujuſmodi recipere vel acquirere, quam in eiſdem eccleſiis ſeu monaſteriis conferentibus competens patronatus: ſtatuentes & expreſſius prohibentes, ne aliquæ perſonæ eccleſiaſticæ, aut etiam ſæculares, quibus de monaſteriis, vel eccleſiis hujuſmodi ſunt donationes, conceſſiones, vel collationes factæ, vel in poſterum fient, aliquid, niſi quantum patronis canonica jura concedunt, exigere, vel extorquere, aut capere motu proprio, vel accipere de bonis mobilibus, vel immobili-

* Corr. donec

bilibus, aut ſe moventibus, vel de juribus monaſteriorum, aut eccleſiarum ipſarum; nec in eis ſtatuere aliquas prælaturas, ſeu etiam rectorias, nec removere ſive ſupprimere, vel etiam revocare ſtatuta, nec de ipſis monaſteriis, vel eccleſiis, aut temporalibus, ſeu ſpiritualibus, vel juribus eorumdem, niſi quantum ad defenſionem pertineat, ad quam patroni tenentur, diſponere; aut etiam ſe intromittere, vel aliquos in ipſis monaſteriis aut eccleſiis inſtituere, vel deſtituere, hujuſmodi juris patronatus prætextu, quocumque invento colore, præſumant. Decernimus autem irritum & inane quidquid a præfatis perſonis circa monaſteria & eccleſias, & alia omnia & ſingula ſupradicta, contra tenorem præſentis conſtitutionis temere contingeret attentari. Per hanc autem declarationem & conſtitutionem, nullum veris patronis ſuper his, quæ ſibi competunt, id eſt, juris patronatus, præjudicium generetur. Si qui vero, quacumque præſumptione contra conſtitutionem hujuſmodi venientes, monaſteria vel eccleſias in prædictis vel prædictorum aliquo moleſtare, ſeu perturbare*, aut de ipſis monaſteriis vel eccleſiis, ſeu bonis, & juribus eorum, ſe intromiſerint quoquo modo: ingreſſu eccleſiæ & perceptione ſacramentorum eccleſiaſticorum ſe noverint interdictos, donec ſatisfactione præmiſſa, a perturbatione, & moleſtatione, & aliis ſupradictis deſtiterint, & per diœceſanum illarum eccleſiarum ſeu monaſteriorum, quæ hujuſmodi occaſione læſerant, ad eccleſiæ ingreſſum & ſacramentorum perceptionem fuerint reſtituti* eccleſiaſtica miniſtraverint ſacramenta, per ſex menſes a collatione ſacramentorum noverint ſe ſuſpenſos.

* add. præſumpſerint,

* f. qui interim iis eccl. min. ſacr.

*LII. Adverſus bonorum eccleſiaſticorum invaſores.*

Cum multorum aſſertione didicerimus, peſtem quandam in regno Hungariæ, & aliis terris noſtræ legationis, contra clerum & eccleſiaſticam libertatem invaluiſſe jamdudum; videlicet, quod laici eccleſias, monaſteria, earumque poſſeſſiones & jura, juris patronatus, ſeu alio quocumque prætextu, non abſque damnabili & manifeſta ſacrilegii nota, quaſi indifferenter occuparunt hactenus, & quotidie occupant, & damnabiliter detinent occupata, quarum aliquæ ſunt deputatæ habitationi & uſibus laicorum, aliæ vero uſibus jumentorum & aliorum animalium, altaribus & aliis ad cultum Divinum ibi ſtatutis pia devotione fidelius & auctoritate pontificum, deſtructis & totaliter deformatis: nos contra hujuſmodi peſtem, quam pati nullo modo poſſumus nec debemus, omnino intendentes de ſalubri remedio providere: omnes & ſingulos eccleſiarum & monaſteriorum bonorum ac hujuſmodi detentores, ex parte Dei omnipotentis, & ſub obteſtatione Divini judicii, admonemus, quatenus eccleſias, monaſteria, earumque poſſeſſiones & jura, quæ taliter occuparunt ſeu detinent occupata in regno & terris prædictis, diœceſanis epiſcopis; vel aliis ordinariis, aut aliis eccleſiaſticis perſonis, ad quas prædicta ſpectare noſcuntur, infra ſex menſes a die publicationis præſentis conſtitutionis computandos, cum fructibus exinde perceptis reddere & reſtituere non poſtponant. Alioquin præfatos detentores, quos excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere, ad requiſitionem illorum ordinariorum, in quorum diœceſi, vel juriſdictione, aut eccleſiis, vel earum bonis, & juribus, prædicta ſunt commiſſa, vel de cetero committentur, ab omnibus prælatis regni Hungariæ, quantum ad Hungaros, & ab illis de Polonia, quantum ad Polonos, uſque ad reſtitutionem & ſatiſfactionem condignam excommunicatos publice præcipimus nunciari, pulſatis campanis & candelis accenſis, diebus Dominicis & feſtivis; contra quos ſi opus fuerit, invocetur auxilium brachii ſæcularis.

*LIII. De iiſdem.*

Cum eccleſiæ & monaſteria, ſecundum traditiones evangelicas, apoſtolicas, atque canonicas, ſint & eſſe debeant domus orationum, non ſpeluncæ latronum, vel munimenta prædonum: dolentes referimus, quod quidam, & non pauci, in regno Hungariæ, & terris noſtræ legationi ſubjectis, multa monaſteria multaſque eccleſiaſticas poſſeſſiones, & jura ad ipſas ſpectantia occupaſſe, pleraque ex eis incaſtellaſſe dicuntur, & cum* ipſis & eccleſiis, & monaſteriis, ad laudem Dei continua debeantur eccleſiaſtica officia celebrari, & pro animabus, tam defunctorum quam vivorum devote preces & orationes deferri, in ipſis tyranni raptores habitant & prædones, rapinæ ſpoliaque reconduntur & prædæ; & quod valde horrendum eſt, loca ipſa Deo dedicata & ſanctificata, frequenter humano ſanguine & ſemine polluuntur. Cum autem ea, quæ ſunt juris Divini, nullo modo debeant ad humanos uſus converti, maxime tam deteſtabiles & profanos: nos nulla ratione volentes tantam iniquitatem & perverſitatem conniventibus oculis pertranſire, omnes & ſingulos cujuſcumque exiſtentiæ, nobilitatis, ſtatus, aut conditionis, qui eccleſias, monaſteria, aut bona vel jura ipſorum, occupare, incaſtellare, vel violenter

* add. in





ter invadere præſumpſerunt, aut invaſa ſeu occupata detinent, aut de cetero invadere ſeu etiam incaſtellare & occupare propria temeritate præſumpſerint (niſi infra terminum ſeu terminos omnibus communiter & ſingulis ſingulariter ab illis prælatis, in quorum diœceſi & juriſdictione, eccleſiæ, monaſteria, bona, & jura conſiſtunt præfata, peremptorie ſtatuendos, monaſteria, eccleſias, poſſeſſiones & jura illis perſonis eccleſiaſticis, ad quos pertinent ſupradicta, libere & abſque difficultate reddiderint & reſtituerint, & de fructibus, proventibus, atque damnis, ad mandatum prælatorum ipſorum ſatisfecerint competenter, caverintque ſub certis pœnis, quod ulterius in talibus non excedent) anathematis vinculo decernimus & volumus eſſe ligatos: a quo abſolvi non poſſint, niſi prædicta reſtituerint, & ad mandatum ipſorum prælatorum plene ſatisfecerint, ut ſuperius eſt expreſſum.

*LIV. Ut juſtitia per gratiam aut corruptelam non fiat.*

Statuimus, quod nullus judex ordinarius, vel etiam delegatus, faciat, vel etiam ſe facturum promittat, juſtitiam alicui per gratiam ſeu receptam pecuniam vel promiſſam, aut per alias ſordes, prætextu alicujus odii, temporalis emolumenti, favoris, ſeu lucri: & qui contra fecerit, per annum officium judicandi ſibi noverit interdictum; ad eliminationem litis parti, quam læſerit, nihilo minus condemnandus, prout in conſtitutione felicis recordationis D. Innocentii Papæ IV. de re judicata, edita in concilio Lugdunenſi, cavetur.

*LV. Ut excommunicati, ab agendo, patrocinando, teſtificando, repellantur.*

Statuimus, quod judices ordinarii, aut etiam delegati, omnes illos, quos per denunciationem, vel alio legitimo modo, excommunicatos ſciverint eſſe ab homine vel a jure, ab agendo, patrocinando, vel teſtificando, in ſuo foro vel curiis, aut judiciis, ex officio ſuo repellant. Judices autem, qui exceptionem excommunicationis contra agentes, advocantes, vel teſtificantes objectam, non admiſerint, ſed ea non obſtante tales admiſerint ad prædicta, per menſem unum judicandi officium ſibi noverint interdictum: & proceſſus cum talibus excommunicatis habitus, ſit irritus ipſo facto, nec per proceſſus hujuſmodi judicium* excipienti excommunicationem, ſive ipſam exceptionem habuerint, ſive non, ex quo per eum compoſita fuit hujuſmodi exceptio & non fuit admiſſa, aliquod præjudicium generetur.

* Corr. judicium.

*LVI. Ut exceptio rei judicatæ admittatur.*

Statuimus, quod judices ſæculares exceptionem rei judicatæ per eccleſiaſticum judicem, de qua quidem re cognitio ad ipſum eccleſiaſticum judicem de conſuetudine vel de jure pertinet, & viam ipſi propoſitam admittere non omittant. Item e contra eccleſiaſtici judices, cum de re judicata per ſæcularem judicem, de his quæ ad ejus juriſdictionem ſpectare noſcuntur, ex eis coram eis exceptionem hujuſmodi, prout de jure tenentur, admittant. Quod ſi dicti judices exceptiones hujuſmodi forte admittere recuſarent, per ordinarios, de quorum juriſdictione fuerint bona, de quibus, vel perſonæ, contra quas, fuerit judicatum, ad recipiendam & ad admittendam exceptionem hujuſmodi per opportuna remedia compellantur: cum quos Dei timor de malo non revocat, pœna coercere debeat temporalis.

*LVII. Ut judices ſæculares compellant ad officium, eos qui ſunt rebelles judicibus eccleſiaſticis; & viciſſim eccleſiaſtici, eos qui non obediunt laicis.*

Statuimus, quod univerſi & ſinguli noſtræ legationis, cujuſcumque ſint exiſtentiæ, dignitatis, aut ſtatus, temporalem juriſdictionem habentes, ad requiſitionem prælatorum ſeu judicum eccleſiaſticorum, contra rebelles & inobedientes eis, vel eorum ſententias contemnentes, ſeu non parentes alias rei judicatæ ab eis, de his & ſuper his, quæ principaliter vel incidenter, de conſuetudine vel de jure, ad forum, juriſdictionem, ſeu cognitionem ipſorum ſpectare noſcuntur, reverenter brachium ſuæ juriſdictionis impendant; rebelles & inobedientes, atque non parentes hujuſmodi, ac excommunicatos quoſque ab ipſis prælatis, ſeu eccleſiaſticis judicibus, ſeu alias ab homine vel a jure, redire ad eccleſiæ unitatem, ac ſatiſfacere pro cauſis, pro quibus excommunicationes hujuſmodi incurrerunt, per occupationem bonorum, quæ ſub ſua juriſdictione ſunt, & alia opportuna remedia, compellendo: ad quod præfati judices per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Ipſi vero prælati & eccleſiaſtici judices verſa vice, laicorum judicium ſua juriſdictione, in his & ſuper his, quæ canonicis non obvient inſtitutis, quoad vivent, & contra inobedientes, & rebelles illorum, ac ipſorum ſæcularium judicum juſtis ſententiis non parentes, gladium ſuæ poteſtatis & auctoritatis, eccleſiaſticam ſcilicet cenſuram, impendant, cum

ab

ANNO CHRISTI 1279.

ab ipſis ſecularibus judicibus ſuper hoc fuerint requiſiti,

*LVIII. De poteſtatibus ſæcularibus, quæ prohibent appellantes ſedem apoſtolicam.*

Statuimus, quod omnes cauſæ ad forum eccleſiaſticum pertinentes, coram ordinariis vel eccleſiaſticis judicibus, juxta ſacras & legitimas ſanctiones, agitari, tractari, vel ventilari debeant, & per eos libere & abſque impedimento ullo vel obſtaculo terminari, Et ſi quando ſuper hujuſmodi cauſis apoſtolicam ſedem ac alios ſuperiores, ad quos appellare jura permittunt, appellari contigerit: tam appellantes, quam appellati, ad præfatam ſedem, ſeu ad ſuperiores prædictos accedere, ſuper appellationum proſecutionibus, libere & abſque inhibitione aliqua permittantur. Si vero rex, ſeu regina, vel quicumque alii de regno prædicto, poſtquam coram ipſis de hoc proteſtatum fuerit vel exceptum, contra conſtitutionem hujuſmodi venerint, de cauſis hujuſmodi cognoſcendo, vel appellantes ad ſedem apoſtolicam ſeu ſuperiores præfatorum, a proſecutione appellationum ipſarum quomodolibet prohibendo, ſeu alias contra conſtitutionem hujuſmodi exercendo, ab hujuſmodi prohibitione, impedimento, ſeu cognitione omnino non deſtiterint; regi ſeu reginæ præfatis in prædictis excedentibus, tamdiu eccleſiæ ſit interdictus ingreſſus, quouſque omnem proceſſum per eos habitum, in cauſis prædictis (quem caſſum & irritum nunciamus) omneſque prohibitiones & gravamina revocaverint cum effectu. Alii vero duces, barones, & alii inferiores judices, contra conſtitutionem excedentes præſentem, niſi infra triduum poſtquam coram eis ut ſupra denunciatum, proteſtatum fuerit, vel exceptum, prohibitiones, impedimenta, gravamina, ac proceſſus ſuper hujuſmodi revocaverint cum effectu, ac procedendo in cauſis hujuſmodi deſtiterint; ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere, a qua, congrua ſatisfactione præmiſſa, ab epiſcopis, in quorum diœceſi perſonæ vel res, ſuper quibus vel contra quos proceſſerint, juxta formam eccleſiæ poſſint abſolvi.

*LIX. De immunitate eccleſiaſticorum.*

Cum regum, principum, baronum, & aliorum catholicorum fidelium, proprium & peculiare ab antiquo fuiſſe noſcatur, eccleſias, monaſteria, locaque ſacra Deo ædificare; deſtructas vero, ſive conciſas, aut in ſe ſive in miniſtris, vel in facultatibus, juribus, privilegiis, vel immunitatibus ſuis diminuta ſive oppreſſa relevare, reficere, defendere, ac etiam reſtaurare, prout per facti evidentiam, videlicet per ædificationem, refectionem, & reparationem eccleſiarum & monaſteriorum multis & latis poſſeſſionibus, ædificiis, juribus, privilegiis, prærogativis & immunitatibus dotatorum, antiquitas ipſa omni digna veneratione & imitatione teſtatur: multum profecto ab antiquorum & majorum ſuorum videntur veſtigiis deviare, qui eccleſias ipſas, vel earum bona, ſeu jura, deſtruunt, ſcindunt, occupant, vel invadunt, ſeu earum privilegia & immunitates imminuunt, & infringunt, aut qui talibus tacite vel expreſſe conſentiunt, ſeu qui talia * in his ſimilia contra Deum ejuſque eccleſiam atque miniſtros impie committentes, per aſſumptæ poteſtatis vel iuriſdictionis officium non compeſcunt, & ab ipſis deſiſtere per remedia opportuna non cogunt. Declaramus igitur atque decernimus, eccleſias, & eccleſiaſticas perſonas ab omnibus angariis & parangariis, exactionibus & collectis, & aliis ſuperinductionibus, oneribus, & muneribus ſordidis laicorum, necnon a præſtationibus tributorum, pedagiorum, ſeu vectigalium pro eccleſiaſticis perſonis, evectionibus, & rebus ipſorum, qui non cauſa mercimonii ſive negotiationis, ſed pro ſuis & eccleſiarum ſuarum neceſſitatibus per terram ſive per aquam ducunt ſeu tranſeunt, omnino immunes & exemptas eſſe iuxta canonicas & legitimas ſanctiones, nec per aliquos, cuiuſcumque altitudinis, iuriſdictionis, ſeu etiam poteſtatis, ad talium præſtationem poſſe vel debere compelli.

* Cor. iſta vel ſimilia.

*LX. De eadem.*

Et quia in regno Hungariæ, & aliis terris noſtræ legationis, eccleſiæ & eccleſiaſticæ perſonæ a multis, & in multis, & variis, ſuper prædictis & aliis ſimilibus, indebite & contra iuſtitiam aggravantur in periculum animarum illorum, qui talia agunt, & eccleſiarum ac perſonarum eccleſiaſticarum non modicum detrimentum, & derogationem eccleſiaſticæ libertatis: nos autem animarum ſaluti, & eccleſiarum ac perſonarum eccleſiaſticarum immunitati ſuper hoc providere volentes, diſtrictius prohibemus, ne de cetero eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis talia imponantur, aut exigantur, ſeu extorqueantur ab eis, vel ipſæ eccleſiæ aut perſonæ ſuper talibus præſtationibus quomodolibet moleſtentur. Quod ſi contra prohibitionem huiuſmodi, quiſquam ab eccleſiis vel perſonis prædictis aliquid occaſione prædicta extorquere præſumpſerit vel auferre, ſeu ſuper prædictis, vel eorum aliquo, eccleſias vel perſonas aggravare prædictas:

niſi



ANNO CHRISTI 1279.

niſi intra triduum omnia reſtituerit, quæ ab huiuſmodi perſonis occaſione prædicta extorſit, ingreſſum eccleſiæ & perceptionem ſacramentorum ſibi noverit interdictos: quod interdictum, ſatisfactione præmiſſa, per diœceſanum valeat revocari.

*LXI. Ut omnes regulares eodem veſtiario induantur.*

Et quia inhoneſtum extitit, quod canonici regulares, vel monachi, diverſis veſtibus veſtiantur, cum ex hoc proveniat invidia, murmur, & ſcandalum inter ipſos: ſtatuimus, quod omnes in eodem monaſterio, vel regulari canonica, & ſub eadem profeſſione morantes, indifferenter uno & eodem veſtiario induantur: prohibentes expreſſe, ne quis eorum veſtes aliquas alicuius coloris, niſi tantummodo albi, vel nigri, ſeu griſei habere præſumat, in quibus brunetam nigram, gazzatum, & alium quemcumque pannum notabiliter delicatum, interdicimus univerſis. Veſtes non habeant brevitate vel longitudine deformatas. Qui vero in prædictis exceſſerint, per ſuos diœceſanos, vel ſuperiores alios, caſtigentur: ſalva diſtinctione ac diſcretione diverſorum ordinum, ſervata inter monachos, ſive canonicos, & converſos.

*LXII. De veſtibus regularium.*

Quia, ſicut audivimus, quidam monachi & canonici regulares, ſicut laici & clerici ſæculares conſueverunt incedere in animarum ſuarum periculum & ſcandalum plurimorum: præcipimus, ut canonici regulares ſine ſuperpelliceis vel tunicis lineis, ſeu cappis clauſis; monachi vero, ſine cappis, aut cucullis, ſeu ſcapularibus, extra domos ſuas de cetero non incedant, nec etiam intra domum. Si vero contra facere præſumpſerint: adminiſtrationem habens, eam ipſo facto amittat; & monachus, ſive canonicus regularis, per abbatem, priorem, vel præpoſitum puniatur: & ſi negligens fuerit, per epiſcopum ſuppleatur.

*LXIII. De abſtinentia regularium.*

Statuimus, ut a die quatuor Coronatorum uſque ad diem natalis Domini, a ſanguine & carnibus omnes monachi, cujuſcumque ordinis (præterquam infirmi, debiles, & delicati, cum quibus abbates diſcretione prævia poterunt diſpenſare) abſtineant, omnibus diebus, exceptis Dominicis, jejunantes. Poterit tamen abbas ex cauſa cum aliquibus, ut aliquando bis comedant, diſpenſare: nec comedant ter in die niſi pueri, infirmi, vel qui in refectorio leget: nec comedant extra domos ſuas in parochiis ſuis, niſi quando procuratio ab aliquibus debetur eiſdem. A ſeptuageſima uſque ad paſcha, quantum ad eſum carnium & eſum ſanguinis, idem præcipimus firmiter obſervari: canonicos autem regulares ſuam regulam regulariter præcipimus obſervare. Præcipimus etiam, quod nullus canonicus regularis diebus Lunæ & Mercurii carnes in refectorio comedat, niſi feſtum novem fuerit lectionum. Silentium autem in clauſtro, refectorio, & dormitorio, firmiter præcipimus obſervari horis debitis & ſtatutis, in loco, ubi ad minus tres monachi aut regulares canonici commorantur: ita ſcilicet, quod aliquis loqui non audeat, niſi voce adeo ſubmiſſa, quod tertius ab ipſo audire non poſſit.

*LXIV. Ut regulares monaſterio non exeant ſine licentia.*

Quoniam, ſicut audivimus, quidam monachi & canonici regulares aliquorum monaſteriorum, conſueverunt extra ſepta ſui monaſterii, tam patenter quam latenter, tam turpiter quam damnabiliter, per terram ſæpius evagari: ſtatuimus, ut nullus, excepto capellano, & illis quibus ex neceſſitate adminiſtratio competit, ſepta monaſterii ſui exire audeat, niſi prius ab abbate vel priore, ſeu præpoſito; & ſi abbas vel prior, ſeu præpoſitus præſentes non fuerint, ab eorum vicariis vel aliis poteſtatem habentibus, eis ſpecialiter licentia ſit conceſſa: quibus abbas, ſeu prior, vel præpoſitus, vel eorum vicarii, ſine cauſa neceſſaria vel rationabili, exeundi licentiam non concedant. Nec etiam obtenta licentia ſine ſocio quis pedes exire præſumat. Si vero abbates, priores, præpoſiti, vel alii regulares prælati, ſeu eorum vicarii, in aliquo præmiſſorum negligentes inventi fuerint vel remiſſi: ſuſpenſionis vel majoris vindictæ ſententia a diœceſanis ſuis ſe noverint puniendos.

*LXV. Ut regulares non recipiant eccleſias ad firmam.*

Prohibemus ne monachi vel canonici regulares, eccleſias ad firmam recipiant, vel conducant, aut ſine licentia diœceſanorum epiſcoporum, vel aliorum ordinariorum, parochialium eccleſiarum capellani exiſtant: ſed ad ſua monaſteria redeant, donec redierint, non celebraturi.

LXVI.

*LXVI. Ut religioſi non venentur, non deſerviant ultra octo dies in parochialibus eccleſiis ſæcularium, &c.*

Si quis religioſus inventus fuerit cum canibus & avibus venatoriis: cuicumque occupanti conceduntur a nobis. Nullus regularis cujuſcumque ordinis, continue deſervire audeat in parochialibus eccleſiis ſæcularium ultra octo dies, ſine illius parochialis eccleſiæ ordinarii licentia ſpeciali. Qui vero tales ſcienter ultra octo dies loca capellanorum, ad celebrandum, vel ad eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrandum, tenuerint vel ſuſtinuerint, ſint ipſo facto ab ordinum executione ſuſpenſi: quæ ſuſpenſio per diœceſanos impoſita eis ſub hujuſmodi exceſſu ſeu tranſgreſſione, pœnitentia competenti, ac injuncto ſibi quod in talibus ulterius non excedant, valeat relaxari. Excommunicentur, monitione præmiſſa, omnes monachi & religioſi, qui relictis clauſtris ſuis abſque prælatorum ſuorum licentia ad ſcholas ire, vel aliud quam grammaticam, theologiam, aut logicam, in ſcholis audire præſumant.

*LXVII. De vitandis excommunicatis, & ſervando interdicto, maxime a prælatis.*

Quia, ſicut audivimus, & in parte vidimus in regno Hungariæ & aliis terris noſtræ legationis, eccleſiaſticæ perſonæ, tam ſæculares quam regulares, & plerumque, quod gravius eſt, prælati, excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdictorum ſententias in ſingulares perſonas, collegia, univerſitates, ac terras, villas, vel loca a ſuis judicibus, vel a jure, ſive a canone promulgatas, uſque ad hæc tempora, in grave animarum periculum, & illorum, ad quorum inſtantiam, vel pro quibus hujuſmodi ſententiæ latæ fuerint, non modicum, immo plerumque maximum detrimentum; necnon in graviſſimum authoritatis & poteſtatis eccleſiaſticæ cenſuræ contemptum, & derogationem eccleſiaſticæ libertatis, prout tenentur & debent, hactenus minime ſervaverunt, nec fecerunt ab aliis obſervari, juxta mandatum Apoſtoli & ſtatuta canonica excommunicatos hujuſmodi non vitando; ſed in ſalutatione, oſculo, menſa, Divinis officiis, ac aliis ab apoſtolo & ſacris canonibus prohibitis, damnabiliter communicantes cum eiſdem laicis idiotis, atque ſimplicibus, quos ad hujuſmodi ſententias obſervandas perſuaſionibus, monitis, & exemplis inducere, & per cenſuram eccleſiaſticam gravius compellere debuiſſent, ſuis pravis & pernicioſis exemplis viam, immo invium & laqueos damnabiles ad contemptum libertatis & cenſuræ eccleſiaſticæ paraverunt; quia, ut ſcriptum eſt, quod fit a prælatis, trahitur a ſubditis facile in exemplum; ſicque peccatis exigentibus, ex talium abuſu, negligentia, & contemptu, ac plurimorum malitia, accidit quod pauci inveniuntur in regno & terris prædictis, qui eccleſiaſticam cenſuram revereantur & timeant, cum videant defenſores ipſius cenſuræ prælatos, & alias inferioris gradus eccleſiaſticas perſonas, paſtores, patres, & medicos animarum ſuarum, hujuſmodi ſententias, per ipſos potius Divina quam humana authoritate prolatas, quarum ad ipſas ſpecialiter ſpectat tuitio, notabiliter & damnabiliter non ſervare: quia, ut Sapiens ait, nec ſic inflectere animos dicta poſſunt ut vita regentis. Propter quæ, cenſura & libertate hujuſmodi vilipenſis, jam indifferenter & impune in regno & terris prædictis captivantur, verberantur, mutilantur, ac etiam occiduntur clerici: &, quod ſeverius eſt, prælati bonis ac juribus ſuis, tam mundanis quam eccleſiaſticis, ſpoliantur; eccleſiæ, monaſteria, & bona ac jura ipſorum ab ipſis laicis occupantur, invaduntur, & damnabiliter detinentur, profanantur horribiliter, aliaque ruinis & incendiis deſtruuntur, earumque ac cœmeteriorum immunitas infringitur, ac etiam violatur, ac libertate eccleſiaſtica quaſi totaliter conculcata, in omnibus fere diſſolvitur quotidie nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ. Nos autem, omnibus prælatis, tam regularibus quam ſæcularibus, & univerſis clericis, in ſancta ſynodo congregatis, cum inſtantia petentibus, contra mala & pericula ſupradicta per noſtram conſtitutionem de opportunis remediis provideri; præſenti conſtitutione præcipimus, quod omnes & ſinguli prælati & clerici univerſi, etiam exempti, cujuſcumque dignitatis, ordinis, vel religionis exiſtant, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententia ab ejuſdem regni prælatis noſtræ legationis, & aliis ordinariam vel delegatam juriſdictionem habentibus, vel a jure ſeu a canone, in quaſcumque perſonas vel loca prolatas, poſtquam eis per denunciationem illorum prælatorum, vel judicum, vel quocumque modo, de talibus ſententiis conſtiterit, inviolabiliter obſervent: ipſaſque ad requiſitionem dictorum prælatorum & judicum denuncient, & a ſibi ſubditis denunciari faciant, & inviolabiliter obſervari, ſe ſuoſque ſubditos ſubtrahendo; alioſque a communione talium excommunicatorum in ſalutatione, oſculo, cibo, & potu, ac Divinis officiis, necnon a celebratione Divinorum in interdictis locis, vel eccleſiis, quantum in eis fuerit, re-







vocando & expreſſius prohibendo. Si qui vero propriæ ſalutis immemores, & hujuſmodi ſanctæ conſtitutionis, necnon libertatis ac cenſuræ eccleſiaſticæ contemptores, tales excommunicatos denunciare, ac in prædictis & aliis, in quibus excommunicati ſunt de jure vitandi, vitare, & ſibi ſubditis denunciari ac vitari facere diabolica fraude contempſerint, vel in eccleſiis ſive in locis interdictis celebrare Divina, quacumque temeritate præſumpſerint: ſi ſingulares ſive privatæ perſonæ fuerint, excommunicationis; ſi collegium vel univerſitas eccleſiaſtica, ſæcularis aut regularis fuerit, eorum eccleſiæ ſive monaſteria ipſo facto, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto: a quibus ſententiis, poſt congruam ſatisfactionem exhibitam illis prælatis ſive judicibus, qui hujuſmodi ſententias protulerint, & illis pro quibus, ſive in quorum favorem præfatæ fuerint ſententiæ latæ, ab ipſis prælatis & judicibus, qui ſententias protulere prædictas, vel ab aliis ſuperioribus, ad quos talium abſolutio & relaxatio ſpectat de jure, juxta formam eccleſiæ, abſolutionis & relaxationis interdicti beneficium valeant obtinere. Quod autem de denunciandis excommunicatis ſupra diximus, intelligimus de Polonis, quantum ad Polonos; & de Hungaris & incolis terræ regi Hungariæ ſubiectæ, quantum ad Hungaros & ipſos incolas.

*LXVIII. Ut vinearum & agrorum depopulatores excommunicentur.*

Nonnullos execrabiles peccatores, qui ſolent juſtis hominum laboribus, ex quibus fragilitas humana reficitur, nonnumquam etiam ſanctis viris, in agone hujus ſæculi certantibus, opportunis, perverſitate quadam diabolica invidere, videlicet vinearum & agrorum diſſipatores, depopulatores, ſeu deſtructores, nocturnos & diurnos, publicos & occultos, excommunicationis ſententia innodamus: a qua, poſtquam ſatisfecerint damnum paſſis, & de publicis idoneam præſtiterint cautionem, quod ſimilia de cetero non committent, valeant a ſuis diœceſanis epiſcopis, juxta formam eccleſiæ conſuetam, abſolutionis beneficium obtinere.

*LXIX. Adverſus bonorum & jurium eccleſiaſticorum invaſores.*

Cum univerſalem eccleſiam, quam ſibi Redemptor noſter ſuo ſanguine copulavit, cui Romana eccleſia adeo ſpecialis & ſingularis præeminentia privilegii eſt prælata, quod mater ſit omnium & magiſtra; ipſiuſque prælati, ſacerdotes, & clerici, ſint patres, paſtores, & judices animarum religionis Chriſticolæ, ſuper reges & reginas Divinitus exaltati: dictoſque prælatos ſacros & miniſtros, quibus poteſtas ligandi atque ſolvendi animas a Domino eſt conceſſa, reges ipſi & principes, ac fideles populi Chriſtiani honorare atque revereri pro animarum teneantur ſalute: multum profecto præſumere ac enormiter excedere ſunt cenſendi, ii maxime qui gloriantur nomine Chriſtiano, cum eccleſias & perſonas eccleſiaſticas quibus de bonis ſibi a Deo datis erogare, eaſque ſuis favorabilibus privilegiis & immunitatibus præmunire, atque ab injuriis, damnis, ſeu violentiis, ſuæ poteſtatis brachio defenſare tenentur, per ſtatuta, edicta, conjurationes, confœderationes, conſpirationes, colligationes, machinationes, tacitas vel expreſſas, vel alia varia diverſorum gravaminum genera, perturbant, inquietant, opprimunt vel moleſtant, ſeu eccleſias ipſas, aut bona ipſarum vel eccleſiaſticarum perſonarum, vel jura ipſarum occupando, invadendo, vel de facto indebite auferendo, aut in ipſas.....

G. C. Hic deſinunt acta concilii, tum in Vaticano, tum in Vallicellano MS. ut admonet qui ea edidit Raynaldus. Cujus rei cauſam hanc affert, quod Hungariæ rex Ladiſlaus ſubornatus ab impiis, ſynodum armorum terrore diſturbaverit, Budenſibuſque dederit imperia, ut patres urbe pellerent, nec commeatus ſuppeditarent neceſſarios. Quam culpam ut expiaret Ladiſlaus, anno ſequenti, publicis litteris, quas Raynaldus idem ex libro MS. privilegiorum Romanæ eccleſiæ edidit, extare voluit pœnitentiæ ſuæ monumentum. *Exceſſum*, inquit, *noſtrum in hujuſmodi, cupientes miſericordiæ operibus expiari, cum crimina eleemoſynis redimantur, in perpetuam eleemoſynam, ad mandatum ipſius domini legati, concedimus, atque offerimus eidem reverendo patri domino legato, recipienti vice egenorum, ac pauperum, & infirmorum Chriſti, centum marchas argenti, annis ſingulis, perpetuis temporibus, ipſorum pauperum, & egenorum, ac infirmorum nomine percipiendas, ad opus conſtruendi unum hoſpitale pro ſuſtentatione dictorum pauperum, &c. Datum anno* MCCLXXX. *XV. Kal. Septembr. regni noſtri anno VIII.*

# **CONCILIUM ANDEGAVENSE

## A Joanne Turonenſi archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno Domini MCCLXXIX.

### TITULI CAPITULORUM.


1. *De trahentibus perſonas eccleſiaſticas, ſuper actionibus perſonalibus, ad judicium ſæculare.*
2. *Ut miniſtri nihil exigant pro litteris ordinationis ſigillandis.*
3. *De iis qui corpora eccleſiaſticæ ſepulturæ contra fas tradunt.*
4. *De clericis, qui excommunicationem per annum ſuſtinent.*
5. *Ut epiſcopi poſſint abſolvere in caſibus, in quibus hoc concilium excommunicat, vel ſuſpendit.*


### PRÆFATIO.

AD honorem & utilitatem eccleſiarum noſtræ provinciæ Turonenſis, quibus authore Domino præſidemus; necnon ad reformationem eorum, quæ in dictæ provinciæ viſitatione, innovanda comperimus: vocatis venerabilibus fratribus ſuffraganeis noſtris, abbatibus, capitulis, & aliis qui fuerant evocandi, provinciale concilium Andegavis die Dominica poſt feſtum beati Lucæ evangeliſtæ duximus celebrandum. In quo de ipſorum epiſcoporum, abbatum, aliorumque ad hoc vocatorum conſilio & aſſenſu, ordinamus capitula quæ ſequuntur, ſtatuta provincialium conciliorum tam prædeceſſorum noſtrorum, quam noſtra alias edita, nihilo minus innovantes.

### CAPITULA.

*I. De trahentibus perſonas eccleſiaſticas, ſuper actionibus perſonalibus, ad judicium ſæculare.*

CUm nuper in Bituricenſi concilio, authoritate domini Simonis tit. ſanctæ Cæciliæ præsbyteri cardinalis, legati ſedis apoſtolicæ, congregato, provida fuerit deliberatione ſtatutum de juſtitiariis ſolam temporalem juriſdictionem habentibus, qui in actionibus perſonalibus eccleſiaſticas perſonas litigare compellunt, quod ſi iidem juſtitiarii dictas perſonas in præmiſſis coram ſe litigare compulerint, eo ipſo authoritate dicti concilii ſententiam excommunicationis incurrant: nos ad inſtar prædicti concilii in eos qui prædictas perſonas coram dictis ſæcularibus juſtitiariis ſuper actionibus perſonalibus traxerint, trahive procuraverint, excommunicationis ſententiam præſentis authoritate concilii promulgamus: quæ circa eos nullatenus relaxetur, niſi læſis hujuſmodi de damnis, expenſis, & intereſſe, prius per ipſos fuerit ſatisfactum.

*II. Ut miniſtri nihil exigant pro litteris ordinationis ſigillandis.*

Præterea cum ſcriptum ſit in canone, quod ſicut non debet epiſcopus manum quam imponit, ita nec miniſter vel notarius in ordinatione cujuſquam vocem vel calamum vendere: præſentis approbatione concilii prohibemus, ne quis de cetero, pro litteris ſigillandis quæ conceduntur pro ordinatione clericorum, aliquod pecuniarium commodum, vel quicquam aliud exigat vel recipiat temporale. Alioquin ſtatuti hujuſmodi tranſgreſſores, ſi ſint in ſacris, ſuſpenſi; ſi laici, vel in minoribus ordinibus conſtituti, excommunicationis ſententiæ hujus authoritate concilii ſe noverint ſubjacere.

*III. De iis qui corpora contra fas eccleſiaſticæ ſepulturæ tradunt.*

Item cum in pluribus caſibus prohibeant tam canones, quam provincialium conciliorum ſtatuta, quorundam corpora defunctorum tradi eccleſiaſticæ ſepulturæ: & nonnulli, ſicut nuper in aliquibus hujus provinciæ locis accidit, præter aſſenſum parochialis presbyteri, in eccleſiis vel cœmeteriis propria temeritate intulerint corpora talium defunctorum: nos, tranſgreſſores hujuſmodi & eorum inſolentias pœnæ adjectione cohibere volentes, omnes hujuſmodi præſumptores, & illos etiam qui eis opem aut conſilium dederint, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto; ſacerdotibus qui ad hoc intereſſe præſumpſerint, uſque ad ſex menſes hoc ipſo ſuſpenſionis ſententiam incurſuris.

*IV. De clericis qui excommunicationem per annum ſuſtinent.*

Item, quia ex eo quod eccleſiaſtica cenſura damnabiliter contemnitur, nec ut deceret ſervatur, clericis maxime, tam ſæcularibus quam regularibus, ceteros ad id per exempla perniciosa trahentibus ad ruinam, frequenter contingit rumpi vinculum eccleſiaſticæ diſciplinæ: volentes eorum obviare malitiis, prout poſſumus remedium adhibendo, præſentis authoritate concilii duximus ſtatuendum, quod clerici, tam ſæculares quam religioſi, beneficium eccleſiaſticum ſeu adminiſtrationem quamlibet obtinentes, ſi excommunicationis ſententiam, authoritate ordinaria vel canonis latam incurrerint, poſtquam ſolemniter fuerit publicata, per * amiſſionem fructuum beneficiorum ſuorum, ſeu adminiſtrationum hujuſmodi (quibus a jure privantur quandiu in excommunicatione perſtiterint, & quos ad conſilium diœceſani loci converti præcipimus in utilitatem eccleſiarum illarum, in quibus obtinuerint beneficia ſeu adminiſtrationes prædictas) ſi dictam ſententiam ultra annum ſuſtinuerint animis obſtinatis, per locorum diœceſanos legitime moneantur, ut a dicta excommunicationis ſententia faciant ſe abſolvi. Et ſi poſt monitionem hujuſmodi, abſolutionis beneficium non procuraverint infra alium annum a tempore monitionis ipſorum: beneficiis ſuis per locorum epiſcopos hujus concilii authoritate priventur.

*Corr. præter amiſſionem

*V. Ut epiſcopi poſſint abſolvere in caſibus, in quibus hoc concilium excommunicat, vel ſuſpendit.*

In omnibus autem caſibus, in quibus excommunicationis vel ſuſpenſionis ſententiam in præſenti concilio duximus promulgandam, cuilibet epiſcopo in ſuis civitate & diœceſi abſolvendi ſuſpenſos & excommunicatos, poſt ſatisfactionem congruam in foro eccleſiæ, authoritate præſentis concilii liberam concedimus poteſtatem.

In cujus rei teſtimonium, &c. Actum dicta die, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono.

G. C. Falſo in codicibus quibuſdam adſcribitur huic concilio annus MCCLXX. cum mentionem faciant concilii Bituricenſis Simonis legati, quod anno MCCLXXVI. celebratum eſſe conſtat. Falſo item ab authore metropoleos Turonenſis habitum dicitur, *ſub Judoco Turonenſi archiantiſtite*. Cum enim anno MCCLXXIX. illud recte collocet; ſatis intelligere poterat, non pertinere ad archiepiſcopum Judocum, cujus initia pontificatus anno MCLVIII. obitum anno MCLXXII. ipſe tribuit. Neque vero alius ullus in Turonenſium archiepiſcoporum ſerie, quam accuratiſſimam exhibuit, Judocus eſt.

# **CONCILIUM TARRACONENSE

## PRO CANONIZATIONE RAYMUNDI PENNAFORTII

### Celebratum anno MCCLXXIX. ſub Nicolao papa tertio.

DE *hac ſynodo Bzovius ex Surita iſta refert*: Tarracone in Aragonia ad ſeptimum Idus Decembris Bernardus [1] Tarraconenſis archiepiſcopus, Arnaldus Barcinonenſis, Bernardus Gerundenſis, Raymundus Auſetanus, qui ſe Vicenſem cognominat, Guillielmus Ilerdenſis, Petrus Urgelitanus, Arnaldus Dertoſanus, Petrus Cæſarauguſtanus, Jacobus Oſcenſis, Jaſpertus Valentinus, epiſcopi: item abbates & alii prælati concilium celebrarunt. Ex ejus decreto litteris enixe Nicolaum pontificem interpellarunt, ut Raymundi Pennafortii viri ſanctiſſimi memoria ſua certa deſtinataque ſententia religione omnium conſecraretur, aræque ei inter divos ritu ſolenni ſtatuerentur utpote cujus viri ſanctitas inſigni tunc ſplendore apud omnes præfulgeret. Nihil tunc in gratiam illorum concedere voluit Nicolaus, quod rex Petrus a Procida ſeductus jam turbas Italiæ moliretur, neque cenſum Romanæ eccleſiæ pendere vellet.

Ex Lucæ d'Achery Spicileg. Veter. Script. II. p. 1173.

# SYNODUS URATISLAVIENSIS

## A Thoma Uratislavienſi Epiſcopo celebrata.

NOs Thomas Dei gratia Wratislavienſis Epiſcopus: Synodo in Eccleſia Cathedrali in in caſtro Beati Johannis Baptiſtæ, Anno Domini, milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, præſidentes; lucris animarum (ſicut decet paſtoralem vigilantiam) totis viribus inhiantes, non tam nova cudentes quam vetera renovantes; Univerſis perſonis Eccleſiaſticis per noſtram Wratislavien. diœceſin conſtitutis diſtricte præcipimus, ut in victu, geſtu, & aliis circumſtantiis ſui ſtatus, ſic honeſte ſe habeant & decenter, ne propter ipſos nomen Eccleſiaſticum blaſphemetur. Eiſdem imprimis diſtrictius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos ſe faciant crucis Chriſti; ſicut illi quorum Deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, non divina; in conviviis ſuis modeſtiam & medio-



1 Hujus Bernardi tria concilia, quorum poſtremum eſt anni 1282. habes in tomo ſequenti; in Concilio Tarraconenſi anni 1329. Ubi alia etiam Tarraconenſia Concilia Labbeo, & Cardinali de Aguirre ignota legas.

critatem obſervent, ſuperfluitatem indebitam reſecantes, ebrietatem fomitem omnium vitiorum & nutrimentum evitent. Præcipimus etiam, ut Clerici continenter & caſte vivere ſtudeant, quatenus puro corde & mundo corpore Deo poſſint in officio Eccleſiaſtico miniſtrare. Si vero deprehenſi fuerint detinere publice concubinas; juxta tenorem Conſtitutionis (bonæ memoriæ) domini Guidonis Suaden. quondam in partibus Poloniæ Apoſtolicæ ſedis Legati, omni beneficio Eccleſiaſtico ſint privati. Archidiaconos vero, qui hujuſmodi concubinarios, ſi de ipſorum crimine eis conſtiterit evidenter, in beneficiis ſuis toleraverint; contra ſententiam antedictam, extunc ſuſpendimus a divinis.

Eiſdem nihilominus ſub eadem pœna firmiter injungentes, ut Eccleſias quarum ad ipſos ſpectat viſitatio, infra tres menſes, ſi commode poterunt, viſitent: ne prætextu alicujus ignorantiæ ſe valeant excuſare. Et cum Eccleſias ſibi ſubjectas eos contigerit viſitare, moderentur expenſas, coerceant numerum comitum; prout in generali Concilio extitit definitum. Munera etiam penitus evitent: nec viſitationis officio non impenſo, procurationem in victualibus, aut aliquid procurationis nomine recipere præſumant: horum ſi facere præſumpſerint, duplum ejus quod receperint, Eccleſiæ, a qua id receptum fuerit, infra menſem reſtituere teneantur: alioquin prædicti Archidiaconi duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere differentes, ab officio & beneficio, juxta Conſtitutionem (*felicis recordationis*) Domini Gregorii Papæ X. noverint ſe ſuſpenſos; quouſque de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant, nulla in eis hoc dantium libertate, remiſſione ſeu gratia valitura. Item: quia peccatis exigentibus, quorundam Laicorum in noſtra diœceſi adeo iniquitas inolevit, quod in rebus Eccleſiæ furtum reputatur ſagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo; Synodali judicio ſtatuimus ac etiam definimus, ut quicunque nobiles vel ignobiles, cujuſcunque conditionis exiſtant, bona Eccleſiarum ſcienter detinent occupata, niſi infra inſtans feſtum Aſſumptionis B. Virginis eadem reſtituerint, & de damnis ac injuriis ſatisfecerint competenter, extunc juxta tenorem Conſtitutionis domini Guidonis præfati, introitum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum, nec ab Eccleſiarum Prælatis ſive rectoribus ad communionem Dominici Corporis admittantur. Qui vero obſtinata mente dum vixerit ſatisfacere non curaverit, nullus Clericus ſecularis, vel Regularis (ſecundum quod in eadem Conſtitutione continetur) ſepulturæ ejus intereſſe præſumat. Et quicunque Laicus nobilis vel ignobilis, venditionem decimarum clam vel palam impedire præſumpſerit, quouſque digne ſatisfecerit; de tali commiſſo introitum Eccleſiæ noverit ſibi interdictum. Statuimus etiam & diſtricte præcipimus, ut omnes ſacerdotes, tam ſeculares quam Regulares, inter alias circumſtantias diligenter requirant a confitentibus ſibi; ſi decimas non ſolverint, vel violenter vel fraudulenter obtinuerint; nec talibus injungatur pœnitentia, niſi decimas ſic detentas ex integro reſtituant, vel ei ad quem de jure pertinent, de prædictis decimis ſatisfaciant competenter. Qui vero decimas ſic ablatas non reſtituerint ei, cui debent de jure reſtitui, nec in vita ſua ſatisfacere curaverint, Eccleſiaſtica careant ſepultura. Præcipimus etiam univerſis & ſingulis Eccleſiarum rectoribus & Vicariis, per noſtram diœceſin conſtitutis, ut ſingulis diebus dominicis & feſtis & Calendis Julii uſque ad medium Auguſti quolibet anno, pulſatis campanis, & extinctis candelis, excommunicatos denuncient omnes occupatores & impeditores, ſive violentos, ſive fraudulentos decimarum & prohibentes decimas in villis ſuis deponi, & eos qui pro certa ſumma pecuniæ decimas emerunt, & non ſolverunt: quos bonæ memoriæ dominus Fulco, quondam Archiepiſcopus Gneznen. in Concilio provinciali, una cum ſuffraganeis ſuis excommunicavit, prout in eiſdem Archiepiſcopi conſtitutionibus eſt expreſſum. Et ut omnes, qui per nos, vel auctoritate conſtitutionis Legatorum, ſeu domini Fulconis Archiepiſcopi ſunt excommunicationis ſententia innodati, excommunicatos publice nuncient; ſub pœna trium Marcarum argenti, ſicut prædictus Dominus Fulco Archiepiſcopus Gneznen. noſcitur ſtatuiſſe. Item præcipimus univerſis Capellanis Ducum ſive Principum noſtræ diœceſis, ſub pœna ſuſpenſionis officii; ut Decretales felicis record. Domini Gregorii Papæ X. quarum tenorem præſenti Conſtitutioni inſerimus, ad minus ſex vicibus in anno, videlicet in feſto Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis beatæ Virginis, ſancti Michaelis, Omnium Sanctorum, & Natalis Domini: coram prædictis Ducibus publice in Eccleſia recitent poſt Evangelium, in vulgari fideliter & diligenter exponant. Quarum Decretalium tenor talis eſt. Abſolutionis beneficium ab Excommunicationis ſententia, vel quamcunque revocationem ipſius, aut ſuſpenſionis, ſeu etiam interdicti, per vim vel metum extorta, præſentis Conſtitutionis auctoritate omninò viribus vacuamus. Ne autem ſine vindicta violentiæ creſcat audacia, eos qui abſolutionem ſeu revocationem hujuſmodi vi vel metu extorſerint, Excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere. Alia Decretalis: Quicunque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, nobiles, balivos, vel quoslibet miniſtros eorum, aut quoſcunque alios; excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alium dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, ſeu bonis ſuis vel ſuorum gravandi: eos qui tales ſententias protulerint, ſive quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare volentes; niſi licentiam ipſam re integra revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum: niſi bona ipſa fuerint infra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa; eo ipſo Excommunicationis ſententiam incurrant. Eadem quoque ſint ſententia innodati, omnes qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquid præmiſſorum ad quæ comittenda licentiam dari prohibuimus, alias committere ſuo motu: Qui autem in eadem ſententia permanſerint, duorum menſium ſpatio, ex tunc ab ea non poſſint, niſi per ſedem Apoſtolicam abſolutionis beneficium obtinere.

Præcipimus autem univerſis Rectoribus Eccleſiarum & Capellanis, noſtræ diœceſis, eiſdem in virtute obedientiæ, & ſub pœna unius Marcæ argenti firmiter injungendo; quatenus copiam Conſtitutionis præcedentis recipiant infra menſem: Et eam Conſtitutionem in ſcriptis redactam in Eccleſiis ſuis juxta Altare in tabula lignea affigant, una cum Conſtitutionibus (bonæ memoriæ) domini Fulconis Archiepiſcopi.







# SYNODUS COLONIENSIS

## A SIFRIDO ARCHIEPISCOPO

### Habita circa annum MCCLXXX.

[1] Capitula ſeu rubricæ ſtatutorum eccleſiæ Colonienſis, editorum a bonæ memoriæ D. Sifrido archiepiſcopo Colonienſi, in generali ſynodo ex conſilio prælatorum ſuorum, &c.

1. *De vita & honeſtate & officio clericorum.*
2. *De cohabitatoribus mulierum & concubinariis.*
3. *De ſtatu clauſtralium & religioſorum.*
4. *Qualiter clerici, & maxime ſacerdotes, populum regentes vel plebem, in adminiſtratione ſeptem ſacramentorum, ſe habere debeant: & primo de baptiſmo.*
5. *De ſacramento Confirmationis.*
6. *De ſacramento Extremæ unctionis.*
7. *De ſacramento Euchariſtiæ ſive altaris.*
8. *De ſacramento Pœnitentiæ & Confeſſionis, & eorum attinentiis.*
9. *De Ordinibus, & qui ad Ordines admitti debeant.*
10. *De matrimonio & ejus attinentiis.*
11. *De ſepulturis & cœmeteriis.*
12. *De bonis eccleſiarum non alienandis.*
13. *De malefactoribus ad eccleſiam confugientibus.*
14. *De uſurariis manifeſtis.*
15. *De clericis in eccleſiis vel capellis celebrantibus, ſine noſtra vel archidiaconorum licentia.*
16. *De executione mandatorum noſtrorum & curiæ noſtræ Colonienſis.*
17. *De teſtamentis.*
18. *De obſervatione interdicti, qualiter ſit obſervandum.*

## Statuta domini Sifridi archiepiſcopi Colonienſis.

### PRÆFATIO.

Licet de clericis, qualiter eos cum modeſtia, ſobrietate, vitæ munditia, in domo Domini oporteat converſari, ut ſibi & aliis verbo proficiant & exemplo, per ſacros canones & ſanctorum patrum & prædeceſſorum noſtrorum traditiones ſufficienter ſit proviſum: tamen quia nonnullos ex ipſis clericis, præſertim illos qui per eccleſias poſiti ſunt ad regimen animarum, in obſervatione dictæ proviſionis, contingit non ſine nota tranſgreſſionis deſides inveniri, & ipſarum ſtatum multipliciter deformari: nos Sifridus Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, ſacri imperii per Italiam archicancellarius, huic deſidiæ, immo negligentiæ, quantum poſſumus, occurrere cupientes, & quod dignum eſt in eorum converſationibus, vita, & moribus, reprehendi, per innovationem eorum, quæ circa hæc ſtatuta ſunt ab antiquo, & appoſitionem, quæ qualitas temporum addere nos compellit, noſtros [a] clericos in omnibus Deo placitos, ſalubriter reformare, cum firma ſpe & fiducia, quod ſi integrum fuerit ſacerdotium, eccleſia Dei florebit ſicut lilium, & in ſpiritualibus & in temporalibus benedictionem a Domino recipiet ſalutarem: ſanctam & generalem ſynodum, propter periculoſum ſtatum eccleſiæ Colonienſis, & prædeceſſorum noſtrorum occupationes, aliquantis temporibus prætermiſſam, de conſilio prælatorum noſtrorum & capituli noſtri duximus indicendam, ad quam convocatis & convenientibus omnibus prælatis monaſteriorum & eccleſiarum, ac clericis noſtris ſubditis, ſtatuimus & ordinavimus, ut ſynodus generalis exnunc in antea in eccleſia Colonienſi, in craſtino Dominicæ, ab omnibus prælatis & clero annis ſingulis in perpetuum celebretur: & omnes prælati & clerici tam religioſarum quam ſæcularium eccleſiarum, & clerici ſæculares noſtræ civitatis & diœceſis, ad ipſam ſynodum ſanctam accedant reverenter: & in veniendo, ſtando, morando, & redeundo, in via & in hoſpitiis ſe decenter habeant, ne laicis ex eorum verbis vel factis ſcandalum generetur. Et intrent ſynodum abbates cum albis, ſtolis, & cappis choralibus deſuper de ſerico vel ſamitto, cum baculis & mitris, prout hoc eorum congruit dignitati. Alii vero prælati ſæculares, cum pelliciis & ſuperpelliciis, & cappis de ſerico vel ſamitto. Priores item religioſorum locorum, cum albis & ſtolis. Decani Chriſtianitatum & archipresbyteri, ſimiliter cum albis & ſtolis. Reliqui vero presbyteri & clerici, in ſuperpelliciis. Nec aliquis clericus vel religioſus ibi compareat ſine habitu religionis vel chorali. Omneſque ſic induti, in ipſa ſynodo, quouſque per nos licentientur, permaneant, audituri cum manſuetudine & ſilentio, quæ ibi præcepta fuerint vel ſtatuta.

[a] ipſos

Si qui vero infirmitate vel alia inevitabili neceſſitate ad ſynodum venire non poterunt, mittant cum ſuis litteris & propriis ſigillis (quæ præcipimus ut ſinguli habeant) procuratorem pro ſe, qui habeat poteſtatem de hujuſmodi impedimento faciendi fidem, ſi opus fuerit juramento: & in ipſis litteris ſe obligent, quod ſtatuta hujuſmodi obſervabunt.

Capitula autem & quælibet collegia, per unicum vel per duos procuratores de ipſorum collegiis comparebunt, ad obſervationem ſtatutorum in procuratoriis ſe ſimiliter obligantes. Et omnes jejuni comparebunt in ſynodo, quod ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus, niſi modiciſſimam ſumi conſolationem infirmitas urgeat corporalis.

Item ne ignorantia ſtatutorum vel præceptorum ſynodi, aliquem valeat excuſare; ſtatuimus & præcipimus ſub pœna excommunicationis, quam in hoc caſu in omnes & ſingulos contravenientes in his ſcriptis ferimus, quod quilibet ſacerdos eccleſiam vel capellam officians, vel plebem regens, pro-



[1] Ex collectione ſtatutorum in ſynodis eccleſiæ Colonienſis, edita anno 1553. In hac ſynodo quamplurima ſunt, quæ totidem verbis leguntur in Synodo Claromontenſi anni 1268. aliiſque.

curet & efficiat cum effectu, quod intra unum menſem ab hac die numerandum, ſtatutorum & præceptorum ſynodalium copiam habeat, de verbo ad verbum, ut ea frequenter legens & volvens, ſciat inexcuſabiliter & ſcire poſſit, ad quod teneatur, & qualiter in omnibus debeat ſe habere, Et in proximis deinde ſingulis ſynodis generalibus in manu ſua ſecum deferat & publice repræſentet, ſciens quod cum excommunicatione ſequetur pena alia hujuſmodi mandati tranſgreſſorem.

### I. *De vita & honeſtate & officio clericorum.*

EX concilio generali ſtatuimus & præcipimus, quod univerſi clerici continenter & caſte vivant, ab omni libidinis vitio præcaventes, quatenus in conſpectu omnipotentis Dei puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare: & qui comprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis vel minus peccaverint, ab eorum ordinariis ſeu prælatis debite puniantur, Alioqui nos prælatorum negligentiam ſupplentes, tales puniemus ſecundum canonicas ſanctiones, ut pœna docente, deinceps abſtineant a peccato: & qui ea de cauſa per nos vel prælatos ſuos ſuſpenſus, Divina officia celebrare præſumpſerit, beneficio eccleſiaſtico ſpolietur, & pro duplici cauſa perpetuo deponatur.

Prelati autem noſtri, qui tales præſumpſerint in eorum iniquitatibus ſuſtinere, maxime obtentu pecuniæ vel alterius commodi temporalis, juris ſubjaceant ultioni.

Item a crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent, & ſe vino: nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cum ebrietas inducat mentis exilium, & libidinis provocet incentivum.

Item nullus ſacerdos aut clericus in ſacris conſtitutus ordinibus, feminas, de quibus ſuſpicio poteſt eſſe, in domo ſua teneat; & nullas omnino, niſi ſint illæ perſonæ, de quibus naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari. Et quamlibet cohabitationem mulierum & clericorum manifeſtam, maxime clericis in ſacris ordinibus conſtitutis & ſacerdotibus, ſub pœna anathematis diſtrictius inhibemus.

Item clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant per ſe, alios, vel alias. Mimis, hiſtrionibus, vel joculatoribus non intendant: tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti.

Item ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Coronam & tonſuram habeant congruentem: clauſa deferant indumenta, maxime ſacerdotes, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, necnon manicis aut calceis conſutitiis non utantur. Intra eccleſiam incedant cum ſuperpelliciis; niſi forte aliquid ibi fuerit manibus operandum. Fibulas omnino non ferant. Item arma non ferant, neque gladios, niſi hoc faciant ex cauſa neceſſitatis, & expreſſa licentia prælatorum.

Item ſtatuimus, quod neque canonici, neque clerici, vagentur nocturno tempore per plateas, pſallentes: & ſi aliquos tranſire oporteat ex legitima & juſta cauſa, hoc faciant ſine clamore, ſine cantu, ſine citharis, ſine tympanis, & ſine qualibet ſtrepitu vel chorea: & volumus quod contrarium facientes decani ſuſpendant a præbendis eorum per unum menſem.

Item ſtatuimus, quod quicumque ſacerdotes ſeu clerici beneficiati, ſententias excommunicationis ſeu ſuſpenſionis per annum & diem animo ſuſtinuerint indurato, beneficiis ſuis eo ipſo priventur per locorum ordinarios, & alias propter hoc nihilo minus canonice puniantur.

Item ſtatuimus ut clerici ubique, & maxime in Divinis officiis, decenter & diſcrete ſe habeant: & tales ſe in moribus, vita, converſatione, verbis & factis, ſocietatibus, corporis compoſitione, lectionum & orationum aſſiduitate, & in quibuſlibet honeſtatibus exhibeant, ut verecundia, quæ & laicis eſt indicta, in ipſis clericis precipue commendetur. Nullus horas canonicas & horas de Domina noſtra, ulla unquam die diſtincte & diſcrete dicere prætermittat, maxime qui eſt in ſacris ordinibus vel beneficiis conſtitutus.

Nullus dicat Miſſam niſi unam in die, & præcipue de die: niſi in caſibus "a jure permiſſis, ut hoc faciat neceſſitate imminente; utpote Miſſam pro defunctis. Ne celebratio fiat ſine ſocio vel ſcholari, qui reſpondere valeat celebranti. Nec mulier ad altare permittatur aliquatenus miniſtrare.

* in

Item propter apoſtatas, diſcurſores, vagos & ignotos clericos, de quibus an ſacerdotes ſint, non immerito dubitatur: ſtatuimus, ut nullus beneficiatus ſeu rector eccleſiæ vel altaris, tacite vel expreſſe aliquem admittat in ſocium vel ad celebrandum Miſſam, vel miniſtrandum ſacramenta, vel aliquod ſacerdotale officium exercendum, niſi notum ſit de ordinibus, moribus & converſatione, ac alias commendatum: & ſi omnino extraneus vel peregrinus fuerit, per nos vel gerentem vices noſtras ſeu loci archidiaconum, cum examinatione debita approbatum, & admiſſum ad hujuſmodi officia exercenda. Et ſi quis rector eccleſiæ vel altaris aut capellæ, aliquem contra hoc admiſerit, excommunicationis ſententiam (quam in ipſum in hoc caſu ferimus in his ſcriptis) incurrat ipſo facto. Eo ſalvo, quod peregrinantes & honeſtæ perſonæ, non pro quæſtu, ſed pietatis & devotionis intuitu, Miſſam dicere volentes, admitti poterunt, ſi requirunt.

### II. *De clericis cohabitatoribus mulierum & concubinariis.*

Ex concilio bonæ memoriæ Conradi "archiepiſcopi prædeceſſoris noſtri, innovando ſtatuimus, ut ſacerdotes manifeſti mulierum cohabitatores, concubinas a ſe de domibus & parochiis ſuis intra decem dies poſt publicationem præſentium, omnino removeant & repellant. Alioqui excommunicationis ſententiam (quam propter hoc in eos ferimus in his ſcriptis) ſe noverint incurriſſe. Mulieres autem, ſi poſt ipſos decem dies repertæ fuerint in parochia horum ſacerdotum remanere, per decanos chriſtianitatum ipſorum locorum excommunicentur, & excommunicatæ publice nuncientur, invocato ſuper remotione earum, ſi opus fuerit, auxilio ſæculari.

* ann. 1260.

Inhibemus etiam ne ſacerdotes, filios aut filias vel concubinas dotent aut ditent de patrimonio, vel deſcendentibus a patrimonio Crucifixi, aut talium nuptiis vel etiam exequiis audeant intereſſe: & qui contra fecerint, pœna canonica percellantur.

### III. *De ſtatu clauſtralium & religioſorum.*

Statuimus ut nullus monachus aut monialis, clauſtrum ſuum exeat, per civitates, villas vel oppida diſcurrendo, aut in villa monaſterio adjacente comedere, niſi ex cauſa rationabili & urgente,



gente, & id tunc fiat cum ſui prælati vel prælatæ licentia ſpeciali, quam licentiam volumus ut prelatus vel prælata non det, niſi cauſa examinata, quod ſit evidens, & non poſſit ſine ſcandalo evitari.

Item in oratorio, refectorio, & dormitorio per monachos ſemper continuum ſilentium obſervetur. In clauſtro vero "illis horis ſervetur ſilentium," quod obſervantia præcip t regularis.

* vel foris
* f. quibus

In refectorio omnes comedent, ſed non carnes, nec extra, niſi in infirmaria. Una ſit omnibus coquina & communis cibus, niſi de licentia abbatis vel prioris, & ex cauſa. Speciales cameras & comeſtiones ibidem diſtrictius inhibemus. In communi dormitorio omnes dormiant, niſi debiles fuerint vel infirmi. Divinum officium, ſecundum regulam B. Benedicti vel B. Auguſtini, per inſtitutiones ſanctorum patrum celebrent.

Item ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus, ut omnes religioſi, & præcipue ſanctimoniales, habitum, velum, & peplum, ſecundum regulam ferant, ubicumque fuerint conſtituti. Cappas manicatas, tunicas, phalas, indumenta, tabbardos, calceos vel caligas non ferant, niſi B. Benedicti vel B. Auguſtini regulæ congruentes. Et ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus, ab omnibus tam monachis quam monialibus firmiter obſervari, ut proprium non habeant, nec pecuniam, niſi cui hoc permittitur ex ratione officii vel adminiſtrationis ſibi commiſſæ per abbatem.

Item officia vel adminiſtrationes habentes, contractus non ineant. Locationes, emptiones, venditiones, & alienationes quarumcumque rerum mobilium vel immobilium, non faciant. Mutuum aliquatenus non recipiant a quocumque, præter ſcitum & conſenſum abbatis "& conventus. Et ſi contra fecerint, ſciant contractum hujuſmodi non valere:" ſed ſententiam excommunicationis etiam in eos in hoc caſu a nobis latam in his ſcriptis, ſe noverint incurriſſe. Et hæc eadem extendi volumus ad prælatos & canonicos regulares, & Præmonſtratenſes, & alios quoſlibet religioſos.

* vel
* &

Item abbatibus & prioribus diſtricte præcipimus, ut omnia & ſingula, quæ ad ordinem & regulam pertinent, faciant ab omnibus & ſingulis inviolabiliter obſervari, cum appoſitione penæ, quæ in regula continetur. Rebelles vero & incorrigibiles ad nos deferentes, ut ipſorum per nos rebellio compeſcatur.

Item ſtatuimus, ut ſecundum ſtatutum concilii generalis domini Innocentii papæ tertii, per abbates, priores, & præpoſitos, nigri ordinis ſancti Benedicti noſtræ civitatis & diœceſis, de triennio in triennium commune capitulum obſervetur. Cujus concilii tenorem volumus ut ſinguli habeant, ut ſciant quomodo hujuſmodi capitulum ſervare teneantur. Et quia hujuſmodi ſtatutum negligenter eſt obſervatum, licet dominus Conradus "prædeceſſor noſter antedictus hoc mandaverit, nos pœnam adjicimus, & non ſervantes excommunicamus in his ſcriptis.

* ann. 1260.

### IV. *Qualiter clerici, & maxime ſacerdotes, populum vel plebem regentes, in adminiſtratione ſeptem ſacramentorum ſe habere debeant: & primo de baptiſmo.*

Statuimus, ut baptiſmus honorabiliter celebretur cum diſtinctione verborum, in quibus ſalus pendet baptizati; ut ille qui baptizat, cum immergit baptizandum in aqua, nihil addendo, vel ſubtrahendo, vel mutando, dicat hæc verba: *Petre*, (vel *Joannes*) *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*

Item ſacerdos eamdem formam doceat mares & feminas obſervare, cum in neceſſitate baptizant infantes, etiam parentes, ſi alii defuerint.

Item ſacerdos, ad quem infans ſic in neceſſitate baptizatus, deferendus eſt, quanto citius interroget de forma, quam baptizans ſervavit. Et ſi invenerit ſervata, & rite baptizatum puerum, faciat ei quæ poſt baptiſmum fieri conſueverunt. Si autem cognoverit ipſum non baptizatum, vel dubitaverit, baptizat eum ſub hac forma: *Petre*, (vel *Joannes*) *ſi es baptizatus, ego te non baptizo: ſed ſi non es baptizatus, tunc ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.*

Item ſi timeatur de morte infantis antequam naſcatur, & caput ejuſdem infantis appareat extra uterum, infundat aquam quæ adfuerit, ſuper caput naſcentis, dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen.* Et ſi infans ſic moritur, ſepeliatur corpus ejus in cœmeterio. Si autem pervenerit vivus ad ortum, & de forma dubitetur, de novo baptizetur ſub hac forma: *Petre*, (vel *Joannes*) *ego te non baptizo ſi es baptizatus: ſed ſi tu non es baptizatus, tunc ego te baptizo in nomine Patris*, &c.

Item mulieri in partu mortuæ nullatenus negentur jura Chriſtianitatis, nec eccleſiaſtica ſepultura. Et ſi certum ſit quod mulier prægnans moriatur, teneatur os ejus apertum: & cum magna cautela uterus ejus aperiatur; & ſi infans vivus fuerit educatur & baptizetur. Si autem inventus fuerit mortuus, ipſe puer extra cœmeterium tumuletur. Et iſte modus & forma frequentius parochianis imprimatur, ut ſciant quomodo in talibus debeant ſe habere.

Item duo vel tres tantum admittantur ad levandum puerum de baptiſmo, qui intra quartum gradum parentibus pueri non ſint juncti, niſi in neceſſitate.

Item in Paſcha & Pentecoſte, & etiam ſæpius, fons baptiſmi, ſi opus fuerit, renovetur: & amota aqua veteri, ipſe fons lavetur, & bene mundificetur: & nova aqua impoſita benedicatur & chriſmetur.

Item fons ſub operculo & ſub ſera firmiter conſervetur, propter ſortilegia & truſas, quæ ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter prohibemus.

Item chriſma, oleum ſacrum, & oleum infirmorum, in ampullis metallinis per certos titulos deſignatis, ſub clave cuſtodiantur. Si autem aliud oleum chriſmati vel oleo ſacro apponi oporteat, hoc fiat caute: & id quod apponitur, cum chriſmate & oleo ſacro diligenter cum virgula miſceatur.

### V. *De ſacramento Confirmationis.*

Moneant presbyteris parentes baptizatorum nondum Confirmatorum, ut eos ad epiſcopum, qui ſolus poteſt confirmare, ducant ſeptennes vel majoris ætatis, & tondeantur capilli, maxime contra frontes dependentes, & laventur frontes diligenter, & habeant bandellos de panno lineo ſpiſſo ſine "fractura, & ſine nodo, latitudinis trium digitorum, & longitudinis competentis, albos & bene mundos. Exceptis autem patre & matre, offerant pueros illi qui eorum notitiam habent, & melius noverunt quod non ſint "vel fuerint confirmati. Et tertia die poſt Confirmationem ducant eos ad eccle-

* ſutura;
* eare

cleſiam, & presbyter frontes eorum lavet, & comburat bandellos, & cineres bandellorum, & aqua lotionis in ſacrum locum vel piſcinam ſive lavatorium reponantur. Confirmandi vero, ſi fuerint decem annorum vel ultra, prius ſuis ſacerdotibus confiteantur, quam confirmentur. Parentes vero confirmatorum, eis, & ipſi confirmati, ſibi ſæpe ad memoriam revocent, quando, a quo, & ubi fuerint confirmati. Nullus clericus ad primam tonſuram accedat, niſi prius fuerit confirmatus.

### VI. *De ſacramento Extremæ-unctionis.*

Cum reverentia, aqua benedicta, & cruce præcedentibus, ſacerdos deferat oleum ſacrum ad infirmos, & dicat diligenter ſeptem pſalmos. Si via fuerit longa, addat litaniam, & alias orationes ad hoc conſtitutas. Et cum inungit infirmum, proferat iſta verba: *Per iſtam unctionem*, &c. & inungatur cum reverentia ac diligenter cum diſtinctione verborum. Et nihil pro inunctione exigatur. Et ſi quid datum fuerit gratis, accipiatur. Laudabilem tamen conſuetudinem in talibus præcipimus obſervari.

Moneant presbyteri populum, ut infirmi, quatuordecim annos & ſupra habentes, cum opus fuerit, inungantur. Nec propter paupertatem ſeu defectum candelarum vel indumentorum lineorum, quæ in hoc ſacramento ſolent cauſa reverentiæ exhiberi, a ſacerdote vel quovis alio inunctio dimittatur. Sufficit enim una candela, & quod infirmi inuncta membra ſingulariter & diligenter extergantur cum ſtuppa, quæ poſt extерſionem in igne comburatur.

### VII. *De ſacramento euchariſtiæ ſive altaris.*

Præcipimus ut omnes ſacerdotes in veſtibus albis ſacerdotalibus & benedictis, reverenter mundo & contrito corde, & confeſſi (ſi commode fieri poteſt) accedant ad Miſſam celebrandam.

Item ſtatuimus ſub pœna excommunicationis, ne aliquis ſacerdos Miſſam celebrare audeat, niſi prius dixerit Matutinas & Primam de die.

Item præcipimus, ne aliquis ſacerdos ſine calceamentis vel caligis pro celebratione Miſſæ ad altare accedere audeat.

Item diligenter caveant ſacerdotes, ne cum conſcientia mortalis peccati accedant ad Miſſam celebrandam. Quod ſi taliter manducaverint corpus" Domini, & biberint ejus ſanguinem, judicium æternæ damnationis ſic manducant & bibunt. ["Chriſti]

Item Miſſale ſemper involvatur camiſia vel panno lineo & mundo, & apponatur parvum manutergium, quo presbyteri nares vel faciem detergant, ne contingat ſacra veſtimenta maculari, quæ integra & munda (ut dictum eſt) præcipimus cuſtodiri.

Item loca circa altare, ab araneorum telis & pulveribus ac ceteris immunditiis ſæpius emundentur.

Item præcipimus, ut ſurſum ſuper altare ad latitudinem & longitudinem altaris, pannus lineus albus extendatur, ut protegat & defendat altare ab omnibus immunditiis, & pulveribus deſcendentibus.

Item cortinæ in lateribus altaris" utriſque appendantur, nec in aliquo tempore ſacrificii retro trahantur. ["utrinque]

Item præcipimus ut calix ſit integer cum firmo pede, non titubans. Et ſacerdos ſine clerico miniſtrante, celebrare in altari aliquatenus non præſumat.

Item ampullæ vini & aquæ, integræ & mundæ intus & exterius obſerventur, & aliquo ſigno notabili diſtinguantur, ut vinum ab aqua dignoſci poſſit: & vinum in ampullis ad minus de tertio in tertium diem renovetur.

Item ſacerdos ſit diligens in delectu hoſtiæ conſecrandæ, ut ſit integra, ſolida, & non nimis vetuſta: & in appoſitione vini & aquæ, diſcernat ſacerdos per odorem, quid ſit unumquodque. Et de aqua duæ guttulæ vel tres apponantur.

Item præcipimus ut ſacerdotes attente, reverenter, & diſtincte legant & dicant in canone, quæ ſunt dicenda. Et expediant ſe, quanto citius poſſunt, propter tædium adſtantium, & alia quæ occurrere poſſent, & faciant ſigna ſua diſtincte & reverenter.

Item nullus ſacerdos elevet hoſtiam ad oſtendendum populo, niſi poſtquam dixerit hæc verba: Hoc eſt enim corpus meum. Et pulſetur nolo tribus ictibus ex una parte, ut fideles qui audierint, ubicumque fuerint, veniant & adorent.

Item, ſi ſacerdos cum venerit ad conſecrationem ſanguinis, vel etiam ad perceptionem, & nihil in calice inveniat, innuat, ut offeratur ei vinum & aqua: quibus appoſitis, dicat verba canonis ab illo loco: *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*, & cetera uſque ad finem, & faciat ſigna quæ fieri ſolent ſuper ſanguinem. Alia autem quæ facta ſunt ſuper euchariſtiam, non reiteret, ſed modo conſueto tranſeat. Ille autem, per cujus negligentiam hoc evenerit, tribus diebus in pane & aqua jejunet, & unum pſalterium dicat. Item ſi per caſum mortis, ægritudinis vel paſſionis, aliquid inopinatum evenerit & ſubitaneum contingat, quod ſacerdos inceptum miniſterium implere non valeat, licitum ſit alteri ſacerdoti exequi & perficere conſecrationem officii incepti: quod ibidem incipiat, (ſi ſcire poterit) ubi alter deſtitit: niſi incepta collecta, necdum perfecta, vel inceptis verbis ſacramenti, nondum perfectis, prædictus caſus contingat. Tunc enim a capite illam collectam vel ſacramenti verba reincipiat, ut ſic ſaluti humanæ fragilitatis & ſacris myſteriis, ne interrupta vel incompleta remaneant, conſulatur. Si autem dubitetur, an hoſtia a primo ſacerdote caſum paſſo, conſecrata fuerit, necne, ſubſtitutus ſacerdos novam oblationem offerat, & ſolito more conficiat, & poſt Miſſam, primam hoſtiam ſumat. Idem de calice fiat, & de eo quod in calice reperietur. Item præcipimus ſub pœna excommunicationis, quam fecimus in his ſcriptis, ne aliquis ſacerdos bis in die Miſſam celebret, niſi in caſu urgentis & maximæ neceſſitatis, & in quibus jus permittit. Et tunc in prima Miſſa poſt perceptionem ſanguinis, non utatur ablutione vini & aquæ: ſed reſervet in tuto ac honeſto loco, ut eam accipiat in ſecunda Miſſa, vel det honeſtæ perſonæ jejunæ, quam noverit ad hoc eſſe paratam.

Item ſi quid de ſanguine vel corpore Domini ceciderit ſuper pallam altaris, illa pars abſcindatur & comburatur, & cinis in ſacrum locum vel piſcinam " reponatur. Et ſi pars corporalis intincta fuerit ſanguine, ter diligenter abluatur: & aqua ablutionis a presbytero vel alia perſona religioſa & jejuna ſumatur. Et poterit dicto panno poſt ablutionem uti ſicut prius. ["projiciatur.]

Item ſi gutta ſanguinis ſuper veſtimentum ceciderit, illa pars abſcindatur & comburatur, & cinis in ſacrum locum reponatur, ut dictum eſt. Si ſupra lignum vel lapidem aut terram ſolidam





dam ſanguis ceciderit: illa pars (ſi commode fieri poteſt) " ablingatur a ſacerdote, & poſtmodum radatur, & illa raſura in ſacrum locum vel ſacram piſcinam reponatur. ["abluatur]

Item, ſi in ſanguinem muſca, vel aranea, vel aliquod abominabile ceciderit, quod vix ſine vomitu" & periculo corporis ſumi poſſit, caute extrahatur. Et ſuper patenam vel calicem alium abluatur cum vino, & poſt ſanguinis ſumptionem & ablutionem, illa lotio in piſcina mittatur, & beſtia vel vermis ſuper piſcinam comburatur, & cinis in piſcinam ſive lavatorium mittatur. ["vel]

Item ſtatuimus, ut pyxis, in qua corpus Domini reſervatur, vel ad infirmos defertur, ſit aurea, argentea, eburnea, vel ad minus cuprea bene elimata: & ſuper lineus pannus albus & mundus, intra pyxidem ponatur, ſupra quem corpus Domini in pyxide collocetur.

Item præcipimus, ut cum aliquis infirmus communicare voluerit, quod ſacerdos (ſi commode fieri poterit) prius eum viſitet ſine corpore Domini, & diligenter confeſſionem infirmi audiat: & poſt ad eccleſiam redeat, ad communicandum infirmum, corpus Domini allaturus: & eat ſacerdos dicendo ſeptem pſalmos: & ſi via fuerit longior, addat litaniam & alias orationes. Incedat autem ſacerdos ad communicandum infirmum cum campanula & lucerna vel candela precedente. Et fideles qui pro devotione occurrere voluerint, expectent ante oſtium infirmi, donec communicatus fuerit: & redeant ad eccleſiam poſt ſacerdotem, orando reverenter. Quilibet autem fidelis, ſi devote fecerit hanc proceſſionem, decem dies indulgentiæ pro eundo & redeundo habeat. Cum autem ſacerdos corpus Domini de nocte portaverit, mulieres ipſum aliquatenus non ſequantur. Qui " autem hanc proceſſionem turbaverit, vel minus reverenter in ea ſe habuerit, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcatur. ["etiam]

Item præcipimus, ut ſacerdotes venerabiliter & ſublimiter, ſuperpoſito decenti cooperculo ſupra vas, in quo corpus Domini defertur, deferant ad infirmum. Si infirmus frequenter & ex levi cauſa vomitum patiatur, nullatenus ei corpus Domini conferatur: ſed credat, & ſufficit quod ſpiritualiter accipit.

Item præcipimus, quod quilibet ſacerdos, antequam communicet infirmum, interroget eum, ſi credat quod ſub illa forma & ſpecie panis, ſit corpus" Domini, natum de Virgine, paſſum in cruce, & tertia die ſuſcitatum. Quod ſi infirmus fuerit confeſſus verbo vel evidenti ſigno, communicet eum ſacerdos, ſi alia cauſa non obſiſtat. Item ſi communicatus evomuerit, partes diligenter & caute, quæ reperiri poterunt, colligantur: & contritæ cum vino, ab aliquo fideli ſumantur: reſiduum vero vomitus comburatur, & ponatur " in terram juxta altare vel alibi, ubi commode fieri poterit. ["Chriſti] ["ſubtus]

Item cum corpus Domini defertur, fideles coram quibus defertur, ſi commode fieri poteſt, genua flectant, pectora ſua tundant, & inclinato capite, junctis manibus & levatis, reverenter adorent. Equitantes vero, non dedignentur deſcendere de equis ſuis ad adorandum eum, qui pro eis deſcendit de cœlis.

Item præcipimus, ut euchariſtia ſervata pro infirmis, ſingulis quindenis renovetur: & corpus "Domini ſuper altare in honeſto loco clauſum cum clave ſolicite & diligenter cuſtodiatur. ["Chriſti]

Item præcipimus, ut ſacerdotes, ſubditos ſuos doceant, ut cum venerint ad communicandum in die Paſchæ vel alias, jejuni, devoti, & confeſſi accedant: & caveant ſacerdotes, ne alienum vel extraneum parochianum communicent, niſi ſit viator & peregrinus: vel niſi communicandus, licentiam ſui proprii ſacerdotis habeat: quam licentiam quilibet viator vel peregrinus petere debet a proprio ſacerdote in ſuo receſſu: quod ſi non fecerit, propter hoc ei communio non denegetur, ſed pro negligentia, ei pœnitentia injungatur. Item nullus fidelis arcendus vel removendus eſt a communione, niſi fuerit publice excommunicatus, vel interdictus, vel aliquo notorio crimine notatus.

Item præcipimus, ut ſumpta euchariſtia ſacerdos habeat calicem præparatum cum vino & aqua, de quo ſumant communicantes.

### VIII. *De ſacramento pœnitentiæ & confeſſionis, & eorum attinentiis.*

Præcipimus ut ſacerdotes parochialium eccleſiarum, ſubditos ſuos frequenter admoneant, & " etiam pœnitentiam injungant, ut ad confeſſionem ſæpe veniant. Et priusquam veniant ad confeſſionem, diligenter ſcrutentur corda ſua, confiteri volentes, & peccata ſua ſolicite rememorent, & cum dolore & vultu ſupplici ad confitendum accedant, quaſi ad Dei judicium. Sacerdotes autem, ut Dei miniſtri, circa confeſſionem audiendam & pœnitentiam injungendam, maximam adhibeant diligentiam, ut attente, diligenter, & cum modeſtia, audiant confitentem. ["in pœnitentia]

Item ad confeſſionem audiendam, communem & aptum locum in eccleſia, ut ab omnibus videri poſſint, ſibi eligant ſacerdotes. In locis autem obſcuris & tenebroſis confeſſiones non audiant: nec extra eccleſiam, niſi in magna neceſſitate vel infirmitate. Contrarium facientes, ſententiam excommunicationis ſe noverint incurſuros.

Item præcipimus, ut ſacerdotes ante Solis ortum, & poſt Solis occaſum, nullatenus ad confeſſionem audiendam ſedeant, niſi in magna neceſſitate, & in loco illuminato, & aliquibus præſentibus.

Item præcipimus ſub pœna excommunicationis, ut ſacerdotes in audiendis confeſſionibus vultum humilem habeant, & oculos ad terram: nec faciem reſpiciant confitentis, & maxime mulierum.

Item ſacerdotes moneant & doceant ſubditos ſuos, ut humiliter & corde contrito, oculis "in terram defixis, confiteantur. Et mulieres coopertis capitibus & collis, ſubmiſſa voce pure & integraliter peccata ſua confiteantur. ["ad. ad]

Item ſacerdos mulierem, quæ ſola ſit in eccleſia, nullatenus audiat confitentem, ſed in conſpectu honeſtæ ſocietatis. Contrarium facientes, ipſo facto ſententiam excommunicationis ſe noverint incurſuros, & inſuper tribus diebus in pane & aqua jejunent.

Item præcipimus, ut ſacerdotes induti ſuperpelliciis, vel cappa, ſtola ſuperpoſita, ad confeſſionem ſedeant.

Item ſub pœna excommunicationis præcipimus, ne aliquis ſacerdos audiat confeſſionem mulieris cum qua peccavit: nec etiam conſocias aut fautores, aut mediatores peccati ſui, ſed mittat eos vel eas ad honeſtos & diſcretos confeſſores.

Item præcipimus, ut ſacerdotes manſuete audiant confeſſiones, & de conſuetis peccatis ſingulatim & diligenter interrogent, & de circumſtantiis peccatorum. De inuſitatis autem nominatim non inquirant, ſed per communia verba, ex quibus confitens, ſi reus eſt peccati, poſſit intelligere quid dicatur, ut ſic intelligens confiteatur. Si autem reus non fuerit, de illo non tentetur.

Item ſacerdotes diligenter inſtruant & moneant confitentes, ut integraliter & diſtincte mortalia peccata & eorum circumſtantias, quæ peccata aggravant, & peccatum per ſe faciunt, confiteantur,

ANNO CHRISTI 1280, [?]

tur, ut eſt ſacer ordo, ſacer locus circa peccatum luxuriæ & concupiſcentiæ, quæ omnia notantur in hoc verſu;

Quis, quid, ubi, cum quo, quoties, cur,
quomodo, quando.

Venialia autem peccata ſufficit ſummatim ac generaliter confiteri.

Item præcipimus, ut ſacerdotes nobis, vel illi cui vices noſtras pro tempore in ſpiritualibus committimus, majora peccata & injunctionem pœnitentiæ pro eiſdem, reſervent, ut ſunt homicidia, ſacrilegia, incendia eccleſiarum, peccata contra naturam, defloratio virginum cum violentia, concubitus ſanctimonialium, converſarum, incluſarum, vel aliarum mulierum religioſarum, inceſtus, injectiones manuum in parentes, vel eccleſiaſticas perſonas, ſortilegia, veneficia, perjuria manifeſta, fidei & votorum tranſgreſſiones, ſimonia, hæreſis, apoſtaſia, & magnæ blaſphemiæ ſerioſe factæ. In dubiis autem ſacerdotes ſemper conſulant nos, vel vices noſtras in ſpiritualibus gerentem, aut alios ſapientes viros, non prodendo aut revelando confitentem, ſed in genere, quorum conſilio pœnitentem abſolvant, aut ad alium mittant.

Item audita confeſſione, ſacerdos ſemper interroget confitentem, ſi velit abſtinere ab omni mortali peccato: & hoc ei perſuadeat, & modis quibus poteſt inducat: & ſi confitens dixerit ſe nolle vel non poſſe abſtinere, non abſolvat eum, nec pœnitentiam ei injungat, ſed moneat, ut interim faciat quidquid boni poſſit, ut Deus cor ejus citius illuſtret, & ad pœnitentiam reducat. Conſulat ei etiam & indicet ſacerdos cum diligentia modum vivendi, per quem poſſit a peccato facilius abſtinere. Sacerdotes etiam in injungendis pœnitentiis diſcretionem habeant, ut pœnitentias ſecundum magnitudinem & qualitatem peccati, & poſſibilitatem confitentis, peccatoribus injungant. Pro peccatis carnalibus injungant pœnitentias corporales, ſicut eſt jejunium, peregrinatio, diſciplina, & ſimilia. Pro ſpiritualibus autem negligentiis injungant orationes & eleemoſynas, & meditationes peccatis eorum contrarias. In contrectatione rei alienæ, vel in damno alii illato per furtum, rapinam, uſuram, per fraudem, per injuſtam exactionem, per falſam teſtificationem, per falſam monetam & alios modos, de quibus ſacerdotes diligenter inquirant: & primo & præcipue injungant reſtitutiones fieri his, quos prædictis modis damnificaverunt vel læſerunt, ſi facultatem non habeant, vel cum facultatem habebunt, ſi in præſenti non poſſunt: aliter eos non abſolvant.

Item præcipimus ſub pœna excommunicationis, quam in his ſcriptis ferimus in ſacerdotes qui contrarium fecerint, ne confeſſis, cujuſcumque conditionis vel ſtatus, aut confitentibus, nomine reſtitutionis pro pœnitentia injungant, ut eccleſias, capellas vel cœnobia " inſtituant, vel eccleſiis legata faciant; ſed prius reſtitutionem (ut prædictum eſt) faciant illis, a quibus exorta ſunt, ſi inveniantur, vel heredibus eorumdem. Alioqui ad arbitrium noſtrum vel noſtri pœnitentiarii erogentur.

" conſtruct

Item ſub pœna prædicta prohibemus ſacerdotibus, ne Miſſas quas pœnitentibus, ut celebrari faciant, injunxerint, aliquatenus celebrent, ſed ad alios mittant. Neque ſacerdotes inter ſe faciant conventionem de Miſſis celebrandis, ut ſic mutuo ſibi parochianos pro celebrandis Miſſis tranſmittant.

Item diligenter in confeſſione caveant ſacerdotes, ut ſi confitentes, peccata aliquorum revelaverint, vel nomina eorum indicaverint, cum quibus peccaverunt, ea ſecrete teneant, ſicut peccatum confitentis.

ANNO CHRISTI 1280.

Item ſub pœna excommunicationis omnibus ſacerdotibus inhibemus, ne a confitentibus nomina eorum, cum quibus peccaverint, inquirant, vel circumſtantias, per quas poſſint nomina eorum ſciri. Quod ſi fecerint, ab officio confeſſionis audiendæ & ſacrorum miniſteriorum ipſo facto ſe noverint eſſe ſuſpenſos. Et in principio confeſſionis ſacerdotes diſtricte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur vel revelent, & nomina eorum cum quibus peccaverint, exprimant, ut ſupra dictum eſt.

Item nullus ſacerdos in ira, odio, vel etiam metu corporis, confeſſionem confitentis audeat revelare verbo vel ſigno, generaliter vel ſpecialiter dicendo: Ego ſcio te talem qualis es. Et ſi revelaverit aliquo modo, de hoc convictus, debet abſque omni miſericordia degradari. Si tamen indigeat conſilio, illud (ut dictum eſt) ſine expreſſione perſonæ caute requirat.

Item præcipimus, ut omnes ſacerdotes parochialium eccleſiarum frequenter & diligenter ſubditos ſuos utriuſque ſexus admoneant, ut poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnia peccata ſua integre, & ad minus ſemel in anno, confiteantur proprio ſacerdoti parochiali, & injunctam eis pœnitentiam ſtudeant adimplere, ſuſcipiendo ad minus reverenter in Paſcha euchariſtiæ ſacramentum: niſi conſilio proprii ſacerdotis, ob aliquam cauſam rationabilem, duxerint abſtinendum. Alioqui viventes, ab ingreſſu eccleſiæ arceantur; morientes, Chriſtiana careant ſepultura. Si qui autem proprio ſacerdoti parochiali ad minus ſemel in anno plene & integre confeſſus non fuerit, præcipimus quod ſacerdos in Paſcha ei ſacramentum minime adminiſtret.

Item ſacerdotes diligenter attendant, quia parochiani eorum, ſaltem in anno ſemel ad confeſſionem non veniant: & nomina illorum ad nos vel ad officialem noſtrum, ſeu ad ordinarium loci referant, ut debite puniantur, ne ab ipſis ſacerdotibus notam negligentiæ requiramus.

Hoc autem ſtatutum frequenter in eccleſiis præcipimus publicari, ne aliquis ex ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis tamen alieno ſacerdoti, vel alicui religioſo, juſta de cauſa, voluerit confiteri, licentiam primo poſtulet & obtineat a proprio ſacerdote: ita tamen, quod ſemel ad minus in anno, proprio ſacerdoti plene & integre (ut dictum eſt) confiteatur. Sacerdos autem cautus & diſcretus ſit, ut more periti medici, ſuperinfundat oleum & vinum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens peccatoris circumſtantias & peccati [illegible] ex quibus prudenter intelliget, quale debeat peccatori præbere conſilium ad ſanandum ægrotum.

## IX. *De ordinibus, & qui ad ordines admitti debeant.*

Statuimus ut omnes clerici ad aliquem ſacrum Ordinem ordinandi, jejuni, diligenter ante Ordines vel Ordinis ſuſceptionem, integraliter peccata ſua confiteantur, ut mundi mente & corde & corpore, gratiam accipiant ampliorem.

Item præcipimus ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, ne aliquis ad ſacrum Ordinem præficiendus (ut hactenus aliquoties viſum eſt) epiſtola vel evangelio lecto, & Ordine ſuo recepto, recedere audeat prius, quam officium Miſſæ totaliter ſit expletum.

Item omnes illi, qui Ordinem aliquem ſacrum vel



ANNO CHRISTI 1280.

vel non ſacrum, ab alienis epiſcopis receperint, noſtra ſuper hoc ſpeciali licentia non obtenta, executionem Ordinis ſibi noverint interdictam.

Item denunciamus omnibus, qui gaudere volunt privilegio alicujus Ordinis clericalis, quod nosipſos non defendemus prætextu privilegii clericalis vel Ordinis, niſi tempore quo paſſi fuerint injuriam, tonſuram & habitum detulerint clericalem.

Item præcipimus, ne aliquis decanus Chriſtianitatis, presbyteros ab alienis epiſcopis quibuſcumque, extra diœceſim Colonienſem Ordinatos, permittat in ſuo decanatu aliquatenus celebrare, niſi per litteras noſtras oſtendere poſſint, a nobis ſuper hoc ſe licentiam vel diſpenſationem habuiſſe.

Item diſtricte prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliquis furtive ad aliquem Ordinem accedere audeat, " nec plures Ordines una die aliquis recipiat. Qui contrarium fecerit, ſciat ſe executionem ſuſcepti Ordinis non habere: & irregularis efficitur, ſi miniſtraverit in Ordine ſic ſuſcepto. Item prohibemus, ne aliquis per ſaltum ſe faciat promoveri.

" idem ut plures

## X. *De matrimonio, & ejus attinentiis.*

Prohibeant frequenter ſacerdotes omnibus ſubditis ſuis ſub pœna excommunicationis, ne fidem ſibi dent mutuo clandeſtine & in occulto ſuper matrimonio contrahendo, vel etiam clam contrahant matrimonium, ſed publice coram presbytero & coram pluribus hoc faciant: & ſi aliter fidem dederint de contrahendo, vel contraxerint, ipſi (quos in his ſcriptis excommunicamus) denuncientur excommunicati.

Item excommunicamus omnes illos, qui clandeſtinis nuptiis interfuerint, niſi intra menſem nobis vel officiali noſtro, vel ordinario loci, hoc revelaverint. Et ſciant omnes, quod ſi aliquos qui hujuſmodi clandeſtinas nuptias celebrarint, vel talibus nuptiis interfuerint, nos, vel officialis noſter, vel ordinarius loci ſcire poterimus, eos ſeveriſſime puniemus. Item præcipimus, quod omneſs ſacerdotes ſingulis diebus Dominicis & feſtivis excommunicent omnes illos & illas, qui vel quæ contra matrimonium jam contractum, vel etiam ſuper matrimonio contrahendo, teſtimonium falſum " tulerant. Præcipimus etiam, & diſtricte officiali noſtro, & ordinariis locorum, qui pro tempore fuerint, injungimus, quod ſi tales invenerint, qui vel quæ (ut dictum eſt) falſum teſtimonium tulerint contra matrimonium jam contractum, vel etiam contrahendum, eos vel eas, ligatis a tergo manibus, & charta in collo, ſupra ſcalam in loco publico poni faciant, ut per hoc eorum falſitas omnibus innoteſcat. Et volumus quod in ſcala permaneant ab hora Primæ, uſque ad horam veſperarum. Et ſi neceſſe fuerit in hujuſmodi caſu, volumus invocari brachium ſæculare. Quod ſi invocatum fuerit, ſub pœna excommunicationis præcipimus exhiberi.

" ferunt

Item excommunicamus omnes illos & illas, qui aliquid " dederint, vel aliquid acceperint pro impedimentis matrimonii non revelandis, vel qui prece, pretio, gratia vel favore, impedimentum matrimonii celaverint. Et iſta excommunicatio a ſacerdotibus in eccleſiis frequenter recitetur.

" qui fidem

Item præcipimus excommunicari omnes illos & illas, qui vel quæ contra matrimonium jam contractum, vel etiam contrahendum, ſortilegia, incantationes, & " maleficia faciunt, vel fieri procurant.

" vel

Item præcipimus, cum aliquod matrimonium fuerit celebrandum, ut tribus diebus feſtivis in eccleſia poſt evangelium, a ſacerdote, in cujus parochia eſt celebrandum " matrimonium, publice proclametur, quod tales volunt contrahere matrimonium: ſi aliquis ſit, qui ſciat legitimum impedimentum inter illos, hoc proponat antequam hujuſmodi matrimonium contrahatur. Et hoc ſub pœna excommunicationis ſubditis ſuis præcipiant ſacerdotes. Et ipſi ſacerdotes ſimiliter de hujuſmodi impedimentis inquirant. Si autem apparuerit probabilis conjectura contra matrimonium contrahendum, contractus interdicatur expreſſe, donec nos, vel officialis noſter, ſeu ordinarius loci, quid ſuper hoc fieri debeat, conſulatur.

ANNO CHRISTI 1280.

" contrahendum fuerit

## XI. *De ſepulturis & cœmeteriis.*

Statuimus ut nullus excommunicatus & publice nunciatus, in cœmeterio ſepeliatur. Et ſi factum fuerit, cœmeterium illud, donec mortuus extumuletur, maneat interdictum.

Item præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne aliquis in cœmeterio interdicto ſepeliatur, & ne aliquis ſepulturæ tali interſit. Laici autem quicumque tali ſepulturæ interfuerint, excommunicationis ſententiam (quam ſuper hoc fieri " volumus in his ſcriptis) incurrant ipſo facto, & excommunicati publice nuncientur. Clerici vero qui interfuerint, ſententiam ſuſpenſionis ab officio, quam in eo ferimus, ipſo facto ſe noverint incurriſſe.

" ferimus

Item immunitates eccleſiarum & cœmeteriorum inviolatas & incontaminatas præcipimus ab omnibus obſervari: pœnas contra violatores ipſarum immunitatum innovantes, & ſervari mandantes, quas felicis recordationis prædeceſſor noſter dominus Engilbertus archiepiſcopus in ſuis conſtitutionibus ordinavit.

Item cœmeteria clauſa & munita cuſtodiantur, ne a porcis vel aliis animalibus oſſa mortuorum comedantur. Et volumus, ut in ſpeciali loco oſſa mortuorum fideliter reponantur.

Item eccleſias vel cœmeteria a laicis, cujuſcumque conditionis vel ſtatus fuerint, ad læſiones aliorum muniri vel incaſtellari, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter prohibemus: & qui contra fecerint, per locorum ordinarios excommunicati publice renuncientur.

Item ſtatuimus & ſub pœna excommunicationis præcipimus obſervari, ut quoties quis in loco religioſo ſepulturam elegerit, corpus primo præſentetur parochiali Miſſæ: & tunc demum celebrata Miſſa, deferatur ad " locum, in quo elegit ſepulturam.

" in

## XII. *De bonis eccleſiarum non alienandis.*

Præcipimus diſtricte ſub pœna excommunicationis, quam ferimus in his ſcriptis in hujus mandati tranſgreſſores, ne præpoſiti, decani, vel presbyteri conventualium vel parochialium eccleſiarum, aliqua bona de bonis eccleſiarum alienent, noſtra ſuper hoc ſpeciali licentia vel capituli noſtri non obtenta: & ſi aliter actum fuerit, contractum decernimus non valere.

Item præcipimus ſub eadem pœna, ut prædictæ perſonæ, ſi ſciverint aliqua bona ab eccleſia alienata, ea fideliter & diligenter repetant: & ſi forte propter perſonarum potentiam, in quas hujuſmodi alienatio facta eſt, repetere non valeant, volumus hoc nobis vel officiali noſtro nunciari,

ut

ANNO CHRISTI 1280.

ut ſuper hoc competens remedium præbeatur.
Item excommunicamus in his ſcriptis omnes il-
los, qui occupant & detinent ſine noſtro & eccle-
ſiæ noſtræ conſenſu vel voluntate, vel etiam cela-
verint feuda, redditus, vel jura, quæ ad nos vel
ad eccleſiam noſtram Colonienſem pertinent: niſi
infra menſem poſt publicationem hujus mandati,
prædicta nobis reſignent vel revelent.
Item excommunicamus omnes advocatos eccle-
ſiarum, & alios quoſcumque, & quocumque no-
mine cenſeantur, qui exactiones vel ſervitia inde-
bita eccleſiæ vel eccleſiaſticis perſonis imponunt.
Item excommunicamus in his ſcriptis omnes il-
los cujuſcumque ſint dignitatis vel ſtatus, qui ec-
cleſiæ noſtræ majoris, vel aliarum eccleſiarum
noſtræ diœceſis homines, cenſum capitalem ipſis
eccleſiis ſolventes, prætextu advocationis vel al-
terius coloris, exactionibus vel captionibus op-
primunt vel moleſtant, aut bona eorum mobilia
vel immobilia, poſt mortem ipſorum, invadunt
vel accipiunt violenter.

XIII. *De malefactoribus ad eccleſiam confugientibus.*

Quia nonnulli homicidia, mutilationes mem-
brorum, & alia maleficia perpetrant, quæ non
eſſent perpetraturi, niſi quia ſperant quod ab ec-
cleſiis ad quas confugiunt, ſe tueri poſſint, & im-
punitatem ſuorum exceſſuum obtinere: ſtatuimus
quod confugientes hujuſmodi ad eccleſias vel im-
munitates, abinde ſine ſpeciali licentia noſtra vel
gerentis vices noſtras, nullatenus extrahantur,
ſed ſtricte cuſtodiantur ibidem, ne inde effugiant,
donec factum vel ejus qualitas, nobis vel vices
noſtras gerenti nuncientur. Ipſiſque confugienti-
bus nobis præſentatis, & eo quod perpetratum
fuerit, auctoritate noſtra examinato, ad veniam
vel ad pœnam circa * ipſos, prout qualitas facti
exegerit, procedatur. Alia autem omnia & ſin-
gula, quæ a jure vel a prædeceſſoribus noſtris de
conſervandis libertatibus eccleſiarum & immuni-
tatum, & de violatoribus earumdem ſunt ſtatu-
ta, ſynodali ſanctione innovamus, & præcipi-
mus inviolabiliter obſervari.
Item præcipimus, hujuſmodi ſtatutum in ec-
cleſiis a ſacerdotibus frequentius publicari.

* contra

XIV. *De uſurariis manifeſtis.*

Statuimus ut uſurarii manifeſti (quos nos in his
ſcriptis excommunicamus) excommunicati ſingu-
lis diebus Dominicis per parochialium eccleſia-
rum ſacerdotes publice nuncientur: nec ad com-
munionem altaris admittantur, nec oblationes
eorum, nec eleemoſynas quiſquam recipiat, nec
Chriſtianam (ſi in hoc peccato deceſſerint) reci-
piant ſepulturam. Manifeſtos autem uſurarios
eſſe dicimus & vocamus, qui per ſententiam, vel
confeſſionem factam in jure, vel evidentiam rei,
quæ tergiverſatione celari non poterit, compro-
bantur. Circa uſurarios autem, qui de receptis
uſuris ſatisfieri ſaltem ultima voluntate mandave-
rint, ſervetur conſtitutio D. Gregorii papæ X.
concilii generalis; quæ eſt talis: Quamquam u-
» ſurarii manifeſti, de uſuris quas receperant, ſa-
» tisfieri expreſſa quantitate vel indiſtincte in ulti-
» ma voluntate mandaverint: nihilo minus tamen
» eis eccleſiaſtica ſepultura denegetur, donec vel de
» uſuris ipſis fuerit, prout patiuntur facultates eo-
» rum, plenarie ſatisfactum, vel illis quibus fa-
» cienda eſt reſtitutio, ſi præſto ſint ipſi, vel aliis qui
» eis poſſint acquirere, vel eis abſentibus, loci or-

Concil. Lugdunenſ. c. 27.

» dinario, vel ejus vices gerenti, vel rectori paro- » chiæ, in qua teſtator habitat, coram aliquibus » fide dignis de ipſa parochia (quibus quidem or- » dinario, vicario vel rectori, cautionem hujuſ- » modi eorum nomine liceat præſentis conſtitutio- » nis auctoritate recipere, ita quod illis perinde » actio acquiratur) aut ſervo publico de ipſius ordi- » narii mandato, idonea de reſtitutione ſit cautum. » Ceterum ſi receptarum uſurarum ſit quantitas ma- » nifeſta, illam ſemper in cautione prædicta expri- » mi volumus: alioqui aliam recipientis cautio- » nem, hujuſmodi arbitrio moderandam. Ipſe ta- » men ſcienter non minorem, quam veriſimiliter » creditur, moderetur: & ſi ſecus fecerit, ad ſatiſ- » factionem reſidui teneatur. Omnes autem reli- » gioſos & alios, qui manifeſtos uſurarios contra » præſentis ſanctionis formam, ad eccleſiaſticam » admittere auſi fuerint ſepulturam, pœnæ in La- » teranenſi concilio contra uſurarios promulgatæ » ſtatuimus ſubjacere. Nullus manifeſtorum uſu- » rariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſ- » ſionem admittat, ſive eos abſolvat, niſi de uſu- » ris ſatisfaciant, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum » viribus facultatum, præſtent, ut præmittitur, » idoneam cautionem. »

Lateran. III. c. 25.

Item ſtatuimus, quod nullus omnino advocatus, uſurario in uſurarum cauſis patrocinium præſtet, niſi juramentum faciat, quod quam cito ſciverit, vel ſcire potuerit cauſam eſſe uſurariam, eam ulterius non fovebit, nec patrocinium aliquod uſurario ipſi clam vel aperte impertietur.

XV. *De clericis in eccleſiis vel capellis celebrantibus ſine noſtra vel archidiaconorum licentia.*

Statuimus, ut nullus ſacerdos vel clericus in eccleſia parochiali vel capella audeat celebrare, ſine noſtra vel archidiaconorum licentia, vel aliorum ad quos hoc pertinet, auctoritate & conſenſu, quantumcumque a patronis, vel ab eis qui ſe patronos eſſe contendunt, ad hoc licentientur vel etiam permittantur. Et quicumque clericus vel ſacerdos contrarium fecerit, excommunicationis ſententiam, quam propter hoc in ipſum * ferimus in his ſcriptis, incurrat ipſo facto. Et ſi in delicto perſeverando, excommunicationem ipſam ſuſtinuerit per ſeptem dies, extunc tanquam irregularis, ad beneficium eccleſiaſticum vel Divinorum celebrationem non admittatur, niſi prius cum enarratione facti, diſpenſationis litteras a ſede apoſtolica ipſum contingat reportare.

* ipſos

Item prohibemus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne aliquis ſacerdos ſæcularis vel regularis parochiam aliquam teneat, vel de cetero tenere audeat, ad quam legitime non ſit præſentatus, & per nos vel archidiaconos locorum, vel alios, prout hoc ad nos ** pertinet, inſtitutus.

** cum

Item præcipimus, ne aliquis beneficium accipiat de laicorum manibus. Qui vero contrarium fecerit, cum amiſſione beneficii, periculo ſubjaceat ſui gradus. Præſentationes tamen laicorum non reprobamus, in quibus jus obtinent patronatus.

Item prohibemus, ne aliquis ſacerdos competens beneficium habens, cum cura vel ſine cura, de quo valeat commode ſuſtentari, eo beneficio dimiſſo, ad eccleſiam alienam, tanquam vicarius vel mercenarius, audeat ſe transferre. Contrarium facientes, per archidiaconos locorum vel alios, prout hoc ad eos pertinet, volumus per cenſuram eccleſiaſticam ab ipſis vicariis, ſi neceſſe fuerit, removeri.



ANNO CHRISTI 1280.

XVI. *De executione mandatorum noſtrorum, & curiæ noſtræ Colonienſis.*

Præcipimus diſtricte ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ in his ſcriptis, quod decani Chriſtianitatum & ſacerdotes parochialium eccleſiarum, vel vices eorum gerentes, & omnes alii, cujuſcumque ſint dignitatis, conditionis & ſtatus, quod mandata noſtra & curiæ noſtræ & archidiaconorum noſtrorum, prout eis ſubſunt, fideliter & viriliter exequantur. Et ſi timeant, quod malum aliquod per adverſarium vel ſæcularem juſtitiam, vel quemcumque alium, debeat inferri portitori mandatorum, caute ipſum expediant, & poſtmodum mandata curiæ noſtræ adimplere procurent. Item præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ in his ſcriptis, omnibus & ſingulis ſacerdotibus parochialibus vel eorum vices gerentibus, quod ſingulis diebus Dominicis, accenſis candelis & pulſatis campanis, publice & ſolenniter excommunicent omnes illos qui perturbant juriſdictionem curiæ noſtræ Colonienſis vel archidiaconorum noſtrorum, & qui impediunt quo minus nos juriſdictione noſtra utamur libere & quiete. Et exponant presbyteri ſinguli in ſuis eccleſiis, ſuis parochianis, in quibus intelligatur juriſdictio hujuſmodi perturbari, videlicet interdicendo, prohibendo, inhiberi faciendo, vel ſtatuendo, ne aliqui in curia noſtra cauſam ſuam proſequantur. Item arreſtando, capiendo, vel capi faciendo per juſtitiam ſæcularem latores mandatorum curiæ noſtræ ** vel illos qui in curia noſtra ſuos adverſarios trahunt in jus, vel verberando, vel verberari faciendo, vel comminando, vel litteras curiæ noſtræ rapiendo, vel lacerando, vel etiam alia faciendo, per quæ proceſſus negotii valeat retardari. Contrarium facientes, quos in his ſcriptis excommunicamus, per plebanos locorum ubi præmiſſa perpetrata dinoſcuntur, excommunicati nominatim & publice in ipſorum eccleſiis nuncientur. Et ſi dicti excommunicati in ipſa excommunicatione per ſeptem dies manſerint, ipſe locus & eccleſia (quem & quam in his ſcriptis eccleſiaſtico ſupponimus interdicto) denuncientur publice ab eiſdem locorum plebanis interdicto eccleſiaſtico ſubjacere.

** & alios qui

Item præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut eccleſiarum rectores, vel eorum vices gerentes, ſigilla propria habeant, & procurent, intra menſem unum ab hac die numerandum. Et quod nihil recipiant, nec exigant a litigatoribus vel mandatorum curiæ noſtræ latoribus, pro executione mandatorum hujuſmodi facienda.

XVII. *De teſtamentis.*

Quia executores teſtamentorum nonnunquam negligenter, nonnunquam malitioſe, in bonis defunctorum verſantur, & quia hæc & his ſimilia, debent diligentia epiſcopi emendari: præcipimus, ut coram duobus in ſingulis archidiaconatibus a nobis deputandis, executores teſtamentorum ſingulorum archidiaconatuum, in numero & valore bonorum defuncti, de erogatis ab ipſis reddant debitam rationem. Et concedimus his, qui a nobis ſuper hoc erunt deputati, poteſtatem vocandi coram ſe executores prædictos, & eorum contumaciam, ſi venire noluerint, per cenſuram eccleſiaſticam puniendi, & exigendi ab eis debitam rationem. Si quid autem fraudis vel negligentiæ perceperint, ad nos referre procurent.

XVIII. *De interdicto eccleſiaſtico, qualiter ſit obſervandum.*

Cum plerumque & communiter circa obſervationem interdictorum, pernicioſe hactenus ſit erratum, communi morbo communem volentes adhibere medelam: ſtatuimus, ut quotieſcumque locum aliquem authoritate noſtra ordinaria vel delegata, eccleſiaſtico interdicto ſupponi contigerit, omnibus tam extrema unctio, quam ſepultura, & alia ſacramenta eccleſiaſtica, penitus denegentur: exceptis, baptiſmo parvulorum, & pœnitentia morientium, ac viatico quod morientibus in pœnitentia non negatur. Clericos autem decedentes, qui cauſam interdicto non dederint, & qui reverenter interdictum ſervaverint, in cœmeterio ſine campanarum pulſatione, ceſſante omni ſolemnitate, cum ſilentio concedimus tumulari.

Item ſi in aliquam eccleſiam conventualem latum fuerit interdictum, licitum ſit, duobus vel tribus ſimul, januis clauſis, voce ſubmiſſa, ita quod extra audiri non poſſint, excommunicatis & interdictis excluſis, horas canonicas dicere, ſi tamen ipſi interdicto cauſam aliquam non dederunt. Præterea tempore interdicti licitum eſt eccleſiarum miniſtris, ſemel in ſeptimana, voce ſubmiſſa, clauſis januis, excommunicatis & interdictis penitus excluſis, Miſſam celebrare ad conficiendum corpus Domini: quod (ut dictum eſt) morientibus in pœnitentia conferri poteſt.

Item ſi aliquibus per privilegium conceſſum ſit, ut non obſtante interdicto, Divinum poſſint celebrare officium, ſemper ſubintelligendum eſt, excommunicatis & interdictis excluſis, voce ſubmiſſa, januis clauſis, campanis non pulſatis, omni ſolemnitate prætermiſſa: & ita deinceps præcipimus inviolabiliter obſervari.

Et quia nos intelleximus, quod fratres Hoſpitalarii, & quidam alii aſſerentes ſe habere privilegium, quod in locis interdictis poſſint Divina celebrare officia excommunicatis & interdictis nominatim excluſis, abutentes hujuſmodi privilegio, in locis interdictis Divina officia celebrare præſumunt, & indifferenter quoſcumque admittunt, niſi ſpecialiter expreſſis nominibus ipſorum excommunicatorum & interdictorum in ſententia interdicti fiat mentio, irregularitatem ex hoc damnabiliter incidendo. Unde ad vitandum deinceps hujuſmodi errorem, illos nominatim interdictos & excommunicatos ſecundum jura dicimus, ſi caſtrum, villa, civitas, vel oppidum, ſint interdicta: non nominatim interdicti vel excommunicati dicuntur, quando ſic fertur ſententia, excommunico vel interdico tales cum ſuis participibus. Participes enim non ſunt excommunicati vel interdicti nominatim: & ideo tales poſſunt admitti ad Divina, niſi notoria eſſet eorum participatio: tunc enim non poſſent admitti ad Divina. Præterea quia (ut intelleximus) quadam damnabili abuſione invaluit, quod loco aliquo ſuppoſito interdicto, populus vel aliqui de populo loci interdicti, ad vicinas eccleſias pro Divinis audiendis accedunt, & ibidem indifferenter ad Divina & alia ſacramenta eccleſiaſtica a plebanis admittuntur: id correctione digniſſimum judicamus. Statuimus igitur, & ſub pœna excommunicationis firmiter obſervari præcipimus, ut diebus Dominicis & feſtivis, presbyteri, antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent, ſi aliquis de loco interdicto in eccleſia ſit: quem ſi invenerint, ſtatim ab eccleſia abjiciant. Presbyter autem, qui proprium aut alienum parochianum excommunicatum aut interdictum, ſcienter ad aliquod ſacramentum eccleſiaſticum admittit, ipſo facto ſe noverit eſſe ſuſpenſum.

# *** CONCILIUM LAMBETHENSE,

## A Joanne Cantuarienſi archiepiſcopo, anno Domini MCCLXXX. celebratum.

Ex codice MS. bibliothecæ Bodlejanæ edidit collector Anglicanus.

Anno Domini MCCLXXX. dominus Joannes Cantuarienſis archiepiſcopus, convocatis univerſis epiſcopis, abbatibus, & toto clero ſuæ metropolis, apud Lamebithe, ſolemne concilium celebravit: in quo conſtitutiones Othonis & Othoboni, dudum legatorum in Anglia, in conciliis per eos celebratis promulgatas, innovavit, & impoſterum inviolabiliter obſervandas fore decrevit. Quaſdam etiam de proprio ſuperaddidit: ſtatuens, ut omnes rectores eccleſiarum ſuæ metropolis, quibus cura animarum annexa fuerit, infra annum, ad ordinem ſacerdotii ſe facerent promoveri, eo quod nullus impoſterum admitteretur ad curam animarum, niſi promotus ad ſacerdotium; vel infra annum a tempore ſuæ promotionis vel admiſſionis ordinandos, ſub pœna privationis beneficiorum ſuorum.

G. C. In concilio Redingenſi anni ſuperioris, c. 1. indictum fuerat, habendum hoc anno concilium in octavis S. Hilarii: ne quis illud confundat cum altero Lambethenſi, quod anno MCCLXXXI. habitum mox videbimus.

# *** CONCILIUM BITERRENSE,

## HABITUM ANNO MCCLXXX.

Ex conciliis Galliæ Narbonenſis editis a St. Baluzio V. Cl.

*Nihil ex hujus conciliis actis ſupereſt, præter epiſtolas datas, quas hic ex Baluziana editione repræſento.*

### Litteræ Bernardi epiſcopi Helenenſis ad Petrum Narbonenſem archiepiſcopum, metropolitanum ſuum, quibus ſe excuſat quod in concilio præſentiam ſuam exhibere non poteſt, & vicariam perſonam pro ſe mittit.

*Venerabili in Chriſto patri ac domino, P. Dei gratia ſanctæ Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopo, Bernardus Sala miſeratione Divina Elnenſis epiſcopus, ſalutem, & ſinceram in Domino caritatem, cum omnimoda reverentia & honore.*

Paternitatis ac dominationis veſtræ recepimus litteras reverenter, in quibus nobis preces & mandatum nihilo minus direxiſtis, ut Dominica die proxima, qua cantabitur *Lætare Hieruſalem*, aliis prætermiſſis negotiis, apud Biterrim perſonaliter veniremus, ſuper nonnullis magnis & arduis negotiis communem eccleſiarum Narbonenſis provinciæ ſtatum tangentibus, vobiſcum ceteriſque fratribus ſuffraganeis ac prælatis aliis ipſius provinciæ loquuturi, ac etiam tractaturi quod honori & utilitati communi eccleſiarum Narbonenſis provinciæ expediens viſum fuerit, & Dominus miniſtrabit. Verum quia dicta die & loco, propter ſolitam & frequentem infirmitatem guttæ quam patimur, de quo piget nos, ad præſentiam veſtram accedere non valemus; diſcretum ac venerabilem virum Berengarium de Palma canonicum Elnenſem & ſacriſtam eccleſiæ Perpiniani, dilectum noſtrum, hujus procuratorii exhibitorem, dominationi veſtræ duximus deſtinandum: quem certum ac ſpecialem procuratorem noſtrum facimus, conſtituimus, ac etiam ordinamus, ad loquendum & tractandum una vobiſcum, ceteriſque epiſcopis ſuffraganeis ac aliis prælatis Narbonenſis provinciæ omnia negotia, communem Narbonenſis provinciæ ſtatum tangentia, in agendis tractaturum & ordinaturum quod honori & utilitati communi eccleſiarum ipſius provinciæ expediens videbitur, & Dominus miniſtrabit: ratum & firmum perpetuo habituri quicquid per dictum procuratorem noſtrum una vobiſcum ceteriſque Narbonenſis provinciæ, in agendis ſuper præmiſſis tractatum fuerit & etiam ordinatum. In cujus rei perpetuam firmitatem præſentem paginam ſigilli noſtri munimine volumus roborari. Datum Elnæ decimotertio Kalendas Aprilis, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo.

### Litteræ Capituli Helenenſis ad eundem archiepiſcopum, quibus ſignificat mittere ſe procuratorem ad concilium.

Pateat univerſis, quod nos, capitulum Elnenſe conſtituimus, facimus, & ordinamus certum & ſpecialem procuratorem noſtrum Raymundum Olivarii canonicum Elnenſem, ad comparendum coram venerabili patre in Chriſto domino Petro Divina providentia ſacroſanctæ Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopo apud Biterrim in concilio provinciali, in inſtanti Dominica, qua cantabitur *Lætare Hieruſalem*, inibi celebrando, & ad audiendum tractatus ſuper negotiis univerſalem ſtatum totius Narbonenſis provinciæ tangentibus, & ad faciendum ſuper prædictis, prout memorato concilio expedire viſum fuerit, & Dominus miniſtrabit: ratum & firmum perpetuo habituri, quicquid ſuper præmiſſis per eundem procuratorem fuerit procuratum. Et ad majorem horum firmitatem, præſentes noſtri ſigilli munimine duximus roborandas. Datum Elnæ duodecimo Kal. Aprilis, anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo.

STA-



Ex Martene Theſ. Anec. tom. 4. p. 191.

# STATUTUM CONCILII PROVINCIALIS BITURICIS

## Anno MCCLXXX. celebrati adverſus Clericos exercentes vilia opera.

Anno Domini milleſimo duценteſimo octuageſimo, menſe Aprilis ordinatum fuit in Concilio Bituricenſi, quod Clerici exercentes vilia officia moneantur in caſibus infra ſcriptis.

In primis fabri ferrarii & parcolerii.

Item Sutores ſotularium, ſive ſabbaterii.

Item, Coyraterii ſive balnearii coriorum.

Item, tabernarii plebeii.

Item, macellarii.

Item, veſtes virgatas continue publice portantes.

Prædicti legitime moniti, quamdiu prædicta officia exercuerint, non defendantur. Intelligimus autem, quod hæc monitio fieri debeat nominatim & expreſſe per epiſcopos, vel eorum officiales.

# *** CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM,

## DE CORRUPTO MALIGNE GREGORII NYSSENI LOCO,

QUO SPIRITUS S. PROCESSIO EX FILIO ASSERITUR.

## A Joanne Vecco patriarcha CP. celebratum anno Domini MCCLXXX.

| ΙΩΑΝΝΟΥ | JOANNIS |
|---|---|
| Ταπεινοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως Σημείωμα συνοδικόν. | Humilis epiſcopi Conſtantinopolitani Sententia Synodalis. |
| Μηνὶ Μαΐῳ γʹ. ἡμέρᾳ ἕκτῃ, Ἰνδικτιῶνος ὀγδόης, προκαθημένου τοῦ παναγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου, τοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης κυροῦ Ἰωάννου, ἐν τοῖς κατὰ τὸν ἅγιον Θεοφύλακτον κελλίοις αὐτοῦ, συνεδριαζόντων τῇ μεγάλῃ ἁγιοσύνῃ αὐτοῦ καὶ ἱερωτάτων ἀρχιερέων, τοῦ Χαλκηδόνος, καὶ ὑπερτίμου Νικολάου τοῦ Ἀθηνῶν, καὶ, ὑπερτίμου Μελετίου τοῦ Λαρίσσης, καὶ ὑπερτίμου Νικάνδρου τοῦ Σερρῶν, καὶ ὑπερτίμου Λέοντος τοῦ Χερσῶνος Θεοδώρου, τοῦ Σουγδαίας Θεοδώρου, τοῦ Προικοννήσου Νικολάου, καὶ τοῦ Βερροίας Λέοντος, παρισταμένων καὶ θεοφιλεστάτων δεσποτικῶν ἀρχόντων. | Menſis Maii die 3. feria ſexta, Indictione octava, præſidente ſanctiſſimo domino noſtro patriarcha Conſtantinopoleos novæ Romæ, domino Joanne, in cellis ſuis prope ſanctum Theophylactum: conſidentibus una cum ſanctitate ejus ſanctiſſimis præſulibus, Chalcedonenſi, & hypertimo Nicolao, Athenienſi; & hypertimo Meletio, Lariſſæo; & hypertimo Nicandro, Serrarum, & hypertimo Leone, Cherſonenſi Theodoro; Sogdææ Theodoro, Prœconeſi Nicolao, Berrœnſi Leone: adſtantibus & piiſſimis dominis principibus. |
| αʹ. Καὶ θρὶξ ἐμπεσοῦσα τῷ ὀφθαλμῷ τὸ φαυλότατον ἐπισκοτεῖ μὲν καὶ τούτῳ, πολλὴν δὲ καὶ τὴν ζημίαν ἐπιφέρει τῷ λοιπῷ σώματι. Εἰ γὰρ τοῦ σώματος λύχνος ὁ ὀφθαλμός ἐστιν, τούτου διακειμένου κακῶς, πᾶσα πάντως ἀνάγκη, καὶ σύμπαν τὸ σῶμα τῇ καχεξίᾳ ταύτῃ συνδιατίθεσθαι, καὶ ὅσα καὶ λύχνου σβεσθέντος αὐτοῦ, ἀμαυροῦσθαι τὸ παρ' ἐκείνου ποδηγετούμενον. Καὶ θείας ὡσαύτως γραφῆς κατὰ τὸ τυχὸν κακουργηθείσης, καὶ μέχρι καὶ μιᾶς κεραίας παθούσης τὴν πρόσθεσιν, ἢ τὴν ἀφαίρεσιν, οὐκ ὀλίγη καὶ ἡ λύμη ἐπενεχθείη ἂν τῷ τῆς ἐκκλησίας ἅπαντι | 1. Capillus res viliſſima in oculum cadens, tenebras offundit, multumque noxæ reliquo corpori adfert. Etenim ſi corporis lucerna eſt, eo male ſe habente, prorſus neceſſe eſt corpus univerſum illa eadem ægritudine male affligi, & veluti lampade illius extincta, quod ab eo ducitur, obtenebrari. Similiter & ſacra ſcriptura, utcumque depravata, etiamſi unus tantum apex vel additione vel detractione male habitus ſit, non mediocrem in univerſum eccleſiæ corpus jacturam induxerit. Et quodnam aliud corpori, cujus caput |

Leone Allatio interprete.


Chri-

Christus est, oculorum vicem usumque ſuppleverit, quam ſanctorum patrum monumenta, a capite ipſo conſpiciendi facultatem poſſidentia, & perlegentes illuminantia? Quid igitur agendum eſt de corporeo oculo, & quid in ſpirituali hoc excogitandum, quo non dirigente moderanteque, nemo Dominum aſpiciet? Plane quemadmodum eum purgare, qui in ea ſcientia plurimum valent, conſueverunt, eumque ad utilem & omnium corporis membrorum conſtitutionem optimam reducere: ita procurandum eſt, uti fieri poteſt, ſtudiumque impendendum, ut ab eo feſtuca quæ objicitur, & ipſam trabem exſuperat, per idonea fidei dogmata germanaque dematur, ut eo jam a morbo libero, & in priſtinum ſtatum reſtituto, lumen ſplendeat, tenebræque fugentur. Verum ad quos cura iſta & diligentia magis pertinebit, quam ad nos ipſos, quibus miſeratione Dei patrum horum adminiſtratio demandata eſt, necnon aliæ omnes Divinarum litterarum, & patrum traditiones, ut tanquam legitimi filii paternorum teſtamentorum depravatione, vel potius hæreditate ab illis nobis proveniente, magna equidem, continuoque duratura, injuſte ſpoliati, ſummopere indoleamus, & ſuper illis potiſſimum, in quibus pacis pulchritudo reſplendet, & eccleſiarum reconciliatio roboratur; & maxime ſi inverecunde illæ & perfide pertractantur: ut multa contingunt a quibuſdam, qui veritatem diſcerpunt, pro libidine adeo immutatam, ut non tantum impune veritas omni ſcelere laceretur, ſed flagitium ipſum ex Divinis quoque litteris robur authoritatemque accipiat. Quod ſi & Nyſſaenſium lumen injuriæ, & fide dignus liber antiquuſque, depravationi obnoxius ſit: quantum id addat ad animi ægritudinem, animas ipſas effundentium, ne aliquod reliquum ſit, quod eccleſiaſticam pacem impediat? Quænam rurſus diligentia intendenda eſt, & quanam ratione conandum, ut veritas libere & cum fiducia appareat, futurumque in tempus ſecuritatem obtineat? Prorſus quam maxima, & qualem nos addecet in ſimilibus ponere, & pro viribus effectu quoque ipſo perficere. Quemnam itaque ſucceſſum res habuerit, & quale principium, hoc noſtro ſermone aptiſſime indicabitur.

2. Jam Divini numinis ope, eccleſiaſtica pace perfecta, & multorum annorum ſcandalo gratia ſancti Spiritus propulſato (oportebat enim aliquando ſimilem caliginem diſſolvi, & concordiæ lumen illuceſcere, & ex ſupervacuo Deum pacis devincire) debeamus nos etiam pro viribus pacem promovere, & ex ſacris ſcripturis, ut videbatur peropportunum, eam conſtabilire, ne ex ventre loqui inſimularemur, ſed ex fluminibus a Deo paratis, & ventribus viva aqua repletis. Quapropter nunc hanc viam, nunc illam, alias aliam, & prorſus univerſas in auris obſequentis auditum, ſingulis fere diebus dirigebamus, Divina miſericordia ad jam perfectam pacem, & aliis viam aperientes. Et licet inter eos ob aliquem metum laudabilem ſcandalum irrepſiſſet, facili eos negotio

σώματι. Καὶ τί γὰρ ἄλλο τῷ τοιῷδε σώματι, οὗ κεφαλὴ ὁ Χριστὸς εἰς ὀφθαλμῶν λογισθείη ἂν τάξιν καὶ χρείαν, ἢ αἱ τῶν ἁγίων πατέρων γραφαί, ἐκ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς τὰς τοῦ ὀπτικοῦ κεκτημέναι ἀρχὰς καὶ φωταγωγοῦσαι τοὺς ἐντυγχάνοντας; Τί γοῦν ποιητέον ἐπὶ τῷ σωματικῷ ὀφθαλμῷ, καὶ τί διανοητέον ἐπὶ τῷ πνευματικῷ τούτῳ, οὗ χωρὶς τῆς ὀρθότητος, οὐδεὶς τὸν κύριον ὄψεται; πάντως ὥσπερ ἐκεῖνον ἐκκαθαίρειν ἔθος τοῖς περὶ ταῦτα δεινοῖς, καὶ πρὸς τὸ λυσιτελοῦν τῇ ὁλομελείᾳ τοῦ σώματος ἀποκαθιστᾶν· οὕτω καὶ τοῦτον ἄξιον, καθόσον οἷόν τε, περιποιεῖσθαι, καὶ τὸ φαινόμενον μὲν κάρφος, ὑπερβάλλον δὲ καὶ αὐτὴν τὴν δοκὸν, ὑπεξαιρεῖσθαι διὰ τὸ τῶν δογμάτων ἀξιοπρεπὲς καὶ ἀνόθευτον, ὡς ἂν ὑγιαίνοντος τούτου, καὶ καθὼς ἦν ἀποκαταστάντος, τὸ φῶς ἐπιλάμπῃ καὶ ἡ σκοτεία διώκηται. Τίσι δ' ἂν ἄλλοις τῆς τοιαύτης μελήσειε περιποιήσεως, ἢ πάντως ἡμῖν τοῖς ἐν τῷ ἐλέει τοῦ τῶν πατέρων Θεοῦ, τὴν τῶν τοιούτων οἰκονομίαν λαχοῦσι, καὶ ἐφ' ἑτέραις ἁπάσαις γραφικαῖς τε καὶ πατρικαῖς παραδόσεσιν, ὡς ἂν υἱοὶ φαινόμεθα γνήσιοι, τῶν πατρῴων διαθηκῶν παραχαραττομένων ὑπεραλγοῦντες, ἢ μᾶλλον ἡμῶν ἑαυτῶν ἀδικουμένων τὴν ἀπ' ἐκείνων κληρονομίαν τὴν μεγάλην ὄντως, καὶ ἀεὶ διαμένουσαν· πολλῷ δὲ πλέον ἐφ' αἷς τὸ τῆς εἰρήνης ἐπιλάμπει καλὸν καὶ ὁ τῶν ἐκκλησιῶν καταλλαγὴ ἐνισχύεται· καὶ τοσοῦτον ἴσως, ὅσον καὶ κακουργεῖσθαι ταύτας· ὡς τὰ πολλὰ συμβαίνει παρά τινων τὴν ἀλήθειαν σπαραττόντων, μεταποιούντων αὐτὰς πρὸς ἅπερ καὶ βούλονται, ἵνα μὴ μόνον ἀνεύθυνον ᾖ τὸ περὶ τὸ ἀληθὲς ἁμαρτάνειν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν θείων γραφῶν λογίζηται ἰσχυροποιούμενον. Εἰ δὲ καὶ ὁ τῶν Νυσσαέων φωστὴρ ἀδικούμενος ἐστὶ, καὶ ἀξιόπιστος βίβλος καὶ παλαιὰ, ἡ παθοῦσα τὴν παραχάραξιν. ὁποῖον τοῦτο, εἰς ὀδύνην ψυχῆς τοῖς προϊεμένοις καὶ αὐτὰς τὰς ψυχὰς ὑπὲρ τοῦ μηδὲν ὑπολελεῖφθαι, διὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν εἰρήνην, μηδενὶ σκάνδαλον. ὁποίαν δὲ πάλιν πραγματευτέον τὴν ἐπιμέλειαν, καὶ ὅπως σπουδαστέον, ὡς ἂν τὸ ἀληθὲς τὴν παρρησίαν ἔχῃ, καὶ τὸ ἀσφαλὲς τὸ εἰσέπειτα; πάντως μεγίστην καὶ οἵαν εἰκὸς ἐπὶ τοιούτοις ἡμᾶς ἐκπονῆσαι, καὶ κατὰ τὸ δυνατὸν διαπράξασθαι. Ὅπως τοίνυν προέβη, καὶ οἵαν ἔσχε τὴν καταρχὴν, αὐτὸς ὁ λόγος προϊὼν δηλώσει σαφέστατα.

β'. Ἤδη μὲν σὺν Θεῷ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πληρωθείσης εἰρήνης, καὶ τοῦ πολυετοῦς σκανδάλου ἐκποδὼν γεγονότος τῇ τοῦ πνεύματος χάριτι· ἔδει γάρ ποτε τὴν τοιαύτην διαλυθῆναι σκοτομαίνην, καὶ τὸ τῆς ὁμονοίας ἐπιλάμψαι φῶς, καὶ πολλὴ τῇ περιουσίᾳ τὸν τῆς εἰρήνης νικῆσαι Θεόν· ἦν μὲν ἡμῖν, καθόσον οἷόν τε, συναιρεῖσθαι τῇ εἰρήνῃ, καὶ ἐκ γραφῶν ἁγίων, καθὼς καὶ ἦν ἄξιον, αὐτὴν συνιστᾶν, ἵνα μὴ ἐκ κοιλίας λέγοντες ἐλεγχοίμεθα, ἀλλ' ἐκ ποταμῶν θεοκρατήτων, καὶ κοιλιῶν ζῶντος πεπληρωμένων ὕδατος. ὅθεν καὶ νῦν μὲν ταύτην, νῦν δὲ ἐκείνην, ἄλλοτ' ἄλλην, καὶ ἅπαξ ἁπλῶς ἁπάσας εἰς ἀκριβῆ ὠτίου δεχόμενοι, ὁδεύομεν καθ' ἑκάστην ἡμέραν τῷ τοῦ Θεοῦ ἐλέῳ πρὸς τὴν πληθεῖσαν εἰρήνην, καὶ ἄλλοις ὑποδεικνύοντες τὴν ὁδόν. εἰ τί που καὶ σκάνδαλον ἦν ἐν αὐτοῖς διά τινα φόβον ἐπαινετὸν,





ῥᾳδίως εἴχομεν αὐτοὺς εὐπειθεῖς, καὶ μηδὲν ἀντιζοῦν πρὸς ἡμᾶς καὶ τὰ ἡμέτερα φέροντας. Ἀλλ', ὢ τοῦ φθόνου, καὶ τῶν Σατανικῶν μηχανῶν; ἔστησαν εἰς ἐναντίαν μοῖραν καὶ τῶν ἡμετέρων τινὲς, καὶ δόξαν τούτοις ἀγαθόν τι ποιεῖν, εἴ πως διαπολεμοῖεν πρὸς τὴν εἰρήνην, ἔσχισαν ἑαυτοὺς τῆς ἡμετέρας ἐκκλησίας, καὶ καθ' ἑαυτοὺς ἐγεγόνεισαν· οἳ καὶ ταῖς ὑπὲρ τῆς εἰρήνης ἁγίαις γραφαῖς διὰ παντὸς καταγχόμενοι, ἔμελλον μὲν ποτε προσελθεῖν, καὶ ἀποθέσθαι μὲν τὸ πεισματικὸν καὶ δυστήνιον, ἀγαπῆσαι δὲ τὴν μεθ' ἡμῶν εἰρήνην, καὶ τῇ ὁλοκληρίᾳ τῆς ἐκκλησίας συγκολληθῆναι· ὃ δὴ καὶ ἐγένετο ὕστερον. Ἀλλὰ τότε καθ' ὃν μὲν καιρὸν ἡ τούτων ἔτι πεισμονὴ χώραν εἶχεν, καὶ περὶ πλείονος τῆς ἀληθείας τὴν ἰδίαν ἐτίθουν ἀρέσκειαν, τί ἕτερον ἐπὶ ταῖς τοιαύταις γραφαῖς ἦν αὐτοῖς ἄπορον; Τῶν γὰρ ἐπηβόλων λόγων καὶ γνώσεως οἱ ἄνδρες ἦσαν, ἃς μὲν ἄλλως, καὶ ὡς αὐτοῖς βουλητὸν ἐπεξηγεῖσθαι, ἃς δὲ καὶ νόθους εἶναι διισχυρίζεσθαι, ἔστι δ' οὗ καί τινας ὁμολογεῖν μὲν τῶν πατέρων εἶναι, τοῦτο μόνον ὑγιῶς λέγοντας, προφέρειν δὲ ἀπολογίαν, φοβερὰν οἴμοι καὶ ἀναξίαν ὅλως τῆς τῶν πατέρων προθέσεως. ὅτι πρὸς τοὺς τότε κινουμένους λόγους, παρὰ τῶν αἱρετιζόντων ποιούμενοι τὰς γραφὰς, ἔστιν οὗ καὶ τοῦ εἰκότος οἱ πατέρες διέπιπτον. τῶν οὕτω λεγόντων μὴ συνορώντων, ὡς οὐ δόξα ὅλως Θεοῦ καὶ σύστασις ἀληθείας τὸ διὰ ψευδῶν τινῶν συγκροτεῖσθαι καὶ ἀναξίων τοῦ πνεύματος. Ἀλλ' ὅπερ ἐλέγομεν, ὅλοι τότε τοῦ ἰδίου θελήματος ὄντες οἱ εἰρημένοι, καθ' ἑαυτῶν ἐσοφίζοντο, καὶ ἄδειαν εἶχον λόγων, ἐφ' οἷς ἐνδεεῖς καθίσταντο τοῦ συμφέροντος. πολλὰ μὲν καὶ διάφορα λέγοντες, εἰς ἓν δὲ καὶ τὸ αὐτὸ καταντῶντες, τὸ ἀντιλέγειν τῇ εἰρήνῃ, καὶ πρὸς τὴν τῶν γραφῶν ἀλήθειαν διαμάχεσθαι, ὅτε καὶ διαφόροις τρόποις τὸν οἰκεῖον πραγματευόμενοι ὄλεθρον. Ἀλλὰ ταῦτα πάντα ἦσαν ἡμῖν, ταὐτὸ δὲ εἰπεῖν καὶ τῇ ἀληθείᾳ ἀνεκτὰ, τῶν γραφῶν σωζομένων, λέγειν ἐκείνους τὴν ἐπεξήγησιν, οἵαν ἐβούλοντο. Τὸ δὲ καὶ εἰς σίδηρον ἀπιδεῖν, καὶ τὴν γραφὴν ἀποξύειν, ἔστι μὲν ἐκ προχείρου κατανοῆσαι, γενέσθαι διὰ ψυχῆς μόνης ὄρεξιν. τῷ δέ γε ἐπιβόλως κατανοοῦντι ἐντεῦθεν διαγνωσθήσεται, καὶ ὡς ἐπεὶ μηδόλως οἱ τοιοῦτοι ἀντιπεῖν πρὸς οὕτω φανερὰν ἀλήθειαν εἶχον, ἀπαλεῖψαι ταύτην διέγνωσαν. Τίς δὲ ὁ τρόπος καὶ παρὰ τίνος, καὶ ὅπως, ὁ λόγος ἤδη ἐρεῖ.

γ'. Προσῆν ἐφ' ἑτέραις βίβλοις τῷ τοῦ μεγάλου οἰκονόμου ἐκείνου τοῦ Ξιφιλίνου γαμβρῷ, οὗ Πεντεκλησιώτης τὸ ἐπίκλην, ὃς καὶ αὐτὸς σὺν ἅμα τῷ συγγάμβρῳ αὐτοῦ τῷ τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας ῥεφερενδαρίῳ τῷ Ἐσκαμματισμένῳ, τῆς ἐναντίας μοίρας τότε καθίστατο, καὶ βίβλος πολλὴν τὴν σεμνότητα ἐκ τῆς ἀρχαιότητος ἔχουσα, ἐν ᾗ ποιήματα ἦσαν διάφορα θεοκρότητα τοῦ τῶν Νυσσαέων φωστῆρος, Γρηγορίου δηλαδὴ τοῦ μεγάλου καὶ θαυμαστοῦ πατρός. Εἷς οὖν τῶν ἐκεῖσε λόγων ἦν καὶ εἰς τὸ, Πάτερ ἡμῶν, ὁμιλία, ἧς ἡ ἀρχή· ὅτε προσῆγεν ὁ μέγας Μωσῆς τῇ κατὰ τὸ ὄρος μυσταγωγίᾳ τὸν Ἰσραηλίτην λαόν· καθ' ὃν γενομένῳ τῷ τοιῷδε πατρὶ περὶ κοινῶν καὶ ἰδίων τῶν τῆς θεότητος ὑποστάσεων θεολογῆσαί τε καὶ διδάξαι, ἐ-



ſemper obſequioſos, nec nobis, nec noſtris reluctantes habuimus. Sed o invidentiam, & ſatanicas machinas! Nonnulli ex noſtris contrariæ parti addicti, cum non abſonum id illis viſum fuiſſet, ſi aliquo modo paci adverſarentur, ſeſe a noſtra eccleſia inter ſe congredientes avulſerunt; qui continuo pro pace ſacris ſcripturis oblatis anguſtati, debebant quidem aliquando procedere, deponereque pervicacem, effrænemque animum, & nobiſcum una pacem amplecti, cum reliquis eccleſiæ partibus conglutinari; quod tamen factum eſt. Verumtamen cum eorum pertinacia invaleſceret, ipſique propria placita veritati præponerent: quid aliud in ſimiles ſcripturas auſuri erant, quam quod ipſis offerret occaſio? Erant ſiquidem viri illi & ſermone & cognitione verſatiles, has quidem in alium ſenſum, & ut illis placebat, raptare, has vero tanquam ſpurias contendentes rejicere; aliquando etiam quaſdam ex illis confiteri patrum eſſe, hoc tantummodo recte dicentes; afferre autem reſponſum terribile, væ mihi miſero, & prorſus indignum patrum propoſito; quod in quæſtiones eo ævi motas a ſectatoribus commentaria edentes, fuiſſet, cum ex æquo patres decederent. An hi, qui talia loquuntur, non intelligunt, nullam omnino Dei gloriam, nullamque rei Divinæ conſtitutionem eſſe, quæ a falſis & ſpiritu indignis promovetur? Sed quod jam dicebamus, omnes tum proprii arbitrii facti, contra ſemetipſos captioſe agebant, abutebanturque otio dicendi ea, ex quibus nullum ipſis commodum emanabat; multa quidem ac varia in medium afferentes, in unum vero ac idem collimantes, ut paci contradicerent, & ſcripturarum veritati adverſarentur, variis multiſque modis propriam ſibi procurantes ruinam. Sed hæc omnia erant quidem nobis ipſis, quod idem eſt dicere, & veritati tolerabilia, ſi, ſalvis ſcripturis, pravam ipſi ſuam interpretationem, quæcumque illa foret, adjicerent. At enim in ferrum animum intendere, eradereque ſcriptum, facile quiſpiam adverterit, pro libidine tantummodo, & affectata cupiditate actum fuiſſe: at is, qui prudenter res examinat, hinc colliget, ſimilis ſortis homines cum patenti adeo veritati adverſari non poſſent, eam e medio tollere animum induxiſſe. Modum, authorem, rationemque ipſam hæc noſtra oratio proſequetur.

3. Habuit inter alios libros magnus œconomus Xiphilinus a ſuo genero cognomento Penteclesiota, qui ſimul cum uxoris ſuæ ſororis marito, noſtræ eccleſiæ referendario, Eſcammatiſmeno nuncupato, adverſas partes tuebatur, volumen, ex ipſa antiquitate dignitatem habens, in quo varia commentaria Divinitus inſpirata continebantur, Nyſſaenſium luminis Gregorii, magni illius atque admirabilis patris. Inter eas orationes legebatur & illa, in *Pater noſter*, homilia, cujus principium: *Cum adduceret magnus Moyſes myſtagogia, quam in monte acceperat, populum Iſraelitem.* In ea cum de communibus & propriis Divinarum hypoſtaſeon tractare, edocereque

Anno Christi 1280.

contingeret, ſubintulit: *Spiritus vero ſanctus & ex Patre dicitur, & ex Filio eſſe affirmatur*. Hanc ſententiæ particulam, indeque comparata pro pace ſubſidia, in commodum publicum attulit beatæ memoriæ ille magnus œconomus Xiphilinus, volumen illud percurrens, & ad hunc locum perveniens, volumenque ſibi ad legendum comparaſſe ex Penteclesiota faſſus eſt. Omnibus id patuit, & nobis ipſis, & ipſi, qui volumen poſſidebat, noſtriſque adverſabatur. Hinc non parvæ ſuppetiæ, Deo miſerente, ad pacem eccleſiaſticam ſtabiliendam acceſſere. Referendarius ergo ſororis uxoris Pentecleſiotæ maritus, ejuſdem cum poſſeſſore libri ſententiæ, id propriis oculis intuitus, & ad adeo patens dictum non valens ſe opponere, quod fidem etiam ex multis aliis, quæ in libro continebantur, large comparaverat, planum hoc documentum eradere, cum adhuc noſtra oppugnaret, ſibi propoſuit: ferroque uſus *ex* eradit, non conſiderans alia quoque volumina ad hoc ipſum comprobandum conquiſita fuiſſe, quæ omnia exprimerent, & *ex* propoſitionem abunde redderent, cum depravata nondum fuiſſent.

4. Sed cum aliquando pervicacia ceſſaſſet, pacem amplexatus, nobiſcum communionem iniit, quemadmodum & alii plures: ſæpius cum ipſo noſtra mediocritas de nonnullis conferebat: caſu vero factum eſt, ut voluminis illius aliquando recordaremur. Refendarius veluti a quopiam ſummotus, volumen laudabat, de eoque, quod ipſi viſum fuerat, enunciabat. Inter congreſſus vero de volumine confeſſus eſt: ſe in eo loco, in quo erat, *& ex filio eſſe affirmatur*, gladiolo, e ſerie illa verborum *ex* eradiſſe. Neſcio quanam ratione id faſſus ſit, & quam ob cauſam: id tamen totum veritatis & Dei Patrum fuit. Quid inde ſubſecutum eſt? Conſideratio fixa, & oſſium tabes noſtram petit mediocritatem, quomodo talis ſententia adulterata fidem perdiderat, eccleſiaſticæ paci tantumdem proficua: & quomodo tot per annos e periculo elapſa, cum in eccleſiam veteris Romæ bellum deſæviret, nunc demum per crudelem plagiarium corrupta ſit, ut in poſterum cum deſideraretur *ex*, ſecuritas eccleſiæ non eſſet, & quando etiam apponeretur, fidem volumen non haberet neque ſoliditatem, cum jam recens appoſita fuiſſe cenſeretur propter raſuræ ſuſpicionem.

5. Itaque hac de re omnes, qui tum aderant, ſanctiſſimos antiſtites noſtros & comminiſtros noſtra mediocritas participes facit, medelamque negotio poſcit: unaque cum illis comminiſcitur, quanam ratione eccleſiæ jus conſervari poſſet. Et commune conſilium accedit, & ſynodalis ſententia, relinquendum eſſe locum illum vacuum, in quo *ex* antea exarata erat, quod tutum non eſſet, nunc iterum reſcribi, ruſumque idem poſteris ſuſpicionem injiceret, propter ſcripturam recentem novam, remque geſtam ſignandam ſcripto, ut inde teſtimonium publicum &

πῆλθεν εἰπεῖν· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται. Τὸ τοιόνδε οὖν τεμάχιον τοῦ ῥητοῦ, καὶ τὴν ἐντεῦθεν εἰς τὴν εἰρήνην συγκρότησιν, συνετέλεσε μὲν τῷ κοινῷ, ὁ τῆς μακαρίας μνήμης ἐκεῖνος μέγας οἰκονόμος Ξιφιλῖνος, διερχόμενος τὴν τοιαύτην βίβλον, καὶ κατὰ τοῦτο τὸ χωρίον γενόμενος, ἐν τῷ ταύτην ἐκ τοῦ Πεντεκλησιώτου κεχρῆσθαι εἰς ἀνάγνωσιν, πᾶσι δῆλον δὲ ἐγεγόνει, καὶ ἡμῖν αὐτοῖς, καὶ αὐτῷ δὲ τῷ τὴν βίβλον ἔχοντι, καὶ ἀντικαθισαμένῳ πρὸς τὰ ἡμέτερα ἦν τοῦτο καὶ οὐκ ὀλίγη συγκρότησις γέγονεν ἐν τῷ ἐλεοῦντι Θεῷ, εἰς τὴν εἰρήνην ἐντεῦθεν τῷ τῆς ἐκκλησίας πληρώματι. ὁ γοῦν ῥαιφερενδάριος σύγγαμβρος ὢν καὶ ὁμογνώμων ἔτι τῷ τὴν βίβλον ἔχοντι, οἰκείοις ὀφθαλμοῖς τὸ τοιοῦτον ἰδών, καὶ μὴ ἔχων ὅ, τι καὶ δράσειε πρὸς τοῦτο, φανερὸν ὄν, καὶ τὸ ἀξιόπιστον ἀπὸ πολλῶν τῶν τῆς βίβλου πλουτοῦν, τὸν σαφῆ τοῦτον ἔλεγχον ἀπαλείφειν ἔγνω, ἔτι τοῖς ἡμετέροις μαχόμενος, καὶ χρῆται σιδήρῳ, καὶ ἀποξύει τὸ ἐκ, μὴ ὑπολογισάμενος, ὡς καὶ ἕτεραι βίβλοι εἰς τὸ αὐτὸ ἠρανίσθησαν, κἀκεῖναι οὕτως εἶχον, καὶ τὸ ἐκ ἐπλούτουν, καὶ τὸ ἀνόθευτον ὑπεξέφαινον.

δʹ. Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἔληξε ποτὲ τούτῳ τὸ ἰδιόγνωμον, καὶ τῆς εἰρήνης ἐγίνετο, καὶ μεθ᾽ ἡμῶν τὸ κοινωνικὸν ἔσχεν, ὥσπερ καὶ ἕτεροι πλείονες· πολλάκις μὲν περί τινων πρὸς αὐτὸν ἐκοινολογεῖτο ἡ μετριότης ἡμῶν· ἔτυχε δέ πως ἀναμνησθῆναι ποτὲ τὴν ἡμῶν μετριότητα τῆς δηλωθείσης βίβλου. ὁ δέ γε ῥαιφερενδάριος ὥσπερ ὑπό τινος παρωθούμενος, ἐπῄνει μὲν τὴν βίβλον, καὶ περὶ αὐτῆς δοκοῦντα οἱ ἔλεγεν. διωμολόγησε δὲ μεταξὺ λόγων περὶ τῆς βίβλου, ὡς ἐν τῷ τόπῳ, ὅπερ ἦν, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται, χρησάμενος μαχαίρᾳ, τὸ ἐκ τοῦ λόγου ἀπέξυσεν· οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ὁμολογήσας αὐτὸ καὶ παρ᾽ ἣν τὴν αἰτίαν· πῶς δὲ ὅλον ἦν τοῦτο τῆς ἀληθείας, καὶ τοῦ τῶν πατέρων Θεοῦ. Τί τὸ ἐπὶ τούτοις; ἐμμέριμνος λογισμός, καὶ σὴς ὀστέων ἐμπίπτει τῇ ἡμῶν μετριότητι, ὅπως τοιοῦτον ῥητὸν ἐνοθεύθη, καὶ τὴν ἀξιοπιστίαν ἀπώλεσε, τῇ ἐκκλησιαστικῇ εἰρήνῃ τὰ πολλὰ συμβαλλόμενον, καὶ ὅπως χρόνοις τοσούτοις τὸν κίνδυνον ἀποδρᾶν, ὅτε καὶ ὁ κατὰ τῆς ἐκκλησίας τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐσφάδαζε πόλεμος, ἀρτίως παρεχαράχθη ὑπὸ ἀποτόμου τομέως· ὡς μήτε τὸ ἐντεῦθεν τοῦ ἐκ λείποντος ἀσφαλὲς εἶναι, μήτε μὴν προστεθέντος καὶ πάλιν, τὸ ἀξιόπιστον ἔχειν τὴν βίβλον καὶ ἀσφαλές, ἐκ τοῦ προσφάτως λογίζεσθαι προστεθῆναι, διὰ τοῦ ξύσματος ὕποπτον.

εʹ. Κοινοῦται τοίνυν τὰ περὶ τούτου ἡ μετριότης ἡμῶν τοῖς παρευρεθεῖσιν ἱερωτάτοις ἀρχιερεῦσιν, ἀδελφοῖς ἡμῶν καὶ συλλειτουργοῖς· ἀναζητεῖ θεραπείαν τοῦ πράγματος, σκοπεῖ σὺν αὐτοῖς πῶς ἂν ἐπανασωθείη τῇ ἐκκλησίᾳ τὸ αὐτῆς δίκαιον. καὶ κοινὴ βουλὴ προβαίνει, καὶ γνώμη συνοδική, εἶναι μὲν τὸν τόπον κενόν, καθ᾽ ὃν τὸ ἐκ κείμενον διαγέγραπται, ὅτι μηδ᾽ ἀσφαλὲς ἀπό γε τοῦ νῦν γραφῆναι καὶ πάλιν αὐτό, ὑποψίαν τοῖς εἰς ἔπειτα ἔχον διὰ τὸ τῆς γραφῆς ὑπόγυιον. σημειωθῆναι δὲ τὰ τοῦ πράγματος, καὶ κοινὴν μαρτυρίαν καὶ πίστιν ἐντεῦθεν εἶναι, ὅπως τὸ γραφικὸν παρεχαράχθη ῥητόν, διὰ τὴν



Anno Christi 1280.

τὴν τῶν ὀψιγόνων ἀσφάλειαν· μηδὲ γὰρ ἂν εἶναι τὸ ἀπὸ τοῦδε, οὕτω σημειωθέντος τοῦ ἀληθοῦς, διαπιστεῖν τινά, καὶ προφάσεις, ἃς οὐ χρή, κατὰ τοῦ ῥητοῦ προφασίζεσθαι. ἔδοξε τοῦτο κοινῶς, καὶ ἤδη τὴν σήμερον περατοῦται διὰ τῆς παρούσης συνοδικῆς πράξεως, ὁμολογοῦντος μὲν καὶ πάλιν τοῦ ῥαιφερενδαρίου, καὶ οὐκ ἀρνουμένου τὸ σύνολον, ὅτι τὸ ἐκ παρ᾽ αὐτοῦ διαγέγραπται, ζητοῦντος δὲ καὶ συγγνώμην, ὅτι καθ᾽ ὃν καιρὸν ἀφ᾽ ἡμῶν οὕτως ἐσχίζετο, τοιοῦτον πεποίηκεν. ὅθεν καὶ ἡ παροῦσα συνοδικὴ πρᾶξις εἰς δήλωσιν γεγονυῖα ἀπετέθη τῷ καθ᾽ ἡμᾶς χαρτοφυλακίῳ, εἰς ἀσφάλειαν μὲν τῶν εἰς ἔπειτα, ὠφέλειαν δὲ τῶν ἐντυγχανόντων τῇ βίβλῳ, μανθανόντων ἐντεῦθεν καθαρὰν καὶ ἄδολον τὴν ἀλήθειαν,

fides proveniat, ſcripturæ ſententiam depravatam fuiſſe, propter eorum, qui poſtmodum venturi ſunt, ſecuritatem: neque enim fieri poſſe, ut, ſic veritate ſignata, alius diffidat, & prætextus haud decoros contra dictum prætexat. Viſum id fuit omnibus, & jam hodie hac ſynodica actione perficitur, rurſus idem fatente referendario, & non negante, ab eodem abraſam fuiſſe, veniamque petente, quod eo tempore id perfecerit, cum a nobis diſſidebat. Quare hæc ſynodalis actio, quæ rem revelat, noſtro chartophylacio repoſita eſt, ad poſterorum ſecuritatem, eorumque, qui librum percurrunt, utilitatem, cum inde diſcant puram atque incorruptam veritatem.

## Gabr. Cossartii Nota.

Non extant hodie illa Gregorii Nyſſeni verba in ea quam deſignat Beccus homilia: ſed neque in quatuor aliis, quas in orationem Dominicam idem Gregorius ſcripſit. Ex quo intelligimus eas hac parte a Græcis truncatas ad nos perveniſſe. Neque enim dubitare de Becci fide poſſumus, qui in oratione quam de ſpiritus S. proceſſione ſcripſit, locum integrum refert, ex quo decerpta ea verba ſunt. Neque Beccus tantum, ſed Hugo Etherianus, & Manuel Calecas, locum illum repræſentant.

Ceterum quod ab illo referendario in Nyſſenum, idem a Photio in Chryſoſtomum admiſſum eſt. Cujus in homilia de Incarnatione Domini (vel certe ipſi tributa) cum apud Jo. Beccum, & Man. Calecam, & in Anglicana Savilii editione legatur, τὸ ἐξ αὐτοῦ υἱοῦ, Photius Cod. 277. particulam ἐξ omiſit. Nimirum cum negent Græci S. Spiritum eſſe ἐκ τοῦ υἱοῦ, *ex filio*, ſentiunt negare ſe non poſſe, quin ſit τοῦ υἱοῦ, *filii*.

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

# CONCILIUM NOVIOMENSE

## INCERTI TEMPORIS.

*At ſæculi, ut probabile eſt, decimi tertii.*

Cl. Hemeræus in Auguſta Viromanduorum, hæc Noviomenſia decreta, ſive unius concilii, ſive plurium, profert ex codice MS. Sueſſionenſis epiſcopi.

### Tituli Capitulorum.


1. *De eo qui ſuam in alterum actionem cedere voluerit.*
2. *De eo qui coram diverſis judicibus, & de diverſis querelis, cum altero litigat.*
3. *De uſuris refrænandis.*
4. *De juramento ab advocatis præſtando in cauſis uſurariis.*
5. *De puniendis judicibus, qui prædicta non obſervaverint.*
6. *De advocatorum multitudine moderanda.*


## CAPITULA.

### *I. De eo qui ſuam in alterum actionem cedere voluerit.*

AD quarumdam perſonarum malitiam refrænandam, ſtatuimus, ut ſi privatus in collegium, vel privatus in privatum, ſuam voluerit cedere actionem: hoc coram epiſcopo loci, vel archidiacono ordinariam juriſdictionem habente, cauſa cognita ab eo, faciat diligenter: Si vero aliter facta fuerit ceſſio, qui ceſſit, cadat a jure ſuo; & is in quem fuerit ceſſio facta, commodum non reportet. Et ſi ex ceſſione tali agere tentaverit, & monitus ab ordinario ſuo: infra xv. dies non deſtiterit: extunc ſciat ſe excommunicationis vinculo innodatum.

### *II. De eo qui coram diverſis judicibus, & de diverſis querelis litigat.*

Adhuc ſtatuimus, ut ſi quis coram diverſis judicibus, & ſuper diverſis querelis, aliquem in cauſa traxerit, eligat coram quo judice ſuas ſimul velit proſequi actiones. Si vero coram diverſis judicibus, & ſuper diverſis querelis, maluerit experiri: hoc faciat unam poſt aliam ſucceſſive. Qui vero contra hoc ſtatutum fecerint, modo prædicto ſint excommunicationis vinculo innodati.

In

Anno Christi 1280. Ex eodem MS. Sueſſionenſi.

In hoc concilio continentur quæ prædicta ſunt in ſynodalibus, ſcilicet quod cruce ſignati crucem deferant, & quod clerici conjugati tonſuram deferant, & habitum congruentem. Item quod ſacerdotes & clerici negotiationibus ſæcularibus ſe non immiſceant.

Item de concilio Noviomenſi, ſine data.

*III. De uſuris refrænandis.*

Ad refrænandas fœneratorum fraudes, quas jugiter meditantur, ut poſſint aliorum ſubſtantias exhaurire, remedium aliquod nos convenit invenire. Statuimus igitur, ut ſi quis ſuper uſurarum crimine graviter fuerit diffamatus, licet nullus accuſator appareat, prælatus loci ſola fama deferente deſcendat & inquirat: & ſi clamorem opere completum repererit, in crimínoſum canonicam exercere non differat ultionem. Si vero reus probatus non fuerit, fama autem ad hoc concrebreſcat: ad ſedandum ſcandalum, ſecundum diſcretum prælati ſui arbitrium, taliter diffamato purgatio canonica indicatur, in qua ſi defecerit, canonice puniatur, ſecundum quod in primo Lateranenſi concilio continetur.

Item de eodem concilio.

*IV. De juramento ab advocatis præſtando in cauſis uſurariis.*

Adhuc quia ſæpe per advocatorum calliditates cauſæ hujuſmodi prorogantur, & ſic tales in ſuis criminibus defenduntur: præcipimus, ut in qualibet cauſa uſuraria, ſtatim porrecto libello, per quem futuræ litis ſpecies demonſtratur, juramentum hujuſmodi ab advocato quolibet exigatur, videlicet quod ipſe credat ſe juſtam cauſam defendere: ſi non credat, non ſolum a patrocinio præſtando in eadem cauſa deſiſtat, ſed ab omni conſilio & auxilio, tam publico, quam privato. Si vero aliquis advocatus tantæ pompæ fuerit, quod ore proprio non proponat aliquid, ſed proponenti aſſiſtat; præcipimus, ut ipſe ſimiliter præſtet juramentum. Hanc autem conſtitutionem extendimus ad procuratores gerentes officium advocati. Qui vero præmiſſa jurare renuerit: quandiu eadem cauſa durabit, a curia judicis penitus excludatur. Si quis autem advocatus, fuerit detectus dejerare, infamia notetur: & non ſolum advocatione careat, immo foro.

*V. De puniendis judicibus qui prædicta non obſervaverint.*

Ut autem hæc conſtitutio firmiter obſervetur; pœna ſuſpenſionis unius menſis a judicandi officio judices, qui circa præmiſſa negligentes extiterint, decrevimus puniendos.

*VI. De advocatorum multitudine moderanda.*

Quia vero per advocatorum multitudinem effrænatam, & imperitiam cauſarum, multoties proceſſus impeditur: præcipimus judicibus, ut ipſi provideant diligenter, ut eorum oneroſa multitudo in cauſis omnibus refrænetur, & ſoli ad hoc officium digni admittantur.

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

## ** CONCILIUM RAVENNENSE

A Bonifacio archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno Dom. MCCLXXX.

H*ieronymus Rubeus hiſtoriæ Ravennatis lib. XI. ad annum Chriſti MCCLXXX. ubi de Bonifacio archiepiſcopo loquitur:* Paucis, *inquit*, poſt diebus, concilium provinciale Forocornelii habuit ſuorum omnium epiſcoporum, extra Octavianum Bononienſem, qui cum intereſſe non poſſet, procuratorem ſuum VI. Id. Maii Bonifacium e Loliano canonicum Bononienſem eo miſerat. *Hæc tantum Rubeus.*

CON-



Anno Christi 1280.

## SYNODUS SANTONENSIS,

Anno Domini MCCLXXX.

Ex codice conſtitutionum eccleſiæ Santonenſis.

Conſtitutiones factæ per dominum G. de S. Bricio editæ in ſynodo hiemali, anno Domini MCCLXXX.

### TITULI CAPITULORUM.


1. *Ne quis perturbet quæ in ſynodo agenda ſunt.*
2. *Ut veniant, omnes qui tenentur, ad ſynodum, ſub pœna ſuſpenſionis.*
3. *De nominibus rectorum eccleſiarum.*
4. *De ſacris fontibus.*
5. *De ſancto chriſmate.*
6. *De numero patrinorum.*
7. *Qualiter ſe debent habere laici, quando corpus Chriſti defertur ad infirmos.*
8. *Ut quilibet ſacerdos habeat præcepta ſynodalia.*
9. *De arcis & doliis in eccleſiis poſitis.*
10. *De litteris recipiendis.*
11. *De eodem.*
12. *De nominibus excommunicatorum.*
13. *Ne litteræ concedantur Judæis.*
14. *De illis qui mittendi ſunt ad epiſcopum.*
15. *Ne diffamentur fratres Prædicatores & Minores ſuper detectione confitentium.*


### CAPITULA.

*I. Ne quis perturbet quæ in ſynodo agenda ſunt.*

IN primis monemus in generali, primo, ſecundo, tertio, ac inhibemus, ne aliquis impediat aut perturbet nos, vel officium noſtrum, circa ea quæ in præſenti ſynodo ſunt agenda: & ſi quis contrarium fecerit, cujuſcumque conditionis & ſtatus conſiſtit, ipſum in his ſcriptis excommunicamus.

II. *Ut veniant omnes, qui tenentur, ad ſynodum, ſub pœna ſuſpenſionis.*

Item monemus omnes & ſingulos rectores eccleſiarum, & alios quoſcumque, qui ad hanc noſtram ſynodum venire conſueverunt, aut tenentur, de quibus nos & prædeceſſores noſtri ſumus & fuimus in poſſeſſione, ut veniant. Et ſi venire neglexerint, niſi legitime fuerint excuſati, vel legitimo impedimento detenti, vel a nobis eorum excuſatio ſit a dimiſſa, in his ſcriptis ab officio ſuſpendimus; & ſi quis alicujus excuſationem habeat, illam incontinenti prætendat. Illos vero qui ſe non excuſaverint, vel legitimum impedimentum non habuerint, citamus peremptorie.

a *Forte, admiſſa. M.*

III. *De nominibus rectorum eccleſiarum.*

Item præcipimus omnibus archipreſbyteris in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis, vel excommunicationis, ut quælibet nomina rectorum eccleſiarum, in ſuo archipreſbyteratu, qui non venerint ad hanc noſtram ſynodum, infra quindecim dies tradant in ſcriptis.

IV. *De ſacris fontibus.*

Item præcipimus omnibus rectoribus eccleſiarum, ut ſacros fontes teneant mundos, & ipſos renovent quotieſcumque opus fuerit, & honeſtum: clauſos ſub ſera teneant & cuſtodiant, propter ſortilegia. Adjicientes, quod ſi a nobis, archidiaconis, vel preſbyteris viſitantibus, inventi fuerint dicti fontes, vel alia ſacramenta eccleſiaſtica ſine ſera, capellanus illius eccleſiæ ſolvere tenebitur viſitatoribus quinque ſolidos pro pœna.

V. *De ſancto chriſmate.*

Item cum alias ſtatutum fuerit, quod honor, & reverentia ſingulis ſacramentis eccleſiaſticis debeat exhiberi, & nonnullis locis iſtius diœceſis invenerimus ſanctum chriſma, & ſanctum oleum, in vaſis minus honeſtis: monemus & præcipimus, ut omnes capellani, & alii qui ad hoc tenentur, quærant in ſuis locis vaſa ſeu repoſitoria honeſta & decentia, ad dicta ſacramenta tenenda & conſervanda. Illos vero, quos in hoc culpabiles inveniemus, graviter puniemus.

VI. *De numero patrinorum.*

Item præcipimus, quod iſta conſtitutio ſynodi, qua cautum eſt alias, quod tres perſonæ ad plus ad levandum puerum de ſacro fonte admittantur, firmiter obſervetur.

VII. *Qualiter ſe debent habere laici, quando corpus Chriſti defertur ad infirmos.*

Item cum creatori noſtro ſit ſumma reverentia exhibenda, & ideo fuerit alias provide conſtitutum, quod laici moneantur, ut ubicumque viderint corpus Chriſti deferri, ſtatim genua flectant, tanquam domino & creatori ſuo, & quocunque tranſierit, orent: nos ad excitandam ad hæc fidelium devotionem, omnibus, qui corde contrito preſbyterum cum corpore Chriſti duxerint devote, decem dierum de condigna pœnitentia injuncta relaxamus: & hoc præcipimus in eccleſiis publice publicari.

VIII. *Ut quilibet ſacerdos habeat præcepta ſynodalia.*

Item præcipimus, ut quilibet capellanus ſtatuta ſynodalia, nova & vetera, habeat & obſervet ac provideat diligenter: ut cum in ſequentibus ſynodis fuerit requiſitus, ſciat ea plane legere & intelligere, ac ſuper officiis ſuis modo debito exequendis notitiam habeat pleniorem. Quos vero ſuper hoc negligentes invenerimus, animadverſione debita puniemus.

IX. *De arcis in eccleſiis poſitis, & doliis.*

Item cum ea quæ Divino cultui ſunt deputata, humanis non ſint uſibus applicanda: grave gerimus & moleſtum quod in quibuſdam eccleſiis reponuntur arcæ *, & dolia, & alia ſupellectilia privato,

* *ſcriptum erat, archæ; pro illius ætatis more.*

vatorum; & non tam eccleſiæ quam grangiæ videantur. Quocirca diſtricte prohibemus, ne talia in eccleſiis de cætero reponantur, appoſita amoveantur: niſi inſtante neceſſitate, puta incendii, vel alia: qua ceſſante, ea præcipimus amoveri.

### X. *De litteris recipiendis.*

Item frequenter contingit, ut executores quibus mandata diriguntur, excommunicationi debite demandata, adjecto, quod executione facta reddant litteras ſigillatas, ipſas litteras, executione non facta, ſigillatas reddunt, ſic in præjudicium eorum contra quos impetratæ fuerunt, ipſo facto mandatum aſtruentes, & crimen falſitatis minus quam oporteat formidantes, ſub pœna excommunicationis id de cætero fieri prohibemus.

### XI. *De eodem.*

Item frequenter litteræ contra aliquem impetratæ diriguntur non capellano ipſius, ſed alii, executioni mandandæ: & ſic multotiens excommunicatur, ignorante proprio capellano, & excommunicatus in ſua parochia nunciatur: ex quo multa pericula proveniunt animabus: Prohibemus, ne a nobis, nec aliis judicibus nobis ſubditis, litteræ de cætero impetrentur alii dirigendæ, omiſſo proprio capellano: niſi judex aliqua de cauſa motus, hoc duxerit concedendum. Et tunc cauſa illa in littera exprimatur: executores vero alias non adimpleant quod mandatur.

### XII. *De nominibus excommunicatorum.*

Item præcipimus, quod omnes capellani nomina excommunicatorum parochianorum ſuorum, & cujus authoritate judicis, & ad cujus inſtantiam, & a quo tempore excommunicati fuerint, in ſcriptis redigant: hæc omnia nobis tradituri in ſcriptis, cum fuerint requiſiti.

### XIII. *Ne litteræ concedantur Judæis.*

Item inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliqui judices ordinarii, vel eorum vicarii, civitatis & diœceſis Santonenſis, aliquas litteras concedant ſigillis ſuis ſigillatas, ſeu confeſſiones audiant, ſuper tractatibus Judæorum contra Chriſtianos, nec aliquas litteras executorias executioni demandent, ſeu faciant demandare. Et ſi aliquæ litteræ pro ipſis contra Chriſtianos emanaverint, eaſdem decernimus non valere: inhibentes ſub pœna excommunicationis prædicta, ne aliquis judex ordinarius civitatis & diœceſis Santonenſis, vel eorum vicarii, aliquos debitores compellant ad ſolutionem dictorum Judæorum, etiamſi prædicti Judæi ſuper hujuſmodi debitis, litterarum teſtimonio ſint muniti.

### XIV. *De illis qui mittendi ſunt ad epiſcopum.*

Sacerdotes in confeſſione majora majoribus reſervantes, mittant ad epiſcopum pœnitentes de homicidio, & perjurio, ſeu fide merita*: item de injectione manuum in parentes ſeu in clericos, vel quoſcumque religioſos: item de incendio & ſimonia, de litterarum falſitate, de inceſtu tam naturali, quam legali, & ſpirituali, videlicet qui conſanguineam ſuam cognovit, & qui conſanguineam uxoris, & qui conſanguinei uxorem, & qui cognovit filiam ſpiritualem, ſcilicet filiolam, vel cujus confeſſionem audivit: item de lapſu carnis in maſculo: item de lapſu carnis cum brutis, item cum monialibus, item de violatione cœmeteriorum, vel eccleſiarum: item de hæreſi, de ſchiſmate, de ſortilegiis factis, de ſacramento eccleſiæ, & omnes etiam qui ad hoc conſilium & auxilium impenderunt. Item mittendi ſunt ad epiſcopum, qui abortivum cocundo vel alio modo facere præſumpſerunt, & qui ad hoc auxilium, & conſilium præſtiterunt: item clerici qui furtum commiſerunt: item clerici quocunque modo facti irregulares: item qui bis ſe permiſerunt baptizari, vel qui interfuerunt: item qui ſine tonſura aliquem ſuſceperunt: item qui in ſuſcipiendis ordinibus ſaltum fecerunt: item qui quocumque modo per ſe, vel per alium, homicidium fecerunt, vel procuraverunt, vel judicio ſanguinis interfuerunt, & qui authoritatem, conſilium, auxilium impenderunt, vel conſenſum in aliquo præbuerunt, unde mors hominis, vel membrorum mutilatio ſequeretur, vel occaſio fuerit, ſeu aliqua cauſa: item qui litteras dictat, ſcribit, aut legit, aut aliquod adminiculum præſtat, ne aliquis mutiletur, vel occidatur: item clerici ſeu presbyteri, qui in ſuſpenſione vel excommunicatione promoti ſunt, & ſic Divina celebrarunt: item ſacerdos ſeu miniſter, cujus negligentia aliquid circa ſacramentum altaris inhoneſtum quocumque modo evenerit, ad epiſcopum vel ejus concilium ſunt mittendi.

* Fri-

### XV. *Ne diffamentur fratres Prædicatores & Minores ſuper detectione confitentium.*

Quia quidam presbyteri, quos conſcientiæ reatus accuſat, timentes quod ſi parochiani ſui fratribus Prædicatoribus vel Minoribus confeſſi fuerint peccata* fingentes mendaciter contra ipſos, dicunt quod confeſſiones confitentium detegere non verentur, peccata notoria, de quibus in populo ſcandalum generatur: ſub pœna emendæ, vel graviſſimæ pœnæ, diſtrictius inhibemus, ne dictos fratres ſuper detectione confitentium audeant diffamare. Peccata notoria, de quibus in populo ſcandalum generatur, ſignificent ſacerdotes decano; & decanus archidiacono, vel epiſcopo: niſi forte per eos ſint ſopita: timentes ne pœnam incurrant, ſi per alios ſcandalum deferatur.

* Deeſt aliquid.







# ** SYNODUS PICTAVENSIS,

## Anno Domini MCCLXXX.

Ex MS. Collegii Pariſienſis Soc. JESU.

Conſtitutiones factæ per fratrem Gualterum tunc epiſcopum Pictavenſem.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *De ſigillatione vacuarum litterarum.*
2. *De juriſdictione archipresbyterorum.*
3. *De officio ſubcapellanorum.*
4. *Qui debent domino epiſcopo confiteri.*
5. *De his qui abſolvere non poſſunt.*
6. *De ſervientibus Judæis & uſurariis.*
7. *De purgatione.*
8. *De ſubjicientibus ſcripta prædeceſſorum.*
9. *De perturbantibus ſynodum.*
10. *De quæſtuariis decanis, & archipresbyteris.*
11. *De biſſexto & aliis.*

## CAPITULA.

### I. *De ſigillatione vacuarum litterarum.*

Multiplicata pericula quæ ex ſigillatione vacuarum ſcedularum comperimus ſpiritualiter & temporaliter provenire, nos inducunt ut ad obviandum hujuſmodi periculis, congruis remediis intendamus. Unde diſtrictius inhibemus, & univerſos & ſingulos in generali monemus, ne quis fungens juriſdictione ordinaria, aut quacumque judiciaria poteſtate, vacuas ſcedulas, officii occaſione ſibi commiſſi, ſigillare præſumat, vel ſigillum ſuum alii tradere, ut vacuæ ſcedulæ apponatur, vel ut aliquid in fraudem noſtræ inhibitionis quomodolibet attentet, nec etiam in hujuſmodi ſcedulis ſigillatis, ſub nomine alterius quid ſcribatur, nec ſcriptis quis utatur. Si quis autem contra præmiſſa fecerit, vel in his præbuerit conſilium aut conſenſum: ipſum excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere. Cujus ſententiæ abſolutionem, & pœnæ ſuper hoc imponendæ taxationem, nobis ſpecialiter reſervamus.

### II. *De juriſdictione archipresbyterorum.*

Cæca ac damnoſa cupiditas ſic aliquorum animos occupavit, ut ſuis finibus non contenti, ad non uſitata & non licita ſe inclinent. Nonnulli ſcilicet decani rurales & archipresbyteri noſtræ diœceſis Pictavenſis, lucrum quærentes proprium, non commodum ſubjectorum, varios in diverſis locis officiales conſtituunt, generales vicarios vel miniſtros quoſdam, pro citationibus in futuris cauſis ſeu negotiis faciendis, pro ineundis vel recognoſcendis contractibus, vel teſtamentis, ſeu faciendis recognitionibus coram ipſis: cauſas etiam & lites audiunt, & cauſarum audientiam convocant, & exercent per ſe, vel per alios, in locis & villis pluribus, & diverſis, in quibus ipſi & eorum prædeceſſores prædicta non conſueverunt facere ab antiquo: necnon ipſorum officiales, vicarii, vel miniſtri, acta coram eis tam in judicio quam extra, ipſis decanis & archipresbyteris abſentibus, ſub eorum nomine, ac ſi præſentes fuiſſent, ſcribi faciunt, & litteris ſignatis vel oblatis ab eis ſuper præmiſſis, apponunt ſigilla propria eorundem archipresbyterorum & decanorum, & ſigillata proprio ipſorum decanorum & archipresbyterorum ſigillo, in eorum abſentia ſub eorum nomine approbant, & iis fidem adhibent, ac ſi coram illis præſentaliter eſſent facta. Unde conſiderantes quod occaſione præmiſſorum, & occaſione ipſorum vicariorum, officialium, & etiam miniſtrorum, injuria vel ignorantia, fraude ſeu malitia, eis ſeductis per gratiam, vel ſordes, plures læſi fuerint, & quanto amplius facultas in talibus laxaretur, tanto amplius lædendi opportunitas panderetur: deliberatione provida ſtatuimus, ne præmiſſa fiant de cætero, vel aliquid præmiſſorum; & ne aliquis decanus, vel archipresbyter, in pluribus locis & villis archipresbyteratus & decanatus ſui, cauſarum audientiam convocare, vel generaliter exercere præſumat, ſed in uno loco tantummodo ſit contentus: niſi ſunt tales, qui vel quorum prædeceſſores conſueverunt ab antiquo in duabus villis vel pluribus audientiam exercere. Et illi, duorum locorum ad hoc antiquitus aſſuetorum numerum non excedant, nec pluribus ſigillis, ſed uno ad cauſas & ad contractus utantur ad hoc. Cum ipſi archipresbyteri & decani, majores cauſas, & negotia maxima, quæ majores cauſas exigunt, non debeant pertractare: inhibemus, ne de cauſis matrimonialibus, ſacrilegiis, ſortilegiis, uſuris, & aliis cauſis & negotiis criminalibus & famoſis, ſive criminaliter, ſive civiliter intentatis ex officio ſuo, vel ad partis inſtantiam, ſe aliquatenus intromittant de eis cognoſcendo, pœnam ſuper his imponendo, & ne pro ſubeunda purgatione vel aſſecuratione proteſtanda, aliquos præſumant coram ſe ad judicium evocare, niſi pro tuitione juriſdictionis ſuæ, ſi aliquis litigantium, occaſione litis motæ coram eis, alibi vexaretur, vel minæ vel violentiæ inferrentur. Eos qui contrarium fecerint, pœna viginti librarum Turonenſium volumus & ſtatuimus eſſe mulctandos. Quæ pœna a quolibet contrarium faciente, pro quolibet exceſſu exigi poterit, & quartam partem ejuſdem pœnæ pecuniarum deferenti prædicta in publicam notitiam, & reſiduum pauperibus conſiſtentibus in presbyterio vel parochia excedentis volumus applicari.

### III. *De officio ſubcapellanorum.*

Cum ſit ars artium regimen animarum, pernicioſum debet non immerito reputari, quod hi quibus regimen eſt commiſſum, & quorum induſtria ad hoc ſpecialis eſt electa, ſubcapellanos ſibi aſſociant, & aſſumunt, rudes maxime, & ignaros, quibus poteſtatem abſolvendi, & adminiſtrationem ſacramentorum eccleſiaſticorum, & ea quæ ad curam pertinent animarum, committunt generaliter pro ſuæ libito voluntatis, in ſuorum & ſubditorum periculum animarum. Unde nos volentes ſuper his conveniens adhibere medelam: firmiter inhibemus, & in generali monemus, ne rectores eccleſiarum parochialium, ſæculares vel religioſi, ſubcapellanos vel presbyteros ad executionem hujuſmodi poteſtatis in ſuis eccleſiis vel parochiis admit-

ANNO CHRISTI 1280.

mittant, & ne ipſi ſubcapellani, vel presbyteri eandem executionem uſurpent ſine noſtra licentia ſpeciali. Si quis hujuſmodi noſtræ inhibitionis temerarius violator extiterit poſt tres menſes a tempore editionis ipſius, tam recipientes quam receptos excommunicationi volumus ſubjacere. Non tamen propter hoc eiſdem rectoribus adimimus, quo minus ipſis, in neceſſitate inevitabili, vel cauſa rationabili temporaliter impeditis, liceat ad ſupplendum ea quæ ſibi in dictis incumbunt, alios presbyteros invitare. Super impedimentis vero perpetuis, vel longo tempore duraturis, ad nos volumus haberi recurſum.

### IV. *Qui debent domino epiſcopo confiteri.*

B Cum cura & ſolicitudo totius diœceſis nobis incumbere dignoſcatur; præcipimus quod abbates, abbatiſſæ, priores, & alii prælati, qui pro ſuis conventibus, vel capitulis, tam ſæcularibus quam regularibus, immediate nobis ſubjectis, archipresbyteri, decani, & ſacerdotes curati, nobis vel pœnitentiariis noſtris confiteantur, vel illis quos ſpecialiter dederimus confeſſores; & inhibemus, ne aliquis eos abſolvat, niſi ſuper hoc a ſede apoſtolica vel legatis ejuſdem, vel a nobis, habuerit poteſtatem. Item inhibemus ne canonici in locis collegiatis conſtituti, vel aliæ perſonæ in conventualibus eccleſiis, vel congregationibus eccleſiaſticis, ſæcularibus vel regularibus non exemptis, conſtitutæ, quibus non præeſt a no- C bis ſuperior curam habens ipſorum ſpecialiter animarum, aliquem eligant confeſſorem, nec ab eo recipiant eccleſiaſtica ſacramenta, nec ea aliqui ſibi miniſtrent, vel ipſorum confeſſiones audiant in foro pœnitentiali abſolvendo, quibus hoc non fuerit ſpecialiter a nobis injunctum, vel quibus ab epiſcopo Pictavenſi cura ipſorum commiſſa non fuerit animarum. Item interdicimus dictis abbatibus & prioribus, curam habentibus animarum, ne ſubditos ſuos attentent abſolvere in cauſis, in quibus eſt a jure abſolutio ſpecialiter reſervata, ſed ipſos ad nos vel pœnitentiarios noſtros remittant; niſi eis in caſibus prædictis abſolvendi licentiam dederimus ſpecialem.

D

### V. *De his qui abſolvere non poſſunt.*

Abuſum erroneum qui in noſtra diœceſi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicari volentes: inhibemus, ne diaconi confeſſiones audiant, & ne in foro pœnitentiali abſolvant: cum certum & indubitatum ſit ipſos abſolvere non poſſe, cum claves non habeant, quæ in ſolo ſacerdotali ordine conferuntur; & contrarium facientes, poſt monitionem quam ſuper hoc in generali facimus, excommunicationis ſententia innodamus.

### VI. *De ſervientibus Judæis & uſurariis.*

E Cum Judæis, ne ſub prætextu alendorum puerorum, vel pro ſervitio, vel alia qualibet cauſa, nutrices vel ſervientes cujuſcumque ſexus fidem tenentes catholicam, in domibus ſecum habere præſumant, canonica inhibeant inſtituta: nos volentes inhibitionem hujuſmodi, quam multorum fertur temeritas præterire, pœnæ adjectione innovare: ſtatuimus quod quicumque Judæus contra præmiſſa fecerit, pro quolibet exceſſu in quinquaginta ſolidos puniatur ſecundum jura: Judæi poſſint ab illicitis per eccleſiam, etiam pecuniariter coerceri: quarta parte illius pœnæ, detegenti præmiſſa, & deferenti in publicam notitiam, & reſiduo pauperibus parochiæ in qua delinquens Judæus morabitur, applicando. Chriſtianus vero vel Chriſtiana, qui contra inhibitionem noſtram & monitionem prædictam, quam ſuper hoc in generali facimus, ſervitio inſtiterit Judæorum, excommunicationis ipſo facto incurrat ſententiam. Ceterum cum fere omnes Judæi, in civitate & diœceſi Pictavenſi, uſuras utriuſque teſtamenti pagina deteſtatas non vereantur publice exercere: nos conſiderantes quod eo magis adimetur Judæis libertas vel opportunitas fœnebrem pecuniam exercendi, cum minor ſibi aderit commoditas fœnerandi: diſtrictius inhibemus, ne decani rurales, archipresbyteri, & alii ſubditi noſtri, ſuper contractibus Judæorum, obligationibus, ſeu conventionibus, ad commodum eorum initis, litteras ſigillare, vel eas ſcribere, vel auctoritatem impertiri præſumant. Item ne aliquis Chriſtianus audeat Judæis mutuo dare pecuniam, vel rem aliam conſiſtentem pondere, numero, vel menſura, nec cum ipſis Judæis alium contractum in fraudem mutui celebrare, nec ipſos Chriſtianos a Judæis, vel Judæos a Chriſtianis delegatos ſuſcipere debitores, nec cum ipſis potu, vel cibo, vel medicamento, participare. Item inhibemus, ne aliquis Chriſtianus, extra caſum neceſſitatis, a Judæis voluntariam pecuniam accipiat ſub uſuris, vel cum eis contractum ineat, ſapientem uſurariam pravitatem. Si vero neceſſitas ipſum Chriſtianum compulerit recipere a Judæis pecuniam, ſub uſuris eam non accipiat, nec ſuper hoc ſe obliget, niſi ſub duarum vel trium teſtimonium perſonarum: pœnam quinquaginta ſolidorum pro quolibet actu imponentes cuilibet contrarium facienti: quarta parte deducenti prædicta in plenam notitiam, & aliis partibus, pauperibus parochiæ ubi delinquens morabitur, juxta noſtrum arbitrium applicandis. Prædictum vero ſtatutum de non ſigillandis litteris ſuper contractibus Judæorum, vel obligationibus ad eorum commodum initis, volumus ad officialem noſtrum, & ad auditorem noſtri capituli Pictavenſis, qui in hoc conſenſerint, extendi.

### VII. *De purgatione.*

Sicut juſtis oppreſſorum petitionibus inclinari convenit judicantem, ſic voces malignantium querelosas ipſum decet & convenit obaudire. Eapropter tam officiali noſtro Pictavenſi, quam auditori cauſarum curiæ noſtri capituli Pictavenſis, de conſenſu ipſius capituli, & aliis ſubditis noſtris, qui judiciaria præeminent poteſtate, diſtrictius inhibemus: ne paſſim & indiſtincte, ad ſupplicationem & petitionem cujuſlibet, præſumant quoſlibet pro ſubeunda purgatione, vel ſecuritate præſtanda, coram ſe ad judicium evocare, nec ſint nimis faciles in citationibus vel talibus concedendis; ſed tunc demum ad hoc procedant, quando penſatis conditionibus & meritis perſonarum, & incumbentis negotii qualitate, conſideratiſque circumſtantiis quæ circa hoc fuerint attentatæ, ſive propter majoritatem vel gravitatem perſonæ conquerentis, & ſuper hoc, perſonæ jurantis, ſive propter adjunctionem duarum fide dignarum perſonarum, una cum ipſo jurantium ſe credere in dicta littera purgatoria, vel aſſecutoria, vera eſſe, veriſimiliter præſumitur, quod ſi impetravit, aliquid ex malitia non procedit. Item inhibemus, ne quis ad ſubeundam purgationem ſuper lepra, ad judicium vel eorum ſuperiorem valeat evocari: niſi per litteras patentes capituli, in cujus parochia moratur ille qui ſuſpectus de lepra dicitur, vel per litteras ſui decani, vel archipresbyteri, prima facie innoteſcat, quod ipſe citandus, eſt ſuper hoc publice diffamatus. Item prohibemus, ne aliquis judicum prædictorum, aliquem, pro perhibendo teſtimonio veritati, in cauſa litigantium aliquorum, præſumat ad judicium perſonaliter evocare, niſi prius inſpectis actis cauſæ appareat manifeſte, quod ſtatus ipſius requirit teſtium productionem fieri, & citationem hujuſmodi concedendam. Si vero aliter quam ſuperius exprimitur, citatio conceſſa fuerit in præmiſſis: nullius ſit momenti, nec proceſſus qui ſecutus fuerit ex eadem.



ANNO CHRISTI 1280.

### VIII. *De ſubticentibus ſcripta prædeceſſorum.*

Cum bonæ memoriæ dominus Hugo prædeceſſor noſter, privilegia & indulgentias, litteras, & ſcripturas, haberet tempore mortis, quæ erant ad certificationem & ad rectificationem epiſcopatus in ſpiritualibus & temporalibus, & certitudinem ſive memoriam rerum ipſius epiſcopi, vel epiſcopatus, tam immobilium, quam mobilium, & ſe moventium: ne per occultationem, ſeu ſubtractionem litterarum, ſive indulgentiarum ſcriptorum illorum, nos vel epiſcopatum noſtrum damnificari contingat, omnes & ſingulos, tam clericos, quam laicos, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, vel conditionis exiſtant, generaliter una monitione præhabita pro omnibus * & hortamur attente ut ſi ſint vel fuerint, poſt dicti prædeceſſoris noſtri obitum, litterarum vel ſcriptorum dictorum detentores aliqui, quod ea nobis vel officiali noſtro reſtituant ſi habeant, vel dolo habere deſierint: alioquin in noſtram vel officialis noſtri notitiam deferant infra duos menſes. Monemus etiam una monitione perhibita pro omnibus, & hortamur attente omnes, & ſingulos, ut ſi qui ſciant vel retro ſciverint aliquos, qui litterarum & ſcriptorum illorum, poſt mortem dicti prædeceſſoris noſtri, ſint vel fuerint detentores, ſuper hoc nos vel officialem noſtrum certificent plene infra dictum terminum. Alioquin extunc, tam iſtos, quam illos, excommunicamus in his ſcriptis. Item cum dominus prædeceſſor noſter multa bona immobilia & ſe moventia tempore mortis ſuæ habuerit: monemus una monitione perhibita pro omnibus, ut quicumque dictorum mobilium vel ſe moventium, vel quorumcumque mobilium ipſius epiſcopatus, poſt mortem dicti prædeceſſoris noſtri, ſint vel fuerint quidam detentores, infra duos menſes nobis vel officiali noſtro reſtituant, ſi habeant, vel dolo habere deſierint: alioquin in noſtram vel officialis noſtri notitiam deferant, ut exinde faciamus, quod fuerit faciendum. Sed & ſi qui ſciunt, vel ſciverint aliquos, qui dictorum mobilium vel ſe moventium, poſt mortem dicti prædeceſſoris noſtri, ſint vel fuerint occaſione aliqua detentores: ſuper hoc infra dictum terminum, nos, vel officialem noſtrum, plene certificent: alioquin extunc, tam illos, quam iſtos, excommunicamus. Item monemus & una monitione perhibita pro omnibus, archidiaconos, & archipresbyteros, ut quidquid de proventibus eccleſiarum, & aliorum beneficiatorum vacantium curam habentium animarum annexam, ultra quarentenas ſuas, ſede vacante perceperint, & alios qui de prædictis aliquid habuerint, necnon omnes illos qui de bonis ſacerdotum & clericorum beneficiatorum inteſtatorum aliquid habuerint ſede vacante, nobis vel mandato noſtro reſtituant infra menſem.

* Deeſt monemus.

### IX. *De perturbantibus ſynodum.*

Monemus una monitione perhibita pro omnibus univerſos & ſingulos in generali; ne quis audeat ſanctam ſynodum impedire, aut quoquo modo perturbare præſumat: & contrarium facientes excommunicationis ſententia innodamus. Monemus in generali univerſos & ſingulos habentes eccleſias parochiales, vel capellanias, ſeu beneficia curata, ut faciant in eiſdem reſidentiam perſonalem. Monemus in generali omnes illos, qui ſede Pictavenſi vacante, beneficia curam animarum habentia, vel capellanias, ſeu domos eleemoſynarum ſint adepti, vel ad ea præſentati, ſede Pictavenſi vacante, qui ſe nobis non præſentaverint, infra tres menſes coram nobis ubi fuerimus ſe præſentent, titulum ſibi competentem in præmiſſis oſtenſuri. Inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne rectores eccleſiarum parochialium admittant aliquos capellanos non beneficiatos ad celebrandum in eccleſiis ſuis continuo ultra duos dies, ubi ipſi capellani litteris noſtris fuerint præmuniti, quod * ſibi in noſtra diœceſi.

### X. *De quæſtuariis, decanis, & archipresbyteris.*

Inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliquis quæſtuarius recipiatur abſque noſtris litteris. Inhibemus archipresbyteris & decanis, ne recedant abſque noſtra licentia: & injungimus eiſdem, quod antequam recedant, ſcribant & nobis referant exceſſus factos contra juriſdictionem eccleſiaſticam. Item quod nos certificent de locis ubi morantur Judæi in diœceſi Pictavenſi, & de prioratibus ubi conſueverunt eſſe duo monachi, & modo nulli ſunt, vel unus tantum. Item & de illis qui habent capellanias, & beneficia curata, & non ſunt promoti in ſacerdotes, licet ea habuerint per annum & amplius.

### XI. *De biſſexto & aliis.*

Monemus in generali, quod de biſſexto & aliis juribus epiſcopalibus reddant nobis, vel mandato noſtro: item de ſynodo, parata, & aliis juribus archidiaconorum. Capicerii, & aliorum prioratuum eccleſiæ noſtræ, ſibi " ab his qui ad ea tenentur ſatisfactum, antequam recedant. Et inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne recedant ſatisfactione non facta. Suſpendimus omnes, & ſingulos, qui ad ſynodum venire tenebantur & non venerunt, niſi impedimento canonico fuerint detenti. Anno Domini MCC LXXX.

" Corr. ſit.

# VITA ET EPISTOLÆ MARTINI PAPÆ II. VULGO IV.

MArtinus hujus nominis ſecundus, Simon ante dictus, natione Gallus, patria Brienſis, quondam Turoni canonicus, vir pius & ſanctus, poſt obitam in Gallia legationem ſedis apoſtolicæ, ex cardinale presbytero tituli ſanctæ Cæciliæ creatus eſt pontifex octavo Kalendas Martii anno Domini 1281. tempore Rudolphi imperatoris. Viterbii coronari recuſavit, quod propter violentiam illatam illa urbs interdicto ſubjaceret. Sed Orvieti 23. Martii inauguratus eſt: ipſo die paſchæ ſex cardinales creavit. Carolus rex Siciliæ ibi eum inviſit; eique ſenatoriam dignitatem, non ſine aliqua ignominiæ nota, reſtituit. E familia Urſinorum cardinalem Romam miſit, qui Urſinos cum Hannibaldis reconciliavit; ubi Richardus, laqueo in collum injecto, ad pedes cardinalis humiliter ſe dimiſit. Cumque Romanis conceſſiſſet, ut duos ſenatores deligere poſſent, Hannibaldus Petri Hannibaldi filius, & Pandulphus Gabellus electi fuere. Palæologum, quod promiſſis in reconciliatione eccleſiæ Græcæ cum Latina factis non ſtetiſſet, & Peruſinos, quod de facto Fulgentium invaſiſſent & contriviſſent, Petrum etiam Aragoniæ regem, ideo quod a tempore pacis, ſe authore cum Carolo factæ, regnum Neapolitanum divexare, Siciliamque adjutus viribus Joannis Procidæ, authoris illius truculentiſſimæ ſtragis, quam veſperas Sicilianas vocant, occupare non deſineret, excommunicavit. Tandem Peruſii, quo ipſe propter certos tumultus inter Gibellinos & Guelphos exortos ſe contulit, morbo correptus, anno 1285. animam Deo reddidit, ac in eccleſia cathedrali ſepulturæ honorem accepit, dum annis quatuor, menſe uno, ſeptemque diebus eccleſiæ præſediſſet. Ad ejus ſepulcrum plurimi ægroti, claudi ac cæci in ejus ſanctitatis teſtimonium ſanitati reſtituti ſunt.

## EPISTOLA I.

## MARTINI PAPÆ IV.

### AD FRATRES MINORES.

Eis privilegium concedit prædicandi, & confeſſiones audiendi.

*Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis miniſtro generali, & provincialibus miniſtris ordinis fratrum Minorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

AD fructus uberes, quos in agro Dominico, prædicando pariter & exemplo, confeſſiones audiendo, & per alia virtutum exercitia ſatis ordo veſter, & humiles ipſius ordinis profeſſores produxerunt hactenus, & ſperantur in futurum, Deo auſpice, producturi, attentæ conſiderationis aciem convertentes, ut fratres ejuſdem ordinis, prædicationis & audiendi confeſſiones officia eo liberius & efficacius exequi valeant, quo citius de ipſorum circa eadem de authoritate apoſtolica conſtabit tibi, fili, miniſtro generali per te, vobis vero provincialibus miniſtris cum diffinitoribus in provincialibus veſtris capitulis congregatis, committendi authoritate apoſtolica fratribus ejuſdem ordinis ſacra pagina eruditis, examinatis & approbatis a vobis, prædicationis officium, audiendi vero confeſſiones, abſolvendi pœnitentes, ſalutares eis injungendi pœnitentias, & fratribus alias idoneis concedendi: eiſdem quoque ſæpe facti ordinis, quibus dicta officia per vos taliter conceſſa ſeu commiſſa fuerint, quod eadem libere valeant exercere, plenam damus & concedimus authoritate præſentium facultatem: diſtrictius inhibentes, ne quis fratres ipſius ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, ut præmittitur, ſive etiam committenda in exercitio ſive executione officiorum ipſorum, audeat quomodolibet impedire. Volumus autem quod hi, qui fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis parochialibus presbyteris confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale concilium ſtatuit, teneantur: quodque iidem fratres eoſdem ad hoc diligenter & efficaciter ſecundum datam eis gratiam a Domino exhortentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum apud Urbem veterem quarto Idus Januarii, pontificatus noſtri anno primo.

## II. AD CAPITULUM ECCLESIÆ SANCTI MARTINI TURONENSIS.

De privilegiis ejuſdem eccleſiæ.

*Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis decano & capitulo eccleſiæ ſancti Martini Turonenſis, ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

ECcleſiam veſtram, in qua dudum in minori officio conſtituti, theſaurariæ officium geſſimus, ſinceræ dilectionis brachiis amplexantes, in his quæ perſonis in ea virtutum Domino famulantibus votiva ſecundum Deum fore proſpicimus, nos favorabiles exhibemus. Cum itaque ordo, qui circa celebrationem Divinorum officiorum in eccleſia ipſa conſuevit hactenus obſervari, ſit per aliquorum additionem & ſubtractionem etiam immutatus: nos intendentes ſuper hoc ſalubriter providere, authoritate vobis præſentium indulgemus, ut in celebratione officiorum prædictorum, ordinem, quem eccleſia Romana in Divinis officiis celebrandis obſervat, uti libere, ſi eidem eccleſiæ videritis expedire, poſſitis: & nihilo minus ſpeciales ipſius eccleſiæ veſtræ feſtivitates, ſi velitis, more ſolito celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum.



Datum apud Urbem veterem, Idibus Februarii, pontificatus noſtri anno primo.

## II. AD IDEM.

De privilegiis ejuſdem eccleſiæ.

*Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis decano & capitulo eccleſiæ beati Martini Turonenſis, ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

SPecialis illa dilectio, quam ab olim ad venerabilem ſancti Martini Turonenſis eccleſiam ex ſinceræ devotionis integritate concepimus, ſolicita nos pulſat inſtantia, ut ejus incommodis utiliter obviando, & ipſius quieti providendo, ſalubriter ipſam privilegiis decoremus, inſignibus & condignis favoribus foveamus. Hæc enim glorioſi præſidis ſuffulta præſidiis, præter illa devotionis & honoris obſequia, quæ ad reverentiam ejus, cujus ſacratiſſimum corpus in ea celebri memoria requieſcit, toto orbe terrarum generaliter promeretur ab omnibus, eo ſpecialius eſt a nobis amplioris honoris titulis extollenda, quo peculiaris quodammodo reverentiæ debito ratione multiplici ex cordis intimis eidem adſtringimur, & dudum ante ſuſceptum apoſtolatus officium, ab ipſa nos beneficia potiora meminimus percepiſſe. In hac ſiquidem veneranda Dei eccleſia magnificis laudum attollenda præconiis, quæ velut mater benefica, non ſine ſuavitatis materna dulcedine, ſuis nos diutius lactavit uberibus, canonicatum, præbendamque ac perſonatum nobilem theſaurariæ ſuſcepimus, ac ipſos cum multis honoribus, magniſque profectibus, per curricula temporum non parva tenuimus ſic ſuſceptos, donec Excelſi dexteræ mutatione mirifice in patrem vocati de filio, licet immeriti, ad apicem fuimus apoſtolicæ dignitatis aſſumpti. Digne igitur ad ipſam eccleſiam ſpeciali prærogativa dilectionis afficimur: digne beneficia grata ab ipſa nobis exhibita debita gratitudine contemplantes, nos eis gratioſos gratanter offerimus, & ejus non immemores, uberum ipſam ubertate apoſtolicæ gratiæ fœcundamus. Volentes itaque præfatam eccleſiam, quam prædicti ſancti nec immerito merita clara clarificant, non tam ob memoriam munerum ab eo perceptorum, ut diximus, quam ob ejuſdem ſancti reverentiam, qui ibidem præcipue veneratur & colitur, nobili privilegio decorare: univerſitati veſtræ authoritate apoſtolica indulgemus, ut in omnes qui ejuſdem eccleſiæ bona, ſive quæ ad vos communiter, ſive quæ ad aliquem, ſeu aliquos veſtrum ſpecialiter, aut ad capellanos ſeu clericos prædictæ eccleſiæ ratione ipſius eccleſiæ pertineant, manifeſte invaſerint, vel occupaverint, aut rapuerint, ſeu prædati fuerint, vel vobis, ſeu capellanis, aut clericis præfatis, ſive aliquibus ex vobis vel ipſis ſuper hujuſmodi bonis injuriari præſumpſerint, niſi canonice a vobis moniti ſatisfactionem ex his exhibuerint competentem, poſſitis libere, ſive clerici fuerint ſive laici, appellatione remota, cenſuram eccleſiaſticam exercere. Ac ſi ſano uſi conſilio ſatisfactionem impenderint, prolatas propter hoc a vobis in ipſos ſententias juxta formam eccleſiæ relaxare, non obſtantibus quacumque apoſtolica indulgentia quibuſcumque ſub quavis verborum forma conceſſa, quod excommunicari aut interdici nequeant, vel ſuſpendi, & conſtitutione de duobus dictis edita in concilio generali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum apud Urbem veterem quarto Nonas Martii, pontificatus noſtri anno I.

## V. Excommunicationis ſententia contra Petrum Aragoniæ regem Siciliæ regni invaſorem.

*Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum.*

COgit nos temporis qualitas, & nequitia plurium deteſtanda ſolicitat, ut infra ſcriptorum prædeceſſorum noſtrorum geſta*, quæ plenius in archivo conſervantur, eccleſiæ ipſius providere quieti cautius ſtudeamus. Sane felicis recordationis Innocentius papa IV. prædeceſſor noſter, culpas graves, immo graviſſimas ac multiplices, ac manifeſtos exceſſus quondam Friderici olim imperatoris Romanorum, propenſi maturitate conſilii, recti judicii cenſura dijudicans, eique ſecundum prava ſua opera reddens, ipſum honore imperii, regno Siciliæ, ducatu Apuliæ, ac principatu Capuæ, generali ſuper hoc congregato Lugdunenſi concilio approbante, ac juſtitia exigente, privavit, prout in univerſalem Mundi notitiam non eſt dubium deveniſſe: nec ab eadem creditur veriſimiliter alienum, qualiter Fridericus ipſe aucto ſuperbiæ ſpiritu, quamquam ſic digne depoſitus, ſic juſte privatus, ſententiæ hujuſmodi privationis prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnens, regnum & imperium ſupradicta, poſt ejuſdem prolationem ſententiæ, occupata detinere præſumpſit. Qualiter autem poſt jam dicti Friderici obitum quondam Contradus natus ejus, paternæ malitiæ imitator, dictum regnum præſumptuoſis auſibus occupavit, & tandem prædicto Conrado humanis rebus exempto, quondam Manfredus olim princeps Tarentinus, ejuſdem ut dicitur Friderici filius, qui etiam abſque privatione prædicta non injuſte legitimæ ſucceſſionis participium perdidit, quia ipſum partus legitimus non agnovit, utpote de damnabili commixtione ſuſceptum, ad occupationem prædicti regni temerarias & occupatrices manus extendit. Gravibus ergo & enormibus admodum per potentiam & malitiam eorundem injuriis irrogatis eccleſiæ, ipſaque in ſuis afflicta multipliciter fidelibus: reſpexit Altiſſimus ſponſam ſuam, & convertens illi nubilum in ſerenum, ſceleſtam prædicti Friderici domum, quæ conſueverat quantumvis malis abundare perſonis, ſic pene redegit in nihilum, ſic illam jactura multimodæ diſſipationis oppreſſit, ut de ipſa non ſcintilla unica remaneret. Conradinus videlicet Conradi filius ſupradicti, qui, cum in eo malitia ſuppleret ætatem, ipſeque annorum ſuorum curricula nequitia ſuperaret, progenitorum ſuorum nefarios actus ſequens, ac illorum profanas iniquitates amplectens, mentiſque ambitioſæ vitio imperium expetens, ſibi regnum intitulando Siciliæ, ſe ipſius regni regem denominare temere præſumebat: & cum nonnullis eccleſiæ inimicis, Lombardis, Tuſcis, Marchianis, & Apulis præcipue de regno profugis prælibato, fraudulentis ſe implicando commerciis, in urbe Lombardia, Tuſcia, & per alia

*dicti ſequentes.

alia diverſa loca, ſuas diſſeminare litteras præſumebat, ſub expreſſione ſui proprii nominis & præmiſſæ intitulationis temere ſigillo regiæ majeſtatis impreſſas, per quas commovere populum, concitare gentes, ac turbare pacem eccleſiæ nitebatur, in ipſius eccleſiæ ac cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ regis illuſtris grave præjudicium & diſcrimen. Unde piæ memoriæ Clemens papa prædeceſſor noſter, cum ſibi de his evidentius conſtitiſſet, diligenter attendens multam ipſius Conradini malitiam, & ſuorum conatuum perverſorum volens obviare principiis, certum habuit contra eum in hac parte proceſſum, prout vidit rationabiliter expedire, ac negotii qualitas perſuaſit. Demum præfato Conradino ſublato de medio, eidem regno pax rediit, aurora tranquillitatis illuxit, ſedatis turbationibus & fluctibus, quos ipſius Conradini prava ſtudia ſuſcitarant. Sed ſicut nuper non ſine multa turbatione, fide dignorum relatu percepimus, nonnulli proterve aſſurgentes, ad noſtram necnon eccleſiæ dictique regis turbationem & ſcandalum aſpirantes, in prædicto regno ignem turbationis emortuæ reaccendere moliuntur, ad id ſua ſtudia inique congerunt, ad id ſuarum virtutum potentiam coacervant, manus præſumptuoſas apponunt, & etiam occulti favoris auxilium largiuntur. Teſtatur hæc inter cetera, horrendi ſceleris feralis immanitas de novo in civitate Panormitana patrati, ubi ſic debacchatus eſt gladius, ferrum infremuit, furor incanduit, rabies inſanivit, manus truculenta deſævit, quod, ſicut rumor mœſtus enunciat, non ſuffecit virorum ac mulierum multitudinem ibi cædi dari, niſi & hi, quos nondum in lucem natura produxerat, maternis apertis uteris necarentur, trucidarentur innati, & deliteſcentibus viſceribus genitricum impiæ præfocationis exitium ferretur. Quia ergo præfatum regnum Siciliæ ad Romanam eccleſiam ſpectare dignoſcitur, ſuique juris & proprietatis exiſtit, ac propter hoc nos, qui una cum eccleſia ipſa medullitus in hac parte contingimur, & quaſi cujuſdam acerbæ punctionis aculeo excitamur: volentes tam gravibus hujuſmodi malorum initiis, prout poſſumus, obviare, ne tam horrenda principia convaleſcant, præſente hac fidelium multitudine copioſa, de fratrum noſtrorum conſilio, univerſos & ſingulos, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, monemus attente, diſtricte præcipientes eiſdem, ne in prædicti regni vel ejus partes, nos & eamdem eccleſiam & præfatum Siciliæ regem, qui prædictum regnum ab eadem tenet eccleſia, per ſe vel per alium aut alios, moleſtent, ſeu impetant, aut perturbent, occupando, vel invadendo hoſtiliter, ſeu occupari vel invadi hoſtiliter faciant regnum ipſum, vel aliquam partem ejus. Præcipimus inſuper univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ſpecialiter autem marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus, & univerſitatibus, villarum, & aliorum quorumcumque locorum Italiæ, & maxime juriſdictioni temporali eccleſiæ Romanæ ſubjectis, ne prædictis in occupatione vel invaſione hujuſmodi prorſus intendant, & ne cum armis vel ſine armis, ad turbandam in prædicto regno pacem ejuſdem Romanæ eccleſiæ, ac præfati regis Siciliæ in eadem, præſtent eis occupatione vel invaſione prædictis conſilium, auxilium, favorem, publice vel occulte, & ne ſuper hoc ſocietatem, conjurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eiſdem. Si qui autem contra monitionem & præcepta noſtra præmiſſa, per ſe, vel per alium aut alios quoſcumque, dolo, fraude,

A arte, vel machinatione fecerint, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, excommunicationis ſententia, quam exnunc in illos proferimus, ipſo facto ſe noverint innodatos. Civitates quoque & communitates quaslibet, quæ contra monitiones & præcepta noſtra prædicta, quocumque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire præſumpſerint, eccleſiaſticæ ſententiæ interdicti, quam exnunc in illos proferimus, volumus ſubjacere. Aperte quoque prædicimus patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & aliis inferioris gradus prælatis, quod ſi contra monitionem & præcepta noſtra præmiſſa, vel eorum aliquod, venire tentaverint, nos eos omni eccleſiaſticæ dignitatis B honore, ceteros autem clericos non prælationis officium, ſed dignitatis forſitan, vel perſonatus, aut alicujus eccleſiaſtica beneficia obtinentes, & obtentis privare curabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout nobis facti qualitas ſuggeret, & juſtitia ſuadebit. Laicis vero, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, & præcipue juriſdictioni temporali eccleſiæ Romanæ ſubjectis, denunciamus expreſſe, quod ſi contra monitiones & præcepta noſtra hujuſmodi, per ſe, vel per alium, ſeu per alios temere veniendo, ea non curaverint obſervare, nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipſos feudis & aliis omnibus, quæ a prædicta, & aliis eccleſiis C perſonis eccleſiaſticis, obtinere noſcuntur, privare, & vaſſallos eorum, quos habent, a fidelitatis juramento, quo tenentur, eiſdem reddere penitus abſolutos, & perſonis eorum citra mortis & mutilationis periculum expoſitis, ad expoſitionem bonorum eorum procedere, Deo authore curabimus, prout eorumdem culpæ exegerint, & videbimus expedire. Ceterum quia prædicta civitas Panormitana, & nonnulla caſtra ſeu villæ illarum partium, contra præfatum regem Carolum, qui regnum ipſum ab eadem tenet eccleſia, rebellionis ſpiritum aſſumpſiſſe dicuntur: nos circa illa nolentes in hoc juris rigorem obſervare, ſed uti potius manſuetudinis lenitate, quam in actibus noſtris libenter amplectimur, D intendentes ac volentes eadem ab hujuſmodi erroris initio paternis ſtudiis revocare; comitatibus, civitatibus caſtrorum ac villarum prædictarum, diſtricte præcipimus, ut, ſublato cujuſlibet difficultatis & dilationis objecta, ad noſtra mandata & eccleſiæ ac regis prædictorum redire procurent. Eiſdemque comitatibus diſtricte præcipimus, ne prædictos moleſtatores, & turbatores, occupatores, ſeu etiam invaſores, aut dantes eiſdem in prædictis conſilium, auxilium, vel favorem, in civitatem, caſtra & villas, ſeu diſtrictus eorum, quovis modo recipiant, vel receptent, nec ipſorum vel alicujus eorum dominio vel regimine quovislibet ſe ſubmittant; neque ipſis, vel eorum alicui, contra nos & eamdem eccleſiam ac E regem prædictum in ea, impendant in prædictis conſilium, auxilium, vel favorem, publicum vel occultum. Nos enim confœderationes ſeu colligationes quaslibet, ſi quæ inter communitates eaſdem; vel ipſos & quoſcumque alios, initas vel factas ſuper occupatione vel invaſione prædictis, penitus diſſolventes, ac juramenta de illis ſervandis, vel alio quocumque modo, prædictis hinc inde præſtita, relaxantes omnino; comitatibus ipſis aperte prædicimus, quod, niſi præmiſſa curaverint quantocius adimplere, contra eos & civitates & caſtra & villas eorum ſpiritualiter & temporaliter, authore Domino, pro-





cedemus, quod pœna dicente cognoſcere poterunt, quam ſit temerarium & ſuperbum mandatis apoſtolicis contraire, ut aut, &c.

Datum apud Urbem veterem in platea dictæ majoris eccleſiæ, in die Aſcenſionis Domini, pontificatus noſtri anno ſecundo.

## V. AD EDUARDUM I. REGEM ANGLIÆ.

Monet ut duellum inter Carolum regem Siciliæ & Petrum Aragonium prohibeat.

*Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei Eduardo regi Angliæ illuſtri.*

DEcet excellentiam regiam, & ſaluti tuæ nihilo minus congruit, quod in te ſemper vigeat ſic ordinatus affectus, ut animum libenter ad promovenda Chriſti negotia dirigas, tranquillitatem publicam votive promoveas, deſideranter horum impedimenta præpedias, & prout ex alto conceditur, incrementa procures. Ideoque conventiones multa indecentia plenas, & temeritate non vacuas, reprobas quidem & merito reprobandas, inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum illuſtrem Siciliæ regem, & Petrum, exigentibus ſuis exceſſibus per ſedem apoſtolicam vinculo excommunicationis aſtrictum, quondam Aragonum regem, non abſque nimiæ animoſitatis inordinatione habitas: circa quod ambo, cuilibet eorum comitiva centum militum aſſiſtente, ad illud concurrant, altrinſecus inſimul confligant, celſitudini regiæ confidenter exponimus: & ut ibi earum qualitas plenius pateat, ſub bulla noſtra, ipſarum de verbo ad verbum ſeriem, prout eam a memorato Siciliæ rege recepimus, deſtinamus. Ex quarum circumſpectione, manifeſte circumſpectio regalis advertet, quantum ſint conventiones eædem obviæ Crucifixi negotiis & præcipue terræ ſanctæ, quantumque toti Chriſtianitati damnoſæ: cum illarum perſecutio non ſolum memoratum regem ab eiſdem negotiis & ipſius Chriſtianitatis promovendis utilitatibus abſtrahat, ſed & alios principes & magnates, ceteroſque fideles, qui circa proſecutionem eamdem in ſe vel in ſuis occupantur, avertat: & proinde manifeſto exponatur terra præfata diſcrimini, dum ejus ſubſidium multis excogitatum vigiliis, multiſque ſumptibus & laboribus præparatum, damnabiliter impeditur. Nec minus attendere poterit ejuſdem tuæ circumſpectionis induſtria, quam periculoſa poteſt inter Chriſticolas ex proſecutione hujuſmodi excitari commotio: quantaque illis corporum & animarum pericula ingeri; ac quantum nobis eccleſiæ, tibi, cunctiſque catholicis, quibus eſt eis quomodolibet obviare poſſibile, poſſet a Deo & hominibus negligentia imputari: ad quantam notam aſcribi, ſi talia procedere pateremur: Propter quæ, necnon & alia non facile numeranda diſcrimina, quæ dictarum conventionum executio, Chriſtiani proculdubio prodiga ſanguinis, animarum inimica ſaluti, publicæque pacis æmula & quietis, veriſimiliter comminatur: nos illis promptis remediis obſtare volentes, promiſſionem factam a memorato rege Siciliæ, ſuper dictis conventionibus obſervandis prorſus illicitam, utpote rem prohibitam expreſſius continentem, cum non ſolum in principibus, ſimilibuſque perſonis, ſed etiam in privatis duellum non ſit ab eccleſia tolerandum, reprobandam irritandamque duximus, & penitus vacuandam, & juramentum ſuper eis præſtitum, non ſolum temerarium de-



A clarantes, ſed & carere viribus, ipſumque regem Siciliæ ad illorum decernentes obſervantiam non teneri: abſolvendo eum nihilo minus ab eiſdem, quatenus proceſſerunt de facto: ſibi diſtricte præcipimus, ut a proſecutione promiſſorum & juratorum taliter prorſus abſtineat, & omnino deſiſtat: eidem nihilo minus ſub pœna excommunicationis, & comminationis proceſſus cujuſlibet, quam contra eum quomodolibet habere poſſet eccleſia, ne ad executionem tam damnati certaminis & tam nefandi procedat, & univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ne illa ſibi proſequenda ſuadeant, neve conſilio, auxilio, vel favore, in illis proſequendis aſſiſtant, diſtrictius inhibendo. Cum itaque impediendi tam deteſtabilia, tam B nociva, tibi ſit in promptu facultas, pro eo quod, ſicut earumdem conventionum docet inſpectio, loci determinatio ad hujuſmodi conflictus exercitium deputandi de arbitrio tuo dependet, & ſecundum earum conventionum tenorem idem conflictus, novo eorumdem Siciliæ & olim Aragonum regum non interveniente conſenſu, abſque tua præſentia non procedit: expedit ut ad id te promptum exhibeas, ſolers & operoſus occurras, ne ſi, quod abſit, perturbare tam perverſa negligeres, ea fovere non immerito cenſereris; ſicque pœnæ & comminationis adjectæ in præmiſſa noſtra prohibitione periculum, ut decet tam catholicum principem, non vitares. Quocirca ſerenitatem regiam monentes, rogantes, & hortantes, ac C obſecrantes in Domino Jeſu Chriſto, & per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obteſtantes, & nihilo minus in remiſſionem tibi peccatorum injungentes, mandamus quatenus conflictum hujuſmodi tam deteſtabilem, tam horrendum, ejuſque præparatoria, omni ſtudio quo potes impedias: dictorum Siciliæ & quondam Aragonum regum adventum ad civitatem Burdigalenſem, ejuſque territorium, quin etiam ad quamcumque partem Vaſconiæ, omni quo poteris remedio præpeditionis impedias, & apertius interdicas: tuam nihilo minus in his præſentiam denegando, & tuis inſuper in partibus illis vicariis & officialibus acrius injungendo, ne prædictorum regum guardiam recipere, vel ad dictum locum deputare cer- D tamen, aut aliquod aliud in his miniſterium exhibere præſumant: ſuper quibus eis omnem penitus adimas poteſtatem. Nos enim ad tam pernicioſa, tam noxia omnimodis evitanda, ne dictos Siciliæ ac dudum Aragonum reges, civitatem eamdem, ſeu quamvis, ut prædicitur, Vaſconiæ partem, ad hæc ingredi patiaris, neve in his præſentiæ tuæ copiam facias aut promittas, ſeu locum ſępe fato certamini deputes, aut dictos tuos in eiſdem partibus vicarios ſive officiales in his aliquod miniſterium exhibere permittas, diſtricte ſubjicimus prohibitionis edicto: ac illa omnia & ſingula, quantumcumq; in aliis regio intendimus honori deferre, tibi & eis ſub pœna excom- E municationis expreſſius inhibemus: ſub eadem pœna mandantes, ut ſi aliquid horum eſt proceſſum illud ſtudeas cum celeritate qua poteris revocare. Et nihilo minus dilectum filium noſtrum, tituli ſanctæ Ciciliæ presbyterum cardinalem, virum utique grandi ſcientia præditum, prudentia & morum honeſtate decorum, quem ſuæ probitatis obtentu grandi affectione proſequimur, cujuſque conſiliis te in his acquieſcere rogamus & petimus, ad id inter cetera deſtinamus, ut tam te, quam prædictos vicarios, & officiales tuos, per ſe, ſi facultas adfuerit, vel per ſuos nuncios vel litteras efficaciter moneat & inducat ad parendum præmiſſis apoſtolicis monitionibus, inhibi-

tionibus & mandatis: alioquin per excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententias, ſi opus fuerit, in regnum tuum, & alias tuas ac eorumdem vicariorum & officialium terras, apoſtolica, prout expedire viderit, auctoritate compellat: non obſtantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, tibi vel eiſdem vicariis, ſive officialibus, ſub quacumque verborum forma ſeu expreſſione conceſſis, quod tu vel iidem vicarii & officiales excommunicari vel interdici non poſſitis, aut eadem regnum & terra nequeant eccleſiaſtico interdicto ſupponi, per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ſeu de verbo ad verbum de privilegiis & indulgentiis hujuſmodi, ſive obtinentium eadem nominibus, mentionem; & qualibet alia ejuſdem ſedis indulgentia, cujuſcumque formæ vel tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, aut totaliter non inſertam, effectus earum quomodolibet impediri valeat, vel differri.

Datum apud Urbem Veterem, Nonis Aprilis, anno tertio.

ANNO CHRISTI 1281.

# CONCILIUM SALTZBURGENSE,

In cauſa eccleſiaſticæ diſciplinæ, tempore Friderici archiepiſcopi habitum anno Domini MCCLXXXI. ſub Martino papa IV."

"Corr. ll.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *De alienationibus eccleſiarum.*
2. *De diſpenſatione & prælatorum ratione facienda.*
3. *De jejunio religioſorum.*
4. *De monachis & regularibus proprietatum.*
5. *De habitu religioſorum.*
6. *De diſcurſu religioſorum.*
7. *De capitulis epiſcoporum, abbatum, & aliorum prælatorum.*
8. *De immoderatis ſumptibus viſitatorum.*
9. *De monialibus in clauſtris communem vitam non ducentibus.*
10. *De pluribus beneficiis curam animarum habentibus.*
11. *De reſidentia plebanorum.*
12. *De advocatis eccleſiarum.*
13. *De his qui violentas manus mittunt in clericos.*
14. *De his qui loca ſacra execraverint violenta ſanguinis effuſione.*
15. *Contra patronos & judices, qui bona decedentium clericorum invadunt.*
16. *De pſalmo,* Domine quid multiplicati ſunt.
17. *De falſariis clericis & laicis quocumque modo.*
18. *De his qui a laicis inſtituuntur.*

HÆC SUNT INSTITUTA VENERAbilis domini Friderici archiepiſcopi eccleſiæ Saltzburgenſis, apoſtolicæ ſedis legati, inſtituta in provinciali concilio Saltzburgenſi anno Domini MCCLXXXI.

## PRÆFATIO.

CUm inſtantia noſtra quotidiana eſſe debeat ſolicitudo eccleſiarum nobis commiſſarum, ideo ad laudem & gloriam domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt omnium bonorum ſolidum firmamentum, nos Fridericus Dei gratia ſanctæ Saltzburgenſis eccleſiæ archiepiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, ‡ Hanno, Wilielmus, Bruno, *a Thimon, Bernardus, Gerardus, Friſingenſis, Ratiſponenſis, Pataviensis, Brixinenſis, Chimenſis, Secovenſis, Laventinenſis, epiſcopi, Saltzburgæ in provinciali concilio congregati, infra ſcriptas conſtitutiones ex cauſis rationabilibus ſolenniter ac communiter edidimus, & promulgatas publice mandamus per eamdem provinciam inviolabiliter obſervari.

*a Facti, Timoleon. Hic deeſt epiſcopi nomen. Har.

## CAPITULA.

### I. *De alienationibus eccleſiarum.*

Quia multi prælati bona eccleſiaſtica alienant, vendunt vel diſtrahunt minus juſte, vel etiam locationes longi temporis & nocivas faciunt: de eiſdem ſtatuimus, ut nihil talium de cetero attentare præſumant, niſi expreſſe auctoritate epiſcopi, & conſenſu conventus monaſterii accedente, alias locatio & alienatio prorſus ſit irrita, & alienator ab adminiſtratione temporalium, & ab ingreſſu eccleſiæ tamdiu ſit ſuſpenſus, donec eccleſiam reddat indemnem. Et ut circa hæc fraus & alienationis materia præcludatur, volumus ut ſigillum capituli non apud abbatem, vel apud prælatum, ſed apud maturiores & fide digniores tres fratres capituli, reſervetur.

### II. *De diſpenſatione & prælatorum ratione facienda.*

Item, ne etiam res eccleſiaſticæ in uſus indebitos convertantur, & fidelis diſpenſatio prælatorum apparentius eluceſcat: diffinimus, ut de bonis eccleſiæ ſemel in anno prælatus cujuslibet conventus eccleſiæ convenientium, ſuo de omnibus redditibus & proventibus monaſterio plenam faciat rationem, præſente epiſcopo, vel ejus nuncio ad hoc ſpecialiter deputato, ſi epiſcopus fuerit ad hoc requiſitus: & bis vel ter in anno a ſuis officialibus, monachis & laicis computationem diſcretam faciant & fidelem: & alioquin incidit ſupradictam".

"ſ. pœnam.

III. De

‡ Nomina Præſulum hujus Concili referuntur in Collectione Conciliorum apud Labbeum & Harduinum; verum adeo mendoſe, ut qui ibidem nominantur, *Hanno*, *VVillelmus*, *Thimon* nuſpiam in Catalogis Epiſcoporum appareant. Nam Friſingenſis erat Fridericus; Ratisbonenſis Heinricus: Pataviensis & Brixinenſis erant Wichardus & Bruno; Chimenſis Conradus, Secovienſis Bernhardus, Laventinenſis Herbertus; ſeu ut ab aliis vocatur, Gerhardus. Ex decreto vero XVI. colligitur Synodum eſſe celebratam paulo ante adventum Domini, utpote quum impetentur preces *ab inſtante Adventu* inchoandæ. Hundius hanc Synodum ad an. 1280. non recte rejecit. *Hanſizius Germ. ſacr. tom. 2. p. 390.*



ANNO CHRISTI 1281.

### III. *De jejunio religioſorum.*

Item a feſto Martini ab omnibus religioſis uſque ad Nativitatem Domini jejunium obſervetur: & a quinquageſima eiſdem præcipimus jejunium in cibis quadrageſimalibus inchoare: ſalvis omnibus jejuniis aliis a ſuorum regulis inſtitutis.

### IV. *De monachis & regularibus proprietatum.*

Item ſtatuimus, ut monachi vel regulares, niſi a notitia præſentium infra dies quindecim, vel ante, ad manus ſuorum offerant prælatorum, uſque ad reſtitutionem debitam, ab officio ſint ſuſpenſi; & nihilo minus, ſi manifeſta ſit proprietas, carcerali cuſtodiæ mancipentur.

### V. *De habitu religioſorum.*

Item ut habitus debitus unicuique, religioſos & religioſas diſtinguat a ſæcularibus, a quibus debent eſſe vita & moribus ſeparati: volumus etiam, ut quilibet religioſi & religioſæ, tam monachi, quam extra monaſteria, veſte ſuæ religionis utantur, & veſtes ſæculares nullatenus aſſumere præſumant.

### VI. *De diſcurſu religioſorum.*

Item inhoneſtos & indecentes religioſorum diſcurſus amputare volentes, determinamus ut quicumque prælatus monachum fugitivum vel ejectum, ad admonitionem epiſcopi, rectorum vel viſitatorum ordinis, non receperit, extunc ſit a temporalium adminiſtratione ſuſpenſus, donec recipiat monachum vagabundum: ut inquietos & inobedientes coercere poſſint per pœnas in ſua regula conſtitutas, & mancipare carceribus penitus incorrigibiliter obſtinatos, ubi magis viſum fuerit expedire, quod de conſilio ordinarii ad alia ſui ordinis clauſtra deſtinentur.

### VII. *De capitulis epiſcoporum, abbatum, & aliorum prælatorum.*

Item, licet felicis recordationis Gregorius papa nonus providere * ſtatuerit, ut in ſingulis regnis ſeu provinciis, prælati ordinis ſancti Benedicti de triennio in triennium capitula regularia celebrare deberent, & nos idem ſtatutum in provinciali duximus innovandum: quia tamen nullus fructus adhuc eſt ex prædicto ſtatuto & innovatione, repetita vice decrevimus eadem capitula celebrari; jure tamen ordinariorum per omnia ſalvo.

* Corr. provide.

### VIII. *De immoderatis ſumptibus viſitatorum.*

Item, ne monaſteria immoderatis viſitatorum ſumptibus graviter onerentur: ſtatuimus, qui quilibet abbas, qui pro tempore viſitator fuerit, vel etiam capitulum generale acceſſerit, octo evectionum numerum non excedat: inferiores vero abbates, paucioribus ſint contenti.

### IX. *De monialibus in clauſtris communem vitam non ducentibus.*

Item, cum dolore accepimus, quod quædam moniales in eodem monaſterio communiter habitantes, communem vitam non ducunt, nec in eodem comedunt refectorio, ſed ſeorſum per cameras ſpeciales. Volumus igitur ut communiter regularia loca frequentent, & in eodem refectorio communibus cibis utantur. Et quod abbatiſſa ab adventu Domini uſque in octavam Epiphaniæ, & a Septuageſima uſque in octavam Paſchæ, in dormitorio dormiat, & in refectorio comedat cum eiſdem.

### X. *De pluribus beneficiis curam animarum habentibus.*

Item, cum in noſtro provinciali concilio proxime celebrato clericis plura beneficia curam animarum * habentibus duxerimus injungendum, ut infra certum terminum & tempus, diſpenſationis ſuæ fidem nobis facerent, ut ultimo eis remanente beneficio juxta Lateranenſe" concilium prioribus eſſent ipſo jure privati: ex ſuperabundanti expectantes expectavimus uſque modo. Quare volumus diſtricte præcipientes, ut durante tempore præſentis noſtri concilii litteras ſuæ diſpenſationis nobis exhibeant: alioquin quod prius contra tales beneficiatos ſtatutum eſt, efficaciter exequemur, hujuſmodi beneficia, tanquam de jure vacantia, perſonis idoneis conferendo.

" Later. IV. c. 29.

### XI. *De reſidentia plebanorum.*

Item licet rectoribus eccleſiarum qui a reſidentia excuſantur, mandaverimus in proximo concilio, quatenus perſonas idoneas ordinarent in eccleſiis ſuis in perpetuos vicarios inſtitui ac locari, trimeſtri tempore ad hoc exequendum indulto: tamen quia in hoc exhibuerunt ſe aliqui negligentes, nos inſtitutionem hujuſmodi vicariorum, ſeu locationem eccleſiarum, ſimul & moderamen præbendarum, præciſe ad noſtram providentiam revocamus, ſublata eis omni circa proviſionem hujuſmodi poteſtate: ut ſic puniantur, ex eo in quo delinquere præſumpſerunt.

XII. De

ANNO CHRISTI 1281.

*XII. De advocatis eccleſiarum.*

Item, ſub velamento advocationis nonnunquam gravantur monaſteria, conventualium, parochialium, & aliarum eccleſiarum libertas, & " immunitas perturbantur: decrevimus, ut omnes qui occaſione hujuſmodi, aliquod jus ſibi vendicant in eccleſiis, niſi de jure ſuo ordinarium loci contractum " fecerint, ante feſtum ſancti Joannis Baptiſtæ, quem eis ad hoc terminum peremptorium aſſignamus; extunc ſuper hoc de cetero nullatenus audiantur; & clericus, qui ſe non oppoſuit taliter uſurpanti, pœnam ſuſtineat nuper in Lugdunenſi " concilio ſtatutam.

* Manuſcriptus habet, immunitas. [illegible]
* f. certum fec.
* c. 41.

*XIII. De his qui violentas manus mittunt in clericos.*

Item, cum hi qui violentas manus mittunt in clericos, incidant ipſo facto in canonem legitime promulgatum: diſtricte præcipimus, ut in parochia, in qua tale delictum commiſſum fuerit, vel talis malefactor domicilium habuerit, rectores illarum eccleſiarum ipſum excommunicatum devitent, & denuncient ſingulis diebus Dominicis & feſtivis; ut ſic rubore perfuſus, ad matrem eccleſiam citius revertatur. Illos vero clericos, qui vel alios nominatim excommunicatos, vel interdictos, ad Divina vel eccleſiaſticam ſepulturam ſcienter receperint, ab omni officio eccleſiaſtico ſuſpenſos decernimus remanere: utpote qui ſua temeritate nituntur frangere nervum eccleſiaſticæ diſciplinæ. Et cum * qui in prædictam denunciationem, poſtquam ſibi per ordinarium fuerit demandatum, negligens fuerit aut remiſſus, per quindecim dies ab ingreſſu eccleſiæ, & ab officio ſit ſuſpenſus, & culpam reiteratam pœnæ reiteratio ſubſequatur. Monemus etiam religioſos quoslibet, ut circa prædictum ſtatutum, ordinationem " recolendæ memoriæ domini Guidonis curent inviolabiliter obſervare.

* Concil. Vienn. ann. 1267. c. 4.

*XIV. De his, qui loca ſacra execraverint violenta ſanguinis effuſione.*

Item ſtatuimus, ut quicumque violenta ſanguinis effuſione cœmeterium vel eccleſiam execraverit, ad expenſas pro reconciliatione impendendas, execrationibus hujuſmodi " teneatur. Si ſolvendo fuerit rebellis, per cenſuram eccleſiaſticam a rectore loci, authoritate hujus concilii arceatur; ſi vero ſolvendo non fuerit, alias pro ipſius diœceſani arbitrio puniatur.

* Hæc vocula in manuſcripto deſiderabatur, ait Binius, qui primus vulgavit.

*XV. Contra patronos & judices, qui bona decedentium clericorum invadunt.*

Item ſtatutum bonæ memoriæ Guidonis contra patronos & judices & præcones editum, qui bona invadunt decedentium clericorum, pro neceſſitate temporis aggravantes, ſtatuimus, ut raptores rerum hujuſmodi vacantium eccleſiarum ipſo jure excommunicationem incurrant; & in locis, ad quæ eadem bona violenter ablata, deducta illa eo " fuerint, poſtquam hoc eccleſiarum rectoribus innotuerit, ceſſetur tamdiu a Divinis, donec ſubrepta eadem, ſucceſſori defuncti reddantur, & in loca priſtina reportentur, & alias ſatisfactio competens ſubſequatur. Et hoc ſtatutum non ſolum ad futura, ſed ad præterita extendatur.

* [illegible]

*XVI. De pſalmo,* Domine quid multiplicati.

Item reminiſcens Moyſi ſervi Domini, qui hoſtes populi ſui non ferro pugnando, ſed prece orando dejecit; ſtatuimus, ut per præſentis anni decurſum in inſtanti adventu Domini inchoandum, in ſingulis cathedralibus, conventualibus & parochialibus eccleſiis, pſalmus, *Domine quid multiplicati*, cum oratione Dominica, & verſu, Fiat pax in virtute tua, Eſto nobis turris fortitudinis, & collecta, Deus, a quo ſancta deſideria, clerus, provolutis in terram genibus, & erectis in cœlum cordibus, in Miſſa poſt tertium Agnus Dei quotidie ſemel dicat: quatenus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, rex pacificus, ſedatis tribulationibus, & eccleſiarum perſecutoribus & invaſoribus humiliatis, pacem in populo ſuo multiplicatis interceſſoribus largiatur.

*XVII. De falſariis clericis & laicis quocumque modo.*

Item ad falſariorum malitiam reprimendam diffinimus, ut qui clerici vel laici ſigilla vel litteras principum vel prælatorum falſare, vel falſis ſcienter uti præſumunt, aut etiam falſam monetam cudere, vel quodcumque æs ſeu metallum adulterine fabrefacere, aut his omnibus vel ſimilibus uti ſcienter præſumpſerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Clericis nihilo minus, ſi de hoc convicti fuerint, carcere epiſcopali mancipandis: laicis autem ſæculari judicio condemnandis.

XVIII.



ANNO CHRISTI 1281.

*XVIII. De his qui a laicis inſtituuntur.*

Item conſtitutio concilii proxime celebrati, quæ clericis de manibus laicorum, antequam per ordinarios inſtituantur, eccleſias recipientibus, pœnas ingerit & infligit, in eo, quod experientia deeſſe docuit, ſupplere volentes: ſtatuimus, ut quicumque clericus contra proceſſus pœnas, & ordinationes ordinarii contra eum habens defenſionem præſidio laicorum, illaque auſus fuerit uti, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Verum cum parum ſit jura condere, niſi ſint qui eadem tueantur, præcipimus, quatenus ſalutaria noſtra monita, ut moribus utentium approbentur, in quatuor temporibus anni, in ſingulis cathedralibus & conventualibus eccleſiis recitentur. Rectores vero eccleſiarum ipſa ſcripta habeant, & per ſingulas ſynodos ab archidiacono de earum rerum obſervantia interrogari præcipimus, & inquiri, nihilo minus ſine delectu perſonarum * prævienus in obedientiam, qui noſtrarum ſanctionum inventi fuerint contemptores.

* vox corrupta.

## " ** CONCILIUM LAMBETHENSE,

### A Cantuarienſis provinciæ antiſtitibus celebratum anno Domini MCCLXXXI.

ANno gratiæ MCCLXXXI. *ait Walſinghamus*, qui eſt annus regis Eduardi, a conqueſtu primi, octavus: frater Joan. Peckham Cantuarienſis archiepiſcopus, ne nihil feciſſe videretur, convocat concilium apud Lambheyth, in quo conſtitutiones Othonis & Othoboni, quondam legatorum in Anglia, innovans, juſſit eas ab omnibus cuſtodiri.

Conſtitutiones fratris Joannis de Peckham, quondam archiepiſcopi Cantuarienſis, editæ apud Lambeth, anno Domini MCCLXXXI. & regis Eduardi primi, IX.

TITULI CAPITUM.

1. *De ſacramento Euchariſtiæ.*
2. *De annalibus celebrandis, & anniverſariis.*
3. *De baptiſmo, & ejus effectu.*
4. *De ſacramento Confirmationis.*
5. *Ne ſimul & ſemel quinque ordines conferantur.*
6. *De Confeſſione.*
7. *De eodem.*
8. *De Pœnitentia.*
9. *De uno confeſſore in quolibet decanatu faciendo.*
10. *De informatione ſimplicium.*
11. *De hoſpitalitate tuenda.*
12. *De certificationibus faciendis.*
13. *De falſis procuratoriis non ſignandis.*
14. *Ne fiant clandeſtinæ inquiſitiones.*
15. *De firmis.*
*16. *De religioſis.*
17. *De corruptoribus monialium.*
18. *Item in eodem.*
19. *Item in eodem.*
20. *De apoſtatis.*
21. *Ne religioſi, executores teſtamentorum fiant.*
22. *De habitu clericali.*
23. *De filiis presbyterorum.*
24. *De inſtitutionibus.*
25. *De clericis plura beneficia occupantibus.*
26. *De advocatis.*
27. *De ſuffragiis pro archiepiſcopis & epiſcopis habendis.*

PRÆFATIO.

AB exordio naſcentis eccleſiæ Chriſtianæ, orthodoxi patres, retroactis temporibus, errorum laqueis, morum corruptionibus, adverſitatum moleſtiis, conciliorum tractatibus obviarunt. In eis ſiquidem ſapientes ſe mutuo exacuunt, & congregati ſancti viri, Chriſti domini ſenſum & conſilium faciliter impetrarunt, qui ſe ſpondet talibus ſui nominis honorem zelantibus medium affuturum. Sanctorum patrum igitur veſtigiis inhærentes, juriſque authoritate compulſi, ac neceſſitate multiplici eccleſiæ perurgente: nos frater Joannes, permiſſione Divina, Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Angliæ primas, cupientes præſentibus incommodis obviare; ſperanteſque, Chriſti patrocinante gratia, ad hoc nos poſſe proficere, cum fratrum ac coepiſcoporum noſtrorum, ac ceterorum provinciæ noſtræ prælatorum aſſiſtentia efficaci, de prudentum virorum conſilio, hoc ſacrum concilium mandavimus convocari. Intendentes, prævia Spiritus ſancti gratia, opere & conſilio, tranſgreſſores canonum corrigere; quædam etiam olim ſalubriter edita, non tamen ſatis moribus utentium comprobata, recentia ſtabilire; & contra novellas quaſdam tergiverſationes, quas in furno ſulphureo non ceſſat abyſſi puteus exhalare, novis quibuſdam remediis occurrere, ut valemus, in quo obtrectatorum dentes minime formidamus. Quoniam, etſi res Divinæ tanquam perfectiſſimæ in certis conſiſtant finibus, humani tamen juris conditionem in infinitum currere cogit neceſſitas manifeſta. Contemptum autem canonum immane eſſe piaculum, utriuſque docet pagina teſtamenti. Decretis enim apoſtolicis, & conciliorum diffinitionibus obſiſtentes, a ſanctæ matris eccleſiæ meritis ſunt præciſi: utpote quos romphæa Moſaica plectit ſententia capitali; & ſapientia incarnata illos, qui eccleſiam non audiunt, ethnicis & publicanis ſimiles eſſe decrevit, ac contemptum authoritatis apoſtolicæ in contemptum patris omnium redundare. Quippe quos legum ſuarum Petrus ligat vinculis: in ſummi & cœleſtis imperatoris palatio ſunt ligati. E contra tamen quoſdam frivole de Chriſtiani nominis titulo glorianter, tam clericos quam laicos, quotidianis anguſtiis experimur jugum abjicere, & apoſtolicas ſanctiones arrogantia diabolica conculcare, illius glorioſi martyris Thomæ patriar-

ANNO CHRISTI 1281.

triarchæ noſtri immemores, qui ſe pro hujuſmodi juribus defenſandis murum oppoſuit pro ipſis, primum ſuſtinens exilium, & poſtea paſſionem. Lateranenſis igitur concilii authoritate præmoniti, faciemus canonicas regulas revocari. Et quia Lugdunenſe concilium ultimo celebratum, eo enormius, quo recentius infringitur: ne quis poſſit ſe in temeritate hujuſmodi per ignorantiam excuſare, ipſum volumus in principio recenſeri; non ſolum ut omnibus innoteſcat, verum etiam, ut ſi quid in ipſo videatur intolerabile iſtius regionis conſuetudini, quæ in multis ab omnibus aliis eſt diſtincta, circa illud, temperamentum apoſtolicæ clementiæ humiliter imploretur. Quoniam, ſacro teſtante eloquio, *melior eſt obedientia quam victimæ*: & quia *peccatum ariolandi eſt repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere*. Hanc enim inobedientiam credimus eſſe cauſam mutationis utriuſque parentis [a] eccleſiæ Anglicanæ. Secundo, conſtitutiones ſanctæ memoriæ domini Othoboni eo legi faciemus reverentius, quo ipſe in eiſdem ſtatutis ſuis hoc mandavit fieri hujuſmodi per ſingulos annos ab archiepiſcopis, epiſcopis; in ſynodis ſuis, de verbo ad verbum, poſtea ad honorem apoſtolicum ſublimatus. Tertio, vero recitari volumus concilium de Lametheth, quod, ſanctæ memoriæ, prædeceſſor noſter Bonifacius cum fratribus & coepiſcopis ſui temporis noſcitur ſalubriter edidiſſe: ut circa ipſum quod dicitur fuiſſe appellatione ſuſpenſum, qualiter procedi debeat videatur. Ultimo vero adjicimus quæ nobis videntur neceſſario ordinanda.

1. Reg. 15.

[a] f. partis

## CAPITULA.

### I. *De ſacramento Euchariſtiæ.*

ALtiſſimus de terra aſſumpti corporis creavit humani generis medicinam in ſeptem vaſculis repoſitam, quæ eccleſiæ ſeptem ſacramenta: quæ a pleriſque nec cum condigna tractari reverentia, nec cum debita diligentia diſpenſari, fide didicimus oculata. In his igitur præſens correctio ſumat exordium, & præcipue circa corporis & ſanguinis Domini ſacramentum, quod eſt ſacrum & ſacrificum ſacramentum, ſanctificans manducantes, & ſacrificium oblatione ſua univerſis tam vivis quam defunctis proficiens, pro quorum ſuffragiis immolatur. Multos igitur eſſe numero, & paucos merito, Domini ſacerdotes, quotidianum [a] ſcandalum experimur: inter quorum damnabiles acedias, hanc plangimus præcipue, quod ad hoc ipſum Euchariſtiæ ſacramentum ſe irreverentes exhibent ſupra modum quod ex eccleſiaſticis * linguis conficiunt, contemptibiliter cuſtodiunt, & reponunt, & ipſum tanto tempore negligunt immutatum, donec corrumpantur ſpecies continentes, ut ſalutis author, qui infinito amore ſe in viaticum dedit eccleſiæ, pro tantæ irreverentiæ injuria offendatur. In cujus remedium diſcriminis, ſtatuimus, ut quilibet ſacerdos, quem canonica neceſſitas non excuſat, confiteatur omni hebdomada ſaltem ſemel, & ut in qualibet eccleſia parochiali fiat tabernaculum cum clauſura, decens & honeſtum, ſecundum magnitudinem & eccleſiæ facultates, in quo ipſum corpus Domini in pyxide pulcherrima & lineis tegumentis, ſed nullatenus in loculo, propter comminutionis devitandum periculum, collocetur: quod in omni Dominica præcipimus renovari. In elevatione vero ipſius corporis Domini pulſentur campanæ in uno latere, ut populares, quibus celebrationi Miſſarum non vacat quotidie intereſſe, ubicumque fuerint, ſeu in agris, ſeu in domibus, flectant genua, indulgentias conceſſas a pluribus epiſcopis habituri. Sacerdotes autem in cuſtodia Euchariſtiæ negligentes puniri præcipimus, ſecundum regulas concilii generalis, cap. *ſtatuimus*, & gravius, ſi negligentia perſeveret. Circa deportationem vero Euchariſtiæ ad ægros, ſervetur honeſtas, alias & alibi conſtituta. Attendant inſuper ſacerdotes, quod cum communionem ſacram porrigunt ſimplicibus, Paſchali tempore vel alio, ſolicite eos inſtruant, ſub panis ſpecie ſimul eis dari corpus & ſanguinem Domini, immo Chriſtum integrum, vivum, & verum, qui totus eſt ſub ſpecie ſacramenti. Doceant etiam eos, illud quod ipſis eiſdem temporibus in calice propinatur, ſacrum non eſſe, ſed vinum purum eis hauriendum, traditum ut facilius ſacrum corpus glutiant, quod perceperunt. Solis enim celebrantibus, ſanguinem ſub ſpecie vini conſecrati ſumere, in hujuſmodi minoribus eccleſiis eſt conceſſum. Inſtruant etiam eoſdem, ſumptum ore ſacramentum non nimis dentibus comminuere, ſed tritum modice ſorbere perfecte, ne particula aliqua eveniat in dentium interſtitiis, vel alibi remaneat. Parochiales inſuper ſacerdotes caveant diligenter, ne alicui dent corpus Domini, niſi prius conſtet eis, ipſum fuiſſe confeſſum, teſtimonio vel judicio fide digno, & hujus certificationis onus ipſi ſuſcepturo imponimus ſacramentum, qui habet ea quæ ſalutis ſuæ ſunt neceſſaria procurare. Nullus ergo ſacram communionem præbeat parochiano alterius ſacerdotis, ſine ipſius licentia manifeſta: quam ordinationem non intendimus ad peregrinantes extendere, ut nec neceſſitatis caſui derogare.

[a] f. per quot. ſcand.

* Hic mendum aliquod ſubeſſe videtur. ſl.

Lemma

### II. *De annalibus celebrandis, & anniverſariis.*

Sacerdotes inſuper caveant univerſi, ne Miſſarum peculiarium ſeu familiarium ſe celebrationi obligent, quo minus valeant canonico officio commiſſam ſibi eccleſiam officiare, ut tenentur. Nec præſumat aliquis annalia celebranda ſuſcipere, niſi pro defuncto celebret quotidie, vel procuret ſpecialiter celebrari. Nullus inſuper plura recipiat annalia celebranda, quam habet ſocios celebrantes: illo caſu excepto, in quo procurans ſuffragia fieri pro defuncto conſentit expreſſe, defuncti memoriam alibi vel aliis copulari. Nec credat celebrans ſe dicendo Miſſam unam, poſſe ſatisfacere pro duobus, pro quo utroque promiſit ſpecialiter & in ſolidum celebrare. Licet enim dicat de conſecr. diſt. 5. c. *non mediocriter*, capitulum, quod licet minus accipitur, cum Miſſa una pro cunctis dicitur, [b] quaſi pro unoquoque eorum una diceretur: loquitur tamen de iis Miſſis, quæ anxiato corde dicuntur. Abſit enim ne a quoquam catholico credatur, tantum intentione prodeſſe Miſſam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forſan dicitur, quantum ſi mille Miſſæ pro eis devotione ſimili canerentur. Licet ipſum ſacrificium, quod eſt Chriſtus, ſit infinitæ virtutis, non tamen in ſacrificio ſuæ immenſitatis ſummam plenitudinem operatur: alioquin, pro uno mortuo nunquam oporteret niſi unam Miſſam dicere. Operatur enim in hujuſmodi myſteriis, diſtributione certa ſuæ plenitudinis, quam ipſe eiſdem lege infallibili alligavit. Illos autem, qui pro annalibus ſeu anniverſariis celebrandis ſtipendia receperunt, nec ex certa malitia vel acedia ſatisfaciunt, ut tenentur, monemus, ut omiſſa ſuppleant, & ad plenum ſatisfaciant in futurum. Et quandocunque id fecerint, fructus taliter perceptorum pro annalibus eorum qui eis talia contulerint, erogent pauperibus aut ſi utrumque iſtorum ſponte neglexerint, ſicut fraudatores fidelium ab ordinariis ſuis aſpere corrigantur.

[b] legi. quam. ſl.



ANNO CHRISTI 1281.

### III. *De Baptiſmo & ejus effectu.*

Circa ſacrum baptiſmum quoſdam reperimus deliquiſſe. Cum enim periclitantibus parvulis, pro neceſſitatis inevitabilis articulo, quibuſcunque laicis vel mulieribus ſit conceſſum in caſibus hujuſmodi periclitantes taliter baptizare, & hujuſmodi baptiſmum ad ſalutem conſtet ſufficere, ſi forma debita obſervetur; nec debere baptizatos taliter, iterum baptizari: quidam tamen ſtolidi ſacerdotes, ſic baptizatos parvulos, non ſine ſacramenti injuria rebaptizant. Quod ne de cetero fiat, firmiter inhibemus: ſed ſuper ſic baptizatos exorciſmi & catechiſmi * propter reverentiam eccleſiæ facientes. Forma autem ſacramenti in lingua vulgari conſiſtit, non ſolum in ſignificatis, verum etiam in ordine [c] eorum, quo ipſum ſacramentum eſt Divinitus inſtitutum: [d] quo Chriſtus dominus illis verbis & taliter ordinatis, ut ſunt, lingua Latina, regenerativam contulerit poteſtatem. Dicitur ergo ſic a taliter baptizantibus, *Ich criſtin the in the faderes nome, &c.* vel aliter in lingua Latina, ſecundum patriæ conſuetudinem, vel in Gallico ſic; *Ie baptize tey en noun del peere, &c.* Quod ſi ſacerdos rationabiliter dubitet, an parvulus baptizatus fuerit in forma debita, tenens modum decretalem cum exorciſmo & catechiſmo dicat: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* Attendant etiam ſacerdotes, ne Latina nomina, quæ ſcilicet prolata ſonant Latinam, imponi permittant parvulis baptizatis, ſexus præcipuæ fœminini. Et ſi fiat contrarium, per confirmantes epiſcopos corrigatur.

* Hic aliquid deeſt.

[c] Forte, verborum. ſl.

[d] Forte, quod ſl.

### IV. *De ſacramento Confirmationis.*

Confirmationis inſuper ſacramentum multi negligunt temerarie, quia deſunt forſan ad talia vigiles hortatores: adeo ut plures [e], immo innumeri, inveterati dierum malorum, qui nondum Confirmationis gratiam receperunt. Cui negligentiæ damnabili obviantes, ſtatuimus, ut nullus ad ſacramentum corporis & ſanguinis Domini admittatur, extra mortis articulum, niſi fuerit confirmatus, vel niſi fuerit a receptione Confirmationis rationabiliter impeditus.

[e] Deeſt ſint

### V. *Ne ſimul & ſemel quinque Ordines conferantur.*

Cum, ſecundum doctores theologicos, militia clericalis ſeptem muniatur ordinibus, ſingulorum characteribus in anima conſignata, per ſingulos etiam augmentum recipiens gratiæ, niſi ordinati, ficte ordinem ſuſcipiant crimine irretiti: expedit plurimum ipſos ordines minime inculcatos [f], quoniam inculcatio reverentiam minuit, gloria per conſequens per irreverentiam repercutitur ab ingratis. Contra dignitatem igitur tam reverentiſſimi eſſe dinoſcitur ſacramenti, quinque ſimul Ordines, ſcilicet ordines non ſacros, cum uno ſacro alicui uni homini exhibere. Unde in nonnullis aliis provinciis quatuor minores Ordines non ſimul faciliter conceduntur, aut conferuntur: ut aſcendentes clerici ad Chriſti myſteria, quaſi graduum canticum concinentes, cum probati extiterint in minoribus officiis, gradatim demum procedant ad majora. Quia igitur ex ſingulis eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæque honeſta, ſunt, tenemur eligere, & ea tanquam faſciculum in angelorum * colligare: præcipimus, ut epiſcopi in his ſequantur canonicas ſanctiones. Minores etiam Ordines, quando id poteſt fieri, bono modo, pro ſacramenti reverentia dentur aliquotiens combinati. Et recipientes eos, ſeu ſimul, ſeu ſigillatim, in vulgari lingua publice inſtruantur de diſtinctione Ordinum, officiorum & characterum, ut de profectu gratiæ, quæ in ſingulis Ordinibus digne accedentibus augmentatur.

[f] f. inculcari

* vox corrupta.

### VI. *De Confeſſione.*

Sacramentum Pœnitentiæ, naufragantium remedium ſingulare, per quorundam inſipientium [g] ſacerdotum debito caret fructu: & qui credit a fluctibus emergere, pernicioſius in damnationis pelagum demergitur, dum de facto abſolvunt plurimos, quos de jure abſolvere nequeunt, *& vivificant*, ut ait propheta, *propter pugillum hordei & fragmentum panis, animas quæ non vivunt*, utpote abſolventes de facto, excommunicatos de jure, & præcipue ab Oxonienſi concilio, propter læſionem ſeu perturbationem eccleſiaſticæ libertatis, vel propter conſimilia ſcelera in eodem concilio ſimili pœna damnata, ſeu decimas, ſeu alia jura eccleſiaſtica detinentes. Quibus obſiſtentes ut ſeductoribus animarum, & pulvillos conſuentibus ſub cubitis reproborum: omnibus cautis provinciæ confeſſoribus, ſub nobis & coepiſcopis noſtris conſtitutis, diſtrictius inhibemus, ne de cetero per abſolutionis ſignaculum, quod novimus ſine ſatisfactione debita & ſpeciali commiſſione archiepiſcopi & epiſcopi [h] tenere, dum [i] ſunt in ſuis ſceleribus pertinaces. Exiſtimantes nihilo minus hujuſmodi, non tam confeſſores, quam fovearum diaboli confoſſores, peccare graviſſime, cum convincantur ſaltem tacite eiſdem ſceleribus conſentire, & ſceleroſos in ſua perfidia confortare. Unde caveant ipſi, ne eodem cum talibus excommunicationis laqueo involvantur.

Cum inſuper nos dudum pluralitatem beneficiorum ſacrilege uſurpatam cohibere volentes, inhibuerimus ſub pœna excommunicationis, ne quis de facto ad tales in ſuis furtis & ſacrilegiis contumaces manus extenderet abſolvendos: quidam tamen ſacerdotes poſt Belial, quamdiu ſalvatoris contrarium facere præſumpſerunt, occidentes animas Chriſti ſanguine redemptas, & enervantes diſciplinam eccleſiaſticam. Iſtos igitur, quaſi vulpes demolientes vineas Domini veraciter reputantes, ſub priſtina diſtrictione iterato præcipimus, quatenus a talibus abſolvendis de cetero abſtineant, & ad renunciandum beneficiis illicite obtentis vel retentis, ſolicite inducant: alioquin, ſciant ſe certiſſime diem [k] maledictionis fulgere feriendos.

[g] Corr. inſipientiam

Ezech. 13.

[h] Deeſt non:

[i] hæc non cohærent,

[k] f. in die maled. fulgure fer.

### VII. *In eodem.*

Sunt præterea nonnulli, qui prætextu quorundam privilegiorum generalium a ſede apoſtolica obtentorum, ſpreta contra intentionem apoſtolicam authoritate pontificali, ipſorum pontificum irrequiſito beneplacito & aſſenſu, ingerunt ſe ſubditorum eorundem confeſſionibus audiendis. Quorum præſumptiones volentes reprimere, ut tenemur, prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne quis de cetero, abſque epiſcopi licentia expreſſa vel probabiliter præſumpta, confeſſiones ſuorum audiat ſubditorum, niſi in audiendis confeſſionibus a juriſdictione ordinaria diœceſana, & metropolitica expreſſo tenore ſui privilegii ſit exemptus. Et ſi qui contrarium fecerint, procedatur contra eos, ſicut contra privilegiorum temerarios abuſores.

VIII.

### VIII. *De Pœnitentia.*

Præterea, cum juxta ſacros canones peccata graviora, ut inceſtus, & ſimilia, quæ vulgatiſſima ſuo ſcandalo totam commovent civitatem, ſint ſolemni pœnitentia caſtiganda: quorundam tamen negligentia id agente, hujuſmodi pœnitentia videtur quaſi in oblivionem tradita, & creviſſe per conſequens audacia, hujuſmodi horrenda facinora & flagitia perpetrandi. Quocirca præcipimus, ut hujuſmodi Pœnitentia ſolemnis de cetero imponatur ſecundum canonicas ſanctiones. Abſolutionem autem ab homicidio voluntario, tam publico, quam occulto, ſolis epiſcopis, extra neceſſitatis articulum, reſervamus: per quod minorum intendimus refrænare audaciam, & non majorum reverentiæ in aliquo derogare.

### IX. *De uno confeſſore in quolibet decanatu faciendo.*

Licet a ſanctis patribus jampridem fuerit ordinatum, ut in quolibet decanatu unus ſit rector, aut vicarius, litteraturæ ſufficientis illuſtratus, gratiæ famæque laudabilis aſſignatus, ad confeſſionem rectorum, vicariorum, aliorumque ſacerdotum, ac miniſtrorum eccleſiæ audiendam, injungendaſque pœnitentias, ut ſit mare fuſile in templi introitu, juxta templi typica ſacramenta: hoc tamen hactenus non fuit cleri moribus approbatum non ſine multis Dei injuriis, ac celebrationibus * quæ extractionibus potius dicerentur. Ordinationem igitur prædictam a diſſuetudine revocantes, præcipimus, ut ipſa de cetero inviolabiliter obſervetur. Ex hoc minime inhibere intendimus quin poſſint, ſi voluerint, ad alios communes pœnitentiarios, dum tamen conſtet pro ſacramento pœnitentiæ, convolare.

[Margin: *Locus corruptus.*]

### X. *De informatione ſimplicium.*

Ignorantia ſacerdotum populum præcipitat in foveam erroris: & clericorum ſtultitia vel ruditas, qui diffinitione canonica filios fidelium inſtruere jubentur, magis aliquando ad errorem profuit quam doctrinam. Quidam etiam ceteris prædicantes non ſemper loca viſitant, quæ magis conſtat mentis lumine indigere: teſtante Propheta, quod *parvuli petierunt panem, nec erant qui frangerent*: & alio clamante: *Quia egeni & pauperes quærunt aquas, lingua eorum ſiti aruit.* In quorum remedium diſcriminum ſtatuendo præcipimus, ut quilibet ſacerdos plebi præſidens, quater in anno, hoc eſt, ſemel in qualibet quarta anni, die uno ſolemni vel pluribus, per ſe, vel per alium, exponat populo vulgariter, abſque cujuſlibet ſubtilitatis textura phantaſtica, quatuordecim fidei articulos, decem mandata decalogi, præcepta evangelii, duo ſcilicet geminæ caritatis, ſeptem opera miſericordiæ, ſeptem peccata capitalia cum ſua progenie, ſeptem virtutes principales, ac ſeptem gratiæ ſacramenta. Et ne quis a prædictis per ignorantiam ſe excuſet, quæ tamen omnes miniſtri eccleſiæ ſcire tenentur: ea perſtringimus ſummaria brevitate.

[Margin: *Thren. 4. Iſa. 41.*]

Sciendum igitur ſeptem eſſe fidei articulos pertinentes ad myſterium Trinitatis: quorum quatuor pertinent ad Divinitatis intrinſeca, tres vero ad effectus. Primus eſt unitas Divinæ eſſentiæ in trium perſonarum indiviſibili Trinitate, juxta illud, *Credo in unum Deum.* Secundus eſt, credere patrem ingenitum eſſe Deum. Tertius eſt, credere Filium genitum eſſe Deum. Quartus eſt, credere Spiritum ſanctum, nec genitum nec ingenitum eſſe Deum, ſed a Patre & Filio pariter procedentem. Quintus eſt, creatio cœli & terræ: hoc eſt, omnis viſibilis & inviſibilis creaturæ, a tota indiviſibiliter Trinitate. Sextus eſt ſanctificatio eccleſiæ per Spiritum ſanctum, & gratiæ ſacramenta, & cetera omnia, quæ communicat eccleſia Chriſtiana. In quo intelligitur, quod eccleſia cum ſuis ſacramentis & legibus, per Spiritum ſanctum omni homini quantumcumque peccatori ſufficit ad ſalutem: & extra eccleſiam non eſt ſalus. Septimus eſt confirmatio eccleſiæ per gloriam æternam, in anima & carne veraciter ſuſcitanda, & per oppoſitum intelligitur damnatio reproborum.

Item alii ſeptem articuli pertinent ad Chriſti humanitatem. Primus eſt Incarnatio, ſeu vera carnis aſſumptio ex ſola per Spiritum ſanctum virgine glorioſa. Secundus eſt vera incarnati Dei nativitas ex virgine incorrupta. Tertius eſt veri Dei Chriſti paſſio & mors in cruce, ſub tyrannide Pilati. Quartus eſt deſcenſio Chriſti Dei ad inferos in anima, quieſcente corpore in ſepulchro, ad ſpoliationem Tartari. Quintus eſt vera Dei Chriſti reſurrectio. Sextus vera ejus ad cœlos aſcenſio. Septimus eſt ejus venturi ad judicium certiſſima exſpectatio.

Item, decem mandatorum veteris teſtamenti, tria ordinantur ad Deum, quæ dicuntur mandata primæ tabulæ: ſeptem vero ad proximum, & dicuntur mandata ſecundæ tabulæ. In primo prohibetur omnis idololatria, cum dicitur: *Non habebis Deos alienos coram te.* In quo implicite prohibentur omnia ſortilegia & omnes incantationes, cum ſuperſtitionibus characterum & hujuſmodi figmentorum. In ſecundo, cum dicitur: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*: prohibetur principaliter hæreſis univerſa, & ſecundario omnis blaſphemia & irreverens Dei nominatio, præcipue in perjurio. In tertio mandato dicitur: *Memento, ut ſabbatum ſerves*: præcipitur cultus religionis Chriſtianæ, ad quem differenter clerici & laici obligantur. Unde ſciendum eſt, quod obligatio ad feriandum in ſabbato legali, ſecundum formam veteris teſtamenti, exſpiravit omnino cum ceteris in lege ceremoniis, & ſucceſſit in novo teſtamento modus vacandi cultui Divino diebus Dominicis, & ceteris diebus ſolemnibus: quibus diebus modus vacandi non eſt ſumendus a ſuperſtitione Judaica, ſed a canonicis inſtitutis. Primum quidem mandatum ſecundæ tabulæ: *Honora patrem & matrem.* In quo explicite præcipitur temporaliter & ſpiritualiter, parentes honorare: implicite vero & ſecundario omnis homo, pro ſui gradus merito, ex eodem mandato intelligitur honorandus. In hoc autem mandato intelliguntur non ſolum pater & mater carnaliter: verum etiam ſpiritualiter, ut pater ſit prælatus eccleſiæ mediatus vel immediatus: mater autem eccleſia, cujus ſint filii catholici univerſi. Secundum eſt: *Non occides.* In quo explicite inhibetur illicita perſonæ interemptio, conſenſu, opere, verbo, & favore: implicite hic omnis injuſta perſonæ læſio inhibetur. Unde ſpiritualiter occidunt, qui non reficiunt indigentes: civiliter occidunt, qui detrahunt, vel qui innocentes opprimunt & confundunt. Tertium mandatum: *Non mœchaberis.* In quo explicite inhibetur adulterium, implicite vero fornicatio, quæ explicite prohibetur Deuter. XXIII. ubi dicitur: *Non meretrix de filiabus Iſrael neque ſcortator.* Inhibetur etiam in eodem mandato omnis conjunctio viri & mulieris, quam bona





matrimonii non excuſant: omnis etiam voluntaria pollutio, quocumque modo aliter ſtudioſe procurata. Quartum mandatum eſt: *Non furtum facies.* In quo explicite prohibetur clandeſtina rei alienæ *, invito domino: implicite vero omnis injurioſa ſeu per fraudem, ſeu per uſuram, ſeu per violentiam, ſeu per metum, rei uſurpatio alienæ. Quintum mandatum eſt: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* In quo explicite prohibetur falſa teſtificatio ad nocendum: implicite vero falſa teſtificatio ad indignum contra merita promovendum. In hoc etiam mandato omne mendacium, licet " pernicioſum, condemnatur. Sextum mandatum, *Non concupiſces rem proximi tui*, ſupple, ex injuria. In quo mandato implicite inhibetur cupiditas poſſeſſionis immobilis, catholici præcipue cujuſcumque. Septimum mandatum eſt: *Non deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.* In quibus omnibus cupiditas poſſeſſionis alienæ quantum ad res mobiles condemnatur.

[Margin: * *Corr. uſurpatio, vel aliquid ſimile.*]

[Margin: " *Corr. ſcilicet*]

His autem decem mandatis duo ſuperaddit evangelium: dilectionem Dei ſcilicet & proximi. Deum diligit, qui ex amore, non ex timore principaliter * cuſtodit. Proximum autem debet quilibet diligere ſicut ſeipſum: ubi hæc conditio, ſicut, non dicit æqualitatem, ſed conformitatem; ut videlicet diligas proximum tuum ad quod te ipſum: hoc eſt, ad bonum, non ad malum; & quomodo te ipſum; hoc eſt ſpiritualiter, non carnaliter, ſecundum quod carnalitas dicit vitium. Item, quantumcumque te ipſum; hoc eſt in proſperitate & adverſitate, ſanitate & infirmitate. Item, quantumcumque teipſum reſpectu temporalium, pro tanto ut plus diligas omnem hominem & ſingulum, quam omnem affluentiam temporalem. Item, ſicut teipſum, pro tanto, ut plus diligas proximi tui animam, ſeu animæ ſalutem æternam, quam tuam vitam temporalem; ſicut animæ tuæ vitam debes vitæ præponere carnis tuæ. Item, qualiter te ipſum, ut videlicet omni alii in neceſſitate ſubvenias, ſicut tibi velles in neceſſitate ſubveniri. Et hoc omnia intelliguntur, cum dicitur, *Diliges proximum tuum*, &c.

[Margin: * *Deeſſe videtur mandata*]

Septem ſunt opera miſericordiæ, quæ ex Matthæi evangelio pateſiunt: videlicet, famelicum paſcere, potare ſitibundum, hoſpitio recipere peregrinum, veſtire nudum, viſitare infirmum, conſolari carceri mancipatum. Septimum ex Tobia tollitur, ſcilicet ſepelire corpora mortuorum.

Septem exceptiones verum matrimonium impediunt, ne effectum debitum ſortiatur, vel in quibuſcumque cauſis, ut contra juſtitiam proceſſus eccleſiæ diutius ſuſpendatur.

Item, excommunicantur omnes illi, qui gratia lucri vel favoris malitioſe imponunt crimen alicui, cum apud bonos & graves non fuerit infamatus, ut ſic ei indicatur purgatio, vel alio modo gravetur.

Item, excommunicantur omnes, qui vacante eccleſia, malitioſe opponunt, vel opponi procurant quæſtionem de jure patronatus, ut verum patronum a collatione ipſius eccleſiæ ſaltem impediant illa vice.

Item, excommunicantur omnes illi, qui malitioſe contemnunt exequi mandata regis de excommunicatis capiendis, vel eorum impediunt captionem, ſeu procurant eorum injuſtam liberationem contra decreta eccleſiaſticæ diſciplinæ.

Item, excommunicantur in concilio bonæ memoriæ Othoboni, omnes illi, qui pro impedimento pacis, ſeu compoſitione litigantium, quicquam recipiunt, donec ipſum ſic receptum reſtituerint donatori.

Item, excommunicantur per eundem quicumque de domibus, maneriis, vel grangiis, vel locis archiepiſcoporum, epiſcoporum, vel aliarum perſonarum eccleſiaſticarum, contra ipſorum voluntatem, vel cuſtodum rerum earumdem, aliquid auferunt aut conſumunt, vel injurioſe contrectant: qua ſententia ligantur, nec abſolvi poſſunt, donec de injuria ſatisfecerint competenter.

Item, excommunicantur ab eodem quicumque abſtrahunt violenter reum, ad eccleſiam, vel cœmeterium, vel clauſtrum fugientem, vel qui ei victum prohibent exhiberi, vel qui res alienas in locis ipſis depoſitas violenter aſportant, vel aſportari faciunt, vel qui aſportationem talem factam nomine ſuo vel a familiaribus ſuis, ratam habent, vel qui ad hoc publice vel occulte conſilium vel auxilium præbuerint ſeu aſſenſum.

Item, excommunicati ſunt omnes, qui veniunt aut faciunt contra magnam chartam Angliæ, quæ ſententia eſt per ſedem apoſtolicam pluries confirmata.

De hac publicatione inquirant archidiaconi diligenter: & quoties presbyteros invenerint prædictam moralem inſtructionem, ſeu prædictas excommunicationum ſententias, ſtatutis temporibus minime populo prædicaſſe, toties eos arguant a pœna canonica caſtigandos, & ſupplere compellant quod temere omiſerunt.

### XI. *De hoſpitalitate tenenda.*

Præterea, cum, ſacro teſtante eloquio, paſtores greges ſibi creditos paſcere teneantur, ac os bovis triturantis non debeat alligari: ſtatuimus, ut rectores eccleſiarum, qui in eccleſiis ſuis non faciunt reſidentiam corporalem, nec habent vicarios, per œconomos ſuos hoſpitalitatis gratiam exhibeant, juxta quod ſufficiunt eccleſiæ facultates: adeo ut parochianorum pauperum ſaltem neceſſitati ſubveniatur extremæ, & ut qui ibidem tranſeuntes prædicant verbum Dei, recipiant neceſſaria corporis alimenta: ne eccleſiæ eorum, inopiæ violentia, a prædicantibus merito deſeratur. *Dignus eſt operarius cibo ſuo*: nec quiſquam tenetur propriis * militare.

[Margin: *Matth. 10.* * *Deeſt, ſtipendiis Vide 1. Cor. 9. 7.*]

### XII. *De certificationibus faciendis.*

Quidam ruralium decanorum, in citationibus faciendis contra communem juris ordinem, de Luciferiana verſutia merito diffamantur: qui videlicet certificationem ſubdolam vendunt, pro pecunia, filiis falſitatis, nulla citatione ad notitiam citati ante certificationem hujuſmodi, vel poſt eam, aliquatenus veniente: unde frequenter evenit ut innocens damnetur. In cujus nequitiæ remedium ſtatuimus, ut nulli concedatur certificatorium, niſi die ſolemni, inter Miſſarum ſolemnia, in eccleſia ubi citatus fovet larem, vel amplius converſatur, publice recitatum: hoc adjuncto moderamine, ut citatus ſufficientes habeat inducias, ut die & loco ſibi præfixis competenter valeat comparere. Quod ſi caſu aliquo tantum tempus arcet, quod dilationi non pateat locus: citatione publice facta coram teſtibus, detur certificatorium in eccleſia vel alio loco publico, coram teſtibus fide dignis. Ita quod dies citationis & locus in ipſo certificatorio exprimantur, & nulla fiat certificatio ante citationem: quod jurent ſe fideliter facturos decani.

ANNO CHRISTI 1281.

XIII. *De falſis procuratoriis non ſignandis.*

Exhorrenda quorundam malitia perpendimus accidiſſe, quod, aliquo paſtore eccleſiaſtici beneficii in remotis agente, aliquis doloſus ipſius adverſarius, domum ejus vel rem aliam contra inhibitionem diu concupiſcens, ſpiritu ſatanico ſe in lucis angelum transfigurans, fingit mendaciter prædictum abſentem vocari coram judice, & ſe ipſius procuratorem exiſtere, & vocare "nomine abſentis ad cauſam ejus in judicio defendendam. Prætendens etiam falſum procuratorem" alicui decano vel ſuperiori forſan ſupplicat in hæc verba: *Quia ſigillum meum paucis eſt agnitum, peto ut ſigillum authoritatis veſtræ meo procuratorio apponatis*: & B ſic, data mercede iniquitatis, obtinet quod requirit. Deinde, obtento falſo procuratorio, altero ſe ipſius fingente adverſarium mendaciter, litem ingreditur, & in hac fraude procedens, poſſeſſionem nanciſcitur per ſententiam, vero Domino, cujus ſtatus ſic de facto ſubvertitur, hoc penitus ignorante. Volentes igitur tam deteſtandis fraudibus obviare, ſtatuimus, ut nullus decanus ſeu archidiaconus, vel ejus officialis, ſeu etiam officialis epiſcopi, ſigillum ſuum alicui procuratorio apponat: niſi hoc ab eo petatur publice in judicio vel extra judicium, & is, qui procuratorem conſtituit, quem conſtet eſſe verum dominum, præſens corporaliter hoc requirat, ut fraus quælibet excludatur. Quicumque vero decanus, C archidiaconus, vel officialis ejus, vel etiam officialis epiſcopi, ex certa malitia, contrarium fecerit, per triennium poſtea ab officio & beneficio ſit ſuſpenſus. Quicumque etiam advocatus, hujuſmodi facinus procuraverit, ſuſpenſus ſit per triennium ab officio advocationis, & inhabilis ad beneficium eccleſiaſticum obtinendum. Quod ſi ſit uxoratus aut bigamus, excommunicationi ſubjaceat ipſo facto: eo quod per talem procuratorem actum fuerit vel procuratum, modis omnibus pro infecto penitus reputato. Procurator etiam ipſe, totius falſitatis inventor, ab omni actu legitimo perpetuo repellatur: & ii qui nihilo minus ſuper hoc convinci valeant, parti læſæ ad intereſſe & reſtituendum omnia damna teneantur.

*Corr. vocari

*Corr. procuratorium

XIV. *Ne fiant clandeſtinæ inquiſitiones.*

D Per provinciam noſtram frequenter perpendimus, multos eccleſiaſticorum beneficiorum poſſeſſores ſuis beneficiis fraude diabolica ſpoliari. Dum enim nonnulli infernalis ignis facibus agitati, in ipſorum beneficia oculos ambitionis infigunt, procurant ſe per patronos præſentari ad eadem, impetrantes clandeſtinas inquiſitiones fieri per decanos & alios, & poſſeſſiones nanciſcuntur beneficiorum hujuſmodi, juſtis eorumdem poſſeſſoribus hoc penitus ignorantibus. Unde contigit de petitore perfido fieri poſſeſſorem, & de poſſeſſore vero fieri actorem, omni juſtitia reclamante. E Nos autem cupientes a provincia noſtra tantam nequitiam funditus extirpare: ſtatuimus, & perpetuo ordinamus, ut nullus decanus, ſeu quivis prælatus alius, exceptis perſonis epiſcoporum, quorum hac ordinatione authoritas non arctatur, inquiſitionem faciat de præſentationis hujuſmodi negotio, niſi in pleno loci capitulo, eo, cui poſſeſſio eccleſiæ incumbit, vocato legitime, ſub tanti temporis ſpatio, quo poſſit ibi prudentum virorum conſilio proſpicere, & defenſioni ſtatus ſui ſufficienti remedio providere. Quicquid autem contra hanc ordinationem noſtram fuerit attentaA tum, decernimus penitus non tenere. Ad ſatisfactionem vero nihilo minus de omni damno, quod idem poſſeſſor perpeſſus fuerit, decanum vel prælatum alium taliter clandeſtine inquirentes, præſentis ſanctionis concilio condemnantes: ambitioſum ipſum ab alio beneficio, ſic nequiter ambito, excludentes perpetuo, & nihilo minus eundem ab omnis obtentu eccleſiaſtici alterius beneficii per triennium ſuſpendentes.

ANNO CHRISTI 1281.

XV. *De firmis.*

Vendentes & ementes qui de templo dudum cœpit ejicere, ſi cœpta penitus perfeciſſet, non fraudarentur pauperes firmarum contractibus, quibus B convertitur in mamonnam quod eſt Chriſti viſceribus infundendum. Huic igitur peſti remedium apponentes, præcipimus firmiter obſervari, quod circa firmas in Oxonienſi concilio ſalubriter eſt proviſum: ut videlicet eccleſiæ ad firmam minime tradantur, niſi ex cauſis neceſſariis per ſuos epiſcopos approbatis. Statuimus inſuper, ut nulli tradantur ad firmam niſi perſonis eccleſiaſticis ſanctis & honeſtis, quos locorum epiſcopi libere valeant coercere: proviſo etiam, a parochiæ pauperibus de firmis hujuſmodi pinguis portio juri conſona, ſecundum arbitrium epiſcopi aſſignetur, ſub teſtimonio quatuor fidelium parochianorum eiſdem fideliter eroganda. Et ut ab hujuſmodi firmis omnis contractus imaginarius ſubducatur, quia C in perſonis clericorum falſo ſuppoſitis, vel ſub nomine ballivatus eccleſiæ, ad firmam laicis conceduntur, ſacro approbante concilio, ordinamus: ut ſi quis clericus in tali verſutia repertus fuerit, puniatur ſecundum ſtatutum bonæ memoriæ Othoboni; & gravius, ſi prælatis viſum fuerit expedire.

a Forte, ut parochiis. ll.

XVI. *De religioſis.*

Plures religioſas domos invenimus ordinis ſancti Auguſtini, quæ, eo quod olim quibuſdam matricibus eccleſiis ultramarinis adhæſerant, a quibus modo, immo diurno tempore ſeparatæ noſcuntur, occaſione quarundam ceremoniarum a dictis D matricibus receptarum, per quas diſcrepant a ceteris ejuſdem ordinis domibus in Cantuarienſi provincia conſtitutis, nec conveniunt cum ceteris in capitulo generali ſingulis trienniis, juxta generale concilium celebrando. Sed quia turpis eſt pars, quæ non convenit ſuo toti: ſtatuimus, ut de cetero omnes hujuſmodi domus, ſalva ſibi ceremoniarum obſervantia ſpeciali, moneantur per locorum epiſcopos, ut veniant cum aliis canonicis in capitulo generali, de regimine & reformatione ordinis communiter tractaturi; vel ſi inter eos, quantum ad ſubſtantiam religionis, ſit notabilis diverſitas, igitur ipſis conſtituant capitulum generale; alioquin, hoc facere per cenſuram eccleſiaſticam compellantur.

E XVII. *De corruptoribus monialium.*

Tantum invaluit deteſtandæ lubricitatis enormitas, ut quidam nec legibus nec canonibus deferentes, ad caſtitatem ſanctimonialium cuſtodiendam editis, cum ipſis ſacrilegum inceſtum committere non formident. Cui horrendo flagitio remedium apponere cupientes, omnes tam clericos quam laicos hujuſmodi turpitudinis patratores, majoris excommunicationis ſententia innodamus, ſolum "epiſcoporum hujuſmodi abſolutionem ſententiæ reſervantes: excepto mortis articulo,

"fo. Ne...



ANNO CHRISTI 1281.

in quo abſolvi valeant a quolibet ſacerdote: ut " A ſi convaluerint, piaculum ſuum hujuſmodi teneantur, ſub pœna prædicti anathematis, infra trium menſium ſpatium, propriis epiſcopis confiteri, aut ſede ipſa vacante, cuſtodi ſpiritualitatis aut decano eccleſiæ cathedralis.

"ſn. aut

XVIII. *Item in eodem.*

Sanctimoniales plurimæ in vagationis vitio delectatæ, Dinæ vagantis exemplo in conſimile corruptionis ſcandalum, immo longe pernicioſius, aſſidue prolabuntur. Cui periculo providentes, magis intendentes earum ſaluti conſulere, quam vanis earundem deſideriis complacere: ſub pœna excommunicationis totaliter inhibemus, ne qua B illarum, etiam cum ſocia, ne dum ſola, apud parentes vel affines, quantumcumque propinquos, ne dum apud extraneos, quantumcumque famæ, vel eminentiæ, vel religionis exiſtant, ultra tres dies naturales, cauſa recreationis perendinare, vel pro neceſſitate vel occaſione, ultra ſex dies, ceſſante infirmitate, commorari præſumant: niſi locorum epiſcopis aliud ex cauſa neceſſaria aliquoties videatur; de quo eorum conſcientias in tremendo judicio oneramus. Hanc autem ordinationem ad illas non extendimus, quæ exterius coguntur mendicare, b ſibi quærere neceſſaria dum mendicant.

b Forte, & ſibi, ll.

XIX. *Item in eodem.*

C Item, moniales quædam tantum deſipiunt, ut cum ſint ætatis legitimæ, & doli capaces, poſtquam ultra annum inter moniales monaſtice vixerint, putant ſe non eſſe profeſſas, ac ſibi licere redire ad ſæculum, pro eo quod benedictionem epiſcopalem cum ſolemnitate voti emiſſi minime receperunt. Nos vero errorem hujuſmodi excludentes, præſentis concilii authoritate declaramus, eas ipſo facto profeſſas exiſtere reputandas, poſtquam ultra annum vitam ſponte in collegio duxerint regularem: adeo ut ad ſæculum redire nullatenus permittantur, nihilo minus ab epiſcopis cum ſolemnitate debita conſecrandas ſuo tempore vel velandas. Idem etiam, quantum ad profeſſio- D nis vinculum, ſentimus de monachis & religioſis aliis quibuſcumque, niſi obſiſtat canonicum: & eos, ſi ultra annum, religionis habitum in monaſterio ſponte detulerint, & ipſo facto ad ſæculum redierint, eſſe ſicut apoſtatas ab eccleſiaſticis officiis repellendos, & ad repetenda ſua monaſteria, ſecundum juris exigentiam, eſſe compellendos. De quibus diligens fiat inquiſitio per arch"...... quoniam multos hujuſmodi, ſub ovino vellere, lupinum animum noverint palliare.

"leg. archidiaconum

XX. *De apoſtatis.*

Præterea ſunt nonnulli, quos apparet per facti evidentiam ſæculum intendere perpetuo relinque- E re, & per certa indicia in clauſtri excubiis velle ſuo toto tempore Domino militare. Qui cum, prævalente in eis carnali deſiderio, redeunt ad vomitum, ſæculum repetentes inter ſidera errantia computandi. Quavis "igitur jura manifeſte definiunt hujuſmodi non poſſe habitum religionis omnino deſerere, quin ſaltem in religione aliqua perpetuo maneant; luxuriari quidam cum attritæ frontis audacia, apoſtaticæ infamiam non verentes, poſtquam abſolute ſe velle ſæculum relinquere oſtenderunt, relicta Jeroſolyma, redeunt in Ægyptum. Quocirca ſtatuimus, ut ordinarii loA corum tales cum omni diligentia inveſtigent, & ſubtractione, tam officii, quam beneficii eccleſiaſtici, ſi quod habent, ad ſtatum priſtinum vel laxiorem regulam cogant pertranſire. Quod ſi ſint laici hujuſmodi apoſtatæ: & ipſi ad ſalutis ſuæ ſtudia per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Hanc autem ordinationem ad illos non extendimus, cum quibus ſedes apoſtolica aliter ordinavit.

"leg. Quamvis

ANNO CHRISTI 1281.

XXI. *Ne religioſi, executores teſtamentorum fiant.*

Religioſa ſinceritas ab omni ſæcularis implicationis macula eſt eo ſalutius" obſervanda, quo devotionis ſanctæ ſimplicitas facibus" retardatur, B cum in curis extrinſecis mentis oculus diſtractus, ab unitatis ſtudio præpeditur. Quocirca in concilio Lambethenſi ſalubriter eſt proviſum, ne aliqui religioſi, cujuſcumque profeſſionis, ſint executores teſtamentorum, niſi de ordinariorum licentia & voluntate procedat. Cui ſtatuto adjiciendum duximus, ut nullus religioſus permittatur executor alicujus exiſtere teſtamenti, niſi ſuus ſuperior ſufficienter caveat pro religioſis hujuſmodi, quod exſequentur fideliter & reddent integre rationem de reſiduis, ſi quæ fuerint: de damnis, ſi quæ per ipſos evenerint, loci ordinario abſque difficultate qualibet reſponſurus. Et quia nonnulli religionis habitum deferentes, licet non ſint executores, tamen diſtributores defuncti bonorum C efficiuntur temeritate propria vel imprudentia aliena, ex quo magnam provenire vidimus bonorum hujuſmodi læſionem. Idem circa hujuſmodi diſtributionem præcipimus obſervari, quod circa executionem ſuperius eſt proviſum, ne aliter ſe executioni vel diſtributioni ſe immiſceant, ſub pœna anathematis inhibentes. Unde qui ſufficienter cavere non poterunt, ſciant ſe tam ab executione, quam a diſtributione bonorum hujuſmodi, præſentis diffinitione concilii perpetuo elongatos.

"for. ſolicitius

"Corr. faculis

XXII. *De habitu clericali.*

Quamvis nomen religionis vitæ monaſticæ loquentium uſus approprict, habet tamen clericalis D honeſtas religioſæ vitæ gradum eximium, ſi ea cuſtodiat vita & habitu, quæ ſacri canones decernunt clericis obſervanda. Sed (proh pudor!) clerici plurimi hujus inclytæ religionis, judiciorum antequam infamiam immutantes, qui gregos glorias paternis honoribus prætulerunt, dum verecundantur clerici apparere, militari ſe contegunt apparatu: ut ſtultis placeant, quos conſtat cunctis ſapientibus diſplicere, & fatuos reputari. Et cum corona ſit character eccleſiaſticæ militiæ & revelati cordis ac patuli radiis cœleſtibus inſigne, ipſi ut veraciter oſtendant ſe hujus characteris titulum erubeſcere, tena coronas abſcondunt, quaſi cœleſtes radios repellentes, & indiciorum infra "corda ſua gerentes, erroris velamine obſcurata. Statuto E igitur adhærentes domini Othoboni, nihilo minus ordinamus & diſtricte præcipimus, ut clericus quilibet in ſacris ordinibus conſtitutus veſtem exteriorem gerat diſſimilem militaris: utpote anterius & poſterius non birratam, vel ſaltem ex forma ſua militari vel laicali congrua diſſimilem honeſtate. Et qui ſecus facere præſumpſerit, quamdiu formæ contrariæ veſtem tulerit, ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendatur. Et prædictus legatus contra portantes infulas, aut tenas coram prælatis aut coram populo publice deferentes: ſtatuit, ut ſi moniti ſe minime emendaverint, ipſo facto ab officio ſuſpenſionem incurrant. In qua ſi tres menſes perſtiterint,

Mendoſa hæc, & conſequentia.

*Anno Christi 1281.*

a beneficio ſint ſuſpenſi, a qua ſuſpenſione abſolvi nequeant, niſi data ſexta parte eccleſiaſticorum bonorum ſuorum per manus epiſcoporum eroganda, nihilominus pœnis aliis puniendi juxta arbitrium prælatorum. Nos igitur ſtatutum hujuſmodi advertentes modicæ efficaciæ hactenus extitiſſe, pro eo quod inferiores prælati hujuſmodi clericos monſtroſos non audeant monere; propter quod in pœnas a dicto legato ſtatutas videntur puſillanimitatis ſuæ merito incidiſſe, & raro epiſcoporum aſpectibus clerici hujuſmodi ſe præſentant: ſtatuimus, ut omni monitione ceſſante, cum clericos ignorantia * excuſet, prædicti clerici ſuæ protervïæ merito quotieſcunque publice coram populo vel prælatis hujuſmodi infulas portaverint, niſi forſitan in itinere, in pœnas omnes incidant ſupradictas. Caveant omnes illi, de quibus loquitur legatus, qui moniti infularum inſolentiam publice detulerint, per prætaxati temporis ſpatium, ne in ſuſpenſionem ab officio & beneficio inciderint merito culpæ ſuæ. Mandamus etiam in poſterum, ut de talibus fiat per decanatus ſingulos inquiſitio ſpecialis, & cujuſcunque ſint gradus vel excellentiæ, contra eos in forma canonica procedatur.

** Corr. non excus.*

### XXIII. *De filiis presbyterorum.*

Cum a jure ſit inhibitum, ne abſque diſpenſatione apoſtolica perficiantur filii presbyterorum aut rectorum in eccleſiis, in quibus patres eorum immediate ſeu proxime miniſtrarunt, & conſtet ipſa beneficia vacare, ſi contrarium fuerit attentatum: præcipimus, ut prælati de eccleſiis ſic vacantibus diligenter inquirant, & juxta juris exigentiam de eis differant ordinare, cautius præcaventes de cetero, ut clericos ad hujuſmodi beneficia nullo modo admittantur, ne contra juſtitiam in hereditate Crucifixi, per ſurreptionem, locus pateat ſucceſſioni.

### XXIV. *De inſtitutionibus.*

Ex ſolito curſu cauſarum multos comperimus conquerentes, quod nonnulli coepiſcopi noſtri clericos præſentatos ad vacantes eccleſias admittentes, litteras teſtimoniales eis recuſant impendere facti ſui: propter quod ſuboriente inter hujuſmodi præſentatos & alios materia quæſtionis, ſubcumbit plerumque veritas falſitatis. Nos autem eccleſiaſticis regulis adhærentes, quæ fidem geſtorum ex legalibus colligunt inſtrumentis: ſtatuimus, ut unuſquiſque epiſcopus clerico, quem ad eccleſiam aliquam admittit, litteras patentes de ſua admiſſione concedat: inter alia continentes in quo aſſiſtat ordine, & quo titulo ad hujuſmodi beneficium admittatur.

### XXV. *De clericis plura beneficia occupantibus.*

Languor prolixior gravat medicum, nec faciliter evellitur plantatio infernalis, quæ in innumeris perditionis filiis eſt infixa; nec alicui mortalium legitur eſſe conceſſum, ſimilem totam convertere multitudinem impiorum, ſacra pagina teſtante: *Deus* (inquit) *conſumet nationes has in conſpectu tuo paulatim atque per partes.* Sane eccleſia Anglicana a membris putridis ac falſis clericis ab olim conſtituit plagas duras, qui pompæ & avaritiæ æſtubus inflammati beneficia cum cura, abſque diſpenſatione apoſtolica, ac contra canones, acervantes, nec veriti ſunt hactenus animas perdere adquiſitas ſanguine redemptoris; nec erubuerunt fures exiſtere, & vitam infamem agere tamdiu, donec horrenda morte, ut in multis vidimus, Divinæ ſeveritatis flamma percuſſi, de medio ſunt ſublati. Quoniam * plagam paulatim atque per partes ſanare cupientes, hujuſmodi multiplicationem in futurum ſalubriter inhibuimus, circa adventus noſtri principium, ſub certa forma rigoris, ne quis auderet extunc hujuſmodi pluraliter ſe involvere ullo modo; præteritam etiam minis ſalubribus decernentes, quas minas intendimus, authore Deo, effectui mancipare; ut ſic, juxta ſacra eloquia, radicatam nequitiam valeamus paulatim quidem *, dicente Scriptura: *Non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te beſtiæ terræ.* Hujuſmodi autem proceſſus noſtris conatibus boni fructus ex ordine contulit pietas redemptoris, dum ſaltem ex prophetica priſtina effrænatio beneficia hujuſmodi ſine ſcrupulo admittendi quibuſdam dedit compunctionis ſpiritum, ut damnatæ pluralitatis ſuæ magnam partem abſciderint: quibuſdam inſuper vel ut ſuperfluitatem ſuam noſtræ ſubmiſerint diſcretionis arbitrio moderandam. Qua ſubmiſſione noverint univerſi, hujuſmodi exceſſus non purgari vitium, cum non poſſimus cum ipſis in talibus diſpenſare, licet purgationem hujuſmodi quodammodo, quamvis tenuiter, inchoare. Ceteros autem omnes & ſingulos hujuſmodi pluralitatem damnabiliter occupantes, & in ſuæ adhuc perſiſtentes ſupercilio arrogantiæ, monemus primo, ſecundo & tertio, quia cum parata ſit eis abſorbendis, niſi citius pœnitentiam egerint, vorago infernalis, mola aſinaria deprimente, ulteriori deliberationi nulla poteſt concedi dilatio, quatenus hujuſmodi beneficium libere & abſolute infra ſex menſium ſpatium in epiſcoporum ſuorum manibus omnino reſignent; ſatisfacientes nihilo minus, ut eorum ſtatus patitur, eccleſiis ſic fraudatis: nunquam per ſe vel per alios clam, vel palam, vere vel imaginarie, aliquid de hujuſmodi fructibus illicite recepturi. Salvo nobis jure de illis beneficiis ordinandi, quorum collatio eſt ad nos per lapſum temporis devoluta: alioquin, extunc contra ipſos, favente Altiſſimo, in forma canonica procedemus. Interim autem hac monitione nec nobis, nec fratribus coepiſcopis noſtris præjudicare intendimus, quin contra hujuſmodi ordinario progreſſu particulariter procedatur.

*Deut. 7. 22.*

** Corr. Quorum plures.*

** Deeſt mul- [illegible] ſcatet locus.*

### XXVI. *De advocatis.*

Veloces ad audiendum, & tardos ad loquendum exiſtere beatus Jacobus imperat, & a juventute uſque ad maturitatis annos edoctum decet ceteris præſtare ducatum. In ſchola ſiquidem Pythagoræ, quinquennale tenebant auditores ſilentium, priuſquam de illa vel de alia gentium ſapientia diſſerere ſinerentur. Cujus prudentiæ diſciplinam plurimi advocatorum hujuſmodi temporis non ſectantur: quin potius poſt unum librum juris vix auditum arrogant ſibi officium in cauſis eccleſiaſticis publice poſtulandi. Et quia veritatem juris ignorant, ad fraudes horribiles impeditivas proceſſus judicialis tantummodo ſe convertunt. Cui peſti remedium apponere cupientes, ſtatuimus, ut nullus de cetero admittatur advocationis officium publice exercere, niſi prius ad minus per triennium audierit cum diligentia jus canonicum & civile. Hujuſmodi autem fidem nec condigno * appareat teſtimonio, nec per facti evidentiam proprio faciam ſacramento.

** Locus mendoſus.*

XXVII.



*Anno Christi 1281.*

### XXVII. *De ſuffragiis pro archiepiſcopis & epiſcopis habendis.*

Ingratitudinis vitium plurimum eſt deteſtandum, & ſubditorum præcipue ad prælatos, qui ſolicite pervigilant, tanquam rationem reddituri pro ſibi creditis animalibus. Quocirca ſtatuimus, ut archiepiſcopo vel epiſcopo decedente, quilibet ſacerdos tam religioſus quam ſæcularis, qui defuncto ſubditus exſtiterit, pro ipſo Miſſam unam dicere teneatur. Fratres etiam & coepiſcopi omnes, in congregatione ſua ſequenti proxima faciant ſolemne officium ſimul pro defuncto: ſinguli nihilo minus in capellis ſuis condigna ſuffragia exhibentes, ſicut deſiderant ſibi in caſu conſimili exhiberi.

Datum apud Lameheth ultimo die concilii, ſcilicet, die Veneris ſexto Idus Octobris, E. littera Dominicali, anno Dom. MCCLXXXI. Indictione nona, Pontificatus domini Martini papæ quarti primo: & anno regni regis illuſtris domini Eduardi nono, & conſecrationis noſtræ viceſimo tertio.

## LITTERÆ JOANNIS ARCHIEPISCOPI

### Cantuarienſis, Edvvardo ejus nominis regi Angliæ, poſt conqueſtum primo, de libertate eccleſiæ.

Editæ a collectore Anglicano, ex MS. in regiſtro principali archiepiſcopi Cantuarienſis, nuncupato Peckham.

*Excellentiſſimo principi, ac domino Edvvardo, Dei gratia illuſtri regi Angliæ, domino Hyberniæ, & duci Aquitaniæ, ac ejus conſiliariis litteratis, frater Joannes, permiſſione Divina, Cantuarienſis eccleſiæ miniſter humilis, totius Angliæ primas, cum omni reverentia & honore orationes anxii peccatoris.*

Authore Domino præcipimur majeſtatem regiam honorare, & ad idem beneficiis innumeris obligamur. Quia tamen oportet Domino magis quam hominibus obedire, ad prævaricationem legum illarum, quæ Divina authoritate abſque omni dubio ſubſiſtunt, nulla poſſumus humana conſtitutione ligari, nec etiam juramento: quoniam quicquid Divinis beneplacitis adverſatur, eſt illicitum & damnatum. *Væ qui condunt leges iniquas.* Quia igitur ab antiquo tempore, inter reges ac magnates Angliæ ex parte una, & archiepiſcopos & epiſcopos ac clerum ejuſdem regni, ex altera, duravit amara diſſenſio, pro oppreſſione eccleſiæ, contra decreta ſummorum pontificum, contra ſtatuta conciliorum, contra ſanctiones orthodoxorum patrum, in quibus tribus ſumma authoritas, ſumma veritas, ſummaque ſanctitas conſiſtunt: ſupplicamus regiæ majeſtati, quatenus pro honore Dei, ac animæ ſuæ, ſuorumque ſalute, ac proſperitate ſtabili ſucceſſionis ſuæ ab imperatore omnium obtinenda, in cujus redundat injuriam eccleſiæ, contra prædicta conculcatio huic periculoſa regno, & perniciosa clero diſcedit, dignemur finem imponere ſalutarem, cui finis aliter imponi non poteſt, niſi vos ſublimitatem veſtram prædictis tribus, ſcilicet decretis pontificum, ſtatutis conciliorum, & ſanctionibus orthodoxorum patrum, juxta Domini beneplacitum, cum catholicis imperatoribus dignemini inclinare. Ex his enim tribus ſunt canones aggregati, & jura coronæ veſtræ, Chriſti coronæ ſubponenda, cujus ſunt diadema ac ſponſæ ſuæ monilia, univerſæ eccleſiaſticæ libertates, ipſo per prophetam dicente: *Quaſi ſponſum decoratum corona, & tanquam ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Decretis autem ſummorum pontificum, authoritatem dedit omnium Imperator, dicens Petro in evangelio Matthæi: *Quidquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo.* Ligat ſiquidem ſummus pontifex, non vinculis corporalibus, ſed ſpiritualibus, ſacris ſaltem legibus, quibus tenentur univerſi homines obedire; dicente eodem Domino per Moyſen in Deuteronomio: *Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo ſuo, & decreto judicis, morietur homo ille.* Ab hac autem obedientia non eſt altitudo regia abſoluta, ſed plus quam ceteri laici ea inferiores, eidem obnoxia. Unde ſubjungitur conſequenter: *Poſtquam ſederit rex in ſolio regni ſui, deſcribet Deuteronomium ſibi legis huius involumine, accipiens exemplar a ſacerdotibus Leviticæ tribus, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & caremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt, ut longe ipſe regnet, ipſe & filius ejus.* Tenetur igitur rex ipſe ex præcepto legis expreſſo, ſummo pontifici obedire: quod ſi non fecerit, timere poteſt rex legis inſinuatione, ne regni ſui prolongatio minuatur. Item Salvator ipſe dixit in Lucæ evangelio diſcipulis congregatis: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quod exponens dicit beatus Dionyſius: Hierarchis in his quæ agunt hierarchice obediendum eſt, ſicut a Deo motis: ergo nulla obſtante conſuetudine obediendum eſt canonicis hierarchice impoſitis; hoc eſt ſacris arbitriis prælatorum. Sed dicet forſitan eccleſiæ inimicus, quod non pertinet ad ſummum pontificem, juga hujuſmodi legum vel canonum imponere principi ſeculari, cujus nos cum univerſali eccleſia, & omnibus mundi ſanctis & ſapientibus, ex adverſo contrarium affirmamus. Huic autem diſſidio ſi quæratur qualiter debeat pacis remedium adhiberi: docet Dominus in Deuteronomio ut ſupra, dicens: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexeris, & judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad ſacerdotes levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit dominus, & docuerit te juxta legem ejus.* Ergo ad ſummum pontificem pertinet omnis controverſiæ terminatio, quæ non poteſt per inferiores judices quoſcunque terminari.

Item quantæ authoritatis ſit eccleſia, in concilio, Chriſti nomine congregata, patet ex evangelio Matthæi, dicente Domino: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Et ibidem: *ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Qui igitur eccleſiæ non obediunt, in concilio præcipue congregatæ, hæretici ſunt cenſendi. Item quantæ authoritatis ſit, ſanctorum patrum ſinceriſſima doctrina, patet teſtimonio ſalvatoris dicentis in evangelio Matthæi: *Non vos eſtis qui loquimini, sed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.*

*Iſai. 61. — Matth. 16. — Deuteron. 17. — Ibid. — Luc. 10. — Deuteron. 17. — Matth. 10.*

ANNO CHRISTI 1281.

*vobis.* Idem eſt ergo ſanctorum patrum diſſinitionibus reſiſtere, quod Spiritus ſancti oraculis adverſari.

Hæc attendentes imperatores catholici, leges ſuas omnes ſacris canonibus ſubdiderunt, ne ſchiſmatici vel hæretici putarentur. Cum igitur ad vos, excellentiſſime domine rex, pertineat pax inclyta imperii: & vos etiam tenemini leges veſtras canonibus ſubjicere, & contrarias abolere. Turpis eſt pars quæ ſuo non convenit univerſo. Conſtantinus inſuper rex Angliæ, & orbis nihilo minus imperator, univerſa conceſſit quæ petimus, & ſpecialiter perſonas clericorum, a ſolis prælatis eccleſiæ judicandas eſſe decrevit. Hoc idem Vvyghredus rex Cantiæ, canones affirmans eſſe ſervandos, fieri conceſſit: ut patet ex concilio a Brighevvaldo archiepiſcopo celebrato, anno Domini ſeptingenteſimo nonageſimo quarto. Hoc & rex Kanutus de perſonis eccleſiaſticis, in ſuis ſcriptis legibus diſſinivit. Sanctus etiam Edvvardus in regnum Angliæ ſublimandus, prius juravit ſe leges Canuti regis inviolabiliter ſervaturum. Vvillielmus etiam rex, cui ſanctus Edvvardus regnum contulit, leges ipſius ſancti ſervandas eſſe conceſſit: Ut ſiquis pacem eccleſiæ infregerit, ab epiſcopis ſit juſtitia exercenda, & non a regis juſtitiariis, niſi propter epiſcopi impotentiam vel neglectum. Et plura alia ſanctiſſima ſancivit: quæ ſervata, honori Domini proficerent, & regis merito coram Deo. Eccleſiam etiam hujus inſulæ credimus fuiſſe in poſſeſſione libertatum quas petimus, tribus temporibus regum diverſarum linguarum inſulæ ſupradictæ: tempore ſcilicet regum Britannorum, ſicut patet de parte illius eccleſiæ, quæ hactenus manſit in partibus Vvalliæ, quæ contra libertates hujuſmodi non didicit conculcare. Item tempore regum Anglorum, utpote regum, Cnuti, & Ardecnuti; & præcipue ac indubitanter tempore ſancti Edvvardi. Item tempore regis primi Normannorum triumphatoris inclyti, domini Villielmi primi, & oppreſſiones quas plangimus, credimus ſumpſiſſe exordium tempore regis Henrici primi, & præcipue regis Henrici patris Henrici junioris, quando noluit articulos gravaminum, per conſenſum ſancti Thomæ archiepiſcopi, & ceterorum pontificum Angliæ confirmari. Quibus quia noluit conſentire, ſuſtinuit exilium; & hujus occaſione poſtea paſſionem. Si igitur martyrem non facit pœna, ſed cauſa, illiciti & damnabiles ſunt articuli, quibus quia aſſentire noluit, ſuſtinuit agoniam; cujus injuriæ totiens repetuntur, quotiens clerus vel eccleſia contra canones illos opprimitur, quos voluit obſervari.

Quia igitur, excellentiſſime domine, iſta vobis metu conſcientiæ cogimur ſcribere, ſicut volumus in tremendo judicio reſpondere: ſupplicamus humiliter, quatenus iſtis noſtris exhortationibus aurem dignemini inclinare, qui & juramento noſtro "tenemini, a regno noſtro malas conſuetudines extirpare; nec juramento aliquo poteſtis ad ea quæ repugnant libertati eccleſiaſticæ obligari. Et ex abundanti ab omni vos juramento abſolvimus, quod poteſt conſcientiam veſtram contra eccleſiam aliqualiter excitare: & firmiter opinamur, quod vos nec animæ veſtræ poteſtis ſalubriter proſpicere, nec ſtabilitati regni veſtri in poſterum providere, niſi exhortationem noſtram dignemini exaudire, pro qua tot ſancti patres, & penultimus ſanctæ memoriæ dominus Bonifacius, illuſtris genetricis noſtræ avunculus, tam anxie laborarunt: Ad quod bonitatem cordis veſtri, credimus eſſe proclivem, niſi vos decipiant impii ſuggeſtores: quod ſi fecerint, Altiſſimo ſupplicamus, ut eos ſic temporaliter feriat, ut ipſorum animæ ſalvæ fiant. Datum apud Lamethe, quarto Nonarum Novembris, anno Domini MCCLXXXI. conſecrationis noſtræ anno III.

ANNO CHRISTI 1281. " Cuv. noſtro

## " ** QUÆ DEBEANT IN ECCLESIIS inveniri per rectores, & quæ per parochianos,

Edidit collector Anglicanus, ex MS. bibl. Cotton.

Statuta fratris Joannis Peekham Cantuarienſis archiepiſcopi, ad doctrinam præſentium & memoriam futurorum.

CUm plerumque altercatio inter rectores eccleſiarum in provincia Cantuarienſi conſtitutos, eorumque parochianos, ſuper variis ornamentis, rebuſque eccleſiaſticis, quæ & quanta & quomodo ad rectores pertineant infraſcripta; quæ autem ad eorum parochianos: & ſic altercatum plerumque: teneas pro doctrina quæ ſequitur, ut docti exiſtant parochiani in ſingulis ſubſequentibus certiores: ſciant, intelligant, & obſervent taliter univerſi: quod calix, miſſale, veſtimentum ipſius eccleſiæ principale, videlicet caſula, alba munda, amictus, manipulum, zona, cum duabus tuellis, crux proceſſionalis, alia crux minor pro mortuis, feretrum, turibulum, lucerna, cum tintinnabulo, velum Quadrageſimale, manuales, vexilla, campanæ, vas ad aquam benedictam, cum ſale & pane, oſculatorium pacis, cereum paſchale, cum candelabro, campanæ in campanili & cordæ, fontes cum ſeruris eatundem, reparatio navis eccleſiæ interius & exterius, tam in altaribus, quam in imaginibus, feneſtræque vitreæ, cum clauſuris cœmeteriorum, ad ipſos parochianos pertinent omnia ſupradicta. (Hec melius ſe.)

Cetera autem omnia, tam in reparatione cancelli, quam ornamenta hujuſmodi, interius & exterius, ſecundum diverſas ordinationes & conſtitutiones approbatas, debent a locorum rectoribus ſeu vicariis reparari.

ANNO CHRISTI 1282.

# " ** CONCILIUM AVENIONENSE,

Ab Arelatenſis provinciæ præſulibus celebratum anno Domini circiter MCCLXXXII.

Ex MS. eminentiſſ. cardinalis Chiſii.

Concilium domini Bertrandi Amalrici archiepiſcopi Arelatenſis.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *Contra uſurarios.*
2. *Ut pro eccleſia preces fiant.*
3. *Ut bona eccleſiaſtica non alienentur.*
4. *Ut ſint procuratores, qui citationes eccleſiaſticorum coram judicibus non ſuis, communibus omnium impenſis proſequantur.*
5. *Ut fideles non contemnant eccleſias ſuas parochiales.*
6. *Ut privilegiati ſententias prælatorum non violent.*
7. *Ut in cauſis eccleſiaſticis non adeantur curiæ ſeculares.*
8. *Ut colligationes & confratriæ non fiant.*



ANNO CHRISTI 1282.

9. *Ut privilegiati non effugiant ſententiam excommunicationis, niſi clarum privilegium oſtendant.*
10. *Ne quis faciat teſtamentum ſine ſuo parochiali presbytero.*
11. ..........

## PRÆFATIO.

(Natus eſt Bertrandus ſimilis legali præfationem concil. Biterrenſ. ann. 1277. vide ſupra.)

BErtrandus miſeratione Divina ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus, ad futuram rei memoriam. Inter preſſuras præſentis temporis multiplices, atque curas quæ noſtro cohærent officio ſervitutis, illa præcipue nos affligit, viſceribus noſtri cordis infixa profundius, atque ſolidius radicata, noſtrum inceſſanter pungens animum ſuarum aculeis punctionum: ut eccleſiæ comprovinciales, ac miniſtri earum noſtro ſubjecti regimini, ſolicitæ proviſionis remedio, prout nobis deſuper miniſtratur, a malignorum defendantur incurſibus, cohibeantur injuriæ & violentiæ, ac omnis materia malignandi radicitus extirpetur, & adverſis omnibus propulſatis in pacis pulchritudine delectentur habitantes in eis, & ut hoſtium ſublata formidine, & " tranquillitate ſerena & ſerenitate tranquilla, pacis authori, cujus mancipantur obſequio, eo devotius quo tranquillius, & quo devotius eo acceptius, valeant famulari. (" Corr. in)

Libenter itaque aſſiduos labores amplectimur, quanquam noſtris impares humeris ad portandum, nocturnis pariter & diurnis inſiſtentes vigiliis, nonnunquam etiam ſupra vires, ut perſonis eccleſiaſticis infra ſortem nobis traditam conſtitutis, moleſtationum, injuriarum crebrarum turbinibus relegatis, Divino fulti præſidio, noſtris laboribus pacem, & propria ſolicitudine quietem opportunæ proviſionis commercio præparemus. Sane in concilio quod nuper cum prælatis noſtræ provinciæ apud Avinionem duximus convocandum, & authore domino feliciter celebrandum: quædam ſtatuta ad honorem Dei, matris ejus reverentiam, apoſtolique ejus Trophimi almi noſtri patroni, & ſancti Stephani protomartyris glorioſi, animarum lucrum, eccleſiarum pacem, & miniſtrorum ipſorum quietem tranquillam edenda decrevimus, de venerabilium fratrum ſuffraganeorum noſtrorum conſilio & aſſenſu: quæ brevi ſtilo, omni curioſitate repulſa, ſunt inferius annotata. (Ex præfatione concilii Biterrenſis hic lineam reſtituimus, fuit quia hiulca erat ſenſus.)

## CAPITULA.

### *I. Contra uſurarios.*

IN primis noſtræ conſiderationis oculos dirigentes, ac pleno intuitu clarius intuentes, quod morbis noviter irruentibus opportuna ſunt antidota adhibenda: ne totam terram inficere valeant infigentes rapaces oculos bonis alienis, quorum ſubſtantias exhauriunt infelici commercio uſurariæ pravitatis, quæ quaſi paſſim colitur a nonnullis divitibus, & aliis qui ſe ſolo nomine aſſerunt mercatores, quos, ut loquamur rectius, direptores poſſumus merito appellare; ne ulterius eorum promptuaria eructantia ex hoc in illud, quorum fæces adhuc exinaniri nequeunt, quin in malignis caloribus pericula mortifera per pravitatem uſurariam miniſtrent aſſidue pauperibus & egenis, ut facilius ad extremæ paupertatis diſcrimina perducant eoſdem, & etiam quamplures divites, ut rei evidentia & clamor validius atteſtatur: ſtatuimus, quod omnes uſurarii ſint ipſo facto vinculo excommunicationis innodati: intelligentes uſurarios etiam eadem ſententia fore ligatos, qui pannos, bladum, vinum, oleum, vel alias quaſcunque *, mobiles vel ſe moventes, præſertim ad ſoſtam, ſive ad ſolutionem poſt tempus aliquod faciendam, carius vendunt propter temporis dilationem, quam eſſent alias vendituri, ſi tempore ſolutionis eſſet venditio facienda: & etiam illos, qui quoſcunque contractus alios faciunt in fraudem uſurarum, quocunque alio nomine cenſeantur: & quod contra tales, Ordinarii procedant ex officio ad inquirendum ſuper id, & etiam ad puniendum, & maxime ad denunciationem conquerentium, vel ad famam: a qua quidem ſententia non poſſint abſolvi, etiam ſi in foro pœnitentiali ſatisfactionem præbuerint, niſi dumtaxat a ſuis diœceſanis, vel ab eo cui hoc ſpecialiter duxerint committendum. Excipimus autem evidens mortis periculum, excluſis malitia qualibet atque fraude: quas ab aliquibus circa talia nonnumquam audivimus adhiberi. (* Deeſt res)

### *II, Ut pro eccleſia preces fiant.*

Cum juxta ſcripturæ teſtimonium, qui pro alio orat, pro ſe Dominum interpellet, multumque *valeat juſti deprecatio aſſidua*, eoque, *oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*, ut Pſalmiſta teſtatur: pia deliberatione duximus ſtatuendum, ubicumque Chriſtianus fidelis devotas orationes & pia vota proſternere curavit, in Miſſarum præſertim ſolemniis, ante Divinæ majeſtatis conſpectum, a quo cuncta bona procedunt, " ut per ſuam ineffabilem miſericordiam nobis clementer annuens, ſacroſanctam eccleſiam matrem cunctorum fidelium & magiſtram conſervet, pacificet, & regat, ac cuſtodire dignetur, fidemque catholicam toto orbe terrarum multiplicare & conſervare, una cum patre beatiſſimo domino noſtro papa, ac cardinalibus univerſis. Et ut facilius deprecationes ſervorum ſuorum, quanquam exiles, Deus miſerator exaudiat: præcipimus, & volumus etiam, quod quilibet ſacerdos parochialis dicat ſingulis diebus Dominicis in Miſſa parochiali pro ipſis orationem pro populo: *Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus intende.* Et moneant populum publice, & diligenter inducant, ut fideliter orent pro eiſdem Dominum, ſignificantes ipſis quod quotieſcunque pro prædictis humiliter oraverint, quod nos cum fratribus noſtris, tamen vere pœnitentibus & con-

(Jacob. 5. Pſalm. 33. " Deeſt orent.)

ANNO CHRISTI 1282.

& confeſſis, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis eis miſericorditer relaxamus.

*III. Ut bona eccleſiaſtica non alienentur.*

Quoniam ſacrorum ſtatuta canonum, principum decreta, & ceteræ legitimæ ſanctiones, prohibent manifeſte, ut poſſeſſiones, prædia, cenſus, & alia quævis bona, uſibus cœleſtium" deputata, ex quorum proventibus veri Dei miniſtri vitæ percipiunt neceſſaria, & ſuſtentant pauperes & egenos, aliquo alienationis titulo diſtrahantur, vel quodcumque ad cetera eadem commercium habeatur: ideo ſtatuimus, ne aliquis poſſeſſiones eccleſiaſticas, redditus, aut quæcumque alia jura eccleſiaſtica, alienet quocumque titulo, in quaſcumque perſonas, cujuſvis ſtatus, religionis, ordinis, aut dignitatis, exiſtant, ſine diœceſani conſilio & aſſenſu: & qui contra fecerit, incurrat excommunicationis ſententiam ipſo facto.

"ſ. eccleſiarum

*IV. Ut ſint procuratores, qui citationes beneficiatorum coram judicibus non ſuis, communibus omnium impenſis proſequantur.*

Attendentes quod aliqui Divinum judicium non timentes, prælatos & rectores eccleſiarum, & ceteros beneficia eccleſiaſtica obtinentes, coram diverſis judicibus fatigant laboribus & expenſis, & ipſos indebite ac fraudulenter vexationem ſuam compellunt redimere, propter vexationem indebitam & injuſtam: ſtatuimus quod omnes prælati, rectores eccleſiarum, & ceteri beneficia eccleſiaſtica in noſtra Arelatenſi provincia obtinentes, unum vel plures procuratores conſtituant, qui citationes factas & faciendas, & litigia indebita, coram non ſuis judicibus, vel etiam peregrinis, expenſis communibus omnium proſequantur contra quaſcunque perſonas cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, religionis, conditionis, ordinis, aut ſtatus exiſtant: quouſque a vexatione indebita ceſſaverint, & juſtitia ſuum conſequatur effectum. Et quod omnes prædicti, in expenſis ſuper hoc faciendis contribuant, juxta taxationem ſuper his faciendam per venerabiles viros Cavallenſem & Auraicenſem epiſcopos: privilegiis, honore, beneplacito, & authoritate ſedis apoſtolicæ ac legatorum, omnibus ſemper ſalvis.

*V. Ut fideles non contemnant parochiales ſuas eccleſias.*

Inſuper advertentes, quod parochiani eccleſiarum, in pleriſque locis parochiales eccleſias deſerunt, & quaſi contemnentes eaſdem, ad villas vel alias eccleſias accedunt: præſenti concilio ſtatuimus, quod quilibet parochiani, ſaltem quibuslibet diebus Dominicis & ſolemnibus, venire ad ſuas parochiales eccleſias, ceſſante impedimento canonico, teneantur: & in eis " Miſſarum ſolemnia Euchariſtiæ noſtræ peregrinationis viaticum a propriis presbyteris, corde contrito, devotione & reverentia debitis, recipere, omni cunctatione poſtpoſita, ſtudeant diligenter, præſertim in feſtis Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes:" tunc contingat & alia ſacramenta eccleſiaſtica ab eiſdem. Qui ſi venire recuſaverint ſeu recipere, eorum ordinarii, juxta datam a Deo ſibi providentiam, ipſos puniant & caſtigent: & quod parochiales presbyteri, ſingulis Dominicis diebus & feſtivis, moneant & inducant, dum Divina celebrantur, populum, ut prædicta obſervare debeant ſolicitudine diligenti.

"Deeſt aliquid

*VI. Ut privilegiati ſententias prælatorum non violent.*

Quia, ſicut ait Scriptura, ſententia paſtoris tenenda eſt, & per omnia a quolibet obſervanda: ne forte apud Dominum, qui antea ligatus non erat, per contemptum damnabilem merito ſe involvat ſententia in ipſum occaſione aliqua prius lata: ſtatuimus, quod ſi privilegiati ſeu exempti, prætextu ſuorum privilegiorum quibus utuntur, inhærendo intellectui litterali dumtaxat vel cortici eorumdem, ſententias prælatorum & cenſuram eccleſiaſticam auſu temerario præſumpſerint quomodolibet contemnere, ſeu etiam violare: quod in ſuis querelis hujuſmodi deſcendentibus prius non audiantur, donec ſuper his ſatisfecerint competenter: ſalvis in omnibus ſedis apoſtolicæ privilegiis & indulgentia, authoritate, beneplacito, & mandato ejuſdem.

*VII. Ut in cauſis eccleſiaſticis non adeatur curia ſæcularis.*

Frequens & deteſtanda præſumptio apud plures invaluit clericos, & etiam regulares, juris ordinem pervertentes, ut clerici necnon laici, clerico " ſuo relicto pontifice, non expaveant, in everſionem juris manifeſtiſſimam utriuſque, ad judicia ſæcularia pertrahere paſſim, ac eoſdem ad reddendum " conantur compellere coram judicibus peregrinis: ſicque inique de eccleſiæ conſortio judicant, quod univerſa eccleſia * male ſentiendo de judicio poſcunt auxilium ſæculare, cum privatorum cauſas Apoſtolus ad eccleſiam deferri, ibique præcipiat terminari. Volentes igitur hujuſmodi morbis ſalubre antidotum præparare: præſenti concilio ſtatuimus, quod ſi aliquis ſuper cauſis ſpiritualibus vel eccleſiaſticis negotiis quoquolibet vel per ſe vel per alium adiverit curiam ſæcularem, & monitus infra tres dies deſiſtere recuſaverit, eo ipſo ſit excommunicationis ſententia innodatus.

"Corr. clericos

"Deeſt rationem

Locus corruptus.



*VIII. Ut colligationes & confratriæ non fiant.*

Quia vero colligationes, ſocietates, confratriæ, ſeu conjurationes, quocumque nomine cenſeantur, reprobatæ noſcuntur a canonibus, & humanis legibus introductæ, & conſtitutionibus conciliorum factorum per legatos Apoſtolicæ ſedis in partibus & provinciis iſtis, & omnino caſſatæ, & ſententia excommunicationis lata in fautores: ideo nos approbatione & aſſenſu præſentis concilii, prædictas factas & faciendas in poſterum conjurationes, colligationes, ſocietates, clericorum, regularium, cujuſcumque ordinis, ſtatus, conditionis exiſtant, in noſtra provincia Arelatenſi, ubicumque & civitatum, caſtrorum, baronum & omnium aliorum exiſtentium in civitatis, villæ, dominio eccleſiaſtico ſubjectis, contra ſtatuta canonum & conciliorum facta relaxantes, diſſolvimus & caſſamus: decernentes ſacramenta præſtita, ad prædicta obſervanda, illicita, a quibus eos qui hujuſmodi ſacramenta præſtiterant, abſolvimus, & pro juramento incaute præſtito ſeu illicito volumus ut a confeſſoribus ſuis pœnitentiam recipiant ſalutarem. Et ubi infra decem dies poſt publicationem præſentis ſtatuti ſe ad invicem abſolverint, denuncientur authores, fautores, tractores, defenſores, & fidejuſſores pro his obſervandis excommunicati: & frequenter hæc diſſolutio " excommunicationis ſententia per prælatos in ſuis diœceſibus, in ſuis ſynodis, diebus feſtivis & ſolemnibus, publicetur; & faciant per ſubjectos ſibi prælatos vel presbyteros publicari.

Mendoſa, ſed intellectu facilia.

"ſ. diſſ. & excom.

*IX. Ut privilegiati non effugiant ſententiam excommunicationis, niſi clarum privilegium oſtendant.*

Advertentes quod nonnunquam plerique exempti, pro aliquibus caſibus, noſtra ſtatuta contemnere non formidant, in ſuarum periculum animarum, eccleſiarum damna, & non modicum plurimorum ſcandalum, & enervationem eccleſiaſticæ diſciplinæ; & quoniam per prædicta, licet ſint exempti, non eſt dubium ipſos extra locum exemptum excommunicationis ſententiam incurriſſe: præſente approbante concilio ſtatuimus, ut ſi aliqui exempti, occaſione ſtatutorum noſtrorum, excommunicationis ſententia taliter fuerint involuti, quod in eccleſiis, ex quo certum fuerit, ſeu conſtiterit, ad requiſitionem ordinarii per totam noſtram provinciam excommunicati publice nuncientur: niſi probare poſſint, & etiam fidem facere pleniorem, quod per ſua privilegia debeant lucidius, & abſque dubitatione qualibet excuſari, quo minus hujuſmodi ſententiis involvantur.

*X. Ne quis faciat teſtamentum ſine ſuo parochiali presbytero.*

Quia quidam prædeceſſores noſtri retroactis temporibus deliberatione provida ſtatuerunt, & quaſi quodammodo per abuſum ſtatuta hujuſmodi in deſuetudinem abierunt, ut ſcilicet aliquis non auderet ſine ſuo parochiali presbytero condere teſtamentum, propter damnum, & animarum pericula, potiſſime quæ circa reſtitutionem male acquiſitorum in ultimis voluntatibus ex debito faciendam aliquotiens obvenerint, præſertim cum decumbunt in loco ægritudinis, a quo liberari eoſdem a medicis immerito" deſperantur, quia ubi majus periculum vertitur & finale, ibi cautiori ſolicitudine & finali induſtria eſt agendum, ut lucrifacere ſubditorum animas Dei cooperante gratia valeamus: præſenti approbante concilio, ſtatuimus, ne quis teſtator ſine ſuo parochiali presbytero, ſi abſque magno periculo expectari poſſit, maxime ad pias cauſas, non faciat aliquatenus teſtamentum, vel condere præſumat aliam quamvis ultimam voluntatem: in qua præcipimus ut caveatur in primis, quod abſque moræ diſpendio poſt teſtatoris obitum, ſeu convaleſcentiam, male acquiſitorum quomodolibet fieri debeat reſtitutio integra, quamdiu ejus ſufficere potuerint facultates, antequam legata quæcumque favorabilia perſolvantur. Statuentes nihilominus quod homines in eccleſiis moneantur diebus Dominicis & feſtivis, ne interſint talibus teſtamentis.

"Corr. merito

X I.

Præterea injungimus parochialibus presbyteris, quod ſtatutum editum per dominum Portuenſem, tunc Arelatenſem archiepiſcopum, contra illos qui in .....

Anno Christi 1282.

# SYNODUS SANTONENSIS,

## Anno Dom. MCCLXXXII.

Ex codice constitutionum Santonensis ecclesiæ.

### Conſtitutiones domini Gaufridi de ſancto Brieio, promulgatæ in ſynodo Paſchali, anno Domini MCCLXXXII.

TITULI CAPITUM.

1. *De ſepultura excommunicatorum.*
2. *De* " *ſepeliendis excommunicatis per capitulum* " *abſolutis.*
3. *Ut ab eccleſiarum rectoribus publicentur conſtitutiones.*
4. *Qualiter ſe debent habere prælati in procurationibus.*
5. *De teſtamentis.*

" leg. non ſepel. " leg. capellanum

CAPITULA.

I. *De ſepultura excommunicatorum.*

CUm in diœceſi Santonenſi corruptela inoleverit, quod cadavera excommunicatorum defunctorum ita prope cœmeteria, vel intra, a quibuſdam contemptoribus nervi eccleſiaſticæ diſciplinæ intumulantur, ut vix diſcerni poſſint ſepulturæ profanæ excommunicatorum, a ſepulchris fidelium: hæc de cetero fieri prohibemus, ſub pœna excommunicationis, cui ſubjacere volumus violatores conſtitutionis hujus ipſo facto. Adjicientes ſub pœna prædicta, ne excommunicatorum corpora tradantur ſepulturæ prope ſacra cœmeteria, per ſpatium duorum terræ jugerum circumquaque, nec ultra quam duo corpora excommunicatorum ponantur ſimul extra metas prædictas: ne propter multitudinem credatur ab aliquibus cœmeterium ſacrum eſſe.

II. *De* " *ſepeliendis excommunicatis per capitulum* " *abſolutis.*

" Corr. Di non " Corr. per capellanum

Cum quidam obſtinato animo diutius ſuſtinere excommunicationum ſententias non verentes, expectant ſub confidentia, quod in mortis articulo per ſacerdotem proprium abſolvantur, & tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ, non dubitantes quo minus in mortis articulo abſolvi poſſint per proprium ſacerdotem: diſtrictius inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne, quanquam in mortis articulo per capellanos ſuos fuerint abſoluti, eorum corpora tradantur eccleſiaſticæ ſepulturæ: niſi de licentia eorum judicum, quorum auctoritate excommunicati fuerint, ſi ſint ordinarii judices eorum. Si ſententiam excommunicationis publicæ per duos menſes ſuſtinuerint, debent compellere brachium ſæculare, ut ipſum compellant ad ſanctæ matris eccleſiæ unitatem, mittendo manus ſuas in ipſum & res ejus.

III. *Ut ab eccleſiarum rectoribus publicentur conſtitutiones.*

Præcipimus univerſis eccleſiarum rectoribus noſtræ diœceſis, ut conſtitutiones provinciales, ſynodales, & Gregorianas habeant, & teneant: & publicent in eccleſiis ſuis, quas eis expedit publicare.

IV. *Qualiter ſe debeant habere prælati in procurationibus.*

Cum illis quibus prædicamus, non debeamus exiſtere oneroſi: conſiderantes eccleſiarum iſtius diœceſis facultates, ſtatuimus, quod archidiaconi, archipresbyteri, duobus ferculis in ſuis procurationibus, cum eas receperint, ſint contenti, cum & nos ſecundum hujuſmodi formam evectionum noſtrarum numerum moderemur. Nullus quoque in procurationibus prædictis, vel in noſtra, aliquem invitare præſumat: ne poſſit dici, ex procurationibus prædictis aliquem plus debito prægravari. Sola nocte pernoctent iidem archidiaconi & archipresbyteri in locis, quibus ratione procurationis, viſitationis, duxerint declinandum. In mane ſine prandio exinde recedentes, quæſtas in frumento, vino, avena, vel aliis quibuſcumque, facere non præſumant, cum in jure ſint exactiones hujuſmodi interdictæ: per ipſoſque teneri ibidem aſſiſias prohibemus. Sed de cauſis minoribus cognoſcere poterunt, dum eccleſias viſitabunt. In omnibus autem præmiſſis caſibus a transgreſſorum pœnam excommunicationis infligimus ipſo facto.

a Forte transgreſſoribus. Recidivanti

V. *De teſtamentis.*

Cum ad epiſcoporum ſpectet officium, ut decedentium ultimæ voluntates, quæ pro lege ſervantur, ſecundum jura civilia, & canonicas ſanctiones, debeant executioni debitæ demandari: ſunt nonnulli, qui eas in toto vel in parte annihilare cupientes, videlicet tam heredes, quam executores, ipſorum defunctorum teſtamenta ſeu ultimas voluntates detinent, occultant, & celant: ac etiam bona ipſorum decedentium in proprios uſus convertunt. Ex quo accidit, quod redditus & legata relicta eccleſiis, monaſteriis, & aliis locis & perſonis, ab ipſis defunctis pro anniverſariis ſuis, & parentum ſuorum, faciendis, per hujuſmodi detentiones, occultationes, & celationes, penitus amittuntur. Nos volentes huic morbo, celeri remedio providere, præſenti conſtitutione præcipimus, ſtatuendo, ut omnes capellani, ſubcapellani, infra duos menſes, ex quo parochianus eorum mortuus fuerit, nobis afferant vel mittant teſtamentum defuncti, ſi in ſcriptis factum fuerit, vel ad minus tranſcriptum, ſi originale non poſſunt habere. Quod ſi neutrum haberi poteſt, vel ſi dictum teſtamentum factum fuerit ſine ſcriptis: mittant nobis ſub ſigillis ſuis nomina heredum & executorum: ut ſuper his canonice conſilium apponamus. Capellanos vero, & ſubcapellanos, & alios curam animarum habentes, quos in hoc invenerimus negligentes, graviter puniemus. Dictos autem detentores prædictorum teſtamentorum, ut voluntatum occultatores, & celatores fraudulenter, & qui bona dictorum decedentium in proprios uſus convertere auſi fuerint, niſi in quantum jura permittunt, excommunicationis ſententiam volumus incurrere ipſo facto.

Item ſæpe contingit, quod perſonæ decedentes ſuam ultimam voluntatem, in aliquorum ſeu aliquorum



Anno Christi 1282.

cujus diſpoſitione & voluntate committunt: præcipientes quod de bonis ſuis ordinent, & diſponant pro libito voluntatis, ſecundum quod ſaluti animarum decedentium viderint expedire. Ipſi vero, qui tales executiones ſeu diſpoſitiones recipiunt, modico quandoque vel nihilo de bonis defuncti ipſius erogato, reſiduum, quodcumque fuerit, retinent, & in ſuos uſus proprios convertunt: quod eſt contra Deum, & ipſorum decedentium voluntatem. Ideoque excommunicamus & excommunicationis ſententia innodamus omnes illos, qui tales executiones, vel diſpoſitiones in ſe ſuſcipiunt: qui quidquam de bonis ipſorum defunctorum ſcienter vel fraudulenter duxerint retinendum, niſi quantum jura ſibi permittant, vel decedentium proceſſerit voluntate.

Præterea ſunt & alii, qui poſtquam infirmus loqui non poteſt, vel intelligibiliter ſuam non poteſt exprimere voluntatem, vel etiam eſt alienatus a mente, eidem faciunt teſtamentum; ſeu fingunt, quod ordinationem bonorum ſuorum in eorum diſpoſitione, ſeu voluntate commiſit: & tales ultimas voluntates ſigillari procurant, quod non poteſt dici teſtamentum, cum mentis ipſius defuncti teſtatio non exiſtat. Incidunt enim tales in vitium falſitatis. Quare nos talia præſumi & fieri de cetero prohibemus: illos qui contra hanc inhibitionem noſtram talia teſtamenta, ſive ordinationes fecerint, ſeu ſigillaverint, vel ſigillari procuraverint, excommunicationis vinculo innodamus.

# " **CONCILIUM TURONENSE,

## A Joanne archiepiſcopo & ſuffraganeis epiſcopis celebratum anno Dom. MCCLXXXII.

Ex duobus MSS. altero Collegii Pariſ. Soc. JESU, altero donato ab Ægid. Menagio V. Cl.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De vexatoribus.*
2. *De incitantibus ad lites.*
3. *Ut clerici & religioſi tabernas non frequentent.*
4. *De furantibus libros & ornamenta eccleſiaſtica, & librorum folia ſcindentibus, vel corrumpentibus.*
5. *De proceſſionibus faciendis.*
6. *De uſurariis puniendis & evitandis.*
7. *De opprimentibus eccleſiaſticas perſonas, & perturbantibus juriſdictionem eccleſiaſticam.*
8. *De purgatione præſtanda ſuper turbata juriſdictione, & pœna non purgantium.*
9. *Contra illos qui ponunt comeſtores vel cuſtodes in domibus eccleſiaſticorum.*
10. *De applegiamentis.*
11. *De jubentibus ſubditis ſuis ne participent cum perſonis eccleſiaſticis.*
12. *De decimis.*
13. *Ut ſtatuta priorum conciliorum obſerventur.*

PRÆFATIO.

AD honorem omnipotentis Dei, & ad reformationem ſtatus eccleſiarum provinciæ Turonenſis: nos Joannes Dei patientia archiepiſcopus Turonenſis, intimo mentis deſiderio corrigere cupientes ea, quæ correctione legitima circa perſonas eccleſiaſticas, viſitando nuper illam provinciam, novimus indigere: convocatis venerabilibus in Chriſto fratribus, ejuſdem provinciæ epiſcopis, ſuffraganeis noſtris, necnon abbatibus, capitulis, conventibus, & aliis qui fuerant evocandi, apud Turones, provida deliberatione habita & tractatu, communicato quoque præſentium ipſorum ſuffraganeorum conſilio prout decet, ac volentes adverſus quorundam clericorum & laicorum, qui eccleſiaſticum forum frequentant, calliditatem & verſutiam providere, qui fraudulenter illos contra quos non habent aliquid quæſtionis, ſæpe faciunt quandoque per ſe, quandoque per alios, vexari multipliciter & citari, ut pro redimendis vexationibus hujuſmodi, prædam " poſſint aſſequi ab eiſdem.

" al. quædam

CAPITULA.

I. *De vexatoribus.*

STatuimus omnes tales, ut ita dixerimus, vexatores, præter pœnam damnorum & expenſarum, in quibus volumus eos per locorum ordinarios illis quos tali fraude & dolo vexari faciunt, taxatione legitima præcedente, prout jura ſtatuunt, condemnari, excommunicationis vinculo, donec a tanta præſumptione reſipiſcant, percellendi.

II. *De incitantibus ad lites.*

Item præſentis approbatione & auctoritate concilii prohibemus, ne quis de cetero ad lites excitet, vel ad rixas, ſicut a nonnullis, qui ad hoc per villas, oppida, & tabernas diſcurrunt, ut cauſam vexandi ſimplices homines habeant, comperimus eſſe factum. Qui vero contra hanc prohibitionem noſtram in aliquo venire præſumpſerint, cenſura ſimili compeſcantur.

III. *Ut clerici & religioſi tabernas non frequentent.*

Item ſtatuimus clericos, in ſacris præcipue ordinibus conſtitutos, & religioſos, tabernas, contra cleri honeſtatem, & prohibitionem canonum, frequentantes, niſi peregrinationis neceſſitate compulſos, modo ſimili prohiberi.

IV. *De furantibus libros, & ornamenta eccleſiaſtica, & folia librorum ſcindentibus, aut corrumpentibus.*

Item illos qui ſe eſſe dixerint " ſacerdotes, qui

" al. illos, præcipue ſacerdotes qui

ANNO CHRISTI 1282.

qui eccleſiarum calices, libros, aut cruces, reliquias, vel alia eccleſiaſtica ornamenta, furtive ſubtraxerint: ſtatuimus præſentis authoritate concilii excommunicationis ſententiæ ſubjacere; & aliter per locorum ordinarios, prout furti qualitas exegerit, corporaliter puniendos, donec reſtituerint ſic ſubtracta, & competentem egerint pœnitentiam de commiſſis. Quam pœnam extendi volumus ad omnes illos, qui librorum eccleſiarum ſciderint folia, aut diminuerint, ſeu deleverint, aut corruperint malitioſe in eis ſcripta, in eccleſiarum præjudicium quoquomodo.

*V. De proceſſionibus faciendis.*

Item pro eo quod in faciendis proceſſionibus, ob devotionem populi antiquitus introductis, multi eccleſiarum rectores & alii miniſtri ſe exhibent negligentes: præcipimus eos ad proceſſiones hujuſmodi, diebus Dominicis & aliis, ubi & prout fieri conſuevit, faciendas, ut per hoc, loca ipſa in majori reverentia habeantur, & devotio fidelium augeatur, per locorum ordinarios cenſura eccleſiaſtica, niſi tempeſtas temporis, vel alia neceſſaria cauſa eos impedierit, fore cogendos.

*VI. De uſurariis puniendis & vitandis.*

Item quia multi in obſervatione canonis a felicis recordationis Gregorio X. ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifice, de manifeſtis uſurariis, de omnium & ſingulorum fidelium terris penitus expellendis, & habitationibus non locandis eiſdem, dudum in concilio Lugdunenſi editi, ſe exhibent negligentes: præcipimus in virtute obedientiæ, & ſub anathematis vinculo, injungentes, ſententiam prædicti canonis, uſque ad proximum provinciale futurum concilium, in ſingulis cathedralibus, collegiatis, ac etiam parochialibus eccleſiis provinciæ Turonenſis, diebus Dominicis publicari: ut ſaltem rubore confuſi ipſius canonis contemptores, ad ejus obſervantiam inducantur.

*VII. De opprimentibus eccleſiaſticas perſonas, & perturbantibus juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Item poteſtates ſæculares, eccleſias eccleſiaſticaſve perſonas opprimentes (quas ſtatuta conciliorum volentia immunitati eccleſiæ providere, ſtatuunt uſque ad ſatisfactionem congruam excommunicationis ſententiæ ſubjacere) præcipimus præſentis proviſione concilii excommunicatas per omnes cathedrales, collegiales, & parochiales eccleſias hujus provinciæ, diebus Dominicis nunciandas, necnon omnes & ſingulos, qui juriſdictionem eccleſiaſticam ordinariam, antiquas eccleſiaſticas conſuetudines, & etiam libertates, impedire, diminuere, turbare, vel in aliquo uſurpare præſumpſerint; & omnes illos qui conſilium, auxilium, authoritatem, mandatum opemve præbuerint ad præmiſſa, clam vel palam, cujuſcunque conditionis, ordinis, atque ſtatus exiſtant, authoritate hujus concilii, excommunicationis ſententia innodamus. Qui vero ſuper denunciationibus præmiſſorum faciendis inventi fuerint negligentes, per locorum ordinarios puniantur.

*VIII. De purgatione præſtanda ſuper turbata juriſdictione, & pœna non purgantium.*

Item omnes illos qui de oppreſſionibus, uſurpationibus, læſionibus aut diminutionibus, perturbationibus aut impedimentis, aut aliquo præmiſſorum, ſuſpecti fuerint, niſi ad mandatum ordinarii ſe purgaverint, tanquam de hoc convictos merito (quos authoritate præſentis concilii uſque ad ſatisfactionem congruam excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere ipſo facto) præcipimus nominatim ſimili modo publice nunciari.

*IX. Contra illos qui ponunt comeſtores vel cuſtodes in domibus eccleſiaſticorum.*

Item ſtatutum provincialis concilii contra illos qui ponunt comeſtores in religioſis domibus dudum editum, ad illos extendimus, qui ponunt hujuſmodi comeſtores vel cuſtodes in domibus prælatorum, aut aliarum eccleſiaſticarum perſonarum quarumcunque: quos ſimili ſententia, authoritate præſentis concilii, innodamus.

*X. De applegiamentis.*

Item præcipimus, poteſtates, baillivos, & quoſcunque alios juſtitiæ ſæcularis miniſtros, qui amodo perſonas eccleſiaſticas, pro eo quod ſuper poſſeſſionibus, redditibus, & rebus aliis quibuſcunque, quas eccleſiarum & beneficiorum ſeu adminiſtrationum ſuarum nomine & ratione poſſident, ſe applegiaverunt, vel contraplegiaverunt coram eis, ut ita dixerimus, hujuſmodi poſſeſſionibus, redditibus, & rebus aliis quibuſcunque, in quibus ſunt authoritate eccleſiæ merito defendendi, privare, aut poſſeſſiones ipſas alias eis auferre, & in illos qui de perſonis hujuſmodi eccleſiaſticis ſuper his conqueruntur, in



ANNO CHRISTI 1282.

alioſve transferre vel in manu ſua tenere præſumpſerint poſſeſſiones ipſas, redditus, & res alias quaſcumque, perſonis eccleſiaſticis ſic ablatas, excommunicationis ſententiam cum ſuis conſiliariis & authoribus, præſentis authoritate concilii, incurrere volumus ipſo facto.

*XI. De inhibentibus ſubditis ſuis ne participent cum perſonis eccleſiaſticis.*

Item, quia nonnulli laici falcem appetentes in meſſem ponere alienam, hominibus quidem ſuis, vel alias ſibi ſubditis, ne perſonis eccleſiaſticis, cum quibus habent aliquid quæſtionis, ignem aut aquam miniſtrent, & ne aliquid eis vendendo ſeu emendo, aut aliter communicent quoquomodo, diſtrictius inhibere præſumunt in ſuarum periculum animarum: ipſos Judæis quodammodo comparantes, dum eis alios communicare non ſinunt, præſentis proviſione concilii ſtatuimus, hujuſmodi præſumptores excommunicationis ſententiæ ſubjacere.

*XII. De decimis.*

Item omnes illos, cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtant, qui perſonas eccleſiaſticas, aut eccleſiarum miniſtros, quo minus poſſint decimam ad ipſos ſeu eorum eccleſias pertinentem colligere, percipere, aut ad firmam tradere, cui aut quibus expedire viderint, impedire præſumpſerint quoquomodo, poſt inhibitiones & monitiones eis in generali competentes factas, præcipimus excommunicationis vinculo generaliter innodandos, & excommunicatos uſque ad ſatisfactionem congruam nunciandos.

*XIII. Ut ſtatuta priorum conciliorum obſerventur.*

Item omnia & ſingula ſtatuta provincialia, tam a nobis, quam a prędeceſſoribus noſtris bonæ memoriæ archiepiſcopis Turonenſibus, hactenus edita, renovantes, præſentis authoritate concilii confirmamus.

Actum Turonis, die Mercurii poſt feſtum beati Petri ad Vincula, continuata ſeu expectata a die Lunæ præcedente, Anno Domini MCCLXXXII.

## *** PROCESSUS CONTRA PETRUM REGEM ARRAGONUM, Ejuſque fautores anno MCCLXXXII. & MCCLXXXIII.

*Continetur negotium hoc totum, Martini pontificis epiſtolis, ſeu potius ſententiis tribus, quarum prima, ne quid de Binii ordine mutaremus, ſuperius edita eſt, pag. 724. inter Martini epiſtolas, continetque ſententism excommunicationis, ipſo Aſcenſionis Domini feſto ann. MCCLXXXII. latam Urbevetere, in eos qui Siciliam Romanæ eccleſiæ ſtipendiariam, & Carolo regis Francorum fratri jure fiduciario traditam, invaderent. Male ergo vocavit Binius, ſententiam excommunicationis in Petrum Arragonum regem, eique hunc titulum præfixit. Nihil enim illic contra eum nominatim decretum eſt.*

*Secunda Monte Flaſcone anno eodem, feſto dedicationis baſilicæ SS. Petri & Pauli, nominatim in Petrum Arragonum regem ejuſque aſſeclas lata eſt. Tertia, in eoſdem, Urbevetere ann. MCCLXXXIII. Martii 23. Utraque ab eruditiſſimis viris Franc. Ducheſnio, tomo V. hiſtor. Franc. & Luca Dacherio tom. II. uberrimi Spicilegii, jam edita eſt: atque hic a me illorum ex editionibus repræſentanda, ut Labbii noſtri, qui eas non inter Martini epiſtolas, ſed hoc loco edendas ſpopondit, fidem liberem.*

### *** Sententia Martini PP. in Petrum Arragonum regem ejuſque ſectatores, Monte Flaſcone lata XIV. Kal. Decembr. anno MCCLXXXII. Martini papæ ſecundo.

*Martinus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.*

Longa retro ſeries, ipſiuſque diffuſa narratio, cui vix tempora multa ſufficerent, tædio grandi nimium audientes afficeret, ſi quondam Friderici, olim Romanorum imperatoris, poſterorumque ſuorum, culpas horrendas & exceſſus nefandos, contra Deum & Romanam eccleſiam commiſſos; ac proceſſus perinde, per Romanos pontifices prædeceſſores noſtros, rite habitos contra ipſos, pœnaſque juſte illis indictas, repetitio ſerioſa narraret. Ideoque ſumma rerum faſtigia, prout imminentium caſuum neceſſitas exigit,[a] abſque ſeductionis injuria materia patitur, decrevimus perſequenda.

Et quidem communem non credimus latere notitiam, qualiter felicis recordationis Innocentius papa IV. prædeceſſor noſter, memoratum Fridericum, qui per ſe, per eoſdem ſuos exceſſus & culpas innumeras, indignum imperio & regnis, omnique honore ac dignitate, reddiderat, in concilio Lugdunenſi, eodem approbante concilio, propter ſuas iniquitates, a Deo, ne regnaret vel imperaret, abjectum oſtendit, & denunciavit omni honore ac dignitate privatum a Domino, & nihilominus ſententiando privavit, ut in ejuſdem prædeceſſoris ſententia contra Fridericum lata plenius continetur. Qualiter etiam poſt ejuſdem Friderici obitum, quanquam regnum Siciliæ ad diſpoſitionem Romanæ eccleſiæ, cujus juris & proprietatis exiſtit, eſſet libere devolutum, dictuſque prædeceſſor ſe de illo publice in eodem prædixiſſet concilio proviſurum, quondam Conradus prædicti Friderici natus, licet in eodem regno ex ipſius ſui genitoris ſucceſſione nullum penitus jus haberet: tamen, ſicut ex præmiſſis apparet, nec ille mortis ſuæ tempore habuiſſet, nec alias prædicto Conrado jus competeret in eodem, ipſum regnum, præſumptione temeraria occupavit. Nec illius recentioris facti memoriam obliteravit oblivio, videlicet quod ipſo Conrado ſublato de medio, quondam Manfredus, tunc princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata ſuſceptum, a dicti regni ſucceſſione, non ſolum præmiſſa ejuſdem Friderici privatio, ſed etiam macula illegitimę nativitatis arcebat, contra juramẽtum fidelitatis quod dicto prędeceſſori pręſtiterat, temere veniens, ſub quondam Conradini

[a] Forte, & abſque. H.



nati

ANNO CHRISTI 1282.

nati dicti Conradi ſui pronepotis, ſimulata protectione tutoria, ad quaſdam civitates, caſtra, & alia loca regni ejuſdem, manus occupatrices extendit. Propter quod & alios ſuos actus nefarios, & graves offenſas, piæ memoriæ Alexander papa IV. prædeceſſor noſter, ipſum ex cauſis variis, excommunicationis vinculo innodatum, Tarentino principatu, honore Montis ſancti Angeli, omnibus comitatibus, terris, feudis, dignitatibus, & honoribus aliis, ac bonis & juribus quæ in præfato regno, & quæ alibi etiam ab eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis obtinebat, necnon & vicaria in quadam ipſius regni parte ſibi ab apoſtolica ſede conceſſa, & etiam omnibus conceſſionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus & privilegiis, ſive a prædictis, Friderico patre, vel Conrado fratre ſuis, ſive a ſede apoſtolica in regno ſibi factis eodem, vel alibi etiam ab eccleſiis quibuſcumq; vel perſonis eccleſiaſticis, tanquam rebellem & hoſtem eccleſiæ Romanæ, ac violatorem fidelitatis ſibi præſtitæ manifeſtum, ſuorumque jurium invaſorem, occupatorem, & detentorem ſacrilegum, & tanquam ſociatum nefando fœdere Sarracenis, eorumque complicem, ductorem & protectorem publicum, apoſtolica auctoritate privavit.

Cumque Manfredus memoratus nec iis aliiſve remediis contra malitiam ejus adhibitis, in ſua iniquitate remiſſior, ſed in committendo quotidie prioribus deteriora ferventior, poſtmodum fraudulenter præfati nepotis ſui morte conficta, dictum regnum proprio nomine occupans, & regium in illo titulum & nomen uſurpans, ſe, ortus ſui non erubeſcens primordia, in ejuſdem regni regem inungi & coronari feciſſet: idem prædeceſſor noſter, ejus iniquitates & fraudes abominans & deteſtans, caſſavit & irritavit, caſſum & irritum nunciavit, quicquid circa dictum Manfredum per unctionem, ſed potius execrationem, & coronationem, quas recipere de facto præſumpſerat, quaſq; nullas eſſe conſtabat, extitit tam temerarie, quã doloſe pſumptũ.

Eiſdem vero Manfredo, & demum Conradino (qui ætatem præveniendo malitia, a dictorum prædeceſſorum ſuorum iniquis ſemitis non declinans, ſed ad eadem imperium & regnum aſpirans, præfatam eccleſiam, & cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Siciliæ regem illuſtrem, inſidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infeſtavit, propter quod contra ipſum & fautores ſuos per recolendæ memoriæ Clementem papam prædeceſſorem noſtrum varii habiti ſunt proceſſus) ſua ſorte ſucciſis, *nobis, & regi ac regno prædictis, pacis & quietis ſerenitas arrideret, in ſubitas tempeſtates acta eſt æſtiva tranquillitas, bellum in media pace ſurrexit, facti ſunt hoſtes ex ſubditis: & qui eidem regi Siciliæ ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis ſpiritum fideliter aſſumentes, non ſolum hoſtilia, ſed etiam tyrannica patraverunt. Sicut enim gravis clamat infamia, proceſſit adeo Panormitanæ civitatis & civium præſumptuoſa rebellio, quod rebellandi audacia & jurium interverſione regalium, ſuique, quantum in eis fuit, abjectione dominii non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas expoſuit: dum eorum exitialis iniquitas, non ſolum quos ex devotis regis ipſius concepta potuit præoccupare nequitia, ſine ſexus ætatiſve delectu inhumaniter occidit; verum etiam partus, quos adhuc viſcerum portionem clauſtra materna celabant, illis ſæve deſectis, ne præcipiti feſtinatione produxit in lucem, quod eis minus procul dubio naturaliter lucis uſum, antequam concederet natura, ſubtraxit: ipſis adeo præmatura & impiiſſima cæde cæſi, quod eorum principia vitæ prævenit occaſus.

* add. cum

Quia vero ſicut ex tunc plurimorum habebat aſſertio, & jam probat exitus evidenter, hæc in noſtram & ejuſdem eccleſiæ turbationem & diſpendium tentabantur; & plurium ad hoc intentio laborabat & ſtudium, ut fornacis quaſi extinctæ recenter, nos, eccleſia, & rex idem, renovata eo graviora ſentiremus incendia, quo ſolent nocere gravius pericula recidiva: nos tantorum malorum cupientes obſtare principiis, ne ſero medicina ipſis jam procedentibus pararetur, in feſto Aſcenſionis Domini præterito, nuper apud Urbem veterem, præſente multitudine copioſa fidelium, de fratrum noſtrorum conſilio, univerſos & ſingulos, cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, attente monuimus, eiſque diſtricte præcepimus, ne in prædicto regno, vel ejus parte, nos, & eamdem eccleſiam, aut præfatum Siciliæ regem, qui regnum Siciliæ tenet ab ipſa, per ſe, vel per alium moleſtarent, impeterent, vel etiam perturbarent, occupando, invadendo, ſeu occupari aut invadi faciendo regnum ipſum, vel aliquam partem ejus. Præcepimus inſuper univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, & ſpecialiter marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus, & univerſitatibus caſtrorum, villarum, & quorumcumque locorum Italiæ, maxime ipſius Romanæ eccleſiæ temporali juriſdictioni ſubjectis, ne prædictis moleſtatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, vel invaſoribus, ſeu occupari vel invadi facientibus dictum regnum, vel aliquam partem ipſius, in præmiſſis intenderent: & ne cum armis vel ſine armis ad turbandam in eodem regno pacem, præfatorum eccleſiæ ac regis ſcilicet, præſtarent illis auxilium, conſilium, vel favorem, publice vel occulte; neve ſuper hoc ſocietatem, conjurationem, aut fœdus aliquod cum ipſis inirent. Si quis autem contra noſtram monitionem, & præcepta præmiſſa, per ſe vel per alium, quibuſcumque dolo, fraude, vel machinatione facerent, cujuſcumque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, excommunicationis ſententia, quam ex tunc in eos protulimus, ipſo facto ſe noſcerent innodatos. Civitates quoque ac communitates quaſlibet, quæ contra monitionem & præcepta eadem, quocumq; dolo, ingenio, arte, vel machinatione, venire præſumerent, interdicti eccleſiaſtici ſententiæ, quam ex tunc in illo promulgavimus, voluimus ſubjacere.

Ad hæc prædiximus patriarchis, archiepiſcopis, abbatibus, & aliis inferioris gradus prælatis, quod ſi contra monitionem & præcepta præmiſſa, vel eorum aliqua, venire attentarent, nos eos omni eccleſiaſticæ dignitatis honore; ceteros autem clericos (non prælationis officium, ſed dignitates forſitan vel perſonatus, ſeu alia beneficia obtinentes) & privare curaremus obtentis, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas ſuaderet. Laicis vero, cujuſcumq; præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, & præcipue temporaliter ipſi Romanę eccleſię ſubjectis, expreſſe denunciamus, quod ſi monitiones & pręcepta hujuſmodi, contra per ſe vel per alium veniendo, temere non ſervarent: nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes, ipſos feudis, & aliis omnibus quę ab eadem vel aliis tenerent eccleſiis, privare; vaſſallos eorum, ſi quos haberent, a fidelitatis juramento quod tenerentur eiſdem reddere, penitus abſolutos, & perſonis eorum, citra mortis periculum & mutilationis, expoſitis, ad expoſitionem bonorum procedere illorum, prout culpæ ipſorum exigerent, & videretur expediens, curaremus.

Et



ANNO CHRISTI 1282.

Et licet Panormitanæ civitatis & civium, nonnullorumque caſtrorum illarum partium, quæ contra eumdem regem Siciliæ rebellarant, culpa gravis, acerbiorem proceſſum exigeret: nos tamen deſiderantes, quod civitatem, cives, & loca prędicta, manſuetudo corriperet, & a tanti erroris invio revocaret: erga eos non rigorem ſed manſuetudinem proſequentes, univerſitatibus prædictorum civitatis, & caſtrorum, aliorumque locorum, diſtricte præcipimus, ut cujuſlibet difficultatis & dilationis objectu ſublato, ad noſtra & eccleſiæ ac regis eorumdem mandata redirent; quodque prædictos moleſtatores, turbatores, occupatores, invaſores, aut dantes eis in hoc auxilium, conſilium, vel favorem, in dictis civitate, caſtris, villis, ſeu diſtrictionibus eorumdem, nullo modo receptare vel recipere attentarent; nec ipſorum, aut alicujus eorum dominio vel regimini ſe quoquo modo ſubmitterent, neve ipſis vel eorum alicui, contra eccleſiam vel regem prædictos, impenderent in prædictis conſilium, auxilium vel favorem, publicum vel occultum. Et nihilo minus confœderationes ſeu obligationes quaſlibet, ſi quæ inter univerſitates eaſdem, vel inter ipſas & quoſcumque alios, initas ſive factas ſuper occupatione & invaſione prædictis, & juramenta de illis ſervandis, vel alia pro prædictis hinc inde præſtita, relaxantes omnino, univerſitatibus ipſis aperte prædiximus, quod niſi præmiſſa celeriter adimplerent, contra civitatem caſtra, & villas earum, ſpiritualiter & temporaliter ſic procedere auctore Domino, curaremus, quod pœna docente, ſuæ temeritatis & ſuperbiæ recognoſcerent qualitatem.

Ceterum licet dum iis & aliis modis & viis, filiorum ſalutem paterna venabatur affectio, reliquorum, civitatum, caſtrorum, & villarum, ceterorumque locorum civium & incolarum Siciliæ, in noſtram notitiam perlata rebellio (& præcipue Meſſanenſium qui eorumdem Panormitanorum imitati ſævitiam, quamplures ex miniſtris & devotis ejuſdem regis ipſius, poſt ſecuritatem illis præſtitam, crudeliter trucidaſſe dicuntur, caſtrum regium ejuſdem loci temerariis auſibus occupantes) multæ commotionis cauſam induceret: nos tamen propterea non deſiſtentes a cœptis, venerabili fratre noſtro G. epiſcopo Sabinenſi ad partes illas, cum plenæ legationis officio, tanquam pacis angelo deſtinato, bona illis & pro illis partibus quæſivimus, nec venerunt; pacem expectavimus, & turbinis gravioris tempeſtas apparuit; machinatis jamdudum, ut communis quaſi fert opinio, & ſubſecutorum conſideratio ſatis indicat evidenter, dolis & inſidiis revelatis.

Siquidem Petrus rex Arragonum, quem carum filium nominari non patitur exprimendus inferius ſtatus ejus, de procedendo adverſus Africam quęſito colore, inſulam Siciliæ, terram utique peculiarem ipſius eccleſiæ militum & peditum caterva ſtipatus, invadens & occupans, ac in illa ejuſdem eccleſiæ pacem turbans, gravem ſeditionem excitans contra eam, graviterque populum concitans: in eam temeritatis prorupit audaciam, quod cum civitatibus aliiſque locis, univerſitatibus, civibus & incolis ejuſdem inſulæ (quibus ratione uxoris, filiæ ſcilicet memorati Manfredi, natorumque ſuorum, ſe tueri prætendit) confœderationibus, pactis, & conventionibus, ut fertur, quin potius conſpirationibus & ſceleſtis factionibus initis, regium in regno prædicto nomen uſurpat, ſe regem Siciliæ nominat, & gerere pro Siciliæ rege præſumit: in majoris præſumptionis augmentum, regi Carolo ſupradicto in ſuis litteris regni Siciliæ titulum ſubtrahendo. Sicque non ſolum Panormitanos, quos alias pluries per nuncios ad hoc ſolicitaſſe dicitur, in inceptæ contra dictum regem Carolum ſeditionis & rebellionis contumacia obfirmavit, eos per ſe ac gentem ſuam fovens, ipſiſque favens in illa; & tam ipſos, quam ceteros inſulæ memoratę rebelles, adeo contra eamdem eccleſiam, eorum ſpecialem matrem & dominam, concitavit, quod nonnulli ex eis, & ſpecialiter Meſſanenſes, qui ante ipſius in inſula memorata pręſentiam, dicti legati nuncios humiliter admittebant, dominium ejuſdem recognoſcentes, eccleſię, nomenque publice invocantes; eos poſtea contumaciter admittere denegarunt, baculo arundineo, eidem ſcilicet regi Arragonenſi prętextu, dictorum uxoris & filiorum ipſius, ut dicitur, innitentes. Quos tamen uxorem & filios, ſive regem per eos, ſeu ipſorum ratione, in eadem inſula, vel aliqua dicti regni Sicilię parte, jus aliquod non habere, pręmiſſa declarant; & nos nihilo minus decernimus, & etiam declaramus.

In quę autem crimina, falſa regię dignitatis, immo & ſimplicis magiſtratus aſſumptio, ſeditio, violentięque cum armis commiſſio, incidant, quibus addicendi ſint pęnis talium patratores: non eſt opus exprimere, quia id nota & vetuſtiſſima decreta ſanxerunt. Nec leve his pondus adjicitur, ſi ejuſdem regis & regni Arragonum conditio explicite deſcribatur. De archivo namque ipſius eccleſię munimenta prodeunt manifeſte teſtantia, qualiter pię memorię Innocentius papa IV. prędeceſſor noſter, quondam Petrum regem Arragonum, dicti Petri Arragonenſis regis avum, Arelatenſi ejus temporis archiepiſcopo, & aliis perſonis eccleſiaſticis, necnon & quampluribus ſuis aſſociatum proceribus, per mare ad ſedem Apoſtolicam accedentem, ut inibi ab eodem prędeceſſore Innocentio militare cingulum & regium acciperet diadema, honoravit multipliciter; honorifice ac benigne recepit: & in eccleſia ſancti Pancratii martyris trans Tiberim, per bonę memorię Petrum tunc Portuenſem epiſcopum faciens in regem inungi, deinde propriis manibus coronavit, & regalia inſignia univerſa, mantum videlicet & colobium, ſceptrum & pomum, coronam & mitram, quę ad opus ipſius non ſolum ſpecioſa, ſed etiam pretioſa parari fecerat, ex more in regum coronationibus obſervando, munifice largitus eidem, ab ipſo corporale juramentum recepit. Per cujus religionem memoratus rex inter cetera fidelitatem & obedientiam ipſi ſummo pontifici, ejuſque ſucceſſoribus, & eccleſię Romanę; regnumque ſuum in ipſius obedientia fideliter conſervare promiſit. Ac demum idem rex, cum multo tripudio & applauſu coronatus, juxta ipſum prędeceſſorem noſtrum Innocentium, ad baſilicam ſancti Petri rediens, ſuper illius altare ſceptrum & diadema depoſuit, & militarem enſem de manu ejuſdem prędeceſſoris accepit: dictumque ſuum regnum, antea cenſuale a ſuis prędeceſſoribus eidem eccleſię conſtitutum, cupiens principali poſt Deum, ipſius beati Petri & apoſtolicę ſedis protectione muniri, prędeceſſori eidem Innocentio, & per eum ipſi ſacroſanctę apoſtolicę ſedi obtulit; illudque ſibi & ejus ſucceſſoribus in perpetuum, Divini amoris intuitu, & pro remedio animę ſuę, & progenitorum ſuorum, novo adjecto cenſu conſtituit cenſuale: pollicendo adjiciens, & adjiciendo pollicens, quod ipſe ac ſucceſſores ſui, ſpecialiter eidem ſedi fideles & obnoxii teneantur. Hęc autem perpetua lege fore ſervanda decernens, ut hujuſmodi regalis conceſſio firmitatem inviolabilem obtineret, ipſam in ſcriptis redactam, de procerum curię


ſuę

ſuæ conſilio, præſentibus dicto Arelatenſi archiepiſcopo, quondam Sancio patruo ſuo, Hugone de Baucio, & Arnaldo de Faciano, ſuis baronibus, ſigilli ſui munimine roboratam eidem Innocentio prædeceſſori conceſſit.

Numquid igitur præmiſſa, collata pariter & ſolerti examinatione diſcuſſa, dictum regem Arragoniæ nepotem, fidelitatis (ad quam memoratus avus ſuus, cujus eſt in eodem Arragoniæ regno hæres, ipſum ſicut & ſucceſſores, ſuos ceteros tam publice, tam ſolenniter obligarat) eidem eccleſiæ debitorem ac violatorem publicum, reum grandis infidelitatis & damnabilis non accuſant? Profecto fidei debitæ violatio, violantem procul dubio arguit infidelem: præſertim cum præmiſſa non leviter aggravet fraudulenta confictio, qua idem rex Arragoniæ nepos, non abſque fraudis commento notabilis, finxiſſe detegitur, & apud nos, etiam per ſolemnes nuncios affirmaſſe, quod cum ſumptuoſo & ſolicito apparatu ad Dei & eccleſiæ ſervitium, & exaltationem catholicæ fidei, potentiæ ſuæ brachium dirigebat. Quod tamen contra fidei ejuſdem utilitatem, dictum regem Carolum, cruceſignatum in terræ ſanctæ ſubſidium, & publice ad Dei ejuſdemque fidei obſequia perſequenda diſpoſitum, nulla diffidatione præmiſſa, quod multorum judicio proditionis notam non effugit, hoſtiliter impetendo; necnon & contra ipſam matrem eccleſiam, ejus, ut prædicitur; terram invadendo & occupando direxit. Nec eum excuſat, ſed accuſat potius, quod ad partes Africæ, inſulæ prædictæ vicinas, diebus aliquibus declinavit. Id enim ipſum ideo concinnaſſe probat, immo & convincit eventus, ut opportunitate captata commodius iniquitatem quam conceperat parturiret: maxime cum per ſuos nuncios miſſos exinde pluries, dictos Panormitanos ſolicitaſſe, ac ipſis in præſumpta malitia conſilium & auxilium attuliſſe dicatur: nec ſit veriſimile, quod eamdem Africam, terram quippe diffuſo vaſtam ambitu, refertam incolis non prorſus imbellibus, crebris munitionibus, ut habet fama, non vacuam, opibus & aliis opulentam, cujus invaſionem vix multorum regum principumve quorumcumque potentia coacervata præſumeret: ipſe ad hoc procul dubio divitiis impar & viribus, cum comitiva tam modica bellatorum, ſolus aſſumeret invadenda.

Nunquid & iterum hæc non patenter oſtendunt, quod ſæpe fatus rex Arragoniæ nepos, tanquam inſulæ memoratæ, dicti regni Siciliæ partis non modicæ, manifeſtus invaſor & occupator, ac Panormitanorum rebellium, & ſeditionis, commotionis, ſeu concitationis, paciſque turbationis, contra præfatum regem Carolum motæ, notorius factor & fautor, & adverſus ipſam eccleſiam actor & factor, ſuique complices, comites, ſatellites, & miniſtri, præmiſſam per nos in feſto prædicto latam in omnes noſtris monitionibus, præceptis & inhibitionibus non parentes, excommunicationis ſententiam incurrerunt? nec abſolutionis vaſſallorum ſuorum a juramento fidelitatis, ſi quo tenentur eiſdem, privationis feudorum, quæ ipſi a Romana vel quibuſcumque aliis tenent eccleſiis, & expoſitionis perſonarum citra mortem & mutilationem, bonorumque ſuorum, comminatum in eodem feſto periculum evitarunt?

Univerſos autem ſæpe fatæ rebelles inſulæ, ſcilicet Meſſanenſes, Agrigentinenſes, & ceteros civitatum, caſtrorum, villarum, aliorumque locorum ejuſdem inſulæ cives, habitatores, & incolas, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, qui dictis Panormitanis in pertinacia rebellionis aſſumptæ ſaltem ſe illis ſimili A audacia ſociando, ac illos proinde validiores & firmiores in illa reddendo, nec non ſocietatibus, confœderationibus, pactionibus, pœnarum & juramenti adjectione firmatis, ut dicitur, juvando faverunt: & tam alios, quam Panormitanos eoſdem, qui præfato regi Arragonum nepoti, contra prohibitiones & monita noſtra præmiſſa, intendere in invaſione aut occupatione prædictis, ipſum recipere ac receptare, ſe illius regimini ſubmittere, ſibique, contra eccleſiam vel regem Carolum prædictos, favorem, & auxilium impendere præſumpſerunt, eidem ſententiæ ſubjectos & periculo eſſe procul dubio liquet expoſitos: civitates vero, caſtra, villas, & alia loca prædicta, necnon & univerſitates ipſorum, eccleſiaſtico ſuppoſita interdi- B cto. Hæc ſunt igitur, quæ per eumdem regem Arragoniæ nepotem Deo & eccleſiæ ſervitia offerebantur. Hæc ſunt, quæ ipſius eccleſiæ proſequi ſe jactabat obſequia. Hæc fidei catholicæ incrementa: ſic exaltationem religionis Chriſtianæ proſequitur, & ſic procurat: ſic Dei, fidei, eccleſiæ ac religionis earumdem hoſtes perſequitur, ſic impugnat: talibus in ſe regalem dignitatem intitulat; talibus titulis vitam ſuam, famam, genuſque decorat.

Licet itaque tantis exceſſibus excedentiumque demeritis, proceſſus gravior deberetur, & ad executionem præmiſſarum comminationum proſecutionem procedere non injuſte poſſemus; immo etiam, ſicut prædictorum conſideratio perhibet, C deberemus: quia tamen neſcit a curis caritas etiam læſa recedere, inductu paternæ caritatis inducimur, ut cum ſimus, licet inſufficientibus meritis, illius vicarii, qui non mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant ſe velle fatetur, regem Arragoniæ & alios præfatos, denunciationibus, monitionibus, mandatis, prohibitionibus, & comminationibus, ad converſionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus, & ſententiarum laqueis, quibus ſe, ut præmiſſa docent, apertius involverant, in morte obdormiant, excitemus.

Indeque præſente hac multitudine copioſa fidelium, de fratrum noſtrorum conſilio, denunciamus eoſdem, Petrum regem Arragoniæ nepotem, D ſuos comites, complices, ſatellites & miniſtros, ac inſulæ memoratæ rebelles, ex ſupradictis cauſis, excommunicationis; civitates, caſtra, villas, & alia loca præfata, necnon & univerſitates ipſorum, interdicti, præmiſſis ſententiis latis per nos ſubjacere: de novo tam in regem & alios ſæpe fatos, quam in univerſitates, caſtra, villas, & loca prædicta, ex cauſis eiſdem, & propter auctam eorum contumaciam in non parendo noſtris monitis & præceptis, & a nobis prohibita pertinaciter proſequendo diutius, ſimiles ſententias promulgantes. Ipſum autem regem, & ceteros, univerſos & ſingulos, qui cum eo aut alias, in auxilium præſentis turbationis ſive rebellionis, iſtam inſulam intraverunt, vel inibi exiſtentes eidem turbationi E ſeu rebellioni quomodocumque faverunt, attente monemus, eiſdemque diſtricte præcipimus, ut ab hujuſmodi ſuis exceſſibus & offenſis deſiſtentes, eamdem inſulam penitus exeant, nunquam illuc in noſtrum, eccleſiæ, vel regis Caroli, quoad præmiſſa, qualecumque præjudicium redituri. Adjicientes, ne quis de novo ad id eamdem inſulam intret, vel aliquam ejuſdem regni partem, publice vel occulte impetat, turbet aliquatenus, vel moleſtet. Univerſis quoque civibus, incolis, habitatoribus & univerſitatibus civitatum, & aliorum locorum ipſius inſulæ, cum ſimilibus monitione ac diſtrictione jubemus, ut regem

Arra-





Arragonum, & excommunicatos memoratos, de ipſa inſula prorſus expellerent, nunquam eos vel alios ad præmiſſa vel ſimilia inibi recepturi. Diſtrictius inſuper inhibemus, ne idem rex Arragoniæ ſe regem Siciliæ nominet, ſigillum regium ſub intitulatione regni Siciliæ aſſumat, vel utatur aſſumpto; neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona vel jura quæcumque, in eo, aut aliqua ejus parte, concedat, vel tanquam rex Siciliæ quidquam agat; neque dominium vel ſubjectionem aliquam in quaſcumque ſingulares perſonas aut terras ipſorum, ſeu poteſtariam, vel quamlibet rectoriam, ſive officium, quocumque nomine cenſeantur, in civitate vel quovis alio loco, maxime ipſius regni Siciliæ, aut alicujus partis Italiæ, in noſtrum, eccleſiæ, ac regis Caroli eorumdem, quodcumque vel qualecumque gravamen, per ſe vel per alium, recipiat vel acceptet, aut cum eis vel eorum aliquo in ipſorum eccleſiæ ac regis gravamen, ut prædicitur, ſocietatem ſive aliam confœderationem contrahat, vel conſervet qualitercumque contractam: neque ſingulares perſonæ pręmiſſę, vel alię undecumque civitates, vel alia loca, eidem, in eccleſię ac regis Caroli prędictorum perſecutione hujuſmodi perſiſtenti, vel alii pro eo, ſeu in favorem ipſius, pręmiſſa concedant, vel aliquem pręmiſſorum, aut alium pro eo, vel in favorem ipſius, ad prædicta vel eorum aliquod eligant, nominent, recipiant, vel aſſumant: nec ipſe rex Arragonię, vel quivis alius, eaſdem ſingulares perſonas, civitates & loca, vel univerſitates ipſorum, ſpecialiter autem cujuſcumque partis regni Sicilię, ut ſe vel terras ſuas ejuſdem regis Arragonię dominio vel obedientię cuicumque ſupponant, aut eum vel alium pro eo, ſeu in favorem ipſius, in poteſtatem, rectorem, vel aliud quodcumque officium, ut prędicitur, eligant, nominent, vel admittant, ſive cum eo ſocietatem vel confœderationem aliquam contrahant, vel qualitercumque contractam obſervent, ſeu quod cives, incolę, habitatores, civitates, vel alia loca prędicta, ſive univerſitates eorum, pręſertim cujuſcumque partis ejuſdem regni Sicilię, a noſtra, eccleſię, ac regis Caroli prędictorum fidelitate ſeu devotione, quomodolibet avertantur, vel averſa etiam in hujuſmodi averſione perſiſtant, per ſe, nuncium, vel litteras inducere, aut donis, promiſſionibus, ſeu alio quovis modo allicere, ſeu ſolicitare pręſumant: neve ſingulares perſonę, civitates, caſtra, villę, aut loca pręfata, ſe dicti regis Arragonum, hujuſmodi eccleſię ac regis Caroli perſecutioni quomodolibet inſiſtentis, dominio, regimini vel obedientiæ qualicumque ſubjiciant, ſive in noſtrum, eccleſiæ, ſive regis Siciliæ, præjudicium vel gravamen, ut prædicitur: ipſum regem Arragonum literas vel nuncios ſuos, vaſa quævis apta cuicumque navigio, gentemve recipiant vel receptent, vel ad ipſum vadant, ipſive literas mittant, aut ſibi, genti, vel nunciis ſuis, aut aliis pro eis, maxime in aliqua parte ipſius regni Siciliæ, obediant vel intendant, fodrum miniſtrent, equos, arma, vel vaſa hujuſmodi, ſub venditionis titulo, aut aliter, quomodocumque concedant, ſeu ab ipſo rege Arragonum, vel alio pro ipſo, immunitates, feuda, & largitiones quaſlibet in eodem regno Siciliæ, quas conſtat, & nos nihilo minus declaramus, & decernimus non tenere; vel alibi, occaſione inſtantis negotii ejuſdem regni Siciliæ, aut ſtipendia ubicumque, contra nos, eccleſiam, vel regem Carolum prædictos, recipiant, vel pro receptis promiſſum audeant ſervitium exhibere, aut alias preſtare conſilium vel favorem,



A publicum vel occultum: nec cum ipſo rege Arragonum, vel alio pro ipſo, ſeu in favorem ipſius, ſocietatem, colligationem vel quaſcumque conventiones, in noſtrum, eccleſię, aut regis Caroli eorumdem, qualecumque diſpendium contrahat, aut contractas, etiam ſub vinculo juramenti, vel quarumlibet adjectione pœnarum ſeu pactorum, audeant obſervare.

Singulariter autem Michaelem Palęologum, qui ſe imperatorem nominat, quemque ſuper his, & pręcipue ſuper impenſo in prędictis memorato regi Arragonum nepoti, contra nos & pręfatos eccleſiam ac regem Carolum, conſilio, auxilio, vel favore; necnon pactis, conventionibus, & confęderationibus, initis cum eodem, argumenta veriſimi- B lia deferunt, vox pręterea publica & communi quaſi aſſertionis inceſſat *; omneſque ſibi de facto vel quomodocumque ſubjectos, attente monemus, eiſque diſtricte præcipimus, ut omnia, monitiones, præcepta, inhibitioneſque præmiſſa, quæ Michaelem & ſubditos contingunt, vel poſſunt quoquo modo contingere, vel in eis ſeu quæ ad eos qualitercumque locum habere (quæ omnia & ſingula volumus pro nominatis ſingulariter, & expreſſe repetitis haberi, & velut taliter repetita robur efficaciamque ſortiri) & diligenter obſervent, eiſque ſtudeant in omnibus & per omnia humiliter obedire.

* *f.* incuſat

Alioquin tam ipſos, regem Arragonum nepotem, & Michaelem Palæologum, quam alios uni- C verſos & ſingulos, dictis noſtris monitionibus, pręceptis, vel inhibitionibus non parentes, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, eccleſiaſtici vel mundani, excommunicationis ſententiam quam in eos de ipſorum fratrum conſilio ex nunc ferimus, perinde innodatos eſſe decernimus ipſo facto, ac ſi expreſſe fuiſſent in hujus proceſſus noſtri ſerie nominati.

Civitates vero, caſtra, & alia loca quęlibet, necnon univerſitates, quę jam dictis monitionibus, pręceptis, vel inhibitionibus, non parebunt, eccleſiaſtico interdicto quod ex nunc promulgamus in illa, eſſe volumus eodem modo ſubjecta. Interdicta vero præmiſſa ſic arcte præcipimus obſervari: ut in locis quæ inciderunt in ea, vel in futurum in- D ciderint, nulla eccleſiaſtica ſacramenta (exceptis dumtaxat baptiſmate parvulorum & pœnitentiis morientium) miniſtrentur: nulla Divina celebrentur officia, niſi ſolum Miſſarum ſolemnia, quæ in cathedralibus, vel aliis collegiatis, & parochialibus eccleſiis, ad conficiendum corpus Chriſti morientibus miniſtrādum, ſubmiſſa voce, clauſis januis, interdictis & excommunicatis prorſus excluſis, ſemel tantum in ſeptimana permittimus celebrari. Non obſtantibus quibuſlibet privilegiis vel indulgentiis, Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, vel aliis religioſis, aut ſæcularibus perſonis, dignitatibus, civitatibus, caſtris, locis, vel univerſitatibus quibuſcumque, ſub quavis forma vel expreſ- E ſione verborum ab eadem ſede conceſſis: quæ omnia, quoad hoc, omnino viribus vacuamus.

Et nihilo minus ſocietates, colligationes, conventiones hujuſmodi, & quaſlibet alias factas, vel etiam faciendas, in favorem dicti regis Arragonum, quę ad inſtans negotium ejuſdem regni Sicilię, aut in eccleſię ſeu regis Caroli prędictorum qualecumque diſpendium vel gravamen (etiamſi fuerint juramentorum, pœnarum adjectione, vel quovis alio vinculo roborate) de poteſtatis plenitudine diſſolventes, & carere decernentes omni robore firmitatis, univerſos & ſingulos qui ſe ad earum obſervationem quomodocumq; ſeu quacumq; ſolemnitate aſtrinxerunt, ad eas obſervandas decernimus non teneri;

ANNO CHRISTI 1282.

neri; nec pro eo quod ipſas deinde de cetero non ſervaverint, de reatu perjurii, aut ratione pœnarum vel conventionum quarumlibet adjectarum in illis, poſſe in judicio vel extra judicium impeti ſeu aliquatenus moleſtari. Quinimmo eos ab illarum obſervatione, ſub pœna excommunicationis quam ex nunc ferimus, & ipſos ſi ſecus fecerint incurrere volumus ipſo facto, præcipimus penitus abſtinere.

Sane omnibus tam perſonis eccleſiaſticis & ſæcularibus, quam civitatibus, lociſque aliis & univerſitatibus ſupradictis, quæ hujuſmodi mandatis noſtris, præceptis, & inhibitionibus contumaciter non parebunt, aperte prædicimus: quod non ſolum ad exequendum comminationes præmiſſas, ſed & alias, gravius ſpiritualiter & temporaliter contra eas, & ſpecialiter contra civitates quas contigerit in hujuſmodi contumacia deprehendi, ad privandum eas archiepiſcopali vel epiſcopali dignitate; contra memoratos vero rebelles inſulæ ſupradictæ, ad interdicendum ipſis cum quibuſlibet aliis, & aliis quibuſcumque cum eis, omne commercium, quando & prout facti ſuaſerit qualitas, & expediens fore viderimus, procedemus.

Ad hæc præfatis, regi Arragonum, Michaeli Palæologo, & aliis univerſis, qui contra præmiſſa noſtra monita & præcepta, vel inhibitiones, prædictum regnum Siciliæ in præfata inſula, ſive in reliquis ejuſdem regni partibus, invadere, turbare, impetere, ſeu moleſtare quomodolibet præſumpſerint, publice vel occulte, hoc generali & publico denunciamus edicto, quod niſi rex ipſe Arragonum, aliique prædicti, in eiſdem inſula & regno Siciliæ, ac vicinis ſeu quibuſcumque Italiæ partibus, commorantes, infra inſtans feſtum Purificationis beatæ virginis, alii vero magis remoti infra Kalendas menſis Aprilis, ac dictus Palæologus infra Kalendas Maji proxime futuras (quod tempus eis ad hoc pro peremptorio termino aſſignamus) humiliter ad noſtra & eccleſiæ mandata redierint, præciſe noſtris parituri beneplacitis, & tam nobis & eccleſiæ, quam memorato regi Carolo, de contumacia & contemptu, damnis & injuriis, omnique intereſſe, ſatisfactionem plenariam, competenti tempore quod eis ad id præfiximus, impenſuri; ex nunc perſonas eorum, citra mortis & mutilationis periculum, & omnia bona mobilia, exponimus, a quibuſlibet fidelibus libere occupanda: ipſoſque feudis, bonis & juribus, quæ a Romana, vel a quibuſcumque tenent eccleſiis, privilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuſlibet, ipſis ab eadem ſede ſub quavis forma conceſſis, apoſtolica authoritate privamus; vaſſallos eorum a juramento fidelitatis, quo forſan tenentur eiſdem, penitus abſolventes. Lapſo vero dicto termino, quandocumque nobis viſum fuerit, ad privandum eumdem regem Arragonum, ipſius etiam abſentia non obſtante, præfato regno Arragoniæ, omnibuſque aliis terris ſuis, ſeu ad ipſa regnum & terras ſimiliter exponenda, quoad ipſum regnum, & terras præfatas: ſemper noſtro & ejuſdem Romanæ eccleſiæ jure ſalvo. Et nihilo minus contra eum pro qualitate criminum, quibus, ut præfatum eſt, eum obnoxium ſuperiora prætendunt, quantum noſtrum officium patietur, facti qualitas ſuggeret, & nobis expedire videbitur, authore Domino procedemus.

Præmiſſas vero excommunicationis ſententias prohibemus, abſque ſpeciali mandato ſedis apoſtolicæ, niſi forſan in mortis articulo, relaxari. Qu[illegible] niſi abſolutionis beneficium obtinentes, infra [illegible] menſes poſtquam reſtituti fuerint ſanitati, de loco interdicto, ſi forſan ibi fuerint, recedentes, apoſtolico ſe conſpectui curaverint præſentare, ſatisfacturi de ſuis exceſſibus pro quibus hujuſmodi ſententias incurrerunt, & ipſius ſedis beneplacitis parituri, eo ipſo in eaſdem ſententias relabantur.

Ipſas quoque ſententias ſic firmiter & inviolabiliter volumus obſervari, quod abſolvendi ab eis vel relaxandi eaſdem, niſi forſan in mortis articulo, ut dictum eſt, tam omnibus noſtris pœnitentiariis, quam aliis quibuſlibet confeſſoribus, ſive generalibus, ſive ſpecialibus, ſeu familiaribus quarumcumque, vel quantumcumque ſublimium perſonarum, ubilibet conſiſtentium, adimimus poteſtatem: etiamſi a nobis vel aliquo prædeceſſorum noſtrorum, ſub quacumque verborum forma, generalem vel ſpecialem, aut liberam, abſolvendi aliquem vel aliquos a ſententiis hominis vel canonis, ſeu alias quomodolibet relaxandi, obtinuerint facultatem. Si quis autem ſine dictæ ſanctæ ſedis ſpeciali mandato, ex nunc obtinendo, contrarium forte præſumpſerit, tam abſolventem a prædictis ſententiis, ſeu relaxantem eaſdem, quam hujuſmodi abſolutionem vel relaxationem recipientem, in quacumque dignitate, præeminentia, ſtatu, vel ordine fuerint conſtituti, ex hac cauſa, excommunicationis vinculo innodamus; relaxationem etiam hujuſmodi ſententiæ, ſedi præfatæ ſimiliter reſervantes, mortis articulo dumtaxat excepto; & tunc niſi ſanitate recepta, infra tempus competens, juxta locorum diſtantiam, ad eandem ſedem venerint, ſuum humiliter recogniturі reatum, & ipſius ſedis beneplacitis parituri, relabantur in eaſdem ſententias ipſo facto. Ab iis vero mulieres in hoc tantum excipi volumus, ut ſi ſolum ratione præſtiti favoris in hujuſmodi ſententias forſan inciderint, poſſint per diœceſanos ſuos, juxta formam eccleſiæ, abſolutionis beneficium obtinere.

Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur: chartas ſive membranas proceſſum continentes eundem, in præſentis eccleſiæ ſancti Flaviani martyris appendi vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo indicio publicabunt: ita quod dicti Petrus rex Arragonum, & Palæologus, ac alii quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prætendere quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Montem Flaſconem, ante prædictam eccleſiam S. Flaviani, in feſto dedicationis baſilicæ principis apoſtolorum, pontificatus noſtri anno II. ſub anno Domini MCCLXXXII. Indictione XI.

ANNO CHRISTI 1283.

## *** Altera ſententia in Petrum Arragonum regem a Martino papa IV. lata, Urbevetere, XII. Kal. April. anno Domini MCCLXXXIII.

*Martinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei; ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum.*

DE inſurgentis in regno Siciliæ fremitu tempeſtatis, quod execranda Panormitanæ rebellionis audacia inchoavit, & reliquorum Siculorum malitia Panormitanam imitata proſequitur, ad ſedem apoſtolicam infauſto rumore perlato: nos poſt proceſſum in hac Urbevetana civitate, in feſto Aſcenſionis Domini tranſacto noviſſime



ANNO CHRISTI 1283.

me habitum, ad compeſcendam tempeſtatem eandem, quia procellarum illius ſpiritus non ceſſabat, ſed per inſidias Petri regis Arragonum, quem ſtilo circa reges ſolito non deſcribi, ſubſcripta ejus demerita meruerunt, invaleſcere potius videbatur: ut ejuſdem regis, qui regiæ dignitati non deferens, & generis ſui claritati non parcens, dictorum rebellium ſe ducem conſtituit & aurigam, nequitia revelaretur apertius, & eccleſiæ Romanæ inſtantia contra eum evidentius appareret: pridem in feſto dedicationis baſilicæ principis apoſtolorum præterito, nuper in platea eccleſiæ S. Flaviani Montis Flaſconis Balneoregienſis diœceſis, præſente tunc multitudine numeroſa fidelium duximus recenſendum, qualiter felicis recordationis Innocentius papa IV. prædeceſſor noſter quondam Fridericum, &c. *Ut ſupra pag. 768. ubi aſteriſcus ad marginem notatus eſt; uſque ad has voces*, abſolutionis beneficium obtinere, *pag. 778. lin. 37.*

Tantis itaque ac talibus, per præmiſſas monitiones, prohibitiones, & pœnarum comminationes, memoratis Petro regi Arragonum nepoti, rebellibuſque Siculis, miniſtris, complicibus, & ſatellitibus, & fautoribus eorundem, tanquam* apertis datis ſignificationibus ut a facie arcus fugerent, & ſe ab inſtantia recti judicii merita duritia liberarent: non humiliatum, ſed obduratum eſt in ſuis perverſitatibus inſipiens cor eorum. Nec enim acquieverunt monitionibus, nec prohibitionibus paruerunt, nec comminationum horruere ſævitiam, nec ab earum inſtantia expaverunt: ſed eis contemptis, omnimodis ſuas non ſolum continuatione aggravavere nequitias, verum etiam multiplicationibus variis ampliarunt, ad alias partes regni Siciliæ extra ſæpe fatam inſulam conſtitutas hoſtiliter impetendas, ſuos, ſicut fertur, conatus nefarios extendentes.

* *f. cumque apertis.*

Ne igitur tam juſtæ comminationes, fiant injuſtæ* ludibrio, ſi eorum juſtitia perſecutione debita fraudaretur; neve ſine vindicta gravis adeo creſcat inſania: dignum putavimus, ut memoratum Petrum nepotem regem Arragonum, tantamque ipſius proterviam ultrix ſententia proſequatur. Et ideo regnum Arragoniæ, ceteraſque terras regis ipſius, de fratrum noſtrorum conſilio exponentes, ut ſequitur, ipſum P. regem Arragonum eiſdem regno & terris, regioque honore, ſententialiter, juſtitia exigente privamus: & privantes, exponimus eadem regnum & terras occupanda catholicis, de quibus, & prout ſedes apoſtolica duxerit providendum, in dictis regno & terris ejuſdem, Romano ut præmittitur jure ſalvo: vaſſallos ipſius, quos, ut præmiſſa declarant, a juramento fidelitatis, ſi quo tenebantur eidem, jam abſolvimus, denunciantes penitus abſolutos, & denuo ab eodem & a quolibet fidelitatis vinculo & homagio expreſſius abſolventes, ac eoſdem P. quondam regem, Siculos, complices & fautores eorum, omneſque alios ſingulares qui prædictas monitiones, inhibitiones, & comminationes, damnabiliter contempſerunt, præmiſſæ excommunicationis; univerſitates vero, caſtra, civitates & loca cetera, denunciamus interdicti ſententiis ſubjacere; ipſos & ipſa ex cauſis eiſdem, & propter continuatam auctamque ipſorum contumaciam, ſimilibus ſententiis ſupponentes.

* *f. juſto*

Univerſis præterea Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus, etiamſi dignitate pontificali, ſeu regia forſitan decorentur; & ſpecialiter archiepiſcopis, epiſcopis, aliiſque inferioris gradus prælatis, & perſonis eccleſiaſticis, religioſis cujuſcumque religionis aut ordinis, & ſæcularibus; ipſique P. quondam regi Arragonum, comitibus, vicecomitibus, baronibus, univerſitatibus civitatum, caſtrorum, ceterorumque locorum, ac univerſis incolis & habitatoribus eorum regni & terrarum, quibus dictum P. tunc Arragonum regem privavimus, diſtrictius inhibemus, ne ipſe P. de dictis regno & terris ſe de cetero aliquatenus intromittat, neve ceteri ſupradicti, eidem P. dudum regi, vel aliis quibuſcumque contra dictas privationem & expoſitionem, perſequentes eaſdem (per quos dicta regnum & terras occupanda ſedes eadem providebit) tentantibus ſe opponere, aſſiſtant, vel qualitercumque faveant, ſive præſtent in hoc conſilium, auxilium vel favorem, publicum vel occultum, quacumque occaſione quæſita, vel prætextu alicujus homagii, vel cujuſcumque colligationis, confederationis, ſocietatis, ſeu cujuſvis conventionis, aut jure contractæ hactenus, ſive in poſterum contrahendæ: etiamſi colligationes, confederationes, ſocietates, & conventiones hujuſmodi, & alia ſupra dicta, pœnarum adjectionis, litterarum, vel juramenti, ſeu cujuſlibet alterius ſint vinculo firmitatis innexa. Nos enim colligationes, confederationes, ſocietates, conventiones, ceteraque hujuſmodi præmiſſa, quoad hoc, de poteſtatis plenitudine diſſolvimus, juramenta ſuper illis præſtita pœnaſque propter ea promiſſas penitus relaxantes, & univerſos & ſingulos qui eas contraxerunt, ſe ad earum obſervantiam quantumcumque ſolemniter aſtringendo, ab ipſarum in præmiſſis obſervatione penitus abſolventes.

Specialiter autem archiepiſcopis, epiſcopis, & ceteris perſonis eccleſiaſticis, comitibus, vicecomitibus, baronibus, incolis, & habitatoribus ſupradictis earumdem regis Arragonum terrarum, prohibemus expreſſe, ne dictum P. olim regem Arragonum, pro rege vel domino recipiant vel habeant; neve ſibi obediant vel intendant, aut ipſi, vel alii pro eo, de redditibus vel obventionibus ſive juribus regalibus, ſeu ratione dominii debitis, reſpondeant. Alioquin memoratum P. quondam regem, & omnes ſingulares perſonas, cujuſcumque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, eccleſiaſtici vel mundani, etiamſi regalis dignitatis honore præfulgeant, excommunicationis; civitates vero, caſtra, villas & loca cetera, necnon univerſitates ipſarum, quæ dictas inhibitiones vel earum aliquam præterire propria temeritate præſumpſerint, interdictis ſententiis, quas ex nunc ferimus, decernimus ſubjacere. Non obſtantibus quibuſlibet privilegiis vel indulgentiis quibuſlibet imperatoribus, regibus, principibus, archiepiſcopis, ſeu quibuſlibet prælatis aliis, Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hoſpitalariis, Templariis, ſeu religioſis aliis aut ſæcularibus perſonis, etiam in dignitate qualibet conſtitutis, civitatibus, caſtris, locis, communitatibus, collegiis vel quibuſvis univerſitatibus, ſub quacumque verborum forma vel expreſſione ab eadem ſede conceſſis; & quibuſlibet aliis indulgentiis ejus ſedis, per quas præſentis proceſſus effectus impediri valeat vel differri. Quæ quidem omnia privilegia & indulgentias, quoad hoc, omnino viribus vacuamus. Et nihilo minus contra hujuſmodi præſumptores, & ſpecialiter contra dictos prælatos, religioſos, comites, vicecomites, barones, incolas, habitatores, civitates, caſtra, villas, & alia loca, & univerſitates ipſorum, ad privandum eos, & ea, quibuſlibet privilegiis, indulgentiis, immunitatibus ſive gratiis, ipſis ab eadem ſede conceſſis, necnon terris, feudis & juribus, quæ a præfata Romana vel aliis quibuſcumque tenent eccleſiis, ſeu perſonis eccleſiaſticis, ac

ANNO CHRISTI 1283.

ac alias gravius ſpiritualiter & temporaliter, quando & ſicut facti ſuaſerit qualitas & expedire viderimus, prævia Divina gratia procedemus.

Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur: chartas ſive membranas, proceſſum continentes eundem, in majoris eccleſiæ Urbevetanæ appendi vel affigi oſtiis ſeu ſuperliminaribus faciemus: quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod idem Petrus, vel alii quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſtea poſſint excuſationem prætendere, quod ad eos talis proceſſus non pervenerit, vel quod ignorarint eundem; cum non ſit veriſimile remanere quoad ipſos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Urbem veterem, in platea dictæ majoris eccleſiæ XII. Kal. Aprilis, pontificatus noſtri anno ſecundo.

ANNO CHRISTI 1284. Ex Hanſizii Germania ſacra Tom. 1. pag. 427.

# SYNODUS APUD SANCTUM HIPPOLYTUM

## A GODEFRIDO PATAVIENSI EPISCOPO

### Anno Domini MCCLXXXIV. 14. Calendas Aprilis celebrata.

QUoniam Sedes Apoſtolica nos in partem ſollicitudinis evocavit, ut ſuper reformatione Pataviensis Diœceſis providere debeamus afflictis Eccleſiis & perſonis, ne injunctum nobis miniſterium negligamus, & tamen gravamini poſſimus parcere ſubditorum, hac vice non multas intendimus addere conſtitutiones, ſed antiquas, quas minus obſervatas invenimus, auribus ſingulorum & memoriæ inculcare, quas etiam ab omnibus in noſtra Diœceſi volumus inviolabiliter obſervari. Ut igitur ab eo ſumamus exordium, qui omnium finis eſt & principium, quæ circa ipſius cultum & obſequium negligenter hactenus ſunt omiſſa, primo duximus corrigenda, ne propter incuriam eorum, qui Eccleſiaſticis ſunt officiis mancipati, Divina contra nos indignatio graviter exardeſcat.

*De Cuſtodia Euchariſtiæ.*

Statuimus igitur, ut ſecundum conſtitutionem Lateranenſis Concilii Chriſma & oleum ſacrum, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia, & lampadibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, & nefaria exercenda, quorum etiam cuſtodia nunquam laicis committatur. Si vero is, ad quem ſpectat cuſtodia, incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur, & ſi per ejus incuriam aliquid nefarium inde contingit, graviori ſubjaceant ultioni juxta ordinationem noſtram, quam juxta qualitatem delicti ſtudebimus moderari.

*Campana in geſtatione Sacramenti.*

Item ſtatuimus, ut ſecundum Statuta Canonum Sacerdotes, & non alii infirmos in extremis laborantes, in viatico & confeſſione viſitent, & præeuntem Campanam ſecum deferentes, ex cujus ſono primo devotio fidelium excitetur ad tanti reverentiam Sacramenti & ipſi Sacerdotes portantes Sacramenta, Hoſtiam, Chriſma, & Oleum infirmorum ſuperpellicio & ſarcoccio ſint induti cum Candela accenſa vel lucerna, reverentia debita incedentes; omnibus etiam, qui ob reverentiam tanti Sacramenti Sacerdotem infra civitatem & villam congrua devotione ſequuntur, ſive unum infirmum communicet ſive plures, XX. dies injunctæ pœnitentiæ relaxamus; ſi autem ad aliam villam ſequuti ſunt, indulgentia duplicetur.

*Clerici ludos & Tabernas vitent.*

Item diſtrictiſſime inhibemus, ne clerici ludos alearum & taxillorum inordinatos & indecentes & turpia lucra & inhoneſta mercimonia præſumant de cetero exercere; ne tabernas, niſi neceſſitatis cauſa, vel in itinere conſtituti; alioquin pœnam eis Canonicam infligemus.

*Quod Quæſtuarii non admittantur.*

Item præcipiendo mandamus, ut ad petendam Eleemoſynam nulli prorſus de cetero Quæſtuarii admittantur: Eccleſiæ vero vel domus, ſive hoſpitalia, pro quorum ſubventione indulgentias & literas noſtras petitorias concedimus, per ſuos fratres vel notos, & conſtitutos nuncios eaſdem transmittant literas pro Eleemoſyna colligenda, & tales admittantur ſecundum continentias litterarum. Si qui vero talium notabiles inventi fuerint, falſum videlicet Religionis habitum deferentes, vel tabernarii, luſores, ſeu Apoſtatæ, tanquam falſarii ab omnibus repellantur, & quicunque plebanorum, Vicariorum, ſeu Rectorum, prætextu pecuniæ, vel cujuſcumque commodi ſeu lucri, tales non repulerit, toties in hoc caſu delinquit; & niſi infra menſem, poſtquam incidit in talem pœnam, nobis vel Archi-Diacono, ſeu Decano ſuo de hoc recognoverit, ex tunc elapſo eodem menſe ab officio ſit jure ipſo ſuſpenſus.

Item inhærentes veſtigiis prædeceſſorum noſtrorum, monitis ipſorum, ac ordinationibus ipſorum ſalubribus, aliqua addenda eſſe decernimus, quæ ſaluti ſubditorum & noſtræ ſollicitudini declarat ratio temporis plurimum opportuna.

*Quod curas animarum habentes per ſe reſideant.*

Omnes igitur & ſingulos curam animarum habentes, ad receptionem Ordinum, quos ipſorum cura, & Officium, ac ſollicitudo requirit, nec non ad perſonalem in ſuis beneficiis Reſidentiam mandato diſtrictiſſimo evocamus: Si autem aliqui defuerint in ipſis, per alios, quod ex juſta cauſa & de noſtra licentia ſpeciali oportere fieri, & debere intelligimus, illi in ſuis Eccleſiis tales inſtituant, ſive locent, quos notos, dignos, & idoneos



ANNO CHRISTI 1284.

ſciverint evidenter; qui vero ſcienter Clericos peregrinos, concubinarios, vel alios indignos collegerint in ſocios vel vicarios, vel ſi eos, quos tanquam dignos aſſumpſerint & bonos, poſtmodum malos effectos non removerint, ex tunc tam illi, qui tales colligunt, quam iſti, qui collectos non removent, integrum menſem, poſtquam iniquitas ipſorum detecta fuerit, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpendantur.

*Quod Clerici noti, ignotis præferantur.*

Item cum ſcriptum ſit, quantum quiſque meretur, non quantum dare ſufficit, æſtimetur, diſtricte prohibemus, ne aliquis in locationibus Eccleſiarum amplioris lucri gratia bonis & idoneis atque notis minus idoneos ſive ignotos ſeu male meritos anteponat, ſi poſtquam id nobis conſtitit, gravem a nobis effugere voluerit ultionem.

*Quod Rectores in filialibus Eccleſiis locent idoneos.*

Ad hæc ſtatuimus, ut Rectores Eccleſiarum in ſuis filialibus ſubjectis Eccleſiis notos & idoneos, de ſui Decani conſcientia inſtituant Sacerdotes, neutiquam diminuendo præbendam antiquitus deputatam, neque exactione aliqua ſeu conditione vel ſervitiis extraordinariis onerando; ubi vero non inveniuntur præbendæ antiquitus deputatæ, vel deputandæ hactenus præbendæ non ſufficiunt Parochiis, per querras, vel ex cauſis aliis deſolatis, in eiſdem præbendæ de Archi-Diaconi vel Decani conſilio ſtatuantur.

*Quod Peregrini Clerici non admittantur in Eccleſiis.*

Item cum plerumque infames loca conſueverint ſuæ relinquere nationis, ſtatuimus, ne clerici peregrini, & ignoti per noſtram Diœceſim de cetero ad officiandum tanquam Vicarii, & Socii in Eccleſiis vel Capellis aliquibus admittantur, niſi noſtras exhibeant literas, quibus eis officiandi in noſtra Diœceſi licentiam concedimus; præcipimus etiam ex nunc omnes dictos clericos, peregrinos & ignotos, noſtras non habentes literas ſuper admiſſione ſua, a Vicariis Eccleſiarum ſeu Capellarum, Caſtrorum, Civitatum, villarum, quarumcunque Diœceſis noſtræ, & a Societate Domeſtica penitus removeri, qui autem in utroque vel altero hujus mandati noſtri articulo transgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ & divinis per nos ſe noverit ſuſpendendum, graviori pœna, ſi ejus culpa exegerit, nihilominus puniendus.

*Quod Clerici nuptias non celebrent.*

Item ſtatuimus, ut ſi quis presbyter de ſuis filiis & filiabus ſollemnes nuptias præſumſerit celebrare, ab executione ſui ordinis ſuſpendatur & niſi infra duos menſes ſe de hoc apud nos vel ſuum Archi-Diaconum recognoſcat, Eccleſia vel aliquod beneficium, ſiquod habet, auferatur ab eo.

*Quod excommunicati ſint, qui tollunt res clerico pertinentes.*

Item quia quidam Eccleſiarum Patroni tam Clerici, quam laici, Advocati, Judices, ſeu alias potentes, bona mobilia, ſeu immobilia decedentium Clericorum occupant, rapiunt, & uſurpant, volentes ipſis ab inteſtato ſuccedere, pro ſuæ voluntatis arbitrio non judicio rationis, provide duximus ſtatuendum, ut decedentibus clericis ab inteſtato, tam plebanis quam aliis clericis, bona eorum mobilia, & immobilia, in quocunque loco fuerint, in noſtra protectione & poteſtate conſiſtant; & quicunque laicorum bona hujuſmodi uſurpaverint, rapuerint, vel diſtraxerint, occaſione quacunque, non poſt trinam admonitionem ablata taliter plene reſtituerint, excommunicationis vinculo ſint obligati; imo cum gravius ſit peccare in mortuum, quam in vivum, præcipimus, ut non ſolum talibus ſed & eorum familiaribus ſervientibus, ſeu Colonis ubicunque fuerint reſidentes, nulla divina penitus miniſtrentur, exceptis pœnitentiis morientium, & Baptiſmate parvulorum, niſi infra menſem ab ejus familiaritate & ſervitio ſe ſubtrahant vel cultura.

*Quod excommunicati non ſepeliantur.*

Item ſtatuendo interdicimus firmiter & diſtricte, ne aliqui plebani, Prælati, Rectores Eccleſiarum vel Vicarii de cetero excommunicatos, vel interdictos ad Eccleſiaſt. recipiant ſepulturam, ſi qui vero contrarium fecerint, ex tunc omnibus ſuis beneficiis noverint ſe privandos; Religioſi vero pro transgreſſione hujuſmodi conſtitutionis, excommunicationis ſe ſciant vinculo innodandos, & nihilominus pro qualitate ſui delicti ſecundum noſtrum arbitrium puniendos; qui autem tales ſepeliverunt, niſi infra menſem cadavera extumulent eorundem, ſuis ſe ſciant privandos omnino beneficiis, & excommunicationis ſententiæ nihilominus innodandos.

*Quod excommunicati ab Eccleſia repellantur.*

Diſtricte etiam inhibendo mandamus, ne de cetero in locis non conſecratis vel in Eccleſiis violatis Divina celebrentur, niſi ex noſtra permiſſione & licentia ſpeciali; nec in cœmiteriis non conſecratis vel violatis corpora defunctorum ſine noſtra ſpeciali licentia tumulentur.

*Quod Divina non fiant in præſentia excommunicati.*

Item inhibemus, ne plebani vel ſacerdotes aliqui excommunicatis a D. Papa vel a nobis, vel ab aliquo Judice Ordinario ſeu delegato, ante obtentum abſolutionis beneficium in feſtis diebus vel privatis de cetero introitum Eccleſiæ indulgeant, vel eos recipiant ad Divina, cum ante abſolutionem excommunicationis vinculum non poſſint ad tempus ſuſpendere, nec ſine peccato medio tempore, poſſint eis, niſi in certis caſibus, communicare: qui vero contrarium fecerit, ipſo jure ab Officio ſit ſuſpenſus.

*Unus Clericus unam regat Vicariam.*

Item ſtatuimus, ut nullus clericus plures quam unam ſibi præſumat regendam aſſumere Vicariam, & qui contra fecerit, ſe per pœnam graviter ſciat deliquiſſe.

Quod

*Quod Rector Eccleſiæ non ſit Vicarius.*

Item ſtatuimus, & ordinamus, ut quicunque Clericorum noſtræ Diœceſis beneficium cum cura animarum, vel ſine cura habuerit, non præſumat ullam ſibi aſſumere Vicariam regendam, ſed in ſuis non omittat beneficiis reſidere.

Item qui tales in clero noſtro fuerint, ex nunc infra unius menſis ſpatium, ad eadem ſua beneficia revertantur; alioquin ex tunc ſuis ſe beneficiis noverint privandos.

*Quod Beneficia Eccleſiaſtica libere conferantur.*

Item ſtatuimus ut beneficia Eccleſiaſtica abſque omni pacto, & diminutione per eos, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur; ſi quod factum hactenus in contrarium extitit, quaſi irritum penitus revocamus.

*Quod Clerici de Matrimoniis non cognoſcant.*

Item ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, omnibus Prælatis, & Clericis univerſis & ſingulis per noſtram Diœceſim conſtitutis, ne de cognitione cauſarum matrimonialium ſe aliquatenus intromittant, niſi a ſede Apoſtolica vel a nobis mandatum ſuper receperint C ſpeciale, excepto Decano Pataviensis Eccleſiæ, cui volumus antiquam & approbatam conſuetudinem obſervari.

*Quod nulli contrahant, niſi publicentur.*

Item decernimus ſtatuendo, ut plebani aliique Eccleſiarum Rectores ac Vicarii noſtræ Diœceſis inhibeant publice in Eccleſiis ſuis, ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis ſub pœna excommunicationis, ne aliqui matrimonialiter conjungantur, niſi ſit prius diebus tribus Dominicis in Eccleſia publice inſinuatum, quod tales ſimul contrahere velint; in qua inſinuatione populus moneatur, & per pœnam excommunicationis arceatur, ut ſi quis ſcive- D rit impedimentum inter eos, qui matrimonialiter volunt conjungi, illud proponat publice, ſi ſine periculo & ſcandalo hoc fieri poteſt; alioquin proponat occulte ſacerdoti, & poſt trinam inſinuationem, ſi nullum proponitur impedimentum, tunc in nomine Domini conjungantur. Si autem impedimentum evidens & legitimum proponatur, tunc nullatenus contrahere permittantur. Si vero dubium ſit, an impedimentum ſit ſufficiens ad matrimonium impediendum, in hoc caſu non permittantur contrahere, donec per nos, quid fieri debeat, decidatur: Denuncient quoque plebani, quod quicunque contra ſolemnitatem hujuſmodi contraxerit matrimonium extra faciem Eccleſiæ, propter pœnam inobedientiæ, quam noſtro arbi- E trio reſervamus, proles ex tali matrimonio ſuſcepta, prorſus eſt illegitima; ſi ex impedimento aliquo poſtmodum contigerit matrimonium ſeparari, in illa nullam prorſus excuſationem de parentum ignorantia valere.

*Quod confirmatio recipiatur ab Epiſcopo.*

Item quia confirmatio eſt unum de Sacramentis Eccleſiæ, volumus, & præcipiendo mandamus omnibus Eccleſiarum Rectoribus, ut diebus Dominicis & feſtivis ſubditas ſibi plebes tam in publi- A co quam privato moneant, & inducant, ut ad recipiendam confirmationem de manibus Epiſcopi feſtinent, vice qualibet, quando poſſunt: declarando & lucidius exponendo, quod quicumque ex negligentia vel contemtu Sacramentum confirmationis non receperit, non erit de numero ſalvandorum.

Item ſtatuimus, quod quilibet in ſua Eccleſia vel Capella ſive ſit Plebanus, Vicarius vel Capellanus ſibi ſubjectis præcipiat & injungat, ut ſaltem ſemel in anno confiteantur ſua omnia proprio ſacerdoti, vel de licentia ſua alteri: cum ad hoc Chriſtianus quilibet teneatur: & ſi quis in hac parte ſe recognoverit hactenus deliquiſſe, hoc ante diem Palmarum corrigat & emendet, alioquin B ipſo die Palmarum omnes tales, quos ex nunc excommunicamus, excommunicationis ſententiæ denunciet ſubjacere.

*Quod Eccleſiarum Rectores Decanis confiteantur.*

Item ſtatuimus, ut ſinguli plebani, Rectores, Vicarii, & Capellarii noſtræ Diœceſis de gravioribus ſeu majoribus ſuis peccatis confiteantur ſuo Decano: Decani nobis, ac etiam Archi-Diacono, ſeu iis, quos eis dederimus confeſſores. De minoribus autem & venialibus confiteantur aliis ſacerdotibus, prout ſibi viderint expedire, ſi ſuos commode accedere non poſſint Confeſſores.

C Item cum ſumma ſit ratio, quæ pro religione facit, hortamur & præcipiendo mandamus, ut nullus noſtræ Diœceſis Clericus cujuſcunque Religionis, hominem, præſertim Prædicatores & Minores verbis injurioſis afficere vel malignis detractionibus infamare audeat vel præſumat: cum ſcriptum ſit: maledici regnum Dei non poſſidebunt. Imo Prædicatores & Minores, quos evidens utilitas ex eis generali Eccleſiæ veniens approbatos perhibet, caritative pariter & honeſte recipi & tractari ab omnibus volumus & mandamus.

*Quod rectores Hæreticos excommunicent.*

Volumus inſuper & in virtute S. Obedientiæ di- D ſtricte præcipiendo mandamus, ut omnes plebani & Eccleſiarum Rectores, ſeu Vicarii noſtræ Diœceſis, omnes Hæreticos, fautores, eorum Receptores, & credentes, nec non & Defenſores eorum denuncient quater in Anno, videlicet in Nativitate Domini, in die Palmarum, in Pentecoſte, in feſto omnium Sanctorum, Excommunicationis ſententiæ ſubjacere; & nihilominus omnes eos cujuſcunque ſtatus, & conditionis exiſtant, tales eſſe ſcientes, vel ex veriſimili conjectura vel alia ſuſpicione probabili, non accuſaverint, vel denunciaverint publice; vel ſi publice hoc non audent metu perſonæ, vel eorum plebano, Rectori vel Vicario loci, vel ſi ex quacunque cauſa eos denunciare ſecrete non poſſent, ad noſtram hoc noti- E tiam non detulerint, tanquam fautores & conſervatores eorum, quos ex nunc excommunicamus, excommunicatos volumus eiſdem temporibus nunciari.

*Quod Chriſtiani ſervientes Judais excommunicentur.*

Item cum dudum Judæis prohibita & interdicta ſint mancipia Chriſtiana, volumus & præcipimus, ut plebani & alii Rectores Eccleſiarum, ubi ſunt domicilia Judæorum, diebus Dominicis omnes de fide Catholica Judæorum nutrices, & ſervientes de-





nuncient excommunicatos: etiam denuncient omnes alios Chriſtianos, qui apud Judæos pecuniam ſuam locant, aut a Judæis uſuram recipiunt, vel ut Judæi eandem pecuniam mutuent ad uſuram.

*Quod Incendiarii ſint excommunicati.*

Item omnes Incendiarios nocturnos & depopulatores agrorum & vinearum nocturnos, quos ex nunc excommunicamus, ſinguli in Eccleſiis ſuis & Capellis quater in anno, ſcilicet in die Palmarum, in Pentecoſt. in Aſſumptione S. Mariæ, & in Nativitate Domini denuncient excommunicatione eſſe ligatos.

*Granaria non fiant in Eccleſiis.*

Item tabernas & omnem venditionem vini in Eccleſiis & cœmiteriis penitus prohibemus, ſub pœna excommunicationis. Item granaria & receptacula in Eccleſiis & cœmiteriis, niſi neceſſitatis tempore, ſub eadem pœna ſimiliter prohibemus.

*Quod Divina non fiant in Eccleſia, ubi adulteria facta ſunt.*

Item ſi neceſſitatis tempore, quæ lege caret, homines ad Eccleſias & cœmiteria incaſtellata confugiant, & uxoribus ibidem convivant, & quod pejus eſt, adulteria & ſtupra committant, ac etiam C vagas mulieres inverecunde adducant, ex quibus & tunc cœmiteria execrantur; ſtatuimus, ut plebani, & Rectores talium Eccleſiarum ſtatim, cum factum hujuſmodi quaſi pro notorio & publico prædicatur, idem faciant & obſervent, quod de execratis Eccleſiis & cœmiteriis in aliis conſtitutionibus eſt expreſſum, ſcilicet, quod in Eccleſia non celebrent, niſi de noſtra licentia in altari mobili: nec in cœmiteriis tumulent corpora defunctorum, donec reconciliationis gratiam mereantur: ſi autem extra terram conſtituti eſſemus, ut ad nos non poſſet de facili recurſus haberi, tunc admittimus, ut uſque ad noſtrum adventum ad terram, Rectores talium Eccleſiarum poſſint in ipſis Eccleſiis in altari portatili celebrare, ſed a nobis D ad terram venientibus, ſtatim licentia eſt petenda.

*De vagis Scholaribus.*

Item de vagis Scholaribus duximus ſtatuendum, diſtricte præcipientes, ut cultellos longos & gladios ac arma deferentes non recipiantur omnino, nec aliquales eiſdem exhibeantur conſolationes. Aliis autem humanitatis cauſa uni vel duobus tantummodo venientibus, & non pluribus, detur modicus paſtus in caritate: & ſi importuni vel infeſti fuerint, vel alia dona petiverint, puta denarios vel veſtes, penitus repellantur. Quicunque vero contrarium fecerint, ſi ſit paſtor Eccleſiæ Domi- E nicalis ſive Vicarius, LX. denarios ſolvere teneatur: & niſi apud ſuum Archidiaconum vel Decanum ſe de hoc recognoverit infra menſem, totiens quotiens deliquerit in præmiſſis, ab ingreſſu Eccleſiæ poſt menſem ſe noverit eſſe ſuſpenſum. Admittimus tamen, ſi quis neceſſitate ſuadente, ex liberalitate veſtem aliquam Scholari pauperi dare voluerit propter Deum. Vagos autem Scholares detrahentes Clericis nullus omnino Clericorum modo aliquo recipiat, vel ad panem admittat, cui hoc conſtiterit: quod qui non fecerit, pœnæ ſubjaceat prædictæ. De vagis vero ſacerdotibus A idem, quod vagis Scholaribus ſtatuimus, & ſub eadem pœna volumus per omnia obſervari.

*De Depoſitariis.*

Item cum occaſione Depoſiti ſæpe ſæpius, prout cognovimus, multa pericula & quam plura ſcandala deponentibus ac depoſitum recipientibus perſonis & Eccleſiis, ad quas eæ res de jure pertinere deberent, obvenerint, & occurrant, Depoſitario tam in vita, quam poſt mortem deponentis quandoque negante depoſitum, in grave deponentis & Eccleſiæ, de cujus ſtipendiis hujuſmodi depoſitum eſt collectum, diſpendium: alio quoque proponente, ſe quandoque depoſuiſſe B quod non depoſuit, ex quo proborum fama plerumque gravatur, & opinio minuitur; Nos huic morbo volentes, quanto poſſumus cautius, proviſionis remedio obviare, ſtatuimus, ut ſub pœna excommunicationis, quam ex nunc ferimus in rebelles, nullus Clericorum, Prælatorum, ſeu Religioſorum vel ſæcularium noſtræ Diœceſis, Depoſitum ultra decem libras æſtimationem earum faciat vel ſuſcipiat, ſine duorum fide dignorum ad minus præſentia & notitia, per quos neceſſitate ſuadente in vita vel morte deponentis poſſit veritas comprobari.

Teſtes etiam hujus ſub habita pœna, ſcilicet ex nunc excommunicationis latæ, & juramento aſtringi volumus, quod in vita deponentis contra C voluntatem ipſius hoc nulli communicent, vel revelent. Poſt mortem autem deponentis, ſive teſtatus ſive inteſtatus deceſſerit, infra menſem prædicti teſtes, & depoſitarius, vel ejus Succeſſor, aut vicem gerens ipſius, ad noſtram vel ſucceſſorum noſtrorum notitiam quantitatem depoſiti, vel qualiter ſit depoſitum, ſub prædictis pœnis ſcilicet juramenti & excommunicationis, quas ipſo facto eos incurrere volumus ſi negligentes fuerint, deferent; ut & Defuncti voluntas & Eccleſiarum utilitas impleatur, & ſalubrius procuretur. Et ſi unus, vel ambo teſtes adjuncti deceſſerint, infra menſem alium vel alios illi vel illis deponens ſubroget, coram quo vel quibus depoſitum ſub forma præhabita renovetur: quos etiam ad ea ſub pœ- D nis præmiſſis teneri volumus, ad quæ ille vel illi, in quorum loca ſubrogantur, fuerint aſtricti. Et hoc non ſolum ad futura, ſed etiam ad præſentia & præterita extendi volumus, indulgentes unius menſis ſpatium, qui ex nunc incipiat currere his, qui ex præterito depoſuerunt, vel depoſita ſuſceperunt, infra quem ſolemnitatem teſtium adhibeant ſuperius memoratam. Et quia conſtitutionem hujuſmodi volumus inviolabiliter obſervari propter utilitatem & evidentem neceſſitatem, ſtatuimus, ut ſi quis in fraudem ipſius ſtatuti depoſitum dividere præſumpſerit, vel in terra recondere ſeu in muro, prædicta ſententia ipſo facto ligetur.

E *Quod Epiſcopo Novales Decimæ ſerventur.*

Item cum ad nos omnium Novalium Decimæ per noſtram Diœceſim pertineant & a noſtris ſint prædeceſſoribus repetitæ, ſtatuimus & nihilominus diſtricte præcipiendo mandamus, ut omnes Plebani, Vicarii, & Eccleſiarum Rectores Decimas Novalium per ſuas parochias ortas vel tunc orituras, noſtro & Eccleſiæ noſtræ nomine ſuis temporibus repetant, colligant, & requirant, nobis eas fideliter & ſolicite conſervando, nec alicui præſcriptionem, vel Privilegium ſeu infeudationem prætendenti deferant in hac parte, ſed

Re-

ANNO CHRISTI 1284.

Rebelles & impedientes, nobis quam cito potuerint, vel ſuis Archi-Diaconis vel Decanis denuncient, ut adhuc de parte noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam arceantur. Quicunque autem in executione hujuſmodi Mandati noſtri ſe negligenter habuerint, vel eaſdem Decimas novales, ſuis propriis uſibus uſurpare præſumpſerint, illorum negligentiam, ac etiam temeritatem graviſſime puniemus.

*Quod Capellani Jura Parochialia non uſurpent.*

Item de Capellis in caſtris, in Civitatibus ſeu villis, ubi Parochiales Eccleſiæ ſunt vicinæ, ſtatuimus, ut earum Capellani ſe de cetero de Juribus nullatenus intromittant, videlicet benedictione nubentium, de introductionibus mulierum poſt partum, vel nuptias, de collationibus Sacramentorum, de benedictionibus cereorum, cinerum, Palmarum & ſolemnis Baptiſmatis, ac carnium; & feſta non indicant, niſi doceant, ſibi prædicta, vel aliqua alia eorum, de Privilegio competere ſpeciali; in Capellis vero Caſtrorum & Villarum a ſua Parochiali Eccleſia remotarum, permittimus feſta indici & conſecrationem fontis fieri diebus Dominicis & cineres, & carnes benedici, niſi ulteriora competant de Privilegio ſpeciali, de quo debent fidem facere coram Plebanis.

*Quod Rectores Eccleſiarum Vicinos accuſent.*

Item cum ſanguis ſubditorum requiratur de manibus Prælatorum, nec poſſit eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus comedit oves, & Paſtor neſcit; tanto diligentius correctioni ſubditorum volumus & debemus intendere, quanto damnabilius errores deſerimus incorrectos. Statuimus igitur, ut Plebani, Vicarii & Eccleſiarum ſeu Capellarum Rectores, univerſaliter ſinguli & ſingulariter univerſi ſuis Decanis denuncient omnes in ſcriptis, quos defectibus ſeu criminibus noverint laborare, infra unum menſem, poſtquam eis claruit; Decani vero poſtquam circa Anaſum ad partes Auſtriæ nos veniſſe conſtitit, infra unum menſem nobis denuncient de ſingulis, & accuſent, quæ fuerint accuſanda; ſi vero Rectores Decanis, nobiſque Decani, ut præmiſſum eſt, occaſione quacunque neglexerint accuſare, noverint ſe per nos graviter puniendos. Ne autem ex tali noſtro mandato malitiis aditus referetur, vel calumniandi materia ſuggeratur, volumus & mandamus eos defectus, delicta ſeu crimina duntaxat nobis inſinuari, quæ ſi opus foret, poſſent probari legitimis documentis.

*Accuſandi ſunt circa infra ſcripta.*

Hi ſunt defectus & culpæ, crimina, & articuli, de quibus ſunt Clerici quilibet accuſandi; contra quos poterunt comprobari: abſentes a Capitulo tam plebani, quam Vicarii; item abſentes a ſuis beneficiis; item vocati ad ordines & non venientes; item ordinati ab aliis Epiſcopis; item cohabitantes manifeſte; item concubinas in aliis domibus habentes publice, item Tabernarii, luſores, & alios diſſolutæ vitæ. Item Clerici tabernas in ſuis domibus habentes. Item Plebani, qui Vicarios ſuos [illegible] cohabitare. Item Clerici uſurarii, anticipatores, & antiquam monetam pro nova mutuantes. Item Alchimiſtæ, & qui utuntur falſa moneta & argento. Item qui peregrinos, & ignotos recipiunt in ſocios. Item qui Sacramenta Eccleſiæ vendunt, & ſuper remediis decedentium, conventionem faciunt, antequam ſepeliatur defunctus. Item qui propter augendum cenſum conſuetum amovent idoneos ab Eccleſiis & inſtituunt minus dignos. Item qui Decimas & proventus, ſive reditus Eccleſiarum ſuarum laïcis conferunt, quibus impoſterum Eccleſiæ defraudantur. Item Capellani caſtrorum, villarum ſeu civitatum, qui non veniunt ad Capitula & Conventus. Item Apoſtatæ & de Apoſtaſia ſuſpecti. Item qui interdicti, ſuſpenſi vel excommunicati celebraverunt, vel ſe ingeſſerunt Divinis. Item qui voluntarie laicos ſibi conſtituunt Advocatos. Item qui in foro ſeculari præſumunt Advocatiæ officium exercere. Item habentes pluralitatem beneficiorum. Item qui corpus Chriſti & Chriſma ſub fideli cuſtodia non reſervant. Item ſine Miniſtro celebrantes. Item Religioſi ſine licentia Epiſcopi plebes regentes. Item Plebani, qui ſuas aliis locant Eccleſias, & Vicarias aſſumunt regendas. Item dilapidatores ſuarum Eccleſiarum. Item qui Symoniace ordines vel beneficium ſuſceperunt. Item illegitimi habentes beneficia cum cura animarum. Item qui ſine inveſtitura Epiſcopi & inſtitutione Canonica Eccleſias recipiunt, atque regunt. Item qui per ſub Diaconum vel Decanum plebes ſuas in viatico & Confeſſione procurari permittunt. Item qui excommunicatos, vel interdictos recipiunt ad Eccleſiaſticam ſepulturam. Item qui ſine licentia noſtra in Oratoriis vel Eccleſiis non conſecratis, vel violatis Miſſas celebrant. Item qui in cœmiteriis non conſecratis vel violatis permittunt mortuos ſepelire. Item qui ſubplantatores ſunt & Anticipatores. Item tranſgreſſores omnium prædictorum ſtatutorum.

*Quod non fiat pactum de mediis ante ſepulturam.*

Ceterum diſtrictiſſime inhibemus, ne ſuper defunctorum mediis ante exequias & ſepulturam defuncti aliqua pactio, vel conventio intercedat; defuncto autem ſicut convenit ſepulto, quidquid ex teſtamento vel laudibili conſuetudine ſacerdoti debetur, vel Eccleſiæ ſuæ convenit perſolvendum, ab Hæredibus defuncti, vel ab illis, qui in bonis ejus ſuccedunt, præſtetur, & ad ejus ſolutionem, ſi opus fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur.

*Excommunicati ſunt, qui occupant poſſeſſiones alienas.*

Item quia ſunt quamplures per Diœceſim noſtram, qui feuda Eccleſiæ noſtræ Patavienſis & proprietates, quæ vulgo *Minder Aign* dicuntur, tanquam ſuas proprietates uſurpant; & ſunt, qui feuda Eccleſiæ ab aliis Dominis recognoſcunt; ſunt etiam, qui feuda & proprietates Eccleſiæ noſtræ, ſine prædeceſſorum noſtrorum & noſtro conſenſu & conſcientia, per venditionem vel alio modo in alios tranſtulerunt; præcipiendo ſtatuimus, ut omnes Eccleſiarum Plebani, Rectores, & Vicarii omnes tales prædictos, nec non & eos, qui ſcienter alios feuda Eccleſiæ noſtræ, a ſe recipere & recognoſcere, vel violentiam vel modum alium induxerunt; vel qui ſine noſtra



ANNO CHRISTI 1284.

ſtro & prædeceſſorum noſtrorum conſcientia, & conſenſu proprietates Eccleſiæ noſtræ, vel feuda ſcienter ab aliis comparaverunt; proximo die Dominico vel feſtivo moneant & inducant, ut infra menſem, quem eis terminum peremptorium deputamus, apud nos Jus Eccleſiæ noſtræ in prædictis recognoſcant; alioquin menſe finito ſingulis diebus Dominicis & feſtivis tales publice denuncient excommunicatos; quam excommunicationis ſententiam ex nunc ferimus in eoſdem: omnes autem, qui ad cor redeuntes jura Eccleſiæ noſtræ apud nos recognoverint in præmiſſis, promittimus benigne recipere, & cum eis agere gratioſe; quod ſtatutum non ſolum ad nos & Eccleſiam noſtram, ſed etiam ad Principem terræ, & omnes Prælatos noſtræ Diœceſis extendi volumus & mandamus.

*Omnes Clerici horas Canonicas dicere tenentur.*

Item cum nil ſit Divino operi præponendum, præcipimus univerſis Eccleſiarum & Rectoribus, & omnibus in ſacris ordinibus conſtitutis, ut nulla omnino occupatione horas Canonicas, ad quas tenentur, omittant; imo diebus omnibus & ſingulis cum devotione debita eas dicant. Acta ſunt hæc apud S. Hyppolitum anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo quarto XVI. Calendas Aprilis.

## ADDITIO.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto. Nos Gotfridus Dei gratia Eccleſiæ Pataavienſis Epiſcopus, apud Sanctum Ypolitum Capitulum celebrantes, & de conſilio fratrum noſtrorum Prælatorum ac Archi-Diaconorum noſtrorum, ſtatutis & ordinationibus prædeceſſorum noſtrorum, quæ ibidem publicari fecimus, declarationes quaſdam, ordinationes, ac ſtatuta addenda decrevimus, quæ pro inſtantia temporis cognovimus expedire: Salvis autem conſtitutionibus Conciliorum Provincialium, nec non Reverendi Patris Domini Gwidonis titulo Sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis: ac etiam ſalvis ſtatutis & ordinationibus prædeceſſorum noſtrorum, quibus derogari nolumus ac debemus. De accuſatis nobis in Capitulo miſericordiam poſcentibus, & judicium non requirentibus ad excuſandas excuſationes in peccatis, & correctioni ac emendæ ſe exponentibus eligentes miſereri potius quam iraſci; ejus exemplo, qui in ira miſericordiam non reſtringit, duximus decernendum; ut in primo Capitulo præſenti, ſcilicet quod poſt noſtram promotionem celebravimus, ipſis miſericorditer parcendo pro commiſſis delictis, quibus accuſati fuerant, injungeremus pœnitentiam ſalutarem. Accuſatis itaque de cohabitatione extra domum, pro commiſſis præteritis injungimus pro pœnitentia Miſſas duodecim, pro peccatis ſex ſextas ferias in pane & aqua, & ſex pſalteria, complenda omnia infra annum. Accuſatis vero de cohabitatione in domo ſua propria vel hoſpitio, injungimus pro commiſſis præteritis viginti Miſſas, pro peccatis duodecim pſalteria, ſex ferias ſextas in pane & aqua, complenda omnia infra annum; ita tamen, ut tam diu ab officio ſint ſuſpenſi, donec a domibus ſuis & ab aliis ſe removerint, cum effectu, ad quas ſi pari modo rediverint, tam officio quam beneficio ſunt privandi. Tabernarius vero ſacerdos ſex Miſſas, & ſex ferias ſextas in pane & aqua pro culpa præterita compleat infra annum. Tabernarius autem non ſacerdos ſex ferias ſextas & ſex pſalteria ſimiliter pro culpa præterita compleat infra annum. Quas pœnitentias illis ſimiliter injungimus, qui licet non ſint accuſati in Capitulo, in eiſdem tamen ſe cognoſcunt culpis & defectibus deliquiſſe.

Item abſentibus a Capitulo, tam accuſatis quam non accuſatis, ad præſens parcere volumus, & deferre quoad abſentiam ita, quod in antea ſe corrigant, ne contra eos tanquam contumaces ratione abſentiæ procedere compellamur. Omnes etiam ad Capitula & Conventus Archi-Diaconorum & Decanorum vocatos venire præcipimus & mandamus: & qui ſine cauſa legitima ſe abſentaverit ab eiſdem, ſi Plebanus fuerit . . . . vel unum, ſi Vicarius fuerit, domui Hoſpitalis Sancti-Ypoliti ſolvere teneantur. Quod ſi infra menſem non perſolverint, per ſuos Archi-Diaconos, vel Decanos ab officio ſuſpendantur. Eis etiam qui ad ordines vocati fuerant, & non venerunt, parcimus iſta vice; ita tamen, ut in proximis ordinibus procedere ad Ordinem, quem cura ipſorum exigit, non obmittant, ſi pœnam Canonicam voluerint evitare.

Item abſentes temere a beneficiis, ſi ſint infra provinciam, uſque ad feſtum ſancti Georgii, ad perſonalem reſidentiam revocamus. Si vero ſint extra provinciam temere conſtituti, uſque ad feſtum S. Michaelis, ad reſidentiam revocamus eoſdem. Eos vero, qui ſunt de culpis & defectibus majoribus & gravioribus accuſati, ſub pœna præcipientes prohibemus abhinc recedere, ſine noſtra licentia, & permiſſione ſpeciali.

Item præcipimus, ut præter Religioſos omnes in ſacris ordinibus conſtituti ad executionem Ordinis & Officii nullatenus admittantur, niſi ſuas formatas habeant exhibere. Et ne ab hoc modo aliquo excuſentur, de dandis formatis certum ſalarium ſtatuimus ſtatuendum: ut Subdiaconus det octo denarios, Diaconus duodecim, ſacerdos non habens beneficium, ſedecim; & habens beneficium, viginti quatuor uſualis monetæ.

Ut autem ſtatuta prædeceſſorum noſtrorum, quibus aliqua addidimus pro neceſſitate temporis opportuna, diligentius obſerventur, & obſervari & memoriæ commendari valeant, diſtricte præcipimus, & decernimus ſtatuendo, quatenus monita noſtra & ſtatuta ſalutaria, quæ volumus utentium moribus approbari, a Decanis quibuslibet præſentibus recipiantur in ſcriptis, in noſtra Synodo conſtitutis. Decani vero ſingulis Eccleſiarum Rectoribus & Vicariis eorum copiam faciant infra menſem, quatenus in libris Eccleſiarum redigi ordinent & inſcribi, in quibus ſtatuta ipſa lecta, & ſæpius repetita ſingulorum memoriæ inculcentur.

Item quia ſunt quamplures per diœceſim noſtram, qui feuda Eccleſiæ noſtræ Pataavienſis & proprietates, quæ vulgo ein Veſt-Aigen dicuntur, tanquam ſuas proprietates uſurpant: & ſunt, qui feuda & proprietates Eccleſiæ ab aliis Dominis recognoſcunt: ſunt etiam, qui feuda & proprietates Eccleſiæ, ſive prædeceſſorum noſtrorum, & noſtro conſenſu & conſcientia, per venditionem vel alio modo in alios tranſtulerunt. Quare præcipiendo ſtatuimus, ut omnes Eccleſiarum Plebani, Rectores, & Vicarii omnes tales prædictos, nec non & eos, qui ſcienter alios feuda Eccleſiæ noſtræ a ſe recipere & recognoſcere per violentiam vel modum alium induxerunt, vel qui ſine noſtra, & prædeceſſorum noſtrorum conſcientia & conſenſu proprietates Eccleſiæ noſtræ vel feuda ab aliis comparaverunt; vel qui proprietates Eccleſiæ ſub certa annuali penſione & etiam ſine omni penſione pro tempore vitæ ſuæ ipſis conceſſas vel eorum prædeceſſoribus, tanquam ſua feuda vel tanquam pro-

proprietates detinent & uſurpant; proximo die A Dominico vel feſtivo moneant & inducant, ut infra menſem (quem eis terminum peremptorium deputavimus) apud nos jus Eccleſiæ noſtræ in prædictis recognoſcant: alioquin menſe finito, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis tales publice denuncient excommunicatos, quam excommunicationis ſententiam ex nunc ferimus in eoſdem. Omnes autem, qui ad cor redeuntes, jura Eccleſiæ noſtræ apud Nos recognoverint in prædictis, promittimus benigne recipere, & cum eis agere gratioſe. Quod ſtatutum non ſolum ad Nos & Eccleſiam noſtram, ſed etiam ad Principem terræ, nec non ad omnes Prælatos terræ Diœceſis noſtræ extendi per omnia volumus & mandamus.

Item quia omnibus Vaſallis noſtris feuda a No- B bis recipientibus præcipimus ſub debito juramenti, ut infra ſex ſeptimanas a receptione computandas feuda, quæ a nobis recognoſcerent, in ſcriptis Nobis aſſignare deberent; quod quia quamplures ex eis facere neglexerunt, vobis omnibus præciſe injungimus & mandamus, quatenus omnes Parochianos veſtros ſollicite moneatis, ut infra Dominicam *Judica* Nobis feuda ſua omnia, quæ a Nobis recognoverint, dent in ſcriptis: alioquin ex tunc denuncietis omnes hoc exequi negligentes, excommunicationis ſententiæ ſubjacere, & eidem denegetis Eccleſiaſtica Sacramenta.

Item omnes alios, qui noſtræ Patavienſi Eccleſiæ attinent, & Dominis adhærent alienis, eiſdem tanquam ſui proprii ſervientes, & eos, qui tales Eccleſiæ noſtræ homines per violentiam ſibi ſervire & adhærere compellunt; præcipimus in omnibus præcipuis feſtivitatibus anni excommunicatos publice nunciari, videlicet in Nativitate Domini, in Cœna, in Aſcenſione & Pentecoſte, in feſtivitatibus S. Mariæ, & in feſto S. Joannis Baptiſtæ, Michaelis, & omnium Sanctorum.

B Item quia per noſtros prædeceſſores primus annus vacantium Eccleſiarum ad noſtram collationem pertinentium, fabricæ Patavienſi Eccleſiæ deputatus fuit; præcipimus ſub pœna excommunicationis omnibus, qui tales habent Eccleſias, ut infra ſpatium quatuor menſium pecuniam pro anno prædicto debitam ſeu proventus doceant ſe ſolviſſe, vel ſolvant.

# SYNODUS PATAVIENSIS

## A GODEFRIDO EPISCOPO

### In Monachos quoſdam Altahenſes celebrata.

Ex Hanſizii Germania ſacra Tom. 1. pag. 437.

ANno 1284. alteram Synodum Godefridus C Pataviæ collegit; in qua decreta ſententia in Monachos quoſdam Altahenſes ſeditionis ſacrilegæ auctores. Contigerat anno 1282. facinus abominandum, quando flagrante inter Volchmarum Abbatem de Altah, & quoſdam fratres ejuſdem loci diſcordia, eo demum ſunt odia progreſſa, ut laici quidam ſeditioſorum monachorum cognati prædictum Abbatem in trajectu Danubii in Werd prope monaſterium duabus ſagittis in ipſo flumine occiderint. Facinoris execrandi patratores laici apud Straubingam D oppidum meritas dedere pœnas. De monachis autem ſeditionis auctoribus Poppo Abbas Volchmari ſucceſſor ad Martinum IV. id temporis Papam dedit literas ſupplices, ubi poteſtatem faceret Epiſcopo Patavienſi aut Ratisbonenſi, aut etiam ſibi Abbati, cum eiſdem ſecundum ſanctam diſcretionem miſericorditer diſpenſandi, ut abſolutionis beneficio præſtito ſecundum qualitatem, & quantitatem exceſſuum injungatur eis pœnitentia ſalutaris &c. Pontifex negotium diœceſano Patavienſi Godefrido manda- E vit; is ablegatis ad monaſterium venerabilibus viris de Alderſpach, & de Furſtencell Abbatibus ordinis Ciſtercienſis inquiſitionem commiſit: qua rite facta Godefridus collecta Synodo diœceſana ſententiam tulit, ut ſequitur.

*Nos Godefridus Dei gratia Eccleſiæ Patavienſis Epiſcopus. Scire volumus quoslibet literarum præſentium inſpectores, quod in anno Domini 1284. 2. Kal. Maii apud Pataviam capitulum celebrantes, & in cathedrali Eccleſia Synodo præſidentes inter alia, quæ ſuper conſervatione boni ſtatus, & reformatione ac emendatione Cleri noſtri cum dilectis in Chriſto fratribus tractavimus, ad memoriam nobis extitit miſerabilis quondam Volchmari Abbatis &c. De conſilio itaque fratrum nobiſcum in Synodo exiſtentium eos, qui in lite & diſſenſione principales fuerunt* [ſeptem numero] *ab Altahenſi monaſterio & Patavienſi diœceſi perpetuo amoventes ab excommunicationis ſententiis abſolutos ipſos duximus ſuæ conſcientiæ relinquendos. Reliquos vero, quos minus quam alios invenimus deliquiſſe* [octo fuerant] *dilecti in Chriſto fratris noſtri Popponis Abbatis ipſorum in Altah diſcretioni relinquimus puniendos, concedentes auctoritatem diſpenſandi &c. Hac tamen modificatione adjecta, ut iidem fratres ſint ultimi in ordine & voce Capituli in omnibus: electionibus & tractatibus careant: nec ad aliquod officium & adminiſtrationem honoris, ſed tantum oneris admittantur &c.*

SYNO-





# SYNODUS NEMAUSENSIS

## circa annum Domini MCCLXXXIV.

Ex codice MS. bibliothecæ Chiſianæ, cujus copiam Alexander VII. Pont. Max. ad hanc editionem benigniſſime fecit.

### Incipit liber ſynodalis eccleſiæ Nemauſenſis editus a domino B. " epiſcopo Nemauſenſi.

" Bertrando.

QUoniam in ſacramentorum collationibus, & animarum regimine, cautela multiplex debet neceſſario adhiberi: idcirco nos B. miſeratione Divina epiſcopus Nemauſenſis, conſiderantes non ſine cordis dolore ſimplicitatem & inſufficientiam quorundam presbyterorum noſtræ diœceſis, quibus circa curam eis commiſſam diverſæ frequenter quæſtiones, & caſus periculoſi emergunt multipliciter, & occurrunt: ad inſtructionem, & vitæ reformationem clericorum, præcipue curam regentium animarum, atque laicorum contra eccleſias & viros eccleſiaſticos etiam inſurgentium malitiam refrænandam, & ad procurandam eorundem ſalutem animarum: cum conſilio, & aſſenſu venerabilium fratrum noſtrorum, præpoſiti, & capituli Nemauſenſis, quædam utilia & neceſſaria ſub certis titulis in hoc contenta opere ſub compendio notavimus: quæ de diverſis collecta authoritatibus & ſtatutis, aut ſunt de jure, aut rationi conſona, atque juri. In hoc igitur opere:

Primo tractatur de Baptiſmo. Secundo de Pœnitentia. Tertio de ſacramento Euchariſtiæ. Quarto de Miſſarum celebratione. Quinto de veneratione eccleſiarum. Sexto de alienatione rerum eccleſiaſticarum, & obligatione ipſarum. Septimo de vita, & honeſtate clericorum. Octavo de teſtamentis. Nono de ſepulturis. Decimo de decimis, & primitiis. Undecimo de ſponſalibus, & matrimonio. Duodecimo de ſententia excommunicationis, & interdicti; & quomodo infirmis abſolutionis beneficium ſit impendendum. Decimotertio de perjuris; & pœna ipſorum. Decimoquarto de Judæis. Decimo quinto & ultimo quædam ponuntur capitula, & præcepta, ſpeciales rubricas ſeu titulos non habentia. Et quia longum eſſet ad plenum tractare de materiis ſupradictis, ea quæ pro majori parte ad contentioſam juriſdictionem & cauſarum ſtrepitum pertinent, omittentes, in ſubſequentibus ſpecialiter tractabimus de iis, quæ ad regimen eccleſiarum, & curam pertinent animarum.

Verum quia prodeſt parum ſtatuta promulgari, & mandata fieri, niſi ad eorum obſervationem arctentur improvidi tranſgreſſores: idcirco nos prædictus epiſcopus Nemauſenſis diſtricte præcipimus & mandamus, ut clerici noſtræ diœceſis in ſacris ordinibus conſtituti, & maxime eccleſiarum rectores, & capellani habentes curam animarum, hæc ſtatuta præſentia, & prohibitiones ſynodales, frequenter legant, & diligenter intelligant, & obſervent: ut ſi ſuper his eos delinquere contigerit, ſe non poſſint poſtmodum per ignorantiam excuſare; ſcituri pro certo quod trangreſſores hujuſmodi pœna debita puniemus. Et quæ de infraſcriptis fuerint clericis intimanda, eis per rectores, & parochiales presbyteros intimentur: & ea A quæ tangunt laicos, eiſdem laicis, diverſis temporibus & diebus, ſecundum quod opus fuerit, intimentur. Et ibi maxime ubi eſt populi multitudo: ut ſic clerici in bonis moribus & honeſtis actibus informentur, & laici ab eccleſiarum & clericorum gravaminibus refrænentur.

#### *De Baptiſmo.*

QUoniam Baptiſmus omnium ſacramentorum janua eſt, & etiam fundamentum, merito de ipſo hic primitus eſt tractandum. Præcipimus itaque, ut infans quam cito natus fuerit, ſi B periculum mortis ſibi immineat, ita quod presbytero nequeat præſentari, a circumſtantibus maſculis, ſi præſentes fuerint, baptizetur in aqua calida, vel frigida, non in alio liquore, & in vaſe mundo, ligneo, vel lapideo, vel quolibet alio. Vel ſi vas haberi non poſſit, fundatur aqua ſuper caput baptizandi, & dicantur verba, quibus debet aliquis baptizari. Vel ſi maſculi præſentes non fuerint, a circumſtantibus fœminis baptizetur, etiam a patre, vel a matre, ſi alii non fuerint a quibus valeat baptizari. Sed quamdiu fuerint, a patre, vel a matre nullatenus baptizetur. Et ſi ex neceſſitate, a patre proprio vel a matre in- C fans fuerit baptizatus, matrimonio inter eos in ſua firmitate manente nulla propter hoc pœnitentia injungetur baptizanti, qui ex hoc potius debet commendari. Si vero malitioſe pater, vel mater baptizavit, vel catechiſmo, ſeu in confirmatione tenuerit infantem uxoris ſuæ ex alio viro procreatum: matrimonio ut dictum eſt in ſuo robore permanente ad nos tranſmittatur, de tanto exceſſu a nobis pœnitentiam ſuſcepturus. Si autem caſu, vel ignorantia illud accidit, non ſunt propter hoc in aliquo puniendi. Ne vero propter imperitiam laicorum, infans abſque forma debita baptizetur: diſtricte præcipimus, ut frequenter admoneant, & D inſtruant plebem ſuam, ut cum ex neceſſitate prædicta aliquem baptizari contigerit, hanc formam in traditione ipſius baptiſmi cum diligentia ſtudeant obſervare. Sed " ut infantem ter injungendo in aqua baptizans dicat ſic: Petre, vel Martine, ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Si tamen una tantum immerſio facta fuerit, erit nihilo minus baptizatus; & licet proprium nomen infanti non fuerit impoſitum: licet etiam paternum, vel maternum non habuerit, nec dictum fuerit, ego: dum tamen infantem immergendo in aquam, a baptizante dictum fuerit, baptizo te in nomine Patris, & Fi- E lii, & Spiritus S. Amen. Idem dicimus, ſcilicet infantem baptizatum eſſe, ſi baptizans dixit: Baptizo te in nomine Chriſti. Quod tamen non eſt laicis exprimendum, ne a forma prædicta ſtatuta per eccleſiam recedatur. Si quis autem ſe ipſum baptizaverit, talem non eſſe baptizatum eccleſia judicabit, eo quod formam baptizandi non ſervavit a Domino traditam qui dixit, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus

" Corr. ſcilicet inf. ter immergendo.

ANNO CHRISTI 1284.

A tus ſancti. Scilicet ipſe etiam Dominus ſe ipſum non baptizavit, ſed potius ab alio, ſcilicet a ſancto Joanne Baptiſta, voluit baptizari. Et idcirco talis eſt denuo ab alio baptizandus: quamvis ſi continuo decederet, ad cœleſtem patriam protinus evolaret propter ſacramenti " fidem, etiamſi non propter fidei ſacramentum. Si tamen tanta copia aquæ haberi non poſſit, ut infans in ea totaliter mergi poſſit: cum ſcutella, vel ſcypho, vel alio vaſe, aliqua quantitas aquæ ſuper infantem effundatur a baptizante, & effundendo dicat baptizans: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et erit baptizatus infans.

" Vulgo in ſcholio, votum ſacramenti.

Hæc omnia ſupra dicta, ſi quando a laicis baptizetur, præcipimus in neceſſitatis articulo obſervanda: ſed neceſſitate ceſſante, omnibus laicis, B & etiam clericis, niſi fuerint in presbyteros canonice ordinati, catechiſmum faciendi, baptizandi, atque in Dominicis diebus exorcizandi, & mortuos ſepeliendi, interdicimus poteſtatem. Suſtinentes quod diaconi & ſubdiaconi poſſint prædicta facere, ubi ſacerdos non eſt præſens vel ea facere non poteſt, & neceſſitatis articulus noſcitur imminere. Cum vero ſecundum formam prædictam infans in neceſſitate a laico fuerit baptizatus: præcipimus, ſi ſupervixerit, ut presbytero, quam citius fieri poterit, præſentetur, qui inquirat ſolicite, qualiter fuerit baptizatus; & ſi forma prædicta non fuerit ſervata, faciat catechiſmum, & baptizet infantem juxta eccleſiæ formam.

C Si autem dubitaverit an legitime fuerit baptizatus, quia forte baptizans non recordatur ad plenum de verbis in baptiſmo prolatis, vel circumſtantes diſcordant, vel forte infans expoſitus inventus eſt juxta eccleſiam vel alibi, nec habetur certitudo, vel aliud ſignum, utrum ſit baptizatus, vel non: in his caſibus faciat ſacerdos catechiſmum, & baptizet eum ſub iis verbis: ſi baptizatus es, non te baptizo ſed ſi baptizatus non es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Sed in tali dubio ſtatur unius teſtimonio, ſi plures teſtes haberi non poſſint. Si vero infans a laico baptizatus, mortuus fuerit antequam presbytero præſentetur, & presbyter dubitaverit an fuerit in baptiſmo debita forma ſerva- D ta: ſi de hoc certificari non poſſit, in tali dubio infans debet in cœmeterio eccleſiaſtico ſepeliri. Et idem credimus poſſe fieri, quando expoſiti juxta eccleſias, vel alibi mortui reperiuntur, nec de baptiſmo ipſorum poteſt haberi aliqua certitudo. Si autem in baptiſmo infantis a laico baptizati, & mortui antequam presbytero præſentetur, inventum fuit formam debitam non fuiſſe ſervatam; vel infantem expoſitum, & mortuum inventum, conſtitit per ſcripturam, vel per alia ſigna, baptizatum non eſſe: non debet in cœmeterio eccleſiaſtico ſepeliri.

Ad hæc ſi ſacerdos invenerit, infantem a laicis juxta formam eccleſiæ baptizatum, ita quod non ſit de hoc aliquatenus dubitandum: non rebapti- E zet, nec faciat catechiſmum, ſed inungat eum in pectore & inter ſcapulas oleo benedicto, ſecundum illam interrogationem, abrenuncias, & tunc dicendo, *Ego te linio*, &c. Tutius enim eſt, licet non neceſſarium, quod fiat prædicta unctio. In hoc caſu inungat etiam eum chriſmate ſacro in vertice, dicendo orationes, quæ dicuntur poſt baptiſmum, & faciendo alia, quæ poſt baptiſmum fieri conſueverunt, ſicut in libris baptiſmalibus continetur. Si vero infanti pro baptiſmo ad presbyterum apportato non poteſt propter mortis periculum integre fieri catechiſmus: baptizet eum A presbyter incontinenti, dimiſſo catechiſmo, & inungat eum oleo benedicto, & chriſmate ſacro: & alia quæ fiunt poſt baptiſmum, ſicut ſuperius continetur.

Prohibemus autem diſtricte, ne in patrinum aliquis regularis admittatur, nec aliquis alius, qui excommunicationis vel interdicti eſt ſententia ligatus, vel qui non eſt baptizatus, vel etiam confirmatus. Tamen ſi aliquis de prædictis patrinus fuerit, non nocet aliquid baptizato. Præcipientes ut in catechiſmo, & baptiſmo, & confirmatione, unus tantummodo ſit patrinus, hoc eſt, unus in quolibet ſacramento. Si vero per negligentiam ſacerdotis, vel per errorem, infantem inungi contigerit oleo, loco chriſmatis: nihil propter B hoc iteretur, ſed caute ſuppleatur quod incaute fuerat prætermiſſum, & illa unctio chriſmatis tantum fiat, quando per negligentiam vel errorem fuerat prætermiſſa. Si autem chriſmate loco olei inunctus fuerit baptizandus, nihil propter hoc iteretur, nec fiat unctio olei prætermiſſa, quia in chriſmate, quod ex oleo ſit & balſamo, oleum continetur.

Diſtricte etiam præcipimus, ut fontes cooperti, mundi, & nitidi teneantur: & quod chriſma, & oleum ſacrum, ſub fideli cuſtodia, & clavibus adhibitis teneantur. Præcipientes, ut ſingulis annis in hebdomada ſancta, presbyteri parochialium eccleſiarum, per ſe ipſos, vel diaconum, ſeu ſubdiaconum, vel clericos adultos, chriſma novum & o- C leum, a nobis vel archipresbyteris noſtris ſuſcipiant ſicut eſt conſuetum. Sed antequam chriſma novum & oleum ſuſcipiant, vetus chriſma & oleum effundant infra fontes eccleſiæ baptiſmalis, & ampullas ſuas diligenter abluant in eiſdem, & denuo " chriſmate & oleo per totum annum inungant pueros baptizandos. Et ſi forſan contigerit, oleum vel chriſma deficere: incontinenti mittant ad archipresbyteros pro chriſmate & oleo: & ſi ab eis haberi non poſſunt, vel abſque periculo expectari, ſi aliquid reſidui fuerit, admiſceant presbyteri cum illo reſiduo olei vel chriſmatis aliud oleum non conſecratum, & ex eis unctiones faciant ſupradictas. Diſtricte autem præcipimus, & ſub pœna excommunicationis officii, & beneficii, man- D damus, ut quocumque tempore, & quacumque hora diei, vel noctis, ſacerdos pro baptiſmo & pœnitentia fuerit requiſitus, omni occaſione & mora poſtpoſitis, ad conferendum ea exhibeat libenter ſeſe paratum. Verumtamen ſi propriam capullam propter paupertatem, vel aliam quamcumque cauſam, non habuerit, vel habere nequiverit: baptizandus, capulla etiam alia, cum qua alius baptizatus fuerit, quam ſacerdos præcipue gratis exhibeat, baptizetur. Si vero matre in partu laborante infans extra ventrem matris tantum caput emiſerit, & in tanto periculo infans poſitus naſci nequiverit: infundat aliqua de obſtetricibus aquam ſuper caput infantis dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, E Amen. Poſtremo quoniam frequenter contingit matrem in puerperio decedere, & partus in matricis viſceribus adhuc creditur eſſe vivus: ex quo pro certo mulierem mortuam eſſe conſtitit, ſi partum credant vivere obſtetrices, aperiatur mulier per aliquem, vel per aliquam, ſine mora, & partus ſi vivus fuerit baptizetur. Et ut quilibet ad hoc ſe exhibeat promptiorem, quicumque aperiendo mulierem partum procuraverit baptizari, in remiſſionem ſibi proficiat peccatorum, & hoc per eccleſias annis ſingulis publicetur. Si autem partum cum matre ſimul mori contigerit, ſine apertione in cœmeterio eccleſiaſtico tumuletur.

" ſ. de novo chr.

De Pœ-



ANNO CHRISTI 1284.

*De Pœnitentia.*

Pœnitentia eſt, ut ait Ambroſius, mala præterita plangere, & plangenda non committere. Omnis autem pœnitens vere debet dolorem habere de peccatis commiſſis, & voluntatem & propoſitum iterum non peccandi. Sunt enim in vera pœnitentia principaliter neceſſaria tria, videlicet cordis contritio, oris confeſſio, ſi confitens, loquitur, & operis ſatisfactio juxta poſſe: alioquin vere non eſt vera pœnitentia, ſed ſimulata potius, atque ficta. Confeſſio vero eſt coram ſacerdote vera declaratio, ſeu revelatio peccatorum. Et quia poſt lapſum peccati eſt neceſſaria vera pœnitentia ad ſalutem: ſtatutum eſt, quod omnis utriuſque B ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenit, omnia peccata ſua ſolus confiteatur fideliter ſaltem in anno ſemel proprio ſacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere (quod & de clericis, ſcilicet quod confiteantur proprio ſacerdoti, in cujus parochia commorantur, diſtricte præcipimus obſervari) alioquin vivens, ſive clericus fuerit, ſive laicus, ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Et hoc ſalutare ſtatutum publice in eccleſiis annis ſingulis proponatur. Si quis autem clericus, vel laicus, alio ſacerdoti juſta de cauſa voluerit ſua confiteri peccata: licentiam præſens poſtulet, & obtineat ab ipſo ſacerdote. Præ- C cipientes diſtricte, ne aliquis presbyter ſuper hoc requiſitus, præſumat alicui malitioſe licentiam hujuſmodi denegare. Notandum tamen eſt, quod in quinque caſibus ſine licentia proprii ſacerdotis, poteſt aliquis alieno presbytero confiteri. Primus eſt, cum epiſcopus hoc alicui ſpecialiter delegavit. Secundus cum quis peccat in aliena parochia, & de illo peccato ſacerdoti illius parochiæ confitetur. Tertius ſi cauſa domicilii, ſe duxerit ad aliam parochiam transferendum. Quartus eſt cum vagabundus circumit. Quintus cum imminet ſibi mortis periculum, & non poteſt habere proprium ſacerdotem, in quo caſu poſſunt etiam laico " confiteri. Verum quoniam periculoſum eſt valde, moram facere in peccato: præcipimus quod parochia- D les presbyteri frequenter moneant plebes ſuas, ut ad confeſſionem veniant quam cito poterunt poſt commiſſum peccatum, & hoc propter incertitudinem horæ mortis; item quia in extrema ægritudine vix poteſt aliquis de peccatis nedum pœnitere, ſed nec etiam cogitare, quia, ut ait Joannes, cum ægritudine opprimeris, vix aliud potes cogitare quam ſentis, & illuc rapitur intentio mentis, ubi eſt vis doloris. Debet autem ſe ipſum confitens accuſare, non alium, nec perſonam nominatim exprimere, cum qua peccavit, nec ſacerdos quærere: niſi peccati circumſtantia talis eſſet, quod alius non poſſet confiteri peccatum, ut ſi cognovit matrem, ſororem, filiam, vel hujuſmodi, quia non poſſet ſe ipſum aliter liberare. Item non debet E confiteri per nuncium, nec per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio, & præſentialiter, ut qui per ſe peccavit, per ſe ipſum confiteatur, & erubeſcat. Item non debet confiteri verbis, vel nominibus peccatorum ſeu criminum, palliatis, ſed quodlibet peccatum ſuo proprio nomine quantumcumque turpe exprimat, & etiam circumſtantias quantumcumque turpes, ut ſic tota peccati ſanies expellatur. Debet etiam confiteri ſingula peccata, quæ commiſit, diſtincte & ſeparatim, non confuſe, nec etiam in tranſcurſum. Si qui vero confitentium ſurdi fuerint, cæci, vel muti: inducat eos presbyter, prout melius poterit, ad contritio- A nem & pœnitentiam, verbis, nutibus, atque ſignis exprimendam. Nullus autem presbyter, vel ſacerdos ſæcularis, vel regularis, cui a nobis animarum cura commiſſa non fuerit, parochianum alterius ad confeſſionem rapiat, etiam de licentia proprii ſacerdotis, abſque noſtra licentia, & aſſenſu, niſi neceſſitatis articulo imminente, aut parochiali ſacerdote in ægritudine conſtituto, vel niſi tanta eſſet parochianorum multitudo, quod ad confeſſiones audiendas parochialis ſacerdos ſufficere non valeret: concedimus, quod tunc poſſit de licentia proprii ſacerdotis. Diſtricte vero præcipimus, quod illi, qui confeſſiones audierint, in loco patenti audiant confitentes, non in occulto, & præcipue ſi fuerint mulieres. Debet ergo ſacer- B dos ſolicitudinem diligentem adhibere, ne, dum audit confeſſiones, in faciem reſpiciat confitentes, & præcipue mulieres: ſed ſi cappam habeat indutam capucium, indutum in capite teneat, & etiam inclinatum. Et ſi peccatum horribile intellexerit, non ſpuat, non faciem neque caput avertat, aut retorqueat huc illucque, aut ſignum aliquod, aut nutum faciat, ſed nec aliquod verbum proferat, per quod abominari peccatorem, vel peccatum videatur, ne peccator rubore vel verecundia confuſus, peccata reliqua, vel ſimilia, timeat revelare. Cum vero peccator primo ad ſacerdotem venerit, quærat ab eo, ſi non ſibi notus, utrum parochianus ejus, & ſi dixerit quod non, quærat ab eo utrum venerit de licentia proprii ſacerdotis; & C ſi reſponderit, quod non, dicat ei, frater non debeo te audire, vade ad tuum ſacerdotem. Si autem ſit parochianus ejus, vel venerit de licentia ſui epiſcopi, vel proprii ſacerdotis: quærat primo ab ipſo utrum aliqua excommunicationis ſententia, vel interdicti, ſit ligatus. Et ſi dixerit quod ſic, dicat ei, frater non audiam te, niſi prius fueris abſolutus: & ſi occulte excommunicatus fuerit, occulte dicat ei; ſi autem publicum fuerit eum excommunicatum eſſe, publice pœnitentiam denegabit, quia nullus excommunicatus, vel interdictus, debet recipi ad pœnitentiam, niſi prius faciat ſe abſolvi. Si vero dixerit ſe non eſſe excommunicatum, vel interdictum, debet eum primo interrogare presbyter, utrum ſciat, *Pater* D *noſter*, *Ave Maria*, *Credo in Deum*: & ſi neſciat, moneat eum, ut addiſcat. Deinde admoneat eum familiariter ac benigne, ut omnia peccata ſua confiteatur humiliter, nec ob verecundiam celet aliquod peccatum, vel timore, quia non eſt homini locuturus ſed Deo, cujus perſonam ipſe presbyter repræſentat, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, & dicendo ſibi quod ipſe ſacerdos eſt ", & quod ipſe confitens non poteſt tot, & tanta commiſiſſe peccata, quin alii majora & plura commiſerint, & quod illi, qui bene pœnitent, magis poſtea diliguntur a Deo, ſicut patet in B. Petro, Paulo, Latrone, Maria Magdalena, & multis aliis: & tota cœleſtis curia gaudet de pœnitentia peccatoris, quia gaudium eſt E angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Dicat etiam: Confiteor frater, quia homines ſumus, & ſine peccato in hoc mundo eſſe non poſſumus. Nam ſi vere confeſſus fueris, & contritus, & proponis amplius non peccare, Deus ſine dubio tibi remittet culpam, & ego authoritate Dei abſolvam a pœna. Si autem nolueris confiteri in hac vita, confiteberis in alia invitus in conſpectu angelorum, amicorum, inimicorum, & damnaberis in perpetuum. Deinde confeſſionem ejus audiat diligenter, qua audita incipiat interrogare, ſi vult alia peccata dicere ſolicitando eum, ut cogitet ſtudioſe ne peccatum aliquod prætermit-

" ſ. non abſol. vel.

" Deeſt peccator.

Anno Christi 1284.

mittat, quod ſi dimidiaret dividendo peccata inter diverſos ſacerdotes, vel celando, vel omittendo ſcienter aliquod mortale peccatum, ſibi talis pœnitentia vel confeſſio non prodeſt. Et ſi peccator dixerit ſe non alia habere confiteri, incipiat interrogare ordinate & diſcrete confitentem, ita quod interrogationibus faciendis, ad peccata ſpecialia, vel ſpeciales circumſtantias, non deſcendat: quia multi forte propter multas interrogationes in his peccarent, quæ neſcirent aliter cogitare.

Interroget igitur ſacerdos confitentem, ſi aliquando tentetur ad peccatum aliquod faciendum, & qua tentatione, & qualiter tentationi reſiſtat, & ſic indirecte aperiet confitens peccatum ſuum, quod celabat. Item interroget ſi exerceat officium aliquod, & ſi dixerit quod ſic, interroget de circumſtantiis pertinentibus ad officium quod dixerit ſe habere. Si regularis fuerit, interroget eum ſpecialiter de tribus ſubſtantialibus circumſtantiis regulæ, ſcilicet ſi obediat in omnibus licitis & honeſtis ſuo ſuperiori, & an ſit proprietarius, & an cuſtodiat caſtitatem. Item de ſimonia, utrum receptus fuerit pecunia mediante, vel ſi conſenſerit quod aliquis alius reciperetur per ſimoniam. Item an loquatur in locis prohibitis, & horis indebitis, & utrum in capitulo reſiſtat, vel contradicat malitioſe, cum eſt aliquid ordinandum, vel faciendum. Circa clericos ſæculares, interroget utrum commiſerint ſimoniam pro ſe ipſis, vel pro aliis, ſeu alii pro ipſis. Item de mercatura, & aliis quæ pertinent ad avaritiam, & cupiditatem. Item de dilapidatione, ſi habeat beneficium eccleſiaſticum, & utrum do pecunia de rebus [a] acquiſita emerit aliquas poſſeſſiones nomine proprio, vel nomine conſanguineorum ſuorum, & utrum bona eccleſiaſtica expenderit in uſus licitos & honeſtos. Item utrum interſit Divinis officiis, nocturnis pariter & diurnis, præcipue in eccleſia in qua eſt prælatus. Item de irregularitate: item de ludo alearum, & talorum. Circa principes, caſtellanos, & milites, & eorum bajulos, interroget, an fecerint, vel fieri fecerint conſtitutiones ſeu præcepta contra eccleſiaſticam libertatem, & an bonam reddiderint juſtitiam cuilibet conquerenti, & an homines ſibi ſubditos gravaverint indebitis taliis, collectis toties, vel quoties. Item de rapinis. Circa mercatores burgenſes, & alios miniſtrales quærat ſacerdos de mendacio, dolo, uſura, pignoribus, & baratis, & de injuſtis ponderibus, & menſuris. Circa agricolas, interroget de furto, maxime circa decimas, & primitias, tributa, quartas, & [a] taſcas, & de eradicatione terminorum, & de occupatione alienarum terrarum. Item de talis, & incendiis. Circa mercenarios, bubulcos, ſervientes, paſtores, & perſonas ſimiles, quærat ſacerdos, an fideliter cuſtodiant res dominorum ſuorum, & utrum fideliter ſe habeant in operibus, & ſervitiis ſibi impoſitis.

[a] Deeſt, eccleſiaſticis, vel aliquid ſimile.

[a] De hac voce vide Gloſſarium Du-Cangii. Hard.

Item interroget quemlibet confitentem prout ſecundum conditionem perſonæ viderit faciendum. Scilicet de perjurio, invidia, odio, detractione, de ſuperbia, & utrum injuſte habeat, vel detineat alienum. Item de fornicatione, adulterio, & inceſtu. Et ſi dixerit, ſe peccatum incontinentiæ commiſiſſe, quæratur utrum peccaverit cum monacha conſecrata, vel non conſecrata, vidua, virgine, ſeu corrupta, Chriſtiana, Judæa, vel Saracena, & utrum in loco ſacro, vel [illegible], & an in diebus Dominicis, vel feſtivis, [illegible] temporibus jejuniorum, & utrum unam cognoverit, vel plures, & quoties, & an in aliis peccatis [illegible], vel induxerit ad peccandum: ut ſic omnibus cum diligentia inquiſitis, & conſideratis peccatoris circumſtantiis intelligat presbyter, quale peccatori præbere debeat conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, quærendo ab ipſo an proponat amplius non peccare, & agere condignam pœnitentiam de commiſſis; & ſi reſpondeat ſe a peccatis abſtinere non poſſe, aut nolle, vel quod a quibuſdam vult abſtinere, & aliquibus remanere, ejus confeſſionem ſacerdos debet nihilo minus audire, & ei de peccatis confeſſis conſilium exhibere: ſed antequam det ei conſilium, ſibi exprimat diligenter, quod ſi totus Mundus ſuus eſſet, & pauperibus erogaret, & in pane, & aqua jejunaret toto tempore vitæ ſuæ, nil ſibi proficeret ad vitam æternam conſequendam, quamdiu in peccato commiſſo remanebit, vel voluntate & propoſito peccatum iterum committendi: nec ipſe ſacerdos eum abſolvere poteſt ab aliquo peccato, niſi de omnibus pœniteret, & haberet propoſitum iterum non peccandi: & hoc ſæpius dicat, monendo ipſum dulci, pio, ac ſuavi eloquio, ut de omnibus pœniteat, & abſtineat in futurum, & exprimendo ipſum timorem de die judicii, & pœnas perpetuas quas in inferno, niſi veram egerit pœnitentiam, perpetuo ſuſtinebit.

Si autem ad veram confeſſionem, & pœnitentiam, ipſum inducere nequiverit, debet ei de peccatis confeſſis in hunc modum conſilium exhibere: Frater, dico & conſulo, quod jejunes, ores, & eleemoſynas facias & alia bona. Dicat ei etiam, quod licet dicta bona quæ ipſe ſibi pro peccatis confeſſis conſulit facienda, non ſint ei fructuoſa ad vitam æternam habendam, cum in peccato commiſſo remaneat vel voluntate peccandi: ea tamen conſulat facienda, ut per ipſa bona quæ faciet, dignetur Dominus cor ejus ad veram pœnitentiam illuſtrare, & ne diabolus in eo tantam habeat poteſtatem, quantam haberet, ſi mala continue exerceret. Et facta confeſſione generali, ſcilicet *Confiteor Deo*, non abſolvat eum a peccatis, ſed dicat ei quod recedat, & faciat juxta conſilium ſibi datum. Dicat etiam ei quod non recipiat corpus Chriſti quandiu in peccato remanebit commiſſo, vel voluntate, & propoſito peccatum iterum faciendi. Caveat tamen ſacerdos in quantum poterit, ne inducat in deſperationis periculum.

Si autem de omnibus confitetur, & pœnitet, & propoſitum habet in poſterum abſtinere, conſideret ſacerdos, an tale peccatum inter alia confeſſus fuerit, propter quod ad epiſcopum ſit mittendus. In quo caſu ad epiſcopum ipſum mittat, ſi poteſt: ſin autem, impoſita ſibi pœnitentia de illo, & de aliis peccatis confeſſis, conſideratis peccatoris circumſtantiis, & peccati: & licet ſecundum canones pro quolibet peccato mortali ſeptennis eſſet regulariter pœnitentia injungenda, ſacerdos tamen injungat minorem, vel majorem prout ſecundum quantitatem peccati, & contritionem & qualitatem peccatoris, ſaluti ejus viderit expedire.

Ut autem poſſit ſacerdos contraria contrariis curare, imponat pœnitentiam ipſi peccato per contrarium reſpondentem: ut ſi peccaverit per ſuperbiam, injungat ei orationem, & ſuadeat humilitatem. Si per avaritiam, injungat eleemoſynarum largitatem. Si per guloſitatem vel nimiam comeſtionem, abſtinentiam ciborum. Si peccaverit per luxuriam, injungat ei jejunium, orationem, peregrinationem, diſciplinas, & alias carnis macerationes. Si tamen talis luxurioſus, ſenex, & dives fuerit, & dixerit ſe jejunare non poſſe: aggravabit eum ſacerdos orationibus, eleemoſynis, & relevabit jejuniis. Si autem peccator fragilitatem alleget, & recuſet recipere aſperitatem pœnitentiæ, quam ſacerdos vult ſibi imponere, debet primo ſacerdos inducere ut animum habeat paratum ad omnem ſatisfactionem, oſtendendo ſibi magnitudinem peccatorum, quæ ſibi confeſſus eſt, & quot, & quanta perdidit bona, propter illa quæ commiſit peccata, quæ omnia recuperabit per pœnitentiam, Si vero non poſſit inducere ad pœnitentiam pro ſuo arbitrio ſibi imponendam, imponat talem ei ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam cum voluntate ipſius peccatoris, quam ſimiliter velit, & poſſit portare, ne forte peccet poſtea deterius, pœnitentiam infringendo.



Anno Christi 1284.

Impoſita ſibi pœnitentia, & facta generali confeſſione, ſcilicet *Confiteor Deo*, dicat Pater ſic: Ego injungo tibi talem pœnitentiam propter peccata quæ confeſſus es. Et ponens manus ſuper caput ipſius, dicat: *Indulgentiam abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tuorum* [a] *tribuat omnipotens Dominus: Et ego te abſolvo auctoritate domini noſtri Jeſu Chriſti, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & officii mihi commiſſi, ab iis peccatis. quæ confeſſus es, & aliis oblitis.* Item dicat ei quod ſi reducentur aliqua alia peccata poſtea ad memoriam, quæ non fuerit confeſſus, redeat ad eum, & confiteatur. Circa infirmos non eſt taliter procedendum, quia non debet eis ſacerdos pœnitentiam injungere, ſed tantum innoteſcere, ſeu declarare dicendo ſic cum ejus peccata audiverit: Si tu eſſes ſanus, pro tot peccatis quæ commiſiſti, & confeſſus es, deberes tot annis pœnitere: ſed quia tu es infirmus, non impono tibi pœnitentiam, ſed injungo tibi quod ſi de hac infirmitate te mori contigerit, facias tantum dari pauperibus, vel piis locis, loco prædictæ pœnitentiæ, vel facias Miſſas celebrari, vel illud fieri. Si tamen convalueris injungo tibi talem pœnitentiam. Et his dictis, imponat manus ſuper caput ejus, & abſolvat eum a peccatis ſuis ſicut dictum eſt de ſano. Si vero infirmus petierit ſacerdotem pro pœnitentia recipienda, vel aliqua alia ſigna pœnitentię fecerit, & interim dum ſacerdos veniret, obmutuit infirmus, vel factus eſt amens, aut freniticus, ſacerdos veniens, ſive ad nutum infirmi, ſive ad teſtimonium eorum qui audierunt ipſum petentem pœnitentiam vel presbyterum, vel alia ſigna pœnitentiæ facientem, debet ei quidquid humanitatis vel conſolationis poterit, impendere abſolvendo eum, & reconciliando, orationes dicendo, & crucis oſculum, ſi præſens crux fuerit, ſibi dando.

[a] Forte deeſt tibi. H.

Qualiter autem abſolvi debeat infirmus in mortis articulo conſtitutus per proprium ſacerdotem, vel per alium, ſi proprius haberi non poſſit ſacerdos, infra in tractatu de ſententia excommunicationis continetur. Sane conſiderandum eſt diligenter, quod quædam ſunt peccata, de quibus nullus poteſt vere pœnitere, niſi reſtituat, vel emendet, ſi poteſtatem habeat emendandi, videlicet rapina, furtum, ſacrilegium, incendium, uſura, & indebita extorſio talliæ, quæſtæ, vel tonitæ. Item retentio cenſus quarti, quinti, contra voluntatem dominorum quibus debentur. Item damna data contra juſtitiam, & generaliter cujuſlibet alienæ rei ſcienter indebita detentio. Et in his omnibus præcipiendum eſt pœnitenti quod incontinenti ſatisfiat juxta poſſe. Et ſi peccata occulta fuerint, occulte præcipiendum eſt pœnitenti: & talis occulta reſtitutio debet fieri per ipſum ſacerdotem, vel aliquam religioſam perſonam ſuppreſſo nomine pœnitentis. Si autem non habet pœnitens rem, quam debet reſtituere, neque mobilia, vel etiam immobilia, unde commode incontinenti ſatisfacere poſſit, vel licet habeat, non eſt tamen præſens nec eſſe poteſt ille, cui facienda eſt reſtitutio, & appareat vere pœnitens, & contritus, & proponat ſatisfacere cum poterit, ei pœnitentia injungatur; & ſi talis fuerit infirmus, præcipiat ſuis heredibus, quod illi ſatisfaciant pro eodem ſi de illa infirmitate contigerit ipſum mori. Omnibus autem pœnitentibus ſanis, vel infirmis, qui tenentur aliis ſatisfactionem facere, ſeu emendam, eſt ſolicite intimandum quod non excuſantur, nec liberantur ab illo peccato præcipiendo ſuis heredibus quod reſtitutionem faciant pro ipſis, vel emendam, niſi ipſi principales raptores, uſurarii fures, ſeu alienarum rerum detentores illiciti, in toto vel in parte faciant reſtitutionem vel emendam, ſi eam facere poſſunt commode, ſicut ſuperius continetur. Tenetur enim raptor, ſeu alienæ rei detentor ad reſtitutionem, tenentur etiam ejus heredes quantum hereditas ipſius ſufficere poteſt, ſi ad reſtituendum fuerit neceſſaria hereditas tota. Tenentur etiam ad reſtitutionem omnes illi, qui ſcienter rem raptam, vel alienam emerunt cum mala fide, ſcilicet animo ſibi retinendi eam domino ſuo, nec taliter ementes poſſunt recuperare, ſeu petere pretium, quod dederunt pro ipſa, nec poſſunt recuperare, ſeu retinere expenſas, ſi quas fecerunt ipſam rem cuſtodiendo, vel meliorando, & hoc propter malam fidem, quam habuerunt emendo. Debet etiam reſtitui res aliena, ſive rapta, non deteriorata: ſed ſi deteriorata fuerit, vel caſu fortuito perierit, vel reſtitui non poſſit, reſtituatur integre quantum valeat cum omni utilitate, quam conſecuti ſunt ex ipſa re; ſi cum mala fide, ut dictum eſt, pervenerit ad eoſdem. Sed facta reſtitutione integraliter ab uno, ceteri liberantur quantum ad reſtitutionem domino faciendam: ſed nihilo minus debent agere pœnitentiam juxta arbitrium ſacerdotis, quia rem alienam fraudulenter, & invito domino tenuerunt. Facienda eſt autem domino rei reſtitutio, vel ejus heredibus, ſi poterunt inveniri: ſed ſi diligenter inquiſiti, & expectati non inveniuntur, vel ignorantur, tunc cum conſilio ſacerdotis pœnitentialis, res illa diſtribuatur in pias cauſas, & maxime in pauperum ſuſtentationem, pro anima illius cujus fuerit res illa. Verum ſi perſona ſcitur cui eſt ſolutio, vel reſtitutio facienda; ſed ſi tamen eſt in remotis partibus, nec ſperatur quod debeat redire: mittantur ei ſi commode fieri poſſit, & ſecure; alioquin pro anima ejus cum conſilio eccleſiæ pauperibus erogetur, & hoc fiat ſi res ſit modica, quæ reſtitui debet in expenſis: ſi res eſt magni valoris mitti debet in expenſis detentoris ad illum abſentem, cui eſt reſtitutio facienda. Qui vero invenit pecuniam vel aliam rem in via vel alibi, debet eam reddere illis, qui eam perdidit, ſi eum potuerit invenire: & ſi neſcit cujus fuerit, publicetur per ſacerdotes in eccleſias, & in locis quibus eſt inventa; & ſi diu expectatus non invenitur cujus fuerit, pauperibus pro anima illius, cujus fuerit, erogetur. Si autem aliquis voluntarius, & cauſa cupiditatis, lucratus fuerit aliqua in ludo, quod reſtituat ſibi eſt in penitētiali judicio injungendum. Caveat autem omnino ſacerdos, ne verbo, aut ſigno, aut alio quolibet modo prodat, ſeu revelet aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in penitentiali judicio ſibi detectum vel dictum preſumpſerit revelare, non ſolum deponetur, verum etiā in arctum monaſterium detrudetur ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Precipimus autem quod nomina illorum omnium, qui peccata ſua confeſſi fuerint, ſcribentur ſingulis annis a propriis capellanis, qui confeſſiones audierint eorumdē, ut de ipſis poſſint laudabile teſtimonium perhibere. Item precipimus medicis

ANNO CHRISTI 1284.

dicis corporum, ut infirmos ante omnia moneant, & inducant, quod medicos advocent animarum, ut poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur. Et ſi quis medicorum hoc non ſervaverit, ſupponatur eccleſiaſtico interdicto, quouſque ſatisfecerit competenter: ſub intimatione anathematis eiſdem medicis prohibentes, ne quis eorum aliquid pro corporali ſalute infirmo ſuadeat, quod in periculo animæ convertatur.

Concedimus autem ex gratia, ut ſacerdotes, & rectores parochialium eccleſiarum noſtræ diœceſis alios ſacerdotes ejuſdem diœceſis, ſi viciniores fuerint ſuis eccleſiis ſibi poſſint eligere confeſſores, prout ſaluti animarum ſuarum viderint expedire, & præcipue archidiaconos, archipresbyteros, fratres Minores, & Prædicatores, quibus ſcilicet fratribus licentiam concedimus, quando venerint ad eccleſias cauſa prædicationis, confeſſionis clericorum, & laicorum noſtræ diœceſis, poſſint audire, & eis injungere pœnitentias ſalutares. Præcipientes quod nomina eorum, quorum confeſſiones audierint, dicant, vel in ſcriptis reddant in Quadrageſima ſaltem, & in Adventu Dom. parochialibus ſacerdotibus, ut de parochianorum ſuorum ſacerdotes pœnitentiis valeant eſſe certi. Volumus tamen, & præcipimus quod quando dicti fratres cauſa confeſſionis audiendæ acceſſerint ad infirmos, de ſalute animæ ipſorum tractent cum parochialibus ſacerdotibus, prout viderint expedire. Nolumus tamen quod prædicti fratres, confeſſiones infirmorum audiant abſque licentia proprii ſacerdotis, niſi tamen infirmis mortis periculum immineret, quam ſcilicet licentiam eis præcepimus liberaliter concedendam. Item nolumus quod dicti fratres teſtamentis ipſorum infirmorum interſint, niſi ſacerdos proprius præſens eſſet, vel in expectatione ipſius ſacerdotis periculum immineret. Ceterum licet ſacerdotes poſſint facere commutationes jejuniorum, vel alterius pœnitentiæ ab ipſis impoſitæ circa parochianos ſuos, diſcreto tamen, & propter juſtam cauſam votorum tantum commutationes per eos fieri prohibemus * cum noſtra licentia ſpeciali, quia in eis eſt cum majori providentia procedendum. Diſtricte etiam prohibemus, ne aliquis ſacerdos provincialis inducat aliquem confitentem ad votum emittendum ſeu promiſſionem faciendam de non committendis peccatis, & maxime de illis quæ non poſſunt de facili evitari, ſicut quidam presbyteri faciunt aliquando hoc fieri indiſcrete. Nam contra votum, ſeu promiſſionem peccando dupliciter fiunt rei, & culpabiles apud Deum, & ideo gravius ſunt puniendi.

* Add. niſi

*Iſti ſunt caſus in quibus pœnitentes ad epiſcopum ſunt mittendi.*

SI quis confitebitur ſe credere aliquam hæreticam pravitatem. Item ſimoniacus quocumque modo commiſerit ſimoniam. Item clerici excommunicati majori excommunicatione, vel interdicti, aut ſuſpenſi, qui ante abſolutionem Divina officia celebrarunt, ſcilicet Miſſam cantando, evangelium, epiſtolam, vel alias horas canonicas dicendo, faciendo principaliter officium ſuum in eccleſia. Item clerici per ſaltum promoti aliquo ordine prætermiſſo. Item clerici, qui ab alieno epiſcopo ſe fecerunt ordinare, noſtra licentia non obtenta. Item incendiarii. Item illi qui ſuos filios occiderunt ſtudioſe, vel etiam negligenter. Item illi, qui tractaverunt in malos uſus Euchariſtiam, ſeu chriſma. Item illi, qui tractaverunt facto, verbo, conſenſu, vel alio modo, homicidium. Item

A ſacrilegi, & violatores eccleſiarum. Item illi, qui luxuriam expleverunt cum matre, ſorore, vel aliqua conſanguinea ſua, vel uxore fratris, vel cum ſanctimoniali conſecrata, vel non conſecrata. Item illi, qui in eccleſia luxuriam commiſerunt. Item illi, qui cum Judæa, vel Saracena, vel bruto animali coire auſu nefario præſumpſerunt. Item mulier quæ de adulterio concepit infantem quem maritus credit eſſe ſuum, propter quem legitimi liberi fraudantur hæreditate paterna. Item illi, qui cum mulieribus aliquid faciunt, propter quod fecerint abortivum, mulier etiamſi hæc fecerit vel ſibi fieri procuraverit, tranſmittatur. Item illi, qui contra aliquos falſum tulerint teſtimonium in aliquibus cauſis. Item illi, qui contractis ſponſalibus cum aliquibus præſtito juramento, & non diſſolutis poſtmodum, contrahunt cum aliis ſponſalia, vel matrimonium, contra juramentum prius temere veniendo. Item qui excommunicati vel nominatim interdicti a quocumque judice, ingerunt ſe Divinis in eccleſia ante abſolutionem invito proprio ſacerdote, nec ad monitionem ſacerdotis volunt exire de eccleſia, Divinum officium perturbantes. Item illi, qui in cœmeterio eccleſiaſtico præſumunt ſcienter excommunicatorum corpora ſepelire. Si vero prædicti confitentes, ad mandatum & monitionem ſacerdotis ad nos venire noluerint, in ſuis peccatis & duritia remanentes, & peccata occulta fuerint: eis a ſacerdotibus pœnitentia injungatur; & nihilo minus ſacerdotes poſtmodum C cum poterunt commode a nobis, vel a fratribus Prædicatoribus, vel Minoribus, ſuper hoc habeant conſilium, & requirant. Si autem manifeſtum fuerit aliquem commiſiſſe aliquod peccatum de prædictis, ad nos mittatur, nec ei ab aliquo presbytero de illo peccato manifeſto pœnitentia injungatur ſine noſtra licentia ſpeciali, niſi ſenex fuerit, vel corporali impedimento detentus, ſeu in mortis articulo conſtitutus.

ANNO CHRISTI 1284.

*De ſacramento Euchariſtiæ, & Extrema unctione.*

QUia poſt receptam pœnitentiam, infirmis atque ſanis, & præcipue Paſchali tempore, D exhiberi conſuevit Euchariſtiæ ſacramentum: ideo de ſacramento Euchariſtiæ ſequitur hic tractatus. Ne propter incuriam ſeu negligentiam ſacerdotum, Divina indignatio gravius inardeſcat: diſtricte præcipimus, quatenus a ſacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari mundo, & clavi firmato, ſemper honorifice collocata, devote ac fideliter conſervetur. Sacerdos vero quilibet in eccleſia Euchariſtiam ſemper habeat paratam, quam in qualibet hebdomada præcipimus renovari in hunc modum: videlicet quod ſacerdos duas vel plures, ſi opus fuerit, conſecret hoſtias, quarum unam recipiat, & ea recepta incontinenti ante receptionem ſanguinis recipiat reſervatam, & in loco illius quam ſervaverat ponat noviter conſecratas, & po- E ſtea recipiat ſanguinem, & alias receptiones ſicut mos eſt in eccleſia Nemauſenſi. Et quando ab infirmo, vel confeſſo fuerit requiſitus, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur, quam etiam ſub honeſto habitu, cruce, lumine, ſquilla, procedentibus, & ſub poſito mundo velamine, ipſe ſacerdos per ſe, & nunquam per alium ferat, & referat caute, & manifeſte, ante pectus, cum omni reverentia & honore: ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur: prohibentes diſtricte, ne aliquis qui non ſit in presbyterum ordinatus, Euchariſtiam communicantibus præbeat. Diaconus tamen hoc facere poteſt de licentia ſa-

cer-



ANNO CHRISTI 1284.

cerdotis, ubi idem ſacerdos hoc per ſe non poteſt facere, vel quia abſens eſt presbyter, & neceſſitatis articulus noſcitur imminere, & in hoc ultimo caſu non eſt neceſſaria licentia ſacerdotis. Volumus etiam & mandamus, ut quilibet fidelis poſtquam confeſſus fuerit, ad minus in Paſcha reverenter ſuſcipiat ſingulis annis Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de proprii ſacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus receptione duxerit abſtinendum: alioquin vivens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens eccleſiaſtica careat ſepultura: præcipientes, ut ſacerdotes vinum purum habeant paratum in eccleſia, quod ſtatim tribuant populo poſtquam receperint corpus Chriſti, prohibendo communicantibus, ne a præ- B ſentia ipſorum ſacerdotum recedant, donec de vino aliquantulum biberint, & diligenter abluerint os ſuum. Sacerdotes autem habentes curam animarum, ante communionem parochianos ſuos moneant publice in eccleſia diebus illis, in quibus eſt generalis communio facienda, ne aliquis in peccato mortali conſtitutus, occulto vel manifeſto, præſumat accipere corpus Chriſti. Et ſi videant vel ſciant aliquem in mortali peccato conſtitutum, paratum communicare: trahant ipſum ad partem, & eum ſevere moneant ne communicet ullo modo, niſi prius de illo peccato contritus fuerit, & confeſſus: dicentes ſibi, quod ſi taliter communicaret, in damnationem animæ ſuæ redundaret. Et ſi monitus noluerit abſtinere non debet ei publice communio denegari. Si a ſo- C lo ſacerdote, nemine alio præſente, communionem petet: non eſt audiendus, ſed potius, repellendus. Verumtamen ſi peccatum fuerit manifeſtum, & non eſt de ipſo confeſſus: vere ante ſatiſfactionem condignam debet ei manifeſte & publice communio denegari. Manifeſtum autem intelligimus in hoc caſu, quod poteſt ſufficienter & legitime probari per teſtes idoneos contra ipſum, præcipue ſi de illo peccato fuerit per ſententiam condemnatus vel ſponte confeſſus in judicio, vel fuerit adeo manifeſtum ſeu notorium per rei evidentiam, quod nulla poſſit tergiverſatione celari. Et hæc eadem in oſculo crucis dicimus, & volumus obſervari, cum in die Veneris ſancti ab omnibus generaliter adoratur. Hoſtias autem de alio, quam D de puro, & mundo, & electo grano frumenti, fieri prohibemus. Caveat autem ſacerdos, ne aliquid de ſanguine Chriſti extra calicem cadat. Quod ſi per negligentiam ejus acciderit, & in tabula ſtillaverit, lingua lambatur, & tabula radatur. Si vero non fuerit, comburatur, & cinis infra altare, ſi fieri poteſt, vel juxta altare abſcondatur: & quadraginta diebus ille cui acciderit pœniteat. Si vero ſuper altare ſtillaverit ſanguis, & tangat tantummodo pannum primum, ita quod non tranſeat ad ſecundum, ſorbeat miniſter ſtillam incontinenti, ſi fieri poteſt, & tribus diebus pœniteat: & ſi ſtilla uſque ad ſecundum pannum pervenerit, tantum pœniteat quatuor diebus; ſi autem ad tertium E pannum pervenerit, novem diebus pœniteat; & ſi ad quartum pannum pervenerit viginti diebus pœniteat: & linteamina, quæ tetigerit ſtilla ſanguinis, tribus vicibus, & tribus aquis, miniſter, ſeu presbyter, vel diaconus tantum, abluat calice ſuppoſito, & aqua ablutionis juxta altare recondatur. Si quis per ebrietatem, vel nimiam comeſtionem evomuerit Euchariſtiam, ſi laicus eſt, quadraginta diebus pœniteat; ſi clerici fuerint, vel religioſi, vel diaconi, vel presbyteri, ſeptuaginta diebus pœniteant: & ſi per infirmitatis cauſam evomuerit, ſeptem diebus pœniteat.

Qui chriſma, vel euchariſtiam reliquerit incau-

A te in loco clavibus non firmato, & clavibus fideliter non cuſtoditis, tribus menſibus debet ab officio ſuſpendi. Et ſi per ejus incuriam, ſeu negligentiam mus, vel aliud animal comederit, ultra tres prædictos menſes quadraginta diebus pœniteat. Si vero aliqua enormia, ſeu nefaria inde fieri contigerit, graviori ſubjaceat ultioni. Ubicumque autem dicitur quadraginta, vel octuoginta, ſeu pluribus, vel paucioribus diebus pœniteat, ſic debet intelligi, ut per omnes illos dies aliquam pœnitentiam agat ſecundum arbitrium imponentis. Si hoſtia inventa fuerit ſub palla altaris, & dubitetur utrum fuerit conſecrata, dicimus quod ſacerdos in fine Miſſæ poſt receptionem ſanguinis poteſt eam recipere, & idem dicimus de aliqua parte B hoſtiæ, ſi ita inventa fuerit in altari, & dubitatur utrum fuerit conſecrata.

De unctione vero extrema, quæ fit infirmis a presbytero oleo infirmorum, hic non tractatur, quia de modo inungendi infirmos, & orationibus tunc dicendis, inſtruitur quilibet ſacerdos per libros eccleſiarum juxta conſuetudinem eccleſiæ Naumauſenſis. Verumtamen iterari poteſt, quoties aliquis graviter infirmatur, & ab infirmo unctio poſtulatur.

ANNO CHRISTI 1284.

*De celebratione Miſſarum.*

QUia inter Divina officia Miſſarum ſolemni- C tates propter excellentiam, & reverentiam corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, cum omni humilitate & devotione ſunt ab univerſis presbyteris celebranda: prohibemus ſub pœna ſuſpenſionis, ne quis ſacerdos Miſſam cantare præſumat, niſi prius plene expleverit officium Matutinum. Nec extra eccleſiam in oratorio privato, vel in domo, Miſſam celebret ſine noſtra licentia ſpeciali. Nullus quoque, poſt cibum potumque minimum ſumptum, audeat celebrare.

Sacerdos vero poſtquam Miſſam incepit, non præſumat dimittere imperfectam, niſi repentina infirmitate & intolerabili fuerit occupatus: & tunc ſi alius ſacerdos præſens fuerit, qui non celebraverit, per ipſum inceptum officium compleatur, qui D debet officium incipere ubi noſcitur dimiſiſſe. Si vero neſcitur ubi alius dimiſerit quia defecit forſitan in ſecretis: incipiat a capite ſecretorum. Verumtamen ſi ſecundus ſacerdos præſens non fuerit, quacumque hora diei uſque ad Nonam haberi poterit, quæ primus ſacerdos dimiſit, ſecundum doctrinam quæ ſuperius eſt expreſſa, poterit ſupplere. Si autem ſacerdos uſque ad Nonam haberi non poterit, remanebit officium non completum.

Præcipimus etiam quod in calice magis de vino, quam de aqua ponatur, & quod ſacerdos poſtquam totum acceperit corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum, duas receptiones faciat juxta conſuetudinem eccleſiæ Nemauſenſis. Videlicet primam de vino puro tantum, ſecundam de vi- E no, & aqua, & cum iſta ſecunda ſimul perfundat digitos ſuper calicem, & poſtea recipiat; niſi cum eodem die aliam Miſſam debuerit celebrare, quia tunc non debet niſi ſanguinem; quod ſi faceret, celebrationem ſecundam impedit.

Prohibemus, ne Miſſa niſi cum vino puro poſſit & aqua, & calice aureo vel argenteo, vel etiam ſtanneo, aliquatenus celebretur, nec quiſquam celebrare præſumat in corporali ſerico, aut tincto, ſed in puro linteo ab epiſcopo conſecrato, quia corpus domini noſtri Jeſu Chriſti in ſindone linea & munda ſepultum fuit.

Illud

ANNO CHRISTI 1284.

Illud autem diſtrictiſſime prohibemus, ne aliquis in mortali peccato conſtitutus Miſſam celebret, niſi prius confeſſus fuerit expreſſe & nominatim de illo peccato, ſi ſacerdotem inveniat, cui valeat confiteri. Si vero non poſſit alium ſacerdotem habere, cui confiteatur, non celebret: niſi neceſſitas immineat, quæ ſine gravi ſcandalo nequeat præteriri, ut ſi dies feſtivus advenerit, & populus jam convenerit ad Divina, vel corpus alicujus parochiani defuncti præſens ſit in eccleſia, vel nubentes ad eccleſiam convenerint matrimonium contracturi: propter quæ ut ſcandalum evitetur ipſum oporteat celebrare. In ipſis vero caſibus ſi veram contritionem habeat ſacerdos de illo peccato mortali, in quo eſt conſtitutus, & proponat quam citò poterit, confiteri alio ſacerdoti: credimus, magiſtrorum noſtrorum ſententiis inhærendo, quod valeat celebrare. Sed ſi eam contritionem non haberet, nec propoſitum confitendi, celebrare in his caſibus non præſumat: quantamcumque neceſſitatem, vel ſcandalum videat imminere. Si autem ſacerdos, poſtquam Miſſam inceperit, reducat ad memoriam ſe commiſiſſe aliquod peccatum mortale, de quo non fuerit confeſſus, & de quo antequam Miſſam inciperet non recolebat, nec habebat ſacerdotem, cui incontinenti valeret confiteri: perficiat miniſterium jam inceptum, ſi tamen contritionem habeat de illo peccato, & proponat, quam cito poterit confiteri. Si vero contritionem veram non habeat, nec propoſitum confitendi, & nondum verba [a] confeſſionis, ſeu conſecrationis expreſſerit, videlicet, *Hoc eſt corpus meum*, dimittat officium inceptum, quia tunc ipſum implere non debet. Si autem poſt conſecrationem reducat ad memoriam primo illud peccatum mortale, indiſtincte compleat officium quod incepit, & contriſtetur, atque doleat, quia tarde pœnitet, & confiteatur quam cito poterit habere copiam ſacerdotis. Si pollutio in ſomnis ex infirmitate, ſeu ſuperfluitate naturæ, alicui advenerit, non eſt a celebratione Miſſæ ideo abſtinendum, niſi ob devotionem vellet aliquis abſtinere, quia in hoc caſu nullum eſt peccatum, cum magis pati, quam agere videatur. Si vero ex intemperantia, vel potatione nimia acciderit, honeſtum eſt, non tamen neceſſarium, quod a celebratione Miſſæ abſtineat illa die, ſi nulla fuerit neceſſitas quare debeat celebrare, quia in hoc caſu eſt tantum veniale peccatum: niſi nimia crapula vel potatio ex prava conſuetudine conſueverit provenire, & tunc quouſque fuerit confeſſus, tenetur a celebratione Miſſæ neceſſario abſtinere, quia tunc reputatur peccatum mortale. Si autem contigerit ex turpi imaginatione præcedenti vel inhoneſta confabulatione, & illicita: tenetur a celebratione & perceptione Euchariſtiæ abſtinere quouſque contritus fuerit, & confeſſus, ſi habere poterit copiam ſacerdotis, quia in hoc caſu eſt peccatum mortale. Et licet in duobus his caſibus, poſt contritionem & confeſſionem factam non teneatur a celebratione Miſſæ neceſſario abſtinere: honeſtum tamen eſt quod a celebratione Miſſæ abſtineat illa die, maxime ſi non fuerit neceſſitas quare debeat celebrare. Si vero habere non poterit copiam ſacerdotis, contritionem tantum habuerit, & propoſitum confitendi & celebret, ſi neceſſitas fuerit, ſicut dictum eſt & diſtinctum ſuperius de alio presbytero peccatore, quoniam neceſſitatis articulus noſcitur imminere.

[a] Forte confeſſionis. H.

Nullus ſacerdos in altari, in quo epiſcopus Miſſam cantaverit, eodem die Miſſam cantet. Prohibemus autem diſtricte ne aliquis ſacerdos duas Miſſas celebret una die. In die tamen natali Domini idem ſacerdos tres Miſſas poterit celebrare. Aliis vero diebus poteſt in caſibus infra ſcriptis cantare duas Miſſas, ſcilicet unam de die, & aliam pro defunctis, videlicet propter neceſſitatem nuptiarum. Item in Paſcha, & Pentecoſte, & in feſto Aſcenſionis Domini & S. Joannis Baptiſtæ, & omnium Sanctorum, & in feſto Apparitionis Domini. In iſtis ſolemnitatibus, & feſtivitatibus ſupra proxime dictis, ſi omnes parochiani ad unam Miſſam ſimul non poſſunt convenire, eo quod in diverſis locis habitant diſtantibus ab eccleſia, & remotis, ſicut eſt in montanis, nec ſunt in eccleſia duo ſacerdotes, & dicta prima Miſſa poſtmodum parochiani venientes poſtulent Miſſam aliam ſibi dici, poterit tamen [b] ſacerdos Miſſam aliam celebrare. Tamen ſi in prima Miſſa poſt receptionem corporis Chriſti & ſanguinis, profuſionem acceperit, non debet ſecundam Miſſam in prædictis caſibus celebrare. Caveant ſacerdotes, ne primam Miſſam de die dimittant in magnis locis & populoſis celebrare, propter aliam quæ non ſit de die illa: hoc ſalvo, quod de officio beatæ Mariæ ſingulis hebdomadis celebrando a nobis noſcitur conſtitutum. Studeant etiam horas ſuas dicere juxta eccleſiam Nemauſenſem.

[b] Leg. poteſt iterum

*De veneratione eccleſiarum.*

Quia quidam clerici eccleſias ſic exponunt ſupellectilibus, & arſinis ipſius, & etiam alienis, ut potius domus laicorum, quam Dei baſilicæ videantur: idcirco firmiter prohibemus, ne hujuſmodi ſupellectilia ſeu arſinæ, in eccleſiis admittantur, niſi propter bellum, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ad eas oporteat habere [c], ſic tamen, ut neceſſitate ceſſante res in loca priſtina reportentur. Ligna, ſeu lapides eccleſiarum, in aliis uſibus non ponantur, niſi in uſibus ædificio, vel reparatione alterius eccleſiæ, vel hoſpitalis, ſeu clauſtri, dormitorii, vel in clauſura cœmeterii, ſeu in alio honeſto ædificio ad opus clericorum eccleſiis ſervientium deputato. In laicorum autem ædificiis ſeu uſibus non ponantur. Et idem obſervetur de veſtimentis, cortinis, & ceteris eccleſiaſticis ornamentis: præcipientes, ut eccleſiæ vaſa, altaris corporalia, pallæ altaris, veſtimenta miniſtrorum, munda & nitida conſerventur. Ad corporale autem lavandum habeatur proprium vas, in quo nihil aliud fiat, & lavetur per ſacerdotem, aut diaconum tantum, & aqua ablutionis in eccleſia ubi conculcari non poſſit, recondatur. Veſtimenta, & ornamenta miniſtrorum, eccleſiarum cruces, & calices benedicti, conſecrari debent per epiſcopum, antequam Divino officio deputentur, nec poſt benedictionem debent a laicis contrectari Corporale, aut pallæ altaris, & veſtimenta miniſtrorum eccleſiæ, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, & in aliis uſibus eccleſiaſticis non ſunt apta, comburantur, & cineres eorum in eccleſia recondantur, ubi nullus tranſitum faciat, ne introeuntium pedibus conculcentur. Prohibemus, ne laici in eccleſia, vel extra, ad proceſſionem vel ad aliud Divinum officium utantur veſtibus benedictis, nec laici qui neſciunt cantare, vel legere, infra cancellos in choro cum clericis ſtent, vel ſedeant, dum Divina officia celebrantur: maxime ubi ſunt impedimento clericorum, non poſſunt laici in choro commorari. Nec aliqua fœmina, ſeu monialis [d] alia ſæcularis, præſumat presbytero dum celebrat miniſtrare, vel juxta altare, vel infra cancellos ſedere, dum Divina officia celebrantur. Item prohibemus ne in eccleſia conſecrata, ſanguinis aut ſeminis effuſione polluta, priuſquam per epiſcopum reconciliata fuerit, Divina officia celebrentur. Si vero in eccleſia non conſecrata hæc fieri contigerit, aqua per presbyterum exorcizata protinus aſpergatur, priuſquam in ea Divina officia celebrentur; eſt tamen, quam cito fieri poterit conſecranda. Si autem in cœmeterio hæc fieri contigerit, ante reconciliationem per epiſcopum factam non ſepeliantur in ea corpora defunctorum. Diſtricte etiam prohibemus ut nullus præſumat ædificare eccleſias, capellas, oratoria, hoſpitalia, vel alia loca religioſa, in diœceſi Nemauſenſi, ſeu altare erigere in eccleſia conſecrata, ſine noſtra licentia ſpeciali: præcipientes, ut quælibet eccleſiæ noſtræ diœceſis, calicem argenteum habeant cum patena, & alia vaſa pulchra & nitida, Divino officio neceſſaria, atque apta. Item inhibemus, ne judices ſæculares, vel ballivi, officiales, ſeu nuncii curiæ ſæcularis, in eccleſiis cauſas, lites, contentiones, ſeu placita audiant laicorum, nec in ipſis eccleſiis vel cœmeteriis præſumant aliqui choreas ducere, vel facere, vel dicere cantilenas. Item ſub pœna excommunicationis præcipimus, quod nullus laicorum, ſeu officialium curiæ ſæcularis, aliquem hominem, vel bona ejus, ſeu res de eccleſia, cœmeterio, hoſpitali, vel domo religioſa, extrahat violenter, quantumcumque gravia maleficia [a], niſi publicus latro, vel nocturnus fuerit, depopulator agrorum, ſeu qui homicidium, vel mutilationem membrorum in ipſis eccleſiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur, qui niſi per eccleſias ad quas fugiunt, crederent ſe defendi, nullatenus ipſa maleficia in ipſis eccleſiis, vel cœmeteriis, fuerant commiſſuri. In aliis autem caſibus confugientes ad eccleſias, vel prædicta loca religioſa, cum rebus ſuis in eis exiſtentibus, a rectoribus & clericis eccleſiarum defendantur, nec ab aliquo extrahantur ſine noſtra licentia ſpeciali.

[c] f. receſſum habere

[d] f. ancilla ſæc.



[a] Deeſt fecerit

*De alienatione rerum eccleſiarum, & obligatione ipſarum.*

Prohibemus diſtricte, ne quis prior, ſeu rector eccleſiarum noſtræ diœceſis, calicem, libros eccleſiaſticos, veſtimenta ſacerdotalia, ſeu alia ornamenta eccleſiaſtica, aut res mobiles, aut arſinas domus, aut immobiles, ut domos, terras, vineas, prata, ſeu quaſlibet alias poſſeſſiones, cenſus, quartas, taſcas, uſatica, & ſimilia ad eccleſias pertinentia, præſumant permutare, vendere, dare, permutare in emphyteuſim, ſeu in acap. concedere, vel quocumque alio modo alienare, abſque noſtra licentia ſpeciali. Quod ſi fecerit, contractus non habeat firmitatem, & rem alienatam ipſi eccleſiæ reſtituere compellantur: diſtricte præcipientes, quod ea quæ cum noſtro conſilio, occaſione venditionis, ſeu permutationis, vel alienationis rerum eccleſiaſticarum [b], habeant firmitatem, vel recepta in eccleſiarum utilitatibus committantur: prohibentes, ne in ipſis eccleſiis præſumat aliquis titulum alicui aſſignare ſine noſtra licentia ſpeciali. Sed nec aliquas eccleſias ad collationem noſtram ſpectantes, vel res, ſeu poſſeſſiones earum, aliquod [c] fidem habendo, vel alio modo obliget pro debitis alienis, nec etiam pro ſe ipſo, ſine noſtra licentia ſpeciali, ultra centum ſolid. Turonenſ. quantitatem. Quod ſi fecerit, ad ſolutionem talium debitorum, ultra quantitatem prædictam, ſucceſſor vel eccleſia nullatenus teneatur: niſi creditor manifeſte [d] pecuniam in utilitatem eccleſiæ fuiſſe converſam: tunc enim volumus, & diſtricte præcipimus, quod in ſolidum perſolvat, & hoc per eccleſias publicetur, ne creditores valeant defraudari. Prohibemus ne rector, ſeu prior alicujus eccleſiæ, per ſe vel per alium, emat de pecunia ratione eccleſiæ acquiſita, poſſeſſiones, ſeu redditus ſuo nomine, ſeu etiam alieno: ſed ad opus eccleſiæ emat, & ipſius nomine eccleſiæ faciat confici inſtrumenta. Qui autem contra prædicta fecerit, tanquam fur & ſacrilegus punietur, & pœnam amiſſionis ipſius beneficii poterit merito formidare. De iis autem & ſuper his quæ ſub dominio, & juriſdictione eccleſiarum, clerici & laici tenent ad opus eccleſiarum, & nomine earundem, rectores eorum, ſi nondum factum eſt, faciant fieri recognitiones, & publica inſtrumenta, ut ſic in futurum eccleſiarum utilitatibus caveatur. Verum quia conſiderandum eſt, & procurandum ſtudio vigilanti, ut honor, & reverentia exhibeatur eccleſiis univerſis, & præcipue illis a quibus redditus percipimus & proventus: diſtricte præcipimus, ut priores & rectores eccleſiarum noſtræ diœceſis, in ædificiis, reparationibus ipſarum, & domorum etiam earundem, in libris, ornamentis, & aliis Divino cultui neceſſariis, juxta facultates eccleſiarum ſtudeant, cum opus fuerit, taliter ſe habere, quod eorum exemplo ad hoc ceteri invitentur, & fidei devotio augmentetur: maxime cum priores & rectores earum ad hoc cogi poſſint, & debeant, ſecundum canonicas ſanctiones.

[b] Deeſt aliquid

[c] Corr. aliquam

[d] Add. oſtendat vel quid ſimile.

*De vita, & honeſtate clericorum.*

Ut clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & caſte vivere ſtudeant clerici univerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti . . . . . in conſpectu Dei omnipotentis, puro corde ac mundo corpore valeant miniſtrare. A crapula & ebrietate omnes clerici abſtineant diligenter, nec officia ſeu commercia ſæcularia exercere præſumant, maxime inhoneſta: ſed nec poſſeſſiones in pignus recipiant: in viniis [a] joculatoribus, & hiſtrionibus non intendant, & tabernas prorſus evitent, niſi cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti: ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint, nec ad luctas laicorum accedant: coronam & tonſuram habeant congruentem, ſe in officiis eccleſiaſticis, & aliis bonis ſtudiis cum diligentia exercendo: pannis rubeis, aut viridibus, necnon manicis conſutitiis, aut ſotularibus roſtratis vel cordellatis, non utantur, nec frenis, ſellis, pectoralibus deauratis: enſes non deferant, nec cultellos acutos, nec lanceas, ſeu falſones, niſi forte ex cauſa probabili tuitionis, ſeu guerræ. Prohibemus diſtricte ne clerici fœminas ſecum teneant, de quibus ſuſpicio incontinentiæ poſſit eſſe. Sed [b] rectores eccleſiarum matrem, ſorores, amitam, vel alias conſanguineas juvenes, ſecum in domibus eccleſiarum tenere præſumant; & alibi, ſi pauperes fuerint, eis neceſſaria, ſi voluerint, ſubminiſtrent. Quicumque autem clericorum manifeſte ſecum tenuerit concubinam, ipſo jure ab officio eccleſiaſtico noverit ſe ſuſpenſum, ita ut Miſſam non cantet, nec evangelium legat, nec epiſtolam, nec in choro ſtet cum aliis clericis, qui Divina officia celebrant. Sub pœna excommunicationis inhibemus diſtricte, ne clerici, per ſe truncationes membrorum faciant, aut indicent inferendas, licentiam [c] ſanguinis dictando, vel etiam proferendo, aut ſcribendo, nec in loco, in quo talia exercentur, dum fiunt, intereſſe præſumant. Nullus quoque clericus in ſacro ordine conſtitutus aliquam chirurgiæ artem exerceat, quæ ad uſtionem, vel inciſionem inducat, nec tabellionis fungatur officio in curia

[a] f. divinis

[b] Corr. nec

[c] Corr. ſententiam

ANNO CHRISTI 1284.

curia ſæculari. Nulli clerici beneficiati, aut in ſacro ordine conſtituti, procurationes, ſeu bailias villarum, aut judicaturas ſæcularium principum, recipere aut tenere præſumant, aut procuratores exiſtere quorumlibet laicorum, vel tutores, curatores, ſeu advocati in curia ſæculari, niſi pro ſe ipſis, & eccleſiis ſuis, & perſonis miſerabilibus & conſanguineis ſuis. Hæc etiam omnia univerſis religioſis & ſacerdotibus diſtrictius inhibemus, præcipientes ut clerici, & præcipue ſacerdotes, ſine rationabili cauſa & probabili, mercata ſeu nundinas non frequentent, & tunc incedant in decenti habitu, & honeſto. Qui vero parochialem habet eccleſiam, non per vicarium, ſed per ſe ipſum deſerviat in ordine, quo ipſius eccleſiæ onus requirit, in ipſa perſonaliter reſidendo, ſicut jura præcipiunt & requirunt: inhibentes diſtricte, ne ſacerdotes, vel ii * qui in epiſcopatu Nemauſenſi, cauſa faciendi moram alibi exeant, nec alienæ juriſdictioni, aut judicio alicujus judicis non ſui ſe ſubjiciant, abſque noſtra licentia ſpeciali. Hoſpitalitatem quoque in ipſis eccleſiis teneat ſecundum quod facultates ipſarum poterunt commode ſuſtinere: præcipue circa fratres Prædicatores, & Minores, cum cauſa prædicationis, vel qualibet alia, ad eas contingit declinare: eos enim præcipimus diſtricte ab omnibus rectoribus eccleſiarum noſtræ diœceſis caritative recipi, & benigne. Diſtrictius inhibemus ne ſacerdotes, vel alii clerici, in annualibus, ſeu anniverſalibus, comedant carnes diebus Mercurii, & ſabbati, nec ſe inebrient, ſed vinum ſibi temperent; & bene ac modeſte ſe habeant, & mature, atque recipiant & comedant pacifice, ac ſine murmure, quod eis fuerit appoſitum, nec ſibi faciant delicata cibaria præparari. Præcipientes quod ibi legatur lectio a principio prandii, uſque ad finem, ubi propter hoc conventus decem ſacerdotum, vel plurium, congregatus eſt: & præcipue cum fuerint annualia in eccleſiarum domibus, ſive clauſtris, ut ſic ab illicitis confabulationibus compeſcantur, qui cupiunt in prandio loqui ſuperflua, ac vana: non in fine prandii, fiat ſermo, ſive prædicatio, quia tunc non hora prædicandi conveniens, neque apta. Annualia quoque ſeu anniverſalia non fiant in hebdomada ſancta, nec in ſeptimana ſancta Paſchali, nec in ſeptimana Pentecoſtes, neque in ſeptimana natalis Domini, nec in vigiliis, feſtivitatibus B. Mariæ, nec in feſtivitatibus Apoſtolorum, nec aliis diebus ſolemnibus, ſive feſtis: ſub pœna excommunicationis inhibentes, ne presbyteri pro faciendis annalibus ſeu anniverſariis congregati, inter ſe vel * aliis rixentur, ſeu verbis contumelioſis diſputent, vel contendant, maxime poſt prandium, ſicut quidam faciunt aliquando parati ad lites, & contentiones, & animo non modico crapulati, propter quæ vituperatur miniſterium ſacerdotum.

* Corr. vel alii clerici, inepte.

* leg. vel cum aliis

*De teſtamento.*

ann. 1229. cap. 16.

IN Toloſano concilio noſcitur conſtitutum, cum aliquis voluerit condere teſtamentum, hoc faciat ſub teſtimonio ſui presbyteri; vel alterius eccleſiaſticæ perſonæ, ſi proprius haberi non poſſit ſacerdos, adhibitis bonæ opinionis viris, quos ad hoc voluerit advocare: & teſtamenta aliter facta non habeant vigorem, nec ſint alicujus momenti. In concilio Narbonenſi additum eſt, quod teſtator careat eccleſiaſtica ſepultura, donec de hujuſmodi mandati contemptu eccleſiæ per ſucceſſores ipſius defuncti ſatisfactum fuerit competenter. Notarios autem qui abſque ſolemnitate ſuperius expreſſa notare, vel ſcribere præſumpſerit teſtamenta, vel ultimas voluntates, uſque ad ſatisfactionem condignam introitus eccleſiæ denegetur: & hæc conſimilia præcipimus obſervari. Volumus & mandamus ſecundum conſtitutionem Alexandri papæ, ut relicta ad pias cauſas, quæ parochiani coram presbyteris ſuis, & tribus, vel duabus perſonis idoneis, fecerunt in extrema voluntate, firma debeant permanere: ſub pœna anathematis prohibentes, ne quis præſumptione qualibet audeat recidere hujuſmodi teſtamenta. Illi autem qui teſtamenta defunctorum publicare, & compellere quantum ad relicta ad pias cauſas, poſt competentem monitionem noluerint: excommunicationis ſunt vinculo innodandi, ſicut ſtatutum fuit in concilio Narbonenſi. Illud quoque irrevocabiliter obſervetur, ut bona decedentium clericorum, quæ occaſione eccleſiæ fuerint acquiſita, nullus præſumat laicus occupare, aut illicite retinere: ſed ad utilitatem eccleſiæ conſerventur, cujus intuitu fuerant acquiſita. Licet autem mobilia per eccleſiam de jure in alios, pro arbitrio beneficiati clerici morientis, transferri non poſſint, conſuetudinis tamen eſt non improbandæ, ut de bonis mobilibus ipſarum, pauperibus, & locis religioſis, qui clerico beneficiato viventi ſervierant, ſive conſanguinei ſint, ſive alii, aliqua juxta ſervitii meritum conferantur ab ipſo infirmo, vel a ſucceſſore ſuo ſolvantur, ſeu reddantur, ſecundum quod idem infirmus moderate duxerit ordinandum. Ceterum quæ ex hereditate vel artificio, vel doctrina, vel dono conſanguineorum, vel amicorum, vel alio quocumque modo, non habentia reſpectum ad eccleſiam, ad clericum pervenerint ſæcularem, ſive ſit beneficiatus, ſeu non, diſtribuantur pro arbitrio clerici decedentis: quia poteſt de iis licite condere teſtamentum, ſeu ultimam voluntatem. Si autem infirmus nil de iis ordinaverit, bona ipſa ad conſanguineos devolvantur: & ſi conſanguineos, non habuerit, penes eccleſias, quarum rectores vel beneficiati fuerint, bona ipſa volumus remanere. Si nulla vero ordinatione vel diſpoſitione facta de bonis ſuis decedentes clerici, conſanguineos, vel eccleſias, ſeu beneficia non habuerint, bona ipſorum debent arbitrio ſui epiſcopi ordinari. Ad hæc, quidquid habent clerici de bonis eccleſiaſticis, deductis expenſis honeſtis & neceſſariis, pauperum debet eſſe. Credimus de æquitate poſſe rationabiliter ordinari, & ſic etiam ordinamus, & volumus obſervari in diœceſi Nemauſenſi: quod clericus beneficiatus in ægritudine conſtitutus, expenſis neceſſariis uſque ad fructus colligendos illius anni ad ſuſtentationē miniſtrorum eccleſiæ ſibi commiſiſſe reſervatis, & omnibus debitis ipſius eccleſiæ perſolutis, quidquid mobile reſiduum fuerit intuitu eccleſiæ acquiſitum, ſive in pecunia, ſive in rebus comeſtibilibus, ſive animalibus, ſive beſtiis, quæ agriculturæ illius eccleſiæ prius fuerant deputatæ, licite Chriſti pauperibus ante ſui obitum dare poſſint. Et ſi ejus archipresbyter præſens fuerit cum ipſius conſilio iſta fiant, ad quod præſentem eſſe volumus, & vocari, ſi commode intereſſe poſſit. Verumtamen non credimus aliquem clericum beneficiatum poſſe percipere, quod poſt ſui obitum conferantur, niſi aliquid & moderate ſicut continetur ſuperius in illo.

ann. 1227. cap. 3. Exiſtimavit ſcriptor ... Toloſano ... ſed falſo, ut ſuis locis oſtendimus.

*De ſepulturis.*

SAnctis patribus, & antiquis.......... ...... eſſe noſcitur, ut unuſquiſque ſepeliatur cum ſuis parentibus, qui certam non elegerit ſepulturam. Nulli tamen negandum eſt, quin poſſit, ubi-



ANNO CHRISTI 1284.

ubicumque voluerit & diſcrete elegerit, ſepeliri, ita tamen quod ſi in aliena eccleſia elegerit ſepeliri, & de iis quæ ſibi legaverit, & aliis, quæ occaſione ſepulturæ ipſius pervenerint ad eamdem, parochialis eccleſia canonicam habeat portionem, videlicet tertiam partem ſecundum conſuetudinem eccleſiæ Nemauſenſis, exceptis caſibus in quibus portio non eſt danda. Nullus tamen religioſus, vel clericus ſæcularis, faciat pactum cum aliquo in ſanitate conſtituto: ſed nec aliquem in infirmitate, conſtitutum blanditiis, munuſculis, ſive donis, vel deceptionibus inducat, ut in ſuo cœmeterio eligat ſepulturam: quod ſi fecerit pactum, non teneatur, nec electio ſepulturæ, quinimmo & corpus, & quidquid occaſione ſepulturæ ipſius perceptum fuerit, totaliter parochiali eccleſiæ reddatur. Si vero aliquis in ſanitate, vel infirmitate de qua non moritur, intrat aliquam religionem, ſe & ſua reddendo: non debet parochialis eccleſia de bonis ipſius habere canonicam portionem. Idem dicendum eſt ſi infirmus in una parochia facit ſe mutari in infirmitate in aliam parochiam, & moritur de illa ægritudine: quia ſicut ſupra eccleſia parochialis debet habere canonicam portionem, ſi quis aſſumatur in confratrem alicujus loci religioſi, bonis ſuis retentis nec oblatis, & ibi ſepeliatur, parochialis eccleſia debet habere canonicam portionem. Ne autem lites ex litibus oriantur, ſciendum eſt, quod ſi parochianus alicujus eccleſiæ transfert domicilium ſuum in aliam parochiam, & ibi moratur: erit ſtatim parochianus illius eccleſiæ ad quam transfert ſuum domicilium, & illi eccleſiæ ſubjectus erit quoad jus parochiale; videlicet in Divinis officiis audiendis, oblationibus, & pœnitentiis obtinendis, recipiendis ſepulturis mortuariis, & recipiendis ibidem aliis eccleſiaſticis ſacramentis. Et in his omnibus ſubtrahitur, & eximitur incontinenti per tranſlationem a juriſdictione eccleſiæ, in cujus parochia ante tranſlationem domicilium morabatur. Verum quia nullus debet juriſdictionem alterius uſurpare: prohibemus diſtricte, ne aliquis parochianos alterius recipiat eccleſiaſtica ſacramenta, niſi ad baptiſmum, & pœnitentiam, neceſſitatis articulo imminente, vel niſi de licentia proprii ſacerdotis. Prohibemus etiam ſpecialiter, ne aliquis parochianus alterius in cœmeterio ſuo ſepelire præſumat, niſi ibi elegerit ſepulturam. Quod ſi fecerit, corpus ſepultum, & omnia, quæ occaſione ipſius percepit, eccleſiæ parochiali reddantur: niſi peregrinus fuerit, vel viator de remotis, qui ſi alibi ſepulturam elegerit, poteſt licite ſepeliri. Si vero parochianus alicujus eccleſiæ, ſive in ſanitate, vel in infirmitate, ad aliam parochiam vicinam iverit, ſeu tranſtulerit, non domicillium mutandi cauſa, & ibi aliquo eventu ſine electione ſepulturæ mortuus fuerit: ſepeliendus ad ſuam parochialem eccleſiam deportetur; vel ſepeliatur in illa parochia, in qua mortuus fuit, ſi parentes ejus, vel conſanguinei, & ſua parochialis eccleſia hoc duxerit concorditer concedendum. Nec illa eccleſia, in cujus parochia mortuus fuit, poteſt quærere canonicam portionem ab eccleſia parochiali illius defuncti, de iis quæ occaſione ſepulturæ, vel legati, pervenerint ad eamdem. Mulier autem. ſtante matrimonio, & etiam mortuo viro ſuo, eligere poteſt, ubicumque voluerit, ſepulturam. Si vero ſine electione deceſſerit ſepulturæ, ſepeliatur in cœmeterio eccleſiæ parochialis in ſepulchro viri ſui, ſi ipſe mortuus fuerit, & in eadem parochia ſepultus.

Mendoſe fac.

*Iſti ſunt caſus, in quibus deneganda eſt eccleſiaſtica ſepultura.*

SUnt autem quidam caſus, in quibus debet denegari eccleſiaſtica ſepultura: ſcilicet omnibus hæreticis, & excommunicatis majori excommunicatione, & etiam minori, & interdictis. Item illis, qui in torneamentis moriuntur. Item uſurariis, & proconibus manifeſtis. Item omnibus illis, quos manifeſtum conſtitit in mortali peccato deceſſiſſe: Item illis qui ſe ipſos ſuſpenderunt, aut ſe gladio interfecerunt. Hæc autem intelligenda, & ſervanda ſunt, niſi in morte manifeſta ſigna pœnitentiæ apparuerint, videlicet quia petiit presbyterum, vel pœnitentiam, vel alia ſigna pœnitentiæ, ſi amiſerat jam loquelam. Et ſi talis erat excommunicatus vel interdictus, & morte præventus non potuit abſolutionis beneficium obtinere: poteſt, & debet abſolvi poſt mortem. Sed ab illo prælato, vel judice abſolvetur, per quem, dum vixerat, fuerat abſolvendus. Et ad probanda ſigna pœnitentiæ ſufficit, ut dicunt fere omnes doctores, unus teſtis, ſi plures ad hoc probandum non poterunt inveniri. Verumtamen licet ſigna pœnitentiæ præceſſerint, ſi non fuerit in infirmitate vel mortis articulo abſolutus, non debet ante abſolutionem in cœmeterio eccleſiaſtico ſepeliri: ſed juxta cœmeterium poni poterit in aliquo ligneo monumento, vel intra ſepeliri, & poſtmodum cum debebit abſolvi, debet exhumari, & abſolvi * in cœmeterio eccleſiaſtico ſepeliri. Si vero corpus alicujus excommunicati, in cœmeterio eccleſiaſtico aliquo caſu contigerit ſepeliri: cum de hoc plene conſtiterit, incontinenti extumuletur, ſi oſſa excommunicati diſcerni poterunt ab oſſibus fidelium defunctorum: & quouſque cœmeterium reconciliatum fuerit aſperſione per epiſcopum ſolemniter benedictæ, non ſepeliantur corpora defunctorum in eo. Prohibemus autem diſtricte, laicos intra eccleſiam ſepeliri, ſine noſtra licentia ſpeciali.

* Add. & poſtea

*De decimis, & primitiis.*

CUm Dominus expreſſe dari præcipiat decimas & primitias, atque ſolvi, & nolentes ſolvere excommunicationis ſint vinculo innodandi: diſtricte præcipimus, ut decimæ & primitiæ ſolvantur integraliter parochialibus eccleſiis, in quarum parochiis prædia, ex quibus fructus proveniunt, fuerint conſtituta. Et debent ſolvi ſtatim cum fructus percipiuntur, & antequam inde ſeparentur cenſus, & tributa, vel quarti, vel taſchæ. Si tamen primo fuerit facta talis ſeparatio, ſicut agricola tenetur decimare & primitiare quod ſibi remanet; ita dominus quod de acervo accepit non decimato. Si vero ille qui decimam tenetur ſolvere, vendat acervum blatorum non decimatum, vel aliam rem non decimatam, de qua decima debet ſolvi: poteſt eccleſia petere decimam a venditore, ſi voluerit, vel etiam ab emptore, quia res tranſit cum onere ſuo ad quemlibet poſſeſſorem. Decimæ autem agrorum, hœdorum, caſeorum, lanæ, porcellorum, & pullorum, eccleſiis quibus debentur, fideliter perſolvantur: agnos tamen, hœdos, porcellos, & pullos, non dare debent deteriores, nec meliores tenentur ſolvere, ſed debent dare mediocres: vel ſicut tranſeunt per oſtium, vel ſub virga, & ille qui decimus veniret, pro decima habeatur. De primitiis vero dicimus, & juri eſſe conſentaneum reputamus, & ſic in Nemauſenſi diœceſi præcipimus obſervari: quod pri-

ANNO CHRISTI 1284.

primitiæ eccleſiæ, illi dentur de proventibus, ſeu fructibus prædiorum [a] decimæ perſolvantur, cum non debeat una eademque eccleſia cenſeri. Nomine autem primitiarum, ſeu pro primitiis, ad minus ſexageſima pars de vino, & blato, eccleſiis debet ſolvi: non obſtantibus aliquibus compoſitionibus, ſeu conſuetudinibus, quæ a ſede apoſtolica non fuerint approbatę. Non tamen prohibemus quin priores, & rectores quarundam eccleſiarum noſtræ diœceſis, obſervent, ſi voluerint, antiquas conſuetudines eccleſiarum ſuarum, quæ conſueverunt recipere & habere a parochianis certam quantitatem vini, vel bladi pro primitiis annuatim. Sub pœna excommunicationis prohibemus, ne priores, ſeu rectores eccleſiarum Nemauſenſis diœceſis, ſive ſint regulares, ſive ſint ſæculares, [B] occaſione decimarum, vel primitiarum inter ſe cum clericis, nec etiam cum laicis occaſione qualibet prælientur; nec aliquis clericus a poſſeſſione percipiendi decimas, vel primitias, vel alios quoslibet fructus, poſſeſſorem ſeu poſſidentem præſumat authoritate propria ſpoliare. Si quis contra præſentem prohibitionem poſſeſſionem alterius in hoc caſu invadere præſumpſerit: fructus, quos per invaſionem ſeu per violentiam abſtulerit, ipſo facto amittat, & reſtituat: ſpoliato in expenſis, quas ſpoliatum ob hoc feciſſe conſtiterit, condemnandus, etiam ſi jus proprietatis percipiendi decimas hujuſmodi, & primitias, vel alios redditus temporales, noſcatur ad ſpoliatoris eccleſiam, vel [C] ad hæreditatem propriam pertinere, gravius etiam, ſi culpæ qualitas poſtulaverit, puniendus. Non enim juſtum eſt, neque bonum, quod aliquis jus in cauſa propria ſibi dicat. Sed ſi contra aliquem, prior ſeu rector alicujus eccleſiæ, pro decimis & primitiis habuerit quæſtionem coram nobis, vel archidiacono, ſeu officiali, vel archipresbyteris noſtris, ſeu aliis perſonis eccleſiaſticis communiter ex utraque parte electis, ſeu ſecundum jurisdictionem vel amicabiliter ſuam juſtitiam proſequatur: generaliter prohibentes, ne ſuper primitiis, vel aliis juribus ſpiritualibus, clerici in laicos compromittant, quamvis in ipſos laicos de rebus temporalibus valeat compromitti. Diſtricte etiam prohibemus, ne clerici bladum, horologia [*], vel [D] quælibet alia decimare præſumant, niſi præſentibus & ad hæc vocatis dominis rerum illarum, de quibus decima eccleſiis debet dari: niſi ſuper hoc domini requiſiti, malitioſe noluerint intereſſe, nec decimandi excedant debitam quantitatem.

a Hic aliquid deeſt.

* Corr. hordea

*De ſponſalibus & matrimonio.*

SPonſalia ſunt promiſſio futuri matrimonii contrahendi. Debent autem contrahi poſt ſeptennium: & ſi ante ſeptimum annum completum contracta fuerint, non habent aliquam firmitatem. Tamen ſi adveniente & completo ſeptimo anno, conſenſerint ſponſalibus prius contractis: ex tunc [E] ratificari incipiunt, & valere. Ætas vero ad matrimonium contrahendum eſt in maſculo quartus decimus annus completus, & in puella duodecimus. Ut autem diverſa pericula circa matrimonium evitentur, ſtatutum fuit in concilio generali, & ſic præcipimus obſervari: ut matrimonia non contrahantur clandeſtino, ſed cum fuerint contrahenda, in eccleſiis per presbyteros publice proponatur competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, legitimum impedimentum opponat: & ipſi presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura, vel [A] impedimentum, contra matrimonium contrahendum: contractus matrimonii interdicatur expreſſe, donec quid fieri debeat, manifeſtis conſtiterit documentis. Sane parochialis ſacerdos, qui tales conjunctiones inhibere contempſerit, aut quilibet regularis qui eis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur: gravius puniendus, ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Sed illis qui taliter copulari præſumpſerint, condigna pœnitentia injungatur. Diſtricte autem inhibemus, ne aliqui, qui ſponſalia contraxerint, ſeu promiſſionem fecerint de matrimonio contrahendo, præſumant cum aliis contrahere ſecunda ſponſalia, ſeu matrimonium, niſi prius a vinculo priorum ſponſalium fuerint abſoluti. Et ſi aliquis, vel aliqua, [B] contraxerit ſecunda ſponſalia, vel matrimonium, contra promiſſionem ſuper primis ſponſalibus prius præſtitam veniendo temere: tale ſecundum matrimonium nec denuncietur in eccleſia, nec taliter nubentibus detur benedictio nuptialis ſine noſtra licentia ſpeciali, quia nolumus quod talis malitia remaneat impunita. Quia vero ſponſalia & matrimonia indiſcrete multoties contrahuntur, aliquando per ſimplicitatem, & juris ignorantiam aliquorum, & aliquando propter excogitatam malitiam atque fraudem: de multis impedimentis pauca quæ frequentius ſunt in uſu, hic ponimus: volentes ut poſſumus in talibus occurrere periculis, & peccatis.

Later. IV. c. 51.

Sciendum eſt igitur, quod ſi quis contraxerit [C] ſponſalia cum aliqua muliere tempore legitimo ad ſponſalia contrahenda, ſcilicet ſeptimo anno completo, ſicut ſuperius continetur, ſive ipſam accipiat in uxorem, ſive non: nunquam poſtea aliquam aliam de conſanguinitate ipſius mulieris deſponſatæ habere poterit in uxorem, nec mulier deſponſata illa aliquem de conſanguinitate illius viri deſponſati habere poterit in maritum. Item ſi aliquis deſponſaverit aliquam in uxorem, & antequam eam cognoſcat carnaliter, vel matrimonium cum ea contrahat, ejus conſanguineam cognovit carnaliter: non debet poſtmodum cum illa quam deſponſaverat, neq; cum aliqua de conſanguinitate ejus, matrimonium contrahere; & ſi contraxerit, debet matrimonium ſeparari. Item [D] ſi aliquis alicui mulieri fidem dederit, vel promiſerit quod eam recipiet in uxorem, ſi poſt talem promiſſionem cognoverit eam carnaliter: non poteſt ea vivente cum alia matrimonium contrahere, immo debet compelli quod eam teneat in uxorem, & maritali affectione pertractet, ſi alia rationabilis cauſa non impediat, quare ipſam habere non debeat in uxorem. Item nullus debet ſponſalia, vel matrimonium contrahere cum aliqua de conſanguinitate ſua in primo & ſecundo, tertio vel quarto gradu: quod ſi fecerit, debet matrimonium ſeparari. Si vero aliquæ perſonæ attineant ſibi ex una parte in ſecundo, tertio, quarto gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, ex alia vero parte in quinta linea tranſverſali: licite poteſt inter eum matrimonium celebrari. [E] Qui autem votum emittunt vel faciunt de religione intranda, ſeu caſtitate ſervanda, matrimonium contrahere prohibentur. Item nullus debet contrahere matrimonium cum ſua commatre, vel filia ſua ſpirituali: quod ſi fecerit, debet matrimonium ſeparari. Item ſi quis contraxerit matrimonium cum filia compatris ſui, non tamen cum illa filia, per quam contracta eſt compaternitas, ſed cum alia: licet ſit honeſtum a tali conjugio abſtinere, non tamen eſt propter hoc, matrimonium ſeparandum. Item nullus debet contrahere matrimonium cum illa, quã ſuis manibus baptizavit; quod ſi fecerit, debet



ANNO CHRISTI 1284.

bet matrimonium ſeparari. Item nullus debet contrahere matrimonium cum illa, quam pater ejus baptizavit; & ſi fecerit, erit matrimonium ſeparandum. Item omnes filii & filiæ compatrum duorum, vel duarum commatrum, ſive ante compaternitatem, ſive poſt geniti fuerint, poſſunt inter ſe matrimonialiter copulari. Illa tamen perſona excepta per quam compaternitas eſt contracta, quia illa perſona nunquam poteſt copulari alicui filiorum patris ſui ſpiritualis. Verum utrum aliquis duas commatres poſſit habere uxores, unam poſt aliam, aliquando ab aliquibus dubitatur. Super quo conſiderandum eſt diligenter, an commaternitas contrahatur poſt contractum matrimonium, ſive ante. Nam ſi antę, ut verbi gratia, uxor tua, antequam cum ipſa matrimonium [B] contraheres, & eam cognoſceres carnaliter, tenuerat infantem alterius mulieris in baptiſmo, ſeu confirmatione: mortua uxore tua tu poteris matrimonium contrahere cum illa commatre uxoris tuæ: & ſi in hoc caſu duas commatres, unam poſt aliam, habere poteris in uxores. Si vero uxor tua poſtquam fuit a te carnaliter cognita, ſuſcepit infantem alterius mulieris, illa cujus infans ſuſcipitur, efficitur tibi commater per factum uxoris tuæ: & ideo mortua uxore tua non poteris illam habere in uxorem. Et e contra eamdem compaternitatem uxori acquiri intelligas per maritum, & in hoc caſu duas commatres non poteris habere in uxores. Si vero filium uxoris tuæ, quem de alio viro generavit, aliqua mulier in confirmatione tenuerit, ſeu [C] baptiſmo: illa mulier eſt commater uxoris tuæ, & non tua: & ideo mortua uxore tua, talem commatrem ejus habere poteris in uxorem. Idem eſt, ſi filius tuus ab aliquo ſuſcipiatur, quem genuiſti de alia muliere. Et ita in hoc caſu aliquis duas commatres poterit habere in uxores, & aliqua duos compatres, unum poſt alium, in maritos. Nunc videndum eſt utrum adulter cum adultera matrimonium contrahere poſſit. Et quidem ſi aliquis adulterat cum aliqua conjugata, & ipſa, vel ipſe adulter, machinatur in morte mariti ipſius adulteræ, vel uxoris ipſius viri adulteri, ad hanc intentionem ut adulter & adultera contrahant matrimonium [D] poſtmodum: ſi mors propter hoc fuerit aſſecuta, non debent inter ſe matrimonium contrahere: quod ſi fecerint, debet matrimonium ſeparari. Item ſi adulter promiſerit adulteræ, quod ducet eam in uxorem poſt mortem uxoris ipſius adulteri, ſi eſt conjugatus; vel poſt mortem mariti adulteræ, ſi eſt conjugata: ſi ante, vel poſt fidem datam, vel promiſſionem factam de matrimonio inter ſe contrahendo, prædictus adulter cognovit carnaliter prædictam adulteram vivente marito ipſius adulteræ, vel uxore ipſius adulteri, nunquam poſſunt nec debent inter ſe matrimonialiter copulari: quod ſi fecerint, erit matrimonium ſeparandum. Item ſi adulter contraxerit matrimonium de facto, quia de jure non potuit, cum adultera quæ ſciebat [E] ipſum habere aliam uxorem; ſi ante, vel poſt contractum de facto matrimonium inter ipſos, prædictus adulter cognovit carnaliter prædictam adulteram vivente marito ipſius adulteræ, vel uxore ipſius adulteri, ſi eſt conjugatus, numquam debent inter ſe matrimonialiter copulari mortuo marito ipſius adulteræ, vel uxore ipſius adulteri, non debent in contracto matrimonio de facto remanere. Si vero nullus iſtorum trium caſuum ſupra proxime dictorum intervenerit, & adulter mortua uxore ſua, vel mortuo marito adulteræ, contraxerit matrimonium, quoniam jus polluerat per adulterium, non debet propter hoc matrimonium ſeparari. Inhibemus quoque diſtricte ne aliqua [A] mulier, abſente viro ſuo quantorumque annorum numero cauſa peregrinationis, vel ex quacumque alia cauſa abſens fuerit, præſumat contrahere aliud matrimonium donec ei conſtet quod vir ejus deceſſit ab hac vita. Et ſi contrahere voluerit, ejus parochialis ſacerdos fieri nullatenus permittat id: & idem in viro decrevimus obſervandum. Si tamen aliqui contra prohibitionem noſtram matrimonium contrahere præſumpſerint, ad nos mittantur, ut ſuper hoc fiat quod fuerit mediante juſtitia faciendum. Prohibemus autem, ne aliquis ſacerdos perſonas ignotas de remotis venientes matrimonialiter copulare præſumat, ſive ambæ ignotæ fuerint, ſive altera illarum, nec etiam hujuſmodi matrimonium faciendum denunciet in eccle-[B]ſia, niſi de noſtra licentia ſpeciali. Si vero perſonæ contrahentium clandeſtina matrimonia notæ fuerint, & ea voluerint in facie eccleſiæ publicare: niſi cauſa rationabilis impediat, videlicet conſanguinitas, vel aliud legitimum impedimentum, ab eccleſia recipienda ſunt, & comprobanda, tanquam a principio in conſpectu eccleſiæ contracta: ita ſcilicet quod confiteantur publice coram ſacerdote, & aliis pluribus perſonis, ſe matrimonium contraxiſſe: vel ſi de novo matrimonium contrahant de præſenti, eiſdem detur benedictio nuptialis, prius tamen injuncta pœnitentia, pro eo quod clandeſtine contraxerunt. Rurſus interdicimus diſtricte, & ſub pœna excommunicationis, ne pro benedictionibus nubentium, vel exequiis [C] mortuorum, ſeu ceteris eccleſiaſticis ſacramentis, a presbyteris vel clericis aliquid exigatur prætextu etiam alicujus conſuetudinis, quę dicenda ſit potius corruptela, ſed gratis & liberaliter conferantur omnia ſacramenta eccleſiaſtica: gratanter tamen, & cum gratiarum actione poſſunt poſtea recipere quæcumque ſponte ipſis fuerint præſentata. Item prohibemus, ne aliquis parochialis ſacerdos recipiat ad matrimonium contrahendum parochianum alterius, ignorante proprio ſacerdote. Si vero ſponſus & ſponſa de diverſis parochiis fuerint, matrimonium poterunt contrahere, & benedictionem nuptialem, in quacumque eccleſia voluerit: [D] proviſo quod litteras vel certos nuncios ſuorum presbyterorum habeant & oſtendant, continentes quod in eccleſiis, quarum ſunt parochiani, matrimonium denunciatum fuerit contrahendum, & quod ipſi presbyteri nullum ſciant, vel audierint impedimentum, quo minus legitime poſſit matrimonium celebrari. Licet autem parochianus eccleſiæ alicujus eximatur a jure parochiali perſonæ eccleſię, per tranſlationem domicilii in parochiam alienam: nihilo minus fiat denunciatio matrimonii contrahendi in illa eccleſia, in cujus parochia volentes matrimonium contrahere longam fecerint moram, & in illa in quam ſuum tranſtulerunt domicilium, & morantur: maxime, ſi de novo ſe tranſtulerint in parochiam alienam. Verumtamen [E] quia verba inutilia, & inconvenientia multoties ab aliquibus proferuntur tunc, cum datur benedictio nuptialis: præcipimus, quod in fine Miſſæ arræ benedicantur, & detur benedictio nuptialis. Quia ſępe contingit, quod propter aliqua impedimenta, ſponſus & ſponſa volentes matrimonium contrahere, tarde poſt celebrationem Miſſæ ad eccleſiam veniunt, & benedictionem nuptialem poſtulant ſibi dari: licet Miſſam non audierint illa die, detur eis benedictio nuptialis. Honeſtum tamen eſt, quod ſi poteſt fieri commode, Miſſam prius audiant, & in fine Miſſæ benedictionem accipiant nuptialem. Sunt autem quædam tempora, in quibus ſolemnitates nuptiarum fieri non debent, nec dari benedictio

ANNO CHRISTI 1284.

A dictio nuptialis: videlicet ab Adventu Domini uſque ad octavas Paſchæ completas, & a tribus diebus ante Aſcenſionem Domini, uſque ad Dominicam primam poſt Pentecoſten. Et in ipſa Dominica poſt Pentecoſten, & deinceps, poſſunt nuptiarum ſolemnitates legitime celebrari.

*De ſententia excommunicationis, & interdicti, & quomodo ſanis & infirmis beneficium abſolutionis ſit impendendum.*

Quia periculoſum eſt, maxime prælatis & eccleſiarum rectoribus, in ſubditos majoris excommunicationis ſententiam promulgare: prohibemus ne aliquis prior, ſeu rector, capellanus alicujus B eccleſiæ Nemauſenſis diœceſis, aliquem majori excommunicatione præſumat generaliter, vel ſpecialiter excommunicare, etiamſi alicui per litteras noſtras mandemus, quod aliquem per cenſuram eccleſiaſticam coerceat: quia tale mandatum, cum ipſum aliquando facimus, extendi volumus tantummodo ad ſententiam interdicti: quam ſententiam interdicti, rectores & ſacerdotes eccleſiarum parochialium curam animarum habentes proferre poterunt authoritate ſua, juſta de cauſa, cum viderint expedire. Dicitur autem major excommunicatio, cum dicit prælatus, excommunico te: & tali excommunicato nullus debet in aliquo participare, niſi in caſibus ſuperius notatis, quia talis excommunicatio major ſeparat excommunicatum a communione fidelium, & participatione, C ac perceptione ſacramentorum. Minor autem excommunicatio dicitur, cum quis communicat excommunicato majori excommunicatione: & tunc participans excommunicato, eſt remotus a perceptione ſacramentorum: ita non debet recipere Euchariſtiam, vel alia ſacramenta, quouſque fuerit abſolutus. Interdictum dicitur, cum dicit prælatus, interdico te, vel dicit, ſuppono te eccleſiaſtico interdicto; vel interdico, ſeu prohibeo tibi ingreſſum eccleſiæ: & talis interdictus, & ille qui eſt majori excommunicatione ligatus, non debent intrare eccleſiam, quamdiu ſunt in ſententia, ſed nec juxta eccleſiam ſtare, quando Divina officia celebrantur, nec debent recipere aliqua ſacramenta eccleſiaſtica. Sententia ſuſpenſionis dicitur, D quando prælatus dicit clerico, ſuſpendo te ab officio: & non debet tunc taliter ſuſpenſus aliquod officium principaliter facere in eccleſia, ſed poteſt intrare eccleſiam, & audire cum aliis officium in choro: ſi tamen * ſuſpenſus eſt ab officio Miſſæ, tunc præter Miſſam poteſt alia Divina dicere, & audire, & percipere, ac conferre alia eccleſiaſtica ſacramenta. Quia vero ſuperius diximus, quod rectores, & ſacerdotes eccleſiarum poſſunt proferre ſententiam interdicti: caveant & diligenter attendant, quod ſive mandato noſtro, ſive authoritate propria, ſententiam proferre voluerint interdicti, generaliter, vel ſpecialiter, ipſam in ſcriptis proferant, & cauſam expreſſe conſcribant, propter E quam interdicti ſententia proferatur, & eam ſcriptam in manibus teneant, & legant cum proferunt: quam ſententiam formare poterunt in hunc modum. Cum ego P. rector, vel capellanus talis eccleſiæ Nemauſenſis, monuerim ſemel, ſecundo, & tertio, ut de talibus decimis, & pecunia, is ſatisfaceret, ſeu legatis, vel tale quid faceret ut tenetur, & ipſe non curaverit obedire: ideo propter ejus contumaciam, in ſcriptis ſuppono eum eccleſiaſtico interdicto, vel dicat ſic, in ſcriptis ei ingreſſum eccleſiæ interdico: & ſic dicet, cum vult interdicere aliquem nominatim. Si autem in genere velit ferre ſententiam interdicti, dicet ſic. Cum ego

* leg. ſi tantum

A rector, vel capellanus talis eccleſiæ, monuerim generaliter omnes in tali eccleſia primo, ſecundo, & tertio, ut quicumque talam talem fecerit, vel ignem appoſuerit, vel tale furtum commiſerit, ut ſatisfacerent in die tali jam elapſo, & nullus ſatisfacere curaverit, ideo eum, vel eos, qui prædicta fecerint, in ſcriptis ſuppono interdicto eccleſiaſtico. Sciendum tamen eſt, quod ille, qui profert talem ſententiam, debet & tenetur exemplum ſcripturæ hujus ſententiæ ei, qui interdictus fuerit, tradere infra menſem poſt diem latæ ſententiæ, ſi fuerit requiſitus: ſuper qua receptione debet fieri publicum inſtrumentum, vel litteræ teſtimoniales confici ſub ſigillo authentico conſignatæ. Qui autem non ſervata forma prædicta ſententiam tule- B rit interdicti, per menſem unum ab ingreſſu eccleſiæ, ac Divinis, ipſo jure noverit ſe ſuſpenſum, prout in decretali nova plenius continetur, & ad expenſas, & omne intereſſe condemnabitur interdicto: nihilo minus alia pœna condigna juxta ſuperioris arbitrium punietur. Caveat ergo quilibet, ne prædictam ſuſpenſionis pœnam incurrat: quoniam ſi contigerit aliquem ſic ſuſpenſum Divina officia celebrare, vel exequi ſicut prius, videlicet Miſſam cantando, evangelium, vel epiſtolam legendo, ſeu alias canonicas horas inchoando, orationes, & capitula principaliter dicendo in eccleſia, irregularitatem incurret ſecundum canonicas ſanctiones, ſuper qua non niſi per ſummum pontificem poterit diſpenſari. Et quia periculo- C ſum eſt propter prædicta, interdicti ſententiam promulgare: præcipimus conſulendo, quod ad ferendam ſententiam prædictam non ſint aliqui nimis prompti, & ſemper præcedat trina monitio coram teſtibus ſententiam interdicti. Prohibemus autem, ne excommunicato majori excommunicatione, aliquis clericus, vel laicus ſcienter communicare præſumat in oratione, cibo, potu, vel oſculo, nec ſalutet eum: quod ſi fecerit, minorem excommunicationem incurret: & tali excommunicato communicans, ante abſolutionem non poterit, ſine mortali peccato recipere eccleſiaſtica ſacramenta; poteſt tamen reconciliari a ſimplici ſacerdote abſque juratoria cautione. Si vero ille cum quo participat excommunicatus eſſet D cum omnibus participantibus ſuis, vel communicantibus ſibi, vel ſi eidem excommunicato majori excommunicatione ſcienter communicet, præſtando ei conſilium, auxilium, vel favorem, in facto illo, ſeu crimine, pro quo eſt excommunicationis vinculo innodatus: majorem excommunicationem incurrit ille, qui tali excommunicato taliter communicat, & debet abſolvi præſtito juramento, nec poteſt abſolvi niſi per illum judicem, qui excommunicavit eum, cum quo participat in cibo, oratione, potu, oſculo, ſalutatione, vel dando ei in eo pro quo excommunicatus eſt, conſilium, auxilium, vel favorem: excepto mortis articulo, in quo quilibet excommunicatus poteſt abſolvi, etiam a ſimplici ſacerdote vel * clerico, ſicut E inferius continetur. Ille autem qui communicat ei, qui propter participationem alicujus excommunicati, ſicut dictum eſt, excommunicationis vinculo eſt innodatus, nullam propter hoc excommunicationem incurrit, quia in tertiam perſonam excommunicatio nulla tranſit. Si vero duos presbyteros ſimul, propter participationem alicujus excommunicati, minori contigerit tantum excommunicatione ligari: credimus quod alter alterum nihilo minus abſolvere poſſit. Sunt autem quædam perſonæ quæ ſine pœna minoris excommunicationis poſſunt participare, ſeu communicare illis, qui majore excommunicatione ſunt ligati, dum tamen non communi-

* [illegible] vide S. Tho. 4. diſt. 17. q. 3. a. 4.



ANNO CHRISTI 1284.

A municent in crimine pro quo ſunt excommunicati. Prædictæ perſonæ in quodam capitulo Gregorii intimantur: videlicet uxores, quæ poſſunt communicare maritis excommunicatis ſine pœna minoris excommunicationis. Item filii in patris poteſtate, poſſunt participare patribus ſuis excommunicatis. Item ſervi & ancillæ, ſicut ſunt Saraceni baptizati, & Saracenæ baptizatæ, qui & quæ poſſunt participare dominis ſuis excommunicatis. Item ſervientes, ſicut ſunt bubulci, paſtores, portarii, pediſequi, & conſimiles perſonæ, quæ ſerviunt pro mercede dominis ſuis, quæ poſſunt dominis ſuis excommunicatis communicare; ſi tamen ipſi domini, excommunicati fuerint poſtquam prædictæ perſonæ inceperunt ſtare cum eis: quia B non obſtante ſententia excommunicationis debent eis ſervire uſque ad terminum ſuum, ſed ultra non remanere cum eis, niſi ante fuerint abſoluti: quod ſi fecerint, minorem excommunicationem incurrent. Item poſſunt participare dominis ſuis excommunicatis, conſanguinei, nepotes, vel nutriti: qui cum ipſis dominis ante excommunicationem morabantur, & ſi ab eis recederent, unde viverent non haberent. Verumtamen ſi filii, uxores, nepotes, conſanguinei, ſervi, ancillæ, bubulci, paſtores, & perſonæ conſimiles ſuperius nominatæ, excommunicatæ fuerint: credimus quod patres, mariti, & domini prædictarum perſonarum, eas teneantur vitare quamdiu excommunicatæ fuerint, quia citius propter hoc abſolvi C procurabunt. Illi autem qui communicant alicui excommunicato, neſcientes quod excommunicatus eſſet, non incurrunt minorem ſententiam excommunicationis. Item peregrini, & viatores, qui tranſeunt per terram excommunicatorum, poſſunt ab eis emere neceſſaria ſua, & victualia, ſi non inveniant alios non excommunicatos a quibus emere poſſint. Item ſi excommunicatus potat eleemoſynam, cum non habet unde vivat, poteſt ſibi dari cauſa ſuſtentationis ne pereat fame, & etiam indumenta ne frigore moriatur: & ille qui dat, & qui communicat hac de cauſa, non incurrit minorem excommunicationem, immo bene facit. Item ſi excommunicatus debet alicui aliquid, poteſt petere ab eo debitum ſine aliqua pœna. Item poteſt D quilibet monere excommunicatum, quod ſe abſolvi faciat, & loqui cum eo de correctione, & aliis, quæ pertinent ad ſalutem animæ excommunicati: & licet tunc verba alia incidentia forſitan interponat, ut apud eum magis proficiat, non ideo minorem excommunicationem incurrit. Si vero aliquis clericus, vel laicus, minori excommunicatione ligatus tantummodo ſit, videlicet quod participavit ſimpliciter cum excommunicato, qui non erat excommunicatus cum participantibus ſuis: tutius facit ſi non intraverit eccleſiam, nec dixerit officium ſuum cum aliis in choro, ſi clericus eſt, antequam fuerit abſolutus. Si tamen intraverit eccleſiam cauſa orandi, cum ibi nihil dicitur, præſertim eccleſiam non conſecratam: non videtur E peccare taliter *, quia minori excommunicatione ligatus, non eſt remotus niſi a receptione ſacramentorum, quæ nec recipere, nec miniſtrare debet. Presbyter qui in tali excommunicatione ſcienter celebrat; peccat graviter; ſed nullam propter hoc irregularitatem incurrit. Peccat etiam, ſi conferat eccleſiaſtica ſacramenta: ſed ab eo collata, virtutis non carent effectu, cum propter talem minorem excommunicationem non videatur eſſe remotus a collatione ſacramentorum, ſed a receptione, ſicut ſuperius in eodem titulo eſt expreſſum. Item ſi aliquis clericus ſciens ſe eſſe excommunicatum majori excommunicatione, vel etiam interdi-

* ſi mortaliter

A ctum, aut ſuſpenſum ab officio, Divina officia ante abſolutionem celebrare præſumpſerit principaliter, ſcilicet cantando Miſſam, evangelium, ſeu epiſtolam, vel in eccleſia alias horas canonicas, orationes, ſeu capitula dicendo, in eccleſia ea efficiendo: irregularitatem incurret, ſuper qua non niſi per ſummum pontificem poterit diſpenſari. Debent tamen extra eccleſiam nihilo minus dicere officium ſub ſilentio horas ſuas clerici excommunicati majori excommunicatione, & interdicti, ſi ſunt in ſacris ordinibus conſtituti. Suſpenſus vero ab officio tantum, poterit intrare eccleſiam, & cum aliis clericis officium ſuum ſimpliciter audire, non principaliter dicere: ſicut ſuperius circa principium hujus tituli eſt tractatum. Ad hæc ſi excom- B municatus publice majori excommunicatione eccleſiam intret, dum Divinum officium celebratur: moneatur publice quod exeat. Et ſi exire noluerit, officium dimittatur, niſi ſacerdos canonem inceperit: quia tunc debet perficere officium jam inceptum. Sed omnes alii, qui tunc in eccleſia fuerint, debent exire de eccleſia, præter ipſum presbyterum celebrantem, & unum, vel duos clericos, qui pro ſerviendo ei presbytero poſſunt & debent remanere. Completo autem canone, & ſumpto corpore & ſanguine Jeſu Chriſti, excommunicato præſente non eſt in Miſſa amplius procedendum, ſed in eccleſia...... & excommunicatus noluerit de eccleſia exire, poteſt requirere dominum ſæcularem, quod ipſum expellat. Et poteſt, & debet C etiam talis excommunicatus, propter talem rebellionem ſeu contumaciam ſuam iterum excommunicari a ſuo prælato, & denunciari publice excommunicatus: nec debet ab hujus ſententia abſolvi niſi per ſedem apoſtolicam, ſicut eſt in Valentino * concilio conſtitutum. Verum ſi occultum eſt, illum eſſe excommunicatum majori excommunicatione qui intrat eccleſiam, & eſt ibi aliquis qui ſecreto ſciat eum eſſe excommunicatum: monendus eſt ab eo ſecreto, quod exeat caute de eccleſia, *ille* qui ſcit ſecreto ipſum eſſe excommunicatum: ita quod alii, qui eum excommunicatum ignorant, non poſſint hoc cognoſcere: quia cum occulte ſciat ipſum eſſe excommunicatum in occulto, vitandus eſt ab eo, ut ſaltem verecundiæ rubore confuſus D pro patenti exceſſu ſatisfacere compellatur. In publico autem ſeu manifeſto, talis occulte excommunicatus vitari non debet, ne propter ipſius peccatum excommunicatio aliis reveletur. Eodem modo ſi ſacerdos ſciat pro certo aliquem eſſe excommunicatum majori excommunicatione, non debet eum vitare publice, ſeu manifeſte, in eccleſia vel extra, niſi poſſit per teſtes, vel alio modo legitime hoc probare; tunc enim poteſt & debet eum vitare publice, licet talis excommunicatus nondum ſit in eccleſia, vel per eccleſiam, publicatus. Sed ſi per teſtes, vel alio modo legitimo, non poteſt ſacerdos probare eum excommunicatum, videlicet quia ipſe ſolus vidit, vel cum uno ſocio tantum, vel ipſe in ſecreto hoc ſibi revelavit: de- E bet eum monere ſecreto, & vitare ſecreto, ita quod a nemine cognoſcatur, ſicut ſuperius proximo eſt expreſſum. Item ſi dicatur alicui ſacerdoti in eccleſia, vel extra, quod aliquis parochianus ſuus ſit excommunicatus, quia percuſſit clericum, vel alia de cauſa: licet plures hoc aſſerant, non tamen ſacerdos debet eum tanquam excommunicatum vitare in eccleſia, vel extra, niſi coram eo & teſtibus confeſſus fuerit, vel niſi publica fama fuerit eum eſſe excommunicatum, vel niſi ſacerdos hoc viderit, & probare poſſit, vel niſi aliquis judex eccleſiaſticus ſibi mandaverit, quod eum tanquam excommunicatum faciat evita-

* Ann. 1248. c. 17.

evitari. Quamvis enim aliqui vellent coram ſacerdote probare, talem eſſe excommunicatum: non debet tamen ſacerdos authoritate ſua teſtes ſuper hoc recipere, cum ſuper hoc non habeat poteſtatem. Sane quia aliquando excommunicatur aliquis a diverſis judicibus juriſdictionem in eum habentibus, & pro cauſis diverſis: ſi fuerit ab uno de illis judicibus pro una cauſa abſolutus, adhuc tamen tanquam excommunicatus vitandus eſt, quouſque ab omnibus judicibus, a quibus fuerat excommunicatus, fuerit abſolutus. Si autem ab uno judice tantum, pro cauſis diverſis, & pluries fuerit excommunicatus, & ille judex abſolvat eum, una cauſa tantummodo in abſolutione expreſſa: adhuc remanet excommunicatus, & vitari debet, donec de omnibus cauſis, pro quibus excommunicatus fuerat, ſatisfecerit, & fuerit pro omnibus abſolutus. Excommunicatos quoque, & nominatim interdictos, ſive a nobis, ſive ab aliis quibuſcumque judicibus fuerint excommunicati, vel interdicti, per totam noſtram diœceſim ab omnibus regularibus, & ſæcularibus exemptis, diſtricte præcipimus evitari in Divinis officiis, & eccleſiaſticis ſacramentis, quia nullis poſſunt apoſtolicis privilegiis ſe tueri, quo minus excommunicatos, & nominatim interdictos teneantur, & debeant in Divinis officiis evitare. Quod ſi Templarii, & Hoſpitalarii, vel alii regulares quicumque, etiam exemptos vel nominatim interdictos recipere præſumpſerint ad Divina, vel eccleſiaſticam ſepulturam, vel celebrare in eccleſia interdicta: eccleſiæ, in quibus iſta præſumpſerint, ſubjaceant interdicto, ſalvis privilegiis Templariorum, & Hoſpitaliorum, quibus a ſede apoſtolica eſt indultum, ut ſemel in anno ad eccleſiaſticum officium admittantur in eccleſia interdicta, ita tamen quod tunc non ſepeliantur ibi corpora defunctorum. Sunt hæc omnia in concilio Laterano, & in decretali Alexandri papæ tertii continentur. Illi enim qui in eccleſiis interdictis præſumunt ſcienter Divina officia celebrare: ab officiis, & beneficiis ſunt ſuſpendendi. Cum aliquam civitatem, villam, ſeu caſtrum, ſupponi contigerit eccleſiaſtico interdicto: omnibus parochianis illius loci negentur ibi omnia eccleſiaſtica ſacramenta, præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias morientium, & corpus Chriſti, quod non debet decedentibus, in pœnitentia denegari. Et ideo permiſſum eſt eccleſiarum miniſtris tempore talis interdicti, non pulſatis campanis voce ſubmiſſa, januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis: ſemel in hebdomada Miſſarum ſolemnia celebrare cauſa conficiendi corpus Domini, quod, ut dictum eſt, non eſt decedentibus in pœnitentia denegandum. Recipientibus etiam ſignum crucis non eſt tempore talis interdicti pœnitentia, cum eam poſtulaverint, deneganda; quod etiam ſervari debet in aliis peregrinis. Clerici quoque decedentes, qui ſervaverint interdictum, in cœmeterio eccleſiæ ſine campanarum pulſatione, ceſſantibus ſolemnitatibus omnibus, tempore talis interdicti cum ſilentio tumulentur. In conventualibus etiam eccleſiis tempore talis interdicti, bini & bini, vel ſimul tres, horas canonicas valent legere potius, quam cantare, januis clauſis, interdictis & excommunicatis excluſis, & voce demiſſa, quod exterius audiri non poſſit. Si autem clerici alicujus loci, qui locus ob culpam hominis, vel domini ejuſdem loci, eſt ſuppoſitus interdicto, ad alia loca non interdicta advenerint, vel ſe tranſtulerint: licite poſſunt audire Divinum officium in locis non interdictis, & etiam Divina officia celebrare. Volumus etiam, & concedimus, ut cum a nobis aliqua eccleſia noſtræ diœceſis, ob culpam rectoris vel prioris ejuſdem, fuerit interdicto ſuppoſita, conferantur nihilo minus ibidem omnibus parochianis ejuſdem eccleſiæ omnia eccleſiaſtica ſacramenta, præter Miſſas, & alias horas canonicas, quas prohibemus in ipſa eccleſia, quandiu interdicta fuerit, celebrari. Et ſi tunc aliquem parochianorum ejuſdem eccleſiæ mori contigerit: ſine campanarum pulſatione, & ceſſantibus aliis ſolemnitatibus, quæ fiunt in eccleſia in exequiis mortuorum, ſimpliciter mittatur intra eccleſiam, & poſtmodum in cœmeterio tumuletur: & hæc ex gratia concedimus, ut laicorum ſcandalum evitetur. In hoc etiam caſu, parochiani illius eccleſiæ a nobis interdictæ poterunt audire alibi Divina officia, ſi ad alias eccleſias acceſſerint, quæ non ſint ſuppoſitæ eccleſiaſtico interdicto. Ultimo videndum eſt qualiter, & a quibus, infirmi excommunicati vel interdicti, in mortis articulo ſint abſolvendi. Et quidem ſi infirmus, vel aliquis alius in mortis articulo conſtitutus, excommunicatus vel interdictus fuerit, occulte vel manifeſte, propter violentam manuum injectionem in clericos factam, vel propter violationem eccleſiarum, incendium, furtum, contumaciam, vel propter quamlibet aliam cauſam, ſive ſit excommunicatus, vel interdictum a papa, archiepiſcopo, epiſcopo, judice delegato, ſive a quolibet alio judice: abſolvat eum ſacerdos, ſive ſit ejus parochianus, ſive non, vel etiam quilibet clericus, ſi ſacerdos haberi non poteſt, ſervando diligenter abſolutionis formam, quæ inferius continetur. Si enim propter violationem eccleſiarum, incendium, furtum, rapinam, decimas, primitias, legata, debita, talas, foriſfacta, vel propter damna alicui contra juſtitiam illata; infirmus autem in mortis articulo conſtitutus, ſit excommunicatus occulte, vel interdictus, & occulte ſibi petat a ſacerdote abſolutionem & pœnitentiam exhiberi: præcipiat ei ſacerdos occulte antequam eum abſolvat, quod, ſi habet rem illam, incontinenti reſtituat, vel ejus pretium, ſi illa res haberi non poterit: & reſtituetur per illum ſacerdotem ſuppreſſo nomine pœnitentis, & ſi in toto non poteſt ſatisfacere, faciat juxta poſſe. Et præcipiat ſuis heredibus, quod ſi de illa infirmitate contigerit ipſum mori, ad cognitionem ſacerdotis ſatisfaciant pro eodem: & recepto juramento ab ipſo infirmo interdicto, vel excommunicato, quod ſtabit mandatis eccleſiæ, abſolvat eum occulte ſacerdos dicendo pſalmum, *Miſerere mei, Deus*, vel *Deus miſereatur noſtri*, & *Kyrie eleiſon*. *Pater noſter*. *Salvum fac ſervum tuum Domine*. *Domine exaudi orationem meam*. *Dominus vobiſcum*. *Oremus Deus cui proprium eſt miſereri*. Poſtea dicat: *Authoritate qua fungor, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis, quo ligatus eras pro tali facto, & præcipio tibi, quod de cetero talia vel conſimilia facere non præſumas*. Si autem propter gravem infirmitatem, mortis periculum excommunicato immineat, & occaſione reſtitutionis faciendæ non poteſt differri abſolutio ſine periculo magno: ſi excommunicatus reſtituendi habeat voluntatem, recipiat ſtatim ſacerdos ab ipſo excommunicato juramentum de ſtando mandatis eccleſiæ, & abſolvat eum præcipiendo ſibi occulte in virtute præſtiti juramenti, ut quam cito commode poterit ſatisfaciat juxta poſſe, & quod præcipiat ſuis hæredibus, quod ſatisfaciant pro eodem. Si vero talis infirmus occulte interdictus, vel excommunicatus, tam pauper ſit, quod non habeat in toto, vel in parte, unde ſatisfacere poſſit: recepto ab ipſo juramento de ſtando mandatis eccleſiæ, injungat ei ſacerdos quod ſi convaluerit, & ad pinguiorem fortunam pervenerit, ſatisfaciat juxta

Later. III.



juxta poſſe, & abſolvat eum juxta formam prædictam. Ceterum ſi manifeſtum eſt, vel fuerit, aliquem infirmum excommunicatum eſſe vel interdictum propter rapinam, decimas, primitias, debita, vel aliqua alia, ad quorum reſtitutionem vel emendam teneatur: præcipiendum eſt ei manifeſte, quod reſtitutionem, vel ſolutionem incontinenti faciat. Quod ſi forte non habet rem, quæ debet reſtitui, nec ejus pretium, vel non eſt præſens ille cui reſtitutio facienda: recipiat ſacerdos firmam ſecuritatem ab ipſo infirmo per fidejuſſores, ſeu pignora, quod ipſe vel heredes ſui, reſtitutionem vel emendam facient juxta poſſe. Facta ſecuritate recipiat ſacerdos nihilo minus publice juramentum ab excommunicato vel interdicto, quod ſtabit mandatis eccleſiæ, vel judicis, ſi propter hoc a judice excommunicatus erat: & abſolvat eum juxta formam prædictam. Si autem talis infirmus manifeſte excommunicatus, vel interdictus, tam pauper ſit, quod nec ad reſtitutionem, vel in toto, vel in parte, poſſit ſatisfacere, nec ſecuritatem præſtare recepto juramento ab ipſo de ſtando mandatis eccleſiæ, vel judicis, ſi propter hoc a judice excommunicatus erat: injungat ei in virtute præſtiti juramenti, quod ſi convaluerit, & ad pinguiorem fortunam venerit, ſatisfaciat juxta poſſe de eo, pro quo eſt excommunicatus, & abſolvat eum juxta formam prædictam. Si autem infirmus fuerit excommunicatus propter contumaciam, videlicet quod citatus a judice noluerit ſtare juri, vel judicio comparere: recipiat ſacerdos ſimpliciter juramentum ab ipſo coram teſtibus, quod ſtabit mandatis illius judicis, qui eum excommunicavit. Quo recepto abſolvat eum juxta formam prædictam, & præcipiat ei, quod ſi convaluerit, compareat quam cito commode poterit, coram illo judice, facturus quod de jure fuerit faciendum. Si vero propter verberationem clerici, vel alicujus religioſæ perſonæ, infirmus excommunicatus ſit: recipiet ſacerdos ſimiliter juramentum ab eo, quod ſtabit mandatis eccleſiæ, & abſolvat eum, præcipiendo ſibi quod ſi convaluerit, accedat perſonaliter ad dominum papam, vel ejus legatum, mandatum ipſius humiliter recepturus. Si tamen talis excommunicatus ſit ſenex, vel femina, vel unum pedem tantum habens, vel puer infra quartum decimum annum conſtitutus: prædicto juramento ab ipſis, & abſolutione exhibita, præcipiendum eſt eis, quod ſi convaluerint, ad ſuum epiſcopum accedant, ejus mandatum humiliter recepturi. Ne vero ipſum infirmum, licet abſolutum, mori contigerit nulla ſatisfactione præſtita clerico de injuria, venia non petita: præcipiat ſacerdos eidem, quod ab ipſo clerico, ſi præſens commode haberi poteſt, petat veniam de injuria, quam ſibi fecit, & etiam alia damna, ſi quæ propter hoc paſſus eſt. Vel ſi non poſſet incontinenti de expenſis, & damnis datis ſatisfacere clerico injuriam paſſo: præcipiat infirmus ſuis heredibus, quod de prædictis ſatisfaciant pro eodem. Si autem excommunicati in infirmitate, juxta formas prædictas fuerint abſoluti, & recuperata ſanitate facere noluerint, quod jurarunt: mittantur ad nos cum litteris, de abſolutione obtenta & juramento præſtito continentibus veritatem, ut ad faciendum quod jurarunt, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Veruntamen licet aliquis excommunicatus, ſanus vel infirmus, de parendo mandatis eccleſiæ vel judicis præſtiterit juramentum, vel aliam cautionem: non eſt tamen communicandum eidem, quouſque fuerit abſolutus.

### *De perjuris & pœnis ipſorum.*

Quia ex frequenti & incauta juratione perjurium ſæpe contingit: ſtatutum eſt in jure, & nos præcipimus fortiter obſervari, ut nullus clericus præſumat jurare abſque noſtra licentia ſpeciali, niſi ſuper publicationibus teſtamentorum, & cauſis eccleſiarum ſuarum, in quibus damus eis jurandi licentiam generalem. Statutum eſt etiam in clero Nemauſenſi, ut quicumque in tranſgreſſione juramenti manifeſte fuerit deprehenſus, in eccleſia denuncietur perjurus. Quod ſi admonitus ſatisfacere noluerit, tunc excommunicetur candelis accenſis, & pulſatis campanis, ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis, & denuncietur inteſtabilis, & infamis, nec ad teſtimonium, vel ad alios actus legitimos admittatur. Et hanc pœnam præcipimus frequenter in eccleſia publicari. Sed nolumus quod aliquis ſacerdos aliquem parochianum ſuum denunciet perjurum, vel infamem: niſi a nobis, vel archidiacono noſtro, ſeu officiali noſtro, vel alio judice, mandatum ſuper hoc receperit ſpeciale. Statutum eſt etiam in concilio Avenionenſi [a] per legatum ſedis apoſtolicæ celebrato, contra publice perjuros, ſeu convictos de perjurio, & eos, qui pertinaciter in excommunicatione per ſex menſes permanſerint, pro eo quod ſunt faciles homines ad perjuria, & ad cenſuram eccleſiaſticam contemnendam: ut nulli epiſcoporum liceat abſolvere hujuſmodi excommunicatos, qui per ſex menſes excommunicationem ſuſtinuerint animo indurato; ſed ad ſedem apoſtolicam abſolvendi, ſicut ſacrilegi & incendiarii, tranſmittantur. Perjuris vero, præter aliam ſatisfactionem, ut dictam ſedem apoſtolicam adeant, in pœnitentia injungatur. Si forte clerici fuerint, in utroque caſu ab officio & beneficio eccleſiaſtico penitus repellantur: ad quorum neutrum reſtitui valeant, niſi per ſummum pontificem, vel legatum ipſius. Et hoc ſtatutum præcipimus per eccleſias publicari, ne aliquis poſſit poſtmodum per ignorantiam excuſari.

[a] An. 1209. can. 1.

### *De perfidis Judæis.*

Præcipimus ut Judæi in Nemauſenſi diœceſi commorantes, omni tempore in medio pectoris roſam portent, ut per hanc a Chriſtianis diſcernantur: & in diebus lamentationum, & Dominicæ paſſionis, in publicum non procedant: nec occaſione puerorum ſuorum nutriendorum, vel alia qualibet cauſa, nutrices, ſeu ſervientes teneant in domibus ſuis Chriſtianas: & ſi contra præſumſerint, omnibus Chriſtianis inhibeatur diſtricte, ne cum eis audeant aliquod commercium exercere. Interdicimus quoque, ne Judæi ipſi in diebus Dominicis & feſtivis, præſumant publice operari; & ne carnes ſuas vendant, vel eas comedant publice in Quadrageſima, ſeu aliis diebus, in quibus ab eſu carnium abſtinent Chriſtiani. Quod ſi contra prædicta fecerint, Chriſtianorum participatio, ſeu communio, uſque ad ſatiſfactionem condignam, eis in commerciis & omnibus aliis denegetur. Sub pœna excommunicationis inhibemus, ne quis Chriſtianorum, carnes refutatas [b] a Judæis in macello Chriſtianorum præſumat vendere, vel alibi infra villam, præcipientes, ut omnes Chriſtiani vitent convivia Judæorum, nec eos ad convivium recipiant: quia cum ipſi apud Chriſtianos cibis communibus non utantur, indignum, atque ſacrilegum eſt eorum cibos a Chriſtianis ſumi, cum ea quæ Domino Jeſu permittente nos ſumimus, ab illis judicentur immunda.

Nullus

[b] f. ſaccas: Vide Concil. Narb. ann. 1227. cap. 2. Et Biterr. ann. 1246. cap. 38.

ANNO CHRISTI 1284.

Nullus etiam Chriſtianus, vel Chriſtiana, azyma Judæorum manducet, aut cum eis in eadem domo habitet, nec aliquem eorum pro medico in infirmitatibus vocet, aut aliquam medicinam recipiat, aut cum eis balneo ſe lavet: nec eis ſupra Chriſtianos bailiviæ, aut aliqua publica officia committantur, ne in Chriſtianos occaſionem habeant ſæviendi. Chriſtiani vero qui non ſervaverint prædicta, monitione præmiſſa, excommunicationis ſententiæ ſupponantur. Item volumus, & diſtricte præcipimus, ut nullus invitos vel nolentes paganos, Judæos, ſeu quoſcumque alios infideles, ad baptiſmum venire compellat. Si quis autem eorum ad Chriſtianos cauſa ſuſcipiendæ fidei confugerit: poſtquam voluntas ejus fuerit eccleſiæ patefacta, Chriſtianus efficiatur, abſque contradictione & calumnia aliquorum, & etiam dominorum: nec a poſſeſſionibus, ſeu aliis bonis ſuis, propter hoc ullatenus excludatur. Baptizati tamen ſervitia debita & conſueta non minus debent propriis dominis exhibere: ſi tamen eorum domini fuerint Chriſtiani, quia in hoc caſu ſervi remanent poſt baptiſmum. Tamen ſi eorum domini Judæi fuerint, vel alii infideles; baptiſmus a talium dominorum ſervitio ipſos penitus liberavit.

*Poſt omnia ſupradicta ponuntur hic quædam capitula non habentia titulos ſpeciales.*

Diſtricte prohibemus, ne aliquis rectoriam, ſeu vicariam alicujus eccleſiæ ſitæ in diœceſi Nemauſenſi, præſumat ab aliquo recipere, niſi nobis prius fuerit præſentatus, & a nobis illius eccleſiæ curam receperit animarum. Inhibemus autem, ne aliquis curam animarum alicujus eccleſiæ a nobis ſibi commiſſam, vel committendam, ſingulis annis in ſynodo beati Lucæ præſumat uſque ad aliam ſynodum ejuſdem feſti beati Lucæ dimittere, noſtra licentia non obtenta. Præcipientes diſtricte, quod rectores, vel ſacerdotes parochiani, ſingulis annis ad utramque ſynodum veniant, & ſtent in ſynodo beati Lucæ cum cappis rotundis, & in ſynodo Paſchali cum ſuperpelliciis, in eccleſia dum ſynodus celebratur. Inhibemus ne aliquis præſumat curam duarum eccleſiarum recipere, nec etiam exercere ſine noſtra licentia ſpeciali, niſi una dignoſcatur ex altera pendere. Item prohibemus ne aliquis prior, vel rector alicujus eccleſiæ ſive regularis fuerit, ſive etiam ſæcularis, præſumat in eccleſiam ſuam ponere aliquem capellanum ad curam animarum exercendam, ſine noſtro conſilio & conſenſu. Item in eccleſiis parochialibus, in quibus monachi habitant, populus per monachos non regatur, nec ſinguli monachi, per quaſcumque ponantur eccleſias parochiales, ſed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus ſuis maneant, ſicut eſt in Lateranenſi concilio conſtitutum. (Later. III. c. 10.) Præcipientes autem authoritate domini papæ, qua fungimur in hac parte, quatenus ſtatuta ſuper rememoratione * monachorum a felicis recordationis domino Gregorio papa edita, monachi ſtudeant obſervare. (* ſ. commonitione.) Inhibemus quoque, ne ab abbatibus, vel quibuſcumque regularibus, ſeu ſæcularibus clericis noſtræ diœceſis, novi cenſus imponantur, nec veteres augeantur, nec partes reddituum præſumant ſuis utilitatibus applicare, nec portionem debitam & antiquam clericorum, qui per eos ad eccleſiam præſentantur, diminuant; nec eccleſias, cum vacaverint, propriis uſibus applicent, ad quas conſueverint clerici ſæculares pro rectoribus, ſeu perpetuis vicariis, præſentari. Si quis vero contra fecerit, irritum, quod egerit, habeatur. Item prohibemus diſtricte, ne aliquis futuros redditus alicujus eccleſiæ noſtræ diœceſis emat, recipiendo ad firmam ipſam eccleſiam cum redditibus ipſius eccleſiæ ſub certo pretio, ſine conſilio & aſſenſu * (* Add. noſtro.): niſi prior, ſeu rector illius eccleſiæ, ad ſtudium theologiæ ire voluerit: & tunc etiam regularibus, vel laicis, ad firmam eccleſiam etiam ante factum concedere non præſumat. Item prohibemus, ne aliquis prior ſeu rector alicujus eccleſiæ Nemauſenſis diœceſis, præſumat tenere aliquem ſacerdotem alterius diœceſis: niſi prius eum cum litteris teſtimonialibus ſui epiſcopi præſentaverit coram nobis. Item inhibemus, ne aliquis presbyter qui profeſſionem fecerit, ſeu obedientiam regularem, licet nondum habitum ſuſceperit, præſumat ſine noſtra licentia curam animarum exercere in diœceſi Nemauſenſi: diſtricte præcipientes, quod regulares converſi *, ſive clerici, ſive laici fuerint, deferant habitum regularem, & vivant ſine proprio, atque caſte. (* ſ. regul. univerſi.) Item prohibemus, ne capellani parochialium eccleſiarum noſtræ diœceſis, a parochianis ſuis in infirmitate conſtitutis donationes recipiant bonorum ſuorum: niſi eis aliqua conſanguinitatis linea ſint conjuncti, vel niſi nomine eccleſiarum donationes receperint ſupradictas: quia in fraudem eccleſiarum, & ipſorum etiam infirmorum, qui tales donationes capellanis ſeu ſacerdotibus parochialibus faciunt, multoties ab ipſis ſacerdotibus occulte hæc procurantur fieri ſub ſpecie caritatis. Sub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis officii diſtricte præcipimus omnibus ſacerdotibus noſtræ diœceſis, ne damna data, ſeu foriſfacta, ſibi, ut aliis reſtituant, in pœnitentia reſtituta, differant reſtituere, vel ſibi retinere præſumant, ſed illis reſtituant integraliter ſine mora, & fraude, quibus eſt reſtitutio facienda. Qui autem contra hæc fecerit, comperta ſuper hoc veritate, quæ receperit, cum verecundia compellatur reddere, & tantundem pauperibus erogare: & ſi reſtituere, vel de pœna ſatisfacere nequiverit, alia pœna gravi juxta noſtrum arbitrum punietur.

Quia pro certo didicimus quod quidam clerici, ob amorem & gratiam clericorum amicorum ſuorum, vel etiam laicorum, poſſeſſiones aliorum violenter invadunt, vindemiando vineas, ſegetes & fructus alios colligendo, atque aliquos occaſione hujuſmodi frequenter verberant, & etiam vulnerant, propter quod contra clericos magnum ſcandalum in populo generatur: hæc ſub pœna excommunicationis fieri diſtrictiſſime prohibemus. Et ſi quis contra fecerit, fructus, quos de poſſeſſionibus aliorum, contra quos quæſtionem non habet, ob amorem & gratiam alicujus collegerit, reddere compelletur. Et ſi plures hoc ſimul fecerint, unuſquiſque totaliter compelletur, donec plene, quod oblatum eſt, fuerit reſtitutum: & alia pœna juxta noſtrum arbitrium a nobis nihilo minus punietur. Qui vero occaſione invaſionis prædictæ vel alia de cauſa ob gratiam & amorem alterius, vulnerare aliquem, ſeu verberare præſumpſerit: de noſtra diœceſi expelletur, graviori pœna, ſi culpæ qualitas poſtulaverit, puniendus: nec reſtituetur, donec paſſo injuriam ſatisfecerit petenti. Quidam clerici ſibi dono vel pretio a laicis cedi faciunt actiones, ut adverſarios ad eccleſiaſticum forum trahant, & eos, quouſque cum eis compoſuerint, fatigent laboribus, & expenſis: quod fieri de cetero prohibemus. Eleemoſynarum quæſtores, quorum quidam ſe alios mentiendo, abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponunt, admitti, ſeu recipi, niſi apoſtolicas, ſeu noſtras, vel domini archiepiſcopi Narbonenſis litteras veras exhibeant, prohibemus: & tunc præter id, quod



ANNO CHRISTI 1284.

quod in ipſis litteris continetur, nihil populo proponere permittantur; nec cartelli, ſeu cedulæ recipiantur ab eiſdem, nec remiſſiones factæ per alios, quam per dominum proprium, vel dominum Narbonenſem archiepiſcopum, ſeu per nos, in eccleſia recitentur; nec cruces, ſeu aliquas reliquias populo oſtendere permittantur, nec ab eiſdem quæſtoribus occaſione faciendi quæſtam aliquid requiratur.

Præcipimus quod feſta, quæ tam a clericis, quam a laicis Nemauſenſis diœceſis, eccleſia præcipit coli, & etiam venerari, non frangantur occaſione eleemoſynæ, piis locis vel pauperibus erogandæ. Item ad tollendam quorumdam dubietatem de celebrando feſto beati Matthiæ, & jejuniis quatuor temporum in Septembri, ſtatutum fuit in Concilio Narbonenſi, ut ſemper in anno Biſſextili poſteriore die celebretur feſtum S. Matthiæ, & in quarta feria, quæ tertia proximo primo menſe Septembri occurrerit, jejunia quatuor temporum celebrentur.

Statuimus præcipiendo, quod quilibet presbyter, in principio ſui presbyteratus, faciat fieri & habeat veſtes ſacerdotales proprias, cum quibus valeat, cum mortuus fuerit, ſepeliri.

Prohibemus diſtricte, ne aliqui clerici Nemauſenſis diœceſis, ab alieno epiſcopo ſe permittant vel faciant ordinari, ſine noſtra licentia, & aſſenſu: quod ſi fecerint, executionem ordinis non habebunt, ad quem non reſtituentur, quouſque condignam egerint pœnitentiam de tranſgreſſione hujuſmodi & contemptu.

Quia parochialis ſacerdos erga parochianos, in omnibus ſuis actibus atque dictis, patientem ſe debet oſtendere, & benignum, ut per ipſius ſacerdotis vitam laudabilem, & humilitatis exemplum eos invitet ad devotionem Divini officii, & peccatorum ſuorum confeſſionem eidem ſacerdoti libentius & ſecurius faciendam: diſtrictius inhibemus, ne aliquis ſacerdos parochialis præſumat temeritate qualibet, ſuam parochianam vel parochianum verberare, aut eis verba contumelioſa & injurioſa dicere, per quæ præſumi poſſit, eos furtum, adulterium, ſeu alia crimina commiſiſſe. Quia illi qui talia verba dici audiunt a parochialibus presbyteris, credunt de facili eſſe vera, cum peccata parochianorum ſuorum audierint in pœnitentia, quod verbo, ſigno, nutu, non debet alicui revelare. Presbyter vero qui contra præſentem prohibitionem noſtram facere præſumpſerit, ab illa parochia, in qua iſta commiſerit, removebitur: nec ibi, nec alibi recipiet curam animarum, donec de tanto exceſſu dignam egerit pœnitentiam, & paſſis injuriam ſatisfecerit competenter.

Diſtricte præcipimus, ut in illis locis, in quibus poſt ſonitum campanæ ſeu buccinæ, de nocte laici ire ſine lumine prohibentur, clerici eamdem prohibitionem debeant obſervare. Alioquin pœnis, quæ propter hoc laicis imponuntur, eos volumus ſubjacere: quas per capellanos locorum illorum, nomine noſtro ab ipſis clericis exigi volumus, & mandamus. Et ſi eam noluerint ſolvere requiſiti, eamdem pœnam duplicatam ſolvere compellentur. Et idem de banno fructuum diſtricte præcipimus obſervari, ut per hoc laicorum ſcandalum evitetur, & clerici ab illicitis arceantur.

Cum ex officii noſtri debito teneamur exceſſus corrigere ſubditorum, ne ſanguis ipſorum de noſtris manibus exigatur, & publicæ utilitatis interſit, ne crimina maneant impunita: volumus, & ſub pœna excommunicationis præcipimus diſtricte, ut ſi quis clericus homicidium, ſacrilegium, incendium, vel furtum *, in noſtra diœceſi manifeſte repertus fuerit, vel aliquem atrociter, niſi fecerit defendendo, vulneraſſe, capiatur per archidiaconum, ſi præſens fuerit, vel per archipresbyterum; vel ſi archipresbyter præſens non fuerit, per priorem canonicum, vel per rectorem, ſeu capellanum illius eccleſiæ, in cujus parochia prædicta crimina commiſſa fuerint, capiatur, & captus apud Nemauſum ad nos per clericos adducatur, adjunctis aliquibus laicis, ſi opus fuerit ad violentiam repellendam, ſi forte per aliquos inferri timeretur. (* Deeſt fo-ſſe.)

Diſtricte præcipimus quod clerici conjugati volentes gaudere privilegio, coronam, & tonſuram publice portent, ſi tamen bigami non fuerint; vilia non exerceant, nec portent veſtes rubeas, vel virgatas.

Item prohibemus ...... *Cetera deſunt.*

# ** SYNODUS PICTAVENSIS

## Galteri epiſcopi, anno Domini MCCLXXXIV.

Ex MS. Collegii Pariſ. Societ. Jesu.

Conſtitutiones ſynodales factæ in ſynodo S. Lucæ, præſidente Galtero Dei gratia Pictavenſi epiſcopo, anno Dom. MCCLXXXIV.

### TITULI CAPITUM.


1. *Ut præſentibus excommunicatis Divina non celebrentur.*
2. *Ne obtinenti eccleſiam capellania conferatur, aut contra.*
3. *Ne quis ſacramenta accipiat a ſacerdote poteſtatem non habente.*
4. *De decimis.*
5. *Quod in prioratibus vacantibus ſufficiens proviſio dimittatur.*


### CAPUT PRIMUM.

*Ut præſentibus excommunicatis Divina non celebrentur.*

SACRIS canonibus eſt definitum, quod cum excommunicatis majore excommunicatione, quæ a participatione ſacramentorum, & communione fidelium ſeparat, cibo, potu, ſalutatione vel oſculo, locutione vel oratione, aut aliter, niſi in his quæ ad ſalutem animæ pertinent, non eſt voluntarie participandum; immo fugiendi ſunt a Chriſti fidelibus ſicut ethnici, ſeu etiam publicani: & quia contrarium facientes mortale peccatum committunt, & notam minoris ſententiam excommunicationis, quæ a participatione ſacramentorum ſeparat, incurrunt. Hoc non advertentes multi eccleſiarum rectores & prælati, ac ſimplices ſacerdotes, excommunicatos, ſive ab homine, ſive a canone, ſive

ſive a provincialibus, ſive a ſynodalibus conſtitutionibus, & publice denunciatos, non verentur ad Divina & ſacramenta eccleſiaſtica admittere, & cum eis cibo, potu, oratione, benedictione, ſalutatione, & aliter, participare damnabiliter. Ex qua quidem participatione non ſolum ſe inficiunt, immo & alios lædunt, quibus contemnendi excommunicationem & cenſuram eccleſiaſticam tribunt incentivum. Cum ergo tales ſint gravius puniendi, quam laici, quos debebant talibus coercere, eiſdem exemplum abſtinendi a talibus impertiri præſenti conſtitutione ſpecialiter inhibemus, vel potius inhibitionem a jure circa hoc factam, pœnam adjiciendo, innovamus; ſcilicet, ne eccleſiarum rectores vel prælati, ſeu quilibet ſacerdos, præſentibus excommunicatis majori ſpecie excommunicationis, in eccleſiis, poſtquam ipſos ibi eſſe ſciverint, Divina audeant celebrare, ſed requirant vel requiri faciant, ut inde exeant. Et ſi ipſi excommunicati inde exire noluerint, vel ſine ſcandalo exire potuerint [a]: non ſolum ab ipſorum Divinorum inchoatione deſiſtant, ſed etiam inchoata dimittant; excepto canone Miſſæ, qui [b] ſi a ſacerdote, poſtquam adverteret & ſciret excommunicatum eſſe in eccleſia, fuerit inchoatus, cum contumacia exigat aliquatenus intromitti [c]: ita tamen quod tunc non alta, ſed ſubmiſſa voce, dicatur; & quod excommunicatis, vel etiam interdictis, benedictionem nuptialem, eccleſiaſticam ſepulturam, vel alia eccleſiaſtica ſacramenta, non audeat miniſtrare; nec cum dictis excommunicatis, potu, cibo, ſalutatione, locutione, oratione, vel aliter, niſi in caſibus a jure permiſſis, communicationem vel participationem aliquam habere. Quemlibet vero contrarium facientem ſtatuimus, pro offenſa qualibet hujuſmodi, quadraginta ſolidorum pœna mulctandum, juxta epiſcopale arbitrium in uſus pauperum convertenda: quam tamen pœnam, ſecundum modum delicti, & ſecundum facultatem delinquentis, poterimus minuere vel augere: pœnis a jure permiſſis contra ipſos, & alios, participantes cum excommunicatis, in ſuo robore duraturis.

[a] leg. non pp.
[b] Videtur tollendum qui.
[c] leg. intermitti.

### II. *Ne obtinenti eccleſiam, capellania conferatur; aut contra.*

Cum vero invenietur aliquis, qui commiſſum ſibi officium regiminis animarum per ſe ſufficienter poſſit explere: abſurdum videtur, quod aliqui tantum de ſe præſumant capellanias una cum ipſis eccleſiis, ſe idoneos reputantes, ipſas capellanias tum ipſis eccleſiis parochialibus retinere ac recipere non verentur. Ex quo contingit in ipſis parochialibus eccleſiis ſæpius curam negligi damnabiliter animarum; quia dum ad utrumque feſtinant, neutrum peragunt prout decet. Verum ſuper hoc nos occurrere volentes, ſtatuimus quod nullus parochialem habens eccleſiam, ad capellaniam, vel habens capellaniam, ad parochialem eccleſiam, de cetero præſentetur, nec eidem conferatur, nec ad eamdem admittatur, niſi fuerit fundator capellaniæ; vel niſi hoc proceſſerit de novi fundatoris capellaniæ aſſenſu; vel niſi parochialis eccleſia & capellania in reditibus & proventibus ita ſint tenues, & exiles, quod neutrum prædictorum beneficiorum per ſe ſufficiat ad congruam rectoris vel ſervitoris proprii ſuſtentationem. Et intelligimus in hac, parte beneficium non eſſe ſufficiens ad congruam proviſionem rectoris, vel ſervitoris proprii, cujus redditus vel proventus non valent, nec [illegible]tur quindecim libris monetæ in illis partibus [illegible].

### III. *Ne quis ſacramenta recipiat a ſacerdote poteſtatem non habente.*

Cum ſecundum canonicas ſanctiones, omnis utriuſque ſexus eccleſiaſtica ſacramenta eidem neceſſaria ſeu convenientia, ſingulariter a proprio debeat recipere ſacerdote; & nonnulli laici ſubditi noſtri, ſacerdotibus quibus cura animarum non eſt ab epiſcopo, vel ab alio habente authoritatem apoſtolicam, vel alias competentem ſuper hoc poteſtatem, eccleſiaſtica ſacramenta, abſque licentia noſtra vel proprii ſacerdotis, & etiam nonnunquam a prohibito, ſcienter recipere non formidaverint, nec formident, in ſuarum periculum animarum, cum a tali abſolvi nequeant vel ligari: nos volentes huic periculo cautela qua poſſumus obviare, ne ſanguis eorum de noſtris manibus requiratur, talia fieri generaliter prohibemus. Et ſi qui, poſt monitionem & inhibitionem eiſdem ex parte noſtra ſuper hoc ſpecialiter & nominatim faciendas, a prohibito ſacerdote in caſu non conceſſo ſcienter receperint aliquod de eccleſiaſticis ſacramentis, excommunicationis ſententiam ipſos incurrere volumus ipſo facto.

### IV. *De decimis.*

Cum jure canonico ſit prohibitum, ne laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in laicos poſſint quoquo modo transferre; & ſi quis eas receperit, & eccleſiæ non reddiderit, eccleſiaſtica careat ſepultura; & laici qui decimas novalium receperint, vel detinent illicite & ſcienter, & illi qui de terris, vineis, & aliis rebus quas poſſident, de quibus, vel de quarum ſimilibus, alias in partibus illis communiter ſolvi decima conſuevit, nulli decimam ſolvunt, nec hactenus perſolverint, ſimili pœnæ debeant ſubjacere, ſi eas eccleſiæ cui debentur, non curaverint exhibere: ſtatuimus [a], ne laicis dictas decimas novalium, & rerum prædictarum, de quibus decima non fuit hactenus perſoluta, detinentibus, & retinentibus in ſuarum periculum animarum, niſi eas eccleſiæ cui debentur reddiderint, denegetur eccleſiaſtica ſepultura.

[a] Forte, et laicis.

### V. *Quod in prioratibus vacantibus ſufficiens proviſio dimittatur.*

Cum alias fuerit ſynodali proviſione ſtatutum, quod in prioratibus vacantibus, abbates, ſive priores qui abbates ſuperiores non habent, quibus ſubſunt dicti prioratus vacantes, omnia quæ ad inſtructionem locorum faciunt, cum omni integritate dimittant; & quod de mobilibus, quantum ad ſuſtentationem priorum dictorum locorum, & eorum familiæ, & proviſionem hoſpitii uſque ad ſequentem collectam ibidem ſufficere valeat, ſecundum facultatum exigentiam dimittant ibidem; alioquin abbates & priores qui ſcienter contrarium fecerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto: nos ſtatutum hujuſmodi ad parochiales eccleſias vacantes, quæ ſubſunt abbatibus, & prioribus abbates non habentibus, ordinis ſancti Auguſtini, extendi volumus; & idem in his, ſub eadem pœnæ adjunctione, ſtatuendo firmiter obſervari. Inhibemus nihilominus abbatibus & prioribus hujuſmodi; ſub pœna amiſſionis fructuum & proventuum, quos erant vacatione hujuſmodi percepturi, ne in ipſis eccleſiis parochialibus, quamdiu vacaverint, ſacerdotes pro adminiſtrandis idem eccleſiaſticis ſacramentis ponere præſumant, abſque noſtra approbatione vel licentia ſpeciali;

CON-





Ex Antelmii Aſſertione pro S. Eucherio.

# CONCILIUM REGIENSE,

## Habitum Anno Domini MCCLXXXV.

## A ROSTANNO METROPOLITA AQUENSI.

*Primo edidit integrum, notiſque illuſtratum Carolus Antelmius Præp. Forojulienſ.*

## PRÆFATIO.

ANno Domini 1285. 16. Kal. Martii ad honorem omnipotentis Dei & B. Mariæ Virginis matris ejus, Nos Roſtannus, divina miſeratione, S. Aquenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus apud Regium in Concilio per nos ibi indicto præſidentes, aſſiſtentibus nobiſcum venerabilibus Fratribus noſtræ Eccleſiæ ſuffraganeis infra ſcriptis videlicet, R. Aptenſi. M. Regienſi. P. Siſtaricenſi. B. Forojulienſi, Dei gratia Epiſcopis diſcreto viro, P. præpoſito & Officiali Vapincenſis Epiſcopi juſta de cauſa abſentis, & Abbatibus Crocienſi & Luræ, Præpoſitis, Archidiaconis, & Procuratoribus dictarum Eccleſiarum; & aliis pluribus Eccleſiarum Rectoribus, & pluribus aliis diſcretis viris in Concilio ipſo exiſtentibus cupientes & intendentes ſtatuere & ordinare illa quæ ad utilitatem & profectum Eccleſiarum & perſonarum noſtræ Provinciæ reſpicere dignoſcuntur, & ad ſalutem animarum, de aſſenſu & conſilio prædictorum, diligenti deliberatione præhabita, ſtatuimus & ordinamus prout inferius continetur.

## CAPITULA


I. *Obſervantia Canonum præſcribitur.*
II. *Preces decernuntur & indulgentiæ conceduntur pro liberatione* CAROLI II. *Provinciæ Comitis.*
III. *Curatur confici Chartularia, in quibus bona, cenſus Eccleſiarum exſcribantur.*
IV. *Fictitii Priores in beneficiis prohibentur.*
V. *Damnat pacta & juramenta illicita in collationibus.*
VI. *Diœceſanus cognoſcit de delictis Clericorum & Monachorum, niſi conſtet de Exemptione.*
VII. *Cenſuræ ſervari debent maxime ab eo qui illas tulit.*
VIII. *Qualiter procedatur contra illos qui excommunicationis ſententiam contemnentes, exempla pernicioſa peragunt.*
IX. *De abſolutione cum clauſula* reincidentiæ.
X. *Excommunicati a nemine ad ſacra admittuntur.*
XI. *Prohibet humari corpora in cœmeterio non benedicto ab Epiſcopo, & humata effodi jubet.*
XII. *Beneficiati extra curiam Epiſcopi fraude in jus vocati, impenſis totius Diœceſis litigant.*
XIII. *Ut nullus miniſtret toxicum, vel alia venenoſa.*
XIV. *De pœnis inferendis in eos qui miniſtrant toxicum vel herbas mortiferas.*
XV. *Qualiter agendum adverſus exemptos qui ſuis privilegiis abutuntur.*
XVI. *Ut Preſbyteri interſint teſtamentis Parochianorum, & ut reſtitutiones incertæ ab Epiſcopis deſtinentur.*
XVII. *Solus Epiſcopus abſolvit de levi manus injectione in Clericum.*
XVIII. *Ut nemo vacantium Eccleſiarum bona occupet.*
XIX. *Corpora defunctorum in Parochia ſepeliuntur, niſi alius electus ſit ſepulturæ locus.*
XX. *Decimæ, inprimis prædiales, jure divino ſolvuntur.*
XXI. *Exemptos, decretis Concilii ſubjicit, niſi de exemptionis titulis, fidem faciant.*
XXII. *Præſentatus, coram Patrono non jurat, neque acquirit, aut dimittit beneficium.*
XXIII. *Excommunicantur impedientes ne a ſententiis ſuffraganeorum ad Metropolitam appelletur.*


### I.

INPRIMIS ſtatuimus & concorditer ordinamus quod Sacri Canones præſertim in generalibus Conciliis editi & Concilium Valentinum, ac ſtatuta provincialia per prædeceſſores noſtros edita cum diligentia obſerventur.

### II.

*Item*, ordinamus quod pro liberatione illuſtris Domini KAROLI Principis noſtri in carceribus detenti in Eccleſiis & per Eccleſias noſtræ Provinciæ preces & ſuffragia effundantur cum orationibus Principis, additis collectis B. Mariæ, & pro pace ſervanda, & quod populus in diebus ſolemnibus per Prælatos & parochiales Preſbyteros ad effundendum preces pro ejus liberatione cum inſtantia inducatur. Nos autem ad honorem Dei & dicti Domini Principis & quilibet ſuffraganeorum prædictorum cuilibet, ſuffragium hujuſmodi impendenti XL. dies, de injuncta pœnitentia relaxamus.

### III.

*Item*, quoniam frequenter contingit quod cenſus Eccleſiarum noſtræ Provinciæ indebite ab aliquibus augmentantur, & nonnunquam per Rectores aliquos ſubtrahuntur, ſtatuimus, & concorditer ordinamus, ut quilibet Prælatus in ſua Diœceſi chartularium proprium habeat ſeu regiſtrum in quo nomina, cenſus & quælibet alia bona Eccleſiarum integraliter conſcribantur, ne fraude ſeu malitia alicujus aliquatenus occultentur, augmententur per aliquem, vel mutentur.

### IV.

*Item*, cum intelleximus quod aliqui Abbates, & aliqui alii Patroni in Eccleſiis priores fictitios,

no-

nomine tantum, & non re ponere moliuntur, ſtatuimus & ordinamus quod hæc per aliquem nullatenus attententur, & ſi contra factum fuit, tam conferens quam recipiens incurrant excommunicationis pœnam, ipſo facto, & nihilominus illud beneficium Diœceſanus libere conferat lapſo tempore a canone definito.

## V.

*Item*, quia ſæpe contingit quod Abbates & Patroni & plures alii in præjudicium ordinariæ poteſtatis Eccleſias conferunt, & Clericos recipientes hujuſmodi beneficia aſtringunt pactionibus & variis juramentis, ſtatuimus ut nullus Religioſus, aut Clericus ſæcularis in Eccleſia ſeu beneficio admittatur, ſeu recipiatur, nec inſtituatur in ea per Ordinarium niſi primo conſtiterit, quod illa Eccleſia ad ipſum Abbatem ſeu Patronum vel alium pertineat pleno jure, & ſi contrarium factum fuerit per quemcumque, eo ipſo illa Eccleſia vacet, illa vice per eumdem Ordinarium conferenda.

## VI.

*Item*, ſtatuimus quod ſi quis Clericus converſus, donatus vel religioſus cujuſcumque ordinis, conditionis, ſtatus, vel dignitatis exiſtat, deliquerit per noſtras civitates vel Diœceſes ubicumque, maxime autem extra loca exempta, & per Ordinarium requiſitus nolit coram eo comparere, & reddere rationem hujuſmodi delicti, idem Ordinarius poſſit ipſum auctoritate hujus Concilii capere & detinere, & etiam ejus mobilia ſeu ſe moventia, ſi quid habet in illa Diœceſi, quouſque ſatis dederit, de parendo juri coram ipſo, & de juſtitia facienda, ni fidem faciat de privilegio, per quod conſtet ab hujuſmodi ordinariis totaliter ſe exemptum.

## VII.

*Item*, quod ex quo quis excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam, ex cauſa probabili, juſta & rationali recte duxerit promulgandam, ſervet eam firmiter & a ſubditis ſuis faciat inviolabiliter uſque ad ſatisfactionem congruam obſervari, ne forſan ex relaxandi facilitate veniat in contemptum. Parum enim eſt ſententiam ferre, niſi lata ſervetur. Quinimo ſanctius eſſet nullatenus promulgare, quam cum periculo negligere promulgatam.

## VIII.

Ceterum, abominabilis proh dolor! (ſicut ad noſtrum tam de longinquo, quam e vicino pervenit auditum) in quibuſdam partibus inolere cœpit abuſio: Nam aliqui filii Belial qui nec Deum timent, nec hominem reverentur, iniquitatem bibunt ut aquam; qui dum ſententias vilipendunt, dum medicinam quæ fuerat ad ſalutem, rejiciunt, mortis incurrunt periculum, & ad interitum ſuæ perverſitatis exemplo nonnumquam inducunt alios & ſeducunt. Iſti quidem in Dei opprobrium, in contemptum promulgatoris, & ſententiæ promulgatæ neglectum, non minus viliter, quam damnabiliter procedere, imo nimis execrabiliter excedere non formidant. Utpote dum adulterinum Presbyteri vel Prælati contingentes, officium, & inconceſſum ſibi uſurpantes miniſterium, excommunicationem, imo verius execrationem verſa ſeu perverſa vice in excommunicatores ſeu denunciatores ſuos ſimulare præſumunt, accenſos palearum faſciculos, aut candelas de ſepo, ſeu carbones, aut titiones ardentes, in patellis, conchis, aut ſartaginibus vel ſimilibus vituperabiliter extinguendo. Cumque talia & his ſimilia in Dei vergant opprobrium, & eccleſiaſticæ diſciplinæ redundent contemptum; ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis diſtrictius inhibemus, ne quis Clericus vel laicus, major, medius, vel infimus, cujuſcunque ordinis, dignitatis, conditionis, vel ſtatus exiſtat, rem tantæ perniciei de cetero per ſe vel per alium, aut pro ſe vel pro alio attentare præſumat. Qui vero hujus ſaluberrimi inſtituti tranſgreſſor extiterit, & intra triduum emendam exinde competentem non exhibuerit, ex tunc ſe ſciat, ipſo facto, excommunicationis vinculo innodatum. Locus autem ubi hæc vel ſimilia, domino loci ſciente, ſeu mandante, vel ratum habente præſumpta fuerint, eccleſiaſtico tandiu remaneat ſuppoſitus interdicto, donec ad mandatum Eccleſiæ quam delinquens offendit, & Prælato quem irreverenter deſpexit, ſufficiens, & idonea ſatisfactio, & realis emenda præſtita fuerit per eumdem: quoniam cum in talibus non ſit relaxanda vindicta, offenſus Prælatus minime remittere valeat ullo caſu. Eiſdem pœnis ſubjacere volumus illos, & illas, qui vel quæ talia fieri mandaverint, vel alias opem, vel operam aut conſilium præbuerint, ſi rem tamen tam deteſtabilem prodire contigerit deteſtabiliter in effectum; addito quod eorum hæredes in Clericorum Collegium nullatenus admittantur, niſi prius cum ipſis ſuper his fuerit miſericorditer diſpenſatum. Et ſi Clericus beneficiatus vel in dignitate, ſeu perſonatu, vel officio conſtitutus taliter exceſſerit: ultra pœnam laico inflictam, beneficio, ſi quod in Provinciis noſtris obtinet, ſit ipſo facto præſentis Concilii auctoritate privatus: non beneficiatu autem, ad obtinendum beneficium indignus habeatur omnino a Cleri Collegio ſequeſtratus.

## IX.

*Item*, quod ſi quis ab excommunicationis ſententia quam pro contractis debitis, & maxime ubi ſe juramento aſtrinxerat, vel ob manifeſtam offenſam incurrerat in infirmitate vel mortis articulo fuerit abſolutus; ſi ſanus factus aut infra menſem a convaleſcentia numerandum ſatisfactionem diſtulerit ut promiſit vel injunctum ei extitit, ab inde in antea nulla nova monitione ulterius expectata in eandem ut prius excommunicationis ſententiam reincidat, & publice addita violatione datæ fidei nuncietur. Si vero de illa ægritudine moriatur, hæredes ejus ad hoc emendandum & obſervandum per cenſuram eccleſiaſticam compellantur, vel executores aut bonorum poſſeſſores, ſi alios heredes non habeat.

## X.

*Item*, quod excommunicati & maxime poſtquam publicati fuerint, non ſunt in ſuis iniquitatibus ſub quovis figmento palpandi, prohibemus ne tales in Eccleſiis vel cimeteriis, aut juxta valvas Eccleſiarum vel feneſtras aut alia loca unde divinum poſſint audire officium, vel Presbyterum celebrantem videre, dum Miſſarum celebrantur officia, immorari præſumant; quin imo Capellani per ſe, vel Clericos ſuos aut alios diligenter inveſtigare procurent an excommunicati hujuſmodi in Eccleſia, vel circa ſe ingerant, & eos exinde recedere faciant, ut dum divinum ibi agetur officium eoſdem





dem præcipiant abſentare. Quod ſi forte ipſis parere neglexerint, a proſecutione divini officii, dum illi ſuam ibi præſentiam exhibere præſumpſerint, ceſſent, & abſtineant, ſub pœna quam eis Ordinarius ſuus, ſi ſuper his eos culpabiles, ſeu negligentes inveniat, duxerit infligendam.

## XI.

*Item*, quod in cimiterio ab alio quam a proprio Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, aut expreſſo ipſius mandato, abſque ſui licentia benedicitur, nullus omnino ad ſepulturam eccleſiaſticam admittatur. Quod ſi contra factum fuerit, nullus penitus ſepeliatur ibidem, donec illius vel illorum oſſa fuerint exhumata, cujus vel quorum corpora fuiſſent inibi poſt talem benedictionem ſepulta, auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſemper ſalva. Sed ne facilitas veniæ incentivum præbeat delinquentibus, & aliis audaciam tribuat delinquendi, ſciant Prælati omnem ſibi ſuper hoc diſpenſandi licentiam interdictam, donec exhumatio quæ ſit aliis ad terrorem, præceſſerit, ut eſt dictum.

## XII.

*Item*, quia ſpreta juriſdictione ordinaria malitioſe per aliquos Apoſtolicæ Sedis gratia, & ejus licentia abutentes, Abbatiæ, Prioratus, & Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ Perſonæ, Canonicæ, & Clerici beneficiati noſtri ſæculares, & religioſi coram extraordinariis auditoribus ſæpius impetuntur, & iniquitates ac malitiæ plurimæ committuntur, & impares ſumptibus ſic vexati coguntur interdum juri ſuo cedere, vel aliter utcumque vexationes ſuas redimere, ſtatuimus & concorditer ordinamus, quod ex quacumque cauſa Clericus, vel Canonicus, aut quivis alius Beneficiatus de Provinciis noſtris evidenter & indebite ſpreta communium amicorum, aut Ordinarii cognitione, per aliquem extraordinarium Judicem delegatum, vel ſubdelegatum, executorem, conſervatorem, inquiſitorem, vel alium extraordinarium quemcumque præſertim extra propriam Diœceſim citatus ſeu moleſtatus fuerit, omnes Prælati, & alii Clerici beneficiati, tam ſæculares quam religioſi ad ipſius defenſionem dent conſilium & juvamen, & in expenſis contribuere, dictorum Epiſcoporum comprovincialium ad hoc ſpecialiter deputandorum arbitrio, teneantur. Et hoc intelligimus in omni cauſa mota jam vel movenda, ſcita vel præſumpta, vel penitus ignorata, auctoritate & mandato Sedis Apoſtolicæ & Legatorum ejus in omnibus & per omnia ſemper ſalvis, præſenti articulo per decennium dumtaxat, niſi revocatus fuerit, duraturo.

## XIII.

*Item*, quia latentes inimici homicidia plerumque perpetrant etiam in amicos, ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis diſtrictius inhibemus, ne quis Apothecariorum, vel quivis alius, cujuſcumque conditionis vel ſexus exiſtat, toxicum vendat, nec donet, nec alio modo miniſtret alicui, vel alia venenoſa, niſi prius ſignificet curiæ ſæculari, ut ſciri poſſit ſuis temporibus, ſi cauſa toxicationis contingeret, quis fuerit emptor ille, vel alius qualiſcumque: & quod Apothecarius quilibet ad hoc ſervandum, juramento corporaliter præſtito pro ſe & familia ſua ſpecialiter adſtringatur. Aliter autem dantes & vendentes, & ad homicidium perpetrandum recipientes, quomodolibet vel vehementes, & ad hoc conſilium, conſenſum, tacite vel expreſſe præſtantes, excommunicationis vinculo ſubjaceant, ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutionis beneficio remittendi, & alias per cenſuram eccleſiaſticam ſicut juſtum videbitur puniendi.

## XIV.

*Item*, quod quicumque alium toxicare aut opem adhibere, vel conſilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare, ſeu vendere, aut aliter miniſtrare præſumpſerit, & herbas mortiferas in mortem vel abortivum cuiquam dederit, eo ipſo excommunicationem incurrat, a qua nonniſi per Sedem Apoſtolicam abſolvatur. Et ſi Clericus beneficiatus fuerit, illo ſit privatus beneficio ipſo facto, & ab ordine quem ſuſceperat degradetur, tradendus curiæ ſæculari. Sicut & tali vel ſimili ſuſpicione probabiliter infamatus, & ex vereſimilibus præſumptionibus, & perſpicuis indiciis, apud bonos & graves notatus, ad honorem vel Dignitatem eccleſiaſticam nullatenus admittatur, & nihilominus ad detentionem perſonæ honeſtam, prout requiret perſonæ ſtatus & ſceleris immanitas ſuadebit, ad eruendam veritatis certitudinem, ſicut Superioris diſcretioni viſum fuerit, procedatur.

## XV.

*Item*, dolentes referimus quod nonnulli Religioſi Templarii, Hoſpitalarii, Ciſtercienſes, & alii tam exempti quam privilegiati de privilegiorum ſibi forte aut ordini ſuo indultorum prærogativa temere confidentes, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias ab Ordinariis, vel Officialibus ipſorum rationabiliter promulgatas, obſervare non curant; quinimo in contemptum Clavium, excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos hujuſmodi, ad Divina recipiunt, aut interdum in donatus ſeu confratres, contra mentem Concilii Lateranenſis admittunt: receptatorum in hac parte genus peſſimum imitantes, ſine quibus delinquentes in his & ſimilibus diu forſitan non laterent. Sed nec his contenti Domos Conventuales alterius Ordinis quam ſui, eiſdem Ordinariis lege diœceſana ſubjectas, & a ſui fundatione juriſdictioni Prælatorum, ſalva regula ſeu Ordinis ſui diſciplina ſuppoſitas, tam Prænominati quam ceteri Religioſi, etiam non exempti, nec privilegiati vindicare ſibi, & Prælatis, quaſi furtim, ſuccedente poſtmodum violentia, ſubtrahere moliuntur: ſicque de ſuis indulgentiis ſeu privilegiis confidentes, alios fidentius in jure ſuo moleſtant: itaque auctoritate imo temeritate propria, nunc in veſtimentis ovium venientes, nunc ſeculari fulti potentia, violentiam per ſe, vel per alium inferentes, poſſeſſiones & quaſi domorum hujuſmodi, ac rerum & jurium ad eas ſpectantium, occupare, & cum armis aliquoties invadere non verentur, & occupata tenere contendunt in Prælatorum præjudicium, plurimorum ſcandalum, & enormem nihilominus illius ordinis cujus erant ab initio, & cui antiquo ſubeſſe conſueverant, læſionem. Cumque tales, & tam enormiter excedentes, & notorie delinquentes, receptatoribus non impares, ac improbis raptoribus nequiores, periode ut alios jura cenſeant puniendos: nos ergo ut in ipſos animadvertere poſſimus, ut a jure nobis permittitur, & maxime ſi de privilegiis ſuis non velint copiam facere requiſiti; volentes,

lentes, ubi eos indulta ſeu privilegia non deffendunt, correctionis & reformationis officium exercere, ac effrænatam ambientium cupidinem reprimere cupientes: ſtatuimus & concorditer ordinamus, ut tales & ſimiles, in præmiſſis & ſimilibus tam enormiter excedentes, & tam notorie delinquentes, niſi deſtiterint, & ſaniori ducti conſilio, congruenter intra dies octo ex quo fuerint requiſiti, revocare ſeu emendare diſtulerint, una cum illis qui ſe ad eos ſic ligati reduxerint, & eos qui tranſlationem hujuſmodi acceptaverint, & exinde monaſteria domoſve conventuales res, & jura hujuſmodi occupare, ſeu invadere cum armis vel ſine armis præſumpſerint, nec non & omnes qui eis ad hoc opem vel opera præſtiterint, aut, ut ſic occupata detineant, conſilium, vel juvamen præbuerint, excommunicationi ſubjaceant, ipſo facto. Sed cum ipſi Prælatis non deſerant, ſed potius vilipendant eoſdem: Prælati eorum quamdiu ſic ſteterint, & auſu temerario vel Officialibus eorum in præmiſſis reſtituerint, in privilegiis vel aliis juribus ſuis tueri eos vel deffendere minime teneantur. Dignum eſt enim ut qua menſura menſi fuerint, eadem remetiatur & eis: ut ignorantes ignorari, & contemptores ſentiant ſe contemni. Qua enim fronte Prælatorum implorabunt auxilium, qui committere non formidant in ipſos? ſtatuimus inſuper, præcipimus, & concorditer ordinamus, ut ſingulares perſonæ tam ſuimet, quam ipſius conventus una cum tranſlationem taliter fieri procurantes, ab illius domo, ſeu conventus conſortio penitus & in perpetuum excludantur, vitam ſuam alibi ſub arcta pœna ſui ſuperioris arbitrio finituri. Circa tranſlationem autem ſingularium perſonarum, ad arctiorem forte regulam tranſire cupientium, nihil per hoc intendimus extra formam a jure editam immutare.

XVI.

*Item*, ne relictæ in teſtamentis vel aliis ultimis voluntatibus emendæ, vel ad pias cauſas eleemoſinæ, vel reſtitutiones directe vel indirecte forſitan occultentur: ſtatuimus, ut vel Presbyter parochialis intereſſe rogetur ordinationi teſtantis, ſi haberi poterit, aut quod Notarius infra octo dies, a die obitus numerandos, Prælato vel Officiali, aut Presbytero parochiali, copiam illius articuli ubi qualis eleemoſina pro piis uſibus deputata, vel emenda, ſeu reſtitutio facienda, ſub pœna excommunicationis, quam ipſo facto, ſi negaret, incurrat, fateri fideliter teneatur: & ille, vel illi, ſic cum hæredibus vel executoribus teſtatoris ordinare feſtinent, quod emendæ non occultentur, & eleemoſinæ ſic relictæ, vel reſtitutiones hujuſmodi non pereant, ad tempus magnum, vel modicum, aut forte perpetuo faciendæ. Adjicientes inſuper quod prædictæ reſtitutiones nullatenus per aliquem executorem teſtamenti, vel per alium, præter Diœceſani licentiam præbeantur: nec aliquis diſtribuere præſumat alibi quam ubi Prælatus duxerit ordinandum, etiamſi a teſtatore contrarium dictum eſſet. Ad hæc adjicimus quod Presbyteri Synodis venientes, Prælato ſuo vel Officiali ejus, in ſcriptis, teſtatorum & executorum nomina, & quantitates hujuſmodi præſentare in virtute obedientiæ teneantur.

XVII.

*Item*, quod nullus quomodocumque præſumat ab injectione manuum, quantumcumque modica ſeu levi abſolvere, non habita Ordinarii licentia nec obtenta, quod ſi ſecus præſumptum fuerit, pro non abſoluto habeatur, & evitetur ut prius. Abſolvens autem hujuſmodi, ſi prædicator fuerit, prædicationis officium ſibi noverit interdictum, donec ab Apoſtolica Sede cum narratione ſui exceſſus gratiam meruerit obtinere, vel Prælato ſatisfecerit quem contempſit. Et inter alia ſuum publice confiteatur reatum, ut ſimplices reddentur in ſimilibus captiores.

XVIII.

*Item*, quod nullus omnino Prælatus, Abbas, Prior, vel Clericus, vel laicus, cujoſcumque conditionis, ſtatus, aut dignitatis Ordinis, vel Religionis exiſtat, bona Eccleſiarum vacantium Metropolitanæ vel Suffraganeæ, Prioratus, Abbatiæ, vel alterius cujuſcumque Monaſterii vel Eccleſiæ, per promotionem, aut mortem, aut reſignationem, aut mutationem, vel abſolutionem, aut alio quocumque modo vacantis, capere per ſe, vel per alium, aut occupare vel uſurpare præſumat. Quod ſi fecerit, tam ipſe quam obedientes ei aliqualiter in hac parte excommunicationis incurrant pœnam, ipſo facto.

XIX.

*Item*, quod corpora mortuorum in cimeteriis Eccleſiarum parochialium ſepeliantur, niſi conſtet in continenti, ſine alio ſtrepitu, quod alibi elegerint ſepeliri. Si quis autem regularis, vel ſæcularis aliter corpus aſportare præſumpſerit inſolenter, antequam de electione ſepulturæ habita fuerit certitudo, omni emolumento in teſtamento ſibi relicto careat; & illud parochiali Eccleſiæ applicetur. Et nihilominus cimoterium in quo humatum fuerit, interdicto ſubjaceat, donec corpus Eccleſiæ parochiali fuerit reſtitutum. Et quod a jure, ſi quod habebat, ceciderit qui non expectata definitione vim facere voluerit, & jus ſibi dicere attentaverit.

XX.

*Item*, cum ex præcepto divino, & ex conſtitutione Eccleſiæ, decimæ maxime prædiales, Eccleſiis debeantur, & ſint nonnulli eas in propriæ ſalutis interitum ſolvere non curantes: ſtatuimus ut cum non ſint palpanda crimina, ne vulnera remaneant incurata, Presbyteri parochiales parochianos ſuos de quibus tenentur reddere rationem, tam per ſe, quam per alios, & maxime per illos quos in Eccleſiis ſuis prædicare contigerit verbum Dei, moneant frequentius efficaciter & inducant ad decimas hujuſmodi fideliter præſtandas, & integraliter exſolvendas, niſi forſan compoſitio facta legitime ipſos ſuper hoc excuſaret, alioquin quod ſciant ſe injuſte, & in animarum ſuarum periculum retinere, & tanquam rei alienæ raptores, & præceptorum Domini & conſtitutionis Eccleſiæ tranſgreſſores, a fidelium conſortio ſequeſtrandos. Et in confeſſionibus ſignificetur eiſdem quod abſolvi non poſſunt, & peccatis confeſſatis ſeu oblitis non ſolvantur in futurum; & de prædictis ſatisfaciant, vel cum Eccleſia conveniant de retentis.



Et quod ſi contingat eos abſolvi, de futuro prodeſſe non poterit ad ſalutem. Cum, juxta Sanctorum ſententiam, non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

XXI.

*Item*, ſtatuimus & ordinamus, & ad hoc, terminum tam exemptis quam privilegiatis duorum videlicet menſium a publicatione præſentium numerandorum concorditer aſſignamus, infra quos oſtendant ſi voluerint privilegia, vel indulgentias, vel prærogativas alias ſi quas habent, per quæ, vel per quas contra præſentis Concilii ſtatuta valeant ſe tueri, & uſque tunc noſtrarum volumus eſſe ſuſpenſum ſententiarum effectum. Et ab inde in antea, niſi cauſam interim ſufficientem oſtendant, volumus ea valere omni jure quo melius poterunt & debebunt.

XXII.

*Item*, ſub pœna excommunicationis præcipimus, ne quis a patróno laico vel Clerico præſentatus, aut etiam præſentandus, præſtet aliquod juramentum in manibus patroni, vel alterius cujuſcumque, ſine ſpeciali ipſius Ordinarii licentia & conſenſu: quodque præſentatus ſeu præſentandus hujuſmodi, ab alio quam ab Ordinario, cui de jure competit, in Eccleſia parochiali ſe inſtitui nullatenus patiatur: nec ex quo per Ordinarium inſtitutus fuerit, beneficium dimittat hujuſmodi; non petita ipſius Ordinarii licentia, vel obtento conſenſu, vel niſi alia ſufficiens cauſa ſubſit legitima, probabilis & honeſta.

XXIII.

*Item*, quia ſæpe compertum eſt quod nonnulli impediunt quominus a noſtris ſuffraganeis, & eorum Officialibus ad noſtrum auditorium appelletur, ſicque effectus juſtitiæ plurimum impeditur. Adhærentes ſuper his ſtatutis bonæ memoriæ Domini G. Prædeceſſoris noſtri: ſtatuimus ac etiam in virtute ſanctæ obedientiæ inhibemus, ne aliquis cujuſcumque ſtatus, eminentiæ, ordinis, aut dignitatis exiſtat, impedimentum præſtet alicui clam vel palam, publice vel occulte, directe, vel indirecte, per ſe vel per alium ſcilicet gravando appellare volentes, ſeu eis comminando, ſeu oppoſitionem aliquam ſuper his faciendo, aut alio quoquomodo, quominus ad nos, ſeu noſtram curiam libere appelletur, & ad nos per appellationem & querimoniam recurratur. Si quis autem contra fecerit, ipſum in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus.

## NOTÆ AD CONCILIUM.

### AD PRÆF.

*Roſtannus*. Ita mſ. Forojul. at Siſtaric. & Dienſis *Roſtagnus*, quod forte rectius; plurimi enim ſec. 11. 12. & 13. Provinciæ Eccleſiis præfuerunt Epiſcopi, *Roſtagni* nuncupati. Is cognomen habuit de *Nove*. Nullum in Chronicis & Scriptoribus reperitur veſtigium quo Ordini Religioſo nomen dediſſe conjici poſſit, quamvis ſecus aliqui ſcripſerint.

R. Aptenſis *Raimundus* cognomine *Botti*, prioius ſuffraganeorum nominatur non ratione antiquioris ordinationis, ſed privilegio ſuæ ſedis, quæ tunc prioris ſuffraganei honore gaudebat, quem etiam obtinuit in Concilio Aquenſis Provinciæ ann. 1212. ac poſtremo anno 1585. licet Epiſcopi Aptenſes non eſſent (ut obſervavimus) reliquis Præſulibus inauguratione anteriores. Verum a multo jam tempore, incuria Epiſcoporum Aptenſium, ea prærogativa intercidit, ipſis ex præſcripto can. 6. Concilii Regienſis 1. & can. Conc. Aurelian. II. remanente facultate ſacrum mortuale ſolemniter conficiendi & juſta perſolvendi Aquenſi Metropolitæ. De illa praxi hæc habet vetus liber ceremonialis Aquenſis: *Defuncto N. Archiepiſcopo fit officium, ſepulturæ per Epiſcopum Aptenſem cui incumbere debet ex antiquo, & fertur habere palafredum quem N. Archiepiſcopus dum ageret in humanis equitabat.*

Si quis plura de Aptenſibus & ceteris Epiſcopis qui huic Synodo adfuerunt, ſcire cupiat, ſingularum Eccleſiarum Scriptores conſulat: mihi ſat ſit, ne acta iterum agam, nuda eorum hic notare nomina.

*M. Matthæus*, Regienſis.

*P. Petrus IV. Girardi de Podio* Michaele Siſtaricenſis.

*B.* non *J.* ut legitur in mſ. Siſtaric. *Bertrannus*, ſive *Bertrandus* de Fabario Forojulienſis.

*P. Præpoſitus & Officialis Vapincenſis*. Officialis nomine ii omnes veniebant qui quoquomodo erant ab Officiis & Mandatis Epiſcopi, ut Archidiaconi, & Archipresbyteri, &c. Unde in Conc. Rotomag. ann. 1050. decernitur: *Ut nullus ex Officialibus Epiſcopi videlicet Archidiaconis aut Notariis pro ordinandis Clericis munera exigantur*. Eodem ſenſu *Alexander III.* ſcribit Cantuarienſi Epiſcopo *inſtitutionem Beneficiorum ſpectare ad Epiſcopos, vel eorum Officiales*. Officialis proprie is erat qui auctoritate ſibi ab Epiſcopo conceſſa utramque juriſdictionem planam, quam vocant, & Forenſem exercebat, ex quo modo Vicarius Epiſcopi, modo Officialis dicebatur.

*Abbatibus Crocienſi* Eccleſia Croſcienſis in Diœceſi Siſtaric. ſec. XI. a Presbyteris & Clericis ſecularibus regebatur, eratque juris *S. Petri* ut patet ex libro 1. epiſt. 67. *Gregorii VII.* ad *Giraldum* Siſtaric. Poſtmodum in Collegialem excrevit: anno enim 1207. *Bermundus* Siſtaric. Epiſcopus Eccleſiam de *Thonicis* concedit Præpoſito & Canonicis Croſcienſibus. Demum novis adjectis fundis, in Abbatiam Ord. S. Aug. erecta. Illi, anno 1299. præerat *Petrus* Abbas, qui forte iſti Concilio interfuit. Verum collapſa ibi regulari diſciplina, procurante Mutio *Gaſtinello* Epiſc. Siſtaric. acceſſit cum ſuis dominiis ad menſam Epiſcopi anno 1457. ex Decreto Callixti III.

*Lurenſi* ejuſd. Ord. in eadem Diœceſi. Quis eam tempore Concilii rexerit Abbas, neſcitur.

*Præpoſiti*. Præeunt Abbates Præpoſitis ac Procuratoribus Capitulorum Cathedralium Eccleſiarum, licet ſubſequantur in plurimis Conciliis, uti Nugarioleuſi ann. 1290. Silvanectenſi ann. 1318. Rotomag. ann. 1335. Avenionenſi ann. 1316. &c.

*Apud Regium*: olim Rejenſis civitas. Ita in Itinerario *Antonini*, vulgo nuncupato, *Sidonis Apollinari*, ac in plurimis ſculptis monimentis quæ *Bartellus* exhibet in Hiſtoria Regienſi, præclara de ejus urbis nobilitate referens; at fallit maxime dum nominis quadam ſimilitudine, aliiſque leviſſimis conjecturis deluſus, *Ricomagum*, ſeu *Bricomagum*, hodie *Brianſon*, pro Rejenſium civitate accipiens, Rejos in Provincia Alpium maritimarum contentos fuiſſe aſſirmat, cum ipſum quod laudat Itinerarium ac Galliarum notitiæ omnes, in II. Narbonenſi cujus Aquæ Metropolis, diſertis verbis Rejos collocent.

Ad Cap. I. *Concilium Valentinum*. Illud nempe quod labentis tum ſeculi anno 48. apud Monciliacum in Diœceſi Valentina aſperrimis temporibus pro fide, pace ac libertate Eccleſiæ tuendis congregatum fuit ex quatuor Provinciis, Narbono. Vienneuſ. Arelat. & Aquenſi *Innocentio* IV. P. M. Præſidentibus, *Petro* Albanenſi Epiſcopo, & *Hugone*, S. Sabinæ Presbytero S. R. E. Cardinalibus ejus Legatis.

Ad Cap. II. *Pro liberatione illuſtris Domini* Karoli *Principis noſtri in carceribus detenti* &c. *Karolus* de quo hic habetur ſermo, filius erat *Karoli* I. *S. Ludovici* germani fratris, atque ex ſuo cum *Beatrice Berengarii* III. filia & hærede matrimonio, Comitis Provinciæ. Is ex traditione *Urbani* PP. IV. anno 1254. utriuſque Siciliæ Regna poſſidenda acceperat, quæ jamdudum ex variis Summorum Pontificum decretis, ex illo in primis quod in Concilio Lugdun. ſolemniter prolatum fuerat adverſus *Fridericum* II. Imp. vacua erant facta. Aliquot poſt Concilium annis *Friderico* tum *Conrado* ejus filio perfidioſe a *Manfredo* altero ejus filio illegitimo extinctis, *Manfredus* dum *Corradini Conradi* filii tutelam gerit, proprio nomine omnem dominatum uſurpat, æque ac Pater Romanis Pontificibus infenſus & viciſſim inviſus. Interea *Carolus* a *Clemente* IV. *Urbani* ſucceſſore in Italiam vocatus, *Manfredum* aggreditur, debellatumque in acie cædit ann. 1266. *Corradinus* in regna paterna reſtitui cupidus, bellum redintegrat at fortuna adverſa, captus enim in prælio, capite minuitur,

Dominabatur tum, ac in utraque Sicilia rerum tranquille potiebatur *Karolus* poſt multa ſtrenue ac fortiter ab illo geſta, quando ſceleratiſſima Siculorum conſpiratione, ſotto exciſi ſunt quotquot erant in Sicilia Provinciales, duce potiſſimum ac impulſore *Petro* Aragoniorum Rege, cum quo *Conſtantia Manfredi* filia nupſerat. Acrius exinde inſtaurato bello claſſis utrinque inſtruitur, ac demum prope Meſſanam confligitur navali pugna, in qua *Karoli* filius tunc dictus Princeps Salernitanus, infauſtum prælium facit, & in Regis Aragoniorum manus incidens Barcinonam deducitur. Ibi dum captivus attinetur *Karolus* ejus pater vitam exuit, anno 1285. ineunte; atque illico *Karolus* II. ejus filius, licet in Catalonia detentus, hæres ac ſucceſſor in omnibus ejus dominiis agnoſcitur; menſeque Martio inſequenti *Roſtagnus* Aquenſis Archiepiſcopus Provinciæ ſuæ Concilium iſtud indicit apud Regium. Præcipua Synodi cura fuit ut preces decernerentur pro liberatione Principis, qui tandem anno poſt ejus carcerem quarto, ſuis reſtitutus eſt, pace cum Aragonia inita, *Philippo* Pulchro & *Eduardo* Anglorum Rege auctoribus.

XL. *Dies de injuncta pœnitentia* non ultra cuilibet fideli pro Rege preces effundenti juxta can. 62. Conc. Lateran. 4. ab Innoc. IV. in Conc. Lugd. 1. confirmatum relaxant ſoli Epiſcopi, non Abbates qui aderant Concilio, quoniam *Indulgentiæ ſunt Epiſcopalis dignitatis, nec eas concedunt Abbates, niſi forte ex ſpeciali conceſſione*. Can. 9. ejuſdem Conc. Lateranenſis.

Ad Cap. III. *Chartularium proprium* eo nomine quandoque Scrinium, hic Regeſtum intelligitur, quo ſenſu accipitur in can. 19. Conc. Arelat. anni 1275. Quandoquidem primis temporibus, Eccleſiarum bona omnia ſub poteſtate erant Epiſcopi, tem Eccleſiæ & tem Epiſcopo propriam manifeſtam eſſe debere Concilium Antiochenum, Canones Apoſtolorum innovando decreverat can. 24. ne rebus omnibus promiſcuis, defuncto Epiſcopo, Eccleſia aut hæredes legitimi detrimentum paterentur, & Sacerdotis memoria maledictis operiretur. Optima, tum ad iſtud incommodum præcavendum, tum ad tuitionem & conſervationem bonorum Eccleſiæ, Chartularii, ſeu Inventarii inſtituta ratio. Ad illud muneris duo olim in magna Eccleſia Conſtantinopolitana delecti præcipui e Clero Miniſtri, Magnus ſc. Oeconomus & Chartophylax, quorum ſingula munia explicant *Codinus* & Schol. de Off. M. Eccleſiæ Conſtantinopolit.

Idem in Occidente onus injunctum fuit Archidiaconis a Conc. Oxonienſi ann. 1222. can. 5. Turonen. ann. 1253. can. 4. deinde cuilibet Eccleſiarum Rectori ab Arelat. Conc. ann. 1275. can. 6. Avenion. ann. 1336. can. 53. aliiſque item poſterioribus Mediolan. Aquenſi Mechlinienſi, &c. Conciliis, hujus operis ſemper Rectoribus & moderatoribus Epiſcopis.

*Sixtus* V. P. M. ardua aggredi ſolitus Inventarium generale bonorum omnium Eccleſiaſticorum per univerſam Italiam conſtitutorum, & in Palatio Apoſtolico recondendorum, meditatus fuerat, ſed rei difficultate impeditus, iſtud negotii ſingulis beneficiariis committere latius eſſe duxit. Verum intentis facta non ſunt conjuncta. Præclarum idem & perutile opus movens animo Benedictus XIII. in nuperrimo Concilio Romano confici juſſit, *tit. 12. de fide inſtrumentorum* ea adjuncta methodo, ut res primo intuitu operoſa, expedite & nullo ferme negotio queat perfici.

Ad Cap. IV. *Fictitii Priores*. Quandoquidem ex Decreto Conc. Lateran. 3. can. 8. & Conſtitutione *Clement.* VIII. relata in cap. 1. ext. de ſuppl. neglig. Prælat. cautum fuerat ut Eccleſiis vacantibus ab omnibus Collatoribus provideretur intra ſex menſes; alias facultate exciderent conferendi, ad Superiores immediatos devolvenda. Ut huic legi regulares ſe ſubducerent, Prioratus vacantes ſpecie quidem conferebant, re vera ſuos faciebant. Nam ita cum proviſis paciſcebantur, ut penes ipſos nudum Prioris nomen, penes Abbates fructus beneficiorum remanerent. Unde *Priores Fictitii*, *nomine tantum & non re*, merito dicti, & pœnis a Conc. Lateran. adverſus tardos Collatores latis obnoxii, immo velut gravioris delicti rei excommunicantur a Concilio, tam Prælatus conferens, quam proviſus.

Concilium Pariſienſe an. 1346. idem interdictum ulterius ampliat, can. 11. prohibet enim Prælatis regularibus, ne *Prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes aut beneficia ad eorum diſpoſitionem ſpectantia quæ non ſunt de menſa ſua, ſed ſpe*[illegible] *Priores, Adminiſtratores, ſeu Rectores conſueverunt* [illegible] *applicent menſis ſuis*, ipſiſque præcipit quod *facta* [illegible] *ad ſtatum priſtinum reducant, & niſi moni*[illegible] *fecerint, per eos arbitrarie puniantur & nihilominus* [illegible] *ſecus, in ſtatum debitum reponantur*. Atque [illegible] beneficiaria omnino arcerentur, poſterioribus ſeculis ſancitum eſt; ut quæcumque reſignationes, collationeſque beneficiorum in acta publica referentur; nam *donatio occulta ſuſpicione non caret* Cap. ut noſtrum ext. tit. Ut beneficia Eccleſ. ſine diminut. conf. eaſque Concilium Tarraconenſe can. 25. *nullas & irritas* eſſe declarat, quam ſanctionem Regulæ Rom. Cancellariæ, & edicta Regia apud nos firmam & ſtabilem effecerunt.

Verum, cum iidem qui hoc ſec. 13. damnantur prave, ætate noſtra repullularent, Regia Conſtitutione anni 1719. lata, novæ ſunt additæ cautelæ, ut quidquid a Regularibus circa Beneficiorum mutationes geritur, illud palam & aperte fieret, innovata, ſi ſecus ſit, etiam in exemptos facultate a SS. Canonibus Epiſcopis data, illa conferendi.

In quo ſane mirari ſubit variam circa Beneficiarios regulares pro diverſorum temporum ratione, diſciplinam. Cum enim olim ad beneplacitum duntaxat ſuperiorum ſeu cellæ, ſeu Prioratus aut Eccleſiæ regendæ, committerentur, unde obedientiæ nuncupatæ, cum onere in rem communem fructus convertendi deductis victu cultuque Religioſorum; neque ipſa Sedes Apoſtolica earum adminiſtrationem ad vitam indulgere ſoleret, teſte *Innocentio III.* cap. Porro ext. de conſ. utili vel non, & cap. Cum ad monaſterium ext. De ſtatu Monachorum, quo regimine, paupertati regulari, obedientiæ ac regularium conſultum moribus. Attamen ex quo Ordo Monaſticus e virtute priſtina remittere quid cœpit, Prioratus ad nutum Prælatorum antea revocabiles, perpetui evaſerunt; uſque ille adeo in legem ratam & firmam extunc inductus eſt, ut a Conciliis Provincialibus, ac demum ab ipſa generali Viennenſi Synodo approbatus & ſtabilitus, etiamnum vigeat, paucis exceptis Canonicorum Regularium Collegiis, apud quos priſca & ſalutaris ad Superiorum arbitrium pendens beneficiorum adminiſtratio, adhuc laudabiliter perſeverat.

Ad Cap. V. *Pactionibus & variis juramentis*. Pactiones factæ *pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis* (*cum in hujuſmodi omnis pactio, omniſque conventio debeat ceſſare*) *nullius penitus ſunt momenti*. Ita Gregorius IX. cap. 8. ext. De pactis, neque quis ad ea ſervanda tenetur, etiamſi juramento ſint firmata: *non enim dicenda ſunt juramenta, ſed potius perjuria quæ contra utilitatem eccleſiaſticam & SS. Patrum veniunt inſtituta* verba ſunt Conc. Lateran. 3. can. 16.

Inde provide cautum in Conc. Moguntino ann. 1549. *ut nullus in poſterum Clericus ad aliquod beneficiorum ſeu dignitatem admitti debeat, niſi prius juraverit quod in ejus adeptione nullam commiſerit ſimoniam, aut illicitam fecerit pactionem*.

Attamen pacta circa ea quæ jure tantummodo Eccleſiaſtico ſunt prohibita, non ſunt illicita, ſi interveniat Sedis Apoſtolicæ diſpenſatio ex can. 8. Conc. Rotomag. ann. 1581. quia, inquit, Innoc. III. in cap. propoſuit: De concell. præbendæ, *ſecundum plenitudinem poteſtatis, poteſt de jure ſupra jus diſpenſare*, quod, modo urgeat rationabilis cauſa, uſu eſt, in utroque foro receptiſſimum.

Ad Cap. VI. *Si quis Converſus, Donatus, Condonatus, Oblatus*. Converſi ſeu fratres laici, qui ſe & ſua dant religioni habitu mutato ſunt vere Religioſi, ac votorum ſolemnium profeſſionem emittere ſolent; cap. Non eſt dubium ext. De regular. & Clement. unic. De exceſſib. Prælat. ad opera Monaſterii ſunt deputati, ſolumque differunt a Monachis ratione Ordinum Sacrorum, habentes chorum diſtinctum a choro proprio Monachorum. Extat. tom. 4. Anecdot. V. C. Martenne Regula pro Converſis Ciſter.

*Donati vero, Condonati, Oblati qui & Confratres*. Exemptorum ex §. 4. Cap. Cum & plantare ext. de privileg. Hæc quatuor in idem quoad rem coincidunt, & ſecundum diverſitatem Religionum his diverſis vocantur nominibus. Eorum alii erant qui adhuc manentes in ſeculo alicui Regularium ordini ſeipſos mancipabant, mutato habitu ſeculari; alii qui bona ſua ipſis erogabant, retenta ſibi quandiu vixerint uſufructu. Utroſque memorat Conc. Lateran. 4. c. 57. & eos Conc. Rotomag. ann. 1231. can. 21. & Synodus Bajocenſis ann. 1300. cap. 52. *ſingulari & Religioni congruo ſigno indui* jubent *ut per hoc diſtinguantur ab aliis* quamvis vere Religioſi non ſint ut obſervatur in can. 6. Concilii Senonen. ann. 1259.

*Maxime autem extra loca exempta*. Ex celebri enim Conſtitutione Concilii Lugduni I. relata in cap. 1. De privilegiis in 6. a Marcienſi poſtea Conc. ann. 1326. can. 56. a Vaurenſi can. 72. ac demum a Conc. Trident. ſeſſ. 7. de Reform. cap. 14. innovata, *Exempti omnes quacumque gaudeant libertate. Ordinariorum juriſdictioni omni ſubſunt, ratione delicti, ſive contractus aut rei de qua agitur, modo religioſa res non ſit, aut delictum, aut contractus initus in loco exempto, ſalvis nihilominus caſibus in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta*.



*Niſi fidem faciat de Privilegio*. Seculo enim 13. Licet plures Religioſi a poteſtate Epiſcoporum eſſent immunes, nondum in Eccleſiam quaque patet ſtatus monaſticus, irruperat omnium fere regularium ab Ordinariorum obedientia libertas, unde multa pro religioſorum tam externo quam interno regimine ſtatuta ab Epiſcopis condita paſſim videntur in hujus ætatis Conciliis provincialibus. Celebriora ſunt Conc. Senonenſ. ann. 1216. Oxonienſ. Duo Rotomag. Compiniac. &c. Unde onus exemptionis probandæ eis incumbebat qui contra jus commune, ſe ab epiſcopali jugo liberos aſſerebant; ut decernitur in hoc canone.

Ad Cap. VII. Deeſt in mſ. Dienſ. a C. V. Martenne vulgato. *Servet eam firmiter; non enim ſervari debet interdictum* (ait Innoc. III. occaſione Hoſpitaliorum,) *ſi illi non ſervant in quorum favorem latum fuit, ne videantur de aliorum fletu videre*.

Ad Cap. VIII. Deficit quoque in mſ. Dienſi. Totum illud capitulum, iiſdem fere verbis iteratur in Conciliis Avenionenſ. ann. 1326. & 37. cap. 7. & 9. Biterrenſ. cap. 8. & Vaurenſi cap. 128.

*Adulterinum* non *adulterium*, uti legebatur in priori Regia editione Conciliorum Avenion. in quibus unius ſolius literulæ omiſſione ſenſus omnino obſcurus efficiebatur. In illis deſunt quoque iſta. *Major medius & infimus*, & *pro ſe vel pro alio* & poſtrema hæc: *omnino a Cleri Collegio ſequeſtratus*. Ac poſt hæc verba *ratum habente* iſta adduntur in CC. Avenion. *vel poſtquam requiſitus fuerit, vel ejus locum tenens, infra x. dies corrigere negligant*.

Pœnam quoque inflictam hæredibus qui ad Clericatum inhabiles decernuntur, *niſi fuerit cum illis miſericorditer diſpenſatum*, quæ diſpenſatio ad quemlibet Epiſcopum de jure pertinet ex iſto Concilio cum nemini reſervetur, hanc, inquam, pœnam Concilia Avenionenſia & Vaurenſe ad poſteros ampliant uſque ad ſecundam generationem, neque remitti poſſe decernunt niſi de conſenſu Metropolitæ & unius ex ſuffraganeis quæ lectio retinenda, quamvis in poſtrema collectione Regia Conciliorum, ſoli Metropolitæ illa diſpenſatio credita videatur. In illa quippe deficiunt hæc verba: *cum uno Suffraganeo* quæ ſuppleri debent ex priori editione.

Poſt hæc: *miſericorditer diſpenſatum*; reliqua deſunt in Conc. Biterrenſi.

*Accenſos palearum faſciculos aut candelas de cepo &c.* Levibus ita & frequentibus de cauſis interdicti, & excommunicationis ſententias ferebant Epiſcopi per illam ætatem, ut cenſuræ in contemptum apud vulgus facile venerint; adeo ut excommunicati qui in vim cenſuræ a fidelium conſortio ſemoti erant, & ipſi banna facerent contra Excommunicatores & Denunciatores, ut videtur in can. 15. Conc. Valentini, quin immo titiones, ſartagines, aliaque id genus in manibus geſtantes, Excommunicatores, ſuo modo, ſcurriliter & impie excommunicabant, ſolennis excommunicationis ritus, campanis pulſatis, candelis accenſis, & in terram projectis, obſervari ſoliti, execrandi ſimulatores. Eadem de cauſa inibant ſocietates quas vocabant confratrias quibus mutuum contra Epiſcopos & cenſuras ab eis latas aut ferendas munimen ſibi parabant. Has damnant quas vocabant *Confratrias* Concilia eo ſeculo & ſequenti celebrata Valentin. Burdigal. duo Avenionenſia, Vaurenſe, & longe antea Concil. Chalced. can. 18.

Ad Cap. IX. Capitulum iſtud deſideratur in mſ. Dienſi. Refertur ad literam ſicut & 17. inter Conſtitutiones Jacobi II. Ebredunenſi Archiep. quæ ediditſe cum Epiſcopis Comitatus Provinciæ ann. 1278. narrat *Gaſſendus* in notitia Eccleſiæ Dinienſis. At quo fundamento aſſertionem vir doctiſſimus aſtruat, neſcitur, cum ad Regienſe Concilium a quo illa capitula condita ſunt, neque *Jacobus* Ebrodunenſis, neque alii Comitatus Epiſcopi convenerint præter Provinciæ Aquenſis ſuffraganeos.

*In eandem ut prius excommunicationis ſententiam reincidat*. Exiſtimavit V. C. *Cabaſſutius* in notis ſuis ad hoc Concilium, cujus ei copiam fecerat chariſſimus Frater, *Bonifacium* VIII. primum fuiſſe Pontificum qui de abſolutione cum reincidentia jus ediderit in cap. eos qui de ſent. excomm. in 6. dato circa ann. 1274. advertens ei decreto, annos novem præiviſſe Conc. Regienſe. Verum ſimilis adverſus fideifragos ſanctionis antiquius habetur exemplar. In Conc. *Rhemenſi* an. 1148.

In illo enim *Eugenius* III. qui ei præfuit, quamvis voce *reincidentiæ* non utatur, rem eo verbo comprehenſam ſtatuit. Ita enim can. 13. definit: *Ut ſi quis Epiſcoporum vel Sacerdotum aliquem vinculo Excommunicationis innodaverit, & ille mortis metu vel imminentis periculi, vel .... fraudandi ſatisfactionem intra certum terminum promiſeris, & ob hoc abſolutionem meruerit, niſi intra terminum promiſſum ſolvat quod promiſit, morte præventus, maneat inſepultus. Si vero ſine termino hoc ipſum promiſeris & intra tres menſes non ſolverit, ſimili pœna tenebitur*. Cum quo tamen ſtat, illam *reincidentiæ* vocem primum a Conc. Regienſi uſurpatam fuiſſe, deinde a Bonifacio VIII. adhibitam. Nam Conſtitutio *Innocentii* III. relata in cap. ad reprimendam ext. de Off. Judic. ordin. non verſatur circa latam, ſed ferendam, in eo caſu, ſententiam.

Ad Cap. X. In mſ. Dienſi a V. C. Martenne edito exorditur hoc capitulum ab his verbis quæ deſunt in noſtro: *Item ex quo qui excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententia innodati, ex cauſa probabili, juſta & rationabili publicati fuerint, non ſunt in ſuis iniquitatibus ſub quovis figmento palpandi*. Quæ lectio germana non eſt, ex illa enim colligeretur etiam, ante Decretum Concilii Conſtantienſis ſolos fuiſſe vitandos excommunicatos qui fuiſſent denunciati; quod plane adverſatur illius ævi diſciplinæ, juxta quam non ſolum denunciati vitandi erant, ſed quotquot excommunicatione irretiti, agnoſcebantur. Rectius in codice noſtro habetur ab excommunicatis eſſe cavendum *maxime publicatis* juxta certam illius tum temporis praxim Eccleſiæ.

Ad Cap. X. *Sub pœna quam ei Ordinarius ſuus duxerit infligendam*. Quare arbitrio Epiſcopi pœna infligenda linquatur, cum ipſo jure anathemate percuſſi eſſent quicunque in divinis cum ſibi notis excommunicatis, communicaſſent? Exiſtimarim ego Patres Regienſes, vel arbitrio Epiſcopi voluiſſe remittere tempus abſolutionis impendendæ Clerico, vel pœnam imponendam ejus conſcientiæ reliquiſſe in illis rerum circumſtantiis in quibus eſſet ambiguum an ex culpa ſeu negligentia Clericorum ad divina excommunicati fuiſſent admiſſi.

Ad Cap. XII. Pauperibus Eccleſiis & perſonis in jus vocatis, juvamen præſtandum eſſe, decreverant Concilia plurima. Marcienſe can. 55. Vaurenſe can. 80. Avenion. ann. 1336. At Conc. Regienſe omnibus opem ferendam decrevit Beneficiariis qui prætextu literarum Apoſtolicarum (amicabili incaſſum prius tentata compoſitione) impetebantur extra curiam Ordinarii .... Fraudes & fallaciæ quæ in earum literarum impetrationibus, irrepebant fuſe recenſentur in cap. 10. & 11. Conc. Vaurenſis, cap. 2. præfati Conc. Avenion. & can. 4. Concilii apud Caſtrum Gonterii ejuſdem anni. Illos abuſus ex parte emendarunt Innocent. III. in Conc. Lateran. 3. cap. 37. Honorio III. in cap. Olim ext. De Exceptionibus; ac demum Bonifacius VIII. in cap. Statutum §. Cum vero de reſcriptis in 6. ad quæ Lector remittendus.

Ad Cap. XIII. Conc. Inſulanum ſeu Arelatenſe anni 1288. cap. 54. eumdem canonem verbis contractis reperit pœnis additis gravioribus in veneficos. At Concilia Avenionenſia ejuſdem Provinciæ ſæpius adducta iiſdem verbis innovant can. 21. & 27. & in eo dumtaxat differunt a Regienſi, quod illæ, curiæ Ordinarii ſeu Epiſcopi, hoc curiæ ſeculari notos facere toxicorum emptores, mandat Apothecariis.

*Ad Sedem Apoſtolicam*, quo magis horrori foret tam grave ſcelus, ejus obnoxios ad Summum Pontificem ſponte mittit Concilium abſolvendos. Idem in cap. ſequenti. Hujus praxeos exempla plurima ſuppeditat Hiſtoria Eccleſiaſtica: inde caſus plurimi, Sedi Apoſtolicæ reſervati. Concil. Friſigenſe ann. 1460. can. 24. veneficii criminis abſolutionem ſolis Epiſcopis adſciverat.

Ad Cap. XIV. Idem capitulum iteratur in præfatis Conciliis Avenion. can. 18. & 22. ac Vaurenſi can. 15.

*Dictare toxicum*. Hoc eſt docere, quem alius excipiat modum conficiendi toxicum.

Ad Cap. XV. Canones 19. & 23. Conciliorum Avenionenſium, & can. 121. Concilii Vaurenſis ex iſto capitula deſumpta ſunt, nulla tamen Templariorum facta mentione, quandoquidem intermedio generali Concilio Viennenſi deleti fuerant.

Juſtis Epiſcoporum querelis anſam præbuerant conceſſa nonnullis Regularibus plurima a Sede Apoſtolica privilegia, quæ tamen fuiſſe partim revocata ab Alexandro IV. & Clemente IV. Patres Concilii Herbipol. ann. 1287. can. 47. aſſeverant. His elati favoribus exempti, nec ſe ab excommunicatis abſtinere ſatagebant, quamvis ſpecialiter Hoſpitalariis propria ipſorum Regula 17. prohibitum, nec a ſubditis, aut a confratribus cenſuras latas ab Epiſcopis ſervari curabant. Inde tot ab 13. ſeculo quo privilegia incrementa ſuſceperunt uſque ad 14. edita a Conciliis tam generalibus quam provincialibus adverſus exemptos decreta; ut illos intra ordinem ac debitam Epiſcoporum ſententiis obedientiam cogerent. Perſtabant adhuc nefariæ illæ in Epiſcoporum auctoritatem exemptorum molitiones, tempore Concilii generalis Viennenſis,

a quo & illæ ſanctiones innovatæ ſunt. Clement. cum eo. de Privilegiis & cap. quod in te De pœnis & remiſſ. & milites Templi omnino ſuppreſſi.

*Contra mentem Concilii Lateranenſis 4.* videlicet, cap. 17. appoſite *mentem* legitur in noſtro mſ. non *ſententiam*, ut habet vulgatum Avenionenſe Concilium: quia licet a Conc. Lateran. injunctum eſſet exemptis in ſententias ab Epiſcopis prolatas executioni mandarent, non tamen expreſſum, & clarum editum fuerat decretum de excommunicatis ad converſionem non recipiendis; quapropter exempti qui (ut conqueritur Conc. Avenion. ann. 1282. can. 6. *inhærendo intellectui literali duntaxat vel codici privilegiorum, Prælatorum ſententias violabant,* Decretum Concilii Lateranenſis perſtringere non exiſtimabant, eos Juris ligatos ad vota ſolennia admittendo, quamvis re ipſa, ſi non contra literam, tamen contra mentem Concilii agerent; ut obſervant Patres Regienſes. Idem prohibitum initio ſeculi ejuſdem, tum a Concilio Pariſienſi, part. 2. cap. 14. monendo, *ut qui religioni alicui nomen dare poſtulant, indicent primum in ingreſſu an cenſuris innodati ſint nec ne,* tum a Concilio Monſpelienſi can. 30. ab Avenionenſi ann. 1282. can. 6. Cluniacenſium tamen Abbati indultum eſt a Paſchali II. Epiſt. 65. *ut poſſet quoſcumque ad ſepulturam & ad converſionem ſuſcipere, niſi pro certis,* ſeu ut intelligo, atrocibus, *criminibus excommunicati fuiſſent.*

Aliis quoque fraudibus tunc temporis minuebant exempti Epiſcoporum jura ſeu ſodalitio ſuo plurimos confratres, qui eorum gauderent privilegiis, ſub duobus aut tribus denariis annuatim ſolvendis, adſcribendo, cui licentiæ modum poſuere Conc. Lateran. 3. cap. 3. §. 4. de Privileg. Lateran. 4. cap. 57. & Arelat. ann. 1260. cap. 12. ſeu domos regulares integras ſui aut alterius ordinis quæ ſubjacebant Epiſcopis dolo aut aperta vi, ex cauſa tranſlationis occupando, licet Concilium Lateran. 3. can. 12. & Lugdun. 2. cap. 23. data ſingularibus perſonis facultate ad alios ordines tranſeundi, nominatim prohibuiſſent ne unus Ordo, aut Conventus integer ad alium transferretur abſque Apoſtolicæ Sedis judicio. vid. can. 6. Conc. Senonens. ann. 1269. ubi aliæ bene multæ recenſentur Regularium, Templariorum, Oblatorum &c. in Epiſcopos molitiones.

*In privilegiis ſuis tueri.* privilegium enim meretur amittere qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, *ut quorum libertas perniciosa eſt, ſit ſalutifera ſervitus, & qui ſuperbire noverant adepta libertate, diſcant obedire ſubjecti,* ut habet Conc. Tolet. 4. cap. 8.

Ad Cap. XVI. Habetur integrum in Conc. Avenion. ſæpe allatis can. 20. & 35. Biterren. can. 10. & Vaurenſi can. 62. paucis mutatis.

Epiſcopis vetita fuerat a Conc. Carthag. 4. can. 18. tuitio teſtamentorum; ne ſecularibus rebus ſe immiſcerent, quibus prohibita fuerat propriæ rei familiaris cura; at legatis piis & reſtitutionibus exequendis opem ſuam ponere nuſquam ipſis interdictum, immo debito paſtorali congruere viſum, ad defunctorum & virorum fidelium liberationem. Illi operi maxime conducere exiſtimarunt Epiſcopi, ſi teſtamentis conſcribendis intereſſent Parochi, eiſque intra certum diem, piorum Legatorum exſcriptum daret Notarius, de quibus Parochus in Synodo certum faceret Epiſcopum. Illam Parochi præſentiam tanto cum ſtudio plurima ſec. 12. & 13. Concilia exoptarunt, ut irrita decreverint teſtamenta ad quæ non fuiſſet rogatus. Vide Concilia Toloſan. Arelat. Rotomag. Albienſe, &c.

Ad Cap. XVII. Quoſcumque percuſſores Clericorum, extra mortis articulum a nemine præterquam a Summo Pontifice abſolvi poſſe, primus Innocent. II. edixit in Concilio Remenſi, tum in Claromontano, poſtremo in Generali Lateran. Idem innovavit Decretum Eugenius III. in alio Remenſi Concilio, nulla habita differentia inter enormem, gravem & levem percuſſionem.

*Quantumcumque modica ſeu levi.* Poſſe a levi Epiſcopos abſolvere declaravit Alexander III. cap. 3. ext. de ſent. excomm. Levem autem dicunt eſſe ictum pedis, manus pugni citra circumſtantias, quæ crimen augeant, datum aut quem ſimilem.

*Nullus præſumat abſolvere Ordinarii licentia non obtenta,* etiam de levi percuſſione, quia jura de ſolis Epiſcopis loquuntur habentibus Diœceſin, non de Ordinariis ſimpliciter, quo nomine venirent quoque Prælati inferiores, juriſdictione quaſi Epiſcopali decorati tot. tit. extr. de ſent. excomm. & eod. tit. 14. in append. ad Conc. Lateran. 3. Abbates tamen abſolvunt ſuos ſubditos ad [illegible] lædentes, uti & Epiſcopus cap. 2. ext. de ſent excomm.

Ad Cap. [illegible] Bona vacantium Eccleſiarum circa ſec. 12. 2. & 4. [illegible] Prælatis, Patronis, & locorum Dominis quandoque jure [illegible], quandoque injuria occupabantur: vid. Nogaret in art. 14. oblato Clement. V. Marca de Concordia lib. 8. cap. 25. & 26. innumeraque Concilia per hæc tempora congregata.

Præfatæ Synodi Avenion. capit. 24. & 29. Vaurenſis capit. 13. pro more adhærent Regienſi, appoſita huic capitulo hac circumſcriptione: *niſi ſibi per privilegium vel conſuetudinem hoc liceret;* quod recidit ad hæc can. 71. Conc. Remenſis, *jus antiquum & beneficium antiquitus conſtitutum,* & ad ſimilia capit. 19. Conc. Lateran. 3. & capit. 12. Conc. Lugdun. 2. aliorumque Provincialium Conciliorum, Herbipol. canon. 26. Auſcitan. 1300. can. 3. Londin. ann. 1368. can. 16.

*Vacantium per mortem . . . . . vel abſolutionem* illo *abſolutionis* vocabulo, qua beneficiorum vacationi dabatur locus, nil aliud ſignificari videtur niſi licentia Superioris beneficio renuntiandi, ſeu *ſolvi a cingulo militiæ,* ut habet *Alexand.* 3. cap. 1. ext. De Renuntiat. Verbum illud pro licentia & auctoritate rem dimittendi agendive, tum acceptum quandoque fuiſſe, luculentum profert exemplum (præter alia quæ V. C. *Car. Du Cange* colligit in ſuo Gloſſario) Albanenſis Cardinalis Henricus in Epiſt. 4. ad eundem Alexandrum tom. 3. Biblior. Ciſtert. Cupiens namque ut Primati Hiberniæ, de Epiſcopatu decedere volenti, conſentiat, atque delectum ab illo ſucceſſorem approbet, rogat ut *tam in* abſolutione *ejus quam in ordinatione iſtius efficaciter annuat.*

Cui autem committenda ſint, defuncto Prælato, Eccleſiæ bona? vid. Caballut. notit. Eccleſ. in can. 25. Conc. Chalcedon.

Ad Cap. XIX. Conflictibus inter Rectores Parochiarum & Regulares ſæpius exurgentibus ſalubriter providit aliquot ab iſto Concilio annis *Bonifacius* VIII. Extrav. Comm. de ſepult. Item Conc. Vienn. in Clement. Dudum eod. tit. multa exquiſita ad hanc materiam collegit idem *Caballut.* in notis ad Conc. Nannetenſe.

*In cimeterio Eccleſiæ Parochialis. Ut ibi quieſcat corpus ubi vivens famulabatur* ex Conc. Ænomenſi ann. 1010. can. 15.

*Habita fuerit certitudo* modum illam habendi, indicant Concilia Avenion. crebro citata cap. 22. & 23.

Ad Cap. XX. *Cum ex præcepto divino decimæ &c.* Jure divino ſolvi debere decimas ſacris Miniſtris in ſignum Dominii univerſi quod in res omnes Deus ſibi vindicat, docent plurima Concilia, Triburienſe can. 13. Ravennat. an. 1286. Rubrica 7. Oxonienſe cap. 53. Iſta Malachiæ cap. 3. adducens. *Inferte omnem decimam in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea* Salmurienſe cap. 5. &c.

*Niſi forſan compoſitio facta legitime* hoc eſt cum auctoritate Epiſcopi, alias non tenet ex Conſtit. Alexander III. cap. ſtatuimus ext. De tranſaction. cap. 50. Conc. Avenion. ann. 1326. & cap. 23. Concil. 3. Aurelian. quia ut refertur in can. Decretum, art. 3. 10. q. 1. qui eſt Conc. 2. Cabilon. *Omnes Eccleſiæ cum dotibus ſuis & decimis & omnibus ſuis, in Epiſcopi poteſtate conſiſtunt, atque ad ordinationem ſuam ſemper pertinent.*

Ad Cap. XXI. *Oſtendant privilegia &c.* Ex pervulgato cap. 4. Conc. Chalcedon. aliiſque plurimis Conciliorum placitis monaſteria omnia Epiſcoporum ſubſunt juriſdictioni etiam circa internum ipſorum regimen. Unde regulares qui ab Epiſcoporum legibus ſe immunes prædicant, privilegia exhibeant neceſſe eſt. Quibus a jure communi ſe probent liberos, alias pro non exemptis reputanda eſſe decernit Synodus Regienſis, Idem antea cautum in Conc. Caſtri Gonſerii can. 14. Turonen. can. 11. Avenion. ann. 1292. can. 9. ac P. R. Decretalibus in tit. De Religoſis Domibus, & tit. De Privilegiis, relatis.

*Tam Exempti quam Privilegiati.* Diſtinguuntur plane. Primi a juriſdictione Epiſcopi omnino ſunt liberi, niſi aliquando præter S. Chriſma, ordinationes & conſecrationes ex Conſtit. Alexandri II. Epiſt. 19. Privilegati vero quoad certa tantummodo capita ſunt immunes, v. g. ut excommunicari non poſſint; eorum loca interdicto ſupponi cap. 1. ext. De verb. ſignif. in 6. quales fuere Milites Templi & alii cap. 3. eod. in 3. collect. Exemptiones fere omnes a conceſſione unius aut alterius Privilegii ſumpſere exordium. Deinde aliud ex alio comparantes, regulares, Epiſcopale paulatim jugum penitus excuſſere.

Ad Cap. XXII. *Sine ſpeciali Epiſcopi licentia.* Poſt quæ verba illa addunt Concilia Avenionenſia ſæpe allata can. 31. & 36. *De quo in inſtitutione, vel poſt poſſint præſtare juramentum Patronis ratione temporalium, prout eis competit de jure vel de conſuetudine.* Non enim qualecunque juramentum interdicitur, ſed illud quod contra fas & abſque Epiſcopi conſenſu præſtatur; ne eo inſcio privatorum pactis & promiſſis, Eccleſiæ iniquis ſubjiciantur ſervitutibus. Licita enim eſſe, etiam coram laicis, ratione temporalium juramenta recte deducitur ex can. 43. Conc. Lateran. 4. qui illa prohibet *iis tantum Clericis qui nihil temporale ab illis detinent.* Et quod magis Synodus Bajocenſis ann. 1300. can. 43. adeo illa juramenta coram Patronis laicis non prohibet, quin etiam præcipit *ut Epiſcopus receptum beneficiarium faciat jurare quod ad Patronos accedat ut debitum faciat juramentum.*



*In Eccleſiis Parochialibus,* cujuſcunque Clerici ad qualecunque Beneficium inſtitutio abſque Epiſcopi aut ejus Vicarii auctoritate regulariter non fit. *Laicus* namque ut habet Conc. Juliobon. cap. 9. *Presbyterum non dat neque adimit Eccleſiæ niſi ex conſenſu Epiſcopi.* Innumeris Canonibus idem jus confirmatur. Ita ut quandiu Archidiaconi, Archipresbyteri & Decani ad Epiſcoporum nutum fuere Vicarii, eorum nomine ad beneficia Clericos inſtituerint: at ubi fuere proprio jure ſtabiles, facultate inſtituendi ſenſim deciderunt nuda eorum aliquibus relicta immittendi in poſſeſſionem poteſtate ex decreto Conc. Later. 3. relato in cap. nullus omnino 16. qu. 7. & cap. 21. & 23. Alexand. III. De Exceſſib. Epiſc. & Arch. & Innoc. III. cap. ad hæc De Off. Archid.

Attamen jus Epiſcopale in Parochis inſtituendis quovis tempore magis commendatum. Et ſi aliquando alii ab Epiſcopis parochiales Eccleſias contulerint, id ſine illorum vel expreſſo vel tacito conſenſu, fieri nequivit; quia cum inſtitutio ſpiritualis ſit & miſſionem quandam Apoſtolicam cum quadam in res ſacras & animas juriſdictione, conjunctam contineat, ab Epiſcopis, ut a Deo eſſe poſſit neceſſario debet accipi, quos Chriſtus in Apoſtolis, a quibus ad Epiſcopos manavit miſſio, *poſuit regere Eccleſiam Dei,* & quibus in ſpiritualibus & animarum cura inſtituti, ſubjiciuntur. Unde merito, præter plurima alia Concilia, ſtatutum eſt a Conc. Toletan. ann. 1324. can. 4. *ut nullus incurato beneficio adminiſtret donec in eo per Diœceſanum Epiſcopum inſtitutione authoriſabili* (hanc vocem anterius uſurpatam nuſquam inveni) *fuerit inſtitutus, & ſibi cura commiſſa fuerit animarum.* Idem decernit Conc. Ravennat. 4. can. 11. licet aliis competat jus inſtituendi ad Parochias.

Ad Cap XXIII. *Nonnulli impediunt quominus appelletur.* Quæ priſcis Eccleſiæ ſeculis, a judiciis Epiſcoporum ad Synodum Provincialem erat provocatio ceu recurſus, ob Conciliorum infrequentiam, ne omne confugium deeſſet damnatis, ad ſolos Metropolitas devoluta eſt. Cum autem *ipſi Archiepiſcopi & Epiſcopi mutuum ſibi ad invicem auxilium in ſententiis ſervandis & publicandis præſtare deberent,* ut eos admonet Conc. Avenion. ann. 1276. can. 3. diſciplinam uſu tum veteri & ſacris Canonibus receptam infringere moliebantur circa ſec. 12. & 13. tum Metropolitarum Officiales, latas a ſuffraganeis ſententias, ipſis inauditis, relaxando, ſeu etiam antequam ad ipſos eſſet provocatum, Officiales foraneos qui de adventuris cognoſcerent provocationibus in Suffraganeorum Diœceſibus conſtituendo, tum niſi Diœceſanorum Officiales, nulla penitus monitione præmiſſa, interdicendo aut excommunicando, quos in cauſis ſuis appellaturos noverunt. Quæ omnia inordinata facta correcta & compoſita ſunt a Conciliis generalibus Lateran. ſcilicet 3. can. 6. Lateran. 4. can. 36. & 3. *Innocent.* IV. in Conc. Lugdun. 1. cujus Pontificis Decreta *Bonifacius* VIII. ſub tit. De off. Jud. ordin. De Foro compet. De Appellat. &c. in ſexto Decretal. inſeruit. Plurimæ quoque eoſdem repreſſerunt exceſſus Provinciales Synodi, quas inter celebriores ſunt Vaurenſis, Marcienſ. & Salmaticenſ. ſec. 14. ac Turonenſ. Bituricenſis, Oxonienſis ſec. antecedenti congregatæ & hæc noſtra Regienſis ceu Aquenſis, G. id eſt, Gimerii Archiepiſcopi ſtatuta innovans.



# VITA
# HONORII PAPÆ IV.

HONORIUS quartus, patria Romanus, ex illuſtri Salvatorum familia natus, Jacobi nomine antea vocatus, Peruſii pontifex electus eſt, quarto Nonas Aprilis, anno Domini 1285. tempore Rudolphi imperatoris. Adeo podagris & chiragris impediebatur, ut non niſi inſtrumentis ad id affabre compoſitis ſuffultus celebrare poſſet. Prudentia & conſiliis nulli erat ſecundus. Excommunicationem contra Petrum regem latam renovavit, ideo quod omnibus conatibus regnum Neapolitanum affectabat. Parum etiam abfuit, quin Genuenſes interdicto notaverit, quod Piſanos obſtinate perſequentes apud Lamellum ingentibus cladibus affeciſſent. Guidone Feltrano, a quo inquietabatur, mortuo, Flaminiam recuperavit. Carmelitarum ordinem, cappis eorum nigris in albas commutatis, una cum ordine Eremitarum, antea Pariſiis exagitatum confirmavit: non quod illi celeberrimi ordines demum hujus pontificis ætate ſua initia acceperint, ſed quod ex obſcuris Aſiæ & Africæ latebris erumpentes magis innotuerint, ac in Italiam aliaſque Europæ partes ſeſe effuderint, feliciuſque increverint, ſub apoſtolicæ ſedis clientela & patrocinio conſtituti. Etenim Carmelitarum ordo ab ipſis apoſtolorum temporibus in monte Carmelo inchoatus fuit, unde & nomen ſuum mutuo accepit. Temporis tandem progreſſu, numero hominum & domiciliorum multiplicatus eſt. Verum Saracenis irruentibus disjectus & diſſipatus, nonnihil detrimenti accepit. Iis porro denuo ejectis, ordo circa ea tempora iterum refloruit. Eremitarum vero religio, ab ipſo patre Auguſtino in nemore prope civitatem Hipponenſem (teſte Poſſidonio) fuit inſtituta: quæ vivo Auguſtino & mortuo, magna deinceps ſumpſit incrementa. Poſt aliquot annos barbarorum irruptione cecidit. Hinc eremitis in Italiam adventantibus, aliis alio migrantibus, in varias provincias & Europæ partes ſeſe protulerunt: donec omnes in unum corpus revocati, authoritate apoſtolica, loco, habitu conjuncti, ad Auguſtini regulam, normam & nomen arctius religati ſunt. Inſuper & in civitatibus habitare ſunt juſſi, ut epiſcopis, parochis, & aliis eccleſiæ paſtoribus, tanquam ſubſidiarii ſodales, auxiliarentur. Unde factum eſt, ut eremitarum nomen, quod ex ſolitudine ab initio habuit, etiam in mediis urbibus retineat. Ut ad Honorium ſermo recurrat, toto pontificatus ſui tempore unicum cardinalem creavit Joannem Buccumatium epiſcopum Tuſculanum. Alumnorum ſuorum, domeſticorum, & famulorum ſuorum amantiſſimus erat, quorum ſalutis ſingularem curam habebat. Ad extremum vir bonus & integer, ſcientiæ & honeſtatis verus amator, quando Petri naviculam feliciter duobus annis & uno die rexiſſet, naturæ debitum in monte Aventino, in quo ſe continebat, perſolvit, tertio Nonas Aprilis, anno Chriſti 1287. ac inde ad ſanctum Petrum ad ſepeliendum delatus eſt. Sedes propter cardinales diverſis morbis exagitatos decem menſibus vacavit.

# ** CONCILIUM LANCICIENSE,

## Adverſus Henricum IV. VVratiſlaviæ ducem,

### Eccleſiaſticæ libertatis violatorem, anno Dom. MCCLXXXV. celebratum.

*Henricus IV. dux Wratiſlaviæ ingentem pecuniæ vim Thomæ epiſcopo, & clero Wratiſlavienſi imperaverat: quam cum non penderent, epiſcopo ſede ſua pulſo, eccleſiæ bona, decimaſque omnes ſibi attribuerat. Non tulit Jacobus Gneznenſis archiepiſcopus, Jac. Swinka; ſed, ut ait Mithovius l. 3. c. 62.* ad ſupplicationem & inſtantiam Thomæ epiſcopi Wratiſlavienſis, in ſynodo generali Lancicienſi, de conſilio & aſſenſu omnium epiſcoporum & prælatorum, Henricum IV. ducem Wratiſlavienſem, & omnes ſatellites, familiares, & adhærentes, præbentes ei auxilium aut conſilium, excommunicavit: diœceſim autem Wratiſlavienſem interdicto ſuppoſuit quod univerſæ eccleſiæ Wratiſlav. ſæculares & regulares obſervarunt, præter fratres Minores ordinis S. Franciſci, in monaſterio S. Jacobi Wratiſlav. Ceteri ergo clerici omnes, epiſcopus, prælati, & fratres Prædicatores, expulſi ſunt & in exilium acti.

Ex Hiſt. Litter. ſecul. Scholaſt.

# CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM,

## IN QUO DE LOCO DAMASCENI

### Lib. 1. de Fide Orthodoxa magna concertatio habita.

Hoc Concilium in Triclinio Alexiaco congregatum. Præſens adfuit Andronicus Palæologus Imperator, & qui circa eum Magnates omnes, & quotquot e Senatoribus conſpicui. Et in his præcipue Theodorus Muſalo magnus Logotheta, vir in rebus Theologicis admodum exercitatus, quique primas diſputandi partes in hac ſynodo ſuſtinuit. Aderant Patriarchæ duo, Gregorius Cyprius Conſtantinopolitanus, & Athanaſius Alexandrinus, ingens Epiſcoporum cœtus, ut de Monachis, Laiciſque melioris notæ nihil dicam. Occaſionem ſynodo dedit vexata Græcos inter & Latinos quæſtio de proceſſione Spiritus Sancti; anſam immediatam controverſa Joannis Damaſceni ſententia, qui lib. 1. de fide Orthodoxa cap. 15. de Patre ſermonem habens, ita ſubinfert: *& productor per Verbum explanantis ſpiritus*. Ex hoc loco Veccus haud ita pridem Patriarcha, & qui cum eo ex parte Latinorum ſtabant, concludebant, Spiritum a Patre ſimul & a Filio procedere. Reſponderunt Græci aliud vocula *ex*, aliud *per*, ſignificari. Quin nec deerant, qui totum illud caput Damaſceni eſſe negabant. Ad dirimendam igitur litem coacta eſt hæc Synodus. Adductus ex carcere Veccus, quem plures ſocii ſequebantur, ubi prolixa habita diſputatione, controverſia excuſſa, & ventilata eſt. Extant hujus Concilii Acta apud Pachymerem Hiſt. l. VII. hujuſmodi.

Ex Pachym. hiſt. Andron. l. 7.

Hæc Veccus palam dicebat, &, ut videtur, eo animo, ut Imperatori denunciarentur: quod tandem non multo poſt accidit. Conſilio namque omnium deducitur; qui, deſcendens e navi, ad Coſmidii Monaſterium appellit; & congreſſus dies determinatur, & ſacrorum hominum Synodus, præſente etiam Imperatore, ad Alexiacum Tricliniuum congregatur. Aderat igitur Patriarcha Gregorius; aderat & Alexandriæ Athanaſius, quod vehementer artubus laboraret, lecto decumbens proſtratuſque; aderat & univerſus Præſulum cœtus, & qui Eccleſiæ operam navabant, & plurimi Monachi, & ex Laicis magis celebres. Præſidebat Imperator, erantque circa eum Magnates omnes, & quotquot e Senatoribus conſpicui, & inter alios magnus Logotheta primas inter congregatos obtinens, unaque cum Patriarcha concertationis ſibi partes aſſumens. Inſuper erat & Eccleſiæ Rhetor; qui diſceptationem ita exorſus eſt. RHETOR. Et quamuam ob cauſam ait, tu, cum ſcripta adhuc tua, quibus te erraſſe fatebaris, & veniam petebas, & dignitati renunciabas, nondum exſiccata ſint, hodie, quæ antea faſſus fueras, reſumis, &, tibi injuriam illatam eſſe, contendis, ita ut talis ac tanta Synodus congregata ſit? VECCUS. Quod, ait, cum ſententias Patrum pronunciaviſſemus, pro iis rationem reddere expoſtulati, quando earum expoſitionis tempus aliud, & aliud, quod tunc erat, dijudicaremus, pacis ac quietis tantummodo deſiderio renunciatis reliquis hæc agebamus: non ita tamen ut ii, quibus id in animo erat, nos interim carperent, & hæreſeos crimen nobis impingerent. PATRIARCHA. Cum reſumpſiſſet ſermonem Patriarcha Gregorius: Quidnam illud eſt, ait, quod opinantur, qui circa te ſunt? Namque erant cum eo, qui multo ante Archidiaconi munere fungebantur, Conſtantinus Meleriniota, & Metochita Georgius. ARCHIDIACONI. Tum illi: Si ſincere Theologiam addiſcere cupis, & opinionem, quam & corde tenemus & ore profitemur; hæc eſt, quam quilibet nec a Theologia aberrans tenet, in eaque nos ad extremum uſque ſpiritum perſiſtemus. Quod ſi eam quoque, quæ Patrum eſt, expoſcis; nullo modo fidei ſymbolo adverſariam, ſed explicationem & declarationem potius eorum, quæ in Symbolo ſunt, profitemur: invenimus in ſacris literis, Spiritum ſanctum exhiberi, dari, mitti, provenire eum ex Patre per Filium: in nonnullis etiam Patribus habetur, procedere. Ait vero & magnus Damaſcenus Joannes: Et productor per Verbum explanantis Spiritus. Agnoſcimus autem, idem eſſe & Productorem & cauſam. Cauſam itaque Filium in proceſſione Spiritus ex Patre non dicimus, neque ſimul cum Patre cauſam. Quin potius ſi quis ita enunciarit, eum nos & anathemate ferimus, & ejicimus: verum Patrem cauſam per Filium Spiritus dicimus; cum Productor in locum cauſæ accipiatur. MAGNUS LOGOTHETA. Et quanam ratione, infert magnus Logotheta, cauſam Filium non facitis in proceſſione Spiritus ex Patre, cum per Verbum cauſam Spiritus Patrem aſſeritis? ex his enim, quæ in medium affertis, illud potiſſimum demonſtratis, nunquam Patrem producturum Spiritum, ni Filium generaret, quod ſane apertiſſime cauſam innuit. ARCHIDIACONI. Ii vero, cum abſurdum, quod inde ſubinferebatur, evitare conarentur, reſponderunt. Multa in Theologicis dici, quæ exigua ſermonis menſura, cum ingentia illa ſint, commenſurata, humilibus ac dejectis mentibus objiciunt aliquid, & omnino abſurdum, & a divina dignitate alienum. An non dicimus: Perfectus Deus eſt Pater, & perfectus Deus eſt Filius, & perfectus Deus Spiritus ſanctus? An non inde Deorum Trinitas ſubinferri videtur? An non præterea dicimus: Generavit Pater Filium? An non reviviſcit Arius, momentum ac individuum temporis inter generantem & genitum interponens? Nos nihilominus blaſphemiam deteſtamur: quippe qui inter pietatis limites pedem fiximus, &, cum verba Scripturæ ſacræ exoſculemur, abſurdum, inde erutum, execramur. Hinc Georgius Moſchampar, eo tempore Eccleſiæ Chartophylax, ſpurium eſſe dictum illud affirmabat. cui Magnus Logotheta, proxime caput inclinans, ne alii audirent: Et quomodo, ait, hac

Ταῦτα ἔλεγε Βέκκος ἀναφανδὸν, καὶ δῆλος ἦν θέλων, καὶ βασιλεῖ προσαγγέλλεσθαι, ὃ δὴ καὶ οὐκ εἰς μακρὰν ἐγεγόνει. κοινῇ τε γὰρ σκέψει κατάγεται, καὶ τῇ μονῇ τοῦ Κοσμιδίου προσίσχει τῆς νηὸς ἀποβάς. ὡρίζετό τε ἡμέρα τῆς διαλέξεως. καὶ σύνοδος ἱερῶν ἀνδρῶν παρόντος καὶ αὐτοῦ βασιλέως ἀνὰ τὸ Ἀλεξιακὸν τρίκλινον γίνεται. παρῆν μὲν οὖν ὁ πατριαρχῶν Γρηγόριος. παρῆν δὲ καὶ ὁ Ἀλεξανδρείας Ἀθανάσιος ἀρρώστως ἔχων τοῦ σώματος, κλινοπετής τε, καὶ ἐπὶ σκίμποδος. συνῆν δὲ καὶ πᾶσα τῶν ἀρχιερέων ὁμήγυρις. παρῆσαν δὲ καὶ οἱ τῆς ἐκκλησίας καὶ μοναχοὶ πλεῖστοι, καὶ τῶν λαϊκῶν οἱ ἐλλόγιμοι. ἐν οἷς προὐκάθητο βασιλεύς, καὶ ἀμφ' ἐκεῖνον ἦσαν ὅσοι περ τῶν μεγιστάνων, καὶ τῆς συγκλήτου ἅπαν προφανές. ἦν δὲ καὶ ὁ μέγας Λογοθέτης τὰ πρῶτα τῶν συνειλεγμένων συνάμα πατριάρχῃ ἀναδεξάμενος τὰ τῆς διαλέξεως. ἐπὶ τούτοις ὁ τῆς ἐκκλησίας ῥήτωρ, ὃς δὴ καὶ τῶν διαλόγων κατήρχετο. ΡΗΤΩΡ. καὶ ἵνα τί φησιν ὦ οὗτος, ἐγγράφων ὄντων, καὶ ἔτι τῶν σῶν συλλαβῶν, ἐφ' οἷς ὡμολόγεις ἐσφάλθαι, καὶ συγγνώμην ἐζήτεις καὶ παραίτησιν ἐποιοῦ, σήμερον ἀναλαμβάνεις τὰ ὡμολογημένα, καὶ ἀδικεῖσθαι διισχυρίζῃ. ὥστε καὶ τοιαύτην δὴ καὶ τοσαύτην συγκροτηθῆναι τὴν παροῦσαν σύνοδον. ΒΕΚΚΟΣ. ὅτι φησὶ λόγους πατέρων εἰπόντες, καὶ λόγον ἀπαιτούμενοι περὶ τούτων ἡμεῖς ἄλλον μὲν εἰδότες καιρὸν, τὸν τῆς ἐκείνων ἀναπτύξεως· ἄλλον δὲ τὸν τότε παρόντα εἰρήνην θέλοντες μόνον ἀφέντες τὰ πάντα, ταῦτ' ἐπράττομεν. οὐ μὴν δὲ καὶ ὥστε τοὺς βουλομένους ἐργολαβεῖν, καὶ περιάπτειν ἡμῖν αἱρέσεως ἔγκλημα. Ο ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. καὶ τὸν λόγον ἀναλαβόντα τὸν πατριάρχην Γρηγόριον καὶ τί γε τὸ δοξαζόμενον φάναι τοῖς ἀμφὶ σέ. ἦσαν γὰρ σὺν ἐκείνῳ καὶ οἱ πάλαι ἀρχιδιάκονοι, ὅ, τε Μελιτηνιώτης Κωνσταντῖνος, καὶ ὁ Μετοχίτης Γεώργιος. ΑΡΧΙΔΙΑΚΟΝΟΙ. οἱ δὲ εἰ μὲν τὴν ἁπλῶς θεολογίαν βούλει μαθεῖν, καὶ τὴν δόξαν, ἣν καὶ καρδίᾳ πιστεύομεν, καὶ ὁμολογοῦμεν στόματι αὕτη ἐστὶν, ἣν ἅπας θεολογεῖ, ἣ καὶ ἡμεῖς ἐμμένομεν μέχρι καὶ αὐτῆς τελευταίας ἀναπνοῆς. εἰ δὲ ζητεῖς καὶ τὴν τῶν πατέρων, ἣν οὐκ ἐναντίαν φαμὲν τῷ συμβόλῳ τῆς πίστεως, ἀλλ' ἀνάπτυξιν, καὶ διασάφησιν μᾶλλον τῶν κειμένων ἐν τῷ συμβόλῳ εὑρίσκομεν ἐν Γραφαῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον χορηγούμενον, διδόμενον, ἀποστελλόμενον, προερχόμενον ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ. ἔστι δ' οὗ καὶ παρ' ἐνίοις τῶν πατέρων ἐκπορευόμενον. λέγει δὲ καὶ ὁ μέγας Δαμασκηνὸς Ἰωάννης, καὶ προβολεὺς διὰ λόγου ἐκφαντορικοῦ πνεύματος. ταὐτὸν δὲ τὸ προβολέα τῷ αἰτίῳ γινώσκομεν. αἴτιον οὖν οὐ φαμὲν τὸν υἱὸν ἐπὶ τῇ ἐκ πατρὸς προόδῳ τοῦ πνεύματος, οὔτε μὴν συναίτιον. ἀλλὰ καὶ ἀναθεματίζομεν, καὶ ἀποβαλλόμεθα τὸν οὕτω λέγοντα. τὸν δὲ πατέρα αἴτιον δι' υἱοῦ τοῦ πνεύματος λέγομεν. ἐπείπερ τὸ προβολεὺς εἰς αἴτιον ἐκλαμβάνεται. Ο ΜΕΓΑΣ ΛΟΓΟΘΕΤΗΣ. καὶ πῶς οὖν οὔ τοι φησὶν ὁ μέγας Λογοθέτης οὐ ποιεῖτε αἴτιον τὸν υἱὸν ἐπὶ τῇ ἐκ πατρὸς προόδῳ τοῦ πνεύματος, ἐπείπερ διὰ λόγου αἴτιον ὁμολογεῖτε τὸν πατέρα τοῦ πνεύματος; δείκνυτε γὰρ ἐξ ὧν λέγετε, ὡς οὐκ ἂν ὁ πατὴρ προέβαλε τὸ πνεῦμα, εἰ μὴ υἱὸν ἐγέννα. τοῦτο δ' ἐστὶν ἐμφαινόμενον αἴτιον. ΑΡΧΙΔΙΑΚΟΝΟΙ. τοὺς δὲ θέλοντας ἐκφυγεῖν τὸ ὑπονοούμενον ἄτοπον φάναι. ὡς πολλὰ ἐπὶ τῆς θεολογίας λέγονται. ἃ δὴ μικρῷ μέτρῳ τῷ λόγῳ τὰ μεγάλα σταθμώμενα ἐμφαίνουσί τι ταῖς χαμερπέσιν ἐννοίαις, καὶ ἄτοπον ὅλως, καὶ μὴ πρέπον θεῷ. οὐ λέγομεν, τέλειος θεὸς ὁ πατήρ; καὶ τέλειος θεὸς ὁ υἱός; καὶ τέλειος θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐχ ὑπονοεῖται τριθεΐα τὸ συναγόμενον; οὐ λέγομεν, ἐγέννησεν ὁ πατὴρ τὸν υἱόν; οὐκ ἀναζῇ Ἄρειος ἐννοῶν ῥιπὴν, καὶ ἄτομον χρόνου μέσον τοῦ γεννῶντος, καὶ τοῦ γεννωμένου; ἀλλὰ τὸ βλάσφημον ἀποφεύγομεν. ἱστάμεθα δὲ ἐν ὅροις τῆς εὐσεβείας, καὶ τὸ τῶν γραφῶν ὁμολογοῦντες, καὶ τὸ κακέμφατον οὐ παραδεχόμενοι. ἐντεῦθεν ὁ Μοσχάμπαρ Γεώργιος χαρτοφύλαξ ὢν τῆς ἐκκλησίας τότε, νόθον ἔλεγε τὸ ῥητὸν, ἀλλὰ καὶ πρὸς αὐτὸν ὁ μέγας Λογοθέτης, ἀγχιχῶν κεφαλὴν, ἵνα

Anno Christi 1285.

hac oratione reſpondentes, propoſitis ſatiſfacere videbimur, cum in ſacri Armamentarii Codice dictum illud ad Verbum extendatur, tanquam Sancti dictum, & magni potiſſimum Damaſceni? Converſus poſtmodum ad Adverſarios, palam aſſeverabat: Dictum Sancti eſſe, non abnuo; nihilominus minime Spiritum per Verbum & Filium cauſam eſſe Patrem. ſic enim iis, qui ex Patre & Filio Spiritum ſanctum procedere dicunt, ipſe ſtolidius ac periculoſius dicerem. Etenim, cum ibi eadem propoſitio æque ambobus applicetur, ad minus ſecundum perſonarum æqualitatem, propoſitionum idem adnectitur: quod audaciæ durum atque aſperum mitigare quodammodo aptum natum eſt. At hic propoſitionum diverſitas diverſam dictionis ſententiam efficiens, magnam conſtituet diverſitatem in eadem & una Spiritus proceſſione; adeo ut divinarum perſonarum alia quidem cauſa ſit Pater, alia vero Filius; quo quid excogitari poteſt iniquius? Hæc cum ille dixiſſet, recteque admodum ac robuſte dicere exiſtimaretur, illi ad hiſce reſpondendum impares, hæc tantum pronunciarunt. Archidiaconi. Ecquid hæc ad nos, inquiunt, infers? ea ad hæc aſſerentem prædica; eoque præcipue, ſi Damaſcenum in rebus fidei exponendis voces haud innovaſſe exiſtimas. Quod ſi verba non renuis, quamnam ob cauſam nos tanquam Hæretici in judicium vocamur? Eadem, quæ & tu, conamur, & verba nos etiam, tanquam Sancti ſermonem, veneramur. Patriarcha. Veneratur non nemo ſacroſanctum Evangelium, infert Patriarcha, aſſerens majorem Filio Patrem. At hoc tantum haud recte ſonat, niſi recta a Deo traditi eloquii interpretatione ſententia pandatur. Male itaque vos, dictum recipientes, mentem illius ac intellectum pervertitis. Præterea, in dictis Patrum, unum aliud excipere, & invicem alterum alteri implicari videmus: quandoquidem ea ex uno ac ſimplici Spiritu, varia tamen dicendi forma, dictata ſunt. Oſtendite itaque, ſententiam hanc, quam vos obtenditis ab aliis quoque confirmari: quod ſi non poteſtis, ut vere non poteſtis, quid aliud ſimilis intelligentia aſtruit, niſi quod Verbum ad novum, & a communi Patrum ſententia alienum conceptum detorquet? Hocce, Patriarcha, ſermone, cum vehementius urgeret, illi in ſecundo deficientes, ita ad primum reſponderunt. Archidiaconi. Evangelii dictum, o amice, dicentes, propriam habet a Patribus, nec incommodam expoſitionem; & improbus ille eſſet, qui eam non amplecteretur. At propoſitum dictum neceſſario ſententiam habet, quam exprimit. Profer igitur expoſitionem, & nos ſequemur: quod ſi ea nulla eſt, attamen tu ex te dicito, quando noſtram ipſe non recipis; & obſequemur. Patriarcha. Illi dictum, inſit Patriarcha, exponunt, qui ex Patre Spiritum ſanctum procedere tradunt. Archidiaconi. Ecquis non ita ſentit? inquiunt; hoc & nobis in animo ſitum eſt, & ſpes ſalutis. Magnus Logotheta. Et, ſi hoc recipitis, ſubdit magnus Logotheta, quid illud proponitis, occaſionem ita poſtulaſſe pro pace gentium? Veccus. Hæc ajunt di[illegible]. Nunc vero, inquit Veccus, ſi vobis id [illegible] eſt, verbum, tanquam quod audaciæ [illegible] in ſe continere videtur, tacebimus. Quod[illegible] placet, dum nos pro ſacrorum dogmatum violatione accuſamur, cau-

μὴ πενθοίατο ἄλλοι. καὶ πῶς ὦ οὗτος φησὶν ἰσχυρῶς λέγει; δόξομεν οὕτως ἀπολογούμενοι. ἐπεὶ ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ἱερᾶς ὁπλοθήκης κατὰ ῥῆμα κεῖται τὸ ῥητὸν, ὡς ἁγίου ῥητὸν, καὶ τοῦ μεγάλου Δαμασκηνοῦ. Ο ΜΕΓΑΣ ΛΟΓΟΘΕΤΗΣ. ἀλλὰ τρανῶς πρὸς τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχω, ὡς δέχομαι μὲν τὸ ῥητὸν ἁγίου εἶναι. πλὴν οὐχ ὁμολογήσω τὸ πνεῦμα διὰ λόγου τε καὶ υἱοῦ τὴν αἰτίαν ἔχειν ἐκ τοῦ πατρός. οὕτω γὰρ καὶ παραβολώτερον εἴποιμι τῶν ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ λεγόντων τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι. παρ' ὅσον ἐκεῖ μὲν τῆς αὐτῆς προθέσεως ἐπίσης κειμένης καὶ τοῖς δυσὶ, κἂν κατὰ τὴν ἰσοτιμίαν τῶν ὑποστάσεων τὸ ταυτὸν τῶν προθέσεων κείμενον. τὸ ἄτοπον τῆς τόλμης ἀμηγέπη πέφυκεν ἐπιλύειν. ἐνταῦθα δὲ τὸ διάφορον τῶν προθέσεων διάφορον καὶ τὴν ἔννοιαν τῆς λέξεως ἐργαζόμενον, διαφορὰν παραστήσει μεγίστην ἐπὶ τῆς αὐτῆς καὶ μιᾶς προόδου τοῦ πνεύματος τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων, ὡς ἄλλην μὲν αἰτίαν εἶναι τὸν πατέρα, ἄλλην δὲ τὸν υἱόν. οὗ τί ἂν εἴη τὸ χεῖρον; οὕτως εἰπόντος, καὶ ἰσχυρῶς πάνυ δόξαντος λέγειν ἐκείνου, μὴ δυναμένους ἀπολογεῖσθαι πρὸς ταῦτα μόνον λέγειν. ΑΡΧΙΔΙΑΚΟΝΟΙ. καὶ τί πρὸς ἡμᾶς λέγεις ταῦτα; λέγε πρὸς τὸν εἰπόντα. καὶ εἰ μὲν κενοφωνεῖ εἴη τὸν Δαμασκόθεν. εἰ δὲ τὸν λόγον δέχῃ, ἵνα τί ἡμεῖς ἐν αἱρέσει κατηγορούμεθα. εἰ ταὐτά σοι πράττομεν, καὶ τὸν λόγον καὶ αὐτοὶ ὡς ἁγίου λόγου τιμῶμεν. ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. τιμᾷ τις τὸ ἱερὸν εὐαγγέλιον, ὁ πατριάρχης φησὶ λέγων μείζονα τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα, ἀλλ' οὐχ ἱκανὸν τοῦτο καὶ μόνον, εἰ μὴ καὶ ὀρθῶς ἐξηγοῖτο τὸ θεοπαράδοτον λόγιον. τί γοῦν εἰ καὶ ὑμεῖς δεχόμενοι τὸ ῥητὸν στρεβλοῦτε τὴν ὑπονόησιν. ἄλλως τε δὲ καὶ ἀλληλένδεκτά εἰσι τὰ τῶν ἁγίων ῥητὰ καὶ ἀλληλόπλοκα, ἐπεὶ καὶ ἐξ ἑνὸς καὶ ἁπλοῦ πνεύματος διαφόρως ἐρρέθησαν. δεῖξον τοίνυν τὸν λόγον τοῦτον, ὃν ὑμεῖς λέγετε συγκροτούμενον καὶ ἐξ ἄλλων. εἰ δ' οὐκ ἔχετε, καθὼς ἄρα οὐδ' ἔχετε, τί ἄρα βούλεται ἡ τοιαύτη παρεννόησις, εἰ μὴ στρεβλοῦν τὸ ῥῆμα πρὸς διάνοιαν ξένην τῆς κοινῆς τῶν πατέρων ἐννοίας, καὶ ἀπεμφαίνουσαν. ταῦτ' εἰπόντος τοῦ πατριάρχου, καὶ μάλα γενναίως ἐνστάντος ἐκείνου πρὸς τὸ δεύτερον ἀτονήσαντες πρὸς τὸ πρῶτον ἀπελογοῦντο. ΑΡΧΙΔΙΑΚΟΝΟΙ. τὸ μὲν τοῦ Εὐαγγελίου ῥητὸν ὦ τὰν λέγοντες ἰδίαν ἔχει παρὰ τῶν πατέρων τὴν ἐξήγησιν πρόσφορον. καὶ κακὸς πάντως ὁ μὴ ταύτην δεχόμενος. τὸ δὲ προκείμενον τοῦτο ῥητὸν ἐξ ἀνάγκης σημαντικὸν ἐννοίας ἐστί. δεῖκνυε τοιγαροῦν τὴν ἐξήγησιν, καὶ ἡμεῖς ἑψόμεθα. εἰ δ' οὖν ἀλλὰ σὺ λέγε ἐπεὶ τὴν ἡμετέραν οὐ παρεδέχῃ, καὶ ἀκουσόμεθα. ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. ἐκεῖνοι τὸ ῥητὸν φησὶν ὁ πατριάρχης ἐξηγοῦνται. οἱ δὴ ἐκ πατρὸς φασὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι. ΑΡΧΙΔΙΑΚΟΝΟΙ. καὶ τίς οὐ φρονεῖ τοῦτο φασὶν, τοῦτο καὶ ἡμῖν ἀγαπητὸν, καὶ σωτηρίας ἐλπίς. Ο ΜΕΓΑΣ ΛΟΓΟΘΕΤΗΣ. καὶ εἰ δέχεσθε τοῦτο ὁ Μέγας Λογοθέτης φησί. τί ἐκεῖνο προβάλλεσθε, ὅτι καιρὸς ἀπῄτει εἰς ἐθνῶν εἰρήνην. τὸ ταῦτα λέγειν φασί. ΒΕΚΚΟΣ. νῦν δέ φησιν ὁ Βέκκος, εἰ μὲν βούλεσθε σιγητέον ἡμῖν τὸ ῥῆμα πολύ τι τολμηρὸν ἔχειν δοκοῦν. εἰ δ' οὖν ἀλλὰ παραβασίας περὶ τὰ ἱερὰ ἐγκαλουμένοις δόγματα, αἰτία, ὡς οἶμαι μείων ἀπολογεῖσθαι. καὶ δὴ πρόσχες μοι κύριέ μου φησὶν ὁ μέγας Λογοθέτης. σὲ γὰρ ὁρῶ, καὶ οὐχ ὑποτρέχων λέγω διαπλεο-

νε-



Anno Christi 1285.

νεκτικοῖς κανόσι χρώμενον, καὶ κατὰ τὸ προσῆκον διαλεγόμενον. ΜΕΓΑΣ ΛΟΓΟΘΕΤΗΣ. ἀλλὰ μὴ θωπείαις ἐγκόψαις φησὶν ἐκεῖνος. ΒΕΚΚΟΣ. μὴ γένοιτο ἔφη. ἀλλ' ἐμοὶ μὲν ἐξεικονίζειν τὰ ἀνεικόνιστα φόβος μέγας. τῶν δὲ ἁγίων λεγόντων ἕπεσθαι ἐχόμενος πάντως τοῦ προτειχίσματος ἀσφαλῶς ἔξω ἐς ὅτι καὶ λέξω. ἥλιον, ἀκτῖνα, καὶ φῶς τῶν ἀνεικονίστων εἰκόνα φέρουσι. καὶ αὖθις ὀφθαλμὸν πηγῆς, ὕδωρ, καὶ ποταμόν. οὐχ οὕτω λέγουσιν ἐπὶ τῆς μακαρίας Τριάδος οἱ θεολόγοι πατέρες; ἰδοὺ γοῦν ἥλιος, καὶ ἡ ἀκτὶς προσεχῶς ἐξ αὐτοῦ. δι' αὐτῆς δὲ πρίν τι καινὸν παρεμπεσεῖν νόημα, καὶ αὐτὸ τὸ φῶς ἐξ ἡλίου. ἆρ' ἡ ἀκτὶς, ἢ ὁ ἥλιος αἴτιον. ἐπιθετεῖ μοι τὸν λόγον, καὶ ὁ Νύσσης Γρηγόριος λέγων. τοῦ δὲ ἐξ αἰτίας ὄντος τοῦ ἐπὶ τῶν αἰτιατῶν πάλιν ἄλλην διαφορὰν ἐννοοῦμεν, τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ΟΙ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΝ. πρὸς ὃν ἐκεῖνοι. καὶ οὐχ ὁμολογεῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προσεχὲς τῷ πατρὶ, ὥσπερ καὶ τὸν υἱόν; ΒΕΚΚΟΣ. καὶ ποία ἂν ἀκοὴ τὸ τοιοῦτον παραδέξαιτο. εἰ ὁ μὲν υἱὸς προσέχεται τῷ πατρὶ, τὸ δὲ πνεῦμα τοπικῇ τινι διεχείᾳ διίσταται. τῆς ἀτοπίας. εἰ γὰρ ὁ κύριος λέγει. ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί: ἀλλ' οὖν εὔλογον τὰ αὐτὰ λέγειν καὶ περὶ τοῦ πνεύματος, εἴπερ ὀρθοδοξεῖν βουλοίμεθα. τὸ πνεῦμα ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν τῷ πνεύματι, καὶ αὖθις ἐν τῷ υἱῷ; καὶ ὁ υἱὸς ἐν τῷ πνεύματι. ΟΙ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΝ, εἰ οὖν τοῦθ' οὕτως ἔχει; ΒΕΚΚΟΣ. καί φησι. προσεχὲς μὲν ὁμολογεῖν τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα. ὅτι καὶ ἀδιάστατον ἐπεὶ καὶ τὸ φῶς προσεχὲς τῷ ἡλίῳ, ἔτι γὰρ ἔχομαι τῆς εἰκόνος τῶν λίαν εἰκότων ἐστὶ καὶ οὐ διαμάχομαι. προσεχῶς δ' ἐννοεῖν τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς ὁ λόγος οὐ δίδωσι τῆς διαφορᾶς. τὸ μὲν γάρ φησι προσεχῶς, τοῦ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς. ὑμεῖς δὲ τοπικὰς διαστάσεις, ἢ μὴν καὶ χρονικὰς ἐμβάλλοντες, συνάγετε πάντως τὸ ἄτοπον. τὸ γοῦν γεννᾶσθαι καὶ τὸν υἱὸν ἐκ τοῦ πατρὸς, ἀπορροιώδη τινα, καὶ διέχειαν τοπικὴν σχεδὸν δίδωσιν ἐννοεῖν. ἀλλὰ τὸ ἀδιαστάτως προσκείμενον, καὶ τὸ ἐξ ἐκείνου εἶναι δηλοῖ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἐν ἐκείνῳ. καὶ αὖθις εἶναι οὐκ ἀφαιρεῖται. οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ πνεύματος νόμιζε. ἢ μᾶλλον ἐπὶ τῆς εἰκόνος ὁ λόγος γινέσθω, ὡς ἂν ἀσφαλέστερον λέγοιμεν. ἀκτῖνα λέγομεν ἐξ ἡλίου καὶ ἀποτομὴν ἐξ ἐκείνου ταύτης οὐκ οἴδαμεν. φῶς λέγομεν δι' αὐτῆς ἐξ ἡλίου, καὶ τὴν μεσιτείαν ἐννοοῦμεν, καὶ τὸ προσεχίζεσθαι τὸ φῶς τῷ ἡλίῳ διὰ τὴν τῆς ἀκτῖνος μεσιτείαν οὐκ ἀπαρνούμεθα. διὰ τοῦτο καὶ ἐπιφέρει ὁ ἅγιος τῆς τοῦ υἱοῦ μεσιτείας. καὶ αὐτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς τοῦ πατρὸς σχέσεως μὴ ἀπειργούσης. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ. ταῦτ' εἰπόντος τοῦ Βέκκου ὁ Ἀλεξανδρείας αὐτόθεν ἀπὸ τοῦ σκίμποδος πρὸς αὐτὸν, ὡς ἡμεῖς τῆς ἐκκλησίας κρατοῦμεν τὰ δόγματα, ἃ καὶ παρελάβομεν, ταῦτα δὲ λέγειν οὐκ ἐδιδάχθημεν. εἰ μὲν οὖν πλατυκῶς ἐκράτει ταῦτα ἡ ἐκκλησία οὐκ ἂν καὶ ἡμᾶς ἐξ ἀνάγκης διέλαθεν. ἐπεὶ δὲ ἁπλῶς τὴν πίστιν καὶ ἀπεριέργως ἔχομεν, ἁπλῶς ἕξομεν καὶ τὰ τῆς πίστεως δόγματα, εἰς ἃ καὶ συνανετράφημεν. τί γοῦν ἰσχυρίζεσθε εἰσά-

ſam reſponſionis non ita arduam dico. At attendas mihi velim, Domine mi, ait, magne Logotheta: ſiquidem te conſpicio: neque adulans dico, ſatis abundantibus ac efficacibus regulis agere, &, ut par eſt, diſputationem inſtituere. Magnus Logotheta. Ne mihi blandimentis hiſce tuis caput demulceas, ſermonem interrumpens ille inquit. Veccus. Abſit hoc, Veccus reſpondet. Veruntamen mihi ea quæ nullis exprimi poſſunt imaginibus, imagine repræſentare haud in tuto eſt: ſed, cum Patres præeant, ſequor: taliſque ſtipatus antemurali, quæcunque dixero, tuto ſecureque dixerim. Sol, radius, & lumen, eorum, quæ nulla imagine adumbrari poſſunt, imaginem important. Rurſus, fontis rivulus, aqua, & flumen. An non hiſce in rebus ſanctiſſimæ Triadis exponendis, Patres, Theologicis concertationibus celebres, utuntur? En itaque ſolem & radium, ex eo continentur; Per eum ſcilicet, antequam nova alia intellectio interveniat, & lumen ipſum ex ſole: radiuſne, an ſol, cauſa erit? Probeque ſermonem meum Nyſſenus Gregorius illis comprobat. Illud vero, quod ex cauſa eſt, hoc eorum, quæ cauſam habent, rurſus aliam differentiam concipimus. Hoc enim continenter exprimo; hoc vero per illud, quod continenter ſubſequitur, exprimo. Qui Patriarchæ aderant. Ad quem illi: Tu porro annon Spiritum ſanctum, quemadmodum & Filium, continenter Patrem ſubſequi, fateris? Sed quæ ſimilia aures ſuſtinebunt? Filium continenter adnecti Patri, Spiritum locali quadam diſtantia ſejungi? Res ſane abſurda. Etenim, ſi Dominus, ait, Ego in Patre, & Pater in me, quæ tamen, ut rationi conſentaneum eſt de Spiritu etiam dicentur, ſi recte ſentire velimus, Spiritum in Patre, & Patrem in Spiritu, & rurſum in Filio, & Filius in Spiritu: an non hæc ita ſe habent? Veccus. Ita, ait; & Spiritum continenter poſt Patrem confiteor, qui nulla diſtantia diſcriminatur; quandoquidem & lumen ſoli continuum eſt. adhuc enim repræſentantem imaginem conſervo, licet id non uſquequaque repræſentet; nec contra eo. Continenter vero ex Patre Spiritum intelligere, differentiæ ratio non permittit. Namque, ait, hoc quidem continenter, hoc vero per illud, quod continenter ſe habet. Vos nihilominus locales diſtantias, ſive etiam temporarias, intrudentes, abſurdum omnino colligitis. generari quoque ex Patre Filium, fluxum quendam ac localem ſeparationem fere nobis in animum imprimit, ſed quod inſeparabilis eſt, ex eo Filium eſſe, & in eo, indicat, rurſumque eſſe non deſtruit. Hac quoque ratione & de Spiritu ratiocinare; vel potius in imaginem ſe conferat ratio, ut cautius ſermonem inſtituamus. Radium ex ſole fatemur, nec propterea aliquam illius ex eo abſciſſionem agnoſcimus. Lumen dicimus per eum ex ſole, & interventum concipimus, & lumen ſoli connecti, propter tamen radii interventum, non inficiamur. Hinc Sanctus ſubdit, Filii interventum ipſi quidem, quod unigenitus ſit, conſervantem, & Spiritum a Patris relatione non ſeparantem. Alexandrinus. Hæc dum diceret Veccus, Alexandrinus Patriarcha, e lecto, his eum alloquitur. Nos Eccleſiæ dogmata, quæ & ſuſcepimus, firmiter tenemus: at hæc dicere non didicimus. Quod ſi ea, largo modo modo expoſita, Eccleſia docuiſſet, haud fieri poterat, ut ea nos ignoraremus. Cum vero fidem ſimplicem, nullaque diſcuſſam curioſitate, obtineamus, ſimpliciter quoque & fidei dogmata, quibus una innutriti ſumus, tenebimus. Quid igitur conamini in Eccleſiam

Dei,

ANNO CHRISTI 1285.

A Dei, præter ea, quæ a majoribus noſtris ſuſcepimus, intrudere? Quare melius ac commodius fuerit, pacem amplecti. ARCHIDIACONI. Illi vero. Sed hæreſeos, o Domine, accuſamur. ALEXANDRINUS. Et recte, ait, quod præter morem eſt, comprobare niti, licet id extra periculum ſit, hæreſis reputabitur. Illi, quod enixe precor, renunciantes, communi ac claræ ſententiæ, & paci, quod & uſui veniet, addicamini. De hoc etiam cum ſanctus inſtaret Imperator, ſtatim in eos PATRIARCHA converſus, ait: Sed vos dicitis Ex, & Per, præpoſitiones in ejuſmodi rebus vim eandem obtinere. Quare, cum Sanctus dicat, Hujus per illud, quod continenter ſe habet, ex primo, vos dicitis, ex eo quod continenter ſe habet ex primo. B Quod ſane quemnam inſcitiæ modum non excedit, ubi & inane deliramentum magis, ac manifeſtius conſpicitur? ſi enim ex continenter, quomodo ex primo? ſi ex primo, quomodo ex continenter; Videtis, in quoſnam laqueos incidatis, dum Theologiam conſpurcatis? QUI VECCUM SEQUEBANTUR. Fatemur audaciam; & veniam petimus. Neque enim vano ac futili deſiderio ducti, ad hæc dicenda compulſi ſumus: ſed cauſa, nos ducens, non alia fuit, quam diſſidii, ut putabatur, & Eccleſiaſticarum litium compoſitio. Namque cum illi, Ex, uterentur, nos vero, Per, & utrique de eadem Theologica quæſtione uſurparentur, non viſa fuit aptior componendarum litium cauſa, quam ſi iſta C diceremus. Quid porro? Propterеane tranſgreſſionis ex aſſe in judicium vocabimur, rerumque omnium privatione multabimur, adeo ut & ordinationes rejiciantur, ſancta expurgentur, ipſumque demum, perfectionis omnis apex, & ſanctum Chriſma vilipendatur ac projiciatur, quod a nobis conſecratum eſt, eoque potiſſimum, inquiunt, quod a vobis, res Theologicas pertractantibus, nonnihil tanquam tranſgreſſoribus, violatum eſt, ut oſtendemus. An igitur propterea vobis incuſandi facultatem dantes, quod reliquum eſt obliterabimus? Et illis inquirentibus: Ubinam, & in quibus tranſgreſſi ſumus? illi ſtatim chartam porrigere, & indicare. D Eam cum legiſſent, inficias eunt, & anathemate ſermonem, & tantum non illius ſcriptorem, feriunt. Id Moſchampar conſpicatus, ſuum Commentarium illum librum faſſus eſt, & ſe reſpondere paratum. Veccus venuſtiſſimo ſcommate repreſſit: Nos, inquiens, opinabamur, ad Patriarcham converſa oratione, Commentarium illud tuum eſſe; quod ſi tuus non eſt, ſed hujuſce, ut ipſe jam faſſus eſt, culex quiſpiam, in currus temone aſſidens, funem neque attrahere, neque demittere valet. Id vero dixit, quod Chartophylax binominis eſſet. Nihilominus libenti animo edoceremur, quibuſnam pœnis hunc prævaricatorem dogmatum punies? E Cum vero ſermones diutius protraherentur, rurſum Veccus ſubnectit: Quemadmodum vultis, cum ipſe pacem, æque ac vos, peroptem, ſimplici ac minime curioſo ſermone ſententiam feram. Nos itaque dicta hæc Patrum, tempore id poſcente, comperientes, ut tutis, ac rectæ fidei conſonis, animum advertimus: & eum, qui Spiritum ſanctum ex Patre procedere confitetur, exoſculati ſumus, & nunc exoſculamur. Quippe ea Salvatoris verba ſunt, & Synodi: noſque quotidie ita confitemur. Præterea eum quoque, qui Spiritum ex Patre per Filium procedere dicit, ut eſt ſeptima univerſalis Synodus, quæ ita ſentit,

A γειν. Ἐν ἐκκλησίᾳ Θεοῦ, παρ' ὃ παρελάβομεν λέγειν. γλιχόμεθα δὲ τῆς εἰρήνης, τὰ πολλὰ ταῦτ' ἀφέντας ξυμφέρει. ΟΙ ΑΡΧΙΔΙΑΚΟΝΟΙ. εἰ δὲ ἀλλ' ἐγκαλούμεθα αἱρέσεως δέσποτα. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ. καὶ ναί φησι τὸ συνιστᾶν θέλειν ἀσυνήθες, κἂν ἀσφαλὲς ᾖ, αἵρεσις ἂν λογισθείη. ὃ δὴ καὶ ἐκτενῶς παρακαλῶ, τῆς κοινῆς δόξης γεγονότας, καὶ φανερᾶς, καὶ τῆς εἰρήνης, ὃ δὴ καὶ ξυμφέρει. καὶ ταῦτα τοῦ ἁγίου βασιλέως μεσολαβοῦντος. ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ. καὶ ὁ πατριάρχης εὐθὺς πρὸς αὐτούς. ἀλλ' ὑμεῖς φατὲ ἰσοδυναμεῖν ἐπὶ τούτοις τῇ ἐκ τὴν διά, ὡς τοῦ ἁγίου λέγοντος, τοῦ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου ὑμᾶς λέγειν, καὶ ἐκ τοῦ B προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. ὃ δὴ καὶ ποῖον τρόπον ἀμαθίας οὐ παρελήλυθεν. ὅπου γε καὶ ἡ ἀδολεσχία μείζων, καὶ προφανής. εἰ γὰρ ἐκ τοῦ προσεχῶς, πῶς ἐκ τοῦ πρώτου; εἰ δ' ἐκ τοῦ πρώτου, πῶς ἐκ τοῦ προσεχῶς. ὁρᾶτε εἰς ποῖα ἀρκύστατα πίπτετε τὴν θεολογίαν καταρρυπαίνοντες. ΟΙ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΒΕΚΚΟΝ. Ὁμολογοῦμεν τὸ παρατόλμημα, καὶ συγγνώμην αἰτοῦμεν. οὐδὲ γὰρ αὐτόθεν ἡμῖν ἡ ὁρμὴ τοῦ ταῦτα λέγειν ἐκ ματαίας ὀρέξεως. ἀλλ' ἦν τὸ παροτρῦναν αἴτιον. τὸ δ' ἦν ἡ νομιζομένη, τῆς τῶν ἐκκλησιῶν διχονοίας διάλυσις. ὥστε ἐκείνων μὲν χρωμένων τῇ ἐκ, ἡμῶν δὲ τῇ διά, προστιθέντων καὶ ἀμφοτέρων ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ τῆς θεολογίας τύπου, οὐκ ἄλλως ἔχειν συμβιβάζειν, εἰ μὴ οὕτω λέγοι- C μεν. Τί δαί; διὰ τοῦτο παραβασίας ἐξ ὁλοκλήρου, καὶ ἐφ' αἱρέσει κριθησόμεθα; ὡς ἀθετεῖσθαι μὲν χειροτονίας, καταπλύνεσθαι δὲ τὰ ἅγια, καὶ αὐτὸ δὲ τὸ τελεστικὸν, καὶ ἅγιον ἀθετεῖσθαι μύρον, καὶ παραρρίπτεσθαι, ὅτι ἡμῖν τετέλεσται; ἐπεί τοι γε φατὶ καὶ ὑμῖν παραβέβασται τὰ θεολογοῦσιν, ὡς ἀποδείξομεν. ἆρ' οὖν διὰ ταῦτα ἀφέντες ὑμῖν ἐγκαλεῖν. τὸ πᾶν ἀφανίσομεν; καὶ τῶν εἰπόντων. καὶ ποῦ, καὶ ἐπί τισιν ἡμῖν παραβέβασται, ἐκείνους ἐκβαλεῖν εὐθὺς χάρτιον, καὶ ἐμφανίζειν. καὶ τοὺς αὖθις ἀναγνόντας ἀρνεῖσθαι καὶ ἀναθεματίζειν τὸν λόγον, σχεδὸν καὶ αὐτὸν τὸν γράψαντα. ἀλλὰ τὸν Μοσχάμπαρ ἰδόντα ὁμολογεῖν ἑαυτοῦ τὸ σύγγραμμα εἶναι καὶ ἀπολογεῖσθαι πειρᾶσθαι. ἐφ' οἷς ὁ Βέκκος, μεθ' D ὅσου εἴποι τις ἂν τοῦ χαριεντισμοῦ ἡμεῖς μὲν προσεδοκῶμεν σὸν εἶναι πρὸς τὸν πατριάρχην φησίν. εἰ δὲ μὴ σὸν ἀλλὰ τούτου, ὡς καὶ αὐτὸς ὡμολόγησε ψύλλα τις ἐπικαθίσασα τῷ τῆς ἁμάξης ῥυμῷ, οὔτ' ἀνασπᾶν, οὔτε κατασπᾶν ἔχει τὴν πύελον θα. τοῦτο δ' εἶπε διωνυμοῦ ὄντος τοῦ Χαρτοφύλακος. πλὴν εἰδείημεν ἄν φησιν ὁποῖα τὰ ἐπιτίμια ἐπάξεις τῷ παραδογματίσαντι. ἐπὶ πολὺ γοῦν τεινομένων τῶν λόγων, τὸν Βέκκον αὖθις ἐπενεγκεῖν, ἢ βούλεσθε κἀγὼ τῆς εἰρήνης ὢν ἑκάστης γνώμην οἴσω ἁπλῶς, καὶ ἀπεριέργως τοῖς λόγοις χρώμενος. ἡμεῖς μὲν οὖν τὰ τῶν ἁγίων ῥητὰ ἐπὶ καιρῶν εὑρόντες ζητούντων ταῦτα, ὡς ἀσφαλῶς E ἔχοντα καὶ ὀρθόδοξα προσηκάμεθα. καὶ τὸν μὲν ὁμολογοῦντα ἐκ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι, καὶ ἀπεδεχόμεθα, καὶ ἀποδεχόμεθα. λόγος γὰρ τοῦ σωτῆρος καὶ τῆς συνόδου, καὶ ἡμεῖς καθ' ἑκάστην οὕτως ὁμολογοῦμεν, οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τὸν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ λέγοντα ἐκπορεύεσθαι, ὡς συνόδῳ πάσῃ τῇ ἑβδόμῃ ἑπόμενον ἀποδεχόμεθα καὶ αὐτόν. τὸν δέ γε μὴ τιμῶντα τὰ τῶν ἁγίων ῥητὰ τόλμης γραφόμεθα. ἰδοὺ γοῦν σήμερον πάρεισι μὲν πατριάρχαι. πάρεισι δ' ἀρχιερεῖς, καὶ κλῆρος ἅπας, καὶ μοναχοὶ εὐλαβεῖς, καὶ τῶν λαϊκῶν οἱ ἐλλόγιμοι. θέλω καὶ

ὀρθο-



ANNO CHRISTI 1285.

ὀρθοδοξοῦσιν ὑμῖν κοινωνεῖν, καὶ κοινῶς ὁπωσδήποτε A τοῦ ὀρθοῦ σφαλεῖσι, τὴν μεθ' ὑμῶν καταδίκην αἱροῦμαι παρὰ Θεῷ κρίνοντι ἢ μόνος τὴν ἡμετέραν ἀσφάλειαν. τὸ γοῦν ἡμᾶς ἐμὲ ζητεῖτε, καὶ ἀναγκάζειν, καὶ τοὺς μετ' ἐμοῦ ἀποβάλλεσθαι δόγμα πατέρων, οὕτω δὴ παλαιὸν, καὶ παρὰ πολλῶν λεγόμενον. ὑμᾶς δὲ μηδὲν περὶ τούτων φροντίζειν. οὔ μοι δοκεῖ ἔχειν τὸ εὔλογον. ἔστι γὰρ καὶ ἐμοὶ εὐλάβεια μήπως παρασφαλῶ τοῦ ὀρθοῦ. ἀλλ' ἰδοὺ καὶ τὴν κατ' ἐμαυτοῦ γνῶσιν ἀφεὶς ὅλως ὑμῶν γίνομαι, καὶ διδασκάλοις ὡσανεί τισι χρῶμαι. ὑμεῖς προηγεῖσθε, κἀγὼ ἕψομαι πράττουσιν. ἐκτιθέσθω τόμος, καὶ ἀποπεποιείσθω τὸ δόγμα, καὶ ἀποβεβλήσθω τὸ δι' υἱοῦ, B εἰ βούλεσθε. κἂν μὴ ἕψωμαι καὶ αὐτὸς, καί τοι γ' εἰδὼς πατέρων ῥητὸν, καὶ μέγαν ἐπηρτημένον τῆς παροράσεως κίνδυνον, αὐτὸς αἰτίαν ἕξω, εἴτε μὴν πεισμονῆς, εἴτε μὴν καὶ αἱρέσεως. θέλω γὰρ σὺν ὑμῖν πᾶσι, καὶ δικαιωθῆναι καὶ κατακριθῆναι. εἰ δ' ὑμεῖς μὲν διευλαβεῖσθε τὴν πρᾶξιν, ἡμῖν δ' ἐπιφορτίζεσθε τὴν ἀποβολὴν, εὔλογον εἶναι πάντως. ἵνα μὴ καὶ ἀναγκαῖον εἴπω, ὑμῶν διευλαβουμένων, καὶ διαμελλόντων, καὶ ἡμᾶς δεδιέναι, μήπως παρασφαλεῖσιν ἡμῖν, καὶ μόνοις τὰ τοῦ κινδύνου περιστήσεται. ΟΙ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΝ. ἀλλ' οὐ γεγράφαμεν ἡμεῖς φασὶν οἱ περὶ τὸν πατριάρχην ἀπολογούμενοι. ΟΙ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΒΕΚΚΟΝ. ὑμῖν γέγραπται, C καὶ κεκίνηται. ὑμῖν καὶ ἀποβλητέον ταῦτα. καὶ τί γε τὸ ἐμποδὼν, εἰ θαρρεῖτε φασὶ, ὅπου καὶ ἀδελφοὺς προσλήψεσθε θεραπεύσαντες. ἀλλ' οὐκ ἔπειθον λέγοντες, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον τραχυνθέντος καὶ ἐκείνου τοῦ πατριάρχου, ὡς καὶ ὕβρει διαλοιδορήσασθαι, τὸν Βέκκον παροξυνθέντα, ἐκεῖνο μὲν εὐφυῶς ἐπιπλῆξαι. πρὸς δὲ τὸν βασιλέα ἐπιστραφέντα μεγαλοφώνως εἰπεῖν μεθ' ὅρκου, ὡς εἰ μὴ αὐτὸς ἐξέλθοι τοῦ πατριαρχείου, οὐκ ἄν ποτε τὸν τῆς ἐκκλησίας καταστορεσθήσεσθαι κλύδωνα. καὶ οὕτως εἰπόντος, ὀργῇ ληφθέντα τὸν βασιλέα ἐξαναστῆναι. καὶ τί δαὶ φάναι ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας δεινοπαθήσαντα, οὐκ ἀρκεῖ D τὰ πρότερα. ἀλλὰ καὶ πάλιν τὴν ἐκκλησίαν ταράξετε; καὶ δυσὶ περιβαλεῖτε πολέμοις, ἔνθεν μὲν ταῖς τῶν σχιζομένων προσβολαῖς, ἐκεῖθεν δὲ καὶ ταῖς παρ' ὑμῶν αὐτῶν, ὡς εἰπεῖν, ἐν ἀκαιρείαις. ὥστε κινδυνεύειν τὴν μίαν καὶ ἄρρηκτον ἐκκλησίαν καθ' αὐτὴν στασιάζουσαν ἐν τῷ ἐσθίειν τοὺς αὐτοὺς ἀλλήλους δαπανηθῆναι. ὑπὲρ ἧς αὐτὸς ὁ Χριστὸς τὸ οἰκεῖον αἷμα ἐξέχεε. Ταῦτα καὶ τούτων πλείω εἰπὼν δῆλος ἦν ἀλύων, μὴ εἰς καλόν τι, μηδ' εἰς συμφέρον, ὃ δὴ καὶ προσεδόκα καταλήξασης τῆς διαλέξεως. τότε δὲ ὧδέ τις ἂν εἶπε πρὸς πλησίον ἄλλον. ὢ πόποι. ἦ μέγα δὴ τὸ ταῦτα κινεῖν, καὶ ζητεῖν συνιστᾶν τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ἕκαστον. ἱκανὸν E ὂν εἰ διαλυθέντος τοῦ κατὰ τὸν πάπαν σκανδάλου καὶ τ' ἄλλα πάντα συνδιαλύοιτο. νυνὶ δὲ ἀλλ' ἕκαστος τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζητῶν τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην οὐ φθάσειεν πώποτε. ὡς φασὶν ἐκεῖνοι. τὸ δ' ἐς ὅτι προῆλθε προϊόντες ἐροῦμεν. ἐκείνους μὲν οὖν τότε τῆς συνόδου διαλυθείσης, ἡ τοῦ Κοσμιδίου εἶχε μονὴ, πλὴν ὑπὸ φρουραῖς καὶ φυλακαῖς προσηκούσαις, οὓς δὴ καὶ πέμπων ὁ βασιλεὺς εἰρηνεύειν ἠξίου, καὶ πάσας δικαιολογίας ἀφέντας διάγειν ἀνέδην, καὶ τὴν ἀπ' αὐτοῦ εὐμένειαν ἐχον-

A excipimus: eum porro, qui Patrum dicta in pretio ac dignitate non habet, audaciæ condemnamus. En igitur, hodie adſunt Patriarchæ, adſunt Præſules, & Clerus univerſus, & Monachi pietate præſtantes, & ex Laicis celebriores. Volo vobiſcum recte ſentientibus communicare, & in univerſum, quacunque id fiat ratione, a recto aberrantibus; unacum vobis a Deo judice condemnari potius opto, quam ſolus veſtram ſecuritatem. Quare, quod a me poſcitis, & me, & hos, qui una mecum ſunt, cogitis, Patrum dogma tam antiquum, & a multis dicto comprobatum, rejicere, & de his vos curam habere dicitis; non mihi videtur rationi conſonum: namque angor, timeoque, ne a re- B cto decrrem: ſed ecce, meæ huic cognitioni valedicto, totus veſter fio, & tanquam magiſtris utor. Ite præ; ſequar ipſe conatus veſtros. Componatur Tomus, & dogma reprobetur, & illud per Filium ſi placet, exturbetur. Et, ni ipſe ſequar, quamvis id Patrum eſſe dictum apprime noverim, & magnum propter negligentiam impendere periculum, ipſe reus, ſive pertinaciæ ſive hæreſeos, fiam. Opto ſiquidem cum vobis omnibus una, & condemnari, & abſolvi. Quod ſi vos factum averſamini, nobis vero illius projectionis onus imponitis, non erit omnino præter rationem, ne dicam neceſſarium, dum vos, cautius agentes, rem averſamini, & negotium retardatis, nos quoque in metu eſſe, C ne nos deerrantes ſolos periculum opprimat. At non ſcripſimus nos. PATRIARCHÆ addicti reſponderunt: Vobis, qui ſcripſiſtis, & perturbaſtis, hæc quoque explodenda ſunt. VECCI SOCII: Quid porro eſt impedimento, ſi juſtitiæ nomine confiditis, cum & fratres adepturi ſitis, qui vobis inſervient? Iſtis nihilominus non perſuadebant; imo potius in eum exaſperatus Patriarcha, injuria cum opprobriiſque affecit. Hinc Veccus, ira percitus, apte ſatis matureq; eum laceſſit, &, ad Imperatorem converſus, alta voce, juratus etiam, edixit: Si ille Patriarchatu non ceſſiſſet, nunquam Eccleſiæ turbinem tranquillatum iri. Ut hæc dicta ſunt, Imperator, iracundia incenſus, ſurrexit, &, Quid D id eſt? ait; pro Eccleſia condolens; an non prioſa ſatis ſunt, ſed iterum Eccleſiam conturbabitis, & duobus illum affligetis bellis, hinc ſciſſorum machinis, illinc veſtris, ut ita dicam, importunitatibus, adeo ut una infractaque Eccleſia, ſecum ipſa diſſidens, periculum ſubeat, dum alius alium vorat, & alius ab alio in perniciem ducitur, pro qua Chriſtus proprium effudit ſanguinem? Hæc & plura cum diceret Imperator, angi cruciarique animo manifeſte videbatur, ne in bonum ac proficuum, quod jam expectabat, concertatio terminaretur. Tunc hac ratione aliquis ad vicinum dicebat. Heu quantum eſt in hiſce dimovendis, quantumque eſt, dum quilibet ſuam nititur cauſam compro- E bare, cum ſatis eſſet, quod contra Papam ſcandalum exortum erat, dilui, cetera vero omnia una cum eo terminari! Nunc autem, dum ſuam quiſq; cauſam tuetur, juſtitiam Dei nunquam continget. Ita illi dixerunt: quem poſtmodum finem res habuerint, infra dicemus. Illos itaque tum, diſſoluta Synodo, Coſmidii Monaſterium habuit, carceribus tamen atque cuſtodiis convenientibus mancipatos, ad quos mittens Imperator, ut quiete agerent, deprecabatur, & ſepoſitis juribus libere viverent, illius benevolentiæ compotes: aliter illis exilia minabatur, & mala: neque enim aliter, quam ordina-

ANNO CHRISTI 1285.

dinatum fuerat, fieri poterat: eoſdem, ignominia infames, vitam amiſſuros, ni mutata ſententia pacem amplecterentur. Hæc ſæpe Imperator cum per Nuncios ſignificaret, illi neque triſtium metu adacti, neque bonorum ſponſionibus emolliti ſunt; quin immo ſeſe ad utraque obdurantes, promptos ad ſingula, quæ Imperatori liberent, exhibebant, illud lubentius ſubituri, quam cum iis, qui ita condemnarent, fœdus inituri. Cum vero magis ac magis contra eos iraſceretur Imperator, immites, ac inſigniter pervicaces, nec quicquam illi amplius ad emolliendos eorum animos ſuppeteret, tandem eos exilio multare decernit, ſtatimque ad Caſtellum quod in Aſtacenum ſinum navigantis dexteræ ſeſe offert, & a ſancto Gregorio nomen habet, in navicula poſitos conduci jubet, &c.

τες. εἰδ' ὖν ἀλλ' ἐξορίας προσηπείλει, καὶ κακοχίας ἐπαξομένυς σφίσι, μηδὲ γὸ εἶναι ἄλλως ἢ ὡς ἐτάχθη γίγνεσθαι, αὐτὺς δὲ φήμην κακὴν ἔχοντας προσαπόλλυσθαι, εἰ μή γε μετανοήσαντες τῆς εἰρήνης γένωνται. Ταῦτα τῦ βασιλέως συχνάκις διαμηνυομένυ, καὶ ἀγαθὰ προτείνοντος ἐκεῖνοι ὔτε πρὸς δέος τῶν λυπῶν προήλθοσαν, ὔτε πρὸς τὰς τῶν ἀγαθῶν ἐπαγγελίας ἐμαλακίσθησαν, διατονῦντες δὲ πρὸς ἀμφότερα ἑτοίμυς ἑαυτὺς παρεῖχον πρὸς ὅτι δόξει τῷ βασιλεῖ, ὡς ἐκεῖνο μᾶλλον πεισομένυς ἡδέως, ἢ τοῖς ὔτω καταδικάζυσι συνεισομένυς. ἐπεὶ μᾶλλον δὲ πρὸς αὐτὺς ὁ βασιλεὺς παρωξύνετο ἀνενδότως μένοντας τὸ σύμπαν, πάντων δ' ἀποιηθεὶς τῶν μαλάττειν ἐχόντων ψυχὴν, πλὴν ἐξορίας δικαιοῦν ἔγνω. καὶ δὴ πρὸς τὸ κατὰ δεξιὰ εἰσπλέοντι τὸν ἀσακηνὸν κόλπον φρύριον, τὸ ὕτω πως τῦ ἁγίυ Γρηγορίυ ἐπιλεγόμενον προστάξει, πλοίῳ χρησαμένυς ἀπάγεσθαι.

ANNO CHRISTI 1286.

# ORDINATIONES RADULPHI EPISCOPI LUGDUNENSIS,

## ET HUGONIS EPISCOPI EDUENSIS,

### Pro adminiſtratione archiepiſcopatus & epiſcopatus ſede vacante.

Coſtatitia in Append. Tom. XI. ex Dacher. Spicileg.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Radulfus miſeratione Divina primæ Lugdunenſis eccleſiæ archiepiſcopus; Hugo ejuſdem miſeratione epiſcopus Eduenſis; Lugdunenſis & Eduenſis eccleſiarum decani & capitula: ſalutem in Filio virginis glorioſæ.

Inter opera caritatis, illa præcipue conſiderari debent, per quæ omnis fraudis & deceptionis materia evitatur, & ſanctæ matris eccleſiæ ....... miniſtris & ſervitoribus eiſdem ....... Igitur cum archiepiſcopus Lugdunenſis gerat adminiſtrationem epiſcopatus Eduenſis, ipſius ſede vacante; & verſa vice epiſcopus Eduenſis, gerat adminiſtrationem archiepiſcopatus Lugdunenſis, vacante ſede ipſius: nos pro communi utilitate, & evidenti commodo utriuſque eccleſiæ, necnon & miniſtrorum earumdem ſuper dictis adminiſtrationibus diligenti deliberatione inter nos habita, ordinavimus in hunc modum.

Primo, quod ſede Eduenſi vacante, archiepiſcopus Lugdunenſis qui pro tempore fuerit, habeat adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus civitatis & diœceſis Eduenſis; & e converſo ſede Lugdunenſi vacante, epiſcopus Eduenſis qui pro tempore fuerit, habeat adminiſtrationem in temporalibus & ſpiritualibus civitatis & diœceſis Lugdunenſis: quia hactenus ita de longa & approbata conſuetudine extitit obſervatum. Salvo jure capitulorum & canonicorum, & aliorum qui habent juriſdictionem in civitate & diœceſi ſupradictis.

Actum etiam eſt inter nos, quod ſigilla curiæ ſedis archiepiſcopalis, vel epiſcopalis, quæ vacaverit, caſtraque & fortalitia, necnon & domus civitatis & diœceſis prædictarum ad earum ſedem pertinentium, archiepiſcopo vel epiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, incontinenti ſine difficultate tradantur, reddantur, & deliberentur archiepiſcopo vel epiſcopo eccleſiæ non vacantis, vel ejus mandato, ſecundum quod hactenus extitit conſuetum.

Ceterum de bonis mobilibus archiepiſcopi & epiſcopi decedentium inter nos extitit ordinatum: quod ſi archiepiſcopus vel epiſcopus moriantur teſtati, eorum ordinatio ſervabitur de bonis prædictis, & ſua ultima voluntas adimplebitur de iiſdem, & per manus executorum deputatorum ad hoc diſtribuentur, ſecundum quod teſtator archiepiſcopus vel epiſcopus in teſtamento ſuo ſeu ultima voluntate ſua duxerit ordinandum. Et hoc caſu blada & vina a ſolo ſeparata, licet in horreo vel doliis repoſita non fuerint, mobilia cenſebuntur, & cedent in utilitatem prælati mortui: & de dictis bonis inventarium facient dicti executores, & de iiſdem reddent in capitulo rationem. Si vero archiepiſcopus vel epiſcopus, inteſtatus decedat: tunc de dictis bonis mobilibus procuratores, & hoc per capitulum eccleſiæ vacantis, deputandi, facient reſtitutiones quæ fuerint faciendæ, & ſolvent debita ipſius defuncti. Si quid vero de dictis bonis reſidui fuerit, de dicto reſiduo facient ſolutiones & ſatisfactiones familiaribus ejuſdem, & reſiduum conſervent futuro pontifici, & de dictis bonis inventarium facient, & reddent dicti procuratores de prædictis bonis in capitulo rationem: retentis tamen de dictis bonis expenſis competentibus. Si quis autem dictorum procuratorum, a capitulo eccleſiæ vacantis deputandorum, aliquid fecerit in præjudicium prædictorum: per ſubtractionem beneficiorum ſuorum a capitulo eccleſiæ vacantis ſatisfacere compellatur.

Actum eſt etiam inter nos, quod ſi dictarum eccleſiarum archiepiſcopus vel epiſcopus, inteſtatus decedat, * quæ ipſum pontificali dignitate honoravit, ornamenta remanebunt, quæ ſequuntur: alba cum amictu, ſtola cum manipulo, tunica cum dalmatica, infula cum cappa meliori quæ in capella archiepiſcopi vel epiſcopi defuncti poterit inveniri.

* Deeſt [illegible]

Si ille archiepiſcopus vel epiſcopus prædictus contra prædicta aliquid attentaverit, & executores prædictos, ſeu bonorum diſtributores quoquo modo impedierit, aut contra tenorem præſentium aliquid fecerit: poſt trinam monitionem, ab ipſis



ANNO CHRISTI 1286.

executoribus, ſeu bonorum diſtributoribus prædictis, niſi ..... reſtituerit, & prædicta obſervaverit, excommunicatus ſit ipſo facto.

Ceterum actum eſt inter nos, quod utenſilia domorum coquinorum archiepiſcopatus & epiſcopatus prædictorum, ſede vacante, reſervabuntur futuro pontifici: & archiepiſcopus ſeu epiſcopus, qui dictam ſedem tenebit, inde faciet inventarium, quod cuſtodietur a capitulo ipſius eccleſiæ vacantis: ita quod, cum prælatus fuerit in ipſa eccleſia conſtitutus, dicta utenſilia ſecundum inventarium valeat rehabere.

Porro actum eſt inter nos, quod archiepiſcopus vel epiſcopus qui pro tempore fuerit, durantibus dictis adminiſtrationibus, jura archiepiſcopatus vel epiſcopatus pro poſſe defendet, domos & tecta in bono ſtatu tenebit, terras vineas excoli faciet, & omnia alia quæ fuerint facienda. Fructus autem receptos durante adminiſtratione ſuos faciet, & illos quos a ſolo levaverit ſine fraude. Nemora vendere non poterit, niſi eſſet ſilva, nec piſces ſtagnorum vendere ſeu alibi transferre, niſi ſolum pro hoſpitio ſuo ad uſum ipſius & familiæ ſuæ. Et ſi mortuo archiepiſcopo vel epiſcopo, aliquod ſtagnum eſſet quod piſcatum non fuiſſet per triennium: piſces illius ſtagni archiepiſcopus vel epiſcopus poſſit vendere in fine triennii, vel clauſo triennio, ſi de ſua proceſſerit voluntate.

Actum etiam inter nos, quod ſi caſu fortuito ſedes Lugdunenſis & Eduenſis inſimul uno concurſu vacarent, quod abſit: dictis ſedibus vacantibus, procuratores ad hoc per capitula deputandi recipient & levabunt fructus, & fideliter conſervabunt ad reddendum & deliberandum proximo futuro epiſcopo Eduenſi: retentis ſibi tamen expenſis competentibus. Et ſi dicti procuratores reſtitutionem dictorum fructuum archiepiſcopo, vel epiſcopo eccleſiæ non vacantis, vel ejus mandato, diſtulerint faciendam: ad id compellantur per eccleſiæ vacantis capitulum. De quibus fructibus ſeu bonis inventarium facient, & facere tenebuntur.

Inſuper autem actum eſt inter nos, quod in creatione uniuſcujuſque canonici, cum in dictis eccleſiis primo creatus fuerit, hujuſmodi ordinationem juret ſe inviolabiliter ſervaturum.

Nos autem archiepiſcopus, epiſcopus, decani & capitula ſupradicta, dictam ordinationem, quam utriſque eccleſiis Lugdunenſi & Eduenſi eſſe credimus fructuoſam, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris bona fide promittimus obſervare, nec contravenire tacite vel expreſſe, & eam pro poſſe noſtro procurabimus per ſedem apoſtolicam confirmari.

In quorum omnium teſtimonium Radulphus archiepiſcopus Lugdunenſis, & nos Hugo epiſcopus Eduenſis, prædicti, ſigilla noſtra; & nos dictarum eccleſiarum decani & capitula, ſigilla capitulorum noſtrorum, præſentibus litteris duximus apponenda.

Datum & actum menſe Martio, anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto.

# CONCILIUM MATISCONENSE,

## Anno MCCLXXXVI. celebratum.

*Ex MS. Oratorii Trecenſis.*

Et Martene Theſ. Anecd. Tom. IV. p. 193.

### Incipiunt Conſtitutiones Provincialis Concilii apud Matiſconem, quæ incipiunt ſub iſta ſequenti forma.

IN nomine Domini, amen. Anno Incarnationis ejuſdem MCCLXXXVI. die Jovis poſt feſtum apoſtolorum Petri & Pauli apud Matiſconem. Quamvis ſanctorum patrum adverſus nequitias ſpirituales & ad reprimendas perverſorum malitias & inſolentias ſumma & exactiſſima ſollicitudine ſecundum ſuæ editionis tempora ſint canones inſtituti; quia tamen canonicæ & legitimæ ſanctiones propter varietatem temporum & exceſcentem malitiam, in qua natura humana de facili prolabitur, non potuerunt, ut ſufficeret, ad omnia promulgari, ideirco quia novis morbis nova conveniunt medicamina ſuperaddere: nos igitur R. Dei gratia & permiſſione divina ſanctæ Lugdunenſis eccleſiæ archiepiſcopus celebrantes concilium noſtrum provinciale apud Matiſconem cum venerabilibus fratribus noſtris ſuffraganeis, nec non & abbatibus, prioribus, capellanis, & aliis qui fuerunt evocandi, ad reformationem morum quorumdam, ad expellendas fraudes & malitias perverſorum, ſuffragantibus nobiſcum venerabilibus fratribus noſtris Æduenſi & Cabilonenſi epiſcopis, nec non venerabili viro magiſtro P. archidiacono Lugdunenſi, procuratore venerabilis fratris noſtri epiſcopi Matiſconenſis, & officiali ejuſdem epiſcopi in remotis agentis, habita plena deliberatione & conſilio diligenti cum ſuffraganeis præſentibus & procuratore prædicto, auctoritate Provincialis concilii ſtatuendum monemus quæ ſequuntur.

I.

Plures prioratus uni monacho non committendi.

Quoniam nonnulli abbates & conventuales priores, non tantum in ſcandalum populi, ſed etiam in grave periculum animarum, plures prioratus uni committere ſeu concedere non formidant: facta ſua pleraque palliantes, eo quod aſſerunt prioratus aliquos mole comprimi debitorum, & per unum citius & facilius quam per plures poſſe a debitorum onere relevari: cum potius improba prodigalitas conferentis & concedentis, & recipientis ambitioſa cupiditas in ſalutis æternæ perniciem accipiant velamentum. Statuimus authoritate Provincialis concilii & ſub pœna excommunicationis diſtrictius inhibemus, ne abbates & priores conventuales plures prioratus alicui de cetero conferant: pœnam præſentis conſtitutionis exercentes vel extendentes, non ſolum ad eos qui conferunt, ſed ad eos qui contra ſtatuta præſentis concilii plures prioratus recipiunt & acceptant, niſi cauſa probabili a dioceſano loci expoſita & per eum approbata. Adjicientes præſenti conſtitutioni ſub pœna prædicta ſeu prænominata, ne dicti abbates & conventuales priores ad minores decem & octo annorum prioratum aliquem conferant. Statuentes etiam & præcipientes ſub pœna prænominata, ut poſtquam prior ætatis legitimæ prioratum aliquando adeptus fuerit, infra annum in presbyterum ordinetur, ſi vero qui adhuc adeptus fuerit

ANNO CHRISTI 1286.

fuerit prioratum, legitimæ ætatis non fuerit, poſtquam ad ætatem legitimam devenerit, in presbyterum ſe faciat promoveri, niſi cauſa probabili dioceſano loci expoſita & per eum approbata, omiſerit.

II.

Secundum canonum ſanctiones monachus in juvenili ætate a priore in clauſtro debet inſtrui regularibus diſciplinis.

III.

*Ut Monachi ſæculares ſcholas non frequentent.*

Statuimus & inhibemus abbatibus & prioribus ſub pœna ſepe dicta, ne monachos ſuos ad ſcholas mittant extra monaſterium ſuum, niſi cauſa grammaticæ addiſcendæ.

IV.

*Adverſus raptores bonorum eccleſiaſticorum.*

De prædonibus, raptoribus & invaſoribus locorum religioſorum & perſonarum eccleſiaſticarum & domorum eorumdem ſtatuimus & firmiter præcipimus, ut ſi qui ad locum prædictum bona prædata duxerint aut impoſuerint, ibidem ceſſetur penitus a divinis, quamdiu ibi erit prædo, vel præda, vel qui bona earumdem capi mandaverint, vel etiam qui bona eadem detinebit. Si autem in parrochia vel loco conventualis vel collegiata fuerit eccleſia, januis clauſis, excluſis parrochianis ejuſdem eccleſiæ, divina ſubmiſſa voce celebrentur: ita quod de foris minime audiatur. Forma autem & præceptum hujus præſentis conſtitutionis diligenter obſervetur, ſi de præmiſſis conſtiterit per facti evidentiam, aut per ſacramentum ſpoliati, ſicut præmittitur, ſtatim ſententias & mandati præſentis concilii conſtitutionem firmiter teneant & obſervent: ita tamen ſi perſona ſpoliata & honeſta fuerit & legalis. Si quæ autem quæſtio, circa hoc emerſerit, ordinarii judicio relinquitur. Adjicimus inſuper, ut prædo, raptor, & invaſor, & detentor rerum, locorum ſacrorum vel perſonarum eccleſiaſticarum, ſi monitus non ſatisfecerit, excommunicationis ſententia percellatur. Poſtquam autem ſententia excommunicationis fuerit innodatus, dominus ejuſdem ſuperior, ſi quem habet, moneatur, ut prædonem, raptorem, invaſorem, & detentorem ad ſatisfactionem rediro compellat intra menſem a tempore monitionis ſibi factæ. Quod ſi forte neglexerit, extunc ſecundum qualitatem facti & quantitatem rei eccleſiaſtico ſupponatur interdicto: prius tamen interdicta terra prædonis, invaſoris, ſeu detentoris. Quod autem dicimus de prædone, raptore, invaſore, & detentore, extendi volumus ad eos qui maleficio præſtant auxilium, conſilium, & juvamen. Si qui vero judices ordinarii locorum ſuper hoc requiſiti fuerint, excommunicatos ipſos, & malefactores excommunicatos denuncient, & faciant evitari; terram ſi quam habent ibidem, nihilominus ſupponentes interdicto. Hæc autem extendi volumus non ſolum ad malefactores, ſed etiam ad raptores eorumdem, & ad dominos negligentes, inobedientes, & remiſſos eſſe duximus: & ſtatuimus etiam ut capientes clericos, monachos, & alias perſonas eccleſiaſticas excommunicati denuncientur, niſi de voluntate & mandato ordinarii capti fuerint detenti.

V.

*Contra pſeudo abuſus.*

Quia multis diverſis modis in grave diſpendium plurimorum prædia & alienas ................ quærentes litteras domini papæ & legatorum ejus abutuntur. Excommunicamus omnes, qui litteris abutentes, aliis ejuſdem nominis tradunt, & eos qui tali modo recipiunt.

VI.

Item omnes illos qui conveniunt aliquos coram diverſis judicibus ſub uno & eodem negotio.

VII.

Item illos qui citant aut qui citari faciunt aliquem ad loca æquivoca, vel fraudulenter vel malitioſe citant, & damnificant, & vexant laboribus & expenſis.

VIII.

Item omnes qui per litteras domini papæ & legatorum ipſius perſonas non comprehenſas in reſcriptis ...... excogitatis malis falſantur litteræ, ubi non eſt, ſimulantes citari faciunt vel procurant ad perhibendum teſtimonium veritati.

IX.

Item omnes qui litteras domini papæ vel legatorum ipſius ſedis apoſtolicæ ad futuras trahunt controverſias, quemadmodum fuerunt tempore exhortationis exortæ. Hoc autem contra abuſores litterarum domini papæ & legatorum ipſius auctoritate provincialis concilii promulgamus, auctoritate ſedis apoſtolicæ in omnibus ſemper ſalva.

X.

*Clerici in foro ſæculari non litigent.*

Auctoritate præſentis concilii ſtatuimus, ne clericus vel religioſus trahat vel conveniat religioſum vel clericum in foro ſæculari ſuper mota actione perſonali & ſpeciali, vel alia quæ non ſunt de foro juris ſæculari. Contractus & conventus non reſpondeat foro, allegans privilegium: alioquin tam clerici, quam religioſi ſic contra venientes, quam etiam judices ſæculares, qui eos compulerint reſpondere; vel quia non reſponderunt animadverterit in eoſdem, aut in rebus eorum damnum dederint, aut perſonis injurias intulerint, arbitrio judicis ordinarii graviter puniantur, & ſententia jam a judice lata nullam obtineat firmitatem.

XI.

Præſentis conſtitutionis auctoritate excommunicamus dominos præpoſitos & alios juſtitiarios ſæculares, qui prohibent ſubditis ſuis ſub banno vel pœna ...., in foro ſæculari eccleſiaſtico & a judicibus eccleſiaſticis ſunt vocati vel fuerint citati.

XII.

De laicis qui pignora vel bona clericorum vel religioſorum capiunt vel capi faciunt, eo quod in curia ſua non reſpondent vel litigant, niſi ſint de his quæ ad forum judicis ſæcularis pertineant, vel quæ coram judice eccleſiaſtico citant aliquos, ſtatuimus quod tanquam excommunicati evitentur, & excommunicati publice nuntientur.



ANNO CHRISTI 1286.

XIII.

Ordinariis etiam locorum auctoritate præſentis concilii præcipientes injungimus, ut per presbyteros parrochiales in ſuis parrochiis publice & ſolemniter conſtitutiones noſtri provincialis concilii & earum ſententias ſingulis diebus dominicis faciant nuntiari. Si vero prædicti parrochiales presbyteri promulgata denuntiatione conſtitutionum noſtrarum & ſententiarum earumdem negligentes & inobedientes & remiſſi fuerint, ordinariorum ſuorum arbitrio mulctentur & graviter puniantur. Datum ut ſupra. Nos autem R. archiepiſcopus Lugdunenſis, & nos JACOBUS Æduenſis, & G. Cabilonenſis epiſcopi prædicti: nos quoque P. archidiaconus Lingonenſis procurator Reverendi in Chriſto patris & domini G. Dei gratia Lingonenſis epiſcopi, & nos officialis Matiſconenſis his præſentibus provincialis concilii conſtitutionibus ſigilla noſtra duximus apponenda.

## ** CONCILIUM RAVENNATE L

Cauſa reformandæ eccleſiaſticæ diſciplinæ celebratum, anno Domini M.CC. LXXXVI. tempore Honorii papæ IV.

Infraſcriptæ ſunt conſtitutiones, ſtatuta, & ordinamenta, edita & facta per provinciale conlium ſanctæ Ravennatis eccleſiæ, videlicet per venerabilem patrem dominum Bonifacium, Divina gratia ſanctæ Ravennatis eccleſiæ archiepiſcopum, & ſuffraganeos ejus ſufficienter requiſitos, & conſentientes per ſe aut per idoneos procuratores.

### CAPITULA.

*Ne clerici joculatores vel hiſtriones a laicis tranſmiſſos recipiant.* Rubr. I.

NON ſine temeritate conſuetudines inducuntur, quæ lege damnantur. Cum igitur laicorum importunitate, qui clericis plurimum ſunt infeſti, conſuetudo, quæ potius eſt dicenda corruptela vel abuſus, videatur induci, non ſine animarum clericorum provinciæ noſtræ periculo: ut cum laici decorantur cingulo militari, ſeu nuptias contrahunt; joculatores & hiſtriones tranſmittunt ad clericos, ut eis provideant, prout & idem laici faciunt inter ſe; ex quo contingit ut cum clerici de eccleſiarum communiter facultatibus ſuſtententur, ſuo patrimonio proprio conſanguineis reſervato, ipſas facultates eccleſiarum pia fidelium devotione collatas eccleſiis, ex quibus debent pauperes ſuſtentari, diſtribuant, ſeu potius effundant in hujuſmodi uſus illicitos, propter quæ multum denigratur clericorum honeſtas. Talem autem & tantum volentes removere abuſum: ſtatuimus, ut nullus clericorum noſtræ provinciæ, quocumque fungatur honore vel ſtatu, a talibus joculatores vel hiſtriones tranſmiſſos recipiat, ſeu provideat aliquid propter victum, etiam tranſeundo. Si quis autem contra fecerit, duplum ejus quod dederit joculatori vel hiſtrioni, reſtituere eccleſiæ a qua habet beneficium, teneatur, per ipſum" in uſus pauperum convertendum.

"Corr. ipſum.

*De pauperibus alendis & veſtiendis.* Rubr. II.

Doctoris illius præcipui prædicatoris egregii inſtitutione freti, ad pietatis exercitium noſtræ provinciæ clericos cum remuneratione theſauri Dominici invitamus, & præſertim prælatos, qui quanto plura a mundi authore accepiſſe cernuntur, tanto ad plurima tenentur obnoxii: quia cum dona augentur, rationes etiam creſcunt donorum. Hoc non attendentes quamplures eccleſiarum prælati, quotidie epulantur ſplendide, & cibis delicatis ſuperflue utuntur ad velle, ac quadruplicata ſibi indumenta conſervant: & oſtiis clauſis aforis, ex Chriſti pauperibus alii cupientes ſaturari de micis quæ cadunt de menſa ipſorum, clamant ad oſtium, & nemo aperit; alii verecunde in eorum domibus ſe includunt, vel quia carnem ſuam vili etiam indumento cooperire non poſſunt, ſeu quia verecundum eſt eis, propter conditiones quæ inſunt, publice mendicare, dum nemo illis manum porrigit adjutricem: iſti ſemper eſuriunt, & illi abundant, & cibi, quibus tales pauperes ali deberent, neglecti in domo corrumpuntur & diſſipantur; & eorum indumenta tinea comeduntur. Quantum autem in præmiſſis excedant, cui Dominus plus diſcretionis donaverit, plus advertat, quia amplius requiretur ab eo. Porro volentes ipſos, tam pœnarum timore, quam præmiorum retributione excitare, & inducere ad opera pietatis: hoc laudabili concilio ordinamus, ut per provinciæ noſtræ prælatos, & clericos univerſos, prout eis ſuppetunt facultates, neceſſaria pauperibus miniſtrentur. Is autem ſuffraganeorum noſtrorum, qui per totam ſeptimanam quatuor, ſemel in die, refecerit pauperes; abbatum, qui duos; archidiaconorum, præpoſitorum, archipresbyterorum, & alio-

Anno Christi 1286.

rum prælatorum, qui unum; ac aliorum clericorum, qui ſemel in die, in ſeptimana refecerit pauperes: de pœnitentiis injunctis eidem, unius anni indulgentiam habeat, Hanc etiam indulgentiam illi concedimus, qui novum pauperi dederit indumentum: ſi autem antiquum, quadraginta dierum indulgentiam de injuncta ei pœnitentia relaxamus.

*De honeſtate & habitu clericorum.*
Rubr. III.

Licet ſit canonica ſanctione ſtatutum, ut excommunicentur clerici arma portantes, & ut habitum, coronam, & tonſuram deferant congruentem, & ſæpe ab eccleſiarum prælatis, juriſdictionem habentibus, clerici noſtræ provinciæ moneantur, ne in præmiſſis excedant; eorum tamen parvi pendentes monitionem, non videntur de excommunicatione curare. Volentes, prædictos ſpiritualia vincula contemnentes, temporali pœna ab his compeſci, propter quæ non modice derogatur eccleſiaſticæ honeſtati: ſtatuimus, ut ſi quis de cetero poſt publicationem hujus concilii inventus fuerit publice arma portare, abſque juſta & manifeſta cauſa, ac licentia ſui diœceſani, pro quolibet armorum, a ſuo prælato juriſdictionem habente condemnetur in ſolidos quadraginta, ad minus; nec prælati ipſorum, ex quo ſine cauſa & licentia ſui prælati fuerint reperti culpabiles, poſſint omittere quin condemnent, & exigant, prout culpa ipſorum requiret: cum hoc ſtatuamus in favorem eccleſiaſticæ honeſtatis. Qui autem compertus fuerit, habitum, coronam, vel tonſuram incongruentem portare notabiliter: pro vice qualibet in quinquaginta ſolidos condemnetur.

*De promotione habentium parochiales eccleſias,*
Rubrica IV.

Concilium Lugdunenſe II.

Etſi ad regimen parochialium eccleſiarum aſſumpti, ante generale concilium Lugdunenſe, quod incipit, *Licet canon*, ex quo præfixo a canonibus tempore ſe non fecerint in presbyteros ordinari, de jure a miniſterio ſive ab officio eis commiſſo removeri poſſint & debeant, & aliis eorum eccleſiæ concedi; quia tamen in executione memorati juris ſe multi exhibent negligentes, nos ipſorum negligentiam hoc ſalubri concilio ſupplere volentes, ſtatuimus; ut infra proximum feſtum reſurrectionis Dominicæ ſe faciant in presbyteros ordinari. Quod ſi infra tempus præfatum, ſe in presbyteros promoveri non fecerint; nulla alia monitione præmiſſa, omni jure, quod in ipſis eccleſiis habebant, decernimus fore privatos, Licet generale concilium Lugdunenſe aſſumptos poſt ipſum concilium, ad regimen eccleſiarum parochialium, nulla etiam præmiſſa monitione, decernat eſſe privatos ipſis eccleſiis, niſi ſe fecerint a ſibi commiſſi regiminis tempore in presbyteros ordinari: ſunt tamen quidam, qui mentem dicti concilii circumveniunt, facientes ſe in fine anni, poſtquam privati fuerint, eligi iterato. Contra doloſos tales providere volentes, ſtatuimus ut ſive per dolum, ſive per negligentiam ſteterint *, ſeu alio fraudulento modo quocumque, quod promoti non fuerint infra annum, ipſo facto quoad rectorias ipſarum eccleſiarum, vel ad quas ſe neglexerint facere promoveri, quantum ad electiones, quæ in ipſis eccleſiis primo occurrerint faciendæ, inhibere † indicamus.

* Con. steterit.

† Deest aliquid.

*De quotidianis diſtributionibus*, Rubrica V.

Dignum eſt, ut quos ad vitæ decora domeſticæ laudis exempla non revocant, ſaltem correctionis medicina compeſcat. Sane relatu comperimus plurimorum, in nonnullis eccleſiis noſtræ provinciæ conſuetudine obſervari, & in aliquibus aliis conſtitutione firmatum, ut præter reditus beneficiorum, & præbendarum (de quibus nihil ad præſens volumus immutari) prout quotidie reſident, reditus aliquos alios, tantum in eccleſia reſidentes, pro rata reſidentiæ, quam in eccleſia faciunt, percipiant; & quod ad hujuſmodi conſuetudinem & ſtatutum, quidam parva interpretatione obaudientes, ac minus quæ Dei ſunt cogitantes, in animarum ſuarum periculo, dum tamen in camera reſideant, dato quod intrent in eccleſiam ad Divinum officium celebrandum tantum ſemel in menſe, ipſos reditus ſpecialiter ob favorem reſidentiæ deputatos, ut Deo & eccleſiæ ſerviatur, & Divinæ laudis organa in ipſa horis ſingulis decantentur, ſibi uſurpant: propter quæ generatur grande ſcandalum proximorum qui eccleſiæ militant, prout debent, ac refrigeſcit in eis laudabile propoſitum, quod habebant. Ne igitur culparum illorum efficiamur participes, ipſa prava interpretatione ſummota, ac tali conſuetudine obſervata, ſtatuimus declarando, & ſtatuendo declaramus, ut illi tantum dicantur in eccleſia reſidentes, quoad præmiſſos reditus qui diſtribuuntur, prout quotidie reſident, ſeu ſit bladum, ſeu vinum, ſive ſint pecuniæ, vel alia bona, qui in eccleſia ſua cum fratribus aliis horis debitis penſum ſervitutis noſtræ, videlicet Matutinum,



Anno Christi 1286.

Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, Completoriumque perſolverint: alioquin nihil percipiant ex ipſis reditibus, niſi prout ſervierint eccleſiæ, juxta ordinationem noſtram infra proxime annotatam.

Et ut hæc conſtitutio inviolabiliter obſervetur, volumus, & ſub excommunicationis pœna mandamus, ut infra duos menſes, a die publicationis præſentis concilii computandos, omnes & ſinguli clerici eccleſiarum noſtræ provinciæ, ubi ſunt plures clerici ordinati, & tales ſunt reditus, de quibus ſupra præmiſimus, hanc teneantur conſtitutionem ſacramento firmare, & omnes etiam qui in poſterum aſſumentur, antequam ad reditus admittantur. Ubi vero in eccleſia reditus tales non ſunt, diœceſani locorum in ſynodis ſuis, quas eos contigerit celebrare, provideant, prout ſecundum Deum melius poterunt, ne in ipſis eccleſiis horis canonicis officium negligatur. Quod ſi major de capitulo, vel ubi omnes ſunt pares, qui proximo ipſis clericis præeſt, non fecerit hoc ſacramentum præſtari: ſui beneficii periculo ſubjacebit, mulctandus per provinciale concilium, ſeu ſuperiorem ipſius, vel per alium qui hoc poſſit.

Proximum ſupra ſcriptum concilium, in quantum rite poſſumus, ordinare & declarare volentes; ſtatuimus ut infra duorum menſium ſpatium a die publicationis hujus concilii, ordinetur, quot & quantum habere debeat qui Matutino interfuerit, & aliis horis canonicis, ex reditibus, de quibus ſupra proximo concilio eſt præmiſſum, ubi tales ſunt reditus. Et quia in ſpecie dare in hoc doctrinam non poſſumus, cum aliquæ eccleſiæ plus abundent, aliæ vero minus; prout poſſumus, providemus hoc modo, videlicet, ut qui Matutino interfuerit, duplum ejus habeat quod habebit qui erit in Miſſa; qui autem Tertiæ & Sextæ, medietatem ejus habeat quod ei fuerit datum in Miſſa; & idem in Nona ſervetur, quod eſt in Tertia & Sexta præmiſſum; qui autem in Veſperis & Completorio, tantum habeat quantum qui Miſſæ interfuerit, ſecundum præmiſsa. Ut clare intelligas, ſuppone quod decem ſint denarii diſtribuendi in dies pro quolibet canonico: de ipſis decem denariis dabis ei qui interfuerit Matutino denarios quatuor; qui Miſsæ, duos; qui Tertiæ & Sextæ, unum; & unum qui interfuerit Nonæ; & qui interfuerit Veſperis & Completorio, dabis duos denarios, ut dediſti in Miſsa.

Verum quia nec ſic eſt, ſecundum quod præmiſsum eſt, ad plenum contra doloſos proviſum, qui venire poſsent ad horas canonicas, non tamen hora debita, & in hora debita, non tamen ſtarent quouſque officium compleretur: contra eos ſtatuimus, ut is dicatur Matutino intereſse, qui ad eccleſiam venerit, antequam Venite cum hymno cantetur, cum hymnus dicitur: alias cum dicetur, Venite, cum primo pſalmo *; ex quo hymnus tunc non cantatur; & ſteterit quouſque Prima completa fuerit. Qui Miſſæ, antequam cantetur Kyrie eleiſon, & ſteterit quouſque fuerit finita Miſsa. Qui Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperis, & Completorio, antequam pſalmi incipiantur, & ſteterint quouſque fuerint dictæ horæ perfectæ. Aliter nihil percipiant. Quicumque autem contra fecerit, præter reatum perjurii, teneatur ad duplum illius quod perceperit reſtituendum eccleſiæ, cui ſervitium debitum eſt ſubtractum, convertendum in ornamenta ipſius eccleſiæ.

In aliis autem eccleſiis, ubi reditus non ſunt tales; locorum ordinarii, in quantum commode poterunt, remedium ſalubre adhibeant, ut ipſis ſerviatur eccleſiis, prout decet. Et ne per præſentes aliqua fiat fraus; ordinamus quod campanæ horarum in nocte & die tantum pulſentur, quod omnes confratres ſe poſſint parare ad intrandum eccleſiam, nec incipiatur officium, antequam campana pulſare ceſsaverit.

[*] Ut miſericordia temperemus rigorem, ſtatuimus & ordinamus, ut illi etiam reſidere dicantur, quoad ſupraſcriptos reditus, dato quod non interſint horis Divinis, qui ſolennem medicinam receperint, per tres dies proxime ſubſequentes; & qui minutionem celebraverit, per duos dies; & alii etiam, qui infirmitate gravati, abſque læſione gravi ſuæ perſonæ venire non poſsunt; illi etiam qui dicta de cauſa exeunt. Item vel illi ad ſuperfluitatem corporis deponendam exeunt, dum tamen ſic cito redeant, quod contra hujus concilii, & ſupraſcriptorum conciliorum mentem non notentur feciſſe. Et propterea volumus, & mandamus: quod omnes iſtæ tres conſtitutiones juramento firmentur, quod contra ipſas, vel earum aliquam, non committatur fraus vel dolus per eos.

*De teſtamento uſurariorum.* Rubrica VI.

Concilium Lugdunenſe II. cap. 27.

Cognoſcentes ſalubrem conſtitutionem generalis concilii Lugdunenſis, quæ incipit, *Quamquam uſurarii manifeſti*, ac volentes ipſam intra provinciæ noſtræ terminos ab omnibus inviolabiliter obſervari: ſtatuimus quod nullus notarius noſtræ provinciæ, alicujus uſurarii teſtamentum conficiat, ſeu ubi conficiatur, interſit: niſi presbyter parochia-

ANNO CHRISTI 1286.

chialis ſit præſens, cujus eſt parochianus teſtator: & ante omnia, ſi dictus presbyter poſtulaverit, quod forma fuerit dicti concilii obſervata,

Si quis autem notarius dictæ provinciæ contrarium ſcienter attentaverit, in ipſum per hanc noſtram conſtitutionem excommunicationis ſententiam promulgamus. Et ne parochiales presbyteri, in tenore prædicti concilii, aliquo decipiantur errore: volumus & mandamus, quod omnes præfati presbyteri tenorem dicti concilii teneantur habere, & quod locorum ordinarii in epiſcopalibus ſynodis annuatim per ſingulas diœceſes celebrandis, per ſe, vel per aliam perſonam ſufficientem, dictum concilium ſuo clero exponant, & aperiant ita clare, quod nullus habeat juſtam cauſam ignorandi ea quæ continentur in eo.

*De decimis.* Rubrica VII.

Cum jure Divino & humano decimæ debeantur, & in ſignum univerſalis dominii ſibi ipſas Dominus reſervaverit; exactionem ipſarum præterire non poſſumus nec debemus, abſque animarum periculo nobis ſubjectarum, & eccleſiarum noſtrarum læſione enormi. Proinde ſtatuimus, ut eccleſiarum prælati, & clerici univerſi noſtræ provinciæ, quibus debentur decimæ de conſuetudine vel de jure, ſint ſoliciti exigere decimas ab iis qui eis tenentur; ac diœceſani ipſorum ſe pronos exhibeant abſque damno moræ in monitionibus & coactionibus inferendis: ut videlicet, monitione præmiſſa canonica, excommunicent decimas non ſolventes; nec negligant nec retardent quæ in hoc caſu fuerint facienda de jure. Quod ſi aliquis contemnens decimas ſolvere, excommunicationis fuerit ligatus ſententia, & eam per menſem ſuſtinuerit animo indurato: contra ipſum contumacem, quoties diœceſanus fuerit requiſitus, teneatur invocare cum effectu ſolicite auxilium brachii ſæcularis. Si quis ſuffraganeorum noſtrorum in executione hujus ſtatuti fuerit negligens vel remiſſus: per ſuum metropolitanum, vel per concilium provinciale ſubſequenti tempore celebrandum, duriſſime redarguatur, & etiam puniatur.

*De criminibus & delictis ſpecialiter epiſcopis reſervandis.* Rubrica VIII.

Ne ducatum præbeat cæcus cæco, caſus, in quibus volumus ſolos adiri epiſcopos, per hanc noſtram conſtitutionem eccleſiarum rectoribus noſtræ provinciæ intimamus: diſtricte ſub excommunicationis pœna mandantes, ne de his ſe ullatenus intromittant, ſed illos ad ſuum in his caſibus diœceſanum remittant, qui in his, vel eorum aliquo, eis voluerint confiteri. Caſus autem ſunt hi: videlicet, cum quis petit abſolvi ab excomunicatione majori lata, vel inducta ab homine, vel a jure: item incendio & crimine publico: ſicut in blaſphemante Deum, vel ſanctos: item in voto qualitercumque emiſſo: & cum illis, qui filios oppreſſerunt ex propoſito, ſive caſu: & cum quibuslibet homicidis & ſacrilegis, falſariis, violatoribus eccleſiarum & immunitatum eccleſiaſticæ libertatis, & ſortilegis: item cum iis qui cum brutis libidine polluuntur: item cum inceſtuoſis & corruptoribus ſanctimonialium: & in omni occupatione, uſurpatione & detentione rei alienæ, ubi cui reſtitutio fieri debeat non inveniri poteſt: item cum perjuris; & clandeſtine matrimonium contrahentibus, ex quo matrimonio dubitatio oriatur, vel oriri poſſit: & in omnibus aliis criminibus, delictis & exceſſibus, in quibus de conſuetudine generali vel ſpeciali epiſcopis reſervatur confeſſio.

ANNO CHRISTI 1286.

*De immunitate eccleſiarum.* Rubrica IX.

Quoniam quidam perditionis filii libertatem eccleſiæ attributam nituntur infringere, quin immo [a] eſſe aſſidue plura ordinentur remedia, ſemper tamen de malo prolabuntur in pejus, ac in ſua pertinacia durius confirmantur: oportet nos vigilanti ſtudio intendere ad reprimendam ipſorum malitiam perverſorum. Attendentes igitur, quod licet ſinguli qui ſtatuta edita, & conſuetudines introductas contra eccleſiæ libertatem ſervari fecerunt, vel fecerint, quive ſecundum eadem ſtatuta, ſeu conſuetudines, præſumpſerunt, vel præſumpſerint judicare, necnon ſtatutarii & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, poteſtates, conſules, & rectores locorum, ubi de cetero hujuſmodi ſtatuta vel conſuetudines introductæ fuerint, editæ vel ſervatæ, majoris excommunicationis ſint ligati ſententia; hi tamen, ipſa excommunicationis ſententia vilipenſa, in ipſorum animæ detrimentum, perceptioni ſacramentorum, & participationi fidelium ſe immiſcent: hoc non valentes tolerare vel diſſimulare diutius, abſque eccleſiarum noſtræ provinciæ læſione enormi, volumus & mandamus, ut annis ſingulis in nativitate & paſchate reſurrectionis Domini, ac in ſolennitate ſanctorum omnium, coram fideli populo denuncietur publice in Miſſarum ſolenniis, omnes & ſingulos ſupraſcriptos, in majoribus eccleſiis civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum, ubi ſunt conventuales vel collegiatæ eccleſiæ

no-

a f. tuti



ANNO CHRISTI 1286.

noſtræ provinciæ, majoris excommunicationis vinculo fore ligatos. Inſuper monemus poteſtates & rectores, antianos, conſiliarios, & officiales, quibuſcumque nominibus nuncupentur, civitatum, caſtrorum, & locorum provinciæ noſtræ: quod ipſa ſtatuta infra menſes duos, a die publicationis præſentis concilii computandos, de capitulariis ſuis deleri faciant; & quoniam contemptu creſcente, pœna debet augeri: ad privationem omnium honorum, officiorum, gratiarum, immunitatum, privilegiorum omnium, ac inſuper feudorum, & bonorum omnium aliorum, quæ ab eccleſiis noſtræ provinciæ tenent, procedemus, prout crediderimus eſſe de jure; niſi ipſa ſtatuta de ſuis capitularibus deleri fecerint, ut ſuperius eſt præmiſſum, infra terminum ſupraſcriptum. Quod ſi nec ſic a tam nequam propoſito curaverint reſilire: a quocumque cujus interſit, denunciatione facta metropolitano, qui erit pro tempore, in ſequenti provinciali concilio, ante omnia teneantur in concilio præſidente, ſuper hoc præmiſſis aliis, cura ſolicita providere.

Lectæ & publicatæ fuerunt prædictæ conſtitutiones, ſtatuta, & ordinamenta, in choro ſuperiori ſancti Mercurii Forolivienſis, & ordinatæ & confirmatæ per ſupraſcriptos venerabiles patres, dominum archiepiſcopum & ſuffraganeos ejus, ſcilicet dominum [a] S. epiſcopum Imolenſem, dominum [b] Y. Dei gratia epiſcopum Faventinum, dominum [c] R. Dei gratia epiſcopum Forolivienſem, dominum Thaddæum Dei gratia epiſcopum Forlipopilienſem, dominum Aimericum Dei gratia epiſcopum Cæſenatenſem, dominum Henricum Dei gratia epiſcopum Saxenatenſem, & dominum B. Dei gratia epiſcopum Adrienſem, & procuratores epiſcopi Bononienſis, epiſcopi Cervienſis, epiſcopi Mutinenſis, epiſcopi Parmenſis, ſub anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, die octava menſis Julii, præſente multitudine clericorum.

Die prædicto in palatio populi communis Forilivii, quod inhabitat dominus comes Romandiolæ, venerabilis pater dictus dominus archiepiſcopus commiſit & mandavit domino Michaeli archidiacono Ravennati, ut in præſentia prædictorum epiſcoporum, & de ipſorum conſilio definiret, quod per ipſum dominum archiepiſcopum deberet reiterari viſitatio per provinciam eccleſiæ Ravennatis. Actum, &c. In nomine Domini. Amen.

Injuncti a domino noſtro Bonifacio archiepiſcopo Ravennate officii cura ſolicitat, ut his quæ a ſanctis patribus inſtituta cognovit, ſtudio vigilanti intendat. Cum ergo per omnes provinciæ ejuſdem decretæ diœceſes viſitationem perfecerit, prout, Deo annuente, ſecure potuit, eique liceat viſitationem per eamdem reiterare provinciam, ſupraſcriptorum ſuffraganeorum requiſito conſilio: de ſpeciali mandato & commiſſione ipſius domini archiepiſcopi, nobis Michaeli archidiacono Ravennati facta, definimus viſitationem per eamdem provinciam reiterari debere per dominum archiepiſcopum ſupraſcriptum. Facta fuit definitio, *&c.*

a Simbal-

b Forte, V. Ugolinum.
c Raynaldum.

## ** CONCILIUM BITURICENSE

A Simone de Belloloco archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum, XV. Kal. Octobr. ann. MCCLXXXVI.

Ex codice MS. Collegii Pariſ. Soc. JESU.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De corrigendis & dirimendis matrimoniis.*
2. *Ne matrimonia infra legitimam ætatem, vel clandeſtine, contrahantur.*
3. *Ut nemo cognitiones cauſarum uſurpet extra loca ſuæ juriſdictionis.*
4. *Ne archidiaconi, &c. habeant officialem extra civitatem.*
5. *Ut parochi non gaudeant fructibus, donec ſint in ſacris ordinibus.*
6. *Ut clerici peregrini non admittantur, niſi comprobati.*
7. *Ut clerici focarias non habeant.*
8. *Ut filii presbyterorum illegitimi, in eorum domibus non nutriantur.*
9. *Ut clerici qui per annum in excommunicatione fuerint, beneficio priventur.*
10. *Ut eccleſiarum rectores deſcripta habeant nomina excommunicatorum, & eos feſtis diebus denuncient.*
11. *Ut habeant iidem & legant conſtitutionem Gregorii X. & aliam Simonis legati, contra impedientes juriſdictionem eccleſiaſticam.*
12. *Ut obſervetur conſtitutio Gregorii X.* Quia nonnulli *de reſcriptis.*
13. *Ut omnes ſemel in anno confiteantur.*
14. *Ut rectores eccleſiarum legant conſtitutiones pontificum, de proprio ſacerdote, & de privilegiis regularium.*
15. *Ut parochi obſervent eos qui communicant cum excommunicatis.*
16. *Ne quis excommunicatum, ab ordinario non abſolutum, abſolvat, aut tradat eccleſiaſticæ ſepulturæ.*
17. *Ne uſurarii ad ſacramenta & ſepulturam eccleſiaſticam admittantur.*
18. *De diſciplina regularium.*
19. *Ne monachi habeant proprium.*
20. *Ne prior mutuetur ultra 60. ſolidos Turon.*
21. *Ut ab eccleſiis amoveantur arca, & ſimilia.*
22. *Ut in eccleſiis choreæ non fiant.*
23. *Ne monachi minores 20. annis, morentur in prioratibus non conventualibus.*
24. *Ne mulieres morentur in domibus regularium.*
25. *Ut decimæ non accipiantur a laicis.*
26. *Ut mortuis vel amotis prioribus, prioratus non vacuentur.*
27. *De teſtamentis non occultandis.*
28. *De executoribus teſtamentorum.*
29. *Ut epiſcopi exequantur teſtamenta, ſi executores ſint negligentes.*

30. Ut

ANNO CHRISTI 1286.

30. *Ut teſtamenta fiant coram proprio ſacerdote.*
31. *De compellendis excommunicatis ut faciant ſe abſolvi.*
32. *Ut religioſe feſta ſerventur.*
33. *Ut ſuffraganei, & inferiores judices, appellationibus deferant.*
34. *Ut officiales archiepiſcopi non impediant juriſdictionem ſuffraganeorum, & aliorum.*
35. *Ut quivis ordinarius requiſitus, mandet executioni ſententiam latam in eos qui minuunt juriſdictionem eccleſiaſticam.*
36. *Ut hæc & antiqua ſtatuta ſerventur.*
37. *Ut nonnulla Pontificum conſtitutiones firmiter obſerventur.*

## PRÆFATIO.

QUoniam conſtitutiones conciliorum prædeceſſorum noſtrorum diverſas reperimus; ſicque vagabundas, quod tanquam incertæ per totam provinciam vacillabant, ex quo inconveniens ſequebatur, quod aliqui per conſtitutiones pœnis multiplicibus obligati, alii excommunicati, alii ſuis beneficiis privati, ignorantes pœnas, ſententias, & præcepta, quæ in prædictis conciliis continentur: idcirco ad utilitatem, pacem, & tranquillitatem provinciæ, ne labilis hominum memoria poſſit ignorantiam prætendere in futurum, conſtitutiones antiquas ſcripto, ex aſſenſu totius concilii, dignum duximus comprehendi, & ſigillorum noſtrorum munimine roborari: adjicientes conſtitutiones alias, & dubia quæ erant in prioribus declarantes: præcipientes, ut ab omnibus vocatis ad concilium habeantur, & ut ſemel in anno in ſynodis epiſcopalibus publice & perfecte legantur.

### I. *De corrigendis & dirimendis matrimoniis.*

IN primis ad inſtar prædeceſſorum noſtrorum, nos archiepiſcopus Simon, cum ſuffraganeis noſtris, de conſilio & aſſenſu totius concilii, ſtatuimus, quod judices eccleſiaſtici, ad quos ſpectat cognitio & definitio cauſarum matrimonalium, in corrigendis & dirimendis matrimoniis, cum omni maturitate & conſilio peritorum procedant: & quod matrimonia illicite contracta, timore vel amore nullatenus ſuſtineant, ſed ad illa ſeparanda, omni dilatione & excuſatione excluſa, procedant; capellani autem parochiales, matrimonia, quæ in ſuis parochiis illicite contracta cognoverint, ſtudeant diœceſanis, aut eorum officialibus, quam citius commode poterunt, intimare: quod niſi fecerint, ſuperiorum ſuorum arbitrio graviter puniantur.

### II *Ne matrimonia infra legitimam ætatem, vel clandeſtine, contrahantur.*

Item diſtricte inhibemus, ne ante ætatem legitimam maſculus vel fœmina matrimonium contrahant; & niſi in facie eccleſiæ, atque bannis prius editis juxta morem, & ne aliquis in tali matrimonio intereſſe præſumant. Quod ſi infra ætatem legitimam matrimonium contrahere attentent: tam contrahentes, quam illi qui ſcienter & ſponte interfuerunt, arbitrio ordinarii puniantur. Nec calumnioſe prætendant, quod malitia ſupplet ætatem: cum conſtet hujuſmodi cognitionem ad ordinarium pertinere. Sed quantum ad contrahentes clandeſtine, & cooperatores & ſcienter præſentes: omnes, ſtatutum antiquum ſuper hoc editum innovando, excommunicationis vinculo innodamus, ſive ſint clerici, vel laici, vel religioſi.

ANNO CHRISTI 1286.

### III. *Ut nemo cognitiones cauſarum uſurpet extra loca ſuæ juriſdictionis.*

Sane quia nonnulli cognitiones cauſarum matrimonialium, necnon de ſacrilegiis, aut aliis majoribus cauſis, uſurpare nituntur, aut de aliis cognoſcunt extra loca ſuæ juriſdictionis, in quibus non ſunt cognoſcere conſueti: ſtatuimus & prohibemus, ne de cetero talia attentent, niſi de conſuetudine præſcripta, antiqua, & approbata, fuerit obtentum, aut niſi eis ſpecialiter ſit commiſſum ab eo qui poteſtatem habeat committendi. Quod ſi factum fuerit, ſuperioris arbitrio punietur. Et proceſſus non teneat ipſo jure: cauſam etiam non præbeat præſcribendi.

### IV. *Ne archidiaconi, &c. habeant officialem extra civitatem.*

Item ſtatutum renovantes antiquum, firmiter inhibemus, ne archidiaconi, archipresbyteri, ſeu alii juriſdictionem habentes eccleſiaſticam, extra civitatem habeant officium *: ſed extra civitatem in perſonis propriis officium ſuum fideliter expleant. Et ſi aliquis proceſſus habitus fuerit coram talibus judicibus, quod fieri prohibemus, eum decernimus non tenere. Hoc autem intelligimus, niſi quatenus de antiqua, præſcripta, & approbata conſuetudine, fuerit obtentum. Illud etiam quod in contrarium ab eis attentabitur, cauſam non præbeat præſcribendi.

* leg. officialem.

### V. *Ut parochi non gaudeant fructibus, donec ſint in ſacris ordinibus.*

Item ſtatutum antiquum invenimus editum per hæc verba: Statuimus, ut clerici in majoribus ordinibus conſtituti, ad regimen parochialium eccleſiarum præſentati, in eccleſiis, per diœceſanum inſtituti, fructibus non gaudeant donec fuerint in ſacris ordinibus: ſed in utilitatem eccleſiæ, ſecundum quod diœceſano expedire videbitur, convertantur.

IV.



ANNO CHRISTI 1286.

### VI. *Ut clerici peregrini non admittantur, niſi comprobati.*

Item nullus presbyter, vel clericus peregrinus, ad celebrandum, prædicandum, vel officiandum publice populo in eccleſia, admittatur: niſi per diœceſanum, vel ſuos fuerit comprobatus.

### VII. *Ut clerici focarias non habeant.*

Item nullus ſacerdos, vel clericus beneficiatus, mulierem in domo habeat ſuſpectam. Præcipitur autem archipresbyteris in virtute præſtiti juramenti, quod per archipresbyteratus ſuos hac vice diſcurrant, & omnes mulieres ſuſpectas a domibus presbyterorum & clericorum beneficiatorum expellant. Si quis autem prius canonice monitus, deinceps convictus fuerit concubinam ſeu fornicariam in domo propria habere, privetur eccleſia, ſeu beneficio, niſi prælatus ejus ex cauſa probabili diſpenſandum viderit cum eodem.

### VIII. *Ut filii presbyterorum illegitimi, in eorum domibus non nutriantur.*

Filios autem illegitime natos presbyterorum, & clericorum beneficiatorum, nutriri in domibus propriis eorum penitus prohibemus. Quod ſi contra fecerint, puniantur arbitrio prælatorum. Presbyteri autem negotiatores publici, & tabernas frequentantes, ſeu aleatores, pœna ſimili puniantur.

### IX. *Ut clerici qui per annum in excommunicatione fuerint, beneficio priventur.*

Item ſtatuimus, quod clerici beneficiati, qui per annum in excommunicatione perſtiterint, ſi negligentes in petenda abſolutione fuerint, beneficio omni jam adepto priventur; niſi cum eis per diœceſanum fuerit diſpenſatum.

### X. *Ut eccleſiarum rectores deſcripta habeant nomina excommunicatorum, & eos feſtis diebus denuncient.*

Quoniam excommunicati, communioni hominum irreverenter ſe ingerunt, & nonnulli etiam cum excommunicatis participare non formidant in periculum animarum: ne aliquis per ignorantiam ſuper his ſe excuſare valeat, ſtatuimus quod ſinguli eccleſiarum rectores, & eorum loca tenentes, habeant rotulos quilibet ſuum, in quo ſcribant omnia nomina excommunicatorum ſuæ parochiæ, & quorum authoritate, & ad quorum inſtantiam, ſunt excommunicati, & tempus excommunicationis; & eos ſic excommunicatos denuncient publice in ſuis eccleſiis, diebus Dominicis & feſtivis, donec de abſolutione conſtet eis evidenter. Inhibeant nihilo minus parochianis ſuis, ne cum eis participare præſumant; alioquin noverint quod contra eos durius procedetur.

ANNO CHRISTI 1286.

### XI. *Ut habeant iidem & legant conſtitutionem Gregorii X. & aliam Simonis legati, contra impedientes juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Præcipimus etiam ſub pena ſuſpenſionis, quod omnes parochiales presbyteri habeant illas duas conſtitutiones: Videlicet Gregorianam, quæ incipit, *Quicumque*, & Simonis legati, quæ incipit, *Cum juris utilitas*, contra impedientes juriſdictionem eccleſiaſticam, in Gallico ſeu vulgari ſuo, & Latino; & eas legant ſaltem ſemel in menſe, & eas diligenter exponant populo, quod nullus ſæcularis poſſit ſe ſuper hoc prætextu ignorantiæ excuſare. Quarum conſtitutionum tenores immediate ſequuntur.

*Conſtitutio edita in concilio Lugdunenſi a Gregorio papa decimo.* c. 31.

QUicumque pro eo, quod in reges, principes, barones, nobiles, bailivos, & quoſlibet miniſtros eorum, aut quoſcumque alios, excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederit occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum, gravandi eos qui tales ſententias protulerint, ſive quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes: niſi licentiam ipſam re integra revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem, occaſione ipſius licentiæ, ſit proceſſum: niſi bona ipſa fuerint intra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa: in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto. Eadem ſint quoque ſententia innodati omnes, qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquid præmiſſorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibemus, alias committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio, ex tunc ab ea non poſſint niſi per ſedem apoſtolicam abſolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni Kal. Novemb. pontificatus noſtri anno tertio.

*Conſtitutio Simonis legati facta in concilio Bituric.*

CUm juris utilitas tot & tantis excogitata vigiliis, ſufficienter nequeat proſperari, ſi proceſſus miniſtrorum juſtitiæ contingat iniquorum machinationibus impediri: ut illorum audaciam, quos amor Divinus a malo non revocat, ſaltem rigor eccleſiaſticæ coerceat diſciplinæ: ſacri concilii duximus proviſione ſtatuendum, quod ſi quis, cujuſcumque dignitatis & conditionis exiſtat, nuncios aut executores eccleſiaſticorum judicum, aut alios litteras eorumdem actave judicia-

Concil. Bitur. ann. 1277. c. 16.

ANNO CHRISTI 1286.

diciaria deferentes, hac occaſione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, mutilare, aut, quod gravius eſt cenſendum, interficere, litteras vel acta prædicta perſonis memoratis auferre, ſeu ea rumpere, cancellare, aut alias deſtruere quoquomodo, vel ſic ablata celare, præſumpſerint; aut ut iſta fiant, procuraverint, vel facientibus conſilium, vel opem duxerint adhibendam: excommunicationis ſententia, quam ex nunc proferimus, ſubjaceant ipſo facto, a qua, niſi prius tam judici, cujus authoritatem contempſerint, quam paſſo injuriam, & ceteris quorum intererit, prout exceſſus poſtulabit atrocitas, ſatisfaciant competenter, nullatenus abſolvantur. Ad quorum memoriam obſervandam, & præmiſſorum teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Datum in eodem concilio anno Domini MCCLXXVII. Romana eccleſia vacante.

*XII. Ut obſervetur conſtitutio Gregorii X.* Quia nonnulli *de reſcriptis.*

Item illam conſtitutionem de reſcriptis, *Quia nonnulli*, ab omnibus præcipimus arctius obſervari, in omnes tranſgreſſores ſcienter, excommunicationis ſententiam promulgantes. Ne autem de conſtitutione hujuſmodi, ſive de iis quæ continentur in illa, prætendi poſſit ignorantia, & diverſi modi in ea conſtitutione contenti, quibus plerique litteris apoſtolicis abutuntur, ex ipſius conſtitutionis inſpectione plene pateant: tenorem conſtitutionis ipſius de verbo ad verbum, prout proxime & immediate ſequitur, duximus inſerendum.

Extra de reſcript. c. quia nonnulli.

QUia nonnulli diverſis modis, litteris apoſtolicis abutuntur, ſtatuimus ut quicumque obtentas ſub ſuo nomine litteras aliis ejuſdem ſui nominis tradunt, qui quos volunt indebite fatigant per eaſdem, & qui eas tali modo recipiunt, quique illos contra quos nihil habent actionis * faciunt in judicium evocari, aut litteras ipſas ad futuras trahunt controverſias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ, ſeu quemquam ſuper uno negotio, vel etiam malitioſe ſuper pluribus perſonalibus actionibus, quæ ſub uno judice poſſent tractari commodius, per varias litteras coram diverſis trahant judicibus, ut reus ſic laboribus fatigatus & ſumptibus, compellatur componere, vel cedere juri ſuo, aut actorem reus eodem tempore ad diverſa loca vel indeterminate ad villam quæ commune cum pluribus ejuſdem provinciæ villis habet vocabulum, citari procurat, ut ſi non comparuerit, excommunicetur quaſi contumax, & ſic eum a ſua intentione repellat; earumdem litterarum commodo careant: & adverſariis, immoderatis expenſis ac damnis, quæ propter eos pertuliſſe conſtiterit, condemnentur.

* al. quæſtionis

*XIII. Ut omnes ſemel in anno confiteantur.*

Item ſtatuimus quod presbyteri parochiales admoneant parochianos ſuos proprios, ut ſaltem ſemel in anno de omnibus peccatis ſuis confiteantur eiſdem; & quod nomina ſic confitentium in ſcriptis redigant, quibus in feſto Paſchæ viaticum dent; aliis autem denegetur * condemnantibus confiteri modo prædicto proprio ſacerdoti, aut alicui de licentia ipſius, vel epiſcopi. Et ſi anno quo deceſſerint, confeſſi non fuerint, ut præmittitur, eis ſepultura eccleſiaſtica denegetur: niſi adeo morte præventi fuerint, quod poſſint legitime excuſari, & ſigna pœnitentiæ in ipſis apparuerint evidenter. In prædictis autem confeſſionibus diligenter inquirant a ſubditis, ſi juriſdictionem eccleſiaſticam impediunt, ſeu etiam impediverunt. Quod ſi confiteantur, ad diœceſanum, vel ad ejus mandatum, mittantur abſolvendi, vel ad ſedem apoſtolicam, ſecundum quod negotii qualitas poſtulaverit.

ANNO CHRISTI 1286. * ſeu, contemnentibus, &

*XIV. Ut rectores eccleſiarum legant conſtitutiones pontificum, de proprio ſacerdote, & de privilegio regularium.*

Præcipimus etiam ſub pœna excommunicationis, univerſis eccleſiarum capellanis curatis, quod habeant in vulgari & Latino, conſtitutionem Innocentii III. editam in concilio generali, quæ incipit, *Omnis utriuſque ſexus*; & conſtitutionem Clementis papæ, quæ dirigitur fratribus Prædicatoribus; & incipit, *Quidam temere ſentientes.* Item habeant illam conſtitutionem Martini, quæ dirigitur fratribus Minoribus, quæ incipit, *Ad fructus uberes*; & eas diligenter intelligant, & populo exponant: quod ipſis prædicantibus diſtricte præcipimus obſervare. Tenores autem dictarum conſtitutionum hic per ordinem inſeruntur.

*Conſtitutio Innocentii III.*

Concil. Lateran. IV. c. 21.

OMnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio ſacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha euchariſtiæ ſacramentum: niſi forte de proprii ſacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejuſdem perceptione duxerit abſtinendum. Alioquin vivens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur; & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in eccleſiis publicetur, ne quiſquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio ſacerdote: cum aliter illum ipſe abſolvere non poſſit nec ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati. Quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo, prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi de-



ANNO CHRISTI 1286.

tectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotis officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctum monaſterium detrudendum.

*Conſtitutio Clementis.*

Data ejuſdem exempli litteræ ad generalem ordinis Minorum.

CLemens ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, magiſtro & fratribus ordinis fratrum Prædicatorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quidam temere ſentientes, & ad ſobrietatem ſapere neſcientes, imprudenter præſumunt aſſerere, quod de licentia, vel commiſſione aut conceſſione Romanorum pontificum, vel legatorum apoſtolicæ ſedis, ſeu ordinariorum locorum, vos ſine ſacerdotum parochialium eccleſiarum licentia & aſſenſu non poteſtis libere prædicare populis, audire confeſſiones, abſolvere confitentes, ac pœnitentias injungere ſalutares. Nos igitur volentes aſſertionem tam temerariam penitus confutare, & elucidare in talibus veritatem: deliberatione provida declaramus, quod ſi vobis detur licentia, committatur, ſeu concedatur, a legatis prædictæ ſedis, aut ordinariis locorum, (nedum a Romano pontifice de quo procul dubio eſſet erroneum dubitare, quin in omnes ſine alicujus conſenſu, immo etiam invitis quibuſlibet, hujuſmodi poſſit concedere poteſtatem) populis, legatis ordinariis ſubditis eiſdem, libere prædicare poteſtis, audire confeſſiones, abſolvere vobis confitentes, & pœnitentias vobis confitentibus injungere ſalutares, aliorum inferiorum prælatorum, & rectorum eccleſiarum, & ſacerdotum parochialium aſſenſu, nullatenus requiſito: illis caſibus exceptis, qui de jure, conſuetudine, ſeu retentione ab eis ſpecialiter facta, prædictæ ſedis legatis, & ordinariis prædictis ſpecialiter relinquuntur: ad quos non licet vos manus extendere, niſi vobis ſpecialiter committatur. Ideoque authoritate apoſtolica diſtrictius inhibemus, ne quiſpiam ſuper iis, vel eorum quolibet, vos, vel aliquem veſtrum, aut etiam confitentes vobis, vel ad prædicationes veſtras forſitan accedentes, contra præmiſſæ declarationis formam aliquatenus moleſtare præſumat: decernentes nihilo minus irritum & inane, &c. Datum, &c.

*Conſtitutio Martini.*

Datæ litteræ ejuſdem exempli ad generalem & provinciales ordinis Prædicatorum.

MArtinus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis generali miniſtro & provincialibus miniſtris ordinis fratrum Minorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad fructus uberes, quos in agro Dominico, prædicando verbo pariter & exemplo, confeſſiones audiendo, & per alia virtutum exercitia, ſacer ordo veſter, & ordinis ipſius humiles profeſſores, produxerunt hactenus, & in futurum ſperantur Deo auſpice producturi, attentæ conſiderationis aciem convertentes: ut fratres ejuſdem ordinis, prædicationis & audiendi confeſſiones officia eo liberius & efficacius exequi valeant, quo certius de ipſorum circa eadem authoritate conſtabit: tibi, fili, miniſtro generali per te, vobis vero provincialibus miniſtris cum diffinitoribus in provincialibus veſtris capitulis congregatis, committendi authoritate apoſtolica fratribus ejuſdem ordinis, in ſacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis a vobis, prædicationis officium: audiendi vero confeſſiones, abſolvendi confitentes, & injungendi eiſdem pœnitentias ſalutares, etiam fratribus alias idoneis, concedendi: eiſdem quoque ſupradicti ordinis fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commiſſa ſive conceſſa fuerint, quod eadem libere valeant exercere; plenum damus & concedimus authoritate præſentium facultatem: diſtrictius inhibentes, ne quis fratres ipſius ordinis, quibus dicta officia per vos taliter concedenda duxeritis, ut præmittitur, aut etiam committenda, in exercitio aut executione officiorum ipſorum audeat quomodolibet impedire. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Quod ſi quis attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſum. Datum Romæ apud S. Sabinam IV. Idus Februarii pontificatus noſtri anno primo.

ANNO CHRISTI 1286.

*XV. Ut parochi obſervent eos qui communicant cum excommunicatis.*

Item ſtatuimus ut injungatur capellanis, quod ſi viderint aliquem participare cum excommunicatis in menſa, vel in domo, aut commerciis, vel conſulendo, moneant ipſos, alio mandato non expectato, ut nomina diœceſanis vel officialibus eorum per ſuas litteras mittant. Circa quod capellani ſolicite & diligenter ſe habeant, certi quod ſi in hoc inveniantur remiſſi & deſides, graviter punientur.

*XVI. Ne quis excommunicatum, ab ordinario non abſolutum, abſolvat, aut tradat eccleſiaſtica ſepulturæ.*

Sane proſpeximus quod nonnulli religioſi, & alii, motui ſui ſenſus potius innitentes, quam conſiderare volentes, quam grave ſit periculum, aliquid attentare, potiſſime tranſgrediendo terminos quos poſuere majores; quod poſſe vergere videatur in contemptum clavium, & fractionem nervi eccleſiaſticæ diſciplinæ; plerumq; aliquorum corpora tradere præſumunt eccleſiaſticæ ſepulturæ, qui ab ordinariis ſuis excommunicati, culpis exigentibus eorundem, per tempora multa in ſua contumacia & rebellione perſiſtunt, claves eccleſiæ, & cenſuram eccleſiaſticæ poteſtatis graviter contemnendo, in detrimentum nimium animarum ſuarum, & in ſcandalum plurimorum: ſicque, abſolutione a præfatis ordinariis non obtenta, quin etiam nec petita, finiunt dies ſuos, colore aſſumpto aliquoties a prædictis qui talium corpora ſepulturæ eccleſiaſticæ tradere non verentur, quod antequam eos ſepeliant, ipſos intelligant fuiſſe per aliquem presbyterum in gravi infirmitate aliqua abſolutos, qua evaſione utuntur, ne dum ſi non plene conſter eiſdem quod in eo illi poſiti eſſent articulo, ut debuerit ipſis abſolutionis munus impendi; immo etiam etſi non ſufficienter conſtet eiſdem, quod prædicti rebelles ab aliquo ſacerdote fuerint abſoluti. Advertere etiam præſumptores hujuſmodi non curantes, quod certis ex cauſis, quandoque illis quibus abſolutionis beneficium impenſum eſt, & qui cum

ANNO CHRISTI 1286.

ſigno veræ pœnitentiæ obierunt, juſte denegatur ſive differtur eccleſiaſtica ſepultura. Nos igitur, inter alia quamplurima quæ ſuadent, circa hujuſmodi congruum debere remedium adhiberi, conſiderantes quod ſepultura dilata defuncto non nocet ................. eccleſiaſticæ vero tradere ſepulturæ excommunicatum, nimis pernicioſum exiſteret ac damnoſum: præſentis authoritate concilii, ſalubre iſtud remedium adhibemus, ſtatuentes & diſtrictius inhibentes, ne aliquis preſbyter, aut religioſus, vel quicumque alius, cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtat, excommunicatos authoritate ordinaria, preterquam in articulo mortis, abſolvat, aut tradat eccleſiaſticæ ſepulturæ, donec ab ordinario defuncti obtenta fuerit licentia ſpecialis. Si vero in contrarium deſuper defunctis aliquid attentetur a quibuſcumque, cujuſcumque conditionis exiſtant; tam in eos, quam cooperatores, & qui opem vel conſilium ſeu conſenſum dederint, & qui expenſas miniſtraverint, & qui præſentes ſcientes hujuſmodi fuerint, excommunicationis ſententiam promulgamus. Capellanis autem eccleſiarum parochialium diſtricte præcipimus; quod de hujuſmodi ſtatuto & tenore ipſius, plene & publice certificent illos, qui vellent talia attentare: ne fortaſſis ignorantia prætendatur.

*XVII. Ne uſurarii ad ſacramenta & ſepulturam eccleſiaſticam admittantur.*

"Deeſt, ſubjicimus ſeu, vel quid ſimile.

Eiſdem "penis qui uſurarios publicos, quos authoritate præſentis concilii excommunicamus, & excommunicatos publice nunciari mandamus, in ſuis cemeteriis ſcienter ſepelire præſumunt. Præcipimus etiam univerſis presbyteris parochialibus, ut ſingulis diebus Dominicis denuncient, uſurarios publicos teſtari nec poſſe, niſi de uſuris ſatisfaciant, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent vel promittant idoneam cautionem; nec poſſe per conſtitutiones tradi eccleſiaſticæ ſepulturæ. Cum hoc etiam præcipimus obſervari, & per capellanos curatos eccleſiarum parochialium in eorum eccleſiis publice recitari, conſtitutionem domini Simonis legati, quæ incipit, *Licet regularis obſervantiæ profeſſores:* Cujus tenor eſt talis.

Concil. Bituric. ann. 1267. c. 15.

Licet regularis obſervantiæ profeſſores, & alios quos ſedes apoſtolica exemptionis ſeu libertatis majoris decoravit titulis; & privilegiis inſignivit, attollere condignis favoribus intendamus; ipſorumque privilegia, quantum ad nos attinet, obſervare penitus illibata: ſic tamen eos ſuis manere contentos juribus affectamus, quod privilegiorum ipſorum limites in aliorum injuriam non excedant. Proinde ſacro approbante concilio duximus ſtatuendum, diſtrictius inhibentes, ne deinceps religioſi quicumque vel etiam ſæculares, exceptionis ſive libertatis ſedis apoſtolicæ privilegiis communiti, excommunicatos publice, vel nominatim interdictos, ſeu uſurarios manifeſtos, ad Divina ſeu eccleſiaſtica ſacramenta, vel eccleſiaſticam ſepulturam, ſcienter admittant. Qui ſi contra fecerint, præter pœnas a jure ſtatutas, ingreſſum eccleſiæ eo ipſo ſibi noverint interdictum, donec prolatoribus ſententiarum hujuſmodi, quorum authoritatem contempſerint, & aliis, quorum intereſſe contigerit, de prædictis exceſſibus & omnium intereſſe ac damnis, ſatisfecerint competenter.

*XVIII. De diſciplina regularium.*

Quia vero id ſolum bene agitur ut vita hominum corrigatur, ac in noſtra provincia multos in religione .............. reperimus contra ſubſtantiam ordinis ſic errantes, quod religione penitus deficiunt; ſtatuimus, ut in choro, capitulo, refectorio, & dormitorio, regula obſervetur, nullus cameram ſingularem habeat, præterquam infirmarius, niſi neceſſitas officii id expoſcat; in qua ſibi jacere, & non comedere licebit, niſi de abbatis licentia ſpeciali; quod raro & ex cauſa fiat. Eiſdem veſtibus, & ejuſdem coloris, quilibet religioſus in ſuo loco utatur.

*XIX. Ne monachi habeant proprium.*

Item inhibemus, ne monachi, niſi ſint in adminiſtratione conſtituti, habeant ſub aliquo colore proprium, etiam de licentia abbatis; cum licentia in iis non valeat ſuffragari eiſdem. Si abbates contra hanc inhibitionem noſtram fecerint, graviter puniantur.

*XX. Ne prior mutuetur ultra 60. ſolidos Turon.*

Prohibemus etiam, ne aliquis prior contrahat mutuum ultra ſummam ſexaginta ſolid. Turon. niſi de conſenſu & authoritate abbatis ſui, vel alterius ſuperioris. Hæc conſtitutio in parochiis prioris publice nuncietur. Si quis vero contra inhibitionem & denunciationem noſtram mutuaverit prioribus: ſciat priores tali mutuo non teneri, niſi evidenter conſtare poſſit, pecuniam in utilitatem eccleſiæ converſam fuiſſe. Caveant etiam diligenter abbates, quod dum prioratus ſuos viſitant, domos prioratuum faciant congrue reparari.

*XXI. Ut ab eccleſiis amoveantur arca, & ſimilia.*

Præcipimus etiam de eccleſiis omnibus, tam prioratibus, quam parochialibus eccleſiis, arcas & grana penitus amoveri; quæ ſi anno elapſo amota non fuerint, ea faciemus in uſum pauperum converti.

XXII.



*XXII. Ut in eccleſiis choreæ non fiant.*

Choreas in omnibus eccleſiis fieri penitus inhibemus.

*XXIII. Ne monachi minores 20. annis, morentur in prioratibus non conventualibus.*

Inhibemus, ne monachi, minores viginti annis, ad prioratus, foraneos non conventuales mittantur, moraturi ibidem. Hoc autem ab abbatibus ſic præcipimus obſervari, quod in futuro concilio contra conſtitutionis hujuſmodi tranſgreſſores intendimus durius procedere per ſuſpenſiones & excommunicationes, & aliter: quantum juſtitia ſuadebit.

*XXIV. Ne mulieres morentur in domibus regularium.*

De mulieribus autem in domibus monachorum, & aliorum religioſorum, non morandis, hoc idem ſtatuimus, quod de presbyteris & clericis beneficiatis eſt ſtatutum.

*XXV. Ut decimæ non accipiantur a laicis.*

Item, quia nonnulli religioſi recipiunt decimas a laicis ſine conſenſu diœceſanorum, & aliqui clerici & laici in præjudicium eccloſiarum parochialium, jura prohibitionis contemnentes: ſancto approbante concilio ordinamus, quod rectores eccleſiarum, vel eorum vicarii, publice ſemel, ſecundo, & tertio, diebus Dominicis, aſtante plebe, in eccleſiis ſuis moneant & prohibeant, ne tradendo vel recipiendo de cetero talia attentare præſumant. Quod ſi poſt monitiones contra fecerint: tam tradentes, quam recipientes, niſi ex cauſa juſta & rationabili ſuper hoc defendi valeant, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto. Quam excommunicationem præcipimus in eccleſiis parochialibus nunciari, & nomina excommunicatorum diœceſano vel officiali ſuo in ſcriptis dari: qui contra conſtitutionis hujus violatores procedat, quantum fuerit rationis.

*XXVI. Ut mortuis, vel amotis prioribus, prioratus non vacuentur.*

Quia vero tam abbates, quam priores conventuales, mortuis, vel amotis prioribus ex cauſa, bona quæ in eorum eccleſiis inveniunt, capiunt & apportant: prohibemus, ne de cetero talia attentent, niſi tantum dimittant de bonis ejuſdem, quod uſque ad fructus ſequentes valeat competenter domibus & prioratibus provideri. Si vero contra fecerint, diœceſani arbitrio puniantur.



*XXVII. De teſtamentis non occultandis.*

Concil. Turon. an. 1233. c. 7.

Statutum vero quondam antiquum editum invenimus in provinciali concilio Bituricenſi per hæc verba: Ne decedentium voluntates, quas pium eſt executioni demandare, per aliquorum malitiam ſupprimi valeant vel etiam occultari: ſtatuimus, quod infra decem dies a tempore obitus teſtatoris, ad epiſcopum, vel archidiaconum, vel ad illos qui loco ipſorum ſuper hoc fuerint deputati, vel ad illos qui juriſdictionem epiſcopalem habere noſcuntur, accedant, ſecum teſtamentum, ſi ſcriptum fuerit, delaturi; vel, ſi ſcriptum non fuerit, per ſacramentum ipſorum, quod teſtator diſpoſuit, probetur: ut ex tunc præfati teſtatoris voluntas in formam publicam redigatur. Injungimus autem epiſcopis, & archidiaconis, & aliis juriſdictionem habentibus eccleſiaſticam, ut ſi executores teſtamentorum in exequenda decedentium voluntate invenerint negligentes, voluntatem ipſorum fideliter executioni demandent. Quibus prælatis & executoribus, ſub interminatione Divini judicii firmiter inhibemus, ne quidquam de bonis decedentium in proprios uſus convertere vel etiam detinere præſumant: ſtatuentes, quod ſi executores aliquid, id quod ſibi deberi aſſerunt, propria authoritate uſurpandum duxerint, illud reſtituere compellantur; actione, ſi qua eiſdem ſuper eodem debito competierit, ſint hac ſua temeritate privati: niſi reſtituerint, ex quo ſuper hoc moniti fuerint competenter.

*XXVIII. De executoribus teſtamentorum.*

Item ſtatuimus, quod executores, titulo emptionis, vel alio, nihil de bonis retineant teſtatoris: niſi ab ipſo teſtatore legatum ſibi expreſſe fuerit vel conceſſum. Quod etiam ſine authoritate judicum non poterunt retinere. Et ſi quid contra præſumpſerint attentare, pretium amittant: ſi cauſa venditionis præſumpſerint retinere, & alia cauſa, judicis arbitrio puniantur.

*XXIX. Ut epiſcopi exequantur teſtamenta, ſi executores ſint negligentes.*

Quia vero nihil eſt quod tam hominibus debeatur, quam quod ſupremæ eorum voluntates executoribus mandant, nec eſt, quod negligentius perſolvatur: idcirco injungimus prælatis, & univerſis juriſdictionem habentibus ſpecialem, ut ſi executores, ſeu hæredes, in exequendis decedentium voluntatibus inveniuntur negligentes,

tes, ipſas fideliter executioni demandent, prout in ſanctis conſtitutionibus eſt ſtatutum.

*XXX. Ut teſtamenta fiant coram proprio ſacerdote.*

Attendentes autem primum ſpectare ad ſalutem animarum illorum qui teſtamenta ſua condere volunt, ſive ultimas voluntates, ut capellani eccleſiarum quarum parochiani exiſtunt, & a quibus recipere debent eccleſiaſtica ſacramenta, interſint teſtamentis & ultimis diſpoſitionibus, inducendo eos ad emendanda forefacta & reſtituenda illicite acquiſita, & alia ordinanda, quæ ad ſalutem pertineant animarum; unde etiam ex præſentia ſacerdotis teſtamentum per canones redditur efficacius approbatum. Conſiderantes inſuper, quod initio, & executio teſtamentorum, ad pontificalem pertinet authoritatem, ſecundum civiles & canonicas ſanctiones: ſtatuimus, & ſtatutum hujuſmodi præcipimus publicari, ut quicunque teſtari voluerint, proprium ſacerdotem & curatum, aut aliquem ordinarium ", ad teſtamenti ſui factionem advocent, in cujus præſentia manifeſte appareat de teſtatoris libera voluntate.

" leg. eccleſiaſticum.

*XXXI. De compellendis excommunicatis ut faciant ſe abſolvi.*

Statuimus, ut ſinguli qui per annum & amplius ſuſtinuerint publicam excommunicationis ſententiam, moneantur diligenter, ut infra duos menſes a tempore monitionis, faciant ſe abſolvi, denunciando eis, quod ſi id commiſerint ullo modo, parcetur eis de emenda novem librarum Pariſienſium, quod integre leventur ab eis. De qua monitione, denunciatione, & die, fiant litteræ, illorum per quos monebuntur nomina continentes, cum adhibitione teſtium, qui ſimiliter inſcribantur. Et ſi elapſis duobus menſibus prædicti excommunicati moniti, eandem ſententiam excommunicationis ſuſtinuerint: prædictæ litteræ mittantur diœceſano, vel ejus officiali, qui procedant contra eos hoc modo, Monebunt ſæculares poteſtates, & compellent, ſi opus fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam, ut eos excommunicatos redire compellant ad eccleſiæ unitatem, injiciendo manus in perſonas & bona eorum. Item monitione competenti præmiſſa, excommunicabunt participantes cum eis. Item vocabunt excommunicatos ad proximam ſynodum tanquam ſuſpectos de fide. Et ſi comparuerint, procedatur [illegible] eos prout diœceſano videtur. Si autem non comparuerint, procedatur contra eos tanquam ſuſpectos de fide, & excommunicabuntur, & nihilo minus citabuntur ad ſequentem ſynodum, niſi interim faciant ſe abſolvi. Et tunc procedatur contra eos ſecundum formam canonum. De his autem qui minus anno ſuſtinuerint excommunicationem, juxta qualitatem perſonarum & temporis, levetur emenda, ſecundum conſuetudinem ſeu uſum diœceſis.

*XXXII. Ut religioſe feſta ſerventur.*

Præcipimus etiam, quod dies Dominici, & feſta, (ea ſcilicet quæ continentur, extra de feriis, cap. *Conqueſtus*, & ea quæ conſuevit quælibet eccleſia ſolemniter celebrare) cum omni cura & diligentia præcipiantur ab omni ſervili opere obſervari: & quod ſacerdotes, ſub pœna ſuſpenſionis, contra venientes denuncient ordinariis, qui eos puniant, prout viderint faciendum.

*XXXIII. Ut ſuffraganei, & inferiores judices, appellationibus deferant.*

Item præcipimus, ut ſuffraganei, & officiales ipſorum, & alii inferiores judices, humiliter appellationibus deferant, quibus fuerit deferendum: nec propter hoc partium advocatis bona fide appellantibus moleſti exiſtant, nec aliquam pœnam infligant. Qui ſcienter ac malitioſe contra fecerint, ab ingreſſu eccleſiæ per menſem noverint ſe ſuſpenſos. Advocatos, qui ſe ſcienter ac malitioſe contra ſtatutum hujuſmodi ſubtraxerint, aut ex favore illicito, excommunicationis vinculo innodamus.

*XXXIV. Ut officiales archiepiſcopi non impediant juriſdictionem ſuffraganeorum, & aliorum.*

Item præcipiendo ſtatuimus, quod officialis noſter Bituricenſis, & alii judices noſtri, juriſdictionem ſuffraganeorum, & aliorum eccleſiaſticorum judicum ſubditorum noſtrorum, ſcienter per malitiam non impediant. Alioquin per menſem ab ingreſſu eccleſiæ noverint ſe ſuſpenſos. Advocatos autem, qui malitioſe contra hujuſmodi ſtatutum, contradictum fieri procuraverint, excommunicationis vinculo innodamus.

*XXXV. Ut quivis ordinarius requiſitus, mandet executioni ſententiam latam in eos qui minuunt juriſdictionem eccleſiaſticam.*

Item ſtatuimus, quod ſi judex eccleſiaſticus excommunicat bailivum, præpoſitum, ſervientem, aut alium quemcumque juriſdictionem temporalem exercentem, pro eo quod







quod juriſdictionem eccleſiaſticam minuunt aut enervare nituntur: quod omnes epiſcopi, & officiales eorum, & alii ordinarii, qui ſuper hoc fuerint requiſiti, illam ſententiam executioni demandent. Et ſi ſuper hoc fuerit appellatum ad nos, vel officialem noſtrum: ſtatuimus, quod officialis non admittat hujuſmodi appellationem, pronunciet nullam, & ſententias ordinariorum executioni demandet, niſi cauſas ſufficientes, quare appellans admitti debeat, alleget.

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

## ADDITIO

## AD BITURICENSE CONCILIUM

Anni. M. CC. LXXXVI.

XXXVI. *Ut hæc & antiqua ſtatuta ſerventur.*

Hæc ſiquidem, quæ ſuperius præmittuntur, inviolabiliter volumus obſervari: ſtatutis utilibus antiquis hic non transfuſis, in ſuo robore nihilo minus duraturis.

XXXVII. *Ut nonnullæ pontificum conſtitutiones firmiter obſerventur.*

Item præcipimus firmiter obſervari conſtitutiones antiquas, illas: videlicet. extr. de accuſat. & inquiſit. cap. *Sicut olim*, editam per Innocentium III. in concilio generali. Item aliam extr. de ſimonia. cap. *Quoniam ſimoniaca labes*, editam per dominum Innocentium III. in concilio generali. Item aliam extr. de præbendis. cap. *Grave nimis eſt*, editam in concilio generali per dominum Innoc. III. Item aliam extr. de ſtatu monach. cap. *Cum ad Monaſterium*, ab eodem domino Innocentio editam. Item aliam extr. de cenſib. exact. cap. *Cum Apoſtolus ſe ac ſuos*, editam in concilio Lateranenſi. Item & aliam domini Alexandri IV. contra juriſdictionem eccleſiaſticam impedientes & turbantes. cap. *Quam ſit gravis*.

Ad præmiſſorum autem omnium fidem, & majoris roboris firmitatem habendam, his ſtatutis & ordinationibus per totum concilium factis, nos Simon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, in provinciali Bituricenſi concilio conſtituti, una cum venerabilibus fratribus & ſuffraganeis noſtris [a] G. Lemovicenſi [b] R. Rutenenſi, [c] B. Albienſi, gratia ejuſdem epiſcopis, ſigillum noſtrum una cum ſigillis ſuffraganeorum noſtrorum duximus apponendum. Nos vero prænominati epiſcopi ſigilla noſtra, cum ſigillo reverendi patris domini Simonis Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopi primatis Aquitaniæ, ipſi concilio præſidentis, præmiſſis duximus apponenda.

[a] Giberto [b] Raynaldo [c] Bernardo.

Actum & datum in provinciali concilio Bituricenſi, die Jovis poſt octavam B. Mariæ virginis, anno Domini M. CC. LXXXVI. pontificatus domini Honorii papæ IV. anno ſecundo.

G. C. Additamentum hoc reperio quoque in ſumma conciliorum Ludovici Baillii, in qua quod hoc concilium non viderim prius, ſed illud ex Mſ. noſtro codice edideerim, neſcio qua mea ſit αὐθαδείᾳ factum, qui cetera operis illius obſervare non edita prius concilia, atque in rem meam transferre non neglexerim.



## CONCILIO BITURICENSI

Anno M. CC. LXXXVI. celebrato addenda.

Ex Martene Theſ. Anec. tom. 4. p. 203.

*Ex archivis illuſtriſſimi archiepiſcopi Albienſis.*

C*Aput XXXV. concilii hujus a Labbæo editi circa medium ſic legendum cum ſequenti additione.* Statuimus quod officialis noſter non admittat hujuſmodi appellationem, ſi eidem conſtet ſuper dicto caſu appellatum fuiſſe, imo appellationem pronuntient nullam, & ſententias ordinarias executioni demandent, niſi cauſa ſufficiens quare appellans admitti debeat allegetur: hæc ſi quidem quæ ſuperius præmittuntur inviolabiliter obſervari, ſtatutis utilibus antiquis hic non transfuſis in ſuo robore nihilominus duraturis.

Item præcipimus firmiter obſervari conſtitutiones antiquas, illas videlicet, extra de accuſatis & iniquiſitis, *cap. Sicut olim*, editam per Innocentium tertium in concilio generali: item aliam extra de ſimonia, *Quoniam ſimoniaca labes*, editam per dominum Innocentium tertium in concilio generali: item aliam extra de præbendis, *C. Grave nimis eſt*, editam in generali concilio per dictum dominum Innocentium tertium. Item aliam extra de ſtatu monachorum, *C. Cum ad monaſterium*, ab eodem domino Innocentio editam. Item aliam extra de cenſibus & exactionibus *C. Cum apoſtolicus ſe & ſuos* editam in concilio Laterano. Item & aliam domini Alexandri papæ quarti contra juriſdictionem eccleſiaſticam impedientes & turbantes. *C. Quare ſit grave nimis.*

Ad præmiſſorum autem omnium fidem & majoris roboris firmitatem habendam, his ſtatutis & ordinationibus per concilium factis nos SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus Aquitaniæ primas in provinciali concilio conſtituti una cum venerabilibus fratribus & ſuffraganeis noſtris, G. Lemovicenſi, R. Caturcenſi, R. Ruthenenſi, & B. Albienſi gratia ejuſdem epiſcopis, ſigillum noſtrum una cum ſigillis ſuffraganeorum prædictorum noſtrorum duximus apponendum. Nos vero prænominati epiſcopi ſigilla noſtra una cum ſigillo Reverendi patris domini SIMONIS Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopi primatis Aquitaniæ præmiſſis duximus apponenda. Actum & datum in provinciali concilio Bituricenſi die jovis poſt octavas nativitatis B. Virginis Mariæ anno Domini M. CC. LXXXVI. pontificatus domini Honorii papæ quarti anno ſecundo.

Nos SIMON &c. Bituris congregati ad æternam rei memoriam. Ne præſumtorum invaleſcat audacia per impunitatem peccandi, hoc præſenti ſtatuto decernimus valituro in ævum, quod ſi quævis perſona eccleſiaſtica ſæcularis vel inſerviens regulæ cuicumque noſtræ cauſam juriſdictioni ſubjectam ad officialem quemcumque ſeu judicem litteratum vel laicum adminiſtrationem gerentem curiæ ſæcularis quacumque, vel ad aliquem qui eorum fungatur vicibus, pro re vel occaſione rei eccleſiaſticæ cujuſcumque, aut rei ſeu cauſæ de qua ſpectet vel ſpectare debeat cognitio principaliter aut incidenter, quocumque modo ad eccleſiaſticum judicem contra diœceſanum vel ejus officialem, eos vel aliquem eorum, quocumque modo impediens vel perturbans, quominus circa rem vel cauſam hujuſmodi ſuum officium libere exequatur, recurſum habuerit in futurum pro ſui tuitione, jure, conſervatione poſſeſſionis vel proprietatis, aut etiam pro violentia repellenda ſub quocumque colore

ANNO CHRISTI 1286.

lore quæſito, etiamſi apud eum ſeu aliquem eorum per cauſæ cognitionem vel aliter ordinato judicio non procedat, excommunicationis incurrat ſententiam eo ipſo. Poteſt enim, ſi ſe gravari exiſtimet, adire eccleſiaſticos judices, & ſibi apud eos de remediis competentibus ſalubriter providere. Sententiam vero hujuſmodi teneantur omnes Bituricenſis dioceſis & provinciæ eccleſiaſtici judices facere publicari, quantum & ſicut ab eo, in cujus præjudicium hoc attentatum fuerit, requirentur. In cujus rei teſtimonium ſcripturam præſentem fieri juſſimus & ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Datum & actum Bituricis XIII. calendas octobris, anno Domini M. CC. LXXXVI. *infra pendent ſigilla quinque.*

Ex Marteno loco citato pag. 199.

## CONCILII BITURICENSIS

### Anno M. CC. LXXXVI. celebrati ſtatuta contra exemtos.

*Ex archivis illuſtriſſimi archiepiſcopi Albienſis.*

QUia nonnulli, &c. miniſtrari eccleſiaſtica ſacramenta, & ſi contrarium præſumpſerint attentare, rigide contra eos ad tantæ temeritatis audaciam puniendam per omnem viam debitam procedatur: & cum privilegium illud ne excommunicati ab ordinariis aut interdici valeant vel ſuſpendi, alia debita remedia non auferat, per quæ ordinarii debite procedere poſſint, ad exceſſus hujuſmodi puniendos, detineri delinquentes ſive contemtores hujuſmodi perſonaliter, & debite caſtigari poterunt ab ordinariis, ubi abſque periculo illud fieri poterit, & ipſis ordinariis, juſtitia ſuadente, videbitur expedire. Quia vero plerumque tales ſe privilegiatos ſive exemtos etiam prætendentes ea quæ inordinariæ poteſtatis attentant, & ſunt in direptionem nervi eccleſiaſticæ diſciplinæ, deffenſionem invocant laicæ poteſtatis, plerumque etiam judices ſæculares, qui ex poteſtate officii ſui ad requiſitionem judicis eccleſiaſtici ordinarii reſiſtentiam & rebellionem ipſorum poſſent de facili removere, id negligunt ſuper hoc facere ſeu recuſant: quod poſteaquam fuerint legitime moniti, adimplere efficaciter tenerentur. Statuimus quod quicumque adminiſtratione aliqua ſæculari ſive juriſdictione ſeu poteſtate fungentes, & alii omnes cujuſcumque officii, gradus aut dignitatis exiſtant, qui prædictos in exceſſibus antedictis & eis, quæ contra ordinarios attentantur, deffendere auſi fuerint ſeu tueri; illi etiam domini locorum, ballivi, & judices ſæculares, qui ex ſui officii poteſtate rebellionem illorum & reſiſtentiam poterint removere, & eccleſiaſticis ordinariis judicibus juvamen præſtare, ſi poſtquam ſuper hoc ab ipſi ordinariis requiſiti fuerint & moniti competenter, reſiſtentiam & rebellionem prædictorum removere contempſerint, & ea de quibus legitime moniti fuerint, obmiſerint adimplere, concilii hujus auctoritate incurrant excommunicationis ſententiam ipſo facto: quam ſi per quindecim dies animo ſuſtinuerint indurato, in locis ad quæ eos declinare contigerit, ceſſetur penitus a divinis in die qua illuc venerint, & poſtea etiam, quamdiu inibi moram trahent. [illegible]dem ſtatuentes pœnas per omnia contra omnes & ſingulos laicos, qui infra Bituricenſem [illegible] de perſonis clauſis vel rebus eccleſiaſticis [illegible]noſcendo, vel eas ſub quocumque prætextu [illegible] occupando, aut in eis juriſdictionem or[illegible] judicibus eccleſiaſticis perturbando ſe quomodolibet intromittent. Si enim de ipſis ordinariis aliqui conquerantur, ſuos poterunt adire eccleſiaſticos judices competentes, qui errata corrigant ſecundum canonum ſanctiones, & conquerentibus faciant juſtitiæ complementum. A prædictis vero ſententiis neminem abſolvi volumus incidentem in eas, antequam læſis damnum ſeu injuriam paſſis ſatisfecerit competenter: qui tunc demum per ordinarium, ſervata forma eccleſiæ, abſolvatur.

Sane quia multi religioſi exemtos ſe prætendentes, ſeu alias ſe munitos privilegiis apoſtolicæ ſedis, plurima tota die præſumunt, quæ ipſis infamiam pariunt, & aliis inferunt læſionem, conantes pro viribus ordinariam eccleſiaſticorum judicum poteſtatem infringere, ut ſic delinquendi in locis etiam non exemtis, & enormia committendi liberiorem obtineant poteſtatem; aliquas utiles vias, per quas recto tramite rationis contra machinationes eorum & ad exceſſus puniendos ipſorum juſte & rationabiliter procedi poterit, duximus inferendas: ut attenta inſtructione ſive doctrina hujuſmodi, facilius & plenius advertere ordinarii valeant, qualiter *ſine juris* offenſa procedere poſſint ad ea quæ incumbunt ex eorum officii cura & debita poteſtate. Cum etiam tam per conſtitutionem illam *Volentes* Innocentii IV. editam in concilio Lugdunenſi, quam per illam conſtitutionem, *Quia perſona* per Alexandrum IV. editam, quorumcumque ceſſet exemtio ratione delicti vel contractus in loco non exemto commiſſi vel initi, aut rei de qua agitur inter ipſos, quod in loco exemto non ſit rite & debite altera iſtarum cauſarum expreſſa, quantumcumque ſint exemti coram ordinariis poterunt conveniri; & ſi citati contemſerint comparere, excommunicari poterunt, & per omnes vias canonicas licite contra eos procedi ad eorum contumaciam legitime feriendam. Illi vero contra quos excommunicationis ſententia feretur, ad requiſitionem ordinarii excommunicantis denuncientur excommunicati per totam provinciam: ad illos ſcilicet ordinarios, qui per excommunicatorem fuerint requiſiti, aggravationes etiam excommunicationum & alii proceſſus, qui de hoc fient per ordinarium qui ſententiam hujuſmodi tulerit, ab omnibus aliis ordinariis per provinciam denuncientur, prout fuerint requiſiti. Si vero exemti compareant parati procedere, fiat juſtitiæ complementum. Quod ſi poſtquam comparuerint, procedere noluerint, & aliquod privilegium non allegent; contra ipſos, vel contra vere contumaces, forma contenta ſuperius procedatur. Si autem aliquod allegent privilegium quo ſe munitos eſſe prætendant, ut non teneantur coram ordinariis reſpondere, & privilegium exhibeant; diligenter attendatur inter alia illius privilegii data. Si enim ante tempus illius conſtitutionis *Volentes* . . . . . vel exemtio emanaverit, ex conſtitutionis illius tenore declaratur a parte exemtos in caſibus præmiſſis non poſſe deffendi, quantacumque gaudeant libertate. Quod ſi privilegium poſt illam conſtitutionem fuerit conceſſum, advertantur inter alia diligenter, ſi de conſtitutione illa expreſſe fiat mentio in eodem: & poſito quod mentio fieret de illa, adhuc diligentius advertatur, ſi privilegium illud de quadam alia conſtitutione prædicta Alexandri IV. *Quia perſona*, faciat mentionem expreſſam; & niſi fecerit, hujuſmodi privilegio non poterunt ſe tueri: detenta enim privilegia ab apoſtolica ſed contra conſtitutionem illam *Volentes* caſſata quantum ad hoc fuerunt per conſtitutionem noviſſimam Alexandri.



ANNO CHRISTI 1286.

Illa vero privilegia, quæ contra conſtitutionem Alexandri poſtea conceſſa fuerunt, ea non deffendent, niſi de ipſa conſtitutione expreſſam facerent mentionem. Si autem privilegium allegatum nolint oſtendere; contra eos forma debita procedatur. At ſi nullum privilegium allegarent, etſi proponerent contra hujuſmodi tramitem æquitatis ſe fuiſſe per longa tempora in poſſeſſione libertatis illius, ex qua munitos ſe dicunt, ne reſpondere coram ordinariis teneantur: objectione hujuſmodi non obſtante, debite procedi poterit forma quæ ſuperius continetur. Licet enim ex illa conſtitutione, *Quia perſona*, ibi ſcilicet vel qui in exemtione ſeu libertatis poſſeſſione per longa tempora non fuerint, aſſumi poſſe objectionem ſive deffenſionem hujuſmodi videatur; non habet tamen locum objectio in caſibus de quibus agitur, attenta diligenter & ſubtiliter veritate, cum ideo quod poſt tempus conſtitutionis illius non effluxerint tempora illa longa, per quæ valeat illud prætendi in hujuſmodi caſibus antedictis, in quibus exemti, quantacumque gaudeant libertate, poſſint coram ordinariis conveniri: tum quia ipſa conſtitutio Alexandri, ex qua talis prætenderetur poſſeſſio libertatis, aufert eis omne privilegium, omnemque libertatem in caſibus antedictis, cum etiam quadam apertiſſima ratione: quia cum conſtitutio Alexandri de poſſeſſione libertatis per longa tempora generaliter loquatur, nihil ſpecialiter exprimetur de hujuſmodi caſibus, qui ſemper tam ex conſtitutione Innocentii IV. quam ex conſtitutione ipſius Alexandri declarantur exemti, quantacumque iſti gaudeant libertate: & ita per conſequens poſſeſſio quantocumque tempore diceretur obtenta, quantum ad hujuſmodi caſus eis prodeſſe non poſſet, nullaque alia deffenſio juvare poteſt ipſos, niſi tamen privilegium tale ſit, quod poſt conſtitutiones prædictas ab apoſtolica ſede conceſſum eſſet eiſdem: cujus quidem tenor oſtenderet eis indultum, ne poſſent etiam in caſibus prædictis coram ordinariis conveniri, non obſtantibus conſtitutionibus antedictis, profecto clariſſime patet quod objectio illa non valet ex eo quod ſic prætenderetur ordinarius, quin procedat forma contenta ſuperius obmittere non debebit. Et ſi prædicti, contra quos procedunt ordinarii, prout ſuperius præmittitur, duxerint appellandum, ordinarii ſuos debitos proceſſus obmittant, & appellationes quæ contra eos interponentur, viriliter proſequantur. Si vero conſervatores illorum propter hoc in ordinarios, dum canonice & juſte procedant, ſententias ferant excommunicationis, interdicti vel ſuſpenſionis; cum pateat ipſos conſervatores fines ſuæ poteſtatis excedere, & quod proceſſus illorum nulli ſunt de jure, hujus auctoritate concilii ſtatuimus, quod ea occaſione ordinarius vel alius, contra quem propter hoc lata hujuſmodi ſententia fuerit, ab hujuſmodi conſervatoribus, ſive proceſſus aliquis habitus extiterit, in ullo caſu nec ab aliquo de provincia evitetur.

Item, & ultra remedia generalia antedicta, contra perſonas exemtas & quantumcumque privilegiatas, ſicut & contra quaslibet alias per ordinarios ſecure procedi poterit in caſibus illis, in quibus eſt ſpecialiter ordinariis per jura conceſſum: ut verbi gratia, ſuper proceſſu habendo contra ipſos epiſcopos in illis quæ ſunt contra hæreticos inſtituta, & dum hujuſmodi exemti campanas ponere poteſtate propria in oratoriis domorum ſuarum præſumunt, publiceque pulſare.

Item, quando oratoria vel capellas ſine dioceſanorum licentia præſumunt conſtruere, ſive quando in locis non exemtis, ab ordinariis interdictis, celebrant divina, vel faciunt celebrari: & ita ſicut de caſibus proximitatis in omnibus aliis, in quibus conceſſa ſit ordinariis a jure poteſtas contra hujuſmodi perſonas, quæ per exemtiones vel privilegia ſedis apoſtolicæ ſe deffendunt, poterunt ipſi ordinarii plene uti ſuo jure & poteſtate ipſis a canonibus impertita. Si vero talis ab exemtis ſive privilegiatis committatur exceſſus, in quo de cognitione habenda ſive de pœna infligenda intromittere ſe non poſſit ordinarius; adhuc remedium aliquod contra iſtos per ipſum ordinarium plurimumque poterit adhiberi, ubi enim committitur talis exceſſus, ex quo certa pœna eis, ipſo facto, a canone infligatur; & exceſſus commiſſus per rei evidentiam notorius erit, ordinarii poterunt denunciare, & facere denunciari illum, qui ſic commiſit vinculo hujus pœnæ aſtrictum. Et ſi pœna ſit excommunicationis, fieri poterit ut per totam provinciam evitetur. Ad præmiſſorum autem omnium fidem, & majoris roboris firmitatem habendam. Nos SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus Aquitaniæ primas, G. Claromontenſis, R. Caturcenſis, B. Albienſis, R. Ruthenenſis ejuſdem miſeratione epiſcopi, & PAULUS BANCIANI Ruthenæ canonicus vicarius in ſpiritualibus & epiſcopalibus generalis R. P. Domini G. eadem miſeratione Mimatenſis epiſcopi, pro concilio provinciali Bituricenſi congregati ad æternam rei memoriam in teſtimonium veritatis ſcripturam præſentem fieri juſſimus, & ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Datum & actum Bituricibus, decimo tertio calendas octobris, anno Domini M. CC. LXXXVI.

PRO-

ANNO CHRISTI 1284.

Ex Harduini Tom. 7. Concil. pag. 965.

# PROVINCIÆ BURDEGALENSIS

## VISITATIO,

### Facta a Simone de Belloloco, archiepiſcopo Bituricenſi, anno Domini MCCLXXXIV.

*Ex membraneo codice, qui in archivo Bituricenſis archiepiſcopatus ſervatur: & ex apographo, quod eſt in Bibliotheca Collegii Pariſienſis Societatis* JESU. *Hanc porro Viſitationem non alieno loco hic repraſentamus, tametſi ante biennium facta perhibetur, quam Concilium proxime antecedens: cum ab eodem archiepiſcopo Simone, ſub quo & iſtud habitum concilium eſt, peracta eſt annis* 1284. 1285. 1286. 1287. 1290. 1291.

HIc habetur qualiter reverendus pater dominus Symon Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ Primas, primo anno Domini MCCLXXXIV. menſe Septembri, Dominica die poſt feſtum beati Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, Burdegalenſem provinciam jure Primatiæ ſuæ cauſa viſitationis intravit: in cujus ſocietate erant religioſi viri Johannes Abbas monaſterii ſancti Sulpicii Bituricenſis, frater Gilo ejus ſocius, frater Symon dictus Paterin, & J. de ſancta Severa ordinis fratrum Minorum, Magiſter Guillelmus de Medunta Officialis & Canonicus Bituricenſis, Joannes ejus clericus, dominus Guido de Noyalhes Capicerius Pictavienſis, dominus Helias Porta abbas ſæcularis eccleſiæ ſancti Aſterii Petragoricenſis diœceſis, conſervator proviſionis ſeu ordinationis a ſede Apoſtolica ſuper jure Primatiæ prædictæ, Helias ejus clericus, dominus Otho de Salinis canonicus Magdunenſis, dominus Cono capellanus Virſionienſis capituli, domini J. de Bellechiere notarius publicus, Guido de Rans clericus domini, Bertrandus Coſſe ſerviens domini regis & plures alii.

Et notandum quod cum dictus dominus Bituricenſis concepiſſet & propoſuiſſet Burdegalenſem provinciam cauſa viſitationis intrare; conſiderans quod eccleſia ſua Bituricenſis in juſtis ſuis poſſeſſionibus & ceteris juribus ſemper defenſorem habeat & habuerit ſereniſſimum regem Francorum, eumdem regem rogavit, ut unum de familiaribus ſuis committeret eidem iturum cum ipſo in provinciam prædictam. Cujus precibus benigniter inclinatus dominus dictus rex, virum providum, morigeratum, ordinatum & facundum de familia ſua conceſſit eidem cum ſuis litteris continentibus iſta verba.

Philippus Dei gratia Francorum Rex, Bertrando Coſſe ſervienti ſuo ſalutem. Mandamus tibi quatinus non permittas, quod in ſeneſchalliis ſeu Bajuliis Petragoricenſi, Pictavienſi, Xantonienſi, Agennenſi, Valconiæ, Alverniæ, indebita gravamina vel violentiæ aut injuriæ inferantur dilecto & fideli noſtro archiepiſcopo Bituricenſi, Aquitaniæ Primati, aut gentibus vel nunciis ſuis, in perſonis vel bonis eorum, cum pro juribus provinciæ vel primatiæ ſuæ exercendis ad partes provinciæ vel primatiæ earumdem ipſum vel eorum aliquem contigerit declinare: & ipſum archiepiſcopum & quemlibet prædictorum in ſuis juſtis ſaiſinis ab omni injuria nec non gravaminibus & violentiis manifeſtis in locis ipſis defendas ex parte noſtra, quoties opus fuerit tibi, & de hoc fueris requiſitus. Nos enim tenore præſentium præcipimus ſeneſcallis & juſtitiariis locorum prædictorum ut tibi ad executionem præmiſſorum, ſi eos inde requiſieris, auxilium ſubminiſtrent. Actum Pariſius die Lunæ poſt feſtum Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ, anno Domini MCCLXXXIV.

Dictus vero dominus Bituricenſis, antequam dictam Burdegalenſem provinciam, ut præmittitur, intraret, volens conſulto & cum maturitate procedere, ſalvo tamen jure ſuæ Bituricenſis eccleſiæ & honeſtate ſua, dictum regis ſervientem; ut in tuto procederet, ita quod a magiſtris ſuis reprehendi non deberet, & quod de commiſſis ſibi nihil omitteret, ſuper juribus poſſ.... juſtis eccleſiæ ſuæ Bituricenſis, & ſui ipſius & prædeceſſorum ſuorum in primatia & provincia Burdegalenſi, & de cognitionibus cauſarum tam Burdegalenſis, tam ſedibus vacantibus quam non vacantibus, & de coertionibus quas habet in clericos potiſſime Burdegalenſis & Burdegalenſis provinciæ per litteras apoſtolicas: per acta judicialia & per teſtes informavit & ſuper informatione prædicta & de modo informandi precepit dictus dominus Bituricenſis fieri ex ſuperabundanti cautela publicum inſtrumentum: unum in Gallico quod haberet dictus Bertrandus ſuis oſtenſurum magiſtris, ſi eſſet neceſſe: & aliud in Latino penes dominum remanſurum: quorum tenor inferius poſtea annotatur.

Poſt hæc dictus dominus Bituricenſis ſuas mandavit procurationes in hunc modum:

Symon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus Aquitaniæ Primas, dilectis in Chriſto filiis abbati & conventui de Anglia Pictavienſis diœceſis, ſalutem in Domino. Burdegalenſem provinciam jure noſtræ Primatiæ viſitantes hanc inſtanti die Dominica poſt feſtum beati Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ ad locum veſtrum intendimus declinare. Unde vobis mandamus, ut nobis & familiæ noſtræ dicta die neceſſaria præparetis. Datum die Martis præcedenti, anno Domini MCCLXXXIV.

Die igitur Dominica poſt feſtum beati Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, dictus dominus Bituricenſis archiepiſcopus veniens de abbatia *Fontis Gombaudi*, publice *de Font-Gombaut*, Bituricenſis diœceſis, ubi ſabbato præcedenti ſacros celebraverat ordines & prædicaverat, Burdegalenſem intravit provinciam; abbate * Angliæ ſe quinto in equitaturis veniente obviam domino per leucam & amplius, & ſalutante dominum cum hilaritate vultus. Et cum modicum cum domino dictus abbas Angliæ equitaſſet, cum feſtinatione præceſſit ut ſe præpararet, & concanonicos ad recipiendum dictum dominum Bituricenſem modo debito faceret præparari.

* Angh

Veniente igitur domino dictus abbas cum ſociis ſuis proceſſionaliter in cappis ſericis, campanis pulſatis honorifice receperunt, cantantes reſponſorium, *Deum time*: abbate prædicto in introitu eccleſiæ præſentante domino aquam benedictam, & induto cappam ſericam, cabucam ſive baculum paſtoralem tenente: crucem, textum evangeliorum, & reliquias eccleſiæ ceteris tenentibus in proceſſione.

Dicto



ANNO CHRISTI 1284.

Dicto vero & cantato & finito cum verſu & gloria reſponſorio, ſurrexit dominus ab oratione ſua dicens alta voce, *Sit nomen Domini benedictum*. Reſponſio. *Ex hoc nunc & uſque in ſæculum*, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*. Reſponſio. *Qui fecit cœlum & terram*. *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*. Reſponſio, *Amen*.

His factis reliquias ſanctorum ſuper altare poſitas deoſculatus eſt: & poſtea ſuam cameram intravit, ſua cruce ſemper & ubique deportata ante ipſum. Cum vero dictus dominus Bituricenſis ſuam cameram, ut dictum eſt, intraviſſet, in abbatia prædicta de Anglia Pictavienſis diœceſis, venit quidam archipresbyter venerabilis & diſcretus ex parte domini Pictavienſis cum litteris excuſatoriis, ſuper eo quod domino Bituricenſi non venerat obviam: quarum litterarum tenor ſequitur in hæc verba:

REverendo in Chriſto patri ac domino Symoni, Dei gratia archiepiſcopo Bituricenſi, Aquitaniæ Primati, frater Gualterus permiſſione divina Pictavienſis epiſcopus, ſalutem cum omni reverentia & honore, ſe paratum ad ejus beneplacita & mandata.

Litteras veſtras recepimus in finibus diœceſis noſtræ verſus Andegaviam, quibus receptis mandavimus magiſtro Guillelmo archipresbytero de Amberuaco, ut vobis occurrat apud fontem Gombaudi, pariturus veſtris beneplacitis ac mandatis. Dictus enim clericus, ex quo fuimus in iſto officio in viſitando diœceſin Pictavienſem nobiſcum fuit, & præ aliis viam novit. Ceterum ſi vobis obviam non venerimus ita cito ſicut vellemus, nos excuſatos habeatis; nam octo diebus ante quam litteras veſtras recepimus, publicari feceramus, quod apud Mauritaniam ordines faceremus, quæ villa eſt prope Andegaviam diſtans ab illa parte diœceſis noſtræ per quam intrabitis, ut dicitur, ad triginta quinque leucas Pictavinas: quæ quales ſint, experientia vos docebit. Veniemus etiam ad vos cum Dei auxilio quam citius poterimus. Bono modo valeat & proficiat ſemper in Domino veſtra paternitas reverenda. Datum die Lunæ ante feſtum beati Matthæi. Item cum litteris credentiæ, quarum tenor talis eſt:

REverendo in Chriſto patri ac domino domino Symoni Dei gratia Bituricenſi archiepiſcopo, Aquitaniæ Primati, frater Gualterus eadem permiſſione Pictavienſis epiſcopus, ſalutem cum omni reverentia & honore, & paratam ad ejus beneplacita voluntatem.

Rogamus vos ut magiſtro Guillelmo de Cypra archipresbytero de Ambernaco, clerico noſtro, latori præſentium, velitis fidem adhibere. Valeat veſtra reverenda paternitas in Domino Jeſu Chriſto. Datum apud tres decim ventos, juxta Andegaviam; die Jovis, in feſto beati Matthæi Apoſtoli.

Quibus litteris lectis, & dicto archipresbytero ſuum dominum Pictavienſem epiſcopum curialiter & diſcrete excuſante, & cum affectu dictum dominum Bituricenſem rogante ex parte ſui domini Pictavienſis epiſcopi ut ad hoſpitia & maneria ipſius domini Pictavienſis fiducialiter declinaret, & quieſceret in eiſdem pro voluntate ſua: dominus Bituricenſis excuſatione prædicta admiſſa, benigniter & curialiter ſuper ipſam regratiatus eſt eidem, excuſans ſe quod ad ejus hoſpitia declinare non poterat iſta vice.

Quibus ut præmittitur peractis, dictus abbas & multi de fratribus ſuis cum domino comederunt: & in mane & in ſero abbate prædicto dominum & ſuos ſequaces peropportune & ſplendide procurante in bono pane, bono vino, bonis cibariis, & pluribus, & in aliis neceſſariis quibuſcumque.

In ſero vero poſt cœnam præſente archipresbytero prædicto præmiſſo ab epiſcopo Pictavienſi, & illo qui pro abbate & nomine ſuo & abbatiæ prædictis fecerat expenſas, neceſſaria miniſtraverat; & præſentibus officialibus domini Bituricenſis, fuit de expenſis diligenter computatum: & omnibus computatis, videlicet pane, vino, coquina groſſa & parva, equis in feno, in avena, in lectiſternio, ferratura, lumine pro equis, harnaſio, cera, factura candelæ, ſalario portantis procurationes, lignis, ſale, ſalario ſervitorum in coquina & extra, palea, feno, pro lectis, quia non ſufficiebat palea, gagiis garcionum, & omnibus aliis habitis pro expenſis tam ſolutis vel receptis per familiam domini, quam per familiam abbatis prædicti; ſumma fuit expenſarum duodecim librarum turonenſium tribus ſolidis minus: excepto quod abbas avenam quæ tam in mane quam in ſero miniſtravit, computari noluit. Omnia computata dictus archipresbyter, nec qui pro dicto abbate præſentes erant, non impugnarunt nec verbo, nec ſigno, niſi ſolum pro gagiis garcionum, & pro harnaſio & pro cera: & pro gagiis garcionum fuit computatum undecim ſolidos, vel circiter. Pro harnaſio quinque ſolidos, pro cera duodecim ſolidos, pro factura quatuor denarios, cum curialiter fuit computatum quidquid familia domini voluit computare. Summam autem expenſarum prædictarum arreſtavit dictus archipresbyter in ſua cera, & miniſter domus domini Bituricenſis in ſuis tabulis.

Die vero ſequenti in mane dominus audita Miſſa ſua, celebrata per ſuum capitulum ſeu capellanum de defunctis, & cum nota; ſermonem inceptum per quemdam ſuum pœnitentiarium fratrem Hugonem nomine monachum ſancti Sulpicii *Bituricenſis* finivit: & in fine ſermonis ſui tetigit negotium Arragoniæ: & hymno *Veni creator Spiritus* incepto, dum cantaretur, plures a domino ſignum crucis receperunt.

Quo facto auctoritate domini Papæ & Legati centum dies indulgentiæ contulit, & auctoritate ſua quadraginta. Poſtea dominus intravit capitulum, abbate & aliis fratribus præſentibus in eodem, & viſitationis fungens officio, primo de ſtatu ſpiritualium & officio divino, & obſervatione regulæ loci ejuſdem, & de temporalitate diligenter inquiſivit. Cui reſpondit, & ceteri: & per Dei gratiam omnia tam ſpiritualia quam temporalia in ſtatu debito, & proſpero ſatis erant.

Super quibus dominus Bituricenſis Domino gratias referens, & ſe ipſorum orationibus commendans, obtulit ſe, & quidquid poſſet facere utilitatis & ſalutis, eccleſiæ & perſonis, tam ex debito quam ex dilectione & affectione. Super quo regratiati ſunt, ipſe dominus abbas & conventus.

Hæc autem notanda ſunt, quod dominus audita Miſſa ſua ad majus altare in veſtimentis & libris ſatis decentibus ipſius abbatiæ, fundatæ in honore ſanctæ Crucis, finivit ſermonem, ut dictum eſt, factum clero & populo, plebe multa cum devotione adſtante, quamvis die profeſto. Eſt autem abbatia Angliæ bene ſita, ſatis domificata ad recipiendum prælatum & ſuos ſequaces.

Ibi dominus Bituricenſis nec confirmavit, nec tonſuravit, nec benedixit: quoniam ipſi non fuit oblatum aliquis ad confirmandum, tonſurandum,

aut

aut benedicendum. Domino recedente ab abbatia Angliæ prædicta, diſtante ab abbatia de Fongombaut per duas leucas tantum ſatis mediocres, dictus abbas Angliæ, dominum Bituricenſem euntem apud abbatiam ſancti Savini, Ordinis ſancti Benedicti, diſtantem ab abbatia Angliæ per quatuor leucas ſatis mediocres, conduxit per duas leucas & amplius vel circiter. Notam procurationem ſeu diviſionem procuratoris domini Bituricenſis in provincia Burdegalenſi, quæ ſequitur in his verbis,

Frater Jacobus miſeratione divina Præneſtinenſis epiſcopus, apoſtolicæ ſedis Legatus, licet indignus, dilectis filiis decano & archipresbytero Turonenſi, ſalutem in Domino. Cum nos juxta mandatum apoſtolicum ad nos directum quinquaginta procurationes, quas venerabilis pater Bituricenſis archiepiſcopus in provincia Burdegalenſi ſecundum proviſionem domini Papæ * habe-ro taliter duximus dividendas, quod Burdegalenſi diœceſi ſex, Agennenſi tres, Angoliſmenſi tres, Petragoricenſi quatuor, Xantonienſi novem, Pictavienſi viginti quinque decrevimus aſſignari; diſcretioni veſtræ qua fungimur auctoritate præcipiendo mandamus, quod diviſionem a nobis factam vice noſtra faciatis inviolabiliter obſervari: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. Quod ſi non ambo his exſequendis poteritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exſequatur. Actum apud Rotomagum, IV. Nonas Junii, anno Domini MCCXL.

* Forte habere.

Die Lunæ ſequenti, jam dicto domino veniente ad abbatiam ſancti Savini, ordinis ſancti Benedicti, diſtantem ab Anglia per quatuor leucas ſatis mediocres; abbas ſancti Savini venit obviam in equitaturis ſe ſexto per duas leucas vel magis: & domino ſalutato cum hilaritate, cum aliquantulum dominus & ipſe pariter ſuper multis communibus fuiſſent collocuti, receſſit a domino, & præceſſit, ut ad recipiendum dominum ſe pararet, & alios commonachos faceret præparari.

Et cum venit dominus abbas prædictus & conventus; dominum honorifice receperunt, modo quo ſupra: hoc reſponſorium cantatum, *Sint lumbi veſtri præcincti*; & dominum & ſuos ſequaces modo quo ſupra procurantes in neceſſariis quibuſcumque: & in ſero poſt cœnam de expenſis computato modo quo ſupra, ſumma fuit expenſarum duodecim librarum Turonenſium, ſexdecim ſolidorum.

Eſt autem notandum, quod ſero quolibet in provincia computabantur ſex libras ceræ: ſcilicet quatuor pro hoſpitio, & duæ pro camerariis, ſub nomine cereorum ponderorum ponendorum cum lumine ante crucem computabantur; etiam de barnaſio quinque ſolidos etiam computabantur; ſex denarios pro ſalario portantis procurationes computabantur. Similiter pro quolibet garcione non habente lectum, duos denarios, etiam panes cum ſale, & panes ad candelas erant illius de familia domini qui ſerviebat de pane.

Item notandum eſt, quod eleemoſynarius domini ubique in primatia dabat eleemoſynam; & ubi frumentum non ſuppetebat, illi qui procurabant dominum eleemoſynario panem miniſtrabant pauperibus erogandum: & fuit in abbatia de Anglia computatum pro pane miniſtrato eleemoſynario, & pauperibus erogato, quinque ſolidos.

Die Martis ſequenti in mane; dominus audita Miſſa [illegible] ad majus altare, in indumentis & libris ipſi[illegible] intravit capitulum, abbate & convent[illegible], & [illegible] Latine.

Sermone finito, viſitavit modo quo ſupra. Interrogatus dominus, ſi complaceret aliquos tonſurare, reſpondit, quod donec Pictavis fuiſſet, nullos tonſuraret. Poſthæc, domino recedente, dictus abbas ipſum per duas leucas vel circiter conduxit. Item notandum eſt, quod dominus quoſdam de Bituricenſi diœceſi apud ſanctum Savinum Pictavienſis diœceſis vocari fecit in judicium coram ipſo: videlicet Gaudinum dominum de Ramefort, ipſi domino ſuper tangentibus executionem patris dicti Gaudini teſtamenti reſponſurum; & quoſdam alios quamplures, quos in camera abbatis prædicti ſancti Savini ante prandium & poſt prandium expedivit.

Eodem ſiquidem die Martis, poſt feſtum beati Matthæi apoſtoli & evangeliſtæ, venit dominus Bituricenſis apud Mortuum-mare, quod vulgo Gallice profertur, *Mortemer*, diſtans ab abbatia ſancti Savini prædicta per ſex leucas mediocres, nullo ſibi obviam veniente.

Receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſantibus, priore, ceteriſque canonicis loci ejuſdem cappas ſericas indutis, reliquias eccleſiæ, turibulum cum incenſo, & benedictam aquam portantibus, & cantantibus hoc reſponſorium, *Deum time*, &c.

Ibidem ſunt canonici ſæculares: & procurationes mittenda ipſis, ſcribitur: Priori & capitulo: ibi ſiquidem eſt eccleſia ſatis decens, hoſpitia minus decentia. Et ibidem a priore & capitulo fuit dominus ſatis laudabiliter procuratus & ejus ſequaces: & computato de expenſis modo quo ſupra, ſumma fuit expenſarum tredecim libræ, & duodecim denarii, ut dicitur, Turonenſes.

Die Mercurii ſequenti in mane dominus audivit Miſſam ſuam ad majus altare ipſius eccleſiæ, in veſtimentis & libris ejuſdem eccleſiæ, præſentibus priore & capitulo. Poſt Miſſam requiſitus dominus, ſi quos de choro tonſurare placeret; reſpondit, quod antea reſponderat: addens quod dominus Pictavienſis ſatis vicinus ipſis eſt, ad quem faciliter pro talibus poterant habere recurſum.

Poſt hæc dominus Bituricenſis diligenter quæſivit ab ipſis, ſi ipſi vel in perſonis aut in eccleſia, & ad ſpiritualia vel temporalia aliquo vel aliquibus indigerent, quod poſſet facere vel deberet; offerens ſe perſonis & eccleſiæ, in quantum ex officii debito & dilectione, & affectione tenetur. Super quo dicti prior & capitulum domino regratiantes, ipſi domino conqueſti ſunt de familia ſua, eo quod expenſas factas non ita rigide computaverant, ut debuiſſent, & prout ipſi computaverant, ſecundum ipſorum aſſertionem; & ita gravabantur, ut in groſſis carnibus, & pollatura, & palea, & in fœdo. Quibus poſt multorum reſponſa finaliter dominus reſpondit, quod ſi crederent minus fideliter computatum fuiſſe; venirent ipſi, vel mitterent Pictavis, dum ipſe præſens eſſet, & ipſe libentiſſime faceret fideliter computari: præſertim cum ſua familia, cujus intererat computare, jam præceſſiſſet.

Poſthæc ipſis ſalutatis receſſit, & ivit Pictaviam. Et eſt ſciendum, quod in omnibus ſuprafcriptis a principio quaterni, præſens fuit capicerius Pictavienſis, & cantor Lemovicenſis, qui domino Bituricenſi tunc venit obviam die Veneris præcedenti apud Bruel diœceſis Bituricenſis, cujus nomen eſt magiſter Guido de Noelles; & fuit præſens dictus magiſter Guillelmus de Chipra archipresbyter prædictus, a prædicto domino Pictavienſi ſcilicet epiſcopo præmiſſus.

Eodem die Mercurii ſequenti venit dominus Pictavis,





ctavis. Diſtat autem a Mortuo mari per quinque leucas ſatis mediocres; decano, præpoſito, priore ſanctæ Radegundis, abbate beatæ Mariæ Pictavienſis, officiali, ſuccentore & cantore in dignitatibus & perſonatibus conſtitutis in majori eccleſia Pictavienſi, necnon abbate Aureæ-vallis, abbate ſancti Cypriani & pluribus canonicis eccleſiarum ipſi domino obviam venientibus per duas leucas & amplius.

Et poſt modicum ipſis a domino ſalutato recedentibus, & capicerio Pictavienſi recedente cum ipſis, ut ad dominum honorifice recipiendum ſe pararent; qui dominum venientem proceſſionaliter in cappis ſericis, campanis pulſatis, crucem, turibulum, aquam benedictam, textus evangeliorum, & multa alia pretioſa deportantes, receperunt, cantando hoc reſponſorium, *Deum time*; decano a ſiniſtris, & cantore a dextris, dominum ab introitu eccleſiæ per portam majorem ducentibus uſque ad altare majus, & ipſi domino, ut dictum eſt, adſiſtentibus, donec eccleſiam exivit. Et licet dominum honorifice recepiſſent, dictus decanus domino ſupplicavit, ut pro malo non haberet, ſed pro excuſatis; eo quod in proceſſione prædicta non fuerant tot quot voluiſſent; cum abſentes occupati eſſent, tam vindemiis eorum, quam compluribus aliis.

Poſthæc, domino volente intrare capitulum, ut ſuum expleret officium, inter ipſum & canonicos exſtitit finaliter concordatum, quod dominus differret intrare capitulum uſque mane craſtinum. Quo facto, conduxerunt dominum in domum ſuam, ſcilicet in domos domini epiſcopi Pictavenſis: & ibidem ſplendide cum opulentia dominum procurarunt: & comederunt cum domino prædicti decanus, cantor, præpoſitus, & abbas beatæ Mariæ, prior ſanctæ Radegundis, capicerius, officialis, ſuccentor, & quamplures alii de eccleſia, tam canonici quam capellani & clerici, in expenſis capituli, & in mane & in ſero: & domino, quamdiu fuit Pictavis prædicti ſuperiores bonam & venerabilem ſocietatem & ſolatium tenuerunt; & vina multa in comeſtionibus, in potis & barcillis, ut moris eſt, præſentarunt; computato de expenſis hujus diei modo quo ſupra dictum fuit, ſumma fuit expenſarum viginti libræ, & duodecim denarii Turonenſes.

Die Jovis, ſequenti ſcilicet ante feſtum beati Michaelis Archangeli, comedit dominus; ſicut & ſocii ejus, & plures de domicellis ſuis in domo capicerii Pictavienſis, invitatus & rogatus affectuoſe ab ipſo capicerio prædicto: & die veneris præcedenti apud Loruel, quando domino primo venit obviam, licet dominus cum difficultate maxima conceſſit. Ceteri de familia domini, ut plures domicelli & garciones, comederunt in domo domini in expenſis domini. In ſero dominus, ſicut & ſui ſequentes, in expenſis domini Bituricenſis fuerunt.

Eodem die Jovis in mane dominus intravit capitulum, & prædicavit ibi, decano & capitulo ceteriſque multis aliis præſentibus: & poſt ſermonem oſtendit diſcrete & eleganter quanta ſit utilitas Pictavienſibus, & Pictavienſi diœceſi, nec non ipſis canonicis Pictavienſibus, habere tam vicinum refugium, ut Bituricenſem archiepiſcopum: cum per Bituricenſem curiam ſuam juſtitiam facilius & citius conſequatur.

Oſtendit etiam qualiter decanus & capitulum Burdegalenſe minus ſano ducti conſilio malicioſe juriſdictionem Bituricenſem quam in provincia Burdegalenſi dignoſcitur habere & habuiſſe, impediunt, & nituntur impedire.

Rogavit dominus præſentes canonicos, ut ſi ſcirent in quaſcumque cauſas præfuiſſe, quæ per appellationem ad curiam Bituricenſem delatæ fuerint, & ibidem terminatæ, recitarent in publico præſentibus, aſtantibus ſcilicet duobus tabellionibus, dicto Bertrando regis, & pluribus aliis fide dignis, prout omnia in inſtrumento publico inferius annotato dilucide continentur. Et hæc omnia faciebat dominus ad dictum dominum Bertrandum informandum, ut de jure ſuo facilius doceret tempore opportuno. Ipſa die Jovis recepit dominus litteras a ſeneſcallo Vaſconiæ continentes iſta verba, quæ ſunt ſequentis tenoris, videlicet:

Joannes de Creſilly miles illuſtris regis Angliæ, Ducis Aquitaniæ, ſeneſcallus in ipſo Ducatu, dilectis ſuis Johanni de ſancto Ergondo, militi in Burdegalenſis & Vaſconiæ curiis, & Bertrando de Campania militi in Xantonienſi, locum ſuum tenentibus, & omnibus aliis baillivis ſuis, ſalutem.

Cum reverendus pater in Chriſto Simon, Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus nobis expoſuerit, quod ad Burdegalenſem provinciam intendit accedere; vobis mandamus, quatenus cum dicti domini noſtri terram intraverit, ibi veſtrum pro eodem domino noſtro & nobis offerentes ſervitium, & exhibentes honorem, ipſum & ſuos in perſonis & rebus, quamdiu erit in diſtrictu domini noſtri a violentiis & injuriis defendatis: & ſi quid forefactum fuerit, illud facietis celeriter emendari, cum ab ipſo vel mandato ſuo fueritis requiſiti: taliter ſuper his vos habentes, quod de vobis ſe poſſit merito commendare, ac de negligentia veſtra nequeat habere materiam conquerendi. In vos etenim redundabit, ſi quid inventum fuerit vos contra ipſum, vel ſuos egiſſe, vel ſuſtinuiſſe; de quo debeatis redargui vel puniri. Datum Pariſius, in craſtino beati Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, anno Domini MCCLXXXIV.

*Item alias in hæc verba:*

Reverendo in Chriſto Patri ſuoque cariſſimo domino Simoni, divina providentia Bituricenſi archiepiſcopo, Joannes de Creſilly, miles, ſe paratum ad ejus beneplacita voluntatis.

Licet ad partes Vaſconiæ dirigemus libentius quam alibi greſſus noſtros, propter aliqua tamen tam domini noſtri quam noſtra negotia nos oportet ad præſens a recto regreſſus noſtri tramite deviare: ita quod tam cito, ſicut ſperabamus, in illis partibus non poterimus inveniri: de quo propter adventum veſtrum nobis noverit diſplicere: cum perſonam veſtram vellemus ſicut patris & domini honorare. Quamobrem locum noſtrum tenentibus damus per noſtras litteras in mandatis, ut vos & veſtros a violentiis & injuriis protegant & defendant, prout in litteris noſtris apertis quas vobis mittimus, videre poteritis, contuli. Si quid autem veſtræ ſederit voluntati, quod nobis mandare velitis, illud prout poterimus curabimus adimplere. Valeat paternitas veſtra bene & diu. Datum Pariſius, in craſtino beati Matthæi Apoſtoli, &c.

Die Veneris ſequenti prædicavit in eccleſia majori Pictavienſi, & de cruce Arragoniæ; & multos cruce ſignavit. Finito ſermone viſitavit abbatiam ſancti Cypriani Pictavienſis, Ordinis ſancti Benedicti, receptus proceſſionaliter ab abbate & conventu in cappis ſericis, campanis pulſatis, cantando *Deum time*, & cum omni alia ſolemnitate: & procuratus ab abbate prædicto, & in domibus Pictavienſis epiſcopi, priore ſanctæ Radegundis, abbate ſancti Cypriani, celerario, & mul-

ANNO CHRISTI 1284.

multis aliis de monachis ſuis, comedentibus die illo cum domino Bituricenſi.

De expenſis hujus diei fuit computatum modo quo ſupra, & fuit ſumma expenſarum novemdecim librarum, viginti ſolidorum. Eodem die Veneris, ſcilicet feſto beati Michaelis Archangeli, poſt viſitationem prædictam celebravit dominus magnam Miſſam ad majus altare in pontificalibus, utendo pallio, & ſandalis, capicerio diacono, & abbate beatæ Mariæ ſubdiacono exſiſtentibus in illa Miſſa. Scribitur autem procuratio in abbatia ſancti Cypriani prædicta, abbati ſicut & conventui.

Die ſabbati ſequenti poſt feſtum beati Michaelis, viſitavit dominus eccleſiam beatæ Radegundis ubi ſunt canonici ſæculares: & viſitavit eccleſiam ſanctæ Crucis, ubi ſunt moniales Ordinis ſancti Benedicti, unam poſt aliam: receptus utrobique modo quo ſupra: & prædicavit in capitulo monialium, ipſis monialibus adſtantibus, in Gallico, abbatiſſa abſente.

Finito ſermone domini ad majus altare ſanctæ Crucis in pontificalibus celebravit cum ſandaliis & ſine pallio, & dedit indulgentiam & abſolutionem. Poſt ſermonem procuratus a capitulo ſanctæ Radegundis, & conventu ſanctæ Crucis, eccleſiarum prædictarum, in domibus domini Pictavienſis epiſcopi, frumento hujus diei pro craſtino reſervato computato, de expenſis totius diei modo quo ſupra, ſumma fuit quindecim librarum. Modus ſcribendi pro procuratione habenda in locis prædictis eſt iſte: Priori & capitulo ſanctæ Radegundis, & abbatiſſæ & conventui ſanctæ Crucis Pictavienſis. Cum domino comederunt prior ſanctæ Radegundis, & capicerius prædicti.

Die Dominica ſequenti poſt feſtum beati Michaelis, & in feſto beati Remigii, primo die menſis Octobris, fecit dominus prædicari per fratrem Simonem de Ordine Fratrum Minorum ſocium familiarem ſuum in eccleſia majori urbis Pictavis de cruce Arragoniæ: & multos cruce ſignavit, & indulgentiam dedit auctoritate ſibi commiſſa per dominum Papam, domino in ſua camera remanente.

Facto ſermone & poſt Miſſam domini, quam audivit dominus in capella domorum domini epiſcopi Pictavienſis; acceſſit dominus ad abbatiam monaſterii novi in ſuburbio Pictavienſi ordinis Clugniacenſis, abbate loci ejuſdem tunc abſente. Receptus ibidem a priore & conventu valde ſolemniter, modo quo ſupra, ipſis cantantibus, *Deum time*, dominus ibi non viſitavit, quia locus & perſonæ ſunt exemptæ; dum obtulit ſe dominus & quidquid poſſet, eccleſiæ & perſonis, procuratus ab ipſis abbate & conventu prædictis in dictis domibus domini Pictavienſis.

Cum domino comederunt decanus, præpoſitus, cantor, capicerius, officialis, ſuccentor, prior ſanctæ Radegundis, abbas beatæ Mariæ, & plures alii tam capellani quam clerici, & Pictavienſi eccleſia & aliunde. Computato de expenſis totius diei modo quo ſupra, ſumma fuit quatuordecim librarum, ſexdecim ſolidorum, duobus denariis minus.

Die Lunæ ſequenti, ſecunda die menſis Octobris, dominus exivit civitate Pictavienſi poſt Miſſam ſuam: & ipſum duxerunt dicti cantor, officialis, prior ſanctæ Radegundis, abbas beatæ Mariæ Pictavienſis, & plures alii.

Domino veniente ad prioratum de Lezeigniaco, diſtantem a Pictavis per quinque leucas ſatis mediocres, ſibi venit obviam prior dicti loci in equitatione ſeu equitaturis ſe quinto quoniam abbas præſens non erat: & receperunt dominum prior & ſui ſocii valde ſolemniter, modo quo ſupra; cantantes, *Deum time*, & poſt *Alma Redemptoris mater*: & procurarunt dominum prædictum & ſuos ſequentes.

Eleemoſynarius domini ſemper & ubique eleemoſynam pauperibus erogavit. Cum domino venit capicerius Pictavienſis: de expenſis computato modo quo ſupra, ſumma fuit quatuordecim librarum, duodecim ſolidorum. Illo eodem die Lunæ, dum dominus eſſet Pictavis, venerunt quidam pro abbate ſancti..........

Die Martis ſequenti venit dominus apud prioratum ſancti Hilarii de Metullo, diſtantem a prioratu de Lezeigniaco per ſeptem leucas Pictavinas. Prioratus eſt ſancti Joannis Angliacenſis, Xantonienſis diœceſis, Gallice, *Amelle*, priore tamen abſente: ibi dominus receptus fuit proceſſionaliter cum omni ſolemnitate, modo quo ſupra: & procuratus ibidem ſatis laudabiliter, & ſui Computato de expenſis modo quo ſupra, ſumma fuit duodecim librarum & decem ſolidorum.

Illo die Martis dominus audivit Miſſam ſuam in prioratu prædicto de Lezeigniaco, *de Lezignan* Gallice, Latine de Lezeigniaco. Audita Miſſa ſua, venit quædam monialis ordinis Fontis Avrandi, vel Evrardi ad dominum, quæ a tribus annis incepit jejunare, ut dicebatur, ter in ſabbato, ſcilicet die Lunæ, [a] die Martis, die Mercurii, & die Veneris, abſque alia comeſtione, & ſine potu; aliis diebus non multum comedebat, & ſine vino, & abſque carnibus: & fuit de cetero locuta domino, ac ſi confiteretur, omnibus videntibus. Illa monialis habebat matrem ſuam ſecum. Filia militis erat ſatis divitis, commorantis in quodam magnerio prope prioratum de Lezeigniaco prædictum; & erat illa monialis de quodam prioratu dicto Borneul.

[a] *Delendum illud, die Martis, videtur.*

Die Mercurii ſequenti poſt feſtum ſancti Remigii hiemalis, in feſto beati Franciſci, domino veniente ad abbatiam beatæ Mariæ de Cella, ordinis ſancti Auguſtini, diſtantem a prioratu ſancti Hilarii de Metulo per duas leucas parvas; abbas B. Mariæ ſibi venit obviam cum unico ſocio; & ſalutato domino proceſſit: & dominum receperunt abbas & conventus proceſſionaliter in cappis ſericis, campanis pulſatis, & cum omni alia ſolemnitate, modo quo ſupra, *Sint lumbi veſtri præcincti* cantantes, & proſam unam. Et domino finiente orationem ſuam ante majus altare, duxerunt dominum ad capellam beatæ Mariæ inferiorem, cantando, *Alma Redemptoris mater*; & celebravit in ipſa capella ſeu eccleſiæ beatæ Mariæ dominus Miſſam de beata Maria, ſine nota, & voce ſubmiſſa, in ſimplicibus indumentis utendo cum dalmatica.

Finita ſua Miſſa, frater Simon Minor prædictus ad majus altare Miſſam celebravit de beato Franciſco; & poſt Miſſam prædicavit in capitulo, domino præſente, abbate, conventu, & aliis, clero, populoque adſtantibus, & dedit indulgentiam. Abbas & quidam canonici ſui cum domino comederunt; dominus & ſui fuerunt ibi procurati. Ibi eſt locus pulcherrimus. Pro procuratione ſcribitur, Abbati & conventui. Computatis expenſis totius diei, modo quo ſupra, ſumma fuit..............

Die Jovis ſequenti, domino veniente poſt Miſſam ſuam apud abbatiam ſancti Severini, ordinis ſancti Auguſtini, diſtantem ab abbate beatæ Mariæ de Cella per quinque leucas Pictavinas; abbas ſancti Severini ſibi venit obviam cum unico ſocio; & ſalutato domino receſſit, ſe paraturus ad dominum recipiendum; quem, cum veniret, abbas indutus cappa



ANNO CHRISTI 1284.

cappa ſerica, & tenens cambucam, & conventus, proceſſionaliter receperunt, campanis pulſatis, cantantes, *Sint lumbi veſtri præcincti*, &c. & cum omnia alia ſolemnitate.

Quo facto dominus intravit capitulum, & cœpit ibi fieri ſermonem clero & populo, abbate & conventu præſentibus, per fratrem Joannem, ſocium fratris Simonis prædicti. Dominus comedit in refectorio, abbate, & quibuſdam ſociis ſuis comedentibus cum eo: & procuratus ab ipſo ſatis laudabiliter; computato de expenſis totius diei modo quo ſupra, ſumma fuit, &c.

Die Veneris ſequenti, poſt feſtum beati Remigii hiemalis, exivit dominus Bituricenſis diœceſim Pictavienſem, & intravit diœceſim Xantonienſem, litteris ad dictum epiſcopum Xantonienſem præmiſſis; quarum tenor talis eſt:

„ SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas; venerabili viro G. ejuſdem gratia Xantonienſi epiſcopo, ſalutem, & cum ſincera in Domino caritate paratam ad ejus beneplacita voluntatem. Significamus vobis, quod die tali, poſt feſtum tale, jure primatiæ, Burdegalenſem provinciam viſitantes, veſtram diœceſim Xantonienſem intrare proponimus, Domino concedente. Unde veſtram fraternitatem rogando mandamus, quatenus nobis mittatis unum de clericis & familiaribus veſtris, qui nobis die tali, vel citius apud talem locum occurrat, & qui patriam ſciat, noſque conducat, & faciat cetera & conſueta. Dolemus enim quamplurimum, quod vobiſcum loqui non potuimus Pariſius pro noſtræ debito voluntatis in convocatione prælatorum; quia vos & nos, prout ſcitis, ita negotiis eramus occupati & compreſſi, quod alter alteri ad votum loqui non potuit illa voce vel vice: ſed, Deo dante, cum vos videbimus, bene recuperabimus; & quod vobis credimus placituri, libentiſſime faciemus. Valeat veſtra fraternitas per tempora longiora. Datum Pictavis, in feſto beati Michaelis archangeli, anno Domini MCCLXXXIV.

*Reſcriptio domini epiſcopi Xantonienſis ad dominum Bituricenſem, eſt iſta.*

„ REverendo in Chriſto patri ac domino domino Simoni, divina providentia archiepiſcopo Bituricenſi, Aquitaniæque primati; Gaufridus eadem permiſſione Xantonienſis epiſcopus, ſalutem, & debitam reverentiam cum honore. Paternitatis veſtræ litteras, continentes quod procurationem veſtram, quam ad locum noſtrum mandaveratis, hanc inſtanti die Veneris poſt feſtum beati Remigii ad diem ſabbati proximo ſubſequentis, ex cauſa neceſſaria commutatis, benigne recepimus. Et gratanter commutationem illam ratam habentes pariter & acceptam; eidem paternitati veſtræ tenore præſentium intimantes, quod dicta die vos, quantum poterimus, honorare proponimus prout decet: ac de jocundo adventu veſtro plurimum congaudentes, ad vos mittimus aliquem de noſtris ad abbatiam ſancti Severini; proxima die Jovis & die Veneris ſequenti vos videbimus, Domino concedente. Bene & diu valeat in Domino veſtra paternitas reverenda. Datum die Martis poſt dictum feſtum.

Die Veneris ſequenti poſt feſtum beati Remigii hiemalis, dominus Bituricenſis archiepiſcopus, audita Miſſa ſua apud ſanctum Severinum, in veſtimentis & libris abbatiæ, de Pictavienſi diœceſi Xantonienſem diœceſim intravit. Veniendo ad abbatiam ſancti Joannis Angliacenſis, diſtantem a ſancto Severino per quinque leucas, cambrelingo & aliis quibuſdam monachis ſancti Joannis obviam domino venientibus per duas leucas & plus; cum abbas dicti loci adeo pro ſenectute ſit debilitatus, quod equitare non poteſt.

Eodem die Veneris dominus Xantonienſis epiſcopus domino Bituricenſi venit obviam cum venerabili comitiva fere per duas leucas, & dominum Bituricenſem & ſuos ſequaces reverenter ſalutavit & lætanter, & ipſum uſque ad abbatiam ſancti Joannis aſſociavit. Burgenſes etiam ſancti Joannis venerunt obviam domino Bituricenſi in multitudine magna pluſquam per leucam: & ſalutato domino cum reverentia & honore, dominum devotiſſime rogaverunt cum affectu, ut cum ipſis, & in expenſis ipſorum per diem unam morari placeret; & ad hoc omnes Burgenſes prædicti una voce clamoſa non ceſſabant inſtare: & dominum Xantonienſem epiſcopum cum inſtantia etiam rogaverunt, ut dominum Bituricenſem ad hoc induceret, laboraretque, ut cum ipſis, ut prædictum eſt, commoraretur.

Super quibus domino excuſante ipſorum precibus non poſſe condeſcendere illa vice; cum diætas ſuas & viam ſuam jam præordinaſſet: & ipſis multiplicatas grates referente de curialitatibus ipſorum ſibi exhibitis & oblatis; venit ad abbatiam prædictam ſancti Joannis Angliacenſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, a priore & conventu dicti loci, in cappis ſericis, & cum omni alia reverentia & ſolemnitate, modo quo ſupra, domino epiſcopo Xantonienſi a dextris, & cambelino prædicto a ſiniſtris, dominum ab introitu monaſterii conducentibus uſque ad majus altare: dominus tamen Xantonienſis epiſcopus non mutavit cappam quam habuerat equitando.

His rite peractis, dominus intravit capitulum, & ibi prædicavit clero & populo Gallice & Latine, domino epiſcopo Xantonienſi, & multitudine alia clericorum a laicorum præſentibus & adſtantibus ibidem; & poſt ſermonem dedit indulgentiam: qua data, & remota multitudine eorum qui non erant de capitulo, præter familias dominorum Bituricenſis & Xantonienſis, dominus obtulit ſe, & quidquid poſſet ex officio & ultra officium, quidquid poſſet ex dilectione & devotione, monaſterio prædicto ſancti Joannis & perſonis.

Poſt hæc dominus Xantonienſis dominum Bituricenſem in cameram ſuam tunc conduxit; quo conducto, receſſit a villa, nec cum domino comedit illa vice. Dominus procuratus ibi fuit ab abbate & conventu, & comedit abbas cum domino. Eleemoſynarius domini dedit eleemoſynam pauperibus; frumento non ſufficiente ſibi, fuit panis miniſtratus: computatis expenſis totius diei, modo quo ſuprà, ſumma fuit.........

Sabbato ſequenti dominus Miſſam beatæ Mariæ ad majus altare ſolemniter, alta voce, & in pontificalibus celebravit, nec fuit uſus pallio. Frater Simon prædicavit, & multos cruce ſignavit, & dedit indulgentiam.

Nota, quod quando dominus receptus fuit, cum ſurrexiſſet ab oratione ſua; fuit domino oblatus liber, & dixit verſum, *Fuit homo miſſus a Deo*, & reſponſorium, *Cui nomen erat Joannes*; dixit collectam de beato Joanne: poſtea fuit in capitulo, ut dictum eſt. Finita Miſſa & ſermone, ivit dominus apud Xantonicos.

Eodem die ſabbati ante feſtum beati Dionyſii, domino Bituricenſi eunte ad Xantonienſes, decanus & cantor & canonici Xantonienſes, prior ſancti

A ćti Eutropii Xantonienſis, & prior de ſancta Gemma, domino venerunt obviam per duas leucas, & ſalutato domino receſſerunt.

Dominus intravit civitatem Xantonienſem: epiſcopus Xantonienſis indutus cappa ſerica pretioſa, mitram habens in capite, cambucam in manu, & annulum in digito; & capitulum, & ceteri clerici cappis ſericis induti, cantando, *Sint lumbi veſtri præcincti*, proceſſerunt cum cruce, reliquis, textu evangeliorum, turibulo, ceroferariis cum ceris ardentibus: dicto domino Xantonienſi aquam benedictam ipſi domino Bituricenſi offerente.

Introitu majoris eccleſiæ receperunt eum, campanis pulſatis, & cum omni alia ſolemnitate, ut eſt moris. B Finito reſponſorio, ſurgente domino ab oratione ſua, dixit verſum, *Annunciaverunt*, & collectam de Apoſtolis: domino Xantonienſi ſibi librum portante, & tenente ex una parte, ſcilicet a dextris, & decano a ſiniſtris.

Hoc facto, duxit dominus Xantonienſis dominum Bituricenſem in domibus ſuis: & comederunt dicti Bituricenſis & Xantonienſis domini inſimul in eadem menſa, in domibus epiſcopi, cantore ſolum de canonicis comedente cum ipſis dictis dominis. Eleemoſynarius dicti domini Bituricenſis collegit eleemoſynam, & diſperſit pauperibus, familia domini Xantonienſis ſibi adjuvante; & habuerunt omnes pauperes eleemoſynam, quotquot fuerunt, eleemoſynario domini Xantonienſis panem miniſtrante, ubi defecit frumentum. C De expenſis totius diei, more ſolito, ut ſupra fuit computatum, & fuit ſumma expenſarum, &c.

Dominica ſequenti in mane, ante feſtum beati Dionyſii, dominus Bituricenſis in eccleſia majori clero & populo prædicavit, Xantonienſi epiſcopo, præſentibuſque canonicis propter hoc adſtantibus ibidem; & facto ſermone, multos cruce ſignavit crucis Arragoniæ; decantatoque, *Veni creator Spiritus*, dedit indulgentiam centum dierum de auctoritate domini Papæ, quadraginta vero de auctoritate ſua, & dominus Xantonienſis quadraginta dierum.

His factis intravit capitulum, & ibi viſitavit, domino Xantonienſi & capitulo præſentibus ibidem. D Poſt hoc celebravit Miſſam ad majus altare ſolemniter in pontificalibus, utendo pallio, licet eſſet ſimplex Dominica; ſed quia in inſtrumento publico fuit inventum, dominum Joannem, quondam Bituricenſem archiepiſcopum prædeceſſorem domini, in Dominica ſimplici, ſcilicet in quindena Paſchæ, eodem modo celebraſſe cum pallio; propter hoc dominus uſus eſt pallio illa vice.

Poſt Miſſam dominus Bituricenſis, in præſentia domini Xantonienſis, veſtimenta multa ſacerdotalia, corporalia, & calicem unum benedixit & conſecravit. His factis, ivit dominus apud ſanctum Eutropium, prioratum ordinis Clugniacenſis Xantonis, domino Xantonienſi comitivam faciente. E De dictis cruce ſignatis multi petierunt litteras, quibus conceſſerunt in hæc verba:

*Nos Simon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas; notum eſſe volumus univerſis, quod anno Domini* MCCLXXXIV. *Dominica die ante feſtum beati Dionyſii, apud Xantonienſes mandatum Apoſtolicum nobis injunctum exſequentes, verbum Dei & de ſancta cruce, pro negotio Arragoniæ, ſollicitudine diligenti prædicando, cleri & populi multitudine adſiſtente; talis a nobis dicto die ſignum dictæ crucis cum humili devotione recepit. In cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum anno, die, & loco prædictis.*

A *Item nota quod procuratio domino Xantonienſi, decano & capitulo loci ejuſdem, mandata fuit in hunc modum.*

SImon, &c. Venerabili fratri in Chriſto, G. eadem gratia Dei epiſcopo Xantonienſi, ac dilectis in Chriſto filiis decano & capitulo loci ejuſdem, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Burdegalenſem provinciam jure primatiæ noſtræ viſitantes, ac inſtanti tali die poſt tale feſtum ad locum veſtrum intendimus declinare. Unde vobis mandamus quatinus dicta die familiæ noſtræ & nobis procurationem noſtram præparetis. Datum, &c.

B Eodem die, Dominica ante feſtum beati Dionyſii dominus Bituricenſis receptus, proceſſionaliter modo quo ſupra, in dicto prioratu ſancti Eutropii Xantonienſis, & procuratus eſt: & fuit computatum de expenſis modo quo ſupra; ſumma expenſarum fuit, &c.

Die Lunæ ſequenti in feſto beati Dionyſii venit dominus ad prioratum ſancti Martini de Ponte, Xantonienſi receptus & procuratus ſolemniter modo quo ſupra. Computato de expenſis, ut ſupra, ſumma fuit expenſarum, &c. Et diſtat dictus locus, videlicet prioratus de Ponte prædictus a Xantonis, per quatuor leucas. Illo die dominus audivit Miſſam ſuam in dicto prioratu ſanct Eutropii, in veſtimentis nec non & in libris ipſius C prioratus.

Die Martis ſequenti, domino Bituricenſi, poſt Miſſam ſuam auditam in dicto prioratu de Ponte veniente apud prioratum de Niorto prope Mirabellum, diſtantem a Ponte per quinque leucas longas, antequam ibi veniret declinavit ad abbatiam albam de Tenalla, Gallice, *de la Tenaille*, diſtantem a Ponte per quatuor leucas; ubi fuit receptus proceſſionaliter pulſatis campanis, modo quo ſupra dictum eſt; abbate dicti loci de Niorto obviam domino Bituricenſi veniente per quatuor leucas.

Ab illa abbatia venit dominus ad dictum prioratum de Niorto, ubi receptus fuit & procuratus ſolemniter, modo quo ſupra: & venit cum D domino & comedit dictus abbas: & dedit dominus abbati prædicto in ſuis licentiam & præceptum carnes comedendi, præſertim cum piſces in ſufficentia non poſſent haberi. Expenſas factas totius diei ſolverunt dicti abbas de Tenaillia, & prior de Niorto, quilibet pro medietate, ne alter ipſorum ſolus in ſolutione nimis graveretur.

Nota quod fuit procuratio ſcripta dictis abbati & conventui de Tenaillia, & priori de Niorto, ab ipſis inſimul apud dictum prioratum de Norto domino Bituricenſi præparanda. Summa fuit expenſarum.........

Die Mercurii ſequenti poſt feſtum beati Dionyſii, exivit dominus Bituricenſis diœceſim Xan- E tonienſem, & intravit diœceſin Burdegalenſem, veniente de Niorto ad abbatiam ſancti Romani de Blavia, Burdegalenſis diœceſis; ubi eſt diſtantia ſcilicet inter Niortum & Blaviam, ſeptem leucarum.

Domino Bituricenſi veniente uſque ad introitum Blaviæ, abbas ſancti Romani de Blavia obviam venit domino, uno Tabellione & quibuſdam aliis ſecum.

Domino ſalutato ab eis, dixit abbas domino: Domine, ſcitote quod libenter & libentiſſime vos reciperem quantum eſt de me; & doleo vehementer quod ſecundum meum deſiderium explere non poſſum:



poſſum: ſed a dominis noſtris decano & capitulo Burdegalenſi in mandatis recepi, ne vos admittam ad viſitationem, nec ad procurationem, ratione primatiæ; ſed ſi ratione proviſionis ſeu ordinationis factæ per dominum Gregorium Papam IX. inter Bituricenſem & Burdegalenſem archiepiſcopos petitis admitti, ad præmiſſa parati ſumus vos recipere honorifice, & eo modo quo debemus: ſed jure primatiæ nullo modo vos reciperemus, cum nobis inhibitum ſit a prædictis: de quorum inhibitione & mandato offerimus vobis facere fidem: & ſi alias quam ut præmiſſum eſt petitis admitti, ſcitote nos in monaſterio noſtro ad ſedem Apoſtolicam appellaſſe, cum veſtros nuncios & familiam veſtrum vidimus prævenire: B cui appellationi adhæremus: & ſupponimus nos protectioni ejuſdem.

Adhæc dominus Bituricenſis reſpondit, quod jure ſuæ Bituricenſis eccleſiæ, & ſuo, & omni jure ſibi competente Burdegalenſem provinciam viſitabat: & eo jure petebat admitti eo modo, quo prædeceſſores ſui admiſſi fuerunt: nec intendebat a proviſione prædicta recedere, nec eam infringere; ſed in omnibus & per omnia deſiderabat ſervare, & ſervari facere. Hanc autem reſponſionem dominus pluries repetiit, nec in ſua reſponſione variavit.

Tandem verbis pariter utriuſque partis reſidentibus in finibus iſtis abbas feſtinanter præceſſit, proceſſionem paraturus: & dominum una C cum ſuo conventu proceſſionaliter receperunt cum omni alia ſolemnitate & reverentia, qua ſupra.

Domino recepto, ſicut præmittitur, intravit capitulum: & ibi fecit fratrem Simonem prædicare clero & populo ibidem aſſiſtentibus, & multitudine copioſa. Dum prædicaretur, & jam in prædicatione proceſſum fuiſſet; major eccleſia, & majores communiæ Burdegalenſis intrantes capitulum, dominum cum reverentia & honore receperunt, & cum lætitia ſalutarunt. Quibus dominus aſſurgens, cum maturitate qua decuit, & ad relativam ſalutationem recipiens, citius pro quibuſdam expediendis prædicator ſermonem finivit.

Quo finito, capitulo tunc excedente domi- D no, acceſſit quidam dicens ſe velle appellare ex parte dictorum decani capituli Burdegalenſis. Quædam incepit legere: ſed dominus non arreſtavit: ſed ſuam cameram intravit cum multitudine ſupervenientium numeroſa. Dictus legens videns ſe non auſcultari, ceſſavit legere, & receſſit.

Poſtmodum venerunt dicti decanus & capitulum; ſeu multi, ac quidam de capitulo Burdegalenſi; qui cameram domini intrantes Gardianum fratrum Minorum, cum tribus ſociis ſuis, & duos Prædicatores, & plures alios, cum domino ſtantes invenerunt, & dominum cum reverentia ſalutarunt, ſicut etiam dominus ipſos. E

Poſtea ſedentibus omnibus propoſuit ſcilicet quidem decanus ſancti Severini Burdegalenſis, nomine Magiſter in decretis, ut dicebatur nomine decani ſociorumque ejus, & capituli, & omnium aliarum eccleſiarum civitatis, & diœceſis, & totius provinciæ Burdegalenſis ac ſuffraganeorum ejuſdem: quod ſi placeret domino, quod ratione proviſionis prædictæ tantum, & non jure primatiæ, cum non eſſet primas, ne dum ipſorum, ut dicebant, libenter reciperent cum reverentia & honore: ſed ſi jure primatiæ peteret admitti, aut ut primas, ipſum nullatenus admit-

A terent: quia numquam Bituricenſem archiepiſcoporum receperunt, nec intendunt recipere aut tenere pro primate in futurum, ut dicebant: licet ſuper jure primatiæ aliquid inter Bituricenſem & Burdegalenſem archiepiſcopos fuerit litigatum. Et dicebat ſe nomine quo ſupra gravari in hoc; quod dominus dicebat ſe primatem, cum non eſſet: & quod dicebat ſe jure ſuo primatiæ Burdegalenſem provinciam viſitare: cum in proviſione prædicta non diffiniat quod ſit primas: & cum ratione primatiæ ſeu juris prædictam provinciam viſitare non habeat, ſed ratione ſolum proviſionis prædictæ: virtute cujus proviſionis domino Bituricenſi debentur quinquaginta procurationes in dicta provincia Burdegalenſi. Nec faciebat pro domino B Bituricenſi, ut dicebat dictus decanus, quod in proviſione ipſa dicitur, quod ſicut alias ipſi ſcriptum eſt, Primati, ita de cetero ſcribant: quia per hoc non dicebatur ipſum eſſe primatem: cum non definiendo, nec contra de cetero præmiſſa ſcribantur ibidem. Dicebat etiam, quod ſicut ex prædicta proviſione Burdegalenſis eccleſia, & Burdegalenſis archiepiſcopus, & provincia Burdegalenſis obnoxii ſunt Bituricenſi archiepiſcopo, & eccleſia ejus: ita vice verſa, ſicut liquet ex proviſione prædicta. Unde ſi jure primatiæ præmiſſa petat, nullo modo permitterent; licet alias perſonam ipſius multum vellent honorare: ſed ratione prædictæ proviſionis offerebant ei, & in præſentia tabellionis facere ea ad quæ tenentur ſecundum te- C norem proviſionis, dum tamen jure primatiæ non peteret illa.

His peroratis, dominus regratiatus eſt decano Burdegalenſi, & ſuis, ſuper curialitate oblata de ipſum velle honorare. Secundo quod videbantur ſibi viri diſcreti, & maturi, & bonæ voluntatis, ut credebat, ſibi fuiſſe præmiſſi, dum tamen ipſi complerent quod dicebant. Ad cetera omnia, præmiſſo quod de proviſione, ſeu ſuper ipſa, diſputari nolebat ad præſens, eamdem reſponſionem fecit quam primo: adjiciens, quod volebat & multum deſiderabat, quod ſi in aliquo oberraret, vel jam erraverat, viderent homines ſapientes & probi, & oſtenderent in quo; & ab errore libentiſſime ſuperſederet, & errata jam ſi erraſſet revo- D caret: quod tamen non credebat, nec vellet, nec erat intentionis ſuæ, nec umquam fuerat contra proviſionem prædictam venire, nec eam infringere in aliquo: ſed eamdem acceptabat, & libenter ſervare volebat: nec per modum quo ſcriptum fuerat in procuratione mandata, ipſi proviſioni intendebat derogare, ſeu in aliquo præjudicium generare: ſed ex abundanti & pro bono pacis, concordiæ, & caritatis eis obtulit, ſe ſibi daturum litteras, quod a proviſione prædicta recedere non intendebat; ſed in omnibus, & per omnia in ipſa contenta ſervare volebat, & deſiderabat ſibi ſimiliter integre ſervari, nec in aliquo contraire: & quod procurationem, viſitationem, & alia jura ſuæ Bituricenſis eccleſiæ, & ſuo, & omni juri E ſibi competenti quo poterat, & debebat, ſecundum ordinationem ſeu proviſionem prædictam petebat; & eo modo quo prædeceſſores ſui, & eo jure admiſſi fuerant ad præmiſſa eiſdem, & non aliis petebat admitti. Et hæc oblata ab ipſo & modo offerendi in omnium aſſiſtentium memoriam rogavit inſeparabiliter affigi, & ſuper his per præſentes notarios ſic fieri publicum inſtrumentum. Tunc dixit quidam a latere, quod omnia reducerentur ad effectum.

Dominus dixit, quod paratus erat, quantum erat in eo, & vellet centum marchas dediſſe, quod Burdegalenſes domini ita intenderent ad pacem & con-

ANNO CHRISTI 1284.

cordiam, & juris cujuslibet conſervationem, & ad æquitatem, quantum ipſe anhelabat.

Et tunc decanus & ſui ſe traxerunt ad partem: & dominus ivit ad eccleſiam, & audivit Miſſam ſuam ad majus altare.

Interim fabricata fuit quædam littera & concordata, cum maxima difficultate partium: quæ ſequitur in hæc verba.

„ SImon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus „ Aquitaniæ Primas, univerſis præſentes litte„ras inſpecturis, ſalutem in Domino. Noveritis „ quod intentionis noſtræ non fuit, nec eſt, contra „ proviſionem, ſeu ordinationem dudum factam in„ter Bituricenſem & Burdegalenſem archiepiſco„pos, per piæ memoriæ dominum Gregorium Pa„pam IX. volentem prædictis archiepiſcopis, & eo„rum eccleſiis providere ſuper jure primatiæ Bur„degalenſis provinciæ, aliquid indebite uſurpa„re. Quin potius prædeceſſorum noſtrorum veſti„giis inhærentes, proviſionem ſeu ordinationem „ camdem, tam in viſitationibus quam procuratio„nibus, & aliis hujuſmodi, quantum ſecundum „ Deum, & juſtitiam, & jus Bituricenſis eccle„ſiæ poſſumus, bona fide intendimus obſervare. „ In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præ„ſentibus duximus apponendum. Datum apud „ Blaviam Burdegalenſis diœceſis, anno Domini „ MCCLXXXIV. die Mercurii poſt feſtum beati „ Dionyſii.

Qua ſigillata, & a decano & ſuis de ſcrupulo ad ſcrupulum ruminata & corroſa; tandem viſi ſunt acceptare, dicentes tum quod ad plenum eam non poterant acceptare, niſi prius oſtenſa in capitulo eorumdem: cum de dicto capitulo plures eſſent alii ſapientes & probi & potentes, ſine quibus nihil poterant expedire: ſed eam libenter ſuis ſociis oſtenderent, & audirent quidnam ſuper hoc placeret eis.

Poſt hoc dominus eos rogavit, ut cum ipſo comederent: qui noluerunt, dicentes ſe jam comediſſe.

Poſt hoc dictus decanus dominum cum affectu & inſtantiſſime rogavit, ut cum ipſo ſaltem una die moraretur: quod facere dominus recuſavit, ſe curialiter & amicabiliter excuſando. Tunc receſſerunt decanus & ſui, domino cum reverentia ſalutato; & dominus comedit & abbas cum eo, & multi alii in domibus abbatiæ, & procuratus modo quo ſupra: computato etiam modo quo ſupra de expenſis dictæ diei ſolutis per abbatem, ſumma fuit . . . . . . .

Eodem die venit, domino ſedente in menſa, dominus Helias abbas ſancti Aſterii, ſæcularis eccleſiæ Petragoricenſis diœceſis, conſervator domini Bituricenſis, ſuper proviſione prædicta.

Poſt comeſtionem Major, & burgenſes Burdegalenſes venerunt viſum dominum in camera ſua, cum buccinis, & in magna ſolemnitate & veneratione; & biberunt cum domino, & de dragcia comederunt.

Eodem die in Veſperis & in clauſtro dictæ abbatiæ denuntiavit officialis domini, multitudine hominum ibi ſtante & ſedente; in figura judicii quaſdam appellationes a quibuſdam burgenſibus Burdegalenſibus, ab audientia officialis Burdegalenſis ad Bituricenſem archiepiſcopum, vel [illegible] officialem interjectas legitimas, & cano[illegible] fuiſſe appellatum, & appellationes tene[illegible] revocando in irritum quidquid poſt appella[illegible]

Die [illegible] ante diem, domino & ſuis ſurgentibus [illegible] juxta portum *de la Garonde*, & ſuas Matutinas dicentibus; ibidem dum pararetur navigium, paratis omnibus, ſuam navem intravit, & alii naves alias prout potuerunt.

Et dum equi ponerentur in navibus, palefredus capicerii Pictavienſis, ſocii domini, cecidit in aquam in valore ſexaginta librarum Turonenſium, vel majori, & ibi in brevi hora fuit ſubmerſus.

Dominus deſcendit ad portum de Manca per quatuor leucas longas a Blavia diſtantem, & apud Manca ſuam Miſſam audivit in veſtimentis & libris ipſius eccleſiæ. Dicti Major & burgenſes dictam aquam cum domino in diverſis navibus tranſierunt; & dominum aſſociarunt uſque Burdegalenſem civitatem diſtantem a dicta villa de Manca, per quatuor leucas longas.

Multi burgenſes Burdegalenſes cum prædictis domino venerunt obviam bene in quingentis & pluſquam per leucam: & dominum, ut primatem ſuum reverentiſſime cum ſalutatione devota receperunt & acceperunt.

Domino tranſitum per civitatem faciente, & a dextris, & a ſiniſtris ſuam benedictionem humiliter exſpectantibus & inclinantibus ad camdem ſuſcipiendam diſtribuente & largiente, ad abbatiam ſanctæ Crucis Burdegalenſis declinavit: & cum eamdem pacifice, & abſque contradictione aliqua crederet intrare; præſertim cum præcurſores domini, & totus clericus, coquinæ, oſtiarius, domini Mareſcallus, pincerna, ceterique officiales domini cum ſommariis ad argentum & vexelamentum argenteum benigniter cum hilaritate vultus ibi fuiſſent recepti, & intus ſua cibaria præparata & neceſſaria quæſita; tum undique valvas eccleſiæ clauſas invenit: nec ſibi patuit aditus, nec ſibi voluerunt aperire, qui clauſas tenebant, licet cum inſtantia pluries, ut aperirent, requiſiti.

Tamdem venerunt decanus Burdegalenſis, & decanus ſancti Severini, & alii plures, cum eis ad dominum ſtantem apud valvas, & ei dixerunt: Domino cariſſime, litteram quam heri dediſtis apud Blaviam in capitulo legimus & oſtendimus canonicis noſtris: qua lecta & audita non placuit eis, nec fuerunt ea contenti. Attamen ſi ratione compoſitionis, ſeu proviſionis, aut ordinationis prædictæ petitis admitti ad viſitationem, & procurationem; parati ſumus, & vobis offerimus facere, quod debemus ſecundum tenorem proviſionis prædictæ: & hoc offerimus in præſentia tabellionum hic aſſiſtentium, & petimus ſuper his fieri nobis publicum inſtrumentum. Et ſi alias contra nos procedere intenditis aut petere, & procedatur ad ſedem Apoſtolicam appellamus, & ejus nos quoque ſupponimus protectioni.

Tunc dominus tabellionibus publicis vocatis, & Prædicatoribus & Minoribus, & aliis adſtantibus dixit voce viva; Domini hic adſtantes, precor vos, attendite & videte, & memoriæ commendate, quod nos jure noſtræ Bituricenſis eccleſiæ, & noſtro, & omnium jure nobis competenti juxta tenorem proviſionis prædictæ ad viſitationem, & procurationem petimus admitti: ſecundum quod prædeceſſores noſtri Burdegalenſem provinciam viſitantes fuerunt admiſſi ad præmiſſa: ſcientes quod non eſt intentionis noſtræ, nec umquam fuit a proviſione prædicta recedere, nec intendimus; ſed obſervare petimus diligenter, nec in aliquo, aut aliquibus contentis in ipſa contraire: & cum inſtantia petimus nobis reſervari, & hoc petimus in publica forma redigi, & adſtantes inſcribi.

Et dixit ſubſequenter: Monemus vos primo, ſecundo, & tertio, decanum Burdegalenſem, & decanum ſancti Severini, & vos omnes alios ipſis aſſiſtentes, ne nos ex officii noſtri debito viſitare volentes, noſtram viſitationem aliquatenus impediatis: & quia manifeſte patet, quod contra Deum & juſtitiam noſtram non ceſſatis impedire viſitationem, immo plus & plus impeditis; vos in his ſcriptis, veſtra exigente contumacia, excommunicamus, & vos excommunicatos publice nunciamus.



ANNO CHRISTI 1284.

Et tunc quidam ex parte decani Burdegalenſis, ut dicebat, & nomine capituli, in cedula quadam, neſcio quædam incepit legere: ſed præ clamore nimio non potuit audiri. Tunc dominus converſus ad fores eccleſiæ ſanctæ Crucis abbatem & conventum, licet eos non videret, primo, ſecundo & tertio monuit, ut ipſum ad viſitationem & procurationem admitterent, ut præmittitur, & ut tenebatur ſecundum proviſionem præmiſſam: & in monendo continuo ad fores pulſabat.

Et cum videret ſe ad præmiſſa non admitti, nec ipſos monitionibus ſuis parere, in ſcriptis excommunicavit eoſdem: & ſuum executorem prædictum rogavit, ut id faceret, ad quod erat deputatus.

Et tunc dictus conſervator dictos abbatem & conventum modo quo ſupra monuit, ut dominum reciperent ad præmiſſa ſecundum tenorem proviſionis prædictæ. Quos monitis ſuis parere nolentes excommunicavit in ſcriptis, & eccleſiam eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, quam jam dominus appoſuerat eidem interdicto.

Et poſt hæc dominus per longum tempus, cum confuſione, rubore, & verecundia ſtans ad fores clauſas eccleſiæ plebe infinita adſtante, videns quod nihil haberet, quod ultra poſſet facere, faciens per ſolemnes nuncios, ut per capicerium Pictavienſem, Guardianum & Priorem Prædicatorum Burdegalenſium, & plures alios, procurare & tractare, ſi dictas viſitationem, & procurationem ſuam impedientes poſſent aliquatenus inducere ad aliquam viam pacis & concordiæ, & manſuetudinis. Sed ipſorum tractatus nullum conſecuti ſunt effectum. Tunc dominus Bituricenſis dixit adſtantibus: Domini, videte quantam humilitatem, manſuetudinem, & patientiam eis obtulimus: ſed nihil humanitatis invenimus.

Anno Domini MCCLXXXIV. die Mercurii in feſto beati Lucæ audivit dominus Miſſam in aula archiepiſcopali, qua audita venit ad dominum magiſter Bonitus de ſancto Quintino, archidiaconus in eccleſia Lemovicenſi, clericus regis Angliæ, volens honorare dominum; & cupiens, quod obediretur domino per totam ſeneſchalliam Agennenſem.

*Domino Augerio Motet, militi ſeneſchallo Agennenſi, ſcripſit in hæc verba:*

„ CAriſſimo ſuo domino Augerio militi, di„cto Motet, ſeneſchallo Agennenſi, magi„ſter Bonitus de ſancto Quintino, illuſtris regis „ Angliæ clericus, ſalutem & amoris augmen„tum. Litteras sereniſſimi principis domini regis „ Franciæ vidimus & recepimus: ſcilicet ſeneſcal„lus Vaſconiæ, ego, & alii conſiliarii domini re„gis Angliæ in hæc verba:

„ PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, Ber„trando Coſſe ſervienti ſuo, ſalutem. Mandamus „ tibi, quatenus non permittas, quod in ſeneſcallia ſeu in bailliis Petragoricenſi, Pictavienſi, Xantonienſi, Agennenſi, Vaſconiæ atque Arverniæ, „ indebita gravamina, vel violentiæ inferantur di„lecto & fideli noſtro archiepiſcopo Bituricenſi, „ Aquitaniæ primati, aut gentibus, vel nunciis „ ſuis, in perſonis, vel bonis eorum, tum pro ju„ribus provinciæ, vel primatiæ ſuæ exercendis ad „ partes provinciæ vel primatiæ ſuæ earumdem, „ * ipſum, vel eorum aliquem contigerit declina„re: & ipſum archiepiſcopum & quemlibet præ„dictorum in ſuis juſtis ſaiſinis ab omni injuria, „ nec non gravaminibus & violentiis manifeſtis, „ in locis ipſos defendas ex parte noſtra, quotiens „ opus ſibi fuerit, & de hoc fuerit requiſitus: nos „ enim tenore præſentium præcipimus ſeneſcalliis, „ & juſtitiariis locorum prædictorum, ut tibi ad „ executionem præmiſſorum, ſi eos inde requiſie„ris, auxilium ſubminiſtrent. Actum Pariſius, „ die Lunæ poſt feſtum beati Joannis Baptiſtæ, „ anno Domini MCCLXXXIV. „

Cujus virtute mandati idem Bertrandus cum „ inſtantias requiſivit, ut ſuper præmiſſis auxilium „ miniſtremus. Et nos mandato domini regis Fran„ciæ parere volentes, id complevimus indilate: & „ vos requirimus nihilominus conſulendo, ut Johan„ni de Drocis curiæ clerico, & Odoardo de Bordis „ domicello, vel eorum alteri unum ſervientem ve„ſtrum haberi faciatis, qui in ſeneſchallia veſtra „ præmiſſa compleat ſecundum prædictarum conti„nentiam litterarum, & hoc generoſe facere nul„latenus obmittatis. Datum Burdegalæ, & ſigna„tum noſtro ſigillo, anno Domini MCCLXXXIV. „ die vero Mercurii, in feſto ſancti Lucæ. „

* Forte, ad quæ ipſum.

Poſtea dominus exivit civitatem Burdegalenſem cum maxima comitiva burgenſium; & in via, antequam exivit de villa, ipſe viſitavit Bertrandum ſervientem regi, qui infirmabatur; & dimiſit cum eo medicum ſuum.

Poſtea intravit Girundam, & conduxit eum ultra aquam Major Burdegalenſis, & plures alii: & venit illa die apud ſanctum Geraldum, abbatiam Sylvæ majoris; & fuit ibi multum honorifice & ſolemniter, campanis pulſatis, & proceſſionaliter a priore & conventu ipſius, abbate abſente, receptus. Sunt ibi monachi nigri; & eſt locus multum inſignis. Et quia non comeduntur in corpore abbatiæ carnes, dominus cum ſuis ſociis comedit ſupra portam, & comedit ibi carnes. Et venerunt ad dominum quidam monachi, inhibentes abbati ſancti Sulpitii, ne carnes comederet ibi; quia ipſe faceret contra conſtitutionem ordinis ſui. Sed dominus reſpondit, quod prælatus & ſui ſocii non adſtringuntur regulis ſuis; cum ſit eorum ſuperior, & propter hoc ipſe voluit; quod dictus abbas comederet carnes; quod & ipſe fecit: & fuimus bene procurati.

Die Jovis poſt Miſſam voluit dominus intrare capitulum: ſed quia cantabatur Prima, dixerunt quidam monachi, quod dominus exſpectaret, quouſque Prima eſſet cantata; & tunc dominus intravit eccleſiam.

Et cum abbas ſæcularis eccleſiæ ſancti Aſterii Petragoricenſis, gerens vices reverendi patris archiepiſcopi Turonenſis, & epiſcopi Aurelianenſis, conſervatorum domini, ſequeretur dominum ad eccleſiam; venit ad eum quidam monachus, Radi nomine, & eſt operarius eccleſiæ: qui contra dominum, & contra dictum abbatem volebat appellare: ſed antequam dictus monachus aliquid diceret, dictus abbas excommunicavit ipſum, poſt trinam monitionem, quod ad requiſitionem decani & capituli Burdegalenſis nihil faceret, vel diceret contra dominum, nec contra ipſum.

ANNO CHRISTI 1284.

Interim intraverunt eccleſiam ad invicem litigantes; & monacho dicto coram domino adſtante, dominus monuit ipſum, quod nihil faceret, aut diceret contra ſe; & quia monachus volebat ipſum monere aliquid movere, ipſum monachum excommunicavit, & monachus hoc non obſtante dominum voluit monere: ſed non complevit, dicens, quod factum ignorabat, & quod neſciebat quid faciebat.

Et ſic dominus exivit eccleſiam, facta primo monitione coram majori altari, quod ad ſuam viſitationem in capitulo venirent: quod facere noluerunt. Et tunc dominus intravit capitulum, cauſa viſitationis: ſed monachi noluerunt venire; quos dominus monuit, ut debuit. Et quia venire noluerunt, dominus excommunicavit priorem, ſubpriorem, & alios officiales ipſius monaſterii, & eccleſiam eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit. Præterea dictus abbas ſancti Aſterii monuit prædictos monachos: & quia ad monitionem ſuam obedire domino noluerunt, ipſos excommunicavit.

Quo facto, dominus receſſit, & venit uſque ad portum, ubi tranſiit Dordanam; & antequam recederet de portu, venit ad eum Raymundus de Turiis domicellus: & intimavit ſibi, quod apud ſanctum Melianum venerat Boſo archidiaconus de Blavia, qui fecerat ſibi claudi portas eccleſiæ: & tunc dominus miſit ad abbatiam Ernaudum, & Joannem dictum de Santyo, ſervientem domini Joannis de Agendo, tenente locum ſeneſcalliæ in Burdegalis & Baſatæ diœceſibus: & quia loqui non poterant cum abbate, cum ſit in Romana curia, locuti fuerunt cum fratre abbatis, & cum magiſtro Raymundo procuratore abbatis; qui Raymundus venit obviam domino, & rogavit ipſum, & exhibitis litteris ſupplicavit, quod ipſe non iraſceretur ſuper id quod fiebat; quia parati erant honorifice, devote, & cum ſumma devotione ad recipiendum dominum, quando dictus archidiaconus de Blavia venit ad abbatiam, qui eos moneret ex parte decani & capituli Burdegalenſis, quod ipſum non reciperent; alioqui ipſos auctoritate decani & capituli excommunicabat. Et quia non erant auſi incurrere malevolentiam ipſorum decani & capituli; propter hoc rogavit dominum, quod contra abbatem nihil faceret, nec eccleſiam interdiceret, quia ſuper impedimentum hujuſmodi triſtabantur. Et dixit domino: Ad eccleſiam venite: & quamvis ipſam clauſam inveniatis & hoſpitia monaſterii, verumtamen leviter intrabitis, & omnia vobis neceſſaria habebitis.

Et ſic dominus venit ad eccleſiam, & invenit eam clauſam; ſed ante portam extra eccleſiam invenit unum canonicum ejuſdem monaſterii, qui contra dominum ad ſedem Apoſtolicam appellavit. Nomen canonici eſt Menfredus de Salogna, & quemdam alium clericum, qui dominum denunciavit a concilio facto Biturigæ excommunicatum: & ejus conſenſu & requiſitione oſtia domorum archiepiſcopalium fracta fuerant: & appellationem factam per decanum & capitulum Burdegalenſe contra dictum dominum innovavit; & utrique iſtorum appellantium apoſtolos petiit, quos conceſſit dominus; & ad diem Veneris ſequentem citavit decanum & capitulum Burdegalenſe apud *la Baſtide* ſanctæ fidei, oſtenſurum gravamina quæ dicebant ſibi illata per dominum; & obtulit dominus reſarcire expenſas, ſi quæ factæ eſſent occaſione dictorum gravaminum: & petiit ſuper oblatione hujuſmodi publicum fieri inſtrumentum.

Poſtea monuit priorem & adminiſtratores ipſius monaſterii, quod ipſum reciperent ad procurationem & viſitationem: & quia hoc facere denegarent, ipſos excommunicavit; ſed ob reverentiam ipſius abbatis monaſterii prædicti, cum præſens non eſſet, ipſi parcit, nec eccleſiam interdixit. Et tunc dominus intravit hoſpitium ejuſdem monaſterii, quod invenit quaſi paratum: & antequam dominus comederet, Major villæ cum pluribus burgenſibus venit videre dominum; ei oſtendens dominus litteras domini Regis Franciæ, & litteras domini Joannis de Creſilly ſeneſcalli Vaſconiæ: qui reſpondit domino, quod paratus erat ſuam facere voluntatem. Illa die ſic remanſimus: & quia nimis tarde veneramus, non comedimus niſi ſemel.

Die autem Veneris, audita Miſſa in Aula, antequam dominus recederet, interim venit ad portam eccleſiæ, & monuit interim priorem, & alios adminiſtratores, quod ipſum reciperent ad viſitationem: quod facere noluerunt; propter quod ipſos excommunicavit.

Item ibidem, eadem hora & die excommunicavit dictum archidiaconum de Blavia, & dictum Menfredum, propter hoc quod ſuam viſitationem impediebant; & fecit legi ſuum privilegium, quod excommunicari non poterat, Gallice & Latine.

Die autem Jovis præcedenti, poſt monitionem domini, & ejus excommunicationem, abbas ſancti Aſterii uſus fuit officio ſuo.

Die vero Veneris poſt feſtum beati Lucæ, impletis prædictis, venit dominus apud Baſtidam ſanctæ fidei, Agennenſis diœceſis, & fuit ibi ad expenſas proprias: prior autem loci præſentavit ſibi unum conderellum vini, & baillivus ſimiliter unum.

Die ſabbati audivit dominus Miſſam ſuam in eccleſia, antequam recederet: & venit apud Marmande ejuſdem diœceſis: & fuit ibi ad expenſas ſuas.

Die vero Dominica poſt dictum feſtum, audita Miſſa ſummo mane, veniendo ad portum ſanctæ Mariæ, Agennenſis diœceſis; venerunt obviam domino uſque ad portum de Aguillon Bernardus de Parille, prior ſæcularis eccleſiæ ſancti Capraſii Agennenſis, Joannes de Fourgetes canonicus Bituricenſis & Agennenſis, Helias de Contures prior de portu ſanctæ Mariæ. Fuit ibi dominus receptus ſolemniter & proceſſionaliter, & campanis pulſatis, præſentibus omnibus ſupradictis, qui cum domino comederunt, & fuit ibi dominus bene procuratus.

Et quia dominus intellexerat, quod quidam canonicus Burdegalenſis venerat apud Agennenſes, ut receptionem ſuam erga capitulum impediret; poſt comeſtionem miſit dominus ad capitulum Agennenſe Joannem de Fourgetes prædictum, ut nunciaret capitulo canonicorum Burdegalenſium errorem.

Die vero Lunæ ante feſtum ſanctorum Simonis & Judæ apoſtolorum, domino veniente apud Agennenſes, cantor & plures canonici Agennenſes, ex parte capituli venerunt obviam domino, dicentes, quod dominum honorare modis omnibus intendebant: ſed quia dictus canonicus Burdegalenſis capitulum Agennenſe monuerat, ut dominum non reciperent, alioquin eos auctoritate ſui conſervatoris excommunicabat; requiſivit dominum ex parte capituli Agennenſis cantor eccleſiæ, quod ſi ſuper impeterentur, quod ipſi haberent propitium & coadjutorem: & ſic a domino receſſerunt, & venerunt ad eccleſiam, ut receptionem domini honorifice præpararent. Dominus autem ad eccleſiam veniens, multum ſolemniter & honorifice a dicto cantore & toto capitulo, campanis pulſatis,



ANNO CHRISTI 1284.

proceſſionaliter fuit receptus, & in domibus epiſcopi receptus, abſente epiſcopo, & procuratus.

Poſt comeſtionem vero, quia quidam decani Agennenſes dubitabant aliquantulum de proceſſu domini; informavit eos ſuper proceſſu ſuo & ſuper ſuo privilegio, quod non poterat excommunicari: qui proceſſu domini audito, pacificati remanſerunt.

Die autem Martis, antequam recederet de Agennis, celebravit in majori eccleſia ad majus altare de beata Maria: & fecit ſermonem ad populum, & tetigit negotium Arragoniæ, & dedit indulgentiam. Miſſa celebrata, receſſit, & veniente ipſo apud ſanctam Liberatam Agennenſem ſeu Agennenſis diœceſis, venit ei obviam prior loci: quo loco fuit receptus, campanis pulſatis, & proceſſionaliter, & procuratus; & aſſociaverunt eum ad dictum locum dictus prior ſancti Capraſii Agennenſis, & Joannes de Fourgetes prædictus. Sed antequam recederet de Agennis, viſitavit dominus eccleſiam ſancti Capraſii: & fuit ibi, campanis pulſantibus, proceſſionaliter receptus a priore & capitulo dicti loci. Et quia capitulum Agennenſe petierat a domino quamdam litteram, ſuper requiſitione quam ei fecerat cantor Agennenſis ex parte capituli, & eam non habuerat; & facta fuit apud ſanctam Liberatam, & ſigillata ſigillo domini, & tradita magiſtro Joanni de Fourgetes prædicto.

*Forma litteræ fuit in hæc verba:*

» Nos Simon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas; notum facimus univerſis præſentes litteras inſpecturis, quod nobis jure Bituricenſis eccleſiæ & noſtro, Burdegalenſem provinciam & diœceſim Agennenſem viſitantes, & civitatem Agennenſem cauſa viſitationis ingreſſi; venerabiles viri capitulum Agennenſis eccleſiæ nos honorifice, proceſſionaliter, & prout decuit, receperunt, & in palatio epiſcopi Agennenſis more ſolito fuimus procurati. Verum quia decanus & capitulum Burdegalenſe, & eorum officiales, ſede vacante; & ſacriſta Bayonenſis, dicens ſe conſervatorem a ſede Apoſtolica deputatum, decano & capitulo ſupradictis contra capitulum Agennenſe, ob præmiſſa, ſe velle de facto procedere comminatur: Nos quia prædictum capitulum Agennenſe nobis & jure Bituricenſis eccleſiæ in hac parte adſiſtunt fideliter & adhærent, & in poſterum ſe adhærere & adſiſtere profitentur; concedimus quod nos, ſi occaſione præmiſſorum, conjunctim vel diviſim in poſterum moleſtentur, tam per nos, quam conſervatores noſtros adſiſtamus, eiſdem favorem, conſilium & auxilium impendendo: jure Bituricenſis & Agennenſis eccleſiarum in omnibus ſemper ſalvo. Datum &c. »

Die vero Veneris, in vigilia ſanctorum Simonis & Judæ, audita Miſſa apud ſanctum Aſterium, venit dominus Petragoricas, & intravit civitatem: & receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis ſolemniter, a capitulo, abſente epiſcopo: & fuit dominus in domibus epiſcopi receptus & procuratus.

Die ſabbati, in feſto Apoſtolorum Simonis & Judæ, celebravit cum pallio in cathedrali eccleſia ad majus altare: & fecit fieri ſermonem, & dedit indulgentiam. Et poſt Miſſam venit dominus apud ſanctum Frontonem in caſtro Petragoricenſi: & ſunt ibi canonici ſæculares, & abbas ſæcularis: & fuit ibi, campanis pulſatis, proceſſionaliter & receptus & procuratus.

Die dominica celebravit dominus ſummo mane in eccleſia ſancti Frontonis, & fuit uſus pallio, & fecit ſermonem ad populum, & indulgentiam dedit. Et poſt Miſſam fuit in capitulo, & denunciavit excommunicationes factas ab ipſo contra decanum & capitulum Burdegalenſe; & fecit fieri copiam omnium privilegiorum ſuorum & proceſſuum factorum contra decanum & capitulum & officialem Burdegalenſem. Tunc receſſit dominus, uſque ad tempus quo cantaretur Tertia.

Poſtea exivit dominus apud Majolum prioratum monachorum nigrorum, & eſt de ſancto Martiali Lemovicenſi: & quia dominus jam receperat omnes procurationes quas habebat in diœceſi Petragoricenſi, fuit in dicto prioratu ad expenſas ſuas; & veniendo apud ſanctum Majolum, vidit dominus in quadam abbatia, quæ *Chenſalade* nuncupatur, dominum epiſcopum Petragoricenſem: & ſunt in prædicta abbatia canonici regulares.

Die Lunæ ante feſtum omnium Sanctorum, miſit dominus citationes ad citandos decanum & capitulum ſancti Andreæ, abbatem & conventum ſanctæ crucis Burdegalenſis, & abbatem de Sylva majori, ad diem Veneris poſt feſtum omnium ſanctorum. Veniendo apud Angolimenſem civitatem, occurrit ei dominus Amarritus de Monteforti: & veniens ad civitatem & eccleſiam cathedralem, fuit ibi receptus proceſſionaliter & ſolemniter, pulſatis campanis, a cantore & capitulo, abſente epiſcopo & decano; & fuit receptus in domibus epiſcopi & procuratus.

Die Martis, in vigilia omnium Sanctorum, audivit Miſſam dominus in eccleſia cathedrali; & poſt Miſſam exeundo de civitate, conduxerunt eum dominus Amarritus & cantor eccleſiæ, & venit apud ſanctum Amandum, abbatiam monachorum nigrorum: & fuit ibi receptus honorifice, campanis pulſatis, proceſſionaliter ab abbate & conventu, & procuratus.

Die Mercurii, in feſto omnium Sanctorum, antequam dominus recederet de ſancto Amando, celebravit in pontificalibus majorem Miſſam: & non fecit ſermonem, ea ſolummodo cauſa, quod non intelligebatur a populo.

Et miſſa celebrata, veniendo apud beatam Mariam de Hallainvilla, Angoliſmenſis diœceſis, conduxit eum dominus abbas de ſancto Amando: & cum veniſſet ad prioratum de Hallainvilla, fuit receptus dominus a ſubpriore loci, abſente epiſcopo, campanis pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus. Et ſunt ibi canonici regulares; & non habent ibi ſuperiorem, niſi epiſcopum.

Die Jovis, antequam recederet dominus, celebravit Miſſam pro mortuis: qua celebrata, venit dominus apud Fontenay, Xantonienſis diœceſis, prioratum de ſancto Joanne Angeliacenſi: ubi fuit dominus receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter & procuratus.

Die Veneris ſequenti, apud Tanniacum prioratum de ſancto Gildaſio, Bituricenſis diœceſis, & venit ei obviam prior loci; & fuit dominus ibi receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus.

Et quia dominus Agennenſis fuerat ad dictum prioratum citatus, venit pro eo magiſter Joannes [a] de Fougeres, canonicus Bituricenſis & Agennenſis, & apportavit litteras excuſatorias prædicto epiſcopo: & quia dominus Joannes promiſerat domino, quod ipſe epiſcopus revocaret quidquid fecerat contra dominum, dominus recepit ſuam excuſationem. Et quia prior ſancti Capraſii, & capitulum Agennenſe ſuper hoc rogaverunt dominum.

Die ſabbati, audita Miſſa, venit dominus apud Rupellam, prioratum de Clugniaco; & venit ei obviam Major, & plures burgenſes de villa,

[a] Supra, de Fourgetes

ANNO CHRISTI 1284.

la, & fuit receptus in dicto prioratu, campanis pulſatis, ſed non proceſſionaliter, quia non erant parati; & fuit ibi procuratus.

Die vero Dominica, quia de præcedenti non fuerat receptus proceſſionaliter, receperunt ipſum, campanis pulſatis, & proceſſionaliter, & celebravit dominus in pontificalibus, & uſus fuit pallio: & poſt Miſſam fecit ſermonem in cimeterio, & fecit mentionem de cruce in ſermone, & plures cruce ſignavit, & dedit indulgentiam; & fecit ſibi Major præſentari pluros cuniculos, aves plures, & unum beamnem oneratum de daceis.

Et his factis, venit dominus apud Boetum prioratum de monaſterio novo Pictavienſi; & fuit ibi dominus receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter: & prior, & plures burgenſes venerant domino obviam, ſed eum non invenerunt, quia per aliam venit viam. Et ibi ſumus bene procurati, quia prior eſt homo multum valens.

Die Lunæ, audita Miſſa, venit dominus apud Asfort, & conduxit eum prior de Boeto diu. Prioratus vero de Asfort eſt de Burgodolenſi, Bituricenſis diœceſis: & fuimus bene recepti, campanis pulſatis, ſed non proceſſionaliter, quia prior & monachi erant in Bituria: ſed non fuimus bene procurati.

Die Mercurii, audita Miſſa, venit dominus apud Niort, & conduxit eum prior de ſancto Joanne prædicto, & caſtellanus de ſancto Meſſantio. Et eſt prioratus abbatis de Charros Pictavienſis diœceſis; & ſunt monachi nigri: & fuit receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus. Et ibi venit ad dominum magiſter Guillelmus, clericus domini epiſcopi Pictavienſis, ad conducendum dominum per diœceſim Pictavienſem.

Die Jovis, audita Miſſa, venit dominus apud ſanctum Geloys, prioratum de Clugniaco: & fuit ibi dominus receptus, campanis pulſatis, ſed non proceſſionaliter, quia prior non erat in partibus illis: & ſuus ſocius, qui domum cuſtodiebat, iverat apud Niortum pro neceſſariis domino & familiæ quærendis, & fuit ibi procuratus.

Die Veneris, audita Miſſa ſummo mane, venit dominus apud ſanctum Meſſantium; & eſt abbatia monachorum nigrorum, & fuit ibi dominus receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, præſente abbate, & procuratus.

Et fuerunt ibi citati decanus & capitulum Burdegalenſe, qui comparuerunt per procuratorem; cui dominus obtulit, quod paratus erat revocare omnia gravamina, ſi quæ intulerat, dummodo doceret de eiſdem. Qui reſpondit, quod ad hoc non venerat: & ſuper hujuſmodi proceſſu dominus petiit inſtrumentum publicum ſibi fieri a quodam tabellione, quem dicti Burdegalenſes ſecum ducebant; ſed receſſit inſtrumento non facto.

Et ad dictum locum venerunt duo clerici, quorum unus canonicus Xantonienſis magiſter Joannes de Sours, Carnotenſis diœceſis ſcilicet, & quidam alius, ad excuſandum dominum Xantonienſem epiſcopum, ſuper hoc quod ipſe ſugillaverat proceſſus Burdegalenſes, quibus dominus obtulit informationem ſibi fieri per inſtrumenta publica de proceſſibus ſuis: qui uſque in craſtinam deliberationem petierint.

[illegible] facto; venerunt ad dominum, & [a] cilcit. ſigillum domini Xantonienſis ſigillatum dederunt, quod [illegible] revocabat. Quibus factis, celebravit [illegible] Miſſam conventualem in pontificalibus, & [illegible] pallio, & fecit ſermonem ad populum, & dedit indulgentias. Quo facto,

[a] Forte, civiliter

Die ſabbati in feſto beati Martini, venit dominus apud Agones, prioratum canonicorum regularium, abſente priore. Et eſt dictus prioratus de abbatia de *l'Eſtierpe*; ubi fuit receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus.

Die Dominica, audita Miſſa, venit dominus apud Verinos, prioratum de ſancto Meſſantio; ubi fuit dominus receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus. Quo loco fuerant nuncii Burdegalenſes, & inhibuerant priori loci, ne reciperent dominum. Sed abbas ſancti Meſſantii appellaverat contra ipſos pro ſe, & ſibi adhærentibus.

Et ibi fecit fieri dominus monitiones quaſdam ad monendum dictos nuncios, ut deſiſterent a talibus inhibitionibus, alias excommunicarentur; & fuerunt miſſi ad dictam monitionem faciendam Girardus clericus coquinæ, & Joannes Bellechiere: ſed adhuc non invenerunt ipſos, quia non venerunt ad prioratum de Panprou, ubi credebatur quod debebant ire.

Die Lunæ, audita Miſſa, venit dominus apud Pampron prioratum de ſancto Meſſantio; & venit ei obviam abbas de ſancto Meſſantio, & prior loci prædicti, ubi fuit receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus.

Die Martis, audita Miſſa ſummo mane, venit dominus apud Vinoniam, prioratum abbatiæ ſancti Cypriani Pictavienſis; & veniendo ad dictum locum conduxit eum abbas ſancti Meſſantii, & prior do Pampron, & ibi fuit receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter a priore loci & ſociis ſuis, & procuratus.

Die Jovis, audita Miſſa ſummo mane, venit dominus ad abbatiam, quæ vocatur abbatia ſancti Benedicti de Quiriciaco vel Quinciaco, in qua ſunt monachi nigri; ubi fuit receptus ab abbate & conventu, campanis pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus.

Et ibi venerunt ad dominum majores de capitulo Pictavienſi, & informavit eos de omnibus proceſſibus ſuis, & habuerunt transſcriptum, ut habeant conſilium ſuper dictis proceſſibus; & dedit ibi dominus indulgentias pro eccleſia Pictavienſi. Quidam ex eis comederunt cum domino: quidam receſſerunt.

Die Mercurii ſequenti, audita Miſſa ſummo mane, venit dominus apud Lugudiacum, prioratum de abbatia de Mazelliaco, Gallice, *Maillese*: & fuit ibi dominus receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, a priore loci & ſocii ejus.

Et ibi venit ad dominum ſubdecanus ſancti Hylarii Pictavienſis; & ſolebat dictus prioratus eſſe abbatia, ubi fuit abbas beatus Marcus vel Martialis: & ſunt ibi illi duo quos reſuſcitavit a mortuis.

Die Veneris, audita Miſſa, venit dominus apud Nobiliacum; & eſt abbatia monachorum nigrorum: & venit ei obviam abbas loci, ubi fuit receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, ab abbate & conventu multum honorifice & ſolemniter, & fuit procuratus ibi; & venit ad eum Pictavienſis cantor, præpoſitus, & officialis, & ſubdiaconus ſancti Hylarii Pictavienſis.

Die ſabbati in octavis beati Martini, antequam dominus recederet de dicta abbatia, recepit licentiam ab eo capicerius Pictavienſis, & audita Miſſa, receſſit. Similiter magiſter G. de Chipra, clericus domini epiſcopi Pictavienſis, qui nos conduxit per diœceſim Pictavienſem; & conduxit dominus abbas & prior dictæ abbatiæ; & venit dominus apud Boeretè, prioratum monachorum nigrorum, & eſt de abbatia de Nobiliaco: ubi fuit receptus dominus, campanis de more pulſatis, proceſſionaliter, & procuratus.



ANNO CHRISTI 1284.

Die Dominica poſt octavas ſancti Martini hiemalis, viſitavit dominus prioratum de Luceyo, & de ſancto Martiali montis Maril. Lemovicenſis; & receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis.

Et quia prior ſancti Martialis, ad quem ultimo declinavit, non habebat domos ſufficientes ad recipiendum dominum; venit ad domum Dei montis Maril. & receptus ibidem proceſſionaliter, procuratus fuit in dicta domo ad expenſas dictorum priorum. In dicta domo non erat rector, niſi duo procuratores; & litigabant quidam in curia Romana, ut eſſent rectores prædictæ domus.

Die Mercurii ante feſtum ſancti Lucæ evangeliſtæ, procuratus fuit dominus in prioratu ſancti Romani de Blavia, Burdegalenſis diœceſis. Qua die decani ſancti Andreæ, & ſancti Severini, & multi alii canonici Burdegalenſes venerunt ad dominum, conquerentes inter cetera de forma litterarum quas miſerat per procurationem ſuis petendis in locis ad quæ declinaverat: unde tunc inter dominum, & prædictos decanos fuit forma litterarum, quæ ſequitur in hæc verba:

*Forma litterarum domini Bituricenſis ſuper, &c.*

„ SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas; dilectis in Chriſto talibus, prioribus, vel abbatibus talis diœceſis: ſalutem in Domino. Burdegalenſem provinciam viſitantes, omni eo jure quo poſſumus, & debemus, juxta proviſionem ſeu ordinationem ſedis Apoſtolicæ ſuper hoc editam a bonæ memoriæ domino Gregorio Papa IX. & prout prædeceſſores noſtri a vobis conſueverunt admitti; tali die ad locum veſtrum proponimus favente Domino, declinare: unde vobis mandamus, nihilominus vos monentes, quatenus dicta die procurationem noſtram & nobis, & noſtræ familiæ præparetis. Datum, &c.

Anno Domini MCCLXXXIII. die Veneris poſt *Oculi mei*, ſive poſt feſtum beati Gregorii, menſe Martii, reverendo patre domino Simone Bituricenſi archiepiſcopo, Aquitaniæ primate, diœceſim Claromontenſem cauſa viſitationis intrare volente, Dochabreyz ven Exoldunum, in abbatia loci Exoldunenſis, ubi ſuam procurationem recepit, ſed ibi receptus non fuit proceſſionaliter, nec campanis pulſatis, quia jam viſitaverat alias ibidem; ſed ſumma expenſarum fuit ſeptem librarum.

Sabbato ſequenti viſitavit eccleſiam beati Cyrici Exoldunenſis; & fuit per ipſum dominum archiepiſcopum, & canonicos præſentes de Miſſa defunctorum celebranda ibidem per unum canonicorum, vel per alium, quem procuraret; de reſidentia canonicorum facienda, & de pœna deficientium in ipſa, quæ eſt quinquaginta ſolidorum; & quod poſſint dicti canonici ſtudere in illa, in qua magis poterunt proficere facultate; niſi de dolo, fraudeque liquido appareret: de quibus ſi appareat, corrigetur per prælatum. De his omnibus confecta fuit littera: dicti vero canonici procurationem domini ſolverunt in abbatia prædicta, propter honeſtatem domorum.

Dominica qua cantatur *Lætare Jeruſalem*, ſive ante feſtum beati Benedicti abbatis, viſitavit dominus in eccleſia ſancti Dionyſii Exoldunenſis. Canonici ſancti Dionyſii medietatem procurationis ſolverunt, & prior ſancti Paterni Exoldunenſis aliam medietatem; domino remanente in abbatia prædicta, propter honeſtatem domorum.

Dicta die celebravit dominus apud ſanctum Paternum in pontificalibus, & ſermocinatus fuit ibidem, & confirmavit. Et eſt ſciendum, quod uterque, ſcilicet capitulum ſancti Dionyſii, & prior ſancti Paterni, ad integram procurationem tenentur.

Die Lunæ ſequenti fecit dominus reconciliari cimeterium ſancti Dionyſii Exoldunenſis per archipresbyterum Exoldunenſem, virtute ſui privilegii, aqua prius per ipſum dominum benedicta.

Inde venit ad Caſale Benedictum, ubi fuit receptus proceſſionaliter, campanis pulſatis.

Die Martis ſequenti intravit dominus capitulum Caſalis Benedicti, & ibi fecit ſermonem: & inquiſito de ſtatu monaſterii, tam in capite, quam in membris; poſt multa per multos de monaſterio domino relata & revelata, tam palam, quam ſecreto, dictum capitulum & prior loci ejuſdem per ſuas litteras ſigillo conventus ſigillatas, domino dederunt poteſtatem plenariam & ſpecialem providendi ipſi monaſterio per ſe vel per alium, de abbate, de monaſterio, vel aliunde quandocumque ipſum monaſterium per reſignationem fratris Joannis, tunc abbatis monaſterii ejuſdem, contigerit vacare.

Ipſa die Martis, ſcilicet in feſto ſancti Benedicti abbatis, venit dominus ad prioratum de Vodolione, ſpectantem ad Burdegalenſem; & ibi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, & ibi procuratus fuit, & confirmavit dominus ibidem. Non fuit computatum.

Die Mercurii ſequenti venit dominus ad prioratum de Linerys, ubi receptus fuit proceſſionaliter, & procuratus. Summa expenſarum ſexdecim libræ, tres ſolidi, una cum duobus denariis.

Die Jovis ſequenti apud Alis campum venit dominus, ubi fuit procuratus, & ibi benedixit aquam pro eccleſia de Caſtel. Maillant reconcilianda; & mandavit reconciliari per archipresbyterum loci.

Die Veneris ſequenti venit dominus apud Nigrum Lacum, ubi fuit una cum abbate loci.

Die ſabbati ſequenti, in feſto Annunciationis Dominicæ, venit dominus apud ſanctum Amandum, ubi dominus ſacros ordines celebravit, viſitavit & fuit procuratus, & in craſtino confirmavit ibidem.

Dominica ſequenti, ſcilicet Dominica in Paſſione, ſive die Dominica poſt Annunciationem Dominicam, venit dominus ad abbatiam de Charenton, ubi fuit procuratus.

Die Lunæ ſequenti, intravit dominus capitulum, & ſuper ſtatu monaſterii inquiſitione facta diligenti, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, poſt multos tractatus carentes effectu, tandem finaliter priori de Linteio, commiſſa fuit adminiſtratio bonorum temporalium ipſius monaſterii, abbate Nigri lacus ipſi priori deputato habente a domino, quoad hoc poteſtatem, præſente; ut ipſius abbatis conſilio dictus prior tractaret, & faceret quæ majoris eſſent inquiſitionis.

Qui prior tactis ſacroſanctis evangeliis juravit, ſe fideliter facturum & tractaturum diligenter, quod ipſi monaſterio de Charenton viderit & crediderit expedire, tam in ſolutione debitorum, receptio-

ceptione, conſervatione & expeditione bonorum, quam familiæ permutatione.

Præcepit etiam dominus, ut totus ſtatus monaſterii in ſcriptis redigeretur, & quadruplicaretur, ita quod dominus unum ſcriptum haberet, abbatiſſa ſecundum, dictus prior tertium, & quartum abbas prædictus, ut de diligentia fidelitate & curioſitate dicti prioris liquidius appareret.

Item benedixit Dominus aquam pro quodam cimeterio reconciliando, ſcilicet de ſancto Stephano de Graverio, quod mandavit reconciliari per archipresbyterum loci.

Anno Domini MCCLXXXIII. die Martis, ante Ramos palmarum, intravit dominus Simon Bituricenſis archiepiſcopus Aquitaniæ primas, diœceſin Claromontenſem, cauſa viſitationis: & primo declinavit apud Silinigniacum, & viſitavit eccleſiam parochialem dicti loci, ubi fuit receptus proceſſionaliter, pulſatis campanis; & procuratus in domo capellani dicti loci ad expenſas dicti capellani.

Die Mercurii ſequenti, in mane audivit Miſſam dominus in eadem eccleſia, confirmavit, tonſuras fecit, ac aquam benedixit pro quodam cimeterio reconciliando in diœceſi Bituricenſi: & exinde venit apud Peſſoy prioratum de ſancto Porciano, ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra: & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ.

Die Jovis, ſcilicet penultima die menſis Martii, venit dominus apud monaſterium Gelleigney, prioratum conventualem de Caſa Dei, ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, cum cantu, & procuratus: priore loci & ſex de monachis ſuis prandentibus cum domino. Fecit ibi prædicari indulgentiam, & confirmavit.

Eodem die finivit prior de Firmitate ſuper Aligerim, de novem libris, pro procuratione.

Item eodem die finivit prior de Lengero Cluniacenſis ordinis, de decem libris pro procuratione.

Item idem prior pro prioratu de Dreturay, pro procuratione finivit ſimiliter de decem aliis libris.

Die Veneris ſequenti, venit dominus apud Fleury prioratum de abbatia Turnotienſi. Receptus modo quo ſupra; ſolutis expenſis domini per priorem loci pro medietate, & per capellanum loci ejuſdem pro alia medietate. Ibi confirmavit, tonſuravit parvos, & quædam ornamenta, altaria, & alia ſacerdotalia benedixit.

Sabbato in ramis palmarum, ſcilicet in prima die menſis Aprilis, venit dominus apud Verennes ſuper Aligerim prioratum de ſancto Porciano, receptus proceſſionaliter campanis pulſatis: & ibi Miſſas ſuas audivit, confirmavit, fecit coronas; ornamenta ſacerdotalia benedixit. Medietatem expenſarum ſolvit prior loci ejuſdem, & de ſuo curati villæ ipſius aliam medietatem ſolverunt.

Die Dominica in ramis palmarum, ſcilicet ſecunda die menſis Aprilis, venit dominus ad abbatiam ſancti Geleberti Præmonſtratenſis ordinis, proceſſionaliter receptus campanis pulſatis, cum cantu: & ibi ramos palmarum benedixit, Miſſam in pontificalibus celebravit, prædicavit, dedit indulgentiam, confirmavit, coronas fecit, quædam ornamenta benedixit, & fuit ibi quoque procuratus.

Die Lunæ ſequenti, venit dominus apud Arthonam viſitaturus eccleſiam canonicorum. Canonici dominum non receperunt proceſſionaliter, nec pulſaverunt, nec cantaverunt.

Eodem die iidem canonici ſuum recognoſcentes errorem, defectum & negligentiam, quod dictum dominum Bituricenſem archiepiſcopum proceſſionaliter, cum debita reverentia & honore non receperint; pœnitentia ducti miſerunt ad dominum, & venerunt humiliter ſupplicantes, ne pro dicta negligentia contra ipſos moveretur, nec offenderetur, & ad excuſandas excuſationes in prædictis, ſimplicitates & fatuitatem in præmiſſa negligentia aſſertive prætendebant; & quod malitioſe non feciſſent, & adventum domini non ſufficienter præſciverint.

Verumtamen cantor nomine ſuo & capituli, & quilibet canonicus qui præſentes erant, dictam negligentiam in manu domini ſingulariter emendarunt; taxatione emendæ & levatione, per fidem cujuslibet ipſorum in voluntate domini relictis; & expreſſe recognoſcentes adhibitionem reverentiæ, & honoris, & proceſſionis ipſi domino, & ſuis ſucceſſoribus ſe teneri. Et ad ſupplendum quod omiſerant, in craſtino dictæ diei Lunæ dictum dominum cappis ſericis induti proceſſionaliter receperunt; campanis pulſatis, cum cantu occurrentes ipſi domino uſque ad exitum cimeterii, ſuper ipſum pallio uſque ad altare per ipſos deportato.

Dominus ibi ſuas Miſſas audivit, fecit prædicari, dedit indulgentiam, confirmavit, ornamenta benedixit, & fecit coronas; & eccleſiam, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus viſitavit: inveniens quod dicta eccleſia, præcipue in adminiſtratione temporalium, reformatione & conſilio indigebat.

Auditiſque his quæ ſibi canonici dicere voluerunt, in quibus reformatio neceſſaria videbatur: reſpondit dominus, quod ſuper his domino Claromontenſi epiſcopo libentiſſime loqueretur, & ſuper ad exhibendo remedio cum ipſo tractaret. Expenſas vero dicti domini dicti canonici perſolverunt. Summa expenſarum fuit novem librarum.

Die Martis venit dominus apud *Telleide*, Latine, Theeletas, prioratum Caſæ Dei; receptus proceſſionaliter cum cappis ſericis, campanis pulſatis, cantando, &c. Et licet prior loci ejuſdem aliquibus de familia ipſius domini groſſo modo loqueretur, & ſuperbe dicendo, quod dominum recipere non tenebantur, niſi cum equis triginta; & expendere non poterat ultra quatuor libras, nec debebat; & quod plus non ſolveret, tum totas ſolvit expenſas, quas dominus & ſui fecerunt. In loco ibidem dominus audivit Miſſas ſuas, confirmavit, ornamenta benedixit: & fuit ſumma expenſarum, videlicet uſque ad decem libras & quinque ſolidos.

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud abbatiam de Chauvient, ordinis Auguſtinorum, ſeu canonicorum regularium, prope & in ſuburbio civitatis Claromontenſis, receptus modo quo ſupra, & procuratus.

Die Jovis ſequenti, ſcilicet in Cœna Domini Jeſu, venit dominus viſitationis cauſa ad majorem eccleſiam Claromontenſem; receptus, proceſſione ſibi occurrente uſque ad gradus ante valvas majores ipſius eccleſiæ, pallio ſuper ipſum dominum in quatuor haſtilibus, uſque ad altare majus, campanis pulſatis, cum cantu honorifice deportato, omnibus de choro ſericis cappis indutis.

Hoc facto, dominus intravit cum canonicis capitulum: & poſt ſeptem pſalmos, & Litaniam dictos in capitulo, abſolutione per ipſum dominum facta, ſuper canonicos & aſſiſtentes, dominus prædicavit Latine.

Poſt ſermonem, canonicis tantum in capitulo cum domino remanentibus; viſitavit dominus, & cum canonicis de multis habuit ſermonem, & tractatum





ctatum potiſſime de abbate Caſæ Dei: qui etſi privilegiatus cum monachis ſuis, quod ſuſpendi, interdici, ſeu excommunicari non poſſit, exiſtat tum in locis interdictis non privilegiatis, divina celebrare & eccleſiaſtica ſacramenta per ſuos monachos facere miniſtrari, & permittere non veretur: quod eccleſiaſticæ rationi contrarium, & articulis fidei diſſonum cunctis manifeſte & certo patet.

Hoc facto, fecit fieri ſermonem populo Gallice, & ibidem dominus celebravit, & conſecrationes chriſmatis fecit: & deliberato conſilio per quatuor dies conſequentes apud Prædicatores, poſtea ordinavit in domibus epiſcopi; ut videretur omnibus minus oneroſus: ſed expenſas interim totius illius diei Jovis, quas fecit dominus, ſolvit.

Die Veneris ſequenti in Paraſceve, dominus, audito divino officio, prout dies requirit, ivit viſitatum ad abbatiam S. Andreæ, Præmonſtratenſis ordinis; receptus abſque proceſſione, quia dominus de ſua humanitate noluit, quod illa die proceſſionaliter reciperetur, nec cum cantu: pulſatum non fuit, quia illa die non pulſatur. Viſitavit ibidem, & dominus de ſuo ſolvit: ne nimis in expenſis dicta abbatia gravaretur; condeſcenditque ex illo loco, compatiens paupertati.

In ſabbato Paſchæ ſancto, dominus in mane viſitavit Chamelariam, & ſanctum Geneſium; in quibus eccleſiis ſunt canonici ſæculares: quibus viſitatis, venit dominus ad eccleſiam majorem, & in pontificalibus celebravit, & fontes benedixit.

Ibidem, quoniam a cantore majoris eccleſiæ ſibi prius fuerat ſupplicatum, ut dicta die ſabbati & die Paſchæ ipſis divinum officium celebraret; & fuit receptus ibi, viſitavit proceſſionaliter, cantando, pallio ſuper ipſum honorifice deportato.

Die Paſchæ ſequenti celebravit dominus in pontificalibus in eccleſia majori, & interfuit Matutinis; & in domo epiſcopi nocte præcedenti cum parte ſuæ familiæ jacuit, ut Matutinis intereſſet: ſed in domo epiſcopi, juxta eccleſiam, præpoſitum eccleſiæ, hebdomadarios, & multos canonicos alios, & non cantorem, communicavit.

Et ipſa eadem die eccleſiam beatæ Mariæ de Portu poſt Miſſam viſitavit; ubi receptus fuit cantando, a canonicis, & proceſſionaliter, pallio in quatuor haſtantibus ſuper ipſum honorifice deportato.

Die Lunæ ſequenti, ſcilicet in craſtino Paſchæ, dominus, audita Miſſa ſua, ad eccleſiam majorem acceſſit; & in capitulo canonicorum, ſalutatis quibuslibet canonicis, fecit coronas plures, & receſſit.

Eadem die Lunæ venit dominus apud Satellach, prioratum abbatiæ Caſæ Dei. Prior loci ejuſdem, cum duobus ſociis, & duobus armigeris, domino Bituricenſi venit obviam fere per dimidiam leucam, & dominum honorifice ſalutaverunt & reverenter: tamen dominum non receperunt, nec proceſſionaliter, nec alias; ſed dominus invenit oſtia aperta, & intravit. Prior & ſui ſocii cum domino comederunt.

Dominus ibidem, audita Miſſa ſua, confirmavit, ornamenta benedixit, multas etiam ad ſupplicationem prioris fecit coronas. Prior domino de neceſſariis noluit providere: tamen idem prior totas ſolvit expenſas; dicens, quod abbas ſuus eidem inhibuerat, ne dominum reciperet, nec eidem in aliquo provideret.

Domino volente in craſtino recedere, dominus prior in præſentia domini fuit proteſtatus, quod cum familia domini prioratum violenter intraviſſet, quia oſtium fregerat, ut dicebat, nolebat ſibi præjudicari in poſterum; nec per hæc quæ facta fuerant, intelligebat domino, nec ſuis ſucceſſoribus in aliquo ſe teneri: domino incontinenti in contrarium proteſtante, & dicente, quod poſſeſſionem ſuam retinuerat, & quamdiu viveret, jus viſitandi, & procurationem recipiendi reclamaret ibidem.

Domino recedente, Prior ipſum aſſociavit ſatis longe. Habuit tamen dominus, cum dictum prioratum intravit, unum ſervientem baillivi, ad tollendam armorum violentiam, ſi prædicto domino aliqua violentia vel injuria pararetur.

Summa expenſarum fuit novem libræ: quas omnes ſolvit Prior dicti loci.

Die Martis ſequenti venit dominus apud *la Fovillonſe*, eccleſia parochiali primo viſitata, antequam domum Templariorum intraret; quia ratione parochiæ ipſius quam tenent Templarii, debetur procuratio, ut domino dicebatur.

In ipſa domo Templariorum dominus, audita Miſſa, confirmavit, benedixit ornamenta, fecit coronas, & receptus proceſſionaliter in dicta eccleſia ab ipſis Templariis fuit procuratus. Summa expenſarum octo libræ Turonenſes cum ſeptem ſolidis.

Die Mercurii ſequenti venit dominus apud Bullon, prioratum Caſæ Dei; receptus ibidem fuit cum reverentia proceſſionaliter, & procuratus: noluerunt que computare gentes prioris.

Die Jovis ſequenti acceſſit dominus apud Luſcillach, prioratum quoq; ejuſdem abbatiæ Caſæ Dei: ibiq; receptus proceſſionaliter cum reverentia fuit; & cum honore, quem tenet prior de Bullon.

In ipſo prioratu non invenit dominus aliquid faciendum: ſed eccleſia & domibus ejuſdem prioratus viſitatis, rediit apud Bullon. Deinde ibidem confirmavit, ornamenta benedixit, & coronas fecit; & die qua primo venit, fuit phlebotomatus: & ratione viſitationis iſtius exſtitit procuratus ſuper prioratu de Buſeillac. Non fuit computatum.

Die Veneris ſequenti, ſcilicet ante *Quaſimodo geniti infantes*, venit dominus apud Thuriacum, prioratum S. Illidii Claromontenſis, ordinis S. Benedicti, receptus proceſſionaliter, campanis pulſatis, cum cantu, & procuratus. Ibi non invenit dominus aliquid faciendum; dictum prioratum tenebat abbas S. Illidii prædictus.

Sabbato ſequenti viſitavit dominus prioratum de Vichiaco, ſpectantem ad monaſterium S. Illidii Claromontenſis, Gallice, *de ſaint Abrey*: quo viſitato, venit dominus apud Cuciacum, directe ad hoſpitium domini Claromontenſis, & ibi procurationem ſibi ratione viſitationis debitam a dicto prioratu de Vichiaco recipit: quia prior de Vichiaco paralyticus erat, nec domos habebat, ubi dominum honorifice poſſet hoſpitare.

Die Dominica ſequenti fuit dominus receptus proceſſionaliter, campanis pulſatis, ab abbatiſſa, & clericis de Cuſſey, clericis in cappis indutis ſericis. In capella beatæ Mariæ poſtea incontinenti intravit dominus capitulum monialium; & ibidem ſuo fungens officio, inquiſivit diligenter de ſtatu monaſterii, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus: ſed non fuit, quod correctione indigeret, ſibi in publico revelatum.

Dominus ſuam procurationem a dicta abbatiſſa recepit in ſupradictis domibus domini Claromontenſis; quoniam honeſtius fuit, dominum in dictis domibus pernoctare, quam in domibus monialium prædictarum. Et fuit abbatiſſa cum quatuor monialibus in prandio cum domino.

Dominus vero dicta die Miſſam in pontificalibus

ANNO CHRISTI 1284.

bus in dicta capella celebravit, monialibus divinum officium cantantibus, & offertorium quod venit ad manum domini recipientibus primæ cum recognitione, quod ſociorum domini erat offertorium, ſi placeret retinere; & ipſum offertorium clerici & ſocii dicti domini dictis monialibus diviſerunt. Dicta Miſſa, dominus confirmavit, ornamenta benedixit, in craſtino quoſdam confirmavit.

Die Lunæ ſequenti, ſcilicet in craſtino octavarum Dominicæ Reſurrectionis, venit dominus apud abbatiam Montis Petroſi, ordinis Ciſtercienſis, proceſſionaliter, cum cantu, campanis pulſatis, receptus: ubi dominus in craſtino, audita Miſſa ſua, confirmavit, ornamenta benedixit, quoſdam confirmavit; unum potiſſime ſibi a priore & monachis dicti loci præſentatum, dicentibus illum ſuum eſſe condonatum & monachum facturum, abbate dicti loci tunc in remotis agente.

Verum cum dominus monachis ſcriptum dediſſet ſub hac forma verborum: *Vobis mandamus quatenus nobis, & noſtris neceſſaria præparetis*; hoc verbum, *mandamus*, multipliciter impugnaverunt. Tandem illud verbum, *mandamus*, ſublatum fuit, & ipſi domino neceſſaria miniſtrare cœperunt. Verumtamen ipſi monachi eleemoſynam dederunt, præſentibus pluribus de familia domini ſupradicti.

Die Martis ſequenti venit dominus apud Landoſum; receptus proceſſionaliter, cum cantu, campanis pulſatis, pallio ſuper ipſum in quatuor haſtantibus deportato, a capitulo canonicorum, & receptus & procuratus, domino Claromontenſi epiſcopo die illa eidem obviam veniente, & dominum collateraliter uſque ad altare majus ſub eodem pallio concomitante ſibi.

In ſequenti craſtino dominus, ad ſupplicationem canonicorum, quoddam altare in quadam capella prope eccleſiam canonicorum, in honore S. Georgii, & ſanctorum omnium conſecravit, & quædam benedixit ornamenta: & dedit indulgentiam his, qui ob devotionem dictæ conſecrationi interfuerunt.

Die Mercurii ſequenti dominus, poſt conſecrationem altaris prædicti, venit ad prioratum ſancti Launomari de Bleſis, qui dicitur Maincao; receptus modo quo ſupra: & ibidem, ad ſupplicationem prioris, & monachorum loci ejuſdem, quaſdam reliquias occultas in altari majori dicti prioratus, videlicet duo capita fere integra, cum pluribus fragminibus oſſium parvis, & pluribus panniculis involuta: quorum capitum unum dicitur caput beati Launomari abbatis, aliud ſancti Ebulſi abbatis; illa de dicto altari levavit, ut cum majori reverentia & honore de cetero haberentur: & ea craſtino ſequenti, audita Miſſa ſua, repoſuit in quadam caſula quoad aliquod tempus.

Eadem die Mercurii, prædictis reliquiis levatis, cum ea reverentia qua decens eſt, Miſſam in honore dictorum ſanctorum celebravit pontificalibus indutus. Ibidem etiam dominus confirmavit, benedixit, tonſuravit, & ſuam ibidem procurationem recepit. Et venerunt dominus Claromontenſis epiſcopus, & frater ſuus ſeneſcallus domino Bituricenſi locuturi. Fecit ibi quoque prædicari, & dedit indulgentiam, & ſuam ibidem dominus procurationem ſatis honorifice recepit.

Domino die Jovis tum ſequenti, eunto apud [illegible] dominus Claromontenſis epiſcopus, & frater [illegible] ſeneſcallus prædictus, ſibi venerunt obviam, [illegible] magnam partem itineris ſimiliter, cum domino equitarunt.

Illa die dominus receptus modo quo ſupra, a capitulo & præpoſito eccleſiæ de Tyart, fuit procuratus, & in craſtino audita Miſſa ſua, benedixit ornamenta aliqua, confirmavit, & in capitulo viſitavit, & rurſum confirmavit.

Quo facto deſcendit dominus ad capellam beati Joannis Baptiſtæ, & ibidem tria conſecravit altaria; medium in honore beati Joannis Baptiſtæ, & omnium ſanctorum: dextrum in honore beatæ Catharinæ, & ſiniſtrum in honore beatæ Mariæ Magdalenæ. Quibus rite conſecratis, dominus celebravit ſine rota: & dedit indulgentiam his, qui conſecrationibus interfuerunt.

Die Veneris ſequenti, præſcriptis ad plenum peractis, venit dominus apud abbatiam monaſterii Turanenſis, ordinis Cluniacenſis, receptus modo quo ſupra & procuratus: fuit autem ſumma expenſarum, octo libræ.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud Nigrum ſtabulum, prioratum quoque Cluniacenſem, receptus proceſſionaliter & procuratus: & ibidem benedixit, & confirmavit: ſumma expenſarum, ſeptem libræ, & decem ſolidi.

Dominica ſequenti, in quindena Paſchæ, venit dominus apud prioratum de Argeroles, ejuſdem ordinis Cluniacenſis, receptus proceſſionaliter & procuratus, & ibidem confirmavit, tonſuravit, & benedixit: ſumma expenſarum, decem libræ.

Die Lunæ ſequenti, videlicet in craſtino beati Georgii, venit dominus apud Salinhac prioratum ſancti Michaelis de Cluſa in Lumbardia, receptus proceſſionaliter & procuratus: & ibidem confirmavit, tonſuravit, & benedixit. Noluerunt computare.

Die Martis ſequenti, in feſto beati Marchi, ſeu Marci Evangeliſtæ, dominus apud ſanctum Didier prioratum de Caſa Dei, receptus proceſſionaliter, campanis pulſatis, in cappis ſericis, cum cantu & procuratus: ibidem confirmavit & benedixit.

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Tullac vel Jullac, prioratum de Clauſa in Lombardia, receptus proceſſionaliter & procuratus: & ibidem confirmavit & tonſuravit: ſicut & ornamenta, & quaſdam imagines benedixit.

Die Jovis ſequenti, venit dominus apud Marthac prioratum de Sartelenges, Cluniacenſis ordinis receptus, & procuratus: & ibi confirmavit, tonſuravit, & ornamenta benedixit.

Die vero præcedenti finavit prior Dambert, & prior de Chamont, pro dictis prioratibus viginti libras, & quatuor ſolidos, ita quod pro quolibet illorum finavit decem libras, & duos ſolidos.

Die Veneris ſequenti, venit dominus apud Chaluro prioratum, Caſæ Dei, receptus proceſſionaliter & procuratus: & ibidem ſequenti ſabbato celebravit Miſſam cum nota.

Eadem die ſabbati, venit dominus ad Sallanc vel Salhanc prioratum, Caſæ Dei, ubi receptus proceſſionaliter & procuratus fuit. Et ibidem confirmavit.

Dominica ſequenti, videlicet ante feſtum beatorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum, venit dominus apud Vineros, prioratum de Sartelenges, Cluniacenſis ordinis: ubi receptus proceſſionaliter & procuratus fuit. Ibidem confirmavit, tonſuravit, & benedixit.

Die Lunæ ſequenti, venit dominus ſcilicet prima die menſis Maii, apud Erlant prioratum de Decluſa in Lombardia, receptus proceſſionaliter & pro-



ANNO CHRISTI 1284.

curatus: ibidem confirmavit, benedixit, & tonſuravit.

Die Martis ſequenti, miſit dominus magiſtrum Joannem Greſillon canonicum Bituricenſem; fratrem Simonem de Bleſis, Renaldum ſocium ejus de ordine Fratrum Minorum, & Cononem canonicum Virſionenſem, ad monaſterium Caſæ Dei, cum duobus quibuſdam clericis domini Claromontenſis; magiſtrum Joannem ſcilicet, & magiſtrum Petrum: ut intereſſent collationi faciendæ quarumdam clauſularum contentarum in privilegiis Caſæ Dei; per quas nituntur monachi ſe eſſe exemptos, tam in capite quam in membris. Et fuit facta dicta collatio dictarum clauſularum ad privilegia: & fuerunt lecta dicta privilegia a principio uſque ad finem, & diligenter inſpecta, tam in filo quam in bulla, per miſſos a dicto domino Bituricenſis, præſentibus dictis duobus clericis domini epiſcopi Claromontenſis.

Primum privilegium lectum & inſpectum, fuit domini Urbani Papæ II. Secundum, Lucii III. Tertium, Honorii III. Quartum, Alexandri IV. Quintum, Alexandri III. Sextum, Clementis IV. Septimum, Urbani IV. Octavum, Paſchalis.

Eodem die Martis, venit dominus apud ſanctum Germanum Lerin, prioratum Caſæ Dei, receptus proceſſionaliter & procuratus fuit: & ibidem tonſuravit, confirmavit, & quædam benedixit.

Die Mercurii ſequenti, poſt feſtum beatorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum, venit dominus apud Azerac, prioratum Caſæ Dei, receptus proceſſionaliter & procuratus: & ibidem confirmavit, benedixit, & tonſuravit: & altare quoddam in dicto prioratu conſecravit in honore beatæ virginis Mariæ: & dedit indulgentiam ibidem.

Ipſo die venit dominus epiſcopus Claromontenſis, & abbas Caſæ Dei, & multi boni alii: cum quibus congregati cum domino, lectæ fuerunt clauſulæ ſupradictæ ſumptæ in privilegiis Caſæ Dei prædictis: de quibus facta fuit copia & inſpectio, ut ſuperius eſt expreſſum.

Super quibus clauſulis cum diutius fuiſſet altercatum hinc inde, multi fuerunt habiti tractatus inter dictos dominos Bituricenſem & Claromontenſem ex una parte, & abbatem Caſæ Dei ex altera ſuper diſcordia reformanda inter ipſos, qui tractatus illo die non habuerunt effectum. Quibus actis receſſerunt dicti dominus Claromontenſis & abbas.

Die Jovis ſequenti, venit dominus apud Ville, prioratum abbatiæ Piperacenſis, ordinis ſancti Auguſtini, receptus proceſſionaliter, & procuratus fuit. Ibidem confirmavit, benedixit, & tonſuravit.

Die Veneris ſequenti, venit dominus apud Villebride, prioratum abbatiæ Piperacenſis prædicti ordinis ſancti Auguſtini, receptus proceſſionaliter & procuratus. Ibidemque confirmavit, & benedixit.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud Cons vel Couz, prioratum monialium ordinis ſancti Benedicti: receptus ibi fuit proceſſionaliter a Clero, & monialium, & procuratus: & ibidem confirmavit, benedixit, & tonſuravit.

Tunc intravit dominus capitulum, & viſitationis fungens officio invenit ipſum monaſterium reformandum potiſſime circa ſpiritualia, & temporalia: ſiquidem hujus monaſterii [a] erant in manu regis Franciæ: quoniam ibi erant duæ prioriſſæ in diſcordia, & in diſſenſione.

[a] Videtur hic illa vox deeſſe, temporalia.

Dominus abhibendo diligentiam quam potuit, ſtatum monaſterii debite reſtaurando, ordinando præcepit, quod ſi prioriſſa de novo ibi poſita poſt litem motam, aliquam fecerat monialem, quod amoveretur.

Præcepit etiam, quod puellæ ſæculares quæ ibidem de bonis monaſterii nutriuntur, expellerentur: & quod volenti aliquam retinere, nihil de bonis monaſterii adminiſtretur eidem.

Inſuper cum quidam libri dicerentur ibidem ſublati, de quorum alienatione timebatur; præcepit dominus, infra Aſcenſionem omnes in medium reportari: & neceſſarios ad officium divinum in loco prædicto, ſeu conſueto dimitti: non neceſſarios, per ſacriſtam cuſtodiri, & hoc fieri præcepit per duas juratas ex eiſdem monialibus pro utraque parte.

Et ſuper his ſcripſit dominus Baillivo Arverniæ, in cujus manu nomine regis tenebatur temporalitas; ut de præmiſſis obſervari faceret, quæ dicto monaſterio crederentur expedire.

Dictis die & loco, venerunt quidam magni, & ſolemnes ex parte abbatis Caſæ Dei, qui cum domino de multis tractaverunt, & finaliter quamdam litteram concordarunt, quæ ſe declarat, &c.

*Tenor ſequitur in hac verba:*

„ Simon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ Primas, & Albertus ejuſdem gratia abbas monaſterii Caſæ Dei in Alvernia, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Noveritis quod nos præfatus archiepiſcopus aſſeremus, & jam adhuc aſſeramus, debere nos ad viſitationem & procurationem jure metropolitano admitti, & ſolvi nobis in monaſterio Caſæ Dei procurationem; eadem dicto abbate pro ſe, & conventu ſuo contrarium aſſerente; anſa pacis & concordiæ, ſic inter nos exſtitit concorditer ordinatum & expreſſe conventum: quod nos archiepiſcopus prædictus reciperemur nunc ad proceſſionem & procurationem tantum in dicto monaſterio: ita tamen quod per hoc, vel alia, quæ faciemus ibi, vel fient a nobis archiepiſcopo prædicto, aut recipiemus ab abbate & conventu prædictis, nihil nobis quo ad proprietatem, poſſeſſionem, vel quaſi, vel cujuſcumque alterius juris, aut ſuffragii acquiratur. Si vero aliquod jus proxime, ante iſtam compoſitionem domino archiepiſcopo competebat, illud ſalvum ſit & ſervetur eidem: nec in dictis proprietate, poſſeſſione, vel quaſi, eiſdem abbati & conventui, nec eorum privilegiis aliquid præjudicii generetur. Sane quia ex quibuſdam tractatibus habitis inter nos, & abbatem prædictum, ſperamus auctore Domino inter nos & ipſum ac monaſterium ſuum, per concordiam, ſeu per ſedem Apoſtolicam pacis fœdera reformari: ordinatum eſt inter nos, quod uſque ad [a] ſeptimum ab hodie numerandum, & complendum non poſſimus viſitationem, vel procurationem, nec aliquid occaſione earum nos, vel ſucceſſores noſtri petere efficaciter ab eiſdem: ita tamen quod per dilationem iſtam nullum nobis, vel eccleſiæ noſtræ fiat præjudicium; niſi interim per compoſitionem amicabilem & concordem, vel per declarationem Apoſtolicæ ſedis factam fuerit aliter ordinatum: ad quam declarationem ſeu compoſitionem poterimus pendente dicto ſeptennio procedere, ſi viderimus expedire. Si vero interim non fuerit declaratum nobis archiepiſcopo prædicto, id jus omnino petendi quo poſſimus hodie efficaciter uti & non amplius, & ipſis omnis omnino defenſio quas poſ-

[a] Legendum, ſeptennium.



ſunt,

Anno Christi 1284.

„ ſunt, vel poſſent hodie ſe tueri per omnia, reſervantur. In quorum teſtimonium nos archiepiſcopus & abbas prædicti, ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Actum & datum anno Domini MCCLXXXIV. die ſabbati & feſto beati Joannis ante Portam Latinam.

Hæc autem littera in ſcrinio monaſterii certo die repoſita fuit.

Die Dominica ſequenti, venit dominus apud Mazerac, prioratum ejuſdem monaſterii Caſæ Dei, receptus proceſſionaliter & procuratus. Prior noluit computare. Eadem die dominica miſit dominus Congnem ſuum capellanum, cum clerico coquinæ & coquum ſuum, & quoſdam alios pedites de familia ſua ad abbatiam Caſæ Dei, ſicut alibi conſueverant præmitti.

Abbas eos ſatis curialiter recepit: & uni monachorum ſuorum præcepit, ipſis tam pro domino procurando, quam pro ipſius familia neceſſaria, & interrogata affluenter miniſtraret: & hoſpitium in ambitu monaſterii, pro domino, & ſuis ſequentibus aſſignarunt.

Præmiſſi illo ſero in villa voluerunt hoſpitari, quia hoſpitia non erant mundata. In illa villa fuerunt illo ſero per abbatiam procurato, in feno & avena pro equis, in pane, vino, carnibus, candela, in aliis neceſſariis abundanter, prout petere voluerunt: & etiam multum plus illis fuit ab ipſis oblatum.

Die Lunæ ſequenti, veniente domino ad abbatiam & monaſterium Caſæ Dei, multi de majoribus prædicti monaſterii Caſæ Dei, venerunt ei obviam ſatis longe, ſuum excuſantes abbatem, quare non venerat obviam domino, quia Miſſas ſuas audiebat & cantabat: & quod modus ſuus erat nullius omnino rei vacare negotiis, donec Miſſam celebrarit. Hoc loco quoque deficiunt quædam.

Anno Domini MCCLXXXV. die Veneris poſt quindenam Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ, intravit reverendus pater Simon Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, Lemovicenſem diœceſin, cauſa viſitationis: & primo declinavit ad abbatiam de Albis petris, ordinis Ciſtercienſis: ubi receptus fuit proceſſionaliter a conventu dicti loci, pulſatis campanis, & prædicavit in capitulo: & ipſa die pernoctavit ibidem ad expenſas abbatiæ: nec fuit computatum.

Et ſciendum quod in comitiva ſua erant hi, quorum nomina hic notantur; videlicet, Joannes abbas ſancti Sulpicii Bituricenſis, frater domini: Gilo capellanus ſuus, monachus ſancti Sulpicii: Guido de Nobaylhes capicerius Pictavienſis: & Stephanus capellanus ſuus: Girardus de Brina clericus ſuus, & tabellio publicus: Magiſter Johannes Greſſillons canonicus Bituricenſis: Magiſter Petrus de Vierſione, qui venit tertia die poſt: P. de Rupe archipreſbyter de Caſtra, Bituricenſis diœceſis: Frater Hugo de Fernerjis, monachus ſancti Sulpicii Bituricenſis: Otho de Salinis, canonicus Magdunenſis, capellanus domini: Cono, rector eccleſiæ Vierſionenſis, capellanus domini, qui venit poſtmodum: Guido de Ranis, clericus domini; ſicut & plures alii.

Dominica ſequenti, ante feſtum beatæ Mariæ Magdalenæ in mane audivit dominus ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & exinde venit apud Nozerias prioratum Dolenſem: ubi receptus fuit proceſſionaliter, & procuratus, ut ſupra, ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ.

Die Lunæ ſequenti in mane audivit ibi dominus Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit; & exinde venit apud Nozermes prioratum Dolenſem: ubi quoque receptus fuit proceſſionaliter ut ſupra, & procuratus, ad expenſas prioris dicti loci. Non enim fuit computatum de expenſis.

Dicta die Lunæ remiſit iſta vice dominus ob dilectionem & amicitiam magiſtri Giraldi de Malamonte procurationem, quam habebat in prioratu de Anziſna prioratum Dolenſem: quem prioratum idem magiſter Gerardus, ut ſupra tenebat.

Die Martis ſequenti, in mane audivit ibi dominus Miſſam, confirmavit, & exinde venit ad abbatiam Prati Benedicti, ordinis Ciſtercienſis; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, a conventu dicti loci, quia non habebat abbatem: & ipſa die pernoctavit ibi, ad expenſas iſtius abbatiæ.

Die Mercurii ſequenti, audivit ibi Miſſam dominus in quadam cappella extra abbatiam: confirmavit ibidem, & fecit coronas; & exinde venit apud Pradeaux prioratum Dolenſem, ubi receptus fuit proceſſionaliter, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci de Pradeaux, qui noluit computare.

Die Veneris ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam, confirmavit, & exinde venit apud Sarnage, prioratum conventualem de Cluſa: ubi receptus fuit proceſſionaliter ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris, qui noluit computare.

Media nocte vero inventi fuerunt duo parvi latrunculi ante oſtium cameræ domini; quorum unus recognovit ſe cepiſſe in burſa cappellani, & clerici capicerii Pictavienſis, eadem nocte, uſque ad ſummam quindecim ſolidorum: de quibus partem reddidit: qui latrunculi incarcerati fuerunt in carcere prioris domini dictæ villæ de Sarnaige.

Die ſabbati ſequenti, in vigilia beatæ Mariæ Magdalenæ, mane audivit ibi Miſſam, confirmavit; & exinde venit apud Garectum, prioratum ſancti Savini, Pictavienſis diœceſis. Receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra; audivit Veſperas, Completorium, & Vigilias in eccleſia ſolemniter: & ipſa die procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci, qui noluit computare.

Dominica ſequenti, in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ, venit dominus apud abbatiam Agedunenſem, ordinis ſancti Benedicti: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, ab abbate & conventu dicti loci. Celebravit Miſſam conventualem in pontificalibus cum pallio; acolytos fecit, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit; & procuratus fuit ipſa die ad expenſas abbatis, nec fuit computatum.

Eadem die propoſuit Geraldus de Marciaco clericus contra Joannem Bachalac monachum beatæ Mariæ Agedunenſis, quod idem monachus interfuit murterio Joannis de Marcat defuncti, fratris dicti Geraldi; & eſt factum notorium, & fama publica: & quod hujuſmodi facto perpetrato, prædictus monachus fugit abbatiam de nocte.

Idem dicit contra Petrum Buſſy, monachum dictæ abbatiæ, & priorem ſancti Paſſentii.

Die Lunæ ſequenti venit dominus apud Bonum Locum, abbatiam ordinis Ciſtercienſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, ab abbate & conventu dicti loci. Prædicavit in capitulo, audivit ibi Miſſam, & pernoctavit ibidem ad expenſas abbatiæ; nec fuit computatum de expenſis ibidem factis.

Die Martis ſequenti in mane, ibidem in eccleſia con-



Anno Christi 1284.

ſecravit duo altaria; unum in honore ſanctæ crucis, & aliud in honore ſancti Nicolai; celebravit, tonſuras fecit, & confirmavit.

Et ipſa die exinde venit apud Turrem ſancti Auſtregiſili, prioratum Dolenſem, quem abbas tenet in manu ſua; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas ejuſdem monachi, procuratione dicti abbatis. Summa expenſarum fuit octo libræ, & duodecim ſolidi.

Die Mercurii ſequenti, in feſto beatorum Jacobi Apoſtoli & Chriſtophori, venit dominus apud Goſon, prioratum Stirpenſem, vel Sturpenſem, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra; celebravit in pontificalibus cum pallio. Prædicavit, indulgentiam dedit, & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci, qui noluit de illis computare.

Die Jovis ſequenti venit dominus apud abbatiam Cambonenſem, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, a præpoſito & conventu dicti loci; audivit ibi Miſſam, & prædicavit in capitulo; & procuratus fuit ad expenſas præpoſiti dicti loci qui noluit computare.

Quia vero domino datum fuerat intelligi a quibuſdam monachis dicti loci, quod præpoſitus dictæ eccleſiæ bona temporalia & ſpiritualia diſſipabat, dicto propoſito contrarium aſſerente; dominus ſuper his volens inquirere * voluntatem, prout ſuo incumbit officio, mandavit conventui dicti loci, coram ſe ipſa die, ut ſibi ſuper ſtatu ſuæ eccleſiæ dicerent veritatem.

* a Legi; veritatem.

Qui monachi, juramento obedientiæ ad hæc adſtricti, ſibi reſponderunt omnes, & concorditer, publice tamen, quod præfatus præpoſitus laudabiliter ſe habeat, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus; & quod bona eccleſiæ erant in bono ſtatu, tam in capite, quam in membris: quorum reſponſionibus acquievit, & in his quoque actis, in inquiſitione prædicta ulterius procedere noluit.

Die Veneris ſequenti in mane audivit ibi Miſſam, confirmavit, fecit tonſuras; & exinde venit apud abbatiam Enahonenſem, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, a præpoſito, & conventu dicti loci. Audivit ibi Miſſam, prædicavit in capitulo, præſentibus præpoſito & conventu dicti monaſterii, & aliis prioribus foraneis; videlicet Priore de Cautella, Priore de Domirac, Priore ſancti Petri de Montelucio, Priore de Tullo, Priore de Neris, & pluribus aliis; necnon præſentibus decano Lemovicenſi, domino Joanne de Vernologiis; Petro Malons canonico Lemovicenſi, & ſociis epiſcopi Lemovicenſis; Magiſtro G. de Armento Officiali Claromontenſi; & præpoſito Cambonenſi, & pluribus aliis clericis & laicis.

Ubi prior de Trenant domino contra ſuum præpoſitum graviter conquerendo monſtravit, quod cum ipſe eſſet in poſſeſſione prioratus de Trenant; idem præpoſitus de Gnahon, vel Evahon ipſum ſpoliaverat ſine cauſa a poſſeſſione prædicta: aſſerens dictus prior, quod de conſuetudine in prædicta eccleſia de Evahon approbata ita erat, quod præpoſitus non poterat aliquem prioratum conferre, niſi in capitulo, & de conſenſu capituli; nec etiam aliquem priorem deſtituere, deponere, ſeu amovere, niſi ex cauſa allegata & approbata, & de conſenſu capituli, & etiam metropolitani: dicto præpoſito contra illam conſuetudinem ſe opponente, & etiam conſuetudinem negante.

Quibus ſic propoſitis & auditis in præſentia nominatorum ſupra, præcipit dominus partibus, quod quilibet de jure ſuo ipſum informaret, & parti quæ potiora jura pro ſe oſtenderet, jus ſuum faceret deliberari.

Quibus ſic actis, exivit capitulum; & dictus præpoſitus pro bono pacis voluit, & promiſit poſtmodum in præſentia domini, quod dictus prior poſſeſſionem bonorum dicti prioratus una cum dicto prioratu integre rehaberet.

His actis, ipſa die procuratus fuit dictus dominus Bituricenſis ibidem ad expenſas præpoſiti & conventus dicti loci; nec fuit computatum de expenſis.

Die ſabbati ſequenti audivit ibi Miſſam dominus in mane, & confirmavit: & exinde venit apud Ruygnac, prioratum Evahonenſem, ubi receptus fuit ut ſupra, & procuratus ad expenſas proprias prioris dicti loci, qui noluit computare de expenſis.

Dominica ſequenti in octavis beatæ Mariæ Magdalenæ, venit dominus apud Maniac, prioratum Silinginacenſem: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit.

Et quia inter priorem & capitulum dicti loci contentio vertebatur, ſuper hoc quod dictus prior dicebat, capellanum vel capitulum teneri ad medietatem procurationis; vocatis partibus, dominus ſuper hoc inquiſivit, & invenit per teſtes, quod prædeceſſores dicti * capituli ſolverant medietatem procurationis: propter quod dicto priori qui ſibi miniſtraverat dictam procurationem, dedit unam litteram, in qua continebatur, quod niſi infra certum terminum idem capellanus ſatisfeciſſet de medietate procurationis prædictæ prædicto priori, quod propter hoc eſſet excommunicatus idem capellanus. Et fuit ſumma expenſarum, novem libræ & quatuor ſolidi.

* capellani.

Die Martis ſequenti, in feſto ſancti Germani, venit dominus apud monaſterium Raſolienſe, ubi ſunt canonici regulares: & receptus fuit proceſſionaliter ut ſupra, a canonicis dictæ eccleſiæ. Celebravit in pontificalibus, fecit acolytos, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit: tonſuras fecit, & procuratus fuit ibidem ad expenſas capituli. Summa expenſarum, undecim libræ, ſex ſolidi.

Ipſa vero die quemdam clericum dictæ villæ, qui exſtirpaverat vineam ſacriſtæ dictæ eccleſiæ, coram ſe citari fecit; qui citatus comparens, recognovit ſe dictam vineam exſtirpaſſe: propter quod dictus dominus condemnavit ipſum clericum in decem ſolidos Turonenſes, reddendos dicto ſacriſtæ infra quindecim dies: & ſuper hoc conceſſit litteram dicto ſacriſtæ.

Die Mercurii ſequenti, in feſto ſancti Petri ad vincula, venit dominus apud Pheletinum prioratum Cambonenſem, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra; celebravit in pontificalibus cum pallio, fecit acolytos, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras. Procuratus fuit ipſa die ad expenſas prioris dicti loci, qui noluit computare de dictis expenſis.

Die Jovis ſequenti venit dominus apud Meignac, prioratum Dolenſem, quem abbas Dolenſis tenebat in manu ſua: & ibi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra; audivit Miſſam, & procuratus fuit ibidem. Summa expenſarum, octo libræ.

Eodem vero die comparuit ibidem coram domino Joannes Leonardi canonicus eccleſiæ Raſolienſis, citatus de mandato domini, pro eo quod ipſe manus injecerat violentas in Joannem Malte laicum, in cimeterio Raſolienſi, uſque ad effuſionem ſanguinis.

Quam effuſionem recognovit idem canonicus co-

ram domino, & ſe ſuper hoc ordinationi domini ſuppoſuit; unde dominus condemnavit ipſum in decem ſolidis Turonenſibus, reddendis paſſo injuriam.

Item condemnavit eumdem in cappa ſerica in pretio ſex librarum Turonenſium reddenda eccleſiæ Raſolienſi, infra annum inſtantem: & ſuper hoc fuerunt quidam plegii: ſcilicet capellanus eccleſiæ Raſolienſis, & Petrus Tire canonicus dicti loci, pro injuria illata eccleſiæ prædictæ Raſolienſi, pro verberatione & ſanguinis effuſione facta in cimeterio eccleſiæ prædictæ: & ſuper hoc dedit litteras, quæ traditæ fuerunt archipresbytero de Albuconio, ut per ipſum archipresbyterum pœna prædicta........

Eadem vero die, ad reconciliandum dictum cimeterium benedixit aquam, & mandavit dictum cimeterium benedici ex illa aqua benedicta per cappellanum de Chambonac: hoc enim poterat facere dominus ex privilegio ſpeciali; videlicet cimeteria polluta ſanguine, vel alias reconciliari facere per quemcumque vellet, dum tamen capax eſſet, & idoneus, & ad hoc inſtructus.

Die Veneris ſequenti, in feſto Inventionis ſancti Stephani protomartyris, venit dominus apud abbatiam de Bona-Aqua, ordinis Ciſtercienſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter ab abbate & conventu loci prædicti, pulſatis campanis. Prædicavit in capitulo, celebravit Miſſam conventualem in pontificalibus, cum pallio; & fecit acolytos, & tonſuras, & pernoctavit ipſo die ibidem.

Quia vero abbas minus ſufficienter neceſſaria miniſtraverat domino; & ſuis deficiendo in ferratura equorum, & culcitris, linteaminibus, palea, & multis aliis, domino die craſtina in mane eumdem abbatem canonice monuit de emendando prædictum delictum. Et licet dominus abbas offerret ſe facturum voluntatem domini verbo, & non facto, dominus eum excommunicavit; & ex abundanti appellavit idem dominus ad ſedem Apoſtolicam pro ſe, & ſuis, & ad hoc conſentientibus; ne ipſi abbas & conventus, vel executores eorum a ſede Apoſtolica deputati, ſi quos habebant, aliquid de facto contra ipſum, vel ſuos in hoc negotio attentarent.

Inſuper legi fecit idem dominus ibidem privilegium, quod habebat: videlicet quod nullus delegatus, ſubdelegatus, conſervator, vel executores quicumque illi ſint, ipſum poſſint excommunicare.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud Portum Dei, prioratum conventualem monaſterii Caſæ Dei, ubi receptus fuit proceſſionaliter & honorifice, ut ſupra campanis pulſatis, &c. Audivit ibidem dominus Miſſam conventualem, confirmavit, & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci: nec voluit computare de expenſis.

Dominica ſequenti, in mane fecit in eodem loco tonſuras, & exinde venit apud Bortum, prioratum ordinis Cluniacenſis, quem tenebat epiſcopus Claromontenſis; ubi fuit receptus ut ſupra, audivit ibi Miſſam, confirmavit, & procuratus fuit ibidem, de expenſis procuratoris dicti epiſcopi Claromontenſis. Non fuit computatum de expenſis.

Die Lunæ ſequenti, venit dominus apud ſanctum Angelum, prioratum conventualem de Kar[illegible], ubi receptus fuit, ut ſupra; audivit Miſſam, confirmavit, & procuratus fuit ibidem ad expenſas prioris dicti loci; qui noluit computare de expenſis.

Die Martis ſequenti, in mane fecit ibi tonſuras, & exinde venit apud Maniac abbatiam ordinis ſancti Benedicti; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, ab abbate & conventu prædicti loci, celebravit & procuratus fuit ipſa die, ad expenſas & onera prædictæ abbatiæ de Maniac.

Et quia datum fuerat domino intelligi, quod monachi dictæ abbatiæ multum diſſolute vivebant, jacentes ſingulariter in cameris, omiſſo eorum dormitorio, comedentes pariter & ſingulariter in eorum cameris refectorio prætermiſſo: mandavit dominus abbatem & monachos dicti loci coram ſe, & in præſentia monachorum ſuorum eidem abbati præcipit, quod de cetero comederent in refectorio, & jacerent in dormitorio, & non alibi, niſi ex cauſa: exceptis in officiis conſtitutis, de quibus præcepit dominus, ut ſervaretur in eis, quod hactenus fuerat obſervatum.

Prædictus abbas promiſit domino, quod ſtaret ordinationi ſuæ, & quod in præmiſſis tanquam ſuo ordinario obediret.

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Vedrines, prioratum monaſterii Caſæ Dei, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, audivit Miſſam & procuratus fuit ibidem ad expenſas prioris dicti loci. Summa autem expenſarum fuit, novem libræ Turonenſes.

Eadem die finavit prior de Vantandor, Clugniacenſis ordinis, de procuratione ſua ad decem libras.

*Et ipſa die incepit dominus dare commiſſiones ſub hac forma.*

SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas; dilecto in Chriſto tali priori, vel abbati Lemovicenſis diœceſis, ſalutem in Domino. Conqueſtus eſt nobis Lemovicenſem diœceſin viſitantibus B. ejuſdem diœceſis, quod P. & H. clerici, vel laici, præfatæ diœceſis, ſuper terris, debitis, poſſeſſionibus, & rebus aliis vel uſuris injuriantur eidem. Ideoque diſcretioni veſtræ committimus & mandamus, quatinus coram vobis partibus convocatis audiatis cauſas, & ſine debito terminetis: facientes, quod de conjunctis per cenſuram eccleſiaſticam auctoritate noſtra firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel amore ſubtraxerint, cenſura ſimili compellatis veritati teſtimonium perhibere. Datum anno MCCLXXX. &c.

Eadem die impetravit commiſſionem Joannes de Ocherarico monachus abbatiæ Caſæ Dei, contra Renaudum Alemarc, Cunibertum Aboniarc, Petrum Galteri, & uxorem Joannis Boet, Lemovicenſis diœceſis, & habuit judicem magiſtrum P. de Podiis canonicum Haentenſis monaſterii.

Die Jovis ſequenti, in mane audivit ibi dominus Miſſam, & confirmavit, & tonſuram fecit, & exinde venit apud Tutelam abbatiam ordinis ſancti Benedicti, ubi abbas & Burgenſes dictæ villæ, cum trumbis & inſtrumentis aliis jocundis obviaverunt domino: & ipſum conduxerunt uſque ad portam eccleſiæ, & illic fuit receptus multum honorifice ab abbate & conventu dicti loci, pulſatis campanis, & proceſſionaliter: & procuratus ibidem fuit ad expenſas abbatiæ prædictæ, & non fuit computatum de expenſis.

Die Veneris ſequenti, in feſto beati Laurentii martyris in mane intravit dominus capitulum, prædicavit poſt modum, & celebravit Miſſam conventualem in pontificalibus cum pallio, fecit acolytos, prædicavit populo, indulgentiam dedit: & fuit ibidem ipſa die ex gratia ad expenſas [a] & imitationem abbatis dicti loci.

Qua



Qua die congregato capitulo dominus in præſentia capituli propoſuit, quod monachi in prioratibus conſtituti ſæpiſſime, prioratibus ſuis debitis ſervitoribus deſtitutis, veniebant ad abbatiam ſuam ibidem diutius reſidentes: & in cameris dictæ abbatiæ comedebant, & ſecum multos monachos dictæ abbatiæ invitabant pro machinationibus & aliquibus diſcordiis ſuſtinendis, ut eos poſſent trahere ad voluntatem ſuam faciendam: & ita bona abbatiæ pro nihilo conſumebant, prioratus ſuos debito ſervitio defraudantes.

Quare præcepit eis dominus, ut ſuper ſtatu abbatiæ reſponderent ſibi veritatem. Prædicti autem abbas & monachi reſponderunt concorditer, quod abbatia, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus erat in bono ſtatu. Quibus auditis dominus noluit procedere ulterius, ſed receſſit.

Die ſabbati ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, & exinde venit apud Obaginam abbatiam ordinis Ciſtercienſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra: prædicavit in capitulo, & rogavit ipſos de capitulo, ut ipſum recommendatum haberent in orationibus ſuis, & beneficiis ſuis. Qui devote eidem annuerunt.

Poſt prandium eadem die viſitavit dominus moniales ibidem, prope exſiſtentes, quæ nullo vitæ ſuæ tempore exeunt clauſtra, ut dicitur: nec intrant clauſtrum homines, niſi cum prælatis, vel perſonis honeſtis. Prædicavit ibidem, & dedit indulgentiam.

Die Dominica in mane ſequenti conſecravit ibidem in quadam capella, in qua eſt altare conſecratum in honore beatæ Mariæ Magdalenæ: audivit Miſſam, & dedit indulgentiam illis qui interfuerant conſecrationi dicti altaris.

Exinde venit apud Argentac prioratum conventualem de Cluſa, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra: audivit Miſſam, confirmavit, & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci: nec fuit computatum de expenſis.

Die Lunæ ſequenti, audivit ibi Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, & exinde venit apud Brunaſac, prioratum Solenniacenſem, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Nec fuit computatum de expenſis.

Die Martis in vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, venit dominus apud Bellum Locum, ubi fuit honorifice receptus a Burgenſibus, & proceſſionaliter ab abbate & conventu dicti loci, & intravit capitulum, prædicavit, & viſitavit.

Et in ipſo capitulo recepit homagium, & fidelitatis juramentum ab abbate prædicto de villa Belli-Locenſis, cum pertinentiis feodis illius villæ; ſecundum quod in littera compoſitionis olim factæ inter abbatem & dominum Bituricenſem archiepiſcopum, ſuper hoc continetur.

Et proteſtatus fuit dominus, quod licet dictum homagium, & juramentum recepit in capitulo ſupradicto, nullum ſibi, & eccleſiæ Bituricenſi præjudicium generetur, quin prædictus abbas & ſucceſſores ejus ea facere teneantur alibi, quando fuerint requiſiti: petens idem dominus archiepiſcopus ab ipſo abbate claves portarum dictæ villæ, ſibi tradi in ſignum dominii, prout facere tenebatur.

Qui reſpondit, quod libenter eas traderet, ſi haberet; ſed ad præſens eas non habebat, quia Bernardus de Sacrario, cui eas commiſerat cuſtodiendas tempore domini Guidonis prædeceſſoris domini, ſibi reddere denegabat, præſentibus pluribus monachis & burgenſibus dictæ villæ, quorum nomina ſcripta ſunt in litteris inferius confectis: eodem vero die dominus fuit cum abbate ex gratia, & a burgenſibus villæ, &c.

*Super homagio & juramento fidelitatis facto, dedit abbas litteram ſigillo ſuo ſigillatam ſub hac forma.*

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Rego humilis abbas Bellilocenſis, Lemovicenſis diœceſis, ſalutem in Domino. Noveritis, quod cum nos, & conventus noſter, nomine eccleſiæ noſtræ Bellilocenſis, a reverendo patre domino Simone Bituricenſi archiepiſcopo, Aquitaniæ primate, nomine ſacroſanctæ Bituricenſis eccleſiæ, tenemus in feodum, & tenere debemus villam noſtram Bellilocenſem, cum pertinentiis, & juribus ad ipſam ſpectantibus: cum prædicta omnia moveantur de feodo & dominio Bituricenſis eccleſiæ, prout evidenter per probationes legitimas productas coram Officiali Nivernenſi, judice ſuper hoc delegato a reverendo patre Simone, Dei gratia titulo ſanctæ Cæciliæ presbytero Cardinali, tunc Apoſtolicæ ſedis Legato apparet, & per diffinitivam ſententiam ab eodem contra nos pro Bituricenſi archiepiſcopo promulgatam. Item cum nos teneamus in feodum a domino archiepiſcopo, nomine Bituricenſis eccleſiæ, omnia temporalia prioratuum omnium, adminiſtrationum, & obedientiarum ad monaſterium noſtrum ſpectantium; ac omnes alias villas noſtras cum pertinentiis ſuis, & juribus omnibus, ac omnia feoda & refeoda ad monaſterium noſtrum ſpectantia, videlicet:

Reparium & temporale de Schaulhac; adminiſtrationem & temporalia de Friac, & de Favars, & de Riberia, de Biaroz, & Deuſconz, & de Burda, & Deſignet; & præpoſituram de Tudel.

Et temporalia eccleſiarum de Felinis, de Girac, & de Bonavilla, de Scanquel, & de Bochare, Datilac, de Latuc, & de Nemore; & villam de Condac; & villam *del Saule*;

Homagia & feoda vicecomitis Turanne, domini de Caſtronovo, domini Regnaudi de Cavengnac, R. de Turamonca, domini de Moleto, domini Philberti de Pomeya, domini Gilberti de Ganeriis, domini Guillelmi de Cabra, Petri Doragnac, Guillelmi de Moritanis, Guillelmi & Ademari de Fauras, dominorum de Malamorte: & omnium aliarum perſonarum, quæ nobis & monaſterio noſtro debent, vel fecerunt homagia; & qui tenent in feodum vel refeodum nobis & monaſterio noſtro, vel tenere debent.

Nec prædicta omnia, vel aliqua de prædictis tenemus ab alio domino temporali, nec tenere poſſumus; cum ipſe archiepiſcopus noſter, & rerum noſtrarum temporalium dominus ſit ſuperior temporalis, & reſſortum habet a nobis, tanquam dominus temporalis ſuperior, & habere debet, & ſucceſſores ſui, nunc & in perpetuum.

Necnon eidem, & ſucceſſoribus jurare tenemur fidelitatem, ac eidem claves Bellilocenſis villæ tradere in novo adventu ſuo, anno Domini MCCLXXXV. XIX. Kalendas Auguſti, die Martis, quarta decima ejuſdem menſis, in vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, in monaſterio noſtro, videlicet in capitulo noſtro, circa tertiam, pulſata campana ad congregandum conventum noſtrum in dicto capitulo; *Reverendo in Chriſto Patri domino Simoni, Dei gratia Bituricenſi archiepiſcopo, Aquitaniæ primati ſupradicto, nomine Bituricenſis eccleſiæ,*



homa-

ANNO CHRISTI 1284.

*homagium fecimus & juramentum fidelitatis de omnibus ſupradictis*: præſentibus, & ad hoc vocatis religioſo viro Joanne abbate ſancti Sulpicii Bituricenſis; venerabilibus viris domino Guidone de Nohailles, capicerio Pictavienſi; & magiſtro Joanne Greſillons, canonico eccleſiæ Bituricenſis; ſfratribus Simone de Bleſis, & Joanne de ſancta Severa, ordinis Minorum; P. de Ruppe, archipresbytero de Caſtra, Bituricenſis diœceſis, frater Hugone de Faveriis, monacho ſancti Sulpicii Bituricenſis; Othone de Salinis, presbytero & canonico Magdunenſi; Conone presbytero, rectore eccleſiæ parochialis de Vierſione, Bituricenſis diœceſis; Hugone monacho, priore de Urſoto, Claromontenſis diœceſis; Joanne de Maimac, priore clauſtrali monaſterii noſtri, Bernardo de Quercu, infirmario; Petro de Planis, camerario; Bertrando de Favars; Stephano de ſancto Badelio; Aymerico de Vigilando, monachis ejuſdem noſtri monaſterii; Martino la Celhe, Petro Majoris, Petro *del Segrey*. Beltrando *del Segrey*, Ademaro *la Treille*, magiſtro Guillelmo Majoris, & Laurentio Stephani: burgenſibus villæ noſtræ Bellilocenſis; & pluribus aliis, &c.

Die Veneris poſt Aſſumptionem beatæ Mariæ Virginis, venit dominus Bituricenſis apud Albignec, prioratum de Cluſa; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci.

Die ſabbati ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam dominus, & exinde venit apud Brinam, prioratum ordinis ſancti Auguſtini; ubi receptus fuit proceſſionaliter, & procuratus ad expenſas dicti loci.

Die Dominica ſequenti fuit ibidem dominus, a ad imitationem domini Guidonis de Nohailles, capicerii Pictavienſis ex gratia, in domibus dicti prioris; & fuit ſecum epiſcopus Caturcenſis.

a Forte, ad invitationem.

Eadem die celebravit in pontificalibus cum pallio, fecit acolytos, & tonſuras, prædicavit, & indulgentiam dedit.

Die Lunæ ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam dominus, & exinde venit apud Voſies, abbatiam ordinis ſancti Benedicti; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas abbatiæ: nec fuit computatum de expenſis.

Die Martis ſequenti audivit ibi Miſſam, intravit capitulum, prædicari fecit, & exinde venit dominus apud Uſarchiam; ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, ut ſupra, ab abbate & conventu dicti loci de Uſarchia; & procuratus fuit ad expenſas abbatiæ. Non fuit computatum.

Die Mercurii ſequenti, in octavis Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, in mane audivit ibi dominus Miſſam, prædicavit, & tonſuras fecit, & confirmavit. Et exinde venit apud Arnacum, prioratum ſancti Martialis Lemovicenſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci.

Eadem die conceſſit commiſſionem dominus Stephano Salavalh, clerico conquerenti, quod Bertrandus, vel Bernardus Bonifaci, Guido Eſtuderii, Bartholomæus Radulphi, Bernardus Judicis de capella, Petrus & Gaucelinus fratres ſuper terris, &c. Judicem priorem clauſtralem Bellilo... (*Deeſt hic aliquid; forte*, recognoſcere nolebant.)

... Jovis ſequenti in mane audivit ibi Miſſam dom... confirmavit, & tonſuras fecit; & exinde ven... prioratum ſancti Roberti de Caſa Dei, ubi receptus fuit modo quo ſupra, proceſſionali-

ter, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci.

Die Veneris ſequenti, in feſto beati Bartholomæi apoſtoli, venit dominus Bituricenſis apud Dalon vel Daloy, abbatiam ordinis Ciſtercienſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra.

Altaria deinde duo in eccleſia dicti loci dominus conſecravit; unum in honore beati Bartholomæi Apoſtoli, & aliud in honore ſanctorum Simonis & Judæ Apoſtolorum: audivit Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras: & pernoctavit ibidem ad expenſas abbatiæ. Non fuit computatum de expenſis.

Die ſabbati venit dominus apud ſanctum Aredium, ubi ſunt Canonici ſæculares: & receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, a decano & capitulo dicti loci.

Ipſa die celebravit dominus in pontificalibus magnam Miſſam, & fuit procuratus dicta die ad expenſas decani & capituli dicti. Summa expenſarum . . . . . . .

Die Dominica ſequenti, in eccleſia dicti loci dominus duo altaria conſecravit, unum in honore ſancti Aredii, & aliud in honore ſancti Juniani. Celebravit in pontificalibus cum pallio, fecit acolytos & tonſuras, & confirmavit.

Et ipſa die venit apud Chalas prioratum conventualem ſancti Auguſtini, ubi fuit receptus proceſſionaliter ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris prædicti loci ſancti Aredii.

Die Lunæ ſequenti in mane dominus audivit ibi Miſſam, & confirmavit, & tonſuras fecit.

Et exinde venit apud Sollemniacum, abbatiam ſancti Benedicti, ubi dominus & epiſcopus Lemovicenſis, abbas ſancti Martialis Lemovicenſis, & plures alii venerunt domino obviam; & fuit receptus proceſſionaliter ipſis præſentibus ab abbate & conventu dicti loci proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas abbatiæ. Summa expenſarum, &c.

Eadem die conceſſit dominus commiſſionem abbati & conventui dicti loci conquerentibus, quod Ademarus de Cambonio, domini Beehardus, Guido & Aymericus de claro oculo, & Johannes, medici, Lemovicenſis diœceſis, ſuper terris, debitis, poſſeſſionibus, &c. injuriantur eiſdem judicem priorem clauſtralem Bellilocenſem præfatæ diœceſis.

Item aliam dictis conquerentibus, quod Johannes Gregorii clericus, & ejus uxor, magiſter Matthæus qui moratur cum domino Gracelino de Caſtronovo milite, dictus Lalamans, & dictus Haurac de Gezons, præfatæ diœceſis Lemovicenſis, ſuper terris, &c. injuriatur eiſdem judicem ſupradictum.

Item aliam præpoſito de Fagia, monacho abbatiæ Sollemniacenſis, ejuſdem diœceſis, conquerenti, quod P. Baylac, G. Doneu domicellus, Joannes Deuquarroy, Aymars Samconnet, & Guido Rogerii, præfatæ diœceſis Lemovicenſis, &c. ſuper terris, &c. injuriantur eidem judicem ſupradictum.

Item aliam dicto præpoſito, conquerenti, quod B. Greu, B. Baylet presbyter, dictus Barrilio, P. de Brolio, & Bernhardus Manba, præfatæ diœceſis, ſuper terris, &c. injuriantur eidem judicem priorem clauſtralem Bellilocenſis prædictum.

Item aliam priori de Cella monacho Sollemniacenſi, conquerenti quod Guido Gergnos domini Gannac dictus Bonnet Cans, & Johannes Pellyſſa, diœceſis prædictæ Lemovicenſis, ſuper terris, &c. injuriantur eidem judicem ſupradictum.

Item



ANNO CHRISTI 1284.

Item aliam Guillelmo Saderia, clerico conquerenti, quod Ademarus de Saxum miles, Guillelmus *de la Rocha*, Joannes Bertrandi, G. Jacoſta, P. Faure de Examduno, ejuſdem diœceſis, ſuper terris, &c. injuriantur eidem judicem Priorem ſancti Gerardi Lemovicenſis.

Item die Martis ſequenti in mane, audivit dominus ibi Miſſam, & confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Calutium, caſtrum magiſtri Geraldi de Malomonte; & fuit ibidem ad a imitationem dicti magiſtri Geraldi ex gratia.

a Forte, invitationem.

Die Mercurii ſequenti, in feſto Decollationis beati Joannis Baptiſtæ, in mane audivit ibidem dominus Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit: & exinde venit apud Petram Buſſeriam, ubi receptus fuit proceſſionaliter ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci, & præpoſiti de Charovico; qui duo unam procurationem debent prioratus de Petra Buſſeria, & eſt de abbatia Sollempniacenſi: prior de Carovico, eſt de abbatia ſancti Auguſtini Lemovicenſis. Summa expenſarum . . . . . . .

Eadem die fecit hommagium domino, & juramentum fidelitatis prior monaſterii de Vicano, Caturcenſis diœceſis, de omnibus temporalibus & juribus, quæ habebant vel habebat, ſeu habere poterat, aut debebat in villa Vicanenſi, & pertinentiis ſuis; præſentibus religioſis viris, Joanne abbate ſancti Sulpicii Bituricenſis, priore de Petra Buſſeria; domino Guidone de Nohailhes, capicerio Pictavienſi; domino Ademaro de Riperia: magiſtris; Joanne Greſillon canonico Bituricenſi; Petro de Vierſione; P. de Rupe archipresbytero de Caſtra, Bituricenſis diœceſis; Othone de Salinis, capellano domini, canonico Magdunenſi, & pluribus aliis clericis & laicis.

Et licet dictus prior dictum hommagium teneretur facere domino Bituricenſi ad ſupplicationem dicti prioris, & multorum bonorum recepit ibidem dictum hommagium ex gratia: ſuper quibus debuit dare litteras dictus prior de Vicano.

Dicta die impetrarunt a domino commiſſionem P. de Bellomonte, clericus, & N . . . . . . contra rectorem eccleſiæ de Mauzanis; Blaſium Chauſſandas, Bartholomæum de Murato, P. Guardelli, & Geraldum Chambaſorez, laicos ejuſdem diœceſis, & huic Bertrandum Alboini canonicum ſancti Juliani, ejuſdem diœceſis Lemovicenſis.

Item eidem P. aliam commiſſionem contra rectorem eccleſiæ ſancti Hilarii de Turius, P. Hugonis Dantoyr, & Bonetum ejus filium, & P. Gardelli, laicos ejuſdem diœceſis; & habuit judicem, Guillelmum Ademay canonicum ſancti Arredii, Lemovicenſis diœceſis prædictæ.

Item idem P. aliam commiſſionem obtinuit, videlicet contra rectorem eccleſiæ de Lectaurs, P. de Marcilho, Guidonem Daſſio clericos, P. Gourdelli, & B. Laſchauſſandas ejuſdem diœceſis; & habuit judicem Junianum Canoys canonicum ſancti Juniani ejuſdem diœceſis.

Item impetravit aliam idem P. commiſſionem contra Stephanum Chandeliers, Stephanum de Vernac, & Stephanum Latrocaria laicos, ejuſdem diœceſis Lemovicenſis; & habuit judicem P. Faydici, canonicum Raſolienſem, ejuſdem diœceſis.

Item impetravit idem P. aliam commiſſionem contra rectorem eccleſiæ Dautor, Bonetum ejus fratrem, Guillelmum Garalhaez, Guillelmum Emerici de Uſerchia, & ejus uxorem præfatæ diœceſis, & habuit judicem Guidonem Delchaſcauhier canonicum ſancti Aredii.

Item impetravit idem P. &c. contra priorem de Vinhareria rectorem eccleſiæ de Sodena, & Guillelmum Mallars laicum ejuſdem diœceſis; & habuit judicem Bertrandum Alboyni canonicum ſancti Juniani.

Die Jovis ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam dominus, confirmavit, tonſuras fecit: & exinde venit apud Aurelium, prioratum conventualem ſancti Auguſtini: ubi receptus fuit proceſſionaliter præſente domino epiſcopo Lemovicenſi, ut ſupra; & ibidem inter dominum & epiſcopum de multis contulerunt.

Poſtea receſſit epiſcopus, & ivit pranſum ibi prope ad duas leucas: & dominus remanſit, & procuratus fuit ibidem ad expenſas prioris dicti loci.

Dicta die impetravit præpoſitus Darco monachus Sollempniacenſis commiſſionem, contra dictum Arnaus, Guillelmum Pelos, & Stephanum, b ejus uxor P. & Johannem dictum ſeu dictos Gautier, Lemovicenſis diœceſis; & habuit judicem priorem de Belloloco, Lemovicenſis diœceſis.

b Ita mſ. Forte, & Stephanam ejus uxorem.

Item aliam commiſſionem impetravit prior de Layral, Claromontenſis diœceſis, ordinis ſancti Benedicti, contra Hugonem de Frayxamas, dictum le Tondu Palic; Joannem rectorem eccleſiæ de Vermeya; rectorem eccleſiæ de Petrafiſta; Joannem de Urchier presbyterum Lemovicenſis diœceſis; & habuit judicem priorem monaſterii Bellilocenſis ejuſdem diœceſis.

Die Veneris in mane audivit ibi Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras, & exinde venit dominus apud Orthigiam, prioratum conventualem. Ordo eſt per ſe. Ubi fuit receptus proceſſionaliter, prædicavit in capitulo, & procuratus fuit ibidem ad expenſas prioris dicti loci.

Die ſabbati ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam dominus, & fecit tonſuras: & exinde venit apud monaſterium Haentenſe, ubi receptus fuit proceſſionaliter a præpoſito, & capitulo dicti loci; & procuratus fuit in ipſa die ad expenſas capituli dictæ eccleſiæ.

Eadem vero die vocavit dominus canonicos dictæ eccleſiæ coram ſe, & inquiſivit de ſtatu eccleſiæ.

Et quia venerabilis vir magiſter R. de Albuconio præpoſituram dictæ eccleſiæ Haentenſis, & præpoſituram eccleſiæ Raſolienſis, nec non & eccleſiam parochialem ſancti Sylvani prope Bellamgardam in eadem diœceſi Lemovicenſi, tenebat, tamquam intitulata, in modum qui ſequitur contra dictum præpoſitum proceſſit, poſt multas accuſationes;

SImon, Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Nuper Lemovicenſem diœceſin viſitantes, dum per villam Bellægardæ tranſitum faceremus, ex clamoſa inſinuatione parochianorum eccleſiæ ſancti Silvani prope villam prædictam frequenter didicimus, quod venerabilis magiſter R. de Albuconio tria beneficia, quæ inferius annotantur tamquam intitulata detinebat: quorum unum ex altero non dependet; in ſuæ ſalutis præjudicium & ſcandalum plurimorum: videlicet eccleſiam ſancti Silvani, curam animarum habentem; ac præpoſituram eccleſiæ Raſolienſis; nec non & præpoſituram eccleſiæ Haentenenſis; quæ præpoſituræ in dictis eccleſiis dignitates reputantur. Poſtea autem ad eccleſiam Raſonenſem deſcendimus, viſitationis officium exercentes, ubi canonici dictæ eccleſiæ nobis

hæc

ANNO CHRISTI 1284.

,, hæc eadem retulerunt. Tandem ad eccleſiam
,, Haentenſem declinavimus cauſa viſitationis of-
,, ficium exercentes: ubi canonici dictæ eccleſiæ
,, clamorem præcedentium confirmantes, non ſuf-
,, ficiebat admirari, qua conſcientia, tam enor-
,, mem exceſſum non compatiendo prædictis eccle-
,, ſiis toleramus. Cum autem præmiſſa omnia no-
,, ta eſſent & manifeſta, & adhuc ſint; ac epi-
,, ſcopus dictæ Lemovicenſis diœceſis, quoad præ-
,, miſſa negligens fuit, ut dicitur, & remiſſus;
,, licet beneficia, quæ tanto tempore vacaviſſent,
,, quoad nos vel ad ſedem Apoſtolicam eſſet eo-
,, rum devoluta conferendi poteſtas jure metropo-
,, litano, ſeu auctoritate ſedis Apoſtolicæ con-
,, ferre poſſimus; tandem juxta verbum Apoſtoli
,, dicentis, *Nemini cito manum imponas*, volentes
,, ſuper præmiſſis habere certitudinem pleniorem,
,, ipſum magiſtrum R. die ſabbati ante natalem
,, beatæ Mariæ Virginis diem vocavimus coram
,, nobis apud Haentenſes: & ab ipſo petivimus
,, diligenter, utrum præfatum clamorem opere com-
,, pleviſſet. Qui nobis reſpondit, quod præfatam
,, eccleſiam parochialem, ac dignitates prædictas
,, detinuerat per longa tempora, & adhuc etiam
,, detinebat, fructus & exitus dictorum beneficio-
,, rum levando & percipiendo: quæ beneficia, ut
,, dicebant, ſucceſſive fuerat aſſecutus. Primo præ-
,, poſituram Raſolienſem, deinde præpoſituram
,, Haentenſem, & ultimo eccleſiam parochialem
,, prædictam: aſſerens, tam fuiſſe ſuper præmiſſis
,, cum ipſo a ſede Apoſtolica diſpenſatum. Quam
,, diſpenſationem ad noſtram conſcientiam infor-
,, mandam ab ipſo nobis petimus oſtendi. Qui
,, nobis reſpondit, quod diſpenſationem prædi-
,, ctam non habebat ad præſens, nec habere po-
,, terat; ſed die tertia a nobis ſibi aſſignata illam
,, nobis oſtenderet & obferret. Et nos ad ſuppli-
,, cationem ipſius diem Veneris in vigilia nativi-
,, tatis beatæ Mariæ Virginis ſibi aſſignavimus per
,, hoc coram nobis apud Lemovicum, ad oſtenden-
,, dum & exhibendum nobis diſpenſationem præ-
,, dictam, ſi quam habet, & ad procedendum ul-
,, terius ut jus erit. Quam diem præfatus R. gra-
,, tanter, & ex voluntate acceptavit; præſentibus
,, religioſis viris Johanne abbate ſancti Sulpicii Bi-
,, turicenſis; Fratre J. de Pheletino, ordinis Præ-
,, dicatorum, Lemovicenſi; ac diſcretis viris domi-
,, no Guidone de Noyhalhes, capicerio Pictavienſi:
,, Magiſtro J. Greſillon, canonico Bituricenſi;
,, Ademaro de Riperia & Petro de Vierſione, cle-
,, ricis; domino Joanne de Vernolhiis, canonico
,, Lemovicenſi; ac religioſo viro priore de Mara-
,, valle, Lemovicenſis diœceſis; & pluribus aliis.
,, Datum dicta die ſabbati ante Nativitatem bea-
,, tæ Mariæ Virginis, apud Haentenſes, anno Do-
,, mini MCCLXXXIV.

Die Dominica ſequenti in mane, ibidem apud Haentenſes audivit Miſſam dominus, & confirmavit, & tonſuras fecit: & exinde venit dominus apud Parenhac, prioratum ſancti Martialis Lemovicenſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra: & fuit ibi procuratus ad expenſas capituli dicti loci: nec fuit computatum ibi de expenſis.

Die Lunæ ſequenti ante Nativitatem beatæ Mariæ Virginis, in mane celebravit ibidem dominus, confirmavit, tonſuras fecit; & exinde venit apud ſanctum Leonardum, prioratum conventualem ordinis ſancti Auguſtini: ubi receptus [illegible] proceſſionaliter, prædicavit in capitulo, & [illegible] fuit ad expenſas prioris dicti loci; in craſtino [illegible] celebravit [illegible] ibidem confirmavit, & tonſuras [illegible]

Commiſſionem dedit dominus domino Guidoni de la Porta, præpoſito ſancti Silvani de abbatia de Urſerche, Lemovicenſis diœceſis, contra Ademarum Forragu, Joannem & Petrum Doſa fratres, Jobertum de Bauſac, & Guidonem Morſelli domicellum præfatæ diœceſis: & habuit judicem abbatem Bellilocenſem.

Die Martis ante Nativitatem beatæ Mariæ Virginis, intravit dominus Lemovicenſem civitatem: & primo declinavit ad eccleſiam cathedralem, ubi fuit receptus proceſſionaliter ab epiſcopo, induto veſtibus pontificalibus, & a canonicis dicti loci indutis cappis ſericis: & ipſa die fuit procuratus in domibus epiſcopi, ad expenſas ipſius epiſcopi, nomine capituli: quia debet ſolvere procurationem pro capitulo, ſecundum quod eſt conſuetum: nec fuit computatum.

Et notandum quod, antequam dominus intraret civitatem, venerunt domino obviam bene per unam leucam; ſcilicet epiſcopus Lemovicenſis, decanus, magnus archidiaconus, cantor, archidiaconus de Malamorte, abbas Dauracenſis, magiſter Gillebertus, & plures alii canonici Lemovicenſes; & abbates ſanctorum Martialis & Martini, qui præceſſerunt pro recipiendo dominum proceſſionaliter.

Die Mercurii ſequenti, prædicavit in capitulo, & viſitavit; præſentibus in capitulo epiſcopo, & canonicis dictæ eccleſiæ, qui ex gratia ſpeciali obtulerunt ei primam præbendam in eccleſia vacaturam ad opus cujuſdam clerici ſui.

Et ipſa die celebravit in dicta eccleſia majorem Miſſam in pontificalibus præſente epiſcopo: prædicavit populo: indulgentiam dedit, & fuit procuratus in domibus epiſcopi Lemovicenſis ab ipſo epiſcopo, & ad expenſas ipſius.

Die Jovis ſequenti, viſitavit dominus prioratum ſancti Andreæ Lemovicenſis, ubi fuit receptus proceſſionaliter ut ſupra, præſente epiſcopo; & declinavit ad abbatiam ſancti Martini, ubi receptus fuit proceſſionaliter ut ſupra: audivit Miſſam, & fuit procuratus ibidem ad expenſas abbatis dicti loci: de quibus ſolvit prior ſancti Andreæ Lemovicenſis medietatem, prout conſuetum erat.

Die Veneris ſequenti, in vigilia Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, viſitavit dominus abbatiam ſancti Auguſtini Lemovicenſis: ubi receptus fuit proceſſionaliter ab abbate, & conventu dicti loci, audivit Miſſam, & fuit procuratus ad expenſas abbatiæ: nec fuit computatus de expenſis.

Die ſabbati in feſto Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, intravit dominus ibidem capitulum, prædicavit, & exinde venit ad abbatiam ſancti Martialis Lemovicenſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter præſente epiſcopo Lemovicenſi ab abbate & conventu dicti loci: celebravit Miſſam conventualem in pontificalibus cum pallio: acolytos fecit, populo prædicavit, & dedit indulgentiam: & ipſa die procuratus fuit ad expenſas prædictæ abbatiæ: in procuratione non fuit computatum.

Die Dominica ſequenti in mane, intravit dominus capitulum: prædicavit, & viſitavit, audivit Miſſam, & procuratus fuit ibidem ad expenſas abbatiæ: in procuratione ᵃ, quia abbas dicti loci tenetur ad ſuas procurationes.

ᵃ Forte [illegible] fuit computatum [illegible]

Ipſa die Dominica viſitavit dominus abbatiam de Regula Lemovicenſi, ubi quoque receptus fuit proceſſionaliter, prædicavit, & viſitavit in capitulo: & procurationem ſuam, quam eis ſcilicet abbatiæ & conventui mandaverat ad diem ſequentem,



ANNO CHRISTI 1284.

remiſit iſta vice abbatiſſæ dicti loci, ad ſupplicationem ipſius abbatiſſæ, ac venerabilis viri domini Guidonis de Noyhaylles capicerii Pictavienſis, ſicut & ad ſupplicationem abbatis Dauracenſis, & plurimorum aliorum.

Die Lunæ ſequenti in mane, audivit dominus Miſſam apud ſanctum Martialem: & in camera ſua præſentibus epiſcopo Lemovicenſi, decano, archidiacono, abbate Dauratenſi, canonicis Lemovicenſibus, & pluribus aliis clericis & laicis, dominus viginti tres parvos tonſuravit.

Et notandum quod viſitando dictam Lemovicenſem civitatem, conceſſit commiſſiones quæ ſequuntur: quarum commiſſionum forma mutata fuit prout ſequitur, & conceſſa perſonis infra ſcriptis.

,, SImon, Dei gratia Bituricenſis archiepiſco-
,, pus, & Aquitaniæ primas, dilecto in Chri-
,, ſto priori de Tutela, ordinis ſancti Benedicti,
,, Lemovicenſis diœceſis, ſalutem in Domino, qui
,, eſt omnium ſalus. Conqueſtus eſt nobis prædi-
,, ctam Lemovicenſem diœceſim viſitantibus Guil-
,, lelmus Jordani miles ejuſdem diœceſis, quod
,, Helias de Fonte presbyter & rector eccleſiæ de
,, Barnaco, præfatæ diœceſis Lemovicenſis, ſuper
,, terris, debitis, poſſeſſionibus, & rebus aliis in-
,, juriantur eidem. Hinc eſt quod cum de conſuetu-
,, dine approbata de cauſis, controverſiis, ſeu liti-
,, bus quibuſcumque omnium ſubditorum dictæ diœ-
,, ceſis, de quibus diœceſanus loci cognoſcere non
,, incepit, poſſumus cognoſcere viſitando, & ea fi-
,, ne debito terminare, vel committere, & in poſſeſ-
,, ſione hujuſmodi juris, vel quaſi, tam nos quam
,, prædeceſſores noſtri fuerimus, & etiam adhuc ſi-
,, mus, diſcretioni veſtræ mandamus: quatenus co-
,, ram vobis vocatis partibus cauſas audiatis prædi-
,, ctas, & eas fine debito uſuris ceſſantibus termine-
,, tis: facientes quod decreveritis per cenſuram ec-
,, cleſiaſticam auctoritate noſtra firmiter obſervari.
,, Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia,
,, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili
,, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Vo-
,, bis enim quoad omnia ſupradicta committimus
,, vices noſtras, donec eas duxerimus revocandas.
,, Datum, &c.

Sub forma prædicta idem miles contra Guillielmum de Pœna Vayra, militem dictæ diœceſis, aliam commiſſionem impetravit: & habuit judicem præpoſitum de Mammaco, dictæ diœceſis Lemovicenſis.

Item idem miles contra Hugonem Arniac, militem ejuſdem diœceſis, impetravit aliam: & habuit judicem Petrum de Saveril, canonicum Dauratenſem.

Item Bernardus Raymundi, clericus Lemovicenſis diœceſis, contra Gaucelinum Macel, Joannem Douverdieri, Agnetem Faureſſa, Joannem Audebert Decroſoli, & filium Panſic, clericum dictæ diœceſis, commiſſionem impetravit ſimiliter: & habuit judicem priorem clauſtralem monaſterii de Tutella, prædictæ diœceſis.

Item aliam commiſſionem impetravit Boſo de Montibus, domicellus dictæ diœceſis, contra P. Laracha, Raymundum Apicat, relictam dicti Nacaynner, & uxorem dicti Socameu, & Hubertum de Arlot, dictæ diœceſis; & habuit judicem S. Chabili, canonicum ſancti Juniani, præfatæ diœceſis.

Item Armingarda, dictæ diœceſis Lemovicenſis, commiſſionem impetravit contra Gaucelinum de Aforla, militem; Heliam Sulhei, militem; Heliam de Nobiliaco, domicellum; Laurentium Fautoris; P. Borda Nayra, ejuſdem diœceſis; & magiſtrum S. de Malomonte, canonicum Lugdunenſem, pro judice impetravit: proviſo tamen, ne virtute hujuſmodi reſcripti extra diœceſim Lemovicenſem partes pertrahantur.

Item Aymericus de Jarniac miles commiſſionem impetravit contra Heliam Durandi, R. Durandi, Henricum Bordanoyra, Stephanum de Nuer, P. Chabnen, dictæ diœceſis: ac P. de Barnon, canonicum Raſolienſem, Lemovicenſis diœceſis, pro judice ſub prædicta forma impetravit.

Die Lunæ prædicta, in craſtino Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, exivit dominus civitatem Lemovicenſem, & ipſa die venit apud Carnum, juxta Axiam, prioratum ſancti Martialis Lemovicenſis: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci, & prioris de Ape; qui domino ad unam procurationem tenentur. Summa expenſarum, undecim libræ, & duo ſolidi.

Dicta die impetravit commiſſionem Aymericus Rauchareus, laicus cruceſignatus, Lemovicenſis diœceſis, contra Heliam Pelliparii, clericum; ᵃ Gr. de Chambarac, presbyterum; P. Loveu; P. Pecum, laicum ejuſdem diœceſis: habuit judicem dominum Julianum de Crozis; canonicum ſancti Aredii, præfatæ diœceſis.

ᵃ Forte; Garbertum.

Idem ibidem impetravit commiſſionem Thomas de Montepeſſulano, de caſtro Lemovicenſi cruceſignatus, contra Stephanum Cambafortz, P. Lo Lacier, P. de Perreignec, P. Pecom, & Guillelmum Vachier, Lemovicenſis diœceſis: & habuit judicem Julianum de Grozis prædictum, canonicum ſancti Arredii.

Die Martis ſequenti audivit ibi dominus Miſſam, & confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Ruppem Cavardi, prioratum abbatiæ de Carroſo, ubi receptus fuit proceſſionaliter: & procuratus ad expenſas prioris dicti loci: & non fuit computatum de expenſis.

Die Mercurii ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam dominus, & confirmavit, & fecit tonſuras: & exinde venit apud Nancronum, prioratum de Carofilo, ubi receptus fuit proceſſionaliter, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum fuit, tredecim libræ cum ſeptem ſolidis.

Die Jovis ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam dominus, & confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Buxeriam, prioratum conventualem de Cluſa, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci: nec fuit computatum de expenſis.

Die Veneris ſequenti, in feſto Exaltationis ſanctæ Crucis, venit dominus apud Salas, prioratum conventualem ordinis ſancti Auguſtini; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra: celebravit in pontificalibus, acolytos fecit: & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci, qui noluit computare de expenſis.

Die ſabbati ſequenti, in octavis Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, venit dominus apud Peruſiac, prioratum de Caroſio: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra; celebravit in pontificalibus, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras: & procuratus fuit ipſa die ad expenſas prioris dicti loci, nec fuit computatum de expenſis.

Die Dominica ſequenti, venit dominus ad abbatiam Stirpenſem, ubi receptus fuit proceſſionaliter,

ANNO CHRISTI 1284.

liter, ut ſupra; audivit Miſſam, & procuratus fuit ad expenſas abbatiæ: nec fuit computatum de expenſis.

Die Lunæ ſequenti, venit dominus in mane, & intravit capitulum, & viſitavit; & exinde venit apud ſanctum Junianum, ubi receptus fuit a decano capituli. Summa expenſarum, tredecim libræ, quinque denarii minus.

Die Martis ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam dominus, populo prædicavit, indulgentiam dedit, tonſuras fecit, confirmavit, & in capitulo viſitavit, & dedit commiſſiones, quæ videlicet ſequuntur.

Eadem die Catharina relicta Heliæ de Siens, tutrix J. & Aymerici pupillorum ſuorum, impetravit commiſſionem contra Heliam de Varenis militem, Petrum de Moſico, Heliam de Sue, Aymericum Pleychas Valeti, Guillielmum de Furno, & dictum Guaydamour: & habuit judicem Heliam Bortelli, canonicum ſancti Juniani.

Item aliam commiſſionem obtinuit dicta relicta contra Germanum Doveri, Germanum Raen, & P. de Roſſays, Lemovicenſis diœceſis; & habuit judicem prædictum Heliam Bortelli, canonicum ſancti Juniani.

Item commiſſionem obtinuit P. Borelli, & Petronilla ejus ſoror, ejuſdem litis conſortes, contra Heliam de Malomonte, militem; P. Vermier, capellanum de Dornarac; P. Barac, & P. Boveron, ejuſdem diœceſis: & habuerunt judicem Geraldum Galterii, canonicum ſancti Juniani prædicti, Lemovicenſis diœceſis.

Die Martis prædicta, venit dominus apud Beux, abbatiam ordinis Ciſtercienſis; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra: & pernoctavit ibidem ad expenſas abbatiæ prædictæ, nec fuit computatum.

Die Mercurii ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam dominus, & confirmavit; & exinde venit apud Grandimontem prioratum, ubi receptus fuit de more, proceſſionaliter, a priore & conventu dicti loci de Grandimonte; & fuit dominus procuratus in aula dicti prioris, & fuit prior ſecum ad prandium, & ad expenſas prioris dicti loci: nec fuit computatum de expenſis.

Die Jovis in mane, intravit dominus capitulum, prædicavit, & ſe orationibus fratrum commendavit; audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit: & exinde venit apud Ambazac, prioratum de abbatia ſancti Auguſtini Lemovicenſis: ubi receptus fuit proceſſionaliter, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, decem libræ Turonenſes, cum ſeptemdecim ſolidis: & propter paupertatem loci, dicto priori procurare promiſit in primo adventu ſuo procurationem.

*Viſitatio epiſcopatus Caturcenſis a domino Bituricenſi archiepiſcopo.*

ANNO CHRISTI 1285.

ANno Domini MCCLXXXV. die Jovis poſt mediam Quadrageſimam intravit reverendus pater dominus Simon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, diœceſim Caturcenſem, cauſa viſitationis.

Et primo declinavit apud Marcellum, ubi fuit receptus proceſſionaliter, pulſatis campanis, & procuratus ad expenſas rectoris eccleſiæ dicti loci. Summa expenſarum, ſeptemdecim libræ, & duodecim ſolidi Turonenſes.

Et ſciendum, quod pro cariſtia temporis, quæ carior [illegible] erat in partibus illis, fiebant expenſæ tam magnæ, & etiam quandoque propter ſupervenientes. Nam panis, qui alio tempore non valebat niſi unum denarium, valebat, & vendebatur tunc novem denarios, & ſic de aliis epulis.

ANNO CHRISTI 1285.

Et ſciendum, quod in comitiva domini erant hi, quorum nomina hic notantur: ſcilicet religioſi viri, Guido abbas monaſterii Vierſionenſis, frater domini; miniſter Renerius de Senonis, archidiaconus Grancenſis, in eccleſia Bituricenſi; dominus Otho de Salinis, canonicus Magdunenſis; Conon canonicus Mimantenſis, capellani domini; magiſtri P. de Vierſione & R. de Charitate, clerici domini; frater Joannes Marſac, monachus Vierſionenſis; frater Hugo, monachus ſancti Sulpicii Bituricenſis, pœnitentiarius domini; magiſter Joannes de Camera, & Joannes de Senonis nepos dicti archidiaconi; & plures alii clerici & laici.

Die Veneris ſequenti, ibidem in mane audivit dominus Miſſam, indulgentiam dedit; & exinde venit apud Varrac, prioratum de Tutella, Lemovicenſis diœceſis: ubi receptus fuit proceſſionaliter, pulſatis campanis, & procuratus ipſa die ad expenſas prioris dicti loci: nec fuit computatum de expenſis.

Eadem die finavit de procuratione ſua prior de Carenac, ordinis Clugniacenſis, ad quatuordecim libras Turonenſes.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud Ruppem Amatoris, prioratum abbatiæ Tutellæ, Lemovicenſis diœceſis: ubi fuit receptus proceſſionaliter ab abbate Tutellenſi, & priore, & conventu dicti loci, pulſatis campanis; & in dicta eccleſia eodem die ſacros ordines celebravit, & quoſdam clericos Claromontenſis diœceſis ordinavit, & quoſdam de diœceſi Caturcenſi, de licentia epiſcopi Caturcenſis, qui ſibi litteram clauſam miſerat ſub hac forma;

» REverendo in Chriſto patri ac domino ſuo cariſſimo domino Simoni, divina providentia Bituricenſi archiepiſcopo, & Aquitaniæ primati; Raymundus permiſſione divina ſuus devotus Caturcenſis epiſcopus; ſalutem, & cum recommendatione ſe ipſum ad ejus beneplacita & mandata. Reverende pater, ſanctitati veſtræ humiliter ſupplicamus, quatenus hac inſtanti die ſabbati proxima poſt feſtum Annunciationis Dominicæ; ubicumque eadem die vos eſſe contingat in Caturcenſi diœceſi, vobis ibidem placeat ſacros ordines celebrare: nos enim dictis ordinibus ſuperſedebimus, ob veſtri reverentiam & honorem. Valeat veſtra reverenda paternitas bene & diu, quæ nobis ſemper præcipiat, tanquam ſuo. Datum Caturci die Jovis poſt dictum feſtum, &c. »

Ordinibus vero celebratis, procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci; & noluit computare; quia abbas ſuus, & monachi dicti loci comederant cum domino ad prandium.

Die Dominica ſequenti, qua cantatur, *Iſti ſunt dies*, ibidem apud Ruppem Amatoris dominus celebravit, & prædicavit, & indulgentiam dedit; & quamplurimos, præſente epiſcopo Caturcenſi, confirmavit.

Et exinde venit apud Soliacum, prioratum conventualem de Aureliaco; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci de Soliaco. Noluit computare de expenſis.

Die Lunæ ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam, & confirmavit, & tonſuras fecit, & prædicavit, & indulgentiam dedit; & exinde venit dominus apud Gordovium ſeu Gordonium, prioratum



ANNO CHRISTI 1285.

tum de Vicano: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa autem expenſarum fuit, ſcilicet tredecim libræ, cum quatuor ſolidis Turonenſibus.

Die Martis ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, & confirmavit, & tonſuras ibidem fecit. Et exinde venit dominus apud Vicanum, prioratum conventualem ordinis ſancti Auguſtini: qui prioratus, cum ejus pertinentiis univerſis, tenetur a domino in feodum; & ibi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus in procuratione ad expenſas prioris dicti loci. Summa autem expenſarum, viginti duæ libræ, & ſeptemdecim ſolidi cum ſex denariis Caturcenſibus; valent quindecim libras, & quinque ſolidos Turonenſes.

Die Mercurii ſequenti fuit ibidem cum priore ex gratia; & eadem die ex gratia hac vice remiſit dominus priori prædicto de Vicano procurationem ſuam, quam ad dictam diem mandaverat priori de Concorret, qui prioratus eſt de abbatia ſancti Ambroſii Bituricenſis: quoniam prioratum idem prior de Vicano tenebat ad firmam.

Die Jovis ſequenti, fuit ibidem dominus ad expenſas proprias, & in mane intravit capitulum dicti prioratus, & viſitavit; & eadem die prior & conventus de Vicano prædicti, ſuper homagio & fidelitate, quas domino facere tenentur de prioratu ſuo & pertinentiis univerſis, dederunt litteras ſub hac forma;

*Tenor litterarum de homagio facto per Priorem & conventum de Vicano, domino archiepiſcopo Bituricenſi,*

» UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, nos Petrus Stephani prior monaſterii de Vicano, Caturcenſis diœceſis, ordinis ſancti Auguſtini; totuſque ejuſdem loci conventus, ſalutem in Domino ſempiternam. Notum facimus, quod cum nos, nomine prædicti monaſterii noſtri, teneamur facere fidelitatem & homagium de omnibus rebus temporalibus, quocumque nomine ad nos & monaſterium noſtrum, quocumque jure, ſeu quantacumque cauſa vel modo pertinentibus, reverendo patri ac domino domino Simoni Dei gratia Bituricenſi archiepiſcopo, Aquitaniæ primati: quæ ſcilicet fidelitatem & homagium prædeceſſores noſtros in dicto monaſterio, Bituricenſi archiepiſcopo ſeu Bituricenſibus archiepiſcopis, qui fuerunt pro tempore, ex debito confitemur feciſſe. Nos ab eodem domino archiepiſcopo, nomine ſuæ Bituricenſis eccleſiæ, recognoſcimus tenere in feodum omnia & ſingula temporalia ſupraſcripta: eidem domino archiepiſcopo nos prædictus Petrus Stephani prior de Vicano, nomine prædicti monaſterii noſtri, gratanter, prout tenemur, fecimus fidelitatem & homagium, noſtro & conventus noſtri nomine, apud Petram Buferiam, Lemovicenſis diœceſis; ubi de mera gratia, ab eodem reverendo patre admiſſi fuimus ad præmiſſa: quamquam apud Biturigam, ſi placeret eidem domino, prædictam fidelitatem & homagium facere teneamur. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra, Nos prior & conventus prædicti, quibus diviſim utimur, præſentibus duximus apponenda. Datum apud Vicanum, anno Domini MCCLXXXV. die Jovis ante Ramos palmarum.

Anno prædicto, diebus Mercurii & Jovis prædictis, ſcilicet ante Ramos Palmarum, ibidem apud Vicanum, in clauſtro eccleſiæ de Vicano, coram domino archiepiſcopo, & mandato ſuo, perſonæ infraſcriptæ, parochiani de Guorgonio, qui ſuper uſuraria pravitate erant quam plurimum diffamati; coram domino propter hoc vocati abjuraverunt: & per mandatum domini ſummas infraſcriptas, quas ſe confeſſi fuerunt habuiſſe per uſurariam pravitatem, per juramentum ſuum reſtituere promiſerunt, & ſtare juri ſuper his coram eo.

ANNO CHRISTI 1285.

Bertrandus de Faveriis abjuratus uſuras, ut præmittitur, promiſit reſtituere centum ſolidos monetæ antiquæ: quos, prout ipſe confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Girardus la Olmeida abjuratus uſuras, ut præmittitur, promiſit reſtituere quindecim ſolidos monetæ antiquæ: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Girardus de Molendino abjuratus uſuras, ut præmittitur, promiſit reſtituere centum ſolidos: quas, prout ipſe confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Raimundus de Porverlel abjuravit uſuram, ut præmittitur, & promiſit reſtituere octo libras: quos, prout etiam confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Girardus Molendinarii abjuravit uſuram, ut præmittitur, & promiſit reſtituere decem & octo denarios: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Regnandus Conſtantini abjuratus uſuram, prout præmittitur, promiſit reſtituere quinquaginta ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Guillielmus de Angoliſmo abjuratus uſuram, prout præmittitur, promiſit reſtituere decem libras: quas, prout ipſe confeſſus, habuerat quoque per uſurariam pravitatem.

Bernardus de Faveriis abjuratus uſuram, ut præmittitur, promiſit reſtituere triginta ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat quoque per uſurariam pravitatem.

Girardus Richardi abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere quatuor libras; quas, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Stephanus Maſit abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere triginta ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Deodatus de Olvicida abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere centum ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Giraldus Eſturaldi abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere centum ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Raimundus de Proverel abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit reſtituere decem libras Caturcenſes: quas, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Bernardus de Vineis abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere quinquaginta ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Arnaudus Novelli abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere viginti ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Raymundus Ribere abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere ſexaginta ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

P. Texendarius abjuratus eſt uſuras, prout præmit-

ANNO CHRISTI 1285.

mittitur, & promiſit reſtituere centum ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Alnaudus de la Tramoilhe abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, promiſit reſtituere quinquaginta ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Guillelmus de Gallucio abjuratus eſt uſuram, ut præmittitur, & promiſit reſtituere quadraginta & octo ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Ademarus Caſtri abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere quinque ſoxtertia bladi: quæ, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Renaudus Bonardi abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit reſtituere viginti quinque ſolidos: quos, prout præmittitur, confeſſus eſt habuiſſe per uſurariam pravitatem.

Deodatus de Mercato abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit reſtituere quinquaginta ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Guillelmus de Caſſelade abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit reſtituere centum ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Raimundus de Marcillac abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit reſtituere decem ſolidos: quos, prout confeſſus fuit habuerat per uſurariam pravitatem.

Raimundus de Fonborne abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere octo libras: quas, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Gilbertus de Carentelo abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere decem libras: quas, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Arnaldus Raynes abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit etiam reſtituere decem ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

P. Laval abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, qui promiſit reſtituere quinquaginta ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Guillelmus de Brina abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit reſtituere decem ſolidos; quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Guillelmus de Benaſt abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit quoque reſtituere decem ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Arnaldus de Brinis abjuravit uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere viginti ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

S. P. Sp. Roal abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit quoque reſtituere quinque ſolidos: quos, prout ipſe confeſſus eſt, ante habuerat per uſurariam pravitatem.

Bernardus de Bonperrier abjuratus eſt uſuras, ut præmittitur, & promiſit reſtituere decem ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Guillelmus de Linars abjuratus eſt uſuram, prout præmittitur, & promiſit reſtituere viginti quinque ſolidos: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

P. Seguin abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere duodecim ſolidos antiquæ monetæ: quos, prout confeſſus eſt, habuerat per uſurariam pravitatem.

Guillelmus Palmerii abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, & promiſit reſtituere viginti ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Gasbertus du Coſſel abjuratus eſt uſuras, prout præmittitur, qui promiſit etiam reſtituere decem ſolidos: quos, prout confeſſus fuit, habuerat per uſurariam pravitatem.

Die Veneris ſequenti, ibidem apud Vicanum in mane audivit dominus Miſſam, & exinde venit apud Fontes, prioratum conventualem abbatiæ de Figiaco, Caturcenſis diœceſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter pulſatis campanis, & procuratus in procuratione ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, quatordecim libræ Turonenſes, cum ſex ſolidis.

Die ſabbati ſequenti in mane, audivit ibi dominus Miſſam, & fecit prædicari, & indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras: & exinde venit apud Capdenatium, prioratum de Aureliaco, ubi fuit receptus, ut fuit ſupra, proceſſionaliter pulſatis campanis, &c. & procuratus eſt ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, viginti duæ libræ, octo ſolidi, & tres denarii Caturcenſes; valent quatuordecim libras, & novemdecim ſolidos Turonenſes.

Eadem die ſabbati, finavit domino de procuratione ſua prior de Cardelliaco, qui eſt ordinis Cluniacenſis, ad quatuordecim libras Turonenſes.

Die Dominica ſequenti in Ramis Palmarum, venit dominus apud Figiacum, abbatiam ordinis ſancti Benedicti, diœceſis Caturcenſis: ubi receptus fuit honorifice, cum trumpis, campanis pulſatis, & proceſſionaliter a conventu dicti loci, induto cappis ſericis, abſente abbate, qui erat ad regem.

Et ipſa die proceſſionaliter cum conventu dicti loci, dominus acceſſit ad parochialem eccleſiam dicti loci, in qua prædicavit populo, indulgentiam dedit: & poſtmodum rediit ad abbatiam: & ad majus altare, in pontificalibus, cum pallio celebravit, acolytos fecit; & ipſa die procuratus fuit ad expenſas abbatiæ dicti loci, in procuratione. Summa expenſarum fuit, viginti quatuor librarum, trium ſolidorum, & octo denariorum Caturcenſium, valentium, octodecim libras, duos ſolidos, & ſex denarios, ut dicitur, Turonenſes.

Die Lunæ ſequenti, viſitavit dominus prioratum de Caſſegnoliis: qui prioratus eſt de abbatia Figiacenſi, & eſt in manu abbatis; ubi receptus, ut ſupra, audivit Miſſam, confirmavit, & reverſus eſt apud Figiacum in abbatia: ipſa die fuit procuratus, ſuper procuratione prædicti prioratus de Caſſognoliis. Summa expenſarum fuit, viginti trium librarum, & decem ſolidorum Caturcenſium, valentium quindecim libras, tredecim ſolidos, & quatuor denarios Turonenſes.

Eadem die Lunæ finavit prior de Burgo, qui prioratus eſt de Aureliaco, ad ſummam octo librarum pro expenſis, quia pauper erat.

Die Martis ſequenti in mane, ibidem apud Figiacum, audivit dominus Miſſam, & confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Marcellatum, abbatiam nigram, ubi receptus fuit proceſſionaliter;



ANNO CHRISTI 1285.

ad expenſas abbatis dicti loci, ut ſupra, procuratus. Summa, viginti duæ libræ, & duo ſolidi Caturcenſes, valentium quatuordecim libras, & quatuordecim ſolidos; & octo denarios Turonenſes. Et cum domino comedit abbas dicti loci, cum viginti duabus perſonis de ipſius abbatis prædicti familia: in craſtino vero audivit ibi Miſſam dominus in mane, & quoſdam ibidem confirmavit.

Die Mercurii ſequenti, ſcilicet ante Paſcha, intravit dominus civitatem Caturcenſem; & venerunt eidem obviam fere per duas leucas epiſcopus, archidiaconi, & multi alii canonici eccleſiæ Caturcenſis, cum magna ſocietate: qui poſtmodum ad recipiendum dominum ante in civitatem reverſi ſunt.

Et primo declinavit ad majorem eccleſiam, ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, ab epiſcopo induto pontificalibus ornamentis, & canonicis dictæ eccleſiæ in cappis ſericis, cum trumpis & gaudio magno.

Et poſtea venit dominus ad monaſterium monialium beatæ Mariæ Deauratæ vel de Aurate, ejuſdem civitatis; ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas priorissæ & conventus dicti loci.

Et fuerunt epiſcopus & archidiaconus cum domino ad prandium. Poſtmodum vero ivit dominus in domibus epiſcopi, ubi jacuit; quia domus dicti prioratus non erant ſufficientes.

Summa expenſarum, viginti trium librarum, & ſeptemdecim ſolidorum, & ſex denariorum Caturcenſium, valentium quindecim libras, & octodecim ſolidos, & tres denarios Turonenſes. Et habuerunt omnes moniales panem & vinum, & Pictanciam ſufficientem de mandato prioriſſæ ſuper expenſis hujuſmodi.

Die Jovis ſequenti, viſitavit dominus dictas moniales, prædicavit in capitulo, & dedit indulgentiam; & poſtmodum venit ad majorem eccleſiam, intravit capitulum, viſitavit, & prædicavit, epiſcopo & canonicis præſentibus, & multis aliis.

Poſtea in eadem majori eccleſia fecit ſervitium: chriſma, epiſcopo præſente, conſecravit, & fecit ſolemnitate qua decet.

Quo facto, viſitavit dominus prioratum ſancti Urſitini, ejuſdem civitatis, prioratum de Marciliaco, quem tenebat dominus Sequardus canonicus ejuſdem Caturcenſis eccleſiæ, & frater abbatis Mileracenſis; ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus in procuratione ad expenſas prioris dicti loci. Et fuit dominus epiſcopus ad prandium cum domino, & multi alia ad [a] imitationem dicti domini Sequardi; nec fuit computatum de expenſis.

[a] Forte, invitationem.

Die Veneris ſequenti, cum epiſcopo in domibus ſuis fuit dominus ex gratia: & eadem die fecit ſervitium dominus in majori eccleſia, præſente epiſcopo: & tractavit de pace inter burgenſes civitatis, & dictum epiſcopum reformanda.

Sabbato Paſchæ fuit dominus cum epiſcopo ſimiliter in domibus ſuis in procuratione, nec fuit computatum; & ipſa die in majori eccleſia, epiſcopo præſente, ſacros ordines celebravit, & quoſdam clericos de diœceſibus Bituricenſi & Claromontenſi ordinavit, & quoſdam de diœceſi Caturcenſi, de licentia ipſius; inter quos promovit ad ordinem ſubdiaconatus Acchidum magnum, nepotem dicti domini epiſcopi.

Dominica in feſto Reſurrectionis Domini, ibidem cum epiſcopo fuit dominus gratis; & celebravit dominus in pontificalibus, cum pallio in eccleſia majori, magnam Miſſam. Et notandum, quod diebus Mercurii, Jovis & Veneris, prædictus epiſcopus fuit cum domino ad Vigilias.

Die Lunæ fuit ibidem apud Caturcum cum capitulo in procuratione, in domo capituli; & fuit epiſcopus, & omnes canonici ad prandium cum domino.

Eadem die audivit Miſſam, & prædicavit in majori eccleſia populo, & dedit indulgentiam.

Die Martis ſequenti, ibidem in capella epiſcopi audivit dominus Miſſam, & poſtmodum exivit civitatem Caturcenſem, epiſcopo, & canonicis, & quibuſdam burgenſibus ipſum comitantibus, & conducentibus fere per unam leucam.

Et eadem venit apud Cathuſium prioratum conventualem de Cluſa, ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus in procuratione ad expenſas prioris dicti loci: & comederunt prior, & conventus cum domino. Summa expenſarum, novemdecim libræ, & ſex ſolidi Caturcenſes, valentes tredecim libras, & octo ſolidos Turonenſes.

Eadem die ad ſupplicationem dicti domini Sequardi, remiſit dominus ex gratia iſta vice procurationem ſuam, quam mandaverat in prioratu de Viganteria: quem prioratum idem dominus Sequardus tenebat, & eſt dictus prioratus de abbatia de Marcilliaco.

Die Mercurii ſequenti in mane, ibidem apud Catuſium audivit dominus Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras: & exinde venit apud Archas, prioratum abbatiæ de Marcilliaco: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum ſexdecim libræ, & quatuordecim ſolidi, ſex denarii Caturcenſes, valentes decem libras, & tres ſolidos, quos vulgo vocant Turonenſes.

Die Jovis ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam, prædicari fecit, indulgentiam dedit, confirmavit: & exinde venit apud Luſer, caſtrum domini epiſcopi Caturcenſis; & fuit ibidem cum epiſcopo gratis.

Eadem die finavit domino de procuratione ſua prior de Durcuello a tredecim libris Turonenſibus: & eſt prioratus abbatiæ de Moiſſiaco.

Die Veneris ſequenti ſummo mane, ibidem apud Luſer in quadam capella audivit dominus Miſſam, epiſcopo Caturcenſi præſente; & poſtmodum exinde venit Moſiacum, ubi abbas, & multi alii venerunt ei obviam bene per unam leucam: qui abbas Moſiacenſis præceſſit ad recipiendum dominum proceſſionaliter.

Et fuit dominus ibidem receptus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, ab abbate induto pontificalibus ornamentis; ſicut cappa, mitra, baculo paſtorali, cum chirotecis; & a conventu dicti loci, cum trumpis & gaudio magno.

Et eadem die fuit procuratus in procuratione abbatiæ dicti loci, quæ noluit computare de expenſis.

Die ſabbati ſequenti in mane celebravit ibidem dominus in pontificalibus, cum pallio: prædicavit populo, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde, ad invitationem abbatis, venit dominus apud Caſtelin, domum abbatis prædicti de Moiſiaco, in diœceſi Toloſana; ubi fuit ad expenſas abbatis ex gratia.

Dominica ſequenti, in octavis Paſchæ, venit dominus apud abbatiam Montis Albani, quæ eſt ſub abbate Caſæ Dei, ut dicunt; ubi fuit, campanis pulſatis, proceſſionaliter receptus a conventu dicti loci, abbate abſente, qui erat Romæ.

ANNO CHRISTI 1285.

Poſtmodum venit ad parochialem eccleſiam dicti loci, & celebravit ibidem in pontificalibus cum pallio, & populo prædicavit, indulgentiam dedit, & poſtea reverſus eſt ad dictam abbatiam, & fuit in ea procuratus in procuratione ad expenſas abbatiæ. Summa fuit expenſarum, quindecim libræ, & decem ſolidi Caturcenſes.

Die Lunæ ſequenti, in mane ibidem quoddam altare in honore beati Bartholomæi, & plura parva altaria conſecravit, audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, & viſitavit in capitulo.

Et exinde venit apud Caeracum, prioratum conventualem de Aureliaco, ubi receptus fuit, ut ſupra, a decano & conventu dicti loci, & procuratus ad expenſas decani dicti loci. Summa expenſarum, novemdecim libræ, ſedecim ſolidi Caturcenſes; valent tredecim libras, decem ſolidos, & octo denarios Turonenſes.

Eadem die Lunæ abbas ſancti Marcelli, Ciſtercienſis ordinis, venit ad dominum: cui mandaverat dominus, quod pernoctare volebat in abbatia ſua: qui abbas ſolum allegans paupertatem loci ſui, ſupplicavit domino, ut pro Deo placeret ei iſta vice remittere; cum non haberet, propter cariſtiam temporis, unde poſſet eidem providere in neceſſariis: qui dominus iſta vice ex gratia pepercit eidem.

Die Martis ſequenti, in mane ibidem apud Caerac, audivit dominus Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras. Et exinde venit apud Gardiam Dei, abbatiam ordinis Ciſtercienſis; ubi receptus fuit, ut ſupra, ab abbate & conventu dicti loci: intravit capitulum, prædicavit, & ſe orationibus conventus commendavit, & pernoctavit ibidem ad expenſas abbatiæ: nec fuit computatum.

Die Mercurii ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam, confirmavit, & exinde venit apud Calciatam, prioratum de Figiaco, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra.

Et quia eccleſia dicti loci erat interdicta auctoritate epiſcopi Caturcenſis; magiſter Gausbertus Deſplays, ſocius epiſcopi Caturcenſis, qui conducebat dominum, ob reverentiam domini, relaxavit interdictum, quamdiu dominus eſſet in villa: & ipſa die fuit procuratus ad expenſas archidiaconi Figiaci, qui dictum prioratum tenebat. Summa expenſarum, viginti tres libræ Caturcenſes. Valent quindecim libras, ſex ſolidos, & octo denarios Turonenſes.

Die Jovis ſequenti, in mane audivit ibi dominus Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras: & exinde venit apud capellam Templariorum, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, a capellanis dictæ eccleſiæ, & procuratus ad expenſas magiſtri domus Templariorum dicti loci: & noluit pernoctare.

Die Veneris ſequenti, ad ſupplicationem prioris de Caſlucio, conſecravit dominus quoddam altare in honore beati Ægidii, & beatæ Mariæ Magdalenæ, in Eccleſia beatæ Mariæ de Ihicurc, ſpectante ad prioratum de Caſlucio, & audivit Miſſam.

Et exinde venit apud Caſlucium, prioratum ſancti Antonini, ordinis ſancti Auguſtini; (qui prioratus partim eſt in diœceſi Ruthenenſi, & partim in diœceſi Albienſi;) ubi fuit receptus ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Non fuit computatum.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud ſanctum Antoninum, prioratum conventualem ordinis ſancti Auguſtini; qui prioratus partim eſt in diœceſi Ruthenenſi, & partim in diœceſi Albienſi: & dum veniret ante portas eccleſiæ, dixit domi-nus priori, ut portas eccleſiæ faceret poni ad terram, ratione injuriæ factæ quondam domino Joanni de Soliaco prædeceſſori domini, a monachis & burgenſibus dictæ villæ.

Qui prior oſtendit domino quamdam litteram, ſigillo ejuſdem domini ſigillatam, in qua continebatur, quod idem dominus Joannes, certa pecuniæ quantitate pauperibus erogata, remiſerat depoſitionem dictarum portarum. Qualiter aviſatum, ſatisfactum fuit domino: & receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, a priore & conventu dicti loci. Summa expenſarum fuit, quatuordecim libræ, decem ſolidi Turonenſes; & ibi finivit viſitatio diœceſis Caturcenſis.

*Viſitatio diœceſis Albienſis a domino Bituricenſi archiepiſcopo.*

ANNO CHRISTI 1286.

DIE Dominica ante feſtum apoſtolorum Philippi & Jacobi, eodem anno Domini MCCLXXXVI. completa viſitatione diœceſis Caturcenſis, intravit dominus diœceſim Albienſem.

Et primo eadem die Dominica declinavit apud Woor, domum Templariorum; ubi fuit receptus proceſſionaliter, pulſatis campanis, & procuratus a præceptore dictæ domus. Summa expenſarum, undecim libræ.

Die Lunæ ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam dominus, confirmavit, tonſuras fecit; & exinde venit apud Viantium, prioratum eccleſiæ Albienſis: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, a præpoſito dicti loci, & procuratus. Summa expenſarum decem libræ, & decem ſolidi Turonenſes.

Eadem die venit dominus epiſcopus Albienſis ibidem obviam Domino: & cum locuti fuiſſent inſimul, receſſit epiſcopus, & ivit apud Albiam.

Eadem die finavit de procuratione ſua prior de Rabaſtins, monaſterii Moiſiacenſis, ad duodecim libras Turonenſes: & eadem die remanſit dominus procuratus, & remiſit procurationem quam mandaverat priori de Podio Celſi Abbatiæ Aureliacæ, ad ſupplicationem fratris abbatis ſancti Germani de Pratis Pariſienſis, ex gratia.

Die Martis ſequenti, in vigilia apoſtolorum Philippi & Jacobi, ibidem in mane apud Viancium audivit Miſſam dominus, confirmavit, tonſuras fecit.

Et exinde venit apud Siſterol, prioratum abbatiæ de Galliaco; ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, confirmavit, & fecit tonſuras: & quia domus dicti prioratus non erant ſufficientes, procuravit dominus idem prior in abbatia Gallia-cenſi. Summa expenſarum . . . . . . . . . . .

Et quia idem prior de Siſterol dicebat, quod prædeceſſores domini, conſiderantes paupertatem loci ſui, eidem dare conſueverant aliquem prioratum in adjutorium: quod nequaquam dominus facere poterat, niſi loco primitus viſitato, propter conſtitutionem concilii Lugdunenſis, eidem priori parcere promiſit & procurare, quamprimum ipſum alias contingeret dictam diœceſim viſitare.

Eadem die venit dominus apud Galliacum, abbatiam ordinis ſancti Benedicti; & dicunt ſe eſſe ſub abbatia caſæ Dei; & quia in itinere fuit dictum domino, quod epiſcopus Albienſis excommunicaverat adminiſtratores dictæ abbatiæ: quam ſummam ipſi adminiſtratores dicebant non tenere, quia erant exempti; dominus, more prædeceſſorum ſuorum, voluit recipi proceſſionaliter, pulſatis campanis, a conventu dicti loci, adminiſtratoribus dicti loci tum abſentibus. Et ipſa die procuratus fuit ad expenſas illius prioris de Siſterol.

Die



ANNO CHRISTI 1286.

Die Mercurii ſequenti, fuit ibidem, intravit capitulum, viſitavit, & prædicavit in prato ſito ante capitulum; pro eo quod tanta populi multitudo erat ibi, quod intrare non poterant capitulum, & audivit Miſſam in capella juxta capitulum, & fuit procuratus ipſa die ad expenſas abbatiæ. Summa expenſarum fuit duodecim libræ, ſexdecim ſolidi, & novem denarii Turonenſes.

Die Jovis ſequenti, reconciliavit dominus cimeterium, audivit ibi Miſſam, confirmavit; & exinde venit apud Candelium, abbatiam ordinis Ciſtercienſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, ab abbate & conventu dicti loci; intravit capitulum, prædicavit, & ſe orationibus fratrum commendavit, & pernoctavit ibidem ad expenſas abbatiæ.

Die Veneris ſequenti, in feſto Inventionis ſanctæ Crucis, in mane ibidem audivit Miſſam dominus, confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Lauctum, prioratum ſancti Pontii Narbonenſis, ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, undecim libræ, duo ſolidi, quatuor denarii. Et comederunt cum domino de familia prædicti prioris bene viginti perſonæ.

Die ſabbati ſequenti, in mane celebravit ibidem in pontificalibus, cum pallio, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras ibidem fecit.

Exinde venit apud Caſtras, abbatiam ordinis S. Benedicti; ubi fuit receptus proceſſionaliter, campanis pulſatis, & procuratus, ut ſupra, ab abbate & conventu dicti loci ad expenſas abbatis, ad ſummam. . . . . . . qui noluit computare.

Die Dominica ſequenti poſt feſtum Inventionis ſanctæ Crucis, celebravit ibidem in pontificalibus, cum pallio; prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras, ut ſupra, fecit.

Et exinde venit apud Bullatum, prioratum de abbatia Caſtrenſi, ubi fuit receptus proceſſionaliter, campanis pulſatis, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, quindecim libræ, octo ſolidi, decem denarii.

Et quia prædeceſſores noſtri, attendentes paupertatem ſui prioratus, eidem conſueverant dare aliquem prioratum in adjutorium: quod non poteramus facere, niſi loco prius viſitato, propter conſtitutionem concilii Lugdunenſis repugnantem; promiſimus ei parcere, quamprimum nos contigerit alias dictam diœceſim Albienſem viſitare.

Die Lunæ ſequenti, in mane audivit ibidem Miſſam, & confirmavit; & exinde venit apud ſanctum Amantium, prioratum ſancti Pontii Narbonenſis; ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris. Summa expenſarum, ſexdecim libræ, & ſeptem decim denarii Turonenſes; & eidem priori, quamprimum dictam diœceſim, alias contingerit viſitare, promiſit parcere, ratione, qua parcere promiſit priori de Bullato prædicto.

Die Martis ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Caranam, prioratum ſancti Pontii Narbonienſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, quatuordecim libræ, duo ſolidi, & unus denarius. Et comederunt de familia prioris cum domino ſuo fere viginti perſonæ.

Eadem die prior ſancti Gervaſii, cui dominus mandaverat procurationem ſuam, mandavit domino, quod eum reciperet; ſed propter viarum diſcrimina, nam robatores erant paſſim per loca illa montana, qui quotidie inſidiabant tranſeuntibus: demandavit illi procurationem ſuam quoad præſens.

Die Mercurii ſequenti, ibidem apud *la Carme* audivit Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Ambiletum, prioratum abbatiæ Marſilienſis: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris. Summa expenſarum, terdecim libræ, duodecim ſolidi, & unus denarius Turonenſis: in craſtino autem audivit Miſſam dominus, & fecit tonſuras.

Die Jovis ſequenti in feſto Translationis ſancti Nicolai, intravit dominus civitatem Albienſem; & venit epiſcopus cum magna comitiva obviam domino, qui poſtmodum præceſſerunt ad recipiendum dominum proceſſionaliter.

Et primo declinavit dominus ad eccleſiam cathedralem, ubi fuit receptus, pulſatis campanis, proceſſionaliter, ab epiſcopo, præpoſito, & capitulo eccleſiæ: & poſt receptionem ſuam, declinavit ad domos epiſcopales, ubi procuratus fuit ipſa die ad expenſas epiſcopi. Noluit computare.

Eadem die poſt prandium, venerunt conſules & burgenſes civitatis in camera, quæ eſt juxta capellam epiſcopi, in domibus epiſcopi. Et ibidem ſex burgenſes, ſcilicet: Pontius Hugonis, Aymericus Amati, Raymundus Hugonis, Hugo Deodatus, R. Burgenſia & Secardus Caillerii tradiderunt claves civitatis epiſcopo, quas tradiderat burgenſibus cuſtodiendas epiſcopus, ut dicebat.

Quas claves ibidem epiſcopus reddidit domino archiepiſcopo, tanquam domino ſuperiori: & quamdiu fuit in civitate prædicta dominus archiepiſcopus, penes ſe cuſtodivit; & dictæ traditioni clavium fuerunt præſentes hi qui ſequuntur: videlicet, Raymundus de Fraxinello præpoſitus Albienſis eccleſiæ, Berengarius de Caroineis, & Berengarius de Monte Jovis, eccleſiæ Albienſis archidiaconi: magiſter R. de Canalibus præpoſitus Viantii, Pontius Amati ſacriſta, Bernardus Oliverii, magiſter G. de Monte Jovis, de comitiva domini; frater Guido abbas Vierſionenſis frater domini, magiſtri Reinerius de Senonis archidiaconus Graciacenſis in eccleſia Bituricenſi, & P. de Vierſione canonicus curatus eccleſiæ Vierſionenſis, & Otho de Salinis canonicus Magduneuſis, capellani domini; frater Hugo de Faveriis monachus S. Sulpicii Bituricenſis, frater Joannes de Marſac monachus Vierſionenſis, & plures alii clerici & laici.

Die Veneris ſequenti, in capella epiſcopi audivit Miſſam dominus; & poſt Miſſam exivit civitatem, epiſcopo & multis canonicis eum comitante: & viſitavit prioratum de Eſcuria, abbatiæ Gallia-cenſis: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum, duodecim libræ; & idem promiſit parcere priori, quamprimum ipſum eamdem diœceſim contigerit viſitare, ſemel tantum, ex gratia conſimilibus conceſſa.

Die ſabbati ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam, confirmavit, fecit tonſuras; & exinde reverſus eſt in civitatem, & declinavit ad monaſterium ſancti Savini: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, a præpoſito & conventu dicti monaſterii.

Poſt prandium intravit capitulum, viſitavit, epiſcopo & præſente ipſo; & ipſo die procuratus fuit ad expenſas præpoſiti dicti monaſterii; noluit computare. Poſt cœnam reverſus eſt dominus cum tota familia in domibus archiepiſcopalibus.

Die Dominica ſequenti, qua cantatur, *Cantate*, in mane viſitavit in capitulo majoris eccleſiæ, epiſ-

copo & canonicis præſentibus; prædicavit, celebravit in pontificalibus cum pallio, indulgentiam dedit: & ipſa die procuratus fuit a capitulo dictæ eccleſiæ in domibus archiepiſcopalibus. Et fuerunt ad prandium cum domino epiſcopo, & fere omnes canonici.

Die Lunæ ſequenti, in mane audivit dominus Miſſam in capella Epiſcopi, & fuit cum ipſo ipſa die gratis; ipſa vero die, hora nona, in domibus epiſcopi in camera, quæ eſt juxta capellam epiſcopi.

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Flunhac, prioratum abbatiæ Conchenſis, ubi audivit Miſſam, confirmavit; & locum ſic deſtructum invenit, quod non fuit aliquis qui ſibi procurationem ſuam miniſtraret: propter quod dominus eccleſiam ipſam ſuppoſuit eccleſiaſtico interdicto.

Et poſtmodum venit apud Conchas, ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas abbatis dicti loci, ex gratia.

Poſtmodum, elapſis ſex diebus, venit quidam clericus, tenens dictum prioratum, qui ſe excuſavit pro poſſe erga dictum dominum, pro eo quod non fuerat in receptione ſua. Finavit de procuratione ſua ad duodecim libras, quas dominus portari præcepit abbati Conchenſi, qui dicta die miniſtraverat expenſis; & removit dominus ſummam, quam poſuerat in dicta eccleſia.

*Ruthenenſis diœceſis viſitatio.*

ANno prædicto, die Martis ante Rogationes, intravit dominus diœceſin Ruthenenſem.

Et primo declinavit apud Varenum, prioratum Aureliacenſis abbatiæ, ubi receptus fuit proceſſionaliter a decano & monachis dicti loci, pulſatis campanis, & procuratus ad expenſas decani dicti loci.

Die Mercurii ſequenti, audivit ibi Miſſam dominus, confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Bellolocum, abbatiam ordinis Ciſtercienſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra; audivit Miſſam, & fuit receptus a conventu dicti loci, quia abbas eorum mortuus erat; intravit capitulum, prædicavit, & ſe orationibus conventus commendavit; & ipſa die pernoctavit ibidem ad expenſas abbatiæ. Noluit computare.

Die Jovis ſequenti in mane, audivit ibi Miſſam, & exinde venit apud Leſpurate, domum Hoſpitalariorum, ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra; audivit Miſſam, & confirmavit. Et quia domus præceptoris non erant ſufficientes ad recipiendum dominum, miniſtravit ibidem præceptor procurationem domino apud Verſuel.

Eadem die finavit prior de Valle, qui prioratus eſt de abbatia Aureliacenſi, ſcilicet de procuratione ſua ad quindecim libras, & quatuor ſolidos Turonenſes pro Cambellanis.

Eadem die finaverunt monachi abbatiæ Loci Dei, ordinis Ciſtercienſis, ad quindecim libras Turonenſes; quia dicebant ſe non habere avenam, vinum, nec panem ſufficientem domino.

- Die Veneris ſequenti, venit dominus apud Najatum, prioratum ſancti Antonini, Ruthenenſis diœceſis, ubi fuit receptus proceſſionaliter pulſatis campanis, ut ſupra; audivit Miſſam, & confirmavit, & ibidem fecit tonſuras: & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud Ri[illegible]petroſum, prioratum abbatiæ ſancti Martialis Lemovicenſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, pulſatis campanis, ut ſupra: audivit Miſſam, & confirmavit, & in craſtino fecit tonſuras, & fuit procuratus ipſa die ſabbati ad expenſas decani, vel dicti loci, & noluit computare.

Eadem die remiſit priori de Luſnaco abbatiæ Caſæ Dei procurationem ſuam, ad ſupplicationem abbatis Caſæ Dei, & prioris de Prinazac, hac vice tantum, & ex gratia ſpeciali.

Dominica ſequenti, ſcilicet ante Aſcenſionem Domini, venit dominus apud Prinazac, prioratum Caſæ Dei, ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra: audivit ibi Miſſam, confirmavit, & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci: noluit computare.

Die Lunæ ſequenti in mane, audivit ibidem dominus Miſſam, & celebravit de mortuis pro Gerardo de Vodejo domicello, quondam magiſtro hoſpitii ſui, qui deceſſerat apud abbatiam, ubi remanſerat infirmus: fecit etiam tonſuras.

Et exinde venit apud Rambac vel Rainhac, prioratum abbatiæ Conchenſis, ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, ut ſupra, in quadam minima capella: nam parochialis eccleſia dicti loci per caſum fortuitum corruerat, annus erat jam elapſus. In dicta capella Miſſam audivit, confirmavit, & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci.

Eadem die finavit prior de Villanova monaſterii Moiſiacenſis, ad quindecim libras, & quatuor ſolidos Turonenſes.

Eadem die finavit prior de Petrucia monaſterii Figiacenſis, ad duodecim libras Turonenſes.

Eadem die finavit, prior ſancti Juliani monaſterii Fagiacenſis, ad ſex libras, profeſſus de Mombaſim.

Die Martis ſequenti, venit dominus apud Aſpririas ſeu Aſpirias, prioratum ſancti Martialis Lemovicenſis; ubi fuit receptus proceſſionaliter, pulſatis campanis, ut ſupra, & ibidem audivit Miſſam, & confirmavit, & in mane fecit tonſuras; & ipſa die fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa, quindecim librarum Turonenſium.

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Fluvihac, prioratum abbatiæ Conchenſis, ubi audivit Miſſam, confirmavit, & locum ſuppoſuit eccleſiaſtico interdicto, pro eo quod non fuit aliquis, qui ſibi procurationem ſuam adminiſtraret.

Et exinde venit ad abbatiam de Conchis, ubi fuit receptus proceſſionaliter, pulſatis campanis, ut ſupra; & procuratus fuit in abbatia ad expenſas abbatis ex gratia.

Poſtmodum elapſis ſex diebus quidam clericus ſæcularis, qui dictum prioratum tenebat, finavit dicto domino ad decem libras, & unum denarium Turonenſem.

Die Jovis ſequenti, ſcilicet in feſto Aſcenſionis Domini, dictus dominus in prædicta abbatia de Conchis, ſuam procurationem recepit; intravit ibidem capitulum, & confirmavit, & celebravit majorem Miſſam.

In ſero prior de Barvars contra ipſum dominum, prout in proceſſu continetur, appellavit.

Die Veneris ſequenti, venit dictus dominus ad ſanctum Albinum, prioratum conventualem ordinis ſancti Auguſtini, ubi fuit receptus, ut ſupra, audivit Miſſam, confirmavit, & fuit procuratus, &c.

Die ſabbati ſequenti, tranſivit dominus per Montbriſam, & audivit ibi Miſſam, & confirmavit, & fecit ibi tonſuras; & quia non fuit qui ipſum procuraret, eccleſiam ipſam ſuppoſuit eccleſiaſtico interdicto.





Et exinde venit dominus apud Borneſellum prioratum abbatiæ Conchenſis, ubi fuit receptus proceſſionaliter pulſatis campanis, ut ſupra, & procuratus.

Die Dominica ſequenti, audivit ibi Miſſam, confirmavit, prædicari fecit: & exinde venit apud Claras Vallas, prioratum abbatiæ de Brecoline, ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & audivit Miſſam, & fuit ibi procuratus.

Die Lunæ ſequenti in mane, fecit ibi tonſuras, & confirmavit: & exinde venit apud Marcilhac, prioratum abbatiæ Conchenſis: ubi fuit receptus proceſſionaliter, pulſatis campanis, ut ſupra, & audivit Miſſam, & fuit procuratus.

Die Martis ſequenti, audivit ibi Miſſam dominus, & confirmavit, & fecit tonſuras, & exinde venit apud Lemoſain, domum Templariorum, ubi fuit receptus, ut ſupra, & procuratus, dedit adjutorium priorem de Concorres.

Die Mercurii, venit dominus apud Silvam, ſeu Filvam, domum Templariorum, ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & confirmavit, & fecit tonſuras, & ibidem fuit procuratus ut ſupra.

Die Jovis ſequenti, venit dominus apud Canaberes, domum Hoſpitalariorum: receptus ibi fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & audivit ibi Miſſam, & confirmavit, & fecit tonſuras, & procuratus fuit.

Die Veneris ſequenti, venit dominus ad abbatiam Bonæ Caſæ, vel Bonæ Conſæ, ordinis Ciſtercienſis: qui & prædicavit in capitulo, & Miſſam audivit, & pernoctavit ibidem ad expenſas abbatiæ prædicti loci. In mane fecit tonſuras.

Die Sabbati ſequenti, videlicet in vigilia Pentecoſtes, intravit dominus Bituricenſis civitatem Ruthenenſem. Et primo declinavit ad majorem eccleſiam, ubi fuit receptus a domino epiſcopo, & a capitulo, & procuratus ab epiſcopo.

Die Dominica in feſto Pentecoſtes, fuit dominus cum prædicto domino epiſcopo ex gratia.

Die Lunæ in craſtino Pentecoſtes, fuit dominus cum capitulo.

Die Martis ſequenti, fuit dominus cum priore ſancti Amantii burgi Ruthenenſis, & dedit ſibi ſubſidium ſexaginta ſolidorum Turonenſium, ſuper priorem Caſtri novi de Levezone Marſillienſis abbatiæ, & quadraginta ſuper priore ſancti Geneſii ejuſdem monaſterii.

*In eadem viſitatione fuit conceſſa iſta littera:*

„ NOs Officialis Ruthenenſis, notum eſſe volumus per præſentes, quod anno Domini MCCLXXXVI. reverendo patre domino Simone, Dei gratia Bituricenſi archiepiſcopo, Aquitaniæ primate, Ruthenenſem diæceſim, jure metropolitano, viſitante: priores de Campanhac, de Pratis, & de Trebes, prioratus monaſterii Conchenſis ejuſdem diœceſis Ruthenenſis, ſupplicaverunt eidem, ut ſuper procurationibus, quas ab eis; jure quo ſupra, requirebat, eiſdem parcere dignaretur, inſufficientiam dictorum prioratuum, ac tenuitatem ſuorum redituum, & temporis chariſtiam prætendentes: quorum precibus dictus dominus archiepiſcopus Bituricenſis condeſcendens, eiſdem prioribus, jus Bituricenſis eccleſiæ confitentibus, & recognoſcentibus; ſuper prædictis pepercit hac vice, ſalvo jure ſibi alias & ſuis ſucceſſoribus competenti. In quorum teſtimonium, ad requiſitionem ejuſdem, &c.

*Incipit viſitatio diœceſis Mimatenſis.*

ANno prædicto MCCLXXXVI. die Martis poſt feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, completa viſitatione Ruthenenſis diœceſis, intravit dominus diœceſin Mimatenſem: & primo per calles & valles venit apud ſanctam Eminiam, prioratum conventualem ſancti Theofridi, Anicienſis diœceſis; ubi fuit receptus proceſſionaliter, pulſatis campanis, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum tredecim libræ, & quinque ſolidi Turonenſes.

Die Mercurii ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam, prædicari fecit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras fecit ibidem.

Et exinde aſcendendo venit apud Fleurac, prioratum Caſæ Dei, quem tenebat nepos abbatis Caſæ Dei, ſtudens in ſcholis; ubi fuit receptus, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum fuit quatuordecim librarum, & ſeptem ſolidorum Turonenſium.

Et notandum, quod ibidem venerunt duo monachi monaſterii Aureliacenſis, cum litteris procuratoriis abbatis ſui, & litteris clauſis epiſcopi Ruthenenſis directis domino; locuturi, & tractaturi cum domino ſuper diſcordia, quæ inter dominum & abbatem ſuum vertebatur, ratione prioratuum de Montbazain, Ruthenenſis diœceſis, & de Bayvars ejuſdem diœceſis.

Et in fine finaverunt dicti procuratores de procuratione dicti prioratus de Montbaſain; cujus eccleſiam & procurationem loci ſuppoſuerat dominus eccleſiaſtico interdicto, ratione dictæ procurationis ſibi denegatæ, ad duodecim libras Turonenſes, quas debuerunt tradere domino epiſcopo Ruthenenſi.

Et ad implendum præmiſſa, dominus dedit poteſtatem domino epiſcopo Ruthenenſi amovendi ſummas prædictas, quandocumque ipſi ſatisfactum eſſet, loco noſtri, de dictis duodecim libris, quas afferre vel mittere debebat ad concilium Bituricenſe.

De procuratione autem prioratus de Bayvars, ejuſdem monaſterii, ſuperſedit dominus ad relationem domini epiſcopi Ruthenenſis; aſſerentis per litteras ſuas clauſas, quod locus erat pauper & quaſi inhabitabilis, & quod prædeceſſores domini non conſueverant ibidem procurari.

Die Jovis ſequenti, in mane ibidem apud Fleurac audivit dominus Miſſam, & confirmavit, & tonſuras fecit. Et exinde venit, & intravit dominus civitatem Mimatenſem.

Et primo declinavit ad majorem eccleſiam, ubi fuit receptus proceſſionaliter a capitulo dictæ eccleſiæ: & dum eſſet in choro eccleſiæ, præſentibus canonicis ipſius eccleſiæ, & multis aliis, ob dilationes & pacem dicti capituli, ipſe amovit ſummas ab ipſo auctoritate apoſtolica, latas in quoſdam canonicos dictæ eccleſiæ, opponentes ſe collationi factæ magiſtro P. de Ruthena a domino archiepiſcopo de præpoſitura Mimatenſi per privilegium papale ſibi conceſſum de beneficiis, quæ tanto tempore vacaverant, quod eorum collatio erat ad ſedem Apoſtolicam, juxta Lateranenſia ſtatuta concilii legitime devoluta, &c.

Ipſa die procuratus fuit ad expenſas magiſtri Pauli procuratoris clerici Mimatenſis in Romana curia exſiſtentis in domibus epiſcopalibus ipſius clerici prædicti. Et non fuit computatum.

Die Veneris ſequenti, in mane intravit dominus

capitulum Mimatenſe, prædicavit, & poſtmodum ad majus altare celebravit in pontificalibus cum pallio, prædicavit populo, indulgentiam dedit; & fuit procuratus in domibus epiſcopalibus ad expenſas capituli dicti loci. Non fuit computatum.

Eadem die finavit de procuratione prior de Expaniaco, Mimatenſis diœceſis, monaſterii de Aureliaco, ad ſummam duodecim librarum Turonenſium.

Item prior de Calinao, ordinis Clugniacenſis, ejuſdem diœceſis, finavit ſimiliter de procuratione ad ſummam decem librarum Turonenſium.

Item eadem die finavit ſimiliter de procuratione prior de Cheriaco, conventualis abbatiæ Marcilienſis, ad duodecim libras Turonenſes.

Item, ſimiliter eadem die finavit prior de Canonica, ejuſdem diœceſis, ad decem libras Turonenſes, de procuratione.

Die ſabbati ſequenti, in mane ibidem apud Mimatenſes in capella epiſcopi audivit dominus Miſſam, confirmavit, & circa triginta parvos tonſuravit. Quo facto, exivit civitatem Mimatenſem, & venit ad eccleſiam de Rivotorto parochialem; ibidem viſitavit, & confirmavit quoſdam.

Et exinde ipſa die viſitavit dominus eccleſiam parochialem ſancti Albini; ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas capellani dicti loci, & capellani de Rivotorto, qui per medium procurationem ipſam ſolverunt. Summa expenſarum, quindecim libræ, & ſexdecim ſolidi Turonenſes.

Die Dominica ſequenti, ſcilicet in mane, in octavis Sanctiſſimæ Trinitatis, audivit dominus Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Melteolum, prioratum ſancti Ægidii: ubi receptus fuit a capellano, & quibuſdam monachis dicti loci, priore abſente, qui ex pravitate ſua ſe abſentaverat, ut publice ferebatur.

Et ipſa die fuit dominus procuratus ibidem ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, quindecim libræ; quas ſolvit quidam burgenſis de villa, cui dominus vendidit bladum quod in dicto prioratu invenit; & de reſiduo obligavit & per litteras ſuas ceteros redditus dicti prioratus, uſque ad ſummam procurationis prædictæ.

Die Lunæ ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam dominus, confirmavit, tonſuras fecit; & exinde venit apud Salgue, prioratum ordinis Clugniacenſis: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, viginti libræ Turonenſes.

Et quia communiter dicebatur, quod archiepiſcopi Bituricenſes ibidem non conſueverant procurari, licet locus eſſet ſufficiens ad procurationis onera ſupportanda; dominus eidem priori, ad relevationem expenſarum procurationis prædictæ, dedit ſex libras Turonenſes, percipiendas ſuper prioratum de Bournonele; & alias ſex libras ſuper prioratum de Bor, Claromontenſis diœceſis, dans eis litteras compulſatorias ſub hac forma:

*Tenor prædictarum litterarum.*

SIMON Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas: viro venerabili, & diſcreto domino Geraldo de Monte Alto canonico Mimatenſi; ſalutem in Domino. Ut noſtram provinciam viſitantes in quibuſdam provinciis [illegible] nobis, tamen quantum ad exhibitionem procurationum ſubjectis, conſiderata tenuitate [illegible], agamus mitius cum eiſdem; ubi ſcilicet loca ſunt potiſſime exempta immoderata pecuniæ quantitate, eccleſiis aliis quæ devote, & humiliter procurationum noſtrarum onera ſubierunt: benigne decernimus ſubveniendum ab illis, quos nobis, quantum ad hoc, ſubditos, prout de jure poſſemus, procuratione integra voluimus prægravare; quamquam nec gravamen ſit, nec dici debeat, nobis & prælatis aliis procurationes debitas exhibere, quæ ſingularium eccleſiarum commodis, & affectu, & officio obligarunt. Proinde dilecto in Chriſto priori de Bornhoncle, Claromontenſis diœceſis, ſummam ſex librarum Turonenſium ejus facultatibus imponimus: ut dictas ſex libras, ratione procurationis, ab ipſo priore de Bornhoncle nobis debitæ, religioſo viro priori de Salegne, Cluniacenſis ordinis, qui procurationis nomine nobis reverenter neceſſaria miniſtravit, ſolvere teneatur. Quare diſcretioni veſtræ, tenore præſentium, committimus & mandamus, quatenus eumdem priorem de Bornhoncle, auctoritate noſtra metropolitana, moneatis, ut infra octo dies a monitione veſtra, eidem priori de Salgue, vel ejus mandato, prædictas ſex libras Turonenſes ſolvere non omittat: quod ſi monitus non fecerit, ipſum, quem ex tunc ſuſpendimus, interdicimus, & excommunicamus; ſuſpenſum, & interdictum, & excommunicatum per capellanum, curatum parochialem eccleſiæ de Bornhoncle, & per omnes alios circumvicinos capellanos eccleſiarum parochialium denunciari publice faciatis; eccleſiam quoque parochialem de Bornhoncle eccleſiaſtico interdicto vice noſtra ſupponentes, ſi opus fuerit, quouſque idem prior monitus de prædicta pecuniæ quantitate, & de toto intereſſe integre ſatisfecerit. Subſequenter omnes & ſingulos qui priori de Bornhoncle ad exhibitionem debitorum redituum, & obventionem, ſeu decimarum quarumlibet ſunt adſtricti, moneatis ſub inhibitione ſolemni, ne eidem priori de Bornhoncle quidquam exhibeatis de eiſdem, niſi ſatisfactione prædictæ pecuniæ præcedente. Quod ſi ſecus egerint, ipſos, quos nunc prout ex tunc pœna conſimili innodamus, excommunicatos ſimiliter publice nunciari mandetis; quam pœnam extendimus in omnes, qui mandati veſtri, immo noſtri, circa hoc extiterint tranſgreſſores. Ut autem præmiſſa omnia, ſingula, exſequi, nec non & prælibatas ſummas aggravare per vos vel per alium valeatis, vobis tenore præſentium committimus & mandamus. Datum & ſigillo noſtro ſigillatum, anno Domini MCCLXXXVI. ante feſtum beati Joannis Baptiſtæ, die Mercurii.

Conſimilem litteram compulſoriam habuit idem prior de Salgue, contra priorem de Bor prædictum, pro aliis ſex libris.

Die Martis ſequenti, ibidem apud Salgue in mane Miſſam audivit, & confirmavit, & fecit tonſuras: & exinde viſitatione Mimatenſi completa, venit apud Sancergne, domum præpoſiti Brujacenſis juxta votum: ubi fuit ad invitationem præpoſiti memorati ex gratia.

*Viſitatio diœceſis Claromontenſis per Bituricenſem archiepiſcopum.*

ANno Domini MCCLXXXVI. die Lunæ poſt Ramos Palmarum, intravit reverendus pater Simon, Bituricenſis archiepiſcopus, diœceſim Claromontenſem, cauſa viſitationis. Et primo declinavit apud Silvigniacum, prioratum conventualem ordinis Cluniacenſis, ibi fuit cum priore in procuratione ipſa die. Summa expenſarum, duodecim libræ & quindecim ſolidi. In craſtino audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, & fecit tonſuras.



Eadem die finavit de procuratione ad duodecim libras, prior de Firmitate moniali, ordinis Cluniacenſis, diſtans a Silviniaco per tres leucas: & viſitavit dominus tranſeundo.

Similiter eadem die finavit de procuratione ad decem libras, prior de Barnay, ordinis Cluniacenſis, diſtans a Silvigniaco per tres leucas.

Die Martis ſequenti, venit dominus apud Vernolium, ubi fuit receptus proceſſionaliter a capitulo dictæ eccleſiæ, & procuratus. Summa expenſarum, novem libræ, & decem ſolidi, de quibus ad relevationem expenſarum dedit eis quadraginta ſolidos Turonenſes: & quædam alia jura procurationis remiſit eis, pro eo quod invenit locum pauperrimum: & diſtat a Silvigniaco per quinque leucas. In craſtino audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, tonſuras fecit, & in capitulo viſitavit.

Eadem die Martis, finavit de procuratione ad novem libras prior de Salis, ordinis Cluniacenſis, diſtans a Vernolio per tres leucas, nec pro tanto eſſet immunis, niſi magiſter Stephanus curatus de Mainçac conducens dominum, pro eo ſpecialiter rogaviſſet.

Die Mercurii, fuit dominus apud ſanctum Porcianum, cum priore ordinis Cluniacenſis: in procuratione non fuit computatum. Diſtat a Vernolio per unam leucam: in craſtino audivit ibidem Miſſam dominus, prædicavit, indulgentiam dedit, & confirmavit, & tonſuras fecit.

Eadem die Mercurii, finavit de procuratione ad decem libras, & quatuor ſolidos per Cambellanum prior de Broo, ordinis Cluniacenſis, diſtans a ſancto Porciano per tres leucas: & viſitavit eumdem locum dominus dicta die.

Eadem die, ſimiliter finavit de procuratione ad decem libras, & quatuor ſolidos, per Cambellanum prior de Janzec, diſtans a ſancto Porciano per tres leucas, vel quatuor: & viſitavit dominus locum.

Die Jovis ſequenti, fuit dominus in abbatia ſancti Gerberti ordinis Præmonſtratenſis, cum abbate in procuratione, & ibi ſanctum chriſma confecit. Dicta abbatia diſtat a ſancto Porciano per duas leucas: in craſtino audivit ibidem ſervitium, confirmavit, & fecit tonſuras.

Die Veneris ſequenti, venit dominus ad prioratum de Chambarande monaſterii Menatenſis: & invenit eccleſiam dicti loci valde male ædificatam, & quaſi minantem ruinam: nec habebat prior domos ubi poſſet habitare, excepta quadam grangia in qua dominus, & ſui jacuerunt, & procurati fuerunt a priore dicti loci. Summa expenſarum, ſeptem libræ, & ſeptem ſolidi. Et diſtat ab abbatia prædicta ſancti Gerberti per duas leucas.

Die ſabbati ſequenti, ſcilicet in vigilia Paſchæ, viſitavit dominus eccleſiam de Karofio, pertinentem ad præceptorem domus Militiæ Templi de Marchia: qui quidem præceptor finavit de procuratione ad undecim libras, & quatuor ſolidos pro Cambellanis. Quas undecim libras dominus expendit, ipſa die in domo ſua de Naves: & in eccleſia de Naves ordines celebravit dicta die ſabbati: & quoſdam de Bituricenſi & Claromontenſi diœceſibus clericos ordinavit.

Eadem die ſabbati, finavit de procuratione ad quatuordecim libras, prior de Eſcuroliis, ordinis Cluniacenſis, diſtans a Marchia per duas leucas: quas expendit in domo ſua de Naves ipſa die.

Die Dominica ſequenti, ſcilicet ipſa die Reſurrectionis, fuit dominus apud Naves in domo ſua ad proprias expenſas: & ipſa die in parochiali eccleſia dicti loci, celebravit ſolemniter in pontificalibus, cum pallio.

Die Lunæ ſequenti, anni MCCLXXXVII. venit dominus apud Gannac, prioratum abbatiæ Yſiodorenſis: ibi fuit cum priore in procuratione. Summa expenſarum, undecim libræ, ſeptem ſolidi, & octo denarii.

In craſtino Miſſam ibidem audivit, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras fecit: & diſtat villa de Gannac a caſtro de Navis per tres leucas.

Eadem die, finavit de procuratione ad decem libras, & quatuor ſolidos, prior ſancti Boniti de Monte Pancerii ordinis Cluniacenſis, diſtans a villa de Gannac per duas leucas. Et ipſa die viſitavit dominus prædictum prioratum ſancti Boniti.

Die Martis ſequenti, fuit dominus apud ſanctum Geneſium cum priore dicti loci, monaſterii Ebrolienſis, in procuratione. Summa expenſarum, decem libræ, ſex ſolidi, & tres denarii: & diſtare dicitur locus a villa de Gennac per duas leucas. In craſtino audivit dominus ibidem Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras.

Eadem die, finavit de procuratione ad decem libras, prior de Montibus, ordinis Cluniacenſis, diſtans a villa ſancti Geneſii per tres leucas: quem locum dominus tranſeundo viſitavit.

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Aquam ſparſam: viſitavit eccleſiam dicti loci, & fuit procuratus a capitulo de Thiare, qui tenetur ad procurationem. Summa expenſarum, undecim libræ, & decem ſolidi, cum ſex denariis. In craſtino Miſſam audivit ibidem, & prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras. Diſtat a villa ſancti Geneſii per leucam.

Die Jovis ſequenti, viſitavit dominus prioratum de Luſillac, abbatiæ Caſæ Dei, & fecit procurationem ſuam prior dicti loci apud Buyllon. Summa expenſarum, decem libræ, decem & octo ſolidi, & ſex denarii: & diſtat Luſillac ab Aqua ſparſa per duas leucas, & a Buyllon per unam leucam.

Die Veneris ſequenti, viſitavit dominus prioratum de Buyllon, audivit Miſſam, confirmavit, fecit tonſuras, & fuit procuratus a priore dicti loci, in procuratione. Summa expenſarum, decem libræ.

Die Sabbati ſequenti, viſitavit dominus prioratum de Marengne, monaſterii Caſæ Dei, ubi Miſſam audivit, confirmavit, tonſuras fecit, & fuit procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum, decem libræ, undecim ſolidi: & diſtat a villa de Buyllon per leucam.

Die Dominica ſequenti, ſcilicet in octavis Paſchæ, audivit dominus Miſſam apud prædictum prioratum de Marengne: & exinde venit apud Bellum reguardum, ubi fuit cum epiſcopo Claromontenſi gratis: & diſtat a villa de Marengne per duas leucas.

Die Lunæ ſequenti, intravit dominus civitatem Claromontenſem, epiſcopo eum ſemper comitante. Et primo declinavit ad eccleſiam ſæcularem beatæ Mariæ de Portu.

Intravit capitulum una cum epiſcopo, & ibidem viſitavit, & procuratus fuit a capitulo dictæ eccleſiæ, in domibus epiſcopi Claromontenſis. Summa expenſarum, decem libræ, quindecim ſolidi, & octo denarii.

Die

ANNO CHRISTI 1286.

Die Martis ſequenti, viſitavit dominus eccleſiam ſæcularem ſancti Geneſii, epiſcopo præſente: & procuratus fuit ab abbate & capitulo dicti loci, in domibus epiſcopi Claromontenſis. Summa expenſarum, undecim libræ, ſeptemdecim ſolidi, & ſex denarii.

Die Mercurii ſequenti, viſitavit dominus eccleſiam ſæcularem de Chamalore Claromontenſem: viſitavit in capitulo, confirmavit, tonſuras fecit, & fuit procuratus a capitulo dicti loci, in domibus epiſcopi. Summa expenſarum, decem libræ, octo ſolidi, & ſex denarii.

Et cum dominus fuit Claromontis, tractavit de multis: primo de contentione quæ vertebatur inter eccleſiam Claromontenſem, & monaſterium Caſæ Dei.

Die Jovis ſequenti, exivit dominus civitatem Claromontenſem, & venit apud Montem Ferrandi; viſitavit eccleſiam dicti loci, & procuratus fuit a priore dicti loci, ordinis monaſterii Caſæ Dei. Summa expenſarum, undecim libræ, quinque ſolidi, & ſeptem denarii.

In craſtino audivit ibi Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras: & exinde venit in domum Fratrum Prædicatorum Claromontenſium, ubi tractavit de negotio clerici Menutenſis, uſque ad horam pomeridianam.

Die Veneris ſequenti, viſitavit dominus prioratum de Cheronac abbatiæ Caſæ Dei, & fuit procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum ſeptem libræ, decem ſolidi, & ſex denarii. In mane audivit dominus Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras. Cheronac diſtat a Claromonte per duas leucas.

Eadem die, finavit de procuratione ad decem libras, & quatuor ſolidos, prior de Rajac ordinis Cluniacenſis, diſtans a Claromonte per dimidiam leucam.

Die Sabbati ſequenti, viſitavit dominus eccleſiam de Creſto, Miſſam audivit, & fuit procuratus a priore dicti loci, monaſterii Caſæ Dei, qui ſolvit aliam medietatem. Summa expenſarum, undecim libræ, & undecim ſolidi. In craſtino audivit Miſſam ibidem, prædicavit populo, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras. Creſtum diſtat de Cheronac per leucam.

Die Dominica ſequenti, ſcilicet in quindena Paſcha, venit dominus ad prioratum de Urſeto, monaſterii de Moriac, & fuit procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum, novem libræ cum quatuor ſolidis. In craſtino audivit Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras.

Eadem die, finavit de procuratione prior de Chavaros ordinis Cluniacenſis, ad decem libras, & quatuor ſolidos pro Cambellanis.

Eadem die, finavit de procuratione ad decem libras, cum jure Cambellanorum, prior Pontis Caſtri, ordinis Cluniacenſis.

Die Lunæ ſequenti, in mane ibidem apud Urſetum audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit: & exinde venit apud ſanctum Saturninum abbatiæ Iſiodorenſis: ubi viſitavit & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, decem libræ, quinque ſolidi.

Et eadem die ivit unam leucam: & quia eccleſia dicti loci erat ſuppoſita eccleſiaſtico interdicto, auctoritate Officialis Claromontenſis, ratione Joannis Azam clerici, dominus nullum officium fecit ibidem: ſed ſuper hoc ſcripſit epiſcopo Claromontenſi.

Die Martis ſequenti, per viam aſperrimam venit dominus ad prioratum ſancti Necterii, prioratus Caſæ Dei, viſitavit, audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit: & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ, & novemdecim ſolidi: & ipſa die fecit duas leucas.

Die Mercurii ſequenti, audivit ibidem dominus Miſſam, prædicari fecit, indulgentiam dedit: & exinde venit apud Montem Actum ſeu Acutum, prioratum ordinis Cluniacenſis: ubi in eccleſia dicti loci duo altaria conſecravit; unum in honore beati Joannis Baptiſtæ, & beatæ Mariæ Magdalenæ; & aliud in honore beati Mauritii: & ipſa die fuit procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum, decem libræ: & equitavit ipſa die unam leucam.

Die Jovis ſequenti, celebravit ibidem Miſſam pro defunctis, prædicavit, indulgentiam dedit, & tonſuras fecit.

Et exinde venit apud Grezi, prioratum Caſæ Dei, ubi viſitavit, & quatuor leucas equitavit: & quia datum erat intelligi domino, quod domus non erant ſufficientes ad ipſum recipiendum; venit apud ſanctum Germanum de Lambron, diſtantem per leucam: ubi procuratus fuit a priore de Greſiaco, in domibus capituli Brivacenſis. Summa expenſarum, decem libræ, & undecim ſolidi Turonenſes.

Die Veneris ſequenti, viſitavit dominus eccleſiam ſancti Germani de Lambrun: audivit Miſſam, prædicari fecit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras fecit: & fuit procuratus a capellanis ſancti Germani, ſancti Joannis, ſancti Clementis dicti loci; & dedit dominus litteram compulſivam de illis qui nolebant ſolvere partem procurationis prædictæ.

Die Sabbati ſequenti, venit dominus apud Bornhoncle, prioratum Salſiniarum: ubi Miſſam audivit, confirmavit, tonſuras fecit; & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ, quinque ſolidi: & ipſa die equitavit duas leucas.

Dominica ſequenti, ſcilicet poſt feſtum beati Marci Evangeliſtæ, venit dominus apud veterem Brinatenſem, prioratum abbatiæ Piperatenſis; ubi Miſſam audivit, prædicavit, & confirmavit, & tonſuras fecit: & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, novem libræ Turonenſes: & equitavit dominus duas leucas.

Die Lunæ ſequenti, venit dominus apud Villo, prioratum Piperatenſem: ubi Miſſam audivit, confirmavit, tonſuras fecit: & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ, & tres ſolidi: & equitavit unam leucam.

Die Martis ſequenti, ibidem audivit dominus Miſſam in mane, prædicavit, indulgentiam dedit: & exinde equitando unam leucam, venit apud Azarac, prioratum Caſæ Dei; & exinde fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ, & quatuor ſolidi Turonenſes.

Die Mercurii ſequenti, quoddam cimeterium eccleſiæ contiguum benedixit, Miſſam audivit, confirmavit, tonſuras fecit: & exinde equitando tres leucas, venit apud Nonnetam, prioratum Caſæ Dei; & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, decem libræ, & quatuor ſolidi.

Die Jovis ſequenti, ſcilicet in feſto Apoſtolorum Philippi & Jacobi, in mane audivit ibi Miſſam, confirmavit, & fecit tonſuras: & exinde venit apud Iſiodorum, abbatiam S. Benedicti, celebravit in pontificalibus cum pallio, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit: & fuit procuratus ad expen-



ANNO CHRISTI 1286.

ſas abbatiæ. Summa expenſarum, decem libræ, & quinque ſolidi: & equitavit ipſa die per duas leucas.

Die Veneris ſequenti, audivit ibi Miſſam in mane, tonſuras fecit: & exinde venit apud Cornomum, ubi ipſe, & Claromontenſis epiſcopus, & abbas Caſæ Dei convenerunt, ad tractandum ſuper multis.

Et exinde, poſt tractatum habitum, venit apud ſanctum Andream, prioratum abbatiæ Caſæ Dei: ubi fuit procuratus ipſa die ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, decem libræ, ſex ſolidi.

Die ſabbati ſequenti, ſcilicet poſt feſtum Apoſtolorum Philippi & Jacobi, in mane audivit ibidem dominus Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit: & exinde venit apud Chaurihac, prioratum Salſiniarum, ubi fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci, & capituli Vertoſionis. Summa expenſarum, octo libræ, cum decem ſolidis Turonenſibus.

Die Dominica ſequenti, in mane ibidem quamdam capellam veterem reconciliavit, Miſſam audivit, prædicari fecit, indulgentiam dedit, tonſuras fecit, & confirmavit.

Et exinde venit apud Vic, prioratum abbatiæ Magni Loci: ubi fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, novem libræ, cum decem ſolidis.

Die Lunæ ſequenti, in mane audivit ibidem dominus Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras.

Et exinde venit apud Celſinias, prioratum conventualem ordinis Cluniacenſis: ubi fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Non fuit computatum.

Die Martis ſequenti, in mane audivit ibidem dominus Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit; & locutus fuit cum domina Johanna, domina Soliaci, quæ ibidem venerat de Bituria, ratione cujuſdam declarationis, quam fecerat dominus de contentis in quodam compromiſſo facto ſuper eum a domino Henrico, quondam domino Soliaci, & comite Meleduni.

Et poſtmodum venit apud Magnum Locum, abbatiam ſancti Benedicti, ubi fuit procuratus ad expenſas abbatis dicti loci: & non fuit computatum.

Die Mercurii ſequenti, in mane ibidem audivit Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras: & exinde venit apud *la Foilleuſe*, domum Templariorum; ubi fuit procuratus a præceptore dicti loci. Summa expenſarum, decem libræ cum ſex ſolidis.

Die Jovis ſequenti, in mane viſitavit Eccleſiam parochialem de Cuyllat, pertinentem ad dictam domum *de la Foilleuſe*: audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, & partem cimeterii dictæ eccleſiæ reconciliavit.

Et exinde venit apud Nazac, eccleſiam collegiatam; ubi fuit procuratus ad expenſas capituli dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ, ſeptemdecim ſolidi.

Die Veneris ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam, prædicari fecit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuraſque fecit, & exinde venit . . . ubi epiſcopum Claromontenſem invenit, & ſuper multis tractavit cum eo. Eccleſiam de . . . . . viſitavit: qua viſitata venit apud Riomum in abbatia: ubi ipſa die fuit procuratus ad expenſas capituli de Sallazac, vel Sabbazac; pro eo quod non habebant domos ſufficientes, ut dicebatur. Summa expenſarum, decem libræ Turonenſes.

Die ſabbati ſequenti, ibidem apud Riomum in abbatia audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, intravit capitulum, prædicavit, indulgentiam dedit.

Et his actis, ad muniendum ſe, venit ad quamdam domum, vocatam domum de Stanno, juxta Mozac: ubi ipſa die fuit ad expenſas abbatis Riomenſis. Summa expenſarum fuit, tredecim libræ, & tres ſolidi.

Die Dominica ſequenti, ſcilicet ante feſtum Aſcenſionis Domini, fuit dominus ibidem, & in mane viſitavit monaſterium de Mozac: audivit ibi Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit in capitulo, & prædicavit. Et poſt reverſus eſt ad dictam domum de Stanno, ubi fuit procuratus ad expenſas abbatiæ prædictæ de Mozac, abbate abſente.

Et notandum, quod dicta domus de Stanno non tenetur ad aliquam procurationem: ſed cauſa recreationis venit tantum ibi dominus Bituricenſis.

Die Lunæ ſequenti, viſitavit Dominus prioratum de Volvit: audivit ibi Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit: deinde venit apud Maroac, prioratum monialium; ubi prædicavit, indulgentiam dedit, & quaſdam moniales iſtius loci confirmavit.

Et exinde reverſus eſt ad dictam domum de Stanno, ubi dicta die dictus prior de Volvit fecit ſibi procurationem ſuam, cum domus dicti prioris non eſſent bene præparatæ. Summa expenſarum fuerunt decem libræ: & equitavit duas leucas.

Die Martis ſequenti tranſiens dominus per abbatiam Binauziaci, audivit ibi Miſſam, confirmavit, fecit tonſuras: & exinde venit apud Telleide, prioratum Caſæ Dei; procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum decem libræ, tres ſolidi: & equitavit per duas leucas.

Die Mercurii ſequenti, in mane audivit ibi Miſſam, & fecit tonſuras: & exinde venit apud Celville, prioratum de Menato; audivit ibi Miſſam, confirmavit, & tonſuras ibidem fecit.

Et quia domus dicti prioratus non erant paratæ; fecit ibidem prior procurationem domino in abbatia ſancti Illidii Claromontenſis: & comedit ipſa die dominus epiſcopus Claromontenſis cum domino, ad invitationem dicti abbatis ſancti Illidii, & ipſa eadem die equitavit adhuc dominus quatuor leucas.

Die Jovis ſequenti, in feſto ſcilicet Aſcenſionis Domini, fuit dominus cum epiſcopo Claromontenſi: & ipſa die in eccleſia majori Claromontenſi, præſente domino Epiſcopo, celebravit in pontificalibus, & acolytos fecit.

Et Miſſa celebrata, venit ad dictam domum Doujardini, epiſcopo Claromontenſi eum ſemper concomitante.

Eadem die, epiſcopo prædicto præſente, in eccleſia prædicta Claromontenſi dominus cantavit Veſperas: quibus cantatis, epiſcopo Claromontenſi eum ſemper comitante, venerunt ad domum dictam *Doujardin*, vel Doujardini, ad cœnam: & jacuit ibidem.

Die Veneris ſequenti, in mane audivit dominus Miſſam in capella epiſcopi Claromontenſis, quæ eſt in domibus epiſcopalibus: qua audita, ipſe & epiſcopus Claromontenſis, & multi alii tractaverunt de confirmatione fratris Durandi electi Menatenſis abbatis: & fuit ibidem confirmatus.

Et poſtmodum venit dominus apud Albiac, prioratum de Riomo: ubi fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci, aſſerentis, quod alias non procuraverat integre. Summa expenſarum, novem libræ

ANNO CHRISTI 1286.

bræ Turonenſes : & equitavit quatuor leucas.

Die ſabbati ſequenti, audivit ibidem Miſſam dominus Bituricenſis, & confirmavit, & fecit tonſuras; & exinde venit apud Ebrolium, abbatiam ordinis ſancti Benedicti, ubi fuit procuratus ad expenſas abbatis dicti loci. Non fuit computatum.

Die dominica ſequenti, ſcilicet poſt Aſcenſionis Dominicæ feſtum, viſitavit dominus prioratum de Veltia, abbatiæ Ebrolienſis prædictæ : & inveniens locum interdictum pro procuratione Legati, & diſſipatum ad priorem abſentem; regreſſus eſt ad dictam abbatiam Ebrolienſem : ubi fuit procuratus ipſa die dominus ex gratia.

Die Lunæ ſequenti, in mane ibidem apud Ebrolium audivit Miſſam dominus, & prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & fecit tonſuras.

Et exinde venit apud Lacum Rubeum, prioratum conventualem ordinis ſancti Auguſtini : ubi fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, decem libræ & ſeptem ſolidi Turonenſes. Comedit totus conventus cum domino.

Die Martis ſequenti, in mane audivit ibidem Miſſam dominus, & confirmavit, & tonſuras fecit. Et exinde receſſit, & venit apud Menatum, domino Claromontenſi epiſcopo ſibi obviante, & comitante, & cum novo abbate Menatenſi.

Et ante portam monaſterii de Menato venientes, conventus dicti loci, indutus cappis ſericis obviaverunt ei; & fuit receptus novus abbas dicti monaſterii de Menato, & inſtallatus : & intrantes monaſterium ipſum, domino archiepiſcopo a dextris, & epiſcopo a ſiniſtris, & abbate in medio eorum, flexerunt omnes genua ante altare.

Et poſtmodum dominus archiepiſcopus Bituricenſis dedit benedictionem ſuam. Quo facto, quilibet in ſuam cameram intravit; & poſtmodum adhuc dictus abbas Miſſam novam celebravit : & ipſo die domini archiepiſcopus, & epiſcopus, ob reverentiam dicti abbatis, fuerunt ibidem procurati.

Die Mercurii ſequenti, in mane audivit dominus ibidem Miſſam, & confirmavit; & poſtmodum domini archiepiſcopus & epiſcopus Claromontenſis intraverunt capitulum : & abbate, & conventu præſentibus, poſt ſermonem factum a domino Bituricenſi archiepiſcopo; dominus epiſcopus, ad reformationem ordinis dicti Monaſterii ſtatuit quædam ſtatuta : ſupplicans domino archiepiſcopo, ut ea confirmaret.

Cui dominus archiepiſcopus annuit benigniter & devote. His actis, dominus archiepiſcopus, equitando tres leucas, venit apud Bellam Aquam, abbatiam ordinis Ciſtercienſis : ubi ipſa die pernoctavit, & hoc ad expenſas abbatiæ.

*Secunda viſitatio diœceſis Claromontenſis a domino Bituricenſi archiepiſcopo.*

ANNO CHRISTI 1287.

ANno Domini 1287. Dominica in feſto beati Matthæi, intravit dominus diœceſim Claromontenſem, ad viſitandum quæ non viſitaverat in viſitatione præmiſſa.

Eadem die declinavit primo dominus apud Marcillac, prioratum abbatiæ Menatenſis, ubi fuit procuratus : nec fuit computatum.

Die Lunæ, venit dominus apud Montem Acutum : ubi fuit cum priore in procuratione. Summa expenſarum, octo libræ.

Die Martis ſequenti, venit dominus apud Pogneac, prioratum abbatiæ Ebrolienſis : ubi audivit Miſſam, prædicavit, tonſuras fecit, & procuratus fuit a priore dicti loci. Summa expenſarum, ſex libras.

Die Mercurii ſequenti, viſitavit dominus eccleſiam parochialem ſancti Gilvaſii, audivit ibi Miſſam : & procuratus fuit apud Chambonet a capitulo ſancti Gilvaſii, & priore de Chambonet; qui duo tenentur per medium ad procurationem ſancti Gilvaſii per procurationem.

Nota, quod ſibi debebatur ratione prioratus de Chambonet; remiſit ipſa die : quia dictus prioratus eodem anno datus ſibi fuit ad vitam.

Die Jovis ſequenti, venit dominus apud Montem Fremini, prioratum abbatiæ Ebrolienſis; ubi Miſſam audivit, prædicavit, & confirmavit, & tonſuras fecit; & procuratus fuit a priore dicti loci.

Die Veneris ſequenti, viſitavit dominus eccleſiam ſancti Periceti; & fuit procuratus a priore & capellano dicti loci : tamen dicebatur communiter, quod archiepiſcopi Bituricenſes ibidem alias non fuerunt procurati; & fuit præſens in procuratione electus Menatenſis.

Die ſabbati ſequenti venit dominus apud Rupem Dagon, prioratum monaſterii ſancti Genulphi, Bituricenſis diœceſis; ubi Miſſam audivit, tonſuras fecit : & fuit procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum ſex librarum Turonenſium fuit.

Dominica ſequenti, ſcilicet in vigilia beati Michaelis, viſitavit dominus prioratum de Doutre, abbatiæ ſancti Genulphi : & fuit procuratus a priore dicti loci in quadam domo vocata, *Beaulen*; quia domus non erant ſufficientes in dicto prioratu.

Die Lunæ ſequenti, ſcilicet in feſto beati Michaelis, celebravit dominus in eccleſia de Doutre, prædicavit, indulgentiam dedit, fecit tonſuras; & fuit eadem die cum abbate de Menato ex gratia, in domo dicta *Beaulen* prædicta.

Die Martis ſequenti, viſitavit dominus prioratum *de ſaint Bar*, abbatiæ Cambonenſis, diœceſis Lemovicenſis : ubi Miſſam audivit, tonſuras fecit; & fuit procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum. . . . .

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Mantes, prioratum ſimiliter Cambonenſem : ubi Miſſam audivit, prædicari fecit; & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, ſex libræ, & quinque ſolidi.

Die Jovis ſequenti, venit dominus apud Grajac, prioratum monaſterii de Mozac : & invenit eccleſiam & prioratus firmatos; nam epiſcopus Claromontenſis frater Guido dictum prioratum per longum tempus tenuerat : & ideo archiepiſcopus Bituricenſis, ob dilectionem ipſius non declinabat; propter quod prior dicti prioratus dicebat, quod non tenebatur ad procurationem; licet inveniretur in papyro domini Joannis Bituricenſis archiepiſcopi, quod tempore quo idem dominus Claromontenſis dictum prioratum tenebat, fuerat procuratus.

Tadem, poſt multas altercationes, dominus receptus fuit & procuratus a priore dicti loci, ſub iſta forma : quod per hanc receptionem nullum novum jus, nulla nova poſſeſſio acquiretur eccleſiæ Bituricenſi; & ſuper facta fuit littera, quæ remanſit priori : & commiſſa fuit inquiſitio præpoſito Claromontenſis eccleſiæ.

Die Veneris ſequenti, venit dominus apud Hermancum : ubi procuratus fuit a capitulo dicti loci; in craſtino celebravit ibidem, prædicavit, indulgentiam dedit, & multas tonſuras fecit.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud Agele, prioratum abbatiæ ſancti Illidii Claromontenſis;



ANNO CHRISTI 1287.

ubi fuit procuratus a Priore dicti loci. Summa expenſarum ſeptem libræ, & tres ſolidi.

Dominica ſequenti, ſcilicet ante feſtum beati Dionyſii, venit apud Aureamvallem; ubi celebravit, prædicavit, fecit tonſuras : & fuit procuratus a dicto capitulo dicti loci. Summa expenſarum, ſeptem libræ, & ſex ſolidi.

Tunc de conſilio Claromontenſis epiſcopi, & præpoſiti, dimiſit iter ſuum de eundo apud Aureliacum; quia dicebant vias eſſe intolerabiles propter frigus.

Die Lunæ ſequenti, venit dominus apud Briſont, prioratum Abbatiæ Caſæ Dei : ubi Miſſam audivit, tonſuras fecit; & fuit procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum, ſex libræ.

Die Martis ſequenti, venit dominus apud Clarummontem; viſitavit eccleſiam ſancti Andreæ, ordinis Præmonſtratenſis : & fuit procuratus ab abbate, & conventu dictæ eccleſiæ.

Die Mercurii ſequenti, fuit ibidem cum epiſcopo Claromontenſi in domibus epiſcopalibus gratis.

Die Jovis ſequenti, ſcilicet in feſto beati Dionyſii, fuit dominus in abbatia ſancti Illidii Claromontenſis cum abbate gratis.

Die Veneris ſequenti, venit dominus apud ſanctum Deſiderium, prioratum abbatiæ Caſæ Dei, ubi Miſſam audivit, & confirmavit, tonſuras fecit; & procuratus fuit a priore dicti loci. Summa expenſarum, ſex libræ, cum ſex ſolidis Turonenſibus, vel decem ſolidis.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud Cumilhac : ubi fuit procuratus a priore dicti loci. Summa expenſarum fuit ſeptem libræ.

Dominica ſequenti, ſcilicet ante feſtum beati Lucæ, venit dominus apud ſanctum Germanum Lemp. prioratum Abbatiæ Caſæ Dei : ubi Miſſam audivit; & procuratus fuit a priore dicti loci. Summa expenſarum, ſeptem libræ, cum decem ſolidis.

Die Lunæ ſequenti, fuit dominus apud Alencum Burgi, prioratum abbatiæ de Cluſa : ubi Miſſam audivit, & prædicavit; indulgentiam dedit; & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci.

Die Martis ſequenti, viſitavit dominus prioratus de Marcat & Dambert, ordinis Clugniacenſis; & quia pauperes erant, finaverunt pro procuratione ad octo libras; nec pro tanto eſſent quitti, ſed gratia eis fuit facta iſta vice ad ſupplicationem domini Stephani Capellani de Maincac, qui conducebat nos.

Eadem die, venit dominus apud Salinach, prioratum conventualem de Cluſa : ubi in craſtino Miſſam audivit, prædicavit, indulgentiam dedit; & ipſa die Martis procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci.

Die Mercurii ſequenti, viſitavit dominus abbatiam Thiernenſem : ubi Miſſam audivit, prædicavit, indulgentiam dedit, & procuratus fuit ad expenſas dictæ abbatiæ Thiernenſis.

Eadem die Mercurii, finavit abbas Thiernenſis de procurationibus prioratuum Nigri Stabuli, & de Angeroles, ordinis Clugniacenſis, quos prioratus tenebat, ad tredecim libras, & octo ſolidos Turonenſes.

Die Jovis ſequenti, viſitavit dominus eccleſiam collegiatam de Thienio : ubi Miſſam celebravit, prædicavit, indulgentiam dedit, & comedit una cum ſociis ſuis, cum magiſtro G. de Malo monte gratis, & cetera familia ſuper capitulum loci : & fuit ſumma expenſarum, ſex libræ & novem ſolidi.

Die Veneris ſequenti, venit dominus apud Montem Petroſum, abbatiam ordinis Ciſtercienſis : ubi duo altaria conſecravit, & pernoctavit ibidem.

Die ſabbati ſequenti, ſcilicet in feſto beati Lucæ, venit dominus apud Thuciacum : ubi celebravit Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, & fuit procuratus ab abbatiſſa & conventu dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ.

Dominica ſequenti, viſitavit dominus prioratum de Montibus, ordinis Cluniacenſis : ubi quia alias non fuerat, fuit receptus proceſſionaliter, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, ſex libræ.

Die Lunæ ſequenti, viſitavit dominus prioratum de Dreturay : ubi fuit receptus proceſſionaliter, audivit Miſſam, prædicavit, dedit indulgentiam; & procuratus fuit ad expenſas dicti prioris. Summa expenſarum, ſeptem libræ.

Die Martis, viſitavit prioratum de Fleuret, ubi Miſſam audivit, confirmavit : & fuit procuratus a priore dicti loci.

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Saleigny vel Jaleigny, prioratum conventualem Caſæ Dei : ubi Miſſam audivit, confirmavit, tonſuras fecit; & procuratus fuit a priore dicti loci : nec fuit computatum.

Die Jovis ſequenti, venit dominus apud Secay, prioratum Cluniacenſis ordinis de Moſac : ubi Miſſam audivit, prædicavit, indulgentiam dedit, & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum fuit ſeptem libræ.

Die Veneris ſequenti, venit dominus apud ſanctum Germanum de Foſſatis, prioratum de Mozac : ubi Miſſam audivit, confirmavit, tonſuras fecit; & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci.

Die ſabbati ſequenti, venit dominus apud Rex, prioratum conventualem Cluniacenſem : ubi Miſſam audivit, prædicavit, indulgentiam dedit; & fuit procuratus a priore dicti loci. Non fuit computatum.

Die Dominica ante feſtum apoſtolorum Simonis & Judæ, apud Landoſium cum capitulo : ibi Miſſam audivit, prædicavit; & fuit procuratus. Summa expenſarum fuit octo libræ cum ſeptem ſolidis.

Die Lunæ, apud Poillac cum priore abbatiæ Caſæ Dei : audivit ibi Miſſam, prædicavit; & procuratus fuit. Summa expenſarum, octo libræ, ſex ſolidi, novem denarii.

Die Martis, in feſto apoſtolorum Simonis & Judæ, apud Vilionium venit dominus, & cum capitulo procuratus fuit. Summa expenſarum, novem libræ.

Die Mercurii, apud Maincac, prioratum ſancti Launomari Bleſenſis. Non fuit computatum; exinde venit in Bituricam per naves.

*Hæc ſunt loca quæ dominus Bituricenſis non viſitavit in iſta viſitatione Claromontenſi.*

PRimo, prioratus de Veriac, qui eſt abbatiæ Ebrolienſis : quem omiſit ad viſitandum, ob dilectionem [a] Scalli Lugdunenſis, qui eum detinebat; prioratus *de la Criſille*, & *Don Quart*, qui ad unam procurationem tenentur; prioratus *de la Mongie*, quem omiſit ob dilectionem abbatis Menenſis; prioratus de Cambonet, abbatiæ Maciacenſis, quem omiſit propter grangiam dicti loci combuſtam; prioratus de Baville, quem omiſit ob ſupplicationem abbatis ſancti Illidii; prioratum de Calves, abbatiæ Salinarum; prioratus de Mauriac, qui ſubeſt abbatiæ ſancti Petri vivi Senonenſis, & eſt ibi decanus; prioratus de Drinac, abba-

[a] Forte, Seneſcalli.

ANNO CHRISTI 1287.

abbatiæ Aureliacenſis; abbatia monialium ſancti Benedicti de Briac; eccleſia & prioratus de Ploes; abbatia Aureliacenſis; prioratus de Charmel, ordinis de Corona; domus Hoſpitalariorum de Salvitate; præpoſitura de Monte Salini, ordinis ſancti Angeli; domus Templariorum de Carlac; capitulum de Roillac; prioratus de Bredon, abbatiæ de Moiſac; prioratus ſancti Flori Cluniacenſis; abbatia Piperacenſis, ordinis ſancti Auguſtini; abbatia monialium de Caſis: numquam fuit ibi archiepiſcopus, ut dicitur; prioratus de Chanteiou, abbatiæ Caſæ Dei; prioratus de Lainac, Caſæ Dei; prioratus de Caillac, Cluniacenſis; prioratus de Volca, Cluniacenſis; prioratus de Mazerac; abbatia Caſæ Dei, vel prioratus de Saillanz; prioratus do Caſina, Caſæ Dei.

*Uſque huc poſſumus conduci ſine expenſis.*

EXinde apud Claromontem, in abbatia de Chavicoin, quam obmiſit dominus propter paupertatem: exinde apud Janzarz, abbatiæ ſancti Illidii Claromontenſis: exinde cum capitulo de Arcona: exinde cum priore de Vichiaco. De Volca cum abbatiſſa de Bleolle: exinde apud Comps.

Item obmiſit prioratus de Fernox, de Sallart, de Martinllac, de ſancto Syndulpho, de Chembon: qui omnes prioratus ſunt in compoſitione facta inter dominum Bituricenſem, & abbatem Caſæ Dei.

*Viſitatio Lemovicenſis diœceſis.*

ANNO CHRISTI 1290.

ANno Domini MCCXC. die Veneris ante feſtum beati Michaelis archangeli, intravit reverendus pater Simon, Dei Gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Lemovicenſem diœceſim, cauſa viſitationis.

Et primo declinavit ad abbatiam de Columba, ordinis Ciſtercienſis: ubi ipſa die Veneris pernoctavit ad expenſas abbatiæ.

Die ſabbati ſequenti, equitando ſex leucas, venit apud Dauranoum: ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, a capitulo dicti loci; quia abbas infirmabatur: Miſſam audivit, prædicavit, indulgentiam dedit; tonſuras fecit; & procuratus fuit ad expenſas abbatis & prioris dicti loci.

Dominica ſequenti, equitando ſex leucas, venit dominus ad abbatiam Stirpenſem, ordinis ſancti Auguſtini: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra, audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, & procuratus fuit ad expenſas abbatis & conventus dicti loci. Nec fuit computatum.

Die Lunæ ſequenti, fuit ibidem dominus ex gratia, ad invitationem abbatis dicti loci. Prædicavit in capitulo, & Miſſam audivit.

Die Martis ſequenti, ſcilicet in feſto beati Michaelis, equitando tres leucas venit dominus apud Petruſiam, prioratum monaſterii de Bourguill in valle: & eſt ibi conventus novem monachorum; ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, Miſſam celebravit, prædicavit, indulgentiam dedit, tonſuras fecit; & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ, tres ſolidi.

Die Mercurii ſequenti, equitando quinque leucas, venit dominus apud ſanctum Pimanum: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, a capitulo dicti loci, prædicavit, Miſſam audivit, tonſuras fecit, & procuratus fuit ad expenſas capituli dicti loci.

Et ibidem venit eidem obviam dominus epiſcopus Lemovicenſis, & ſibi de piſcibus ſuis groſſis copioſe præſentavit. Summa expenſarum, octo libræ & decem ſolidi.

Die Jovis ſequenti, equitando duas leucas, venit dominus apud Rupem Cavardi, prioratum de Karroſio: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, audivit Miſſam, prædicavit; & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, ſeptem libræ.

Die Veneris ſequenti, equitando tres leucas, venit dominus apud Salas, prioratum conventualem ordinis ſancti Auguſtini: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, & in craſtino celebravit ibidem ordines; & quoſdam de diœceſi Bituricenſi, & quoſdam de Lemovicenſi diœceſi ordinavit.

Die ſabbati ſequenti, equitando duas leucas, venit dominus apud Buxeriam, prioratum conventualem de Cluſa: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra; audivit Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit; & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, ſeptem libræ, ſex ſolidi.

Die Dominica ſequenti, ſcilicet ante feſtum beati Dionyſii, equitando tres leucas, venit dominus apud Nantonium, prioratum de Karroſio: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, audivit Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit, prædicavit; & procuratus fuit læto vultu a priore dicti loci. Nec fuit computatum.

Die Lunæ ſequenti, equitando ſex leucas, venit dominus apud Apem, prioratum monaſterii ſancti Auguſtini Lemovicenſis: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, & procuratus a priore dicti loci, & priore de Tarno monaſterii ſancti Martialis; qui ad unam procurationem tenentur. In craſtino Miſſam audivit, confirmavit, prædicavit, & indulgentiam dedit. Summa expenſarum, ſex libræ.

Diebus Martis & Mercurii ſequentibus, fuit dominus ibidem apud Callucium Cheurot, cum magiſtro G. de Malomonte, & decano ſancti Aredii, fratre ſuo, ad invitationem eorum, & de gratia ſpeciali.

Die Jovis ſequenti, equitando quinque leucas, venit dominus apud Sollempniacum, monaſterium ordinis ſancti Benedicti: ubi fuit receptus proceſſionaliter, Miſſam audivit, & prædicavit in capitulo; & fuit procuratus ad expenſas abbatis & conventus dicti loci. Summa expenſarum, novem libræ Lemovicenſes.

Die Veneris ſequenti, ſcilicet ante feſtum beati Dionyſii, intravit dominus civitatem Lemovicenſem, & venit in abbatia ſancti Auguſtini Lemovicenſis: receptus proceſſionaliter, ut ſupra, prædicavit, indulgentiam dedit; & fuit procuratus ad expenſas abbatis. Summa expenſarum, undecim libræ: vel potius ſeptem libræ, & decem ſolidi.

Die ſabbati ſequenti, ibidem apud ſanctum Martinum, cum abbate ſancti Martini, & priore ſancti Andreæ Lemovicenſis; fuit dominus receptus, &c. celebravit apud ſanctum Martinum, prædicavit, indulgentiam dedit. Summa expenſarum, undecim libræ.

Die Dominica ſequenti, ſcilicet in feſto beati Dionyſii, exivit dominus civitatem Lemovicenſem, & venit apud Aureliacum, prioratum ordinis ſancti Benedicti: ubi fuit receptus proceſſionaliter, ut ſupra, Miſſam audivit, prædicavit, indulgentiam dedit, tonſuras fecit; & fuit procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Nec fuit computatum.

Viſita-



ANNO CHRISTI 1290.

*Viſitatio Caturcenſis diœceſis.*

a Multa hic deeſſe videntur.

a ...... de Aurate, Caturcenſem: procurationem, quam habebat ibidem percipere, ſi ſibi placeret, ratione viſitationis quam inibi poteſt licite exercere; litteras ipſius prioriſſæ recepimus ſub hac videlicet forma:

„ UNiverſis præſentes litteras inſpecturis & audituris, humilis Prioriſſa monaſterii beatæ Mariæ de Aurate in civitate Caturcenſi, ordinis S. Benedicti, ſalutem in Domino. Notum facimus, quod licet reverendus pater dominus Simon, divina providentia Bituricenſis archiepiſcopus, nobis hac vice remiſerit procurationem, quam ſibi licebat percipere in monaſterio noſtro prædicto, ratione viſitationis, quam poteſt ibidem licite, tempore congruo, exigere: nolumus, quod eidem archiepiſcopo vel eccleſiæ ſuæ Bituricenſi, ſeu ejus ſucceſſoribus aliquod præjudicium generetur, quin poſſit & debeat, quando ſibi placuerit, in prædicto monaſterio viſitare, & procurationem ibidem debitam percipere & levare, modo & tempore conſuetis. Datum Caturci, die Lunæ poſt Ramos palmarum, anno Domini MCCXCI.

Die Martis ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam, ſcilicet apud prioratum ſancti Urſitini: & exinde, equitando quinque leucas, venit dominus apud Gardiam Dei, abbatiam ordinis Ciſtercienſis, ubi pernoctavit ad expenſas abbatis dicti loci.

Die Mercurii ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam: & exinde, equitando quinque leucas, venit dominus apud Moiſiacum, abbatiam ordinis ſancti Benedicti; ubi fuit receptus, campanis pulſatis, a priore conventuali & conventu, proceſſionaliter: & procuratus ad expenſas abbatis, qui tunc erat ad Parlamentum Tholoſæ; & miſit idem abbas ad dominum litteras clauſas excuſatorias, ex eo quod non poterat eſſe ad abbatiam ſuam prædictam cum Domino.

Die Jovis ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit; & exinde, equitando quatuor leucas, venit apud *Montem Albanum*, ordinis S. Benedicti, ſubjectam, ut dicitur, abbatiæ Caſæ Dei: ubi receptus fuit proceſſionaliter, ab abbate & conventu indutis cappis ſericis: & erat abbas mitratus, & tenebat baculum paſtoralem in manu: & procuratus fuit ad expenſas dicti abbatis.

Sancta die Veneris, celebravit ibidem ſervitium in eccleſia parochiali Montis Albani, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit; & tonſuras fecit. Et exinde equitando per duas leucas, venit dominus apud Caeracum, prioratum conventualem de Aureliaco, ubi receptus fuit, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prædicti prioris.

„ SImon, Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, dilecto nobis in Chriſto priori de Calceata, Caturcenſis diœceſis, ſalutem in Domino. Cum nos hac inſtanti die Sabbati ante Paſcha Domini veſtram proponamus eccleſiam viſitare, & exinde illa die ipſa eccleſia viſitata apud ſanctum Antoninum favente Domino declinare: mandamus vobis quatenus dicta die apud ſanctum Antoninum procurationem nobis debitam præparetis. Datum anno Domini, &c.

Die Sabbati ſequenti, venit dominus equitando per unam leucam apud Calceatam, prioratum de Figiaco, ubi dominus credidit prædicare, & alias viſitationis officium exercere; ſed quia dominus non invenit aliquem in eccleſia, nec venerant parochiani adhuc ad eccleſiam, dominus receſſit, nec voluit remanere ibi.

Exinde equitando per duas leucas, ivit dominus apud ſanctum Antoninum, prioratum conventualem ordinis ſancti Auguſtini, Ruthenenſis diœceſis; ubi dominus mandaverat ſuam præparari procurationem a priore de Calceata prædicto, ſub forma ſeu conſimili in fine paginæ præcedentis, ſub ſigno ...... videlicet ſcripta.

Et cum illa die veniret apud ſanctum Antoninum, venit prior illius loci cum pluribus canonicis ſuis obviam domino: qui præcepit eidem priori, quod ipſe & conventus deſiſterent a receptione proceſſionali, & quavis alia ſolemnitate, propter devotionem diei.

Venerunt etiam domino obviam burgenſes, & concomitaverunt dominum uſque ad prioratum prædictum: ubi benedictiones aquæ de fontibus fecit indutus pontificalibus, celebravit, prædicavit, indulgentiam dedit: & fuit ipſa die procuratus ibidem ad expenſas prædicti prioris de Calceata.

Sancto die Paſchæ, fuit dominus in prioratu prædicto, & celebravit indutus pontificalibus cum pallio: & fecit prædicari, & indulgentiam dari per fratrem Hugonem priorem de Ynoy, qui fecit ſermonem poſt veſperas in clauſtro prioratus prædicti: & fuit dominus illa die procuratus ad expenſas prioris ſancti Antonini prædicti.

*Viſitatio Albienſis diœceſis per dominum archiepiſcopum Bituricenſem.*

DIe Lunæ in craſtino Paſchæ, dominus Bituricenſis conſecravit ibidem, videlicet apud S. Antoninum, altare quod eſt in capite eccleſiæ, & quatuor viatica ſeu parva altaria: quod quidem altare in honore B. Mariæ, & B. Martini, & omnium Sanctorum extitit conſecratum, & repoſuit intra ipſum altare quaſdam reliquias, & ſituavit petram cum calce benedicta.

Benedictionibus factis quæ in talibus requiruntur, indulgentiam dedit illis qui interfuerunt hujuſmodi conſecrationi: audivit ibi Miſſam, prædicavit, & iterum indulgentiam dedit, confirmavit.

Et exinde intravit Albienſem diœceſin, & venit equitando duas leucas apud Vacur domum Templariorum: ubi dominus Albienſis venerat obviam domino, & requiſivit dominum eumdem, quod ipſe eſſet cum ipſo epiſcopo per octo dies, & quod contramandarentur procurationes mandatæ & Miſſæ.

Et ipſa die locutus fuit cum domino ſuper pluribus, & poſtea ante comeſtionem receſſit: præfatus autem dominus receptus fuit ibidem proceſſionaliter, campanis pulſatis, cantando: & procuratus fuit ad expenſas præceptoris prædicti loci.

Die Martis ſequenti, audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit, & exinde equitando tres leucas, venit apud Podium Celſi, prioratum de Aureliaco, Claromontenſis diœceſis: ubi receptus fuit, ut ſupra, audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, & confirmavit: & procuratus fuit ad expenſas prioris.

Nota de fraude prioris dicti loci, qui penes ſe retinuit omnia bona eccleſiæ, & ad ipſam eccleſiam ſpectantia, & in collatione, ſeu præſentatione ejuſdem eccleſiæ fecit pactum, ut dicitur, cum rectore illius eccleſiæ, quod ipſe rector finaret de procuratione archiepiſcopi Bituricenſis, & miniſtraret

ANNO CHRISTI 1290.

de propriis bonis eccleſiæ ſupra ea, quæ pro procuratione contingeret exigi in futurum.

Et quia dominus intellexit fraudem hujuſmodi mandavit bona dicti prioris, per archipresbyterum loci arreſtari & ſaiſiri: & facit Bajulum vel Bailum prioris, per Guillelmum de Rivo clericum ſuum craſtina die moneri, ut idem Bajulus dicti prioris nomine, & pro ipſo ſatisfaceret eidem domino competenter de procuratione ſua.

Quam quidem procurationem dictus rector, jam ſolverat, & de ipſa ad plenum ſatisfecerat: ſed dominus procurationem ipſam, tamquam a rectore prædicto ſolutam noluit acceptare.

Cum autem dictus Bajulus, qui vocatur Joannes de Mala Petra, videret, quod tam contra ipſum, quam contra dominum ſuum priorem dominus vellet procedere ad excommunicationes ſummas) idem Bajulus promiſit in manu archiepiſcopi dicti loci pro domino ſtipulantis, quod ipſe dicti prioris nomine, & pro ipſo ſatisfaceret de procuratione prædicta: cui promiſſioni fuerunt præſentes, dominus Vivianus de Concordia, dominus Hugo præceptor domus ſancti Andreæ, dominus Adam de Chemino diſpenſator domus domini Bituricenſis prædicti, & ego Guillelmus de Rivo publicus notarius.

Et advertendum eſt, quod taliter in receſſu craſtina die fuit proceſſum: die Mercurii, qua, ut præmittitur, contra priorem de Podiocelſi fuit proceſſum, venit dominus, equitando per tres leucas, apud Rabaſtagnum, prioratum de Moſſiaco; ubi dominus receptus fuit, ut ſupra; & venerat abbas Moiſiacenſis obviam domino ſatis longe: audivit ibi Miſſam, prædicavit, confirmavit, & indulgentiam dedit; & procuratus fuit ad expenſas prioris, qui eſt nepos domini Moiſiacenſis.

Die Jovis ſequenti, fecit ibi tonſuras; & exinde, equitans per duas leucas, venit apud Viancium, præpoſituram de eccleſia Albienſi, quam tenet præpoſitus ejuſdem eccleſiæ: ubi dominus receptus fuit, & fecit, ut ſupra, & procuratus ad expenſas præpoſiti dicti loci.

Die Veneris ſequenti, venit dominus equitando per unam leucam, apud Galliacum, abbatiam ordinis ſancti Benedicti, immediate ſubjectam, ut dicitur, abbatiæ Caſæ Dei: ubi receptus fuit, ut ſupra; & procuratus fuit ad expenſas abbatis.

Die Sabbati, equitando per duas leucas, venit dominus apud Rommanour, prioratum de abbatia Marcilienſi: ubi receptus fuit, ut ſupra, audivit Miſſam, & ibi confirmavit.

Et exinde venit ea die apud Sexterolium, ibi prope prioratum de Gailliaco: ubi receptus fuit proceſſionaliter pulſatis campanis, audivit ibi Miſſam, confirmavit: & procuratus eſt ad expenſas prioratuum prædictorum. Et impetravit prior de Sexterolio a domino quaſdam litteras monitorias de compellendo priorem de Rommanour prædictum de ſatisfaciendo medietatem procurationis.

Tandem idem prior alias litteras impetravit, quod inquireretur, utrum feciſſet magnam aliquam contributionem, vel partem aliquam procurationis ſolviſſet; & quod non compelleretur ad ſatisfactionem aliquam, niſi ad hoc teneri inveniretur per inqueſtam.

Et fuerunt ab utraque parte plures litteræ impetratæ.

Die Martis fuit dominus cum ipſo gratis.

Die Mercurii fuit ſimiliter cum eodem gratis.

Die Jovis ſimiliter cum eodem gratis.

Die Veneris exivit dominus civitatem Albienſem, & cum equitando per tres leucas, veniret apud abbatiam de Candello, Ciſtercienſis ordinis, deſcendit dominus ad cimeterium eccleſiæ de Candello veteri, & reconciliavit illud, & ibidem confirmavit.

Et poſtea venit ad dictam abbatiam, ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, tonſuras fecit, & pernoctavit ibidem ad expenſas abbatis.

Die Sabbati ſequenti, audivit ibi Miſſam, tonſuras fecit: & exinde equitando per quatuor leucas, venit ad abbatiam de Caſtris ordinis ſancti Benedicti, ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis: & erat abbas cappa ſerica indutus, & habebat baculum paſtoralem in manu in receptione domini: audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, & procuratus fuit ad expenſas abbatis.

Die Dominica, qua cantatur *Unam Domini*, reconciliavit cimeterium parochialis eccleſiæ dicti loci, quod quidem cimeterium eſt extra villam de Caſtris ſitum: indulgentiam dedit illis qui interfuerunt reconciliationi hujuſmodi.

Et poſt rediens ad abbatiam prædictam, ad majus altare ipſius monaſterii indutus pontificalibus celebravit, prædicavit, & indulgentiam dedit, confirmavit: & exinde equitando per unam leucam, ivit dominus apud Ruppemtornam caſtri domini Montisfortis, ad invitationem domini S. de Courciaco, ſeneſcalli ipſius domini, & potavit ibidem dominus cum tota familia ſua.

Et exinde venit illa die equitando per duas leucas, apud Lautricum, prioratum abbatiæ ſancti Pontii, Narbonenſis diœceſis, ubi multum honorifice fuit receptus a nobilibus & burgenſibus dictæ villæ, qui obviam domino ſubtus villam venerunt; & fuit dominus proceſſionaliter receptus campanis pulſatis, in eccleſia prioratus prædicti, & procuratus fuit ad expenſas prioris.

Die Lunæ ſequenti, audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, & exinde equitando per quatuor leucas, venit dominus apud Albiam, declinans ad prioratum ſancti Salvii de civitate Albienſi, ordinis ſancti Auguſtini: ubi receptus fuit multum honorifice, ſicut ſupra, & procuratus fuit ad expenſas prioris.

Die Martis ſequenti, celebravit ibidem indutus pontificalibus, prædicavit, indulgentiam dedit, & confirmavit.

Et poſtea, rediens ad cameram, habuit ipſe & epiſcopus Albienſis tractatum cum communitate villæ Albienſis: & requiſivit communitatem eamdem, quod ipſa ſibi, tamquam domino ſuo ſuperiori, facerent quod dicunt, appellando ad eum ab auditorio epiſcopi, & recognoſcendo eumdem dominum ſuum ſuperiorem: & quod ſcriberet ipſa communitas domino Regi, quod cum ſeneſcallus Carcaſſonenſis inhibuiſſet omnibus dictæ villæ Albienſis, ne ad alium appellarent quam ad ipſum: quod faceret idem Rex inhibitionem hujuſmodi revocari, vel quod ipſa inhibitione non obſtante poſſet ipſa communitas ad dominum archiepiſcopum, tamquam ad ſuum ſuperiorem dominum, appellare.

Sub quo dominus epiſcopus propria manu ſcripſit quamdam notam, ſub cujus forma debebat ipſa communitas domino Regi ſcribere: quam notam communitas aſportavit, & deliberare noluit ſuper ea.

Eadem die, ſcilicet die Martis poſt dominicam



ANNO CHRISTI 1290.

qua cantatur, *Unam Domini*, venit dominus apud Scuriam, prioratum de abbatia Gailliacenſi: ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, & vicis villæ paratis & juncatis; procuratus fuit ad expenſas prioris.

Notandum eſt autem, quod dominus debuiſſet iviſſe de loco prædicto apud Securum, prioratum abbatiæ Moiſiacenſis: & mandaverat ibidem dominus procurationem ſuam præparari: ſed prior loci accedens ad dominum per duos dies vel tres ante, ſuggeſſit domino, quod locus adeo pauper erat, quod ad recipiendum eumdem ſufficere non valebat: aliam cauſam ſpecialiſſimam prætendendo ſcilicet, quod aliquis prædeceſſor domini nunquam viſitaverat illum locum, nec procurationem ibidem receperat. Verum quia nonnullæ litteræ [a] nunciabantur, per quas bonæ memoriæ J. prædeceſſor domini, fecerat priorem ejuſdem loci moneri de reddendo contributionem ſibi taxatam ad ſubveniendum cuidam alii prioratui, præſumebatur quod ipſe ad procurationem tenebatur: præſertim cum, ut aſſeritur, locus ille ſit bonus & pinguis. Tandem vero dominus facilis ſuggeſtionibus prioris, & nonnullorum precibus circumventus, ſpecialiter motus & ductus, contemplatione domini Moiſiacenſis abbatis, procurationem mandatam eidem priori remiſit.

[a] In margi. al. inveniebantur

Hæc ſunt loca ſubſcripta, quæ dominus propter eorum diſtantias non ſolum, ſed etiam propter æſtivos calores omiſit in Albienſi diœceſi viſitanda: ſcilicet, prioratus de Ambileto, prioratus ſancti Amantii, prioratus de Camia, prioratus de Bullato, prioratus ſancti Gervaſii; & dictus prior de Seuro vel Securo.

*Viſitatio alterutra de diœceſi Ruthenenſi in diœceſi Caturcenſi.*

Die Mercurii ſequenti, audivit dominus Miſſam apud Scuriam prioratum prædictum, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit, cimeterium eccleſiæ reconciliavit, iterum indulgentiam dedit illis, qui hujuſmodi reconciliationi interfuerant.

Et exinde Albienſem diœceſin exeundo per quinque leucas, equitans apud Vareuh, prioratum de abbatia Aureliaci, qui prioratus eſt Ruthenenſis diœceſis, declinavit, & fuit ibidem procuratus ad expenſas prioris; qui iverat ad electionem abbatis monaſterii Aureliacenſis faciendam, quod monaſterium tunc temporis paſtore carebat.

Die Jovis ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras fecit; & exinde equitando per unam leucam, venit dominus apud Spinacium domum Hoſpitalariorum ejuſdem diœceſis Ruthenenſis, ubi receptus fuit, ut ſupra: & erant domus loci ejuſdem ſatis ſufficientes pro domino, licet preceptor dicti loci, falſitate ſuggeſta feciſſet eum reverti apud Viride Folium, ubi fuimus ad expenſas præceptoris: & finavit præceptor cum magiſtro domus domini, ad tredecim libras monetæ illius patriæ.

Die Veneris ſequenti, equitando ſemileucam, venit dominus apud Bellum Locum, abbatiam Ciſtercienſem ejuſdem diœceſis Ruthenenſis, ubi campana pulſata proceſſionaliter fuit ab abbate & conventu receptus, & fecit ibidem tonſuras.

Die Sabbati ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam, prædicari fecit per fratrem Hugonem priorem de Ynoy, indulgentiam dari, & ſe abbatis & conventus orationibus commendari: & exinde equitando per duas leucas, venit dominus ad Capellam Templariorum Caturcenſis diœceſis, ubi campanis pulſatis receptus fuit proceſſionaliter, & procuratus ad expenſas præceptoris.

Die Dominica, qua cantatur *Jubilate*, audivit ibi dominus Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras fecit: & exinde, cum veniret apud Locum Dei, abbatiam Ciſtercienſem, Ruthenenſis diœceſis, diſtantem ab hinc per duas leucas; declinavit apud Calves, ubi cimeterium eccleſiæ ipſius loci reconciliavit.

Et poſtea venit ad abbatiam prædictam, ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis: & erat abbas in proceſſione, indutus cappa ſerica, cum baculo paſtorali.

Et poſtea intravit dominus capitulum: ubi aliquibus verbis theologiæ prævoſitis ab eodem, ſe abbatis & conventus orationibus commendavit; & in dicto monaſterio pernoctavit: & quia dominus, aut aliquis prædeceſſor ipſius, numquam ibidem fuerat, dominus fecit ſubventionem abbati de ſexaginta ſolidis.

Die Lunæ ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam, tonſuras fecit: & exinde, equitando quinque leucas, venit apud Marſiliacum, abbatiam ordinis ſancti Benedicti, Caturcenſis diœceſis: ubi receptus fuit, ut ſupra; & procuratus ad expenſas abbatis.

Quia vero dominus invenit in dicto monaſterio quoſdam monachos lethifere ſauciatos; ſcripſit epiſcopo Caturcenſi, ſub hac videlicet forma.

SImon Dei gratia, Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas; venerabili fratri R. ejuſdem gratia epiſcopo Caturcenſi; ſalutem in Domino. Nefandum ſcelus ac piaculare flagitium, quod in monaſterio de Marciliaco veſtræ diœceſis, viſitantes ibidem per quorumdam impiorum flagitioſas dextras, innocentis ſanguinis avidas, in religioſos viros, fratres Guidonem de Vaclac, & Raymondum de Vallon, monachos ejuſdem monaſterii Marſilliacenſis, horribili ſævitate commiſſum vidimus; nec non contemptus divinæ majeſtatis nos afflictos ſuper hoc provocant ad vindictam: unde cum præfatos monachos, a prædictis impiis inſtinctu diabolico incitatis; ſcilicet dictum fratrem Guidonem, quaſi lethifere vulneratum, non tantum in capite, verum etiam in brachiis, humeris, manibus, & tibiis, vulneribus ſuper vulnera damnabiliter cumulatis, præfatum autem Raymundum per privationem, & amputationem pugni proprii, ab aliis impiis mutilatum invenimus; admirantes quomodo ſuper atrocitate tanti facinoris, omiſiſtis interponere partes veſtras: quas vulnerationes, ſeu vulnerum cicatrices ac mutilationem vidimus contriſtati; & ideo præmiſſa, conniventibus oculis, pertranſire nolumus: fraternitati veſtræ mandantes, monemus vos primo, ſecundo, & tertio, tenore præſentium, quatinus contra Raymundum Baracti domicellum, Bertrandum de Traſſe ejus bajulum, & Raymundum de Grivelia domicellum, illatores facinoris in dictum Guidonem commiſſi, ut dicitur; ſuper quo etiam fuimus ſummarie informati, nec non contra Guillelmum de Portu, Bernardum de Rencech, Arnaldum de Villa Sicca, B. Petrum Berganti, & Bernaldum Cornelii ſervientes dicti Guillelmi, quos ſceleris in perſonam fratris Raymundi, ut prædicitur, commiſſi poteritis invenire hujuſmodi atrocitatis fautores, ſeu actores, conſiliarios, ac etiam adjutores, tam per teſtes, & minas, quam per veriſimiles conjecturas, & alias pro-

Anno Christi 1290.

„ batſones ſufficientes; taliter procedatis, quod hoc Dei, & eccleſiæ ſuæ ſanctæ cedat honori, & animæ noſtræ & veſtræ ſaluti.

Et eſt ſciendum, quod dominus ſuper hoc fecit fieri quandam monitionem generalem, ſine nominum expreſſione, cum denunciatione excommunicationis a canone latæ in malefactores facinoris antedicti.

Item ſciendum eſt, quod dominus propter hoc ſcripſit ſeneſcallo Petragoricenſi, & ſeneſcallo Caturcenſi, pro domino rege Franciæ, & pro domino rege Angliæ.

### *Viſitatio Lemovicenſis anno MCCXC.*

ANno Domini MCCXC. die Dominica, qua cantatur *Reminiſcere*; reverendus pater dominus Symon, Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, volens intrare Lemovicenſem diœceſim, ad viſitandum nonnulla loca, quæ per eum in viſitatione præſcripta non fuerant viſitata: de caſtro ſuo de Navis, ubi die ſabbati præcedente ſuos celebraverat ordines, & venerabilem virum dominum Ægidium de Billone electum, confirmatum Narbonenſem ad ordinem ſacerdotalem promovit: primo declinavit ad abbatiam Bellæ Aquæ, ordinis Ciſtercienſis, prout infra ſcribitur, & directum tranſitum faciendo de Lemovicino in Caturcinum, & de Caturcino in Albigeſium, redeundo per Caturcinum, Albigeſio viſitato, in Lemovicinum; ipſorum locorum diœceſes, prout inferius continetur, plenius viſitavit.

Primus, ut directius dominus iter ſuum arriperet dicta die Dominica; declinavit, equitando ſeptem leucas, apud prædictam Abbatiam Bellæ Aquæ, ordinis Ciſtercienſis, Claromontenſis diœceſis: ubi fuit ad expenſas ejuſdem monaſterii; & ibidem pernoctavit.

Ipſaque die, plures commiſſiones fecit in Bituricenſi diœceſi dirigendas, ſuper abſolutione quorumdam excommunicatorum pauperum, & aliorum, auctoritate officialis Bituricenſis, & ſuper cauſis diverſis audiendis ab aliis, quibus dominus committebat, & fine debito terminandis.

Die Lunæ ſequenti, videlicet poſt Dominicam qua cantatur *Reminiſcere*: audivit Miſſam in abbatia ſupradicta, & confirmavit, & tonſuras fecit; & exinde venit, equitando quatuor leucas, apud Evahonium, præpoſituram ordinis ſancti Auguſtini, Lemovicenſis diœceſis: ubi, campanis pulſatis, fuit receptus proceſſionaliter a præpoſito & conventu dicti loci.

Commiſit autem dominus pro archipresbytero de Monte Lucio cauſam motam inter capitulum de Gias, Bituricenſis diœceſis, ex una parte, & parochianos ipſis ex altera audiendam, & fine debito terminandam.

Item fecit per magiſtrum P. de Virſione examinari quamdam cauſam matrimonialem, motam inter quoſdam de parochia de Marchia Lemovicenſis diœceſis, & plures alios fecit proceſſus: & fuit ipſa die ad expenſas præpoſiti procuratus.

Die Martis ſequenti, audivit apud locum prædictum Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit; & exinde, unam leucam minimam equitando, venit apud Cambonium, præpoſituram Lemovicenſis diœceſis, ordinis ſancti Benedicti membrum per ſe: & fit præpoſitus per electionem, ſicut Evahonenſis præpoſitus ſupradictus: & ibidem fuit receptus dominus, ſicut ſupra; & factæ fuerunt ibidem plures ſubſtitutiones, procurationes, commiſſiones, ac abſolutiones: & hujuſmodi procuratus fuit ad expenſas monaſterii Cambonenſis prædicti.

Die Mercurii ſequenti, audivit Miſſam apud locum prædictum, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit: & exinde venit equitando tres leucas, apud Ruginacum, prioratum monaſterii Evahonenſis prædicti: ubi dominus receptus fuit, ut ſupra: domicilia vero loci ejuſdem totaliter vel quaſi minabantur ruinam. Cauſam matrimonialem ſupradictam expedivit; & procuratus fuit ad expenſas prioris, qui tunc erat in Romana curia, ut dicebatur.

Die Jovis, ibidem viſitationis officium complevit, ut ſupra, & exinde, equitando duas leucas, venit dominus apud Meniacum, prioratum de Convegniaco, Cluniacenſis ordinis, locum male ædificatum & pauperem, & receptus fuit, ut ſupra, & procuratus ad expenſas prioris ſeu Capellani ejuſdem loci.

Commiſit dominus, & mandavit archipresbytero de Argentonio, ut Gervaſium famulum prioris ſancti Benedicti in Saltu, Bituricenſis diœceſis, ad benedictionem nuptialem admitti faceret, non obſtante ſi teſtimoniales presbyteri vel officialis, in cujus parochia ſeu diœceſi oriundus extiterit, non habebat; quia adeo juvenis venit ad ſervitium dicti prioris, quod non erat aliquatenus præſumendum, eumdem Gervaſium cum alia contraxiſſe.

Die Veneris, apud locum prædictum ſuæ viſitationis officium complevit, ut ſupra; & exinde equitando, venit apud Bonum Locum, abbatiam ordinis Ciſtercienſis; & pernoctavit ibidem ad expenſas monaſterii.

Die ſabbati ſequenti, audivit ibi dominus Miſſam, confirmavit, tonſuras fecit: & exinde equitando quatuor magnas leucas, venit apud Albuconium prioratum monaſterii Cambonenſis male ædificatum: ubi receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, & procuratus fuit ad expenſas prioris prædicti loci. Oportuit totam familiam domini, clericos, & etiam armigeros intra eccleſiam dicti loci jacere.

Dominica ſequenti, qua cantatur *Oculi mei*, audivit ibi dominus Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit & tonſuras fecit, & exinde venit equitando per unam leucam, venit dominus apud monaſterium Roſilienſe: ubi receptus fuit, ut ſupra.

Dominus illa die fuit ad veſperas indutus pontificalibus; quia illa die erat Annuntiatio Dominica: & procuratus fuit ad expenſas prepoſiti & capituli.

Eadem die conqueſtus eſt nobis Joannes *Males Herbes* laicus ſuper eo quod Joannes Leonardi canonicus monaſterii Roſilienſis prædicti, dicebatur feciſſe eumdem Joannem per perſonam interpoſitam injuſte & ſine cauſa rationabili ad judicium evocari.

Et ipſa die finaliter compromiſerunt coram magiſtro Petro de Virſione auditore cauſarum, & ſocio domini, ſuper his in magiſtrum Durandum de Mainhac canonicum monaſterii Roſolienſis ſupradicti.

Item eadem die, duo clerici defectum natalium patientes, conſtituerunt coram domino, ſeu locum ejus tenente, quaſdam procurationes ſub forma, quæ ſequitur:

*Sanctiſſime Pater, &c.*

„ SAnctiſſimo Patri, &c. devotiſſimus ſuus Simon, &c. Noverit ſcilicet veſtra clementia, quod in mea præſentia conſtitutus perſonaliter Joannes Albi, clericus Lemovicenſis diœceſis, diſcretos viros Geraldum de Ageduno, dictum *Boneſſirat*, & Guillielmum de Virſione clericos, licet abſentes, ſuos fecit, & conſtituit, & ordinavit procuratores; & quemlibet eorum in ſolidum; ita quod non ſit melior conditio occupantis ad impetrandum a ſanctitate veſtra diſpenſationem ſuper defectu natalium, quem idem Joannes patitur, de clerico ad aliquos ſuperiores ordines non promoto genitus, & ſoluta: quod hujuſmodi non obſtante defectu, poſſit ad omnes ordines promoveri, & eccleſiaſticum obtinere beneficium, etiamſi curam habeat animarum. In cujus rei teſtimonium, &c.

Die Lunæ ſequenti, equitando per unam leucam, venit dominus apud Phelestinum, prioratum de monaſterio Cambonenſi: & receptus fuit proceſſionaliter, ſicut ſupra, celebravit ob feſtum, & in honore Annunciationis Dominicæ, indutus pontificalibus, prædicavit ibidem, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit; & procuratus fuit ad expenſas prioris dicti loci.

Die Martis ſequenti, equitando tres maximas leucas, venit dominus apud Mainhac, prioratum abbatiæ Burgidolenſis: & receptus fuit, ut ſupra, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit; & procuratus fuit laudabiliter ad expenſas prioris.

Die Mercurii ſequenti, equitando ſex leucas, venit dominus apud Bonam Aquam, abbatiam ordinis Ciſtercienſis: ubi pernoctavit, & in craſtino Miſſam ibidem in capella Portali, ſeu de Porta, audivit, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras fecit; & abbati dicti loci de quibuſdam malefactoribus, qui piſces de ſtagnis & piſcariis amoverunt furtive, & alia bona vaſtaverant, conquerenti; quamdam generalem conceſſit monitionem omnibus capellanis Lemovicenſis diœceſis dirigendam ſeu directam.

Die Jovis ſequenti, equitando tres leucas magnas, venit dominus apud Portam Dei, prioratum Caſæ Dei, bonum & divitem, tamen inter arduas colles ſitum: & receptus fuit proceſſionaliter a priore & conventu, audivit ibi Miſſam in craſtino, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit; & procuratus fuit ad expenſas prioris.

Die Veneris ſequenti, equitando tres leucas peſſimi Kemini, venit apud Boort, prioratum Cluniacenſem: ubi illa die receptus fuit, & fecit ut ſupra, immediate; & Petro de Ruppe presbytero, qui de ſancto Juliano Lemovicenſis diœceſis extitit oriundus, litteras teſtimoniales conceſſit, quod ipſe in ſacerdotium fuit promotus; & hoc juraverunt de credulitate verum eſſe, Joannes Gaulahe, P. de Chavanhac, & G. Labeſſa presbyteri, qui viderunt eumdem P. de Ruppe apud Boort, & alibi celebrare; nec non diſcretus vir dominus Durandus Bruni rector eccleſiæ de Hucello dictæ diœceſis aſſeruit juratus, quod in quadam capella ſua, de voluntate & aſſenſu Lemovicenſis epiſcopi, celebravit idem Petrus.

Die ſabbati ſequenti, equitando quinque leucas, venit dominus apud ſanctum Angelum, prioratum abbatiæ de Karoſio, Pictavienſis diœceſis: ubi proceſſionaliter fuit receptus, ut ſupra, audivit Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, & tonſuras fecit; ac procuratus fuit ad expenſas prioris.

Dominica qua cantatur, *Lætare Jeruſalem*, venit dominus apud Maymacum, abbatiam ordinis ſancti Benedicti: ubi receptus fuit, ut ſupra, audivit ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit, tonſuras fecit, & procuratus fuit ad expenſas Abbatis.

Die Lunæ ſequenti, equitando venit dominus apud Vedrinas, prioratum Caſæ Dei; ubi receptus fuit, & fecit, ut ſupra.

Die Martis ſequenti, equitando unam leucam, venit dominus apud Ventadour, prioratum ordinis Clugniacenſis: ubi fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis, ut ſupra: & in eccleſia dicti prioratus dominus conſecravit quoddam altare, in honore beatæ Katarinæ, beatorum Mauricii, Vincentii, & Blaſii, & fecit ſuper illud altare quandam Miſſam pro defunctis, per quemdam capellanum ipſius domini celebrari.

Die Mercurii ſequenti, audivit ibi Miſſam: & exinde, equitando ſeptem magnas leucas, venit dominus apud Olbazinam, Ciſtercienſis ordinis; & fuit receptus dominus multum honorabiliter ab abbate, qui emit bladum in herba a portario ſuo, pretio duorum ſextorum frumenti, pro diſpergendo per cameram domini, & per aulam in qua comedit.

Et poſtmodum, dominus ivit ad viſitandum quoſdam moniales illius ordinis, incluſas in quodam loco, quem ipſæ moniales habent ſatis prope illam abbatiam, extra portam in nemore. Et eſt ſecundum, quod prioriſſa ſervat unam clavem, & prior clauſtralis de Olbaziana aliam, ut mihi videtur.

Et cum dominus viſitaſſet eaſdem, & prædicaſſet, & ſe earumdem orationibus commendaſſet; receſſit; & præcepit magiſtro hoſpitii ſui, ut eiſdem monialibus erogaret quamdam pecuniæ quantitatem.

Die Jovis poſt Dominicam, qua cantatur *Lætare Jeruſalem*, exivit dominus Lemovicenſem diœceſim, & intravit dominus diœceſin Caturcenſem, apud Martellum declinans; & receptus fuit proceſſionaliter, campanis pulſatis; audivit die craſtina ibi miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit; & procuratus fuit ad expenſas capellani dicti loci.

Qui quidem capellanus ſe inhabilem reddit in habitu, quem debet habere quiſlibet capellanus, minimam defert tonſuram, capillos longiſſimos, a poſteriori parte ſciſſos, a parte anteriori, ad modum ſcutiferi raubam patulam cum punctis, coram prælato ſuo ſutiles ſoturales, effrons facie prævia videtur.

Eadem die fecit dominus Baillivum domini regis coram ſe ad judicium evocari; pro eo quod ipſe, dum eramus in villa prædicta, manus injecerat temere violentas in presbyterum: & quia ipſe noluit coram nobis reſpondere, eumdem excommunicavimus.

Tandem vero dictum Baillivum in forma eccleſiæ apud Rupem Amatoriam, &c. Quære infra apud prædictum, die ſabbati ſequenti.

Die Veneris ſequenti, equitando duas leucas, venit dominus apud Soliacum, decanatum ordinis ſancti Benedicti, immediate ſubjectum, ut dicitur, abbati Aureliacenſi, Claromontenſis diœceſis: & receptus fuit multum honorabiliter a Decano, qui obviam domino venit per leucam cum pulcherrima comitiva ſcutiferorum, & capitulorum commonachorum ſuorum, proceſſionaliter, campanis pulſatis, &c. & procuratus fuit ad expenſas prioris.

Die ſabbati ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam de beata Maria, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit: & exinde, equitando duas leucas;

ANNO CHRISTI 1291.

cas; venit apud Rupem majorem, ubi ordines celebravit, acolytos, ſubdiaconos, diaconos, & presbyteros promovendo: prædicavit, indulgentiam dedit.

Fuit vero receptus multum honorabiliter ab abbate Tutellenſi, Lemovicenſis diœceſis, qui tenet prioratum de Rupe majore in manu ſua: venit enim domino obvius ſatis longe; & poſtea rediit ad eccleſiam; in qua dominum dictus abbas monachi, & clerus deſerviens prioratui prædicto, in medio graduum illius eccleſiæ obviantes domino, receperunt; & fuit procuratus illa die ad expenſas abbatis prædicti.

Eadem die, dominus abſolvit Baillivum Regis apud Martellum a duplici excommunicationis ſententia: ſcilicet ab illa, quia coram domino citatus ſuper hoc, quod in presbyterum manus injecerat temere violentas, noluerat reſpondere, & ab alia canonis, quia injecerat manus in preſbyterum.

Reſervavit autem dominus taxationem emendæ, de conſenſu Baillivi prædicti, ſuper exceſſibus antedictis. Quare principium in pagina præcedenti apud Martellum. Præſentes autem fuerunt reſervationi hujuſmodi, & abſolutioni, archipreſbyteri de Vallibus, magiſter Pontius, & magiſter Vitalis, ac frater dicti Baillivi.

*Nota quod dominus recepit litteras domini epiſcopi Caturcenſis ſub hac forma:*

Reverendo in Chriſto patri ac domino veſtro cariſſimo domino Simoni, Dei gratia Bituricenſi archiepiſcopo, Aquitaniæque Primati; ſuus Raymundus, Dei gratia epiſcopo Caturcenſis, cum recommendatione ſeipſum. Paternitatem veſtram nobis cariſſimam requirimus & rogamus, quatenus hac inſtanti die ſabbati, ubicumque vos in noſtra diœceſi eſſe contigerit, omnes, ſi placet, ordines celebretis, & omnia alia faciatis nomine veſtro & noſtro, quæ ad veſtram pertinent dignitatem; nos, ſi placet, habentes, domine, excuſatos, quia tarde vobis ſcribimus; cum hac inſtanti die Veneris tarda hora ubi vos eratis ignorabamus omnino. Scientes, reverende pater, quod ad vos habuiſſemus acceſſum, ſi equitare poſſemus. Valeat paternitas veſtra per tempora longiora. Datum Caturci, die Veneris poſt Dominicam, qua cantatur, *Lætare Jeruſalem*, anno Domini MCCXCI.

Dominica qua cantatur, *Iſti ſunt dies*, audivit dominus apud prioratum prædictum de Rupe Amatorum, in capella beatæ Mariæ Miſſam ſecretam, & poſtea in majori eccleſia magnam Miſſam, confirmavit, benedixit ornamenta, calices, imagines, & cruces.

Et exinde venit, equitando tres leucas, apud Vicanum: ubi receptus fuit, ut ſupra. Et cum dominus poſt prandium evocaſſet priorem & capitulum dicti loci in camera ſua, ad tractandum de ſtatu eccleſiæ, dictis priore & capitulo congregatis; dominus petiit ab eiſdem, qualiter temporalitas illius eccleſiæ ſe habebat: qui unanimiter reſponderunt, quod erat in bono ſtatu, præter hoc ſolum, quod contentio erat inter ipſos priorem & capitulum ex parte una, & dominum de Gourdonio ex altera, ſuper alta juſtitia villæ de Vicano.

Poſt hoc autem, interrogati a domino de ſpiritualitate: præſertim cum dominus intellexiſſet, quod licet pro canonicis regularibus cenſerentur, communiter tamen ipſorum quilibet propriam cameram habebat, non in eodem refectorio comedebant, nec in eodem dormitorio converſabantur, non faciebant profeſſionem in dicto monaſterio, &c.

Reſponderunt, & confeſſi ſunt, præſentibus magiſtro P. de Vierſione, domino J. de Greſſibus, capellano domini, & Guillielmo de Rivo, publico notario, ac pluribus, quod in ingreſſu monaſterii, & in creatione ipſorum in canonicos, votum aliquod non fecerunt; dicentes, quod non deferunt alicubi habitum regularem, ſed ſæcularem; nec deferunt ſuperpellicia, niſi infra metas clauſtri ſui: & cum clauſtrum vel villam exeunt, vadunt huc & illuc, ut purus ſæcularis.

Advertendum eſt autem, quod prior & capitulum de Vicano tenent illam villam de Vicano a domino Bituricenſi archiepiſcopo in feodum, & debent ſibi facere hommagium & fidelitatem jurare.

Item, quia dominus viderat, quod eccleſia dicti loci, quæ incepta fuerat opere ſumptuoſo, vix aut nunquam poſſet ad finem perduci; voluit, & ordinavit, quod prior daret unam præbendam ad opus prædictum: & dedit indulgentiam illis, qui ad hoc pias eleemoſynas largirentur.

Die Lunæ ſequenti, audivit ibi dominus Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit: & exinde, equitando ſemileucam, venit apud Gordonium, prioratum de Vicano: ubi proceſſionaliter, campanis pulſatis, cantando fuit receptus, & procuratus ad expenſas prædicti prioris.

Eadem die miſit dominus dominum Fortanum, dominum de Gourdonio, ut veniret die craſtina ſuper contentione illius juſtitiæ de Vicano cum domino tractaturus.

Die Martis ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, & confirmavit; & poſtea reverſus ad cameram, tractavit cum prædicto domino de Gourdonio ſuper contentione prædicta, quæ vertebatur inter ipſum dominum Fortanum vel Fortananum ex parte una, & priorem de Vicano ex altera: ſuper qua contentione compromiſerant ipſæ partes; & prolatum fuit dictum arbitrale ſuper hoc. Sed prior aſſerens monaſterium ſuum læſum non modicum; nolebat hujuſmodi dictum ſervare, præſertim cum arbitri forent ſuſpecti, propter plures alias rationes.

Qui quidem Fortandus, conſultus a commilitibus ſuis & aliis, de conſilio ſuo multum benigne reſpondit domino, quod ipſe paratus erat ſtare dicti domini dicto, arbitrio, voluntati, vel domini Caturcenſis; vel alterius cujuſcumque probi viri. Demum dominus aſſignavit ſeu [a] cunctavit diem Lunæ poſt Ramos palmarum, Caturci, ad procedendum plenius ſuper iſtis.

[a] Fort. abſens vel mendoſe.

Quibus ſic actis, venit dominus, equitando quamdam magnam leucam, apud Concoreſt, prioratum ſancti Ambroſii Bituricenſis: ubi receptus fuit, ut ſupra; & procuratus ad expenſas prioris de Gourdonio, qui tenebat eum ad firmam a Camerario ſancti Ambroſii, priore dicti prioratus de Concoreſt.

Die Mercurii ſequenti, audivit Miſſam, & fecit prædicari per fratrem Hugonem Priorem de Inoy, ſocium domini, & indulgentiam dari; confirmavit, & exinde venit, equitando duas leucas, apud Archas, prioratum de Marſilliaco, abbatiæ ordinis ſancti Benedicti, Caturcenſis diœceſis.

Et cum dominus pranderet, venit ad menſam domini quidam monachus, Guillelmus nomine, de prioratu de Duranello, qui prioratus eſt de abbatia Moiſiacenſi, & dixit domino verba hæc vel conſimilia: Reverende pater, Prior de Duranello, vel Duravello me miſit ad vos, ut nunciarem vobis, quod



ANNO CHRISTI 1291.

quod cum proponatis noſtram eccleſiam de Duravello die Jovis craſtina viſitare procurationem ibidem debitam recepturus, & ibidem nullus prædeceſſorum veſtrorum viſitaverit, nec procurationem recepit; non eſt intentionis ejuſdem prioris, quod ad hoc vos recipiat: & ſi hoc facere, ſcilicet viſitare, & procurationem recipere volueritis; ego ad Apoſtolicam ſedem appello.

Et incontinenti dominus monuit in ſcriptis priorem & monachum prædictos de admittendo ipſum ad viſitationem, & de miniſtrando ſibi procurationem debitam.

Quibus ſic actis, dictus dominus Bituricenſis præcepit dicto fratri Guillelmo, quod iret comeſtum, quia non erat adhuc excommunicatus. Dicta vero die procuratus fuit dominus ad expenſas prioris de Archis; ſed ſemper dicebat, quod dominus, nec aliquis prædeceſſor ipſius procurationem integram receperat in eccleſia ſua prædicta; ſed contribuebat, vel contribuebatur eidem.

Prædicta autem die, dum dominus veniret de Concoreſt, apud Archas, fecit dominus tranſitum per Verganteriam, qua eſt in medio viæ, & debuiſſemus ibidem iviſſe: ſed dominus noluit, quod ille locus viſitaretur ad præſens, contemplatione domini Sicardi archidiaconi Caturcenſis; & tunc deceptus fuit dominus, quia ipſe archidiaconus non tenebat eumdem: & eſt prioratus dicti loci de abbatia de Marſilliaco.

Die Jovis ſequenti, audivit dominus Miſſam ibidem, ſcilicet apud Archas, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit: & exinde, equitando quatuor leucas, venit dominus apud Duravellum, prioratum abbatiæ Moiſiacenſis, de quo fit mentio ſupra: ubi fuit receptus proceſſionaliter, campanis pulſatis, a priore & monachis illius loci, indutis cappis ſericis; & procuratus fuit ad expenſas prioris prædicti.

Die Veneris ſequenti, audivit dominus ibi Miſſam, prædicavit, indulgentiam dedit, confirmavit: & exinde, equitando quatuor leucas, venit dominus apud Catuſium, prioratum de Cluſa; ubi fecit, ut ſupra, tonſuras: & receptus, ut ſupra, procuratus fuit ad expenſas prioris.

Die ſabbati ſequenti, cum dominus vellet intrare civitatem Caturcenſem, epiſcopus Caturcenſis obviavit domino prope Maſtuſium, caſtrum ipſius epiſcopi, & concomitavit dominum uſque ad eccleſiam Caturcenſem: ubi dicta die receptus fuit dominus, campanis pulſatis, proceſſionaliter, a capitulo illius eccleſiæ, & toto clero induto cappis ſericis, cantando; & illa die fuit procuratus ad expenſas domini epiſcopi.

*Notandum autem eſt, quod mandata fuit procuratio ſub hac forma.*

Simon, Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas; venerabili fratri Raymundo, Dei gratia epiſcopo Caturcenſi, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Cum nos hac inſtanti die Veneris ante Ramos palmarum ad veſtram proponamus eccleſiam, cauſa ibidem viſitationis officium exercendi, favente Domino, declinare; mandamus vobis, quatenus dicta die procurationem nobis debitam præparetis. Datum anno Domini &c.

*Contra mandata exſtitit ſub his verbis, uſque ad diem ſabbati ſequentem.*

Simon &c. venerabili fratri &c. ſalutem &c. ut ſupra. Contramandamus vobis ex cauſa, diem Veneris ante Ramos palmarum; qua die ad veſtram proponimus eccleſiam declinare; cauſa ibidem viſitationis officium exercendi: ſignificantes vobis, quod die ſabbati immediate ſequenti dictam eccleſiam, concedente Domino, proponimus viſitare. Quare mandamus vobis, quatenus dicta die ſabbati procurationem nobis debitam præparetis. Datum &c.

Et ſciendum eſt, quod ſub hac forma ſcriptum fuit capitulo, & pluribus prioribus diœceſis Caturcenſis; tamen ſtilus antiquus eſt brevior, ut videre poteritis in regiſtris Joannis, & hæc eſt generalior forma quæ ſequitur:

Simon &c. dilecto nobis in Chriſto priori vel abbati de loco tali, diœceſis talis &c. ſalutem in Domino. Cum nos inſtanti die veſtram proponamus eccleſiam, concedente Domino, viſitare: mandamus vobis, quatenus dicta die procurationem nobis debitam præparetis. Datum, &c.

Si dominus ſit in diœceſi viſitanda, ſic incipienda eſt littera: Cum nos eamdem diœceſim viſitandam die inſtanti &c. ut ſupra immediate.

*Forma brevis contramandationis ſeu demandationis eſt talis:*

Simon &c. dilecto nobis in Chriſto priori &c. Ex cauſa mutato noſtro propoſito diem quam vobis mandaveramus uſque ad talem diem vobis ducimus demandandam. Datum &c.

Die Dominica ſequenti, benedixit in majori eccleſia Caturcenſi Ramos palmarum & flores; & poſt receptus fuit proceſſionaliter, ut ſupra; prædicavit, indulgentiam dedit, celebravit Miſſam in pontificalibus, cum pallio; & procuratus fuit ad expenſas capituli in domibus ipſius epiſcopi.

Die Lunæ ſequenti, tractatu habito cum domino de Gourdonio, ſuper contentione quæ inter priorem de Vicano, & ipſum dominum vertebatur ſuper juſtitia de Vicano; quem dominum de Gourdonio invenit dominus Bituricenſis tractabilem & benignum ad omne quod dominus ſuper hoc vel quidam alius probus duceret ordinandum: ivit dominus ad eccleſiam fratrum Prædicatorum Caturcenſium; ubi dominus, ad inſtantiam plurimorum nobilium de partibus illis, celebravit ibidem Miſſam pro quodam defuncto nobile, & tradidit eumdem eccleſiaſticæ ſepulturæ: prædicavit ibidem, & indulgentiam dedit.

Poſt hoc ad Caturcenſe capitulum declinavit; ubi cum eodem capitulo, præſente epiſcopo Caturcenſi, tractavit de negotiis eccleſiæ ſuæ, & viſitavit eoſdem ibidem.

Poſt hoc autem incontinenti ivit dominus apud ſanctum Urſitinum de Caturcenſi civitate, prioratum abbatiæ de Marſiliaco, ordinis ſancti Benedicti; quem tenebat dominus Siquardus, archidiaconus Caturcenſis: audivit ibi Miſſam, & confirmavit; & procuratus fuit ad expenſas ejuſdem archidiaconi, tanquam prioris dicti loci.

Eadem die dominus remiſit ex gratia ſpeciali prioriſſæ beatæ Mariæ de Aurate.

Die Lunæ ſequenti, in craſtino ſancti Michaelis, anno Domini milleſimo ducenteſimo [a] nonageſimo primo, completa viſitatione diœceſis Lemovicenſis, intravit Dominus diœceſim Bituricenſem.

[a] Scriptum eſt in margine autographi, in originali libro habetur, octuageſimo quinto.

Viſita-

ANNO CHRISTI 1291.

*Viſitatio diœceſis Bituricenſis.*

ET ipſa die primo declinavit apud Malverum, prioratum ſancti Martialis, Lemovicenſis diœceſis: ubi fuit receptus, & procuratus ad expenſas prioris dicti loci. Summa expenſarum, quinque libræ, quinque ſolidi.

Die Martis ſequenti, venit dominus apud ſanctum Nazarium: ubi fuit cum magiſtro Domus Hoſpitalis dicti loci in procuratione. Nec fuit computatum.

Eadem die, Gaudinus dominus de Remefort, filius & hęres Gaufridi Lobe de Remefort, quondam domini Militis, conceſſit coram domino litteras manumiſſionis centum puellarum, quas pater ſuus manumitti juſſerat in terra ſua de Roignac & de Remefort ab omni taillia, & commenda: cui manumiſſioni conſenſerunt coram nobis executores dicti defuncti.

*Littera ſuper dicta manumiſſione facta ſequitur in hæc verba:*

» SImon, Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus,
» Aquitaniæ primas, ac executor teſtamenti
» bonæ memoriæ defuncti Gaufridi Lobe, militis
» quondam domini de Remefort; univerſis præſen-
» tes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino ſempi-
» ternam. In teſtamento prædicti defuncti publico,
» & ſigillo curiæ Bituricenſis ſigillato, vidimus
» clauſam quæ ſequitur in hæc verba.
» *Volo, concedo, & præcipio, pro remedio animæ*
» *meæ parentumque meorum; quod centum puellæ de*
» *terra mea de Remefort & de Maignac manumittantur,*
» *& fiant liberæ ab omni taillia & commenda.*
» Quibus viſis, nos nobilem domicellum Gaudi-
» num, filium & hæredem memorati defuncti domi-
» num de Remefort, noſtræ Bituricenſis diœce-
» ſis, requiſivimus, ut de locis prædictis nobis
» nominaret centum puellas, & eas manumitte-
» ret, pro implenda, ut prædiximus, voluntate
» memorati defuncti. Qui ſponte, & deliberatio-
» ne præhabita, ac de bonorum conſilio, ut di-
» cebat, anno Domini MCCLXXXV. die Mar-
» tis poſt feſtum ſancti Michaelis, apud ſanctum
» Nazarium noſtræ diœceſis, præſentibus pluri-
» bus bonis viris, nobis nominavit & aſſignavit
» in ſcriptis centum puellas de terris prædictis:
» quarum nomina hic inferius continentur: vi-
» delicet:
» Joanna filia Aymerici de Pontilon,
» Oſanna filia Amici Pozinea de Barris,
» Johanna filia Dulciæ Pozinelæ de Barris,
» Joanna filia Petronini Preteſegle de Derot,
» Dulcia filia Humberti de Coillon de Nuners,
» Joanna filia Ranulphi de Pleys,
» Joanna filia Blanchettæ, quæ gardam de Derat
» vel de Derot.
» Joanna filia Boium, fuerat de Ramaforti,
» Joanna filia Humberti Peruchet de Barris,
» Beneventa filia Oſannæ Martinæ de Fonte,
» Augerii dicta Maria filia Joannis Pelar de De-
» rot,
» Joanna filia Stephani Taillon de Miners,
» Dionyſia filia Hyſſemberti Perruchet de Barris,
» Joanna filia Joannis Bavoſin de Derot,
» Petronilla filia Joannis Peruchet de Barris,
» Joanna filia Joannis de Ruppe,
» Joanna filia Guilleti Tacherot de Barris,
» Joanna filia Petiti Coillon de Miners,
» Joanna filia Aymerici Braccart de Palize,
» Agnes filia dicti Maignet de Brotia,

A Joanna filia Charbonnier de Boenayo,
Petronilla filia Joannis de Oblinquo de Ramaforti,
Joanna filia Botinot de Roſſec, »
Joanna filia Guarmerii de Miners, »
Matthæa filia Peron de Fondoët de Barris, »
Radegundis filia Laurentii de Bacle de Buxeria, »
Joanna filia Amici Peſant de Megnec, »
Joanna filia Fratris dicti de Roenao, »
Joanna filia dicti Colas de Agia, »
Joanna filia Joannis Martini de Chatres, »
Bona filia Guillelmi de Boeria, »
Joanna filia Torrotin de Roſſec, »
Margareta filia a la Violate de Derot, »
Joanna filia Joannis Berandea de Chochet, »
B Joanna filia Gaufridi, »
Guillometa de Mengnec, »
Joanna filia ſub .... Peſant de Megnec, »
Joanna filia dicti Segoyn de Megnec, »
Dionyſia filia magiſtri de Jóncheria de Megnec, »
Joanna filia Perroveti Cabulon de Megnec, »
Joanna filia Stephani Paterit de Megnec, »
Ioanna filia Ioannis de Penitea de Megnec, »
Margareta filia a la Petite de Megnec, »
Petronilla filia Dede de Megnec, »
Bruneta filia Stephani Barriler de Megnec, »
Ioanna filia Aymerici Richardi de Fonte Augerii, »
Laurentia filia Vaquerelli de Barris, »
Radegundis filia boni Ioannis de Ramaforti, »
C Bona filia Ioannis de Villenec, »
Dicta Maura filia Dulciæ de Rollec, »
Matthæa filia Guillielmi Piſcatoris de Roſſec. »
Ioanna filia Roſigneo de Fonte Augerii. »
Ioanna filia Aymerici Martini de Fonte Augerii, »
Ioanna filia Aymerici Richard de Fonte Augerii, »
Ioanna filia dicti Stiphenea de Fonte Augerii, »
Dicta filia filiæ a la Poche de Fonte Augerii, »
Ioanna filia dicti au Cóc de Fonte Augerii, »
Ioanna filia de Petronini de Ulmo de Roſec, »
Ioanna filia Beatricis de Paliz, »
Ioanaa filia Michaelis de Paliz, »
Petronilla filia Yſſemberti Charlot de Recules, »
Dionyſia filia Ioannis Beraudi de Chochet, »
Aynaurdis filia dicti Fratris de Roenayo, »
D Margareta filia Ioannis Collon de Miners, »
Ioanna filia dictæ la Lebre de Barris, »
Dicta la Ninde Barris, »
Laurentia filia Renaudi de Barris, »
Dicta Magdalena filia Picardi de Ramaforti, »
Stephana filia dictæ la Forte de Oblinquo de Ramaforti, »
Ioanna filia dicti Nadan de Paliz, »
Ioanna filia dicti Turloton de Derot, »
Stephana filia Dominæ la Krione de Fōte Augerii, »
Ioanna filia Ymerici Richart, »
Ioanna filia Petronii Baraton de Roſet, »
Ioanna filia Ioannis de Recules, »
Ioanna filia Dulcis de ſancto Nazareo, »
Stephana filia Ioannis dementis, »
E Ioanna filia dictæ Bonæ de la Toroſere, »
Ioanna filia Ioannis de Ris de Ramaforti, »
Laurentia filia Audeberti de Derrot, »
Ioanna filia Floere de Derrot, »
Ioanna filia Blancheti Cocart de Derrot, »
Ioanna filia Petri Berſelat de Derrot, »
Ioanna filia filii Philippi de Barris, »
Ioanna filia Ioannis de Plays, »
Ioanna filia Morelli de Palliz, »
Ioanna filia Stephani Tardi de Palliz, »
Ioanna filia Aymerici Biolac de Derrot, »
Ioanna filia Ioannis Bernardon de Plays. »
Petronilla filia Ioannis Poſinea de Barris. »

Joan-



ANNO CHRISTI 1291.

Joanna filia Odonis Vignèron de Menec,
Joanna filia dicti Berton de Recules,
Joanna filia Joannis de Oblinquo de Ramaforti.
» Joanna filia Joannis Eſcot de Plateis,
» Joanna filia Iſſamberti Charlot de Recules,
» Joanna filia Joannis Arnaudi de Ramefort,
» Joanna filia Renaudi Fauchez de Barris,
» Joanna filia Petronini Preteſegle de Derrot,
» & Joanna filia Roſelli de Cochet.
» Quas omnes & ſingulas prænominatas centum
» domicellas ſeu puellas, idem domicellus præſens
» propter hoc in jure coram nobis accedens, & ad-
» implere deſiderans prædicti voluntatem patris ſui,
» pro ſe & aliis fratribus & ſororibus ſuis, quos
» habebat in tutela, maimburnio ſive cura, ut dice-
» bat, & pro quibus omnibus manucepit de rato ſu-
» per omnibus bonis ſuis, manumiſſas a patre ſuo;
» ratificavit, & confirmavit, & eas liberas appro-
» bavit, & quantum in ſe erat, & in fratribus ſuis,
» manumiſit, & libertati donavit, atque ipſas ab
» omni taillia, commenda liberas efficit & immu-
» nes: promittens, ſub obligatione omnium bono-
» rum ſuorum, ſe facturum & curaturum, quod di-
» cti fratres & ſorores ejuſdem, quamprimum ad le-
» gitimam ætatem pervenerint, omnia præmiſſa &
» ſingula ratificabunt, & ſuper omnibus & ſingulis
» præmiſſis litteras conſimiles concedent: promittens
» idem domicellus, per fidem in manu noſtra præſti-
» tam corporalem, quod contra manumiſſionem &
» libertatem prædictas, per ſe vel per alium non ve-
» nient in futurum: obligans quoad hæc, ſe & hæ-
» redes ſuos & bonorum ſuorum quorumlibet poſſeſ-
» ſores, & omnia bona ſua mobilia & immobilia,
» præſentia cum futuris, ubicumque, & quantacum-
» que, volens & concedens expreſſe, ipſum & ejus
» hæredes per nos & ſucceſſores noſtros, ſeu officia-
» les Bituricenſes compelli ad obſervantiam omnium
» præmiſſorum, ubicumque ipſe vel hæredes ſui
» ſuam facient [a] mentionem.
» Omnia autem præmiſſa, & ſingula, prout ſu-
» perius ſunt expreſſa, nobilis mulier relicta de-
» functi Gaufridi Lobe militis prædicti, præſens in
» jure propter hæc coram nobis grata & rata habuit,
» voluit & laudavit, & quittavit propria auctorita-
» te quidquid juris, poſſeſſionis, proprietatis, ſer-
» vitii, dominii, ſervitutis, & reddeventiæ cujus-
» libet, in dictis centum & quatuor puellis habebat,
» vel habere poterat ratione Oſclei, ſive dotis, ſeu
» quacumque de cauſa, vel ratione, per fidem in
» manu noſtra præſtitam corporalem; quod contra
» præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum per ſe, ſive
» per alium, non veniet in futurum.
» Obligans quo ad hæc, & juriſdictioni curiæ no-
» ſtræ, & ſucceſſorum noſtrorum, & officialis noſtri
» ſupponens ſe & hæredes ſuos & bonorum ſuorum
» poſſeſſores, & omnia bona ſua mobilia & immo-
» bilia, præſentia cum futuris, ubicumque ſint &
» quæcumque: Renunciantes per fidem, tam di-
» ctus domicellus, quam relicta prædicta, omni a-
» ctioni, exceptioni, deceptionis, læſionis cujus-
» libet, in præmiſſis, exceptionis doli mali in fa-
» ctum, conditioni ſine cauſa & ob cauſam, exce-
» ptioni circumventionis, & omni juri in favorem
» mulierum introducto, & introducendo; omni be-
» neficio, & auxilio totius facti & juris canonici, &
» civilis; beneficio minoris ætatis, reſtitutionis in
» integrum Vellejani, & beneficio crucis, & omni-
» bus allegationibus, defenſionibus, exceptioni-
» bus, defenſis, privilegiis, & rationibus facti &
» juris quibuſcumque, ac etiam omnibus conſuetu-
» dinibus, uſagis propriæ, & ſtatutis patriæ, & ge-
» neraliter omnibus rationibus juris & facti, per
» quę contra præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum

[a] Forte, manſorum.

A poſſet opponi aliquid ſive dici. Renunciantes præ-
cipue juribus dicentibus generalem renunciatio-
nem non valere; volentes & concedentes, quod
ſibi contra præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum ali- »
quid factum fuerit, vel fieri contigerit in futurum, »
quod per illud factum prædictis renunciationibus, »
& ab eis quocumque modo habentibus, nulla poſ- »
ſeſſio, nulla præſcriptio, nullum jus, nulla obli- »
gatio acquiratur. »

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Vigno prioratum de Karoſio, ubi fuit in procuratione cum priore dicti loci. Summa expenſarum fuit novem libræ.

Die Jovis ſequenti, venit dominus apud Argentonium cum priore ſancti S..... de abbatia ſancti
B Gildaſii de caſtro Radulphi. Summa fuit expenſarum decem libræ.

Die Veneris, fuit ibidem dominus cum priore ſancti Marcelli de eadem abbatia. Summa fuit expenſarum decem libræ.

Die ſabbati ante feſtum beati Dionyſii, fuit dominus apud Nuret cum magiſtro domus Hoſpitalariorum dicti loci. Summa expenſarum, octo libræ.

Die Dominica ſequenti, cum priore de ſancto Galtero, venit ad prioratum de Stirpo. Summa expenſarum fuit decem libræ, & quatuor ſolidi.

C Die Lunæ ſequenti, venit dominus apud Ruphec cum priore de abbatia ſancti Martialis Lemovicenſis. Summa fuit expenſarum novem libræ, & undecim ſolidi.

Die Martis ſequenti, equitando venit ab Obliquam cum priore dicti loci, qui eſt de abbatia Dolenſi, & eadem die celebravit Miſſam dominus.

Die Mercurii ſequenti, in feſto ſancti Dionyſii apud Fontem Gombaudi cum abbate dicti loci: non fuit computatum de expenſis.

Die Jovis ſequenti, venit dominus apud Lorolium cum magiſtro Domus Hoſpitalariorum: non fuit computatum.

Die Veneris ſequenti, apud ſanctum Signemium
D cum abbate fuit. Non fuit computatum.

Die ſabbati ſequenti, apud Thoiſeliacum cum priore de abbatia Dolenſi. Non fuit computatum.

Die Dominica ſequenti, venit dominus apud Caſtellum cum capitulo. Summa expenſarum, decem libræ.

Die Lunæ ſequenti, apud Clerum venit dominus, cum priore dicti loci, & eadem die remiſit dominus ad ſupplicationem abbatis Nullebecenſis, procurationem ſuam quam habebat, & mandaverat in prioratu de Chaſelles de abbatia Nullebecenſi.

Die Martis ſequenti, apud Paludellum, prioratum ſancti Genulphi.

E Die Mercurii, apud ſanctum Genulphum, cum abbate. Non fuit computatam.

Die Jovis ante feſtum ſancti Lucæ evangeliſtæ, apud Buſenciacum, prioratum Nullebecenſis.

Die Veneris ſequenti, cum priore de Villa Dei, abbatiæ ſancti Geldaſii.

Die ſabbati ſequenti, cum priore de Argiaco: & remiſit dominus eidem procurationem anni futuri, pro domibus ſuis reparandis: & priori de Lucejo malo remiſit ſimiliter, eadem de cauſa, procurationem, quam ſibi mandaverat.

Die Dominica poſt feſtum beati Lucæ, apud Landeſium, in abbatia Ciſtercienſis ordinis.

Die Lunæ ſequenti, cum priore de abbatia Dolenſi.

Die

Die Martis ſequenti, apud Rucilliacum, prioratum ſancti Dionyſii in Francia.

Die Mercurii ſequenti, venit dominus apud Biturigam, pro ſepultura Henrici domini de Soliaco, defuncti in Arragonia; cujus corpus recepit in monaſterio Fratrum Minorum Bituricenſium; Miſſam celebravit, & corpus ejus in eadem eccleſia tradidit eccleſiaſticæ ſepulturæ: & poſtmodum venit apud ſanctum Palladium: & fuit ibidem ad expenſas ſuas proprias.

Die Jovis ſequenti, ivit dominus apud Locum regium; ibi ad majus altare Miſſam de mortuis celebravit pro dicto domino Soliaci; cujus cor eadem die tumulatum fuit in introitu dictæ eccleſiæ de Loco regio: ubi multi de genere Soliacorum ſepulti erant. Et hoc facto reverſus eſt dominus apud ſanctum Palladium, ubi fuit ad expenſas ſuas.

Diebus Veneris, ſabbato, Dominica, & Lunæ ſequentibus fuit dominus apud Malum Reſpotum ad expenſas etiam ſuas proprias: & ipſa die Lunæ fecit ſervitium domini regis Philippi defuncti in Arragonia, in majori eccleſia: celebravit, prædicavit, indulgentiam dedit.

Die Martis ante feſtum omnium Sanctorum, venit dominus apud Mure, prioratum abbatiæ Vierſionenſis: ubi fuit procuratus a priore.

Die Mercurii ſequenti, in vigilia omnium Sanctorum, venit dominus apud Karobrias: ubi fuit uſque ad ſequens feſtum ſancti Martini hiemalis; & in eodem feſto fuit dominus apud Vierſionem in expenſis abbatiæ prædictæ ex gratia.

Die Lunæ ſequenti, poſt dictum feſtum ſancti Martini hiemalis, venit dominus apud Celliacum: ubi fuit ſecum ipſa die dominus epiſcopus Caturcenſis, qui de patria ſua venerat, cum corpore bonæ memoriæ Philippi regis Franciæ, defuncti in Arragonia.

Die Martis ſequenti, fuit dominus apud Plenipodium: ubi ad expenſas ſuas eſſe voluit, ſed abbas dicti loci noluit ſuſtinere; & fere media nocte ſurrexit, & ivit apud Dunum regis, ubi corpus memorati regis erat: & in aurora die Mercurii ſequentis, venit in capella caſtri de Duno regis; ubi invenit corpus dicti regis defuncti.

Et poſtmodum in dicta capella, venit Philippus novus rex Franciæ, ad audiendum Miſſam; quem dominus in introitu dictæ capellæ ſalutavit, & aſperſit aqua benedicta: & cepit licentiam ab eo, ut una cum epiſcopo Carnotenſi conducerent corpus regis defuncti uſque Biturigam: & factum fuit ita; & ad exſpectandum novum regem, receptum fuit dictum corpus in eccleſia de caſtro Bituricenſi, a dominò archiepiſcopo, & epiſcopo Carnotenſi, & canonicis dictæ eccleſiæ, & ibi habuit vigilias ſuas.

Poſtmodum vero, congregatis proceſſionibus Bituricenſibus in majori eccleſia, dominus, & Carnotenſis epiſcopus, cum dictis proceſſionibus perrexerunt ad eccleſiam de caſtro Bituricenſi: & recommendatione dicti corporis facta, delatum fuit corpus proceſſionaliter ad majorem eccleſiam; & receptum in ea a domino archiepiſcopo & epiſcopo Carnotenſi, præſente novo rege, qui corpus prædictum geſtabat inter brachia una cum multis baronibus.

Diebus Mercurii & Jovis ſequentibus fuit dominus Bituricenſis ad expenſas proprias in domo cantoris, ubi eſſe debet, ut dicitur de con[illegible] quando aliquis major ſe occupat do[illegible] in quibus dominus rex fuit per illos d[illegible]

Dicta die Jovis, celebravit dominus in majo-

A ri eccleſia Bituricenſi Miſſam de mortuis pro Philippo rege Franciæ defuncto, cujus corpus erat præſens, præſente novo rege, epiſcopo Carnotenſi, & Othone duce Burgundiæ, vel Comite, & pluribus aliis baronibus & perſonis.

Die Veneris ſequenti, conduxit dominus corpus regis defuncti uſque ad ſanctum Palladium, & reverſus eſt ad prandium apud Telliacum: & fuit ibi dicta die dominus, & die ſabbati ſequenti.

Die vero Dominica ſequenti, videlicet poſt octavas ſancti Martini hiemalis, venit dominus apud Cornouſſam, ubi fuit uſque ad diem Dominicam poſt feſtum beati Andreæ apoſtoli: qua die Dominica venit dominus apud Callonium, prioratum ſancti Sulpicii Bituricenſis; & fuit ibi in

B procuratione, &c.

Die Lunæ ſequenti, apud Montem Calvum cum priore in procuratione.

Die Martis ſequenti, apud Lurejatum, prioratum Plenipedenſem, cum priore in procuratione.

Die Mercurii ſequenti, apud Colubrem, prioratum Plenipodii, fuit cum priore in procuratione.

Die Jovis ſequenti, in feſto ſancti Nicolai hiemalis, apud Hymriconem, cum capitulo: & eadem die finat prior de Oratorio Odomant, ordinis Cluniacenſis, de procuratione.

Die Veneris ſequenti apud Montem Cenobium, in capitulo dicti loci: & eadem die finavit de

C procuratione prior de Chapes, ordinis Cluniacenſis.

Die ſabbati ſequenti, apud Monthetum, cum priore dicti loci, abbatiæ de Gloſa: & eadem die finavit de procuratione prior de Valegny, ordinis Cluniacenſis.

Die Dominica ſequenti, apud Barbonium, cum prioriſſa: & eadem die finavit de ſua procuratione prior de Becay, ordinis Cluniacenſis, & prior de Cenquinio, ejuſdem ordinis.

Die Lunæ ſequenti, apud ſanctum Leoperdinum, cum priore de abbatia ſancti Sulpicii Bituricenſis: & eadem die finavit prior de Cappella Hug. abbatiæ de Vezelay, ordinis ſancti Auguſtini.

D Die Martis ſequenti, apud Anuldriam, prioratum Sovigniacenſem, cum priore dicti loci.

Die Mercurii ſequenti, apud ſanctum Stephanum de Graverio vel Grandio, prioratum Plenipedenſis abbatiæ.

Die Jovis ſequenti, in feſto beatæ Luciæ virginis, apud Fontem mortuum, abbatiam ordinis Ciſtercienſis.

Die Veneris ſequenti, apud ſanctum Hilarium, prioratum ſancti Laurentii, diœceſis Antiſſiodorenſis.

Die ſabbati ſequenti, apud Berviam, prioratum Cluniacenſem, cum priore.

Die Dominica ſequenti, apud Callovium, abbatiam ordinis Ciſtercienſis, cum abbate prædicti

E loci.

Die Lunæ ſequenti, apud Sancerium, cum prioriſſa dicti loci.

Die Martis ſequenti, apud ſanctum Satyrum, cum abbate: & ſciendum, quod ad preces ipſius abbatis, dominus remiſit hoc anno procurationes ſuas prioratibus ſancti Petri de Sancerio, & de Silvigniaco; qui prioratus ſunt de abbatia ſancti Satyri.

Die Mercurii ſequenti, apud Jars, prioratum ſancti Satyri, cum priore dicti loci.

Die Jovis ſequenti, apud ſanctum Palladium in expenſis propriis.

Die Veneris ſequenti, idem ad expenſas ſuas.

Die





Die ſabbati ſequenti ibidem ordines celebravit: & celebratis ordinibus, venit apud Telliacum ad prandium; & fuit ibi ad expenſas proprias.

Die vero Dominica ſequenti, videlicet ante Nativitatem Domini, venit dominus apud Cornouſſam; ubi fuit uſque ad diem Mercurii poſt Epiphaniam Domini: qua die Mercurii venit apud Meillant, prioratum Dolenſem, ubi fuit cum priore loci prædicti in ſua procuratione.

Die Jovis ſequenti, in octavis Epiphaniæ Domini, apud Cellam de Bruieria, prioratum Dolenſem, cum priore dicti loci in procuratione.

Die Veneris ſequenti, apud Caſtrum Novum cum capitulo de Veneſine in procuratione.

Die ſabbati ſequenti, apud Creſſiacum, prioratum Dolenſem, venit dominus cum priore dicti loci.

Die Dominica ſequenti, apud Manceyum, cum abbate in procuratione.

Die Lunæ ſequenti, apud Olivetum, cum abbate Ciſtercienſis ordinis.

Die Martis ſequenti, apud Albigniacum Captivi, prioratum abbatiæ Caſalis ſancti Benedicti, cum priore.

Die Mercurii ſequenti, apud ſanctam Siricuſam, prioratum Dolenſem, cum priore dicti loci.

Die Jovis ſequenti, apud Vilenceras, cum priore.

Die Veneris ſequenti, apud ſanctum Amantium, cum capitulo.

Die ſabbati ſequenti, apud Chabries; ubi fuimus uſque ad diem Mercurii poſt octavas Purificationis beatæ Mariæ Virginis: qua die ivit dominus viſum Comitiſſam de Bleſis, & pernoctavit apud Villam Novam ad expenſas ſuas.

Die Jovis ſequenti, ad Villam Francam, cum rectore domus Hoſpitalariorum de Villa Franca, in procuratione.

Die Veneris ſequenti, apud Cellas ſancti Dionyſii, cum priore de abbatia ſancti Satyri.

Die ſabbati ſequenti, apud Noviacum ſuper Branjon, cum priore de abbatia Vierſionenſi.

Die Dominica & die Lunæ ante Cathedram ſancti Petri, apud Vonſeron, videlicet die Dominica, in procuratione cum priore: & die Lunæ ex gratia cum abbate Vierſionenſi.

Diebus Martis & Mercurii ſequentibus, apud Malum Reſtutum, ad expenſas proprias.

Diebus Jovis & Veneris in Cathedra ſancti Petri ſequentibus, apud *la Pinere*; & die ſabbati ſequenti, ad invitationem abbatis ſancti Sulpicii Bituricenſis: & in ſero ivit Biturigam.

Et Dominica in mane, prædicavit in majori eccleſia, & dedit indulgentiam: & eadem die Dominica, venit dominus apud ſanctum Palladium; & fuit ibi ipſa die Dominica ad expenſas ſuas.

Die Lunæ ſequenti ante Brandones, fuit dominus in procuratione cum priore de capella

A Gilonis, prioratum abbatiæ ſancti Sulpicii Bituricenſis.

Die Martis ſequenti, apud Albignum ſuper Yeurram vel Yerram, cum capellano dicti loci in procuratione.

Die Mercurii ſequenti, apud Agent cum capellano in procuratione.

Die Jovis ſequenti, apud ſanctum Gonidulphum, cum priore dicti loci in procuratione.

Die Veneris ſequenti, apud ſanctum Bricium, prioratum ſancti Benedicti Floriacenſis, cum priore: & eadem die finavit prior de Caſtellione de procuratione ſua.

Die ſabbati ſequenti, apud Belleu, prioratum abbatiæ ſancti Satyri, cum priore dicti loci.

B Die Dominica Brandonum, apud ſanctum Palladium, in expenſis propriis.

Die Lunæ ſequenti, ibidem ſimiliter in expenſis propriis.

Die Martis ſequenti, apud Malum Repaſtum, ad expenſas proprias.

Die Mercurii ſequenti, apud Exoldunum, in capitulo ſancti Cyrici, in procuratione.

Die Jovis ſequenti, ibidem cum abbate beatæ Mariæ Exoldunenſis, in procuratione.

Die Veneris ſequenti, apud Vodolenum, cum priore de abbatia Dolenſi.

Die ſabbati ſequenti, ibidem celebravit dominus ſacros ordines: & eadem die venit dominus apud Yrolium, prioratum Dolenſem, cum priore

C dicti loci procuratione.

Die Dominica poſt octavas Brandonum, apud ſanctum Julianum, prioratum Dolenſem.

Die Lunæ ſequenti, apud Podium Ferrandi, cum abbate dicti loci in procuratione.

Die Martis ſequenti, venit dominus apud ſanctum Deſideratum, cum priore dicti loci in procuratione.

Die Mercurii ſequenti, apud Hurriacum, cum priore de abbatia Dolenſi, in procuratione.

Die Jovis ſequenti, apud Montem Lucium, cum priore Beatæ Mariæ dicti loci de abbatia Menacenſi.

Die Veneris conſequenti, apud Columbeyum, cum priore ordinis Cluniacenſis.

D Die ſabbati ſequenti apud Bellam Naviam, cum priore dicti loci de abbatia Menacenſi.

Dominica qua cantatur, *Oculi mei*, & die Lunæ ſequenti, fuit apud Naves ad expenſas proprias.

Die Martis ſequenti, viſitavit dominus prioratum de Contella, prioratum de Evaon: & fecit expenſas; & procuravit dominum apud Naves idem prior de Cautella.

Et eadem die, fuit concordata quædam littera ſuper contentione juriſdictionis, & metarum, quæ vertebantur inter dominum archiepiſcopum Bituricenſem, & gentes Comitatus Atrebatenſis: cujus tenor ſequitur ad hoc ſignum; *Ut.... ſed deeſt.* ☙

STA-

# Statuta Synodalia

## Magdeburgenſis Provinciæ

### Ab Anno MCCLXVI. ad An. MCCLXXXVI.

Ex Lucæ Dacherii Spicil. Coll. t. p. 251.

SCriptum in canone quod dictum eſt, Seniores provinciç tuç congrega, & eos interroga, a ſacroſancto Romanç ecclesiç ſummo pontifice beati Petri apoſtoli ſucceſſore ad metropolitanç ſedis antiſtitem congruç emanavit. Nam & ipſe, ſicut olim a ſanctis patribus noſcitur inſtitutum, cum ſuis ſuffraganeis annis ſingulis provinciale concilium celebrare jubetur, propter quod dictum eſt recte ad ipſum: Seniores provinciç tuç congrega. In quo quidem concilio congregato de corrigendis exceſſibus & moribus reformandis præſertim in clero diligentem habebit cum Dei timore tractatum, canonicas regulas & maxime quç ſtatuta ſunt in conciliis relegens diligenter ut eas obſervari faciat penam debitam tranſgreſſoribus infligendo. Et ut hæc omnia conſultius, & ſalubrius peragantur, expedit id fieri ſuffraganeorum ſuorum ſibi approbatione & conſilio in omnibus aſſiſtente, unde & ſubjungitur, & eos interroga. Spectat nihilominus ad ipſius metropolitani circumſpectionem & prudentiam, ut juxta creditç ſibi diſpenſationis officium ſubditorum commodis profectibus & quieti ſollicitudinis debet ſtudium adhibere prçcipue laicorum quorundam qui clericis oppido ſunt infeſti. Nunc antiquorum ſtatutorum declaratione & ſuppletione, nunc vero novorum editione prout poſſibile fuerit inſultus & auſus nefarios reprimendo; ipſi namque ſuis finibus non contenti nituntur in vetitum, ac illicita frena relaxant. Eccleſiarum prçlatis, eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis & rebus etiam earundem onera imponunt gravia, ipſaſque vexationibus plurimis talliis collectiſque multiplicibus frequenter aggravant & moleſtant. Propter quod contra hujuſmodi preſumptores ſumma ſuadet neceſſitas, gratia ſuffragante divina, pro pace & quiete ac utilitate publica ſalubriter providendum. Sacro igitur approbante concilio ſtatuimus & ſanximus. Quod ſi quis deinceps in hoc ſacrilegii genus nefandum irrepſerit, quod archiepiſcopum vel epiſcopum Magdeburgenn. provinciç inter provinciam ipſam ceperit, ſeu captum detinuerit in eadem, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium dederit, vel favorem, aut poſtea ſponte receptaverit vel defenſaverit ſcienter eundem. Cum ex eo excommunicationis ſententiam incidat ipſo facto excommunicatus & ab omnibus arcius evitandus accenſis candelis & pulſatis campanis per totam denuncietur provinciam ſingulis diebus dominicis & feſtivis, & ceſſetur nihilominus in ampliorem pçnam ipſius in tota provincia a ſolemniis divinorum. Ita tamen quod ſingulis diebus in eccleſiis & monaſteriis miſſæ celebrentur & alia divina dicantur officia ſicut prius, ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis ac etiam populo noſtro admiſſo & una campana ſemel tantum pulſata, ut ſic conveniant per quos debebit divinum officium celebrari, & inſuper tempore hujuſmodi ceſſationis nulla conferantur eccleſiaſtica ſacramenta. Iis dumtaxat exceptis quæ tempore interdicti jura permittere voluerunt, videlicet baptiſmum parvulorum & tam ſanorum quam infirmorum pœnitentia, viaticum & confirmationem in fronte. Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio quam eccleſiaſtica ſepultura, de gratia tamen duximus concedendum, quod tam clerici quam laici decedentes, qui cauſam non prçbuerunt hujuſmodi interdicto in cimiterio eccleſiæ ſine campanarum pulſatione ſic quod laici abſque presbytero, clerici vero cum præſentia presbyteri ſub ſilentio tumulentur. Ita tamen quod funere ad ſuam eccleſiam deportato & oblationibus ſi qui eas exhibere voluerint more ſolito ibi factis populus ab eccleſia exeat & presbyter in eccleſia præſente funere voce ſubmiſſa miſſam celebret pro defunctis. Quibus ſic peractis funus eo modo ut dictum eſt tradatur eccleſiaſticæ ſepulturæ. Si vero archiepiſcopi vel epiſcopi noſtræ provinciæ captio vel detentio extra provinciam comittatur, ex tunc omnes epiſcopi alii, & etiam archiepiſcopus ipſe ſicuti captus non fuerit cum ſuis capitulis infra quindecim dies aut etiam prius ſi comode fieri poterit poſtquam ad eorum notitiam de captivitate archiepiſcopi vel epiſcopi pervenerit, archiepiſcopum vel epiſcopum extraneum in cujus diœceſ. tenetur captivus efficaciter interpellare debebunt, ut ipſe ad liberationem captivi exhibens conſilium & auxilium opportunum in tota ſua diœceſ. ceſſari faciat a ſolemniis divinorum. Omnibus aliis ſupradictis in noſtra obſervandis provincia tempore captivitatis hujuſmodi in ſuo robore duraturis. Si autem Canonicum eccleſiæ Cathedralis, vel abbatem aut archidiaconum vel prælatum collegiatæ aut regularis eccleſiarum in provincia ipſa capi vel detineri contingat, extunc poſtquam de hoc conſtiterit per totam diœceſ. in qua captus fuerit & captus etiam detinetur, ceſſent ſolemnia divinorum, & nihilominus in pœnam ipſius captivatoris ac etiam aliorum, de quibus ſuperius eſt expreſſum, ea quæ ſunt de excommunicationis denunciatione & obſervatione interdicti ſtatuta in ipſa diœceſ. tantum inviolabiliter obſerventur. Eodem modo ſi canonicus eccleſiæ collegiatç vel rector alterius eccleſiç cujuſcumque ſeu etiam clericus in ſacris vel etiam minoribus ordinibus conſtitutus infra terminos provinciæ captus fuerit vel detentus per totum archidiaconatum tantum in quo detinetur a divinorum ſolemniis volumus abſtineri; aliis pœnis ſuperius poſitis in ipſo archidiaconatu diligentius obſervatis. Si tamen Cathedralis vel aliarum eccleſiarum canonici aut abbates prælati ſeu clerici ſupradicti extra provinciam capti fuerint vel detenti, archiepiſcopus ſive epiſcopus ipſius capti ordinarius pro ipſius liberatione ad archiepiſcopum vel epiſcopum loci in quo detinetur captivus preces ſuas dirigere teneatur; ac etiam tam exacta diligentia exhortari ut ipſo tempore detentionis hujuſmodi ceſſari faciat in ſua diœceſ. ſolemnia divinorum contra captivatorem ſeu captivatores, faciendo ſingulis diebus dominicis & feſtivis excommunicationis ſententiam publicari. Has autem omnes pœnas ſtatuimus inviolabiliter obſervandas donec captum liberum & ſolutum dimitti contingat cum ſatisfactione debita & condigna. Contra eos ſimiliter,







qui clericos membro aliquo mutilare, enormiter vulnerare aut etiam occidere non verentur, extendi volumus pœnas eaſdem quæ contra clericorum captivatores, ſeu detentores ſunt ſuperius promulgatç. Ceterum quia dignum eſt, ut propter enormitatem culparum pœnarum modus exuberet, nec penis ſolitis contententur. Statuimus quod filii & filiæ & omnes eorum poſteri, qui, vel quæ uſque ad quartam generationem per lineam rectam tam maſculinam quam fœmininam a prædictis malefactoribus deſcendere dinoſcuntur in nulla eccleſiarum noſtræ provinciæ ad beneficium aliquod eccleſiaſticum ante præſtitam ſatisfactionem debitam & congruam aliqualiter aſſumantur. Et quidem ſi ſecus per eos, ad quos electio, collatio, præſentatio ſeu proviſio talium beneficiorum ſpectare dinoſcitur, attentatum fuerit, ipſa electio, collatio, præſentatio, vel proviſio ea vice ad loci epiſcopum, qui ſi infra tempus a jure ſtatutum id facere neglexerit, ad ſuperiorem proximum devolvatur, non obſtante aliqua conſuetudine contraria, ſi quæ poſſint per quemcunque in oppoſitum allegari. Et ne in oblivionem veritas veniens vagetur incerta, ſtatuimus ut nomina prædictorum epiſcopo loci tradantur, per ipſum ſcripturæ memoria perennanda, qui etiam talium copiam nominum ad alios tranſmittat epiſcopos, prout viderit expedire. Eiſdem etiam pœnis teneri volumus omnes, qui prædictorum ſpontanei receptatores, vel defenſores extiterint, aut ipſis præbuerint opem, conſilium, & favorem. Ut tamen pœnas præmiſſas contra captivatores & detentores perſonarum eccleſiaſticarum noſtræ provinciæ in hoc concilio generaliter promulgatas mitigare, remittere, interpretari, declarare, vel etiam ampliare prout qualitas facti exegerit, valeamus, tam nobis, quam cuilibet fratrum & coepiſcoporum noſtrorum in ſua diœc. libera ſit facultas pœnis prioribus ſuper archiepiſcopi ſeu epiſcopi captivitate & detentione ſtatutis nullatinus immutatis, niſi ſuper hoc omnium noſtrorum accedente communi conſilio & conſenſu. Item quia non ſolum a jure cenſentur, qui in perſonas eccleſiaſticas manus injiciunt temere violentas, verum etiam & illi qui res eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum ſpoliant diripiunt & invadunt. Præſenti conſtitutione ſanximus, quod ſpoliatores & invaſores rerum eccleſiaſticarum, ſi legitima monitione præmiſſa de damnis & injuriis irrogatis infra terminum competentem ad hoc aſſignatum eiſdem poſtquam per duos, vel tres teſtes idoneos ſuper damnis & injuriis hujuſmodi ſufficiens fuerit facta fides ſatisfactionem competentem exhibere contempſerint, excommunicationis vinculo conſtringantur. Et quod contra tales hujuſmodi excommunicationis ſententia promulgata per eos qui ſuper hoc requiſiti fuerint per totam noſtram provinciam ſingulis diebus dominicis accenſis candelis, & pulſatis campanis debeat publicari. At quod in omnibus locis in quibus malefactores præfati domicilium, ſeu receptaculum habuerint, & ad quæ ipſos, vel aliquem ipſorum pervenire contigerit & quamdiu ipſi ibidem moram traxerint, & poſt receſſum eorum per triduum immediate ſecutum in illis, ad quæ ipſum ſpolium deducetur civitatibus eccleſiarum cathedralium dumtaxat exceptis, ceſſandum ſtatuimus ab officio divinorum, donec rebus ſpoliatis, ſeu earum çſtimatione prout juſtum fuerit reſtitutis de damnis, injuriis & intereſſe ſatisfactum fuerit competenter. Inſuper ad extirpandam quorundam laicorum patronorum deteſtabilem corruptelam qui rectoribus eccleſiarum defunctis dotes ipſas ſpoliare præſumunt & de rebus mobilibus, & immobilibus & ſe moventibus in ipſis eccleſiis inventis ſe temere intromittunt. Statuimus ut ſi quis patronus laicus cujuſcunque præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, vel conditionis exiſtat, talia de cetero facere præſumpſerit jure prçſentandi clericum ad eccleſiam taliter ſpoliatam ſit ea vice privatus, & præſentatio clerici ad loci epiſcopum; alioquin ipſo epiſcopo infra tempus a jure debitum negligente ad ſuperiorem proximum devolvatur. Idemque patronus tanquam rerum eccleſiaſticarum invaſor ad ablatorum reſtitutionem per cenſuram eccleſiaſticam ab executoribus hujuſmodi concilii compellatur. Sunt præterea nonnulli eccleſiarum advocati ſpe tuitionis & defenſionis eccleſiarum aſſumpti qui eccleſiarum jura poſſeſſiones & homines adeo turbant, lacerant, minuunt, & moleſtant, quod ex defenſoribus in offenſores turpiter ſe tranſmutent, ex eo quod tam immoderatis exactionibus & oneribus eccleſias ipſas opprimere non verentur, quod dominis ſuis propriis jura, & decorum nequeunt perſolvere, nec quod gravius eſt, vitæ ſuæ congruam ſuſtentationem habere. Cum igitur hujuſmodi ingratitudinem jura merito pœnaliter perſequantur; ſtatuimus & ſanximus, quod iidem advocati ſuis juribus ipſis ab initio deputatis contenti nihil ſibi amplius audeant occaſione advocationis hujuſmodi uſurpare; alioquin ipſi advocati talia præſumentes ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, cum de præſumptione hujuſmodi conſtiterit, excommunicati publice nunciandi. Item cum iniquum exiſtat aliquem alterius odio prægravari, hujus ſacri auctoritate concilii prohibemus, ne prætextu inimicitiarum, quas quandoque contra eccleſiarum advocatos haberi continget, bona eccleſiarum & clericorum quiſquam exactionibus ſeu vexationibus de cetero aggravare lædere, ſeu moleſtare præſumat, alioquin ipſo facto ſententiæ excommunicationis ſe noverit ſubjacere, & contra talem ad interdicti ſententiam procedatur. Si id ſtatutorum exſecutori viſum fuerit expedire amplius cum eccleſiæ eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum non ſolum jure humano, quinimo & divino a ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes, propter multorum inſolentiam in exactionibus talibus, & abuſum ſacri canones ſtatuerunt, quod ſi perſonæ ſingulares fuerint talia præſumentes excommunicationis, ſi autem collegium, vel univerſitas civitatis caſtri, ſeu loci alterius cujuſcunque hæc præſumpſerit, ipſa civitas, caſtrum, vel locus interdicti ſententias incurrere ipſo facto; quas quidem excommunicationis & interdicti ſententias ſtatuimus in ſingulis eccleſiis quandocunque, & quotienſcunque opus fuerit publicari, & ſuper his per exſecutorem ſtatutorum præſentis ſacri concilii querulantibus ſine difficultate qualibet ſubveniri. Inſuper clerici ſeu notarii, qui per dominos ſuos præmiſſa fieri doloſe perſuaſerint, ſeu conſilium & auxilium præſtiterint ad talia faciendum dum de dominorum ſuorum delicto conſtiterit a familiaritate, & ſervitio ipſorum infra menſem omnino recedere teneantur, alioquin propter dolum ipſorum cum detectus fuerit omnino reddantur inhabiles ad aliquod beneficium eccleſiaſticum in poſterum conſequendum, & beneficio, ſi quod actu jam habent, ſint ipſo facto privati. Item quia jura canonum, eccleſias incaſtellare a laicis, vetuerunt. Nos volentes prohibitionem eandem pœnarum adjectione juvare, ſtatuimus, quod ſi qui laicorum eccleſias incaſtellare & de eis propugnacula facere non formidant, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, & terra ipſorum ſi quam habent, vel locus in quo de jure ſeu de facto juriſdictionem exercent eccleſiaſtico

ſit ſuppoſitus interdicto. Inſuper ſtatuimus quod omnes ii qui ſtatuta facere ſeu edere mandare ſervari præſumpſerint in derogationem ſubverſionem & conculcationem eccleſiaſticæ libertatis & præcipue munerum ſacro altari offerre volentium ſuis ſtatutis illicitis reſtringentes, qui ex facto hujuſmodi excommunicationis ſententiam juxta ſanctiones canonicas inciderunt, per rectores eccleſiarum cum expediens viderint excommunicati ſollemniter publicentur, niſi inter menſem ſuper hoc moniti talia ſtatuta omnino revocent & faciant amoveri nullo umquam tempore valitura. Præterea cum debeant clerici non ſolum interiori ſed etiam exteriori ornatu fulgere, præſentis approbatione concilii prohibemus, ne quis clericus vel monachus tabernas frequentare præſumat, vel habitum clericalem ſeu monachalem abiiciat, vel tonſuram clericis congruentem & debitam portare contemnat, quia huic ornatui qui in clericis nitere debet videntur non modicum adverſari. Transgreſſores vero prædictorum ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendantur, & ii qui contra tonſuram decentem & debitam deliquerint, redditus ſuorum beneficiorum non percipiant, nec ullum eis jus competat, redditus tales petendi quouſque ſe modo debito faciant tonſurari. Item cum ſacrorum imaginibus propter illorum reverentiam quos figurant locus dignior merito debeatur. Ob hoc ne in civitatibus oppidis caſtris villis in quibus eccleſiæ parochiales habentur, alibi uſquam quam in altari conſecrato quiſquam eas collocare præſumat & ne portantes tabulas in manibus fidelium eleemoſynas petituri ſacrorum imagines, vel reliquias tunc pariter cum tabulis, vel etiam præter tabulas ſecum deferant, aut forſitan ficte ſimulent ſe deferre, cum id ex avaritiæ radice procedat, fieri de cetero ſub anathemate prohibemus, diebus dedicationis ac patroni ipſius eccleſiæ dumtaxat exceptis, cum his diebus propter multitudinem populi adunati non pateat acceſſus facilis ad altare, vel niſi ſuper hoc faciendo per epiſcopum loci juſta cauſa penſata ſpiritualis licentia concedatur. Inſuper ſtatuimus, quod laici parochialium eccleſiarum proviſores, ſeu vitrici qui altirmanni vulgari vocabulo nuncupantur, de rebus eccleſiarum quas receperint & expendunt ad requiſitionem rectoris eccleſiæ, quem adhibeant in virtute ſanctæ obedientiæ duximus aſtringendum bis in anno in præſentia ipſius rectoris & quorundam aliorum de parochia honeſtorum rationem reddere teneantur, ut & de prædictorum conſilio & conſenſu res eccleſiarum ad uſus earundem congruos & decentes utiliter convertantur. Ac pariter & nos & aliorum locorum epiſcopi, quibus eccleſiarum cura & ſollicitudo imminet, ſuper rebus eccleſiarum per rectores ipſos ſuper hoc requiſitos poſſimus apertius informari. Poſtremo præcipimus & mandamus ut nulla ſtatuta alia a prædeceſſoribus noſtris in ſuis conciliis promulgata, ſi ſtatutis noſtris præmiſſis reperiantur contraria, vel adverſa, quiſquam recipiat, vel ſecundum ea judicet, aut pœnas ſeu ſententias earum auctoritate aliquas proferat vel etiam exequatur. Decernentes ſtatuta talia ſententias penas & proceſſus habitos ex eiſdem nullius obtinere roboris firmitatem per hoc ultimum ſtatuta alia magdeburgen. conciliorum ſi qua fuerint minime revocantes.

C[illegible] epiſcopus &c. ad perpetuam rei [illegible]. Ex frequentibus prælatorum querelis [illegible] experientia certa didicimus, [illegible] in minoribus conſtituti, quod plerumque religioſi nunc patenter excauſationibus fictitiis & frivolis innitentes nunc latenter eccleſiarum ſuarum januis perforatis ac in eis factis feneſtris ſeu modis aliis exquiſitis non abſque damno Cathedralium eccleſiarum & parochialium & ſcandalo plurimorum diſrumpendo nervum eccleſiaſticæ diſciplinæ civitatum terrarum & aliorum locorum, generalia interdicta præſumptione damnabili violare præſumunt. Nos igitur in ſancta dei eccleſia cui diſponente domino præſidemus, quæ quidem unica eſt & unicum deum prædicat atque colit, unam fidem credit firmiter & ſimpliciter confitetur, uniformitatem quantum commode poſſimus obſervare volentes. Circa interdictorum obſervantiam prædictorum auctoritate ſedis apoſtolicæ vel a locorum ordinariis poſitorum, de fratrum noſtrorum conſilio diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus religioſi quicunque, tam exempti quam non-exempti cujuſcunque conditionis & ordinis exiſtant, eam cathedralem, vel majorem loci eccleſiam illa viderint, vel ſciverint obſervare, non obſtantibus quibuſcunque appellationibus antea etiam ad eandem, vel alium ſeu alios interjectis & aliis objectionibus quibuſcunque abſque dolo & fraude cum moderatione tamen decretalium Almæ, inviolabiliter ea ſervent. Alioquin non ſervantes excommunicationis ſententiæ hoc ipſo volumus ſubjacere, quod & in interdictis & in ceſſationibus a divinis indictis per provincialium conciliorum ſtatuta vel ipſorum auctoritate cum majus ſit provinciale concilium quam ſingulare prælati provinciæ ac judicium integrum quod plurimorum ſententiis comprobatur volumus obſervari. In ceſſationibus vero generalibus a divinis civitatum terrarum & aliorum locorum, quas aliquando ex conſuetudine vel alias capitula collegia, vel conventus ſæcularium aut regularium eccleſiarum ſibi vendicant, quia hoc unico lumine ad repellendas injurias eis factas privare nolumus nec debemus, idem intelligimus obſervandum. Ipſi vero ſint diligenter attenti, ut ſtatuta Romanorum Pontificum cum prædeceſſorum noſtrorum ſuper his edita inviolabiliter ſervent. Porro ſanctionem hanc etiam ad pendentia trahimus, non obſtantibus privilegiis eis conceſſis, conventionibus & ſtatutis aut conſuetudinibus quibuslibet, quæ contra præmiſſa ſeu quælibet præmiſſorum reliquorum ipſis in nullo volumus ſuffragari. Nulli ergo hominum &c.

FRater Gwido miſeratione divina tit. ſancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus ad perpetuam rei notitiam. Sacroſancta Romana eccleſia ſicut in beato Petro apoſtolorum principe a domino promiſſionem obtinuit, quod univerſalis eccleſiæ fundamentum exiſteret, & præceptum accepit, ut chriſtianæ fidei profeſſores in fide religione omnique ſanctimonia confirmaret; ita pro univerſarum eccleſiarum profectibus ſollicitam ſe ſemper exhibuit, & de inſtituendo conſervando ac provehendo in omnibus eccleſiis cultu fidei fuit omni tempore ſtudioſa, ut & ab ea ſicut a fonte ad univerſos eccleſiæ filios ſit chriſtiana religio derivata, & quod ab aliis qui S. Spiritus primitias acceperunt religioſe ac ſalubriter inſtitutum eſt, ut per eandem immutabilem acciperet firmitatem. Hinc eſt quod ſanctiſſimus pater noſter, dominus Clemens, papa quartus, ad Magdeburg. provinciam ac epiſcopatum Camminen. cum plenæ legationis officio nos duxerit deſtinandos, officii noſtri debitum libenter exequimur, evellendo ſcilicet evellenda, plan-





tando plantanda, recta gerendo, & dirigendo ſalubriter indirecta. Verum quoniam expedit ad profectum & robur fidei chriſtianæ, ut ſacramenta eccleſiæ, in quibus tanquam in vaſis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere conſuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur, cum ea plerumque contingat effici vilia propter vilem & abominabilem miniſtrorum eccleſiæ converſationem, univerſis perſonis eccleſiaſticis provinciæ & diœceſ. prædictarum diſtricte præcipimus, ut in victu, veſtitu, & aliis operibus ac circumſtantiis ſtatus ſui ſic honeſte ſe habeant & decenter, ne propter ipſos nomen eccleſiaſticum inter laicos blaſphemetur, eiſdem diſtrictius inhibentes, ne de patrimonio crucifixi inimicos ſe faciant crucis Chriſti, ſicut illi quorum deus venter eſt, qui terrena ſapiunt, non divina; in conviviis ſuis modeſtiam & mediocritatem obſervent, ſuperfluitatem indebitam reſecantes. Ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem evitent. Prælati vero a gravaminibus abſtineant ſubditorum, & maxime cum eccleſias viſitant, moderentur expenſas, coerceant evectionum numerum, prout in generali concilio exſtitit diffinitum. Electiones libere fieri permittant in ſubditis eccleſiis, nec pro ſuis amicis carnalibus, vel aliis preces armatas porrigant ante factum vel poſt factum ita ut non exauditis precibus indignationem exhibeant vel vindictam ſumant, ſibi & gregi ſuo taliter intendentes, quod zelatores juſtitiæ, modeſtiæ amatores & generaliter omnium bonorum ſectatores operum oſtendantur. Præſentis igitur concilii approbatione præcipimus ut clerici continenter & caſte vivere ſtudeant, quod puro corde & mundo corpore deo poſſint in officio eccleſiaſtico miniſtrare. Si qui vero de cetero deprehenſi fuerint detinere publice concubinas, niſi infra menſem ſe ab eis & ab earum conſortio ſeparaverint, ita quod in domibus earum aut propriis aut aliis quibuſcunque non cohabitent, nec ad illas accedant, ex tunc ab omni beneficio eccleſiaſtico ſint privati, & per eos ad quos eorundem beneficiorum ſpectat collatio, perſonis idoneis conferantur. Item cum in pleriſque locis quorundam iniquitas in tantum invaluerit, quod in rebus eccleſiæ furtum reputetur ſagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo, ſynodali judicio diffinimus, ut qui bona eccleſiarum ſcienter detinent occupata, niſi infra inſtantem quadrageſimam de damnis & injuriis ſatisfecerint competenter, ex tunc introitum eccleſiæ ſibi noverint interdictum, nec ab epiſcopis aut aliis eccleſiarum prælatis ad communionem dominici corporis admittantur. Qui vero obſtinata mente dum vixerint ſatisfacere non curarunt, nullus clericus ſæcularis, vel regularis ſepulturæ ipſorum intereſſe præſumat. Adiicientes, ut ſingulis annis in ſynodo illi qui clericos capiunt, verberant, vel occidunt, aut alias in ipſos manus mittunt violentas, excommunicati publicentur & nominatim illi de quibus conſtiterit manifeſte. Quicumque vero perſonam eccleſiaſticam enormiter vulneraverit, vel occiderit aut captivaverit, non niſi per ſedem apoſtolicam abſolvatur & ipſo facto, ſi quid tenebat ab eccleſia, illud perdat & in utilitatem eccleſiæ convertatur. Adiicientes quod in illa diœceſi, in qua aliquem canonicum Cathedralis eccleſiæ, vel in dignitate eccleſiaſtica conſtitutum capi contigerit, vel captum detineri uſque ad liberationem ipſius ac exhibitionem debitæ ſatisfactionis, ceſſetur generaliter a divinis. Similiter & in illa parochia, in qua res clericis violenter ablatas capi, vel detineri contigerit, uſque ad reſtitutionem & ſatisfactionem congruam a divinis ceſſetur. Item cum matrimonii ſacramentum non ſit incontinentiæ præcipitium ſed potius remedium contra illud, non abſque dolore cordis audivimus in hac provincia & diœc. Caminen. quoſdam ſic a ſuæ carnis voluptate, vel terrena cupiditate deceptos, quod in gradu prohibito de facto temere contrahentes, quod non matrimonium ſed contubernium dici debet, ſe inceſtuoſe luxurioſe vilitatem immergere, & ſacramentum matrimonii quantum in ipſis eſt polluere non verentur. Nos itaque tantum exceſſum conniventibus oculis pertranſire nolentes, ſub pena excommunicationis diſtrictius prohibemus, ne abſque diſpenſatione ſedis apoſtolicæ de cetero tale matrimonium ſeu contubernium contrahatur. Alioquin ſacerdotes qui tales conjunxerint, a ſacerdotali officio noverint ſe ſuſpenſos. Illi vero, qui ſic ſcienter permiſerint ſe conjungi, ipſo facto ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendantur. Sub eadem quoque pena illis, qui jam abſque diſpenſatione tale matrimonium contraxerunt, diſtricte præcipimus, ut a cohabitatione invicem abſtinentes diœceſano ſuo vel alii prælato, ad quem de jure vel conſuetudine pertinere dinoſcitur talium cauſarum cognitio, rei veritatem inſinuare non tardent. Qui vocatis qui fuerint evocandi & cauſa diligenter examinata, quod canonicum fuerit ſtatuat, faciens quod decreverit per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Epiſcopi vero ſive alii prælati de cauſis matrimonialibus cognoſcentes, omnino caveant, ne cupiditate devicti non ſolum dirimenda non dirimere, verum etiam ſeparanda redintegrare prætextu pecuniæ vel alterius commodi non præſumant. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit interdictum, eo ipſo ſe noverit officio beneficioque privatum. Laici vero qui de penis inferendis perſonis conjunctis, in cauſa matrimoniali ſeu accuſatoribus in probatione deficientibus ſe intromiſerint, cum ad ipſos non pertineat, ſed ad judicem eccleſiaſticum, coram quo negotium ventilatur, per cenſuram eccleſiaſticam compeſcantur, cum ex hoc multi ab accuſatione matrimonii retrahantur. Item cum detentores plurium perſonatuum, vel dignitatum ſeu beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura ſine diſpenſatione ſint ſacrorum canonum tranſgreſſores, & fructus talium beneficiorum percipiendo, furtum committere dinoſcantur, præſenti decreto ſtatuimus, ut omnes qui hujuſmodi dignitatum, perſonatuum, ſeu beneficiorum cum cura pluralitatem retinent, aut ſuper hoc ſecum diſpenſatum fuiſſe coram nobis infra proximam quadrageſimam doceant manifeſte, aut ſi cum eis non fuerit diſpenſatum, eligant ſibi unum de prædictis beneficiis retinendum & alia infra terminum memoratum libere in manibus illorum reſignent, ad quos illorum collatio dinoſcitur pertinere; alioquin extunc ab omnibus beneficiis eccleſiaſticis, dignitatibus, ſeu perſonatibus ſe noverint eſſe privatos. Præcipimus autem illis, ad quos prædictorum beneficiorum, perſonatuum, ſeu dignitatum collatio pertinet, ut aliis perſonis idoneis conferant & aſſignent. Quod ſi infra terminum a jure determinatum hoc adimplere non curaverint, ad proximum ſuperiorem eorum collatio devolvatur. Item ad aures noſtras quorundam laicorum gravis exceſſus pervenit, qui contra eccleſiaſticam libertatem quædam ſtatuta; quæ leges iniquæ poſſunt verius appellari, introducere non verentur, quod licet contra hujuſmodi præſumptores per ſummos pontifices olim proceſſum extiterit, nos tamen propter tranſgreſſorum audaciam non tam nova cudentes quam etiam vetera renovantes, omnes illos qui in Magdeb. pro-

vincia & diœceſ. Caminen. de cetero ſervari fecerint ſtatuta edita aut conſuetudines introductas contra eccleſiaſticam libertatem, excommunicamus in his ſcriptis niſi ea de capitularibus ſuis infra inſtantem quadrageſimam fecerint amoveri. Excommunicamus etiam ſtatutarios & ſcriptores ſtatutorum ipſorum nec non conſules & rectores, & conſiliarios locorum in quibus de cetero hujuſmodi ſtatuta & conſuetudines editæ fuerint & ſervatæ, nec non & eos qui ſecundum ea judicare præſumpſerint vel in formam publicam ſcribere judicata. Item dolentes audivimus, quod quidam nobiles progenitorum ſuorum felicium videlicet principum qui eccleſias & eccleſiaſticas perſonas honoraverunt multipliciter propter deum, ingenuæ libertatis exemplum derelinquentes ac viam ſuperbiæ & avaritiæ in ſuarum periculum animarum ſequentes ab epiſcopis & aliis eccleſiarum prælatis bona quædam, quæ ab eorum eccleſiis conſueverunt recipi & teneri & recipere ac eiſdem debitum omagium facere dedignantur. Et cum ſuper hoc requiruntur rationabiliter a prælatis quandam frivolam exceptionem opponunt, videlicet quod id facere minime teneantur pro eo quod ipſi prælati nondum ab imperatore ſua bona temporalia receperunt. Nos itaque hujuſmodi periroma quo tales ſuæ ſuperbiæ & avaritiæ turpitudinem occultare nituntur tanquam vanum & frivolum exſufflantes, prædictos nobiles monemus & hortamur attente, ut Epiſcopis & aliis eccleſiarum prælatis debitum omagium faciant, ac bona temporalia, quæ a prædeceſſoribus recipi conſueverunt in feodum, recipiant ab eiſdem ad quod faciendum nos inſtantem ſollemnitatem reſurrectionis dominicæ pro termino peremptorio duximus præfigendum præſenti hac fidelium multitudine, ſignificantes eiſdem quod niſi infra prædictum terminum hoc facere curaverint, extunc contra ipſos ſpiritualiter & temporaliter auctore domino procedetur, prout juſtitia & ratio ſuadebit. Item ſicut intelleximus fama creſcente beneficia quædam eccleſiaſtica pleriſque per ſimoniæ vitium conferuntur. Nos igitur huic morbo peſtifero congruum remedium adhibere volentes diſtricte præcipimus, ne id de cetero fiat, & quicunque remorſum conſcientiæ habens ſuper beneficio per ſimoniam dato vel recepto illud infra inſtans paſcha reſignet, quod ſimoniace recepit & qui obtulit pœnitentiam agat & ſi quid pro eo recepit reſtituat. Alioquin utrumque dantem ſcilicet & recipientem ex tunc excommunicationis vinculo innodamus. Item ſicut ex relatione multorum & fide dignorum intelleximus quædam conſuetudo deteſtabilis, quæ magis corruptela quam conſuetudo eſt cenſenda, per Magdeb. provinciam inolevit, videlicet quod defunctis ſacerdotibus eccleſiarum parochialium nec cura animarum porrigitur nec divinorum adminiſtratio conceditur perſonis per veros patronos, eccleſiarum prælatis, vel archidiaconis loci ad quos de jure pertinet præſentatio legitime præſentatis, niſi primo archidiacono vel prælato melior veſtis & equus ſacerdotis defuncti tradantur eidem, vel quædam ſumma pecuniæ pro æſtimatione prædictorum. Nos itaque tam horribilem venalitatem ab eccleſia dei excludere cupientes perpetuo decreto prohibemus, ne pro inducendo presbyterum in eccleſiam, vel cura animarum porrigenda vel divinorum adminiſtratione concedenda aliquid promittatur vel detur. Quod ſi contra factum fuerit uterque ſcilicet dans & recipiens vel promittens per cenſuram eccleſiaſticam percellatur. Si vero ex poſt facto aliquid ex mera libertate ultro offertur, illud æquanimiter toleramus. Hæc autem ſtatuta per totam provinciam Magdeburg. & ad Civitatem & Diœceſ. Caminen. duximus extendenda mandantes ea legi in ſingulis ſynodis Epiſcopalibus, ne qui prætextu ignorantiæ ſe excuſent. Acta ſunt hæc in concilio Magdeburg. Anno domini M. CC. LX. VI. Pontif. d. C. papæ IV. Anno ſecundo.

In nomine domini, Amen.

QUoniam propheticis ex ſcripturis abominabile dicitur affore tempus, in quo fides Catholica uſque adeo laceretur, quod in ea vix juſtiſſimi & fortiſſimi perſeverent, non immerito formidatur, quod jam adveniat talis hora prout videtur exigente nephandiſſima tartarorum, quorum dominus ſe quaſi parem vel fratrem omnipotentis dei & altiſſimi reputando dicit, dedit in partem ſuam orbem terrarum, & dei ſalvatoris noſtri ceſſiſſe regna cęleſtia portionem diſpare tamen cultu cum ſuam partem interfectionibus ſortiatur quam & dominus noſter Jeſus Chriſtus ſimul cum cęleſtibus creavit, quem & ſalvavit proprio ſanguine & redemit. Proinde ad reſiſtendum tantę immanitati Reverendus pater ac dominus noſter ſacroſanctæ Romanæ ſedis ſummus pontifex mandavit nobis præſens concilium adunare, in quo ſic decernimus ſtatuendum, ut fratres noſtri domini epiſcopi, ſilii abbates, præpoſiti, archidiaconi & alii eccleſiarum prælati commiſſum ſibi chriſtianum populum quilibet in ſuis terminis exhortetur diligentia cum exacta, ut ſi quid ſit inter eos, quod abſit Werrorum odii, vel qualislibet ſimultationis ſuper eo in fraternæ pacis redeant unitatem & vigiliis orationibus jejuniis eleemoſynis ſibi Deum reconcilient, & ideo proceſſiones & lætanias indicant, quas hic etiam præcipimus obſervari. In quolibet menſe una proceſſio generalis ſicut in Rogationibus cum jejuniis obſervetur: poſſunt tamen prælati archidiaconi & plebani poſt peractam proceſſionem ſexta feria dumtaxat excepta ſuis ſubditis lacticeanorum eſum miſericorditer indulgere. Ad quam etiam proceſſionem veniant religioſi ordinis cujuſcunque. Præterea volumus, ut pſ. Deus venerunt gentes cum antiphona, Da pacem Domine, nec non cum Kyriel. chriſtel. Kyriel. Pater noſter cum verſ. Fiat pax in virtute tua & cum coll. Deus a quo cum genuflexione. Et hæc omnia poſt agnus Dei antequam ſacerdos communicet, qui etiam ſacerdos coll. dicat, cum pulſatione unius campanæ, & iſta in ſingulis eccleſiis & parochiis diligentius obſerventur. Item ſtatuimus, ut qui prædictam campanam pulſari audierint, & cum genuflexione dominicam orationem dixerint, auctoritate noſtra & ſuffraganeorum noſtrorum X. dies injunctæ indulgentiæ habeant, & hoc ſive intra vel extra eccleſiam campanam audientes, & ut dictum eſt dominicam orationem dicentes fuerunt conſtituti: verum quoniam hominum excreſcente malitia juribus quæ ſuper libertatibus eccleſiarum & cleri ſ. --- detrahitur adeo quod quia nulla defenſio ab ipſis juribus habeatur, ſacro approbante concilio quædam ſpiritualia ſtatuimus, quæ ad notitiam tam futurorum quam præſentium cupimus pervenire, quod ſi archiepiſcopum, vel epiſcopum noſtræ provinciæ capi contingat in tota provincia, ceſſetur pęnitus a divinis. Si vero prælatum, vel canonicum Cathedralis eccleſiæ capi contigerit per totam dięceſim in qua captus detinetur ceſſetur penitus a divinis. Item ſi plebanum vel quemlibet clericum in ſacris ordinibus conſtitutum capi contingat per totum archidiac.



diac. ceſſetur ſimiliter a divinis. Item ſi archiepiſcopum vel epiſcopum noſtrę provincię capi contingat & capiens capellanos habeat vel ſcriptores, ſtatuimus ut infra VIII. dies a domino ſuo recedant. Alioquin extunc beneficiis careant & ſint inhabiles ad beneficia obtinenda & ad ſuperiores ordines nullatenus aſſumantur. Si vero jam ſint eccleſiaſtica beneficia conſecuti, illis nec non officio ſint privati. Ceterum ſi prælatus inferior aut plebanus vel clericus in ſacris ordinibus conſtitutus captus fuerit, Capellani vel ſcriptores captivantis ab eo infra unum menſem recedant alioquin de hiis ſit quemadmodum ſuperius eſt ſtatutum. Ad hæc quia prelati tam regulares quam ſæculares & alii clerici noſtræ provinciæ paſſim contra libertatem eccleſiaſticam ad ſæculare judicium pertrahuntur, cum hoc penitus ſit abſurdum, ſtatuimus, ut actor qui talem malitioſe intemptaverit actionem, poſtmodum coram eccleſiaſtico judice conquerens nullatenus admittatur; & nihilominus ſi compertum fuerit eum de perſona eccleſiaſtica calumnioſe moviſſe querelam, tam ipſe quam judex excommunicationis ſententia conſtringantur uſque ad ſatisfactionem condignam arctius evitandi. Item quia quędam a prælatis ſeu perſonis eccleſiaſticis contra libertatem eorum & approbatam conſuetudinem ex antiquis obtentam temporibus pedagia theolonia extorquent injuſte, ſtatuimus ut tales ad abſtinendum hiis angariis eorum per ordinarios ſuos monitione præmiſſa cenſura eccleſiaſtica compellantur. Item propter malitiam hominum excreſcentem contra ſpoliatores epiſcoporum & clericorum cujuſcumque ordinis ſtatuimus, ut quicumque nobiles vel alii ad tornumenta vel prędia pro . . . . . . ad colligendum viros & complices ſuos jacuerint in bonis ſive allodiis epiſcoporum & clericorum, & fecerint ibi damna, niſi per ordinarios vel eorum officiales commoniti de damnis illatis lęſis ſatisfaciant. Hiidem judices certificati per juramentum trium ad minus quorum intereſt legalium perſonarum de injuria notoria & manifeſta excommunicent ipſos & enuncient ab omnibus arctius evitandos, omnia quoque loca in quibus habent receptacula vel domicilia, uſque ad ſatisfactionem condignam ſubjiciantur eccleſiaſtico interdicto. Præterea ſtatuimus ut ſi qui epiſcopos vel clericos cujuſcumque ordinis angariaverint ad præſtandos equos vel currus victualibus oneratos, ut ab hoc ceſſent ſimili ſententia compellantur. Et hoc etiam de illis qui faciunt exactiones in bonis epiſcoporum vel clericorum diſtrictius præcipimus obſervari. Excommunicamus etiam exnunc omnes qui dicatas Deo eccleſias auſu ſacrilego prophanantes faciunt munitiones de ipſis, perfodiunt cimiteria rejectis oſſibus mortuorum, omnes quoque adhibentes in hiis opus conſilium & juvamen decernimus excommunicationis ſententiæ ſubjacere eccleſias etiam taliter prophanatas & omnia loca illa, in quibus conſilium vel auxilium præſtantes habent receptacula ſubjicimus exnunc eccleſiaſtico interdicto. In graviorem etiam pœnam talium ſubtrahantur eorum familiæ ſacramenta & eccleſiaſtica ſepultura donec cum debita ſatisfactione munitiones deſtruant ſupradictas. Ad exſtirpandam etiam illam deteſtabilem corruptelam quorundam patronorum, qui defunctis eccleſiarum rectoribus dotem ſpoliant, & eccleſiam rebus mobilibus & immobilibus in ſalutis ſuæ diſpendium & ſcandalum plurimorum, ſtatuimus, ſive clericus vel laicus, facere præſumpſerit, jure præſentandi ſit ea vice privatus, & archidiaconus vel ſi & ipſe negligens fuerit, primus ſuperior eandem eccleſiam conferat illa vice, & nihilominus ad reſtitutionem ablatorum patronus per ordinarium compellatur eccleſiaſticam per cenſuram. Ceterum cum nonnulli eccleſiarum advocati ſpe defenſionis aſſumpti ita quod de ceteris ſtipendiis eiſdem ſpontanee deputatis ipſarum eccleſiarum jura poſſeſſiones & homines defenſare deberent, facti ſunt de defenſoribus offenſores, eo quod tam immoderatis ſervitiis angariant homines, quod non poſſunt propriis dominis perſolvere ſuos cenſus, aliaſque illicite dividentes inferioribus ſuis advocatias in partes in grave diſpendium eccleſiarum eos infeodare præſumunt. Cum igitur privilegium mereatur amittere qui ſibi conceſſa abutitur poteſtate, ſtatuimus quod hiidem advocati ſtipendiis & ſervitiis ſponte aſſignatis ſint contenti, prout coram imperio eſt obtentum ſententia principum approbante, aliaque jura eccleſiarum & homines defendant, nihil aliud juris in hominibus & poſſeſſionibus uſurpantes, redintegrent advocatias in partes diviſas & inferioribus infeodatas, & ipſi feodotarii eas taliter occupatas dimittant. Quod ſi non fecerint intra menſem moniti per ordinarios & ſuperiores ipſe advocatus & ſuus feodotarius ad id per excommunicationis & interdicti ſententiam compellantur. Statuimus deinde ut ſi quis epiſcoporum vel clericorum & eccleſiarum bona ſive homines temere invaſerit ſpoliis incendiis vel rapinis aut tollendo pignora occaſione cujuſcumq; quæſtionis quam contra alicujus eccleſiæ advocatum ſe proponit habere ſ. ſanctiones Can. puniantur. De mulieribus quæ beginæ vocantur ſtatuimus, ut plebano, in cujus morantur parochia, obedientiam faciant, & ei in omnibus obediant ſicut ceteri parochiales. Alioquin ad id per ipſos plebanos cum excommunicationis ſententia compellantur. De interfectoribus clericorum & mutilatoribus ſervetur, quod de hiis Can. ſtatuerunt. Item quia vagi ſcolares, qui eberdini vocantur, abominabilem ducunt vitam, divinum invertunt officium, unde laici ſcandalizantur, monachis dant materiam apoſtatandi, quippe quos de clauſtris recedentes & alibi receptaculum non invenientes ipſi in ſuum recipiunt conſortium, ſtatuit hæc ſancta ſynodus prohibendo ne quis clericos ipſos recipiat vel aliquid det eiſdem, quod ſi fecerit, a ſuperiore ſuo ſuſpenſus acrius corrigatur. Nullus etiam ſcolaris recipiatur, niſi ſcolas vel chorum frequentans ſive decenti alias ſervitio deputatus. Item quicumque violaverit communitatem eccleſiæ convictus excommunicatus denuncietur donec ſatisfecerit ſecundum Can. ſanctiones. Item qui propter urgentem neceſſitatem ut fieri ſolet tempore Werrarum tuguria vel alia receptacula in cimiterio faciunt, ceſſante Werra exportatis rebus & deſtructis tuguriis, tam eccleſias quam cimiteria mundicie & libertati priſtinæ reforment; ſi moniti infra duos menſes non fecerint ad hoc per excommunicationis ſententiam compellantur. Prophanum etiam judicamus quod ſi quis in eccleſiis vel cimiteriis edificia vel qualeſcumque res poſuerit, poſtmodum ea jure hæreditario præſumpſerit uſurpare. Item ſacerdotes qui ſcienter incendiarios eccleſiarum vel religioſorum locorum, necnon alias excommunicatos receperint in divinis Can. puniantur. Item Laici qui quicquam contra eccleſiaſticam ſtatuerint libertatem utpote contra ſacrificia vel alia ad cultum divinum ſpectantia excommunicationis ſententia innodentur. Item circa matrimonia etiam ſtatuimus & præcipimus, ut hoc firmiter teneatur ſcilicet ut matrimonia cum omni honore in facie eccleſiæ cele-

ANNO CHRISTI 1286.

brentur. Sacerdos quoque in tribus diebus dominicis vel feſtivis a ſe diſtantem populum moneat, ut ſi quod legitimum impedimentum noverint circa matrimonium contrahendum, utpote Conſanguinitatem Affinitatem Votum Ordinem Diſparem cultum Compaternitatem & ſimilia illud in facie eccleſiæ ſtudeant revelare, Excommunicationis etiam ſententia feratur in genere in omnes eos, qui hujuſmodi impedimenta celant, qui etiam condigne ſi poſtmodum detecti fuerint puniantur.

In nomine Domini Amen.

NOs Witigo Dei gratia Miſnien. & Fridericus Merſburgen. & Bruno Nuenburgenſ. Epiſcopi recognoſcimus & tenore preſentium proteſtamur quod ad ſuccurrendum preſſuris tam nobis quam clero & religioſis cujuſcunque ordinis exemptis & non exemptis ex hominum malitia imminentibus in hoc convenimus & tenore preſentium nos mutuo obligamus, quod ſententias tam auctoritate ordinaria a nobis latas quam ſtatuta domini Gwidonis Card. ſedis apoſtolice legati & Magdeburg. concilii invicem exſequemur. Et preterea que in premiſſis conciliis de Captivitate Epiſcoporum & Clericorum continentur. Hoc in noſtris diœceſibus volumus obſervari videlicet quod filii Captivantium epiſcopos vel clericos inhabiles ſint ad beneficia, & ſacros ordines obtinendos, nec ipſorum filiæ in aliquo collegio ſacrimonialium admittantur. Abbates quoque Abbatiſſæ prepoſiti & conventus contra hanc inhibitionem noſtram venientes, per ſententiam quam in hiis ſcriptis ferimus tam a divinis noverint ſe ſuſpenſos donec ejiciant ſic receptos. De incendiariis autem & invaſoribus eccleſiarum & Cimiteriorum quæ quidem eccleſiæ & cimiteria non ſolum pro ſalute mortuorum ſed ut etiam vivi pacis in eis refugium inveniant conſecrantur ſic obſervari volumus, ut qui ſurrexerint in rapinam eccleſiæ vel cimiterii niſi ablata reſtituant vel emendandi firmam & plenam præſtiterint ſecuritatem, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegetur, & ſingulis diebus dominicis pulſatis campanis & incenſis candelis excommunicatus publice nuncietur. Et ſi obſtinata mente uſque ad mortem perſeveraverit, eccleſiaſtica careat ſepultura niſi ſub teſtimonio plebani & aliorum trium damna reſtauraverit univerſa. Si qui vero clerici tales ad ſepulturam receperint, aut eorum ſepulturæ interfuerint, vel ipſorum eleemoſynas receperint, ordinis ſui damnum irrecuperabiliter patiantur & ipſo facto ſuis beneficiis ſint privati. Et quia ea, quæ præmiſſa ſunt, de prælatorum & capitulorum noſtrorum proceſſerunt conſenſu præſens ſcriptum tam noſtris quam jam dictorum capitulorum noſtrorum ſigillis fecimus communiri. Actum Nuenburch, Anno Domini MCCLXXXVI. In Nativitate beatæ Virginis.

ANNO CHRISTI 1287.

# ARTICULI OBSERVANDI PER RECTORES ET VICARIOS CANTUARIENSIS.

## Diœceſis & juriſdictionis.

Ex MS. in regiſtro principali archiepiſc. Cantuar. nuncupato Peckam edidit collector Anglicanus tomo II.

FRater Joannes, &c. dilecto filio ...... archidiacono Cantuarienſi ſalutem, gratiam, & benedictionem. Quamvis cura animarum nihil ſit pretioſius in hoc mundo, cum pro hac ſola Chriſtus in cruce obtulerit ſemetipſum; nihil tamen iis temporibus apud multos vilius reputatur. Sunt quidem innumeri, qui fructus eccleſiarum audacter rapiunt, metunt carnalia, ubi nunquam ſpiritualia, ſed potius ſcandala ſeminarunt. Quo ſacrilegio, quia nullum eſt damnabilius coram Deo: ei, ut poſſumus, remedium apponentes, vobis in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus articulos illos, quos vobis mittimus, litteris præſentibus incluſos, in omnibus eccleſiis veſtræ juriſdictioni ſubjectis, in noſtra Cantuarienſi diœceſi, ad perpetuam rei memoriam, faciatis ſcribi lucide & aperte in Miſſali, vel alio libro ſolenni, & publice recitari, ut frequenter occurrant memoriæ miniſtrorum, & viſitantibus oſtendantur. Inhibentes ſub pœna excommunicationis, in quam incidere volumus omnes contrarium facientes, ne quis articulos ipſos, in toto vel parte ſic ſcriptos, audeat abolere. Quid autem circa hoc feceritis, nobis ubicumque fueri[illegible] in noſtra diœceſi vel provincia reſcribatis, p[illegible] patentes litteras harum ſeriem conti[illegible] feſtum Aſſumptionis Virginis glorioſæ, [illegible] Otteford VIII. Idus Julii an. Dom. M[illegible] Ordinationis noſtræ nono.

*Conſimiles litteræ emanarunt commiſſario Cantuarienſi, & ſingulis decanis exemptæ juriſdictionis.*

Nos frater Joannes, permiſſione Divina Cantuarienſis eccleſiæ miniſter humilis, totius Angliæ primas, univerſis rectoribus, vicariis, & quibuſcumque curam animarum habentibus, ſive in noſtra diœceſi, ſive in locis aliis, noſtræ immediate juriſdictioni ſubjectis, præcipimus articulos inferius annotatos, in virtute obedientiæ, & ſub debito præſtiti juramenti inviolabiliter obſervari.

Primo, quod faciant eccleſiaſtica officia, cum reverentia & decentia qua poterunt, per honeſtos miniſtros opportunis temporibus continue celebrari.

Secundo, quod provideant fideliter gregi ſibi commiſſo, in ſpiritualibus; utpote in prædicatione verbi Dei, & ſacramentis eccleſiæ diſpenſandis, & ſpecialiter in confeſſionibus audiendis: & ubi ipſi non ſufficiunt ad hoc, vocent in ſui adjutorium viros ſanctos, ad hoc ſpecialiter deputatos.

Tertio, quod pauperibus & egenis, præcipue curæ ſuæ, in corporalibus neceſſitatibus provideant, juxta quod ſufficiunt eccleſiæ facultates, ſaltem de his, quæ ſupererunt ſuis neceſſitatibus, & miniſtrorum ſuorum, & hoſpitalitatem etiam ſervent prout dictant canonicæ ſanctiones.



ANNO CHRISTI 1287.

Quarto, quod nullum ineant contractum, clam vel palam, cum quacunque litterata vel illitterata perſona, in quacumque curia, qui poſſit in temporalibus vel ſpiritualibus parare præjudicium ſucceſſoribus eorumdem, quo minus proſequi valeant eccleſiæ ſuæ jura.

Quinto, quod ædificia rectoriæ, vel vicariæ, in ſtatu decenti conſervent, prout ſufficiunt eccleſiæ facultates.

Sexto, quod bona eccleſiæ contra jus commune alienata, & libertates etiam quaſcunque, ſecundum Deum & juſtitiam revocare teneantur.

Septimo, quod bona & jura eccleſiæ ſibi conceſſæ, pro viribus, abſque alienatione & detrimento quolibet notabili ſtudeant obſervare.

Octavo, quod fructus eccleſiarum ſuarum non vendant ſimul & in ſumma, ſine noſtra licentia ſpeciali: quoniam hujuſmodi venditio, firmæ ſimilis, omnia evacuat officia pietatis, & facit decimas nundinales, quæ debent in domo Dei pauperum neceſſitatibus providere.

Item iſtos articulos ſcribi præcipimus in qualibet eccleſia, in Miſſali, vel libro alio potiori, palam, lucide, & aperte: ut frequenter occurrant memoriæ miniſtrorum, & viſitantibus oſtendantur. Facientes aliter, graviter puniantur.

# *** SYNODUS EXONIENSIS

## A Petro Quivil epiſcopo, Exonii congregata, finita XVI. Calend. Maii, anno Domini MCCLXXVII.

Ex Tomo II. collectionis conciliorum Britannic.


1. *De ſacramentis eccleſiæ.*
2. *De Baptiſmo.*
3. *De Confirmatione.*
4. *De Euchariſtia.*
5. *De Pœnitentia, &c.*
6. *De Extrema unctione.*
7. *De Matrimonio.*
8. *De Ordine.*
9. *De eccleſiis, capellis, & oratoriis.*
10. *De dedicatione eccleſiarum.*
11. *De cœmeteriis eccleſiarum.*
12. *De eccleſiarum ornamentis.*
13. *Ne in eccleſiis & cœmeteriis.*
14. *De cœmeteriis claudendis.*
15. *De immunitate eccleſiarum.*
16. *De eccleſiarum domibus.*
17. *De vita & honeſtate clericorum.*
18. *De clericis concubinariis.*
19. *De reſidentia.*
20. *De manſuetudine.*
21. *De Divino officio.*
22. *Quod parochiani eccleſiam frequentent.*
23. *Qualia feſta indici debeant.*
24. *Ne clerici ſint negotiatores.*
25. *Ne dignitates vel officia tradantur ad firmam.*
26. *De eccleſiarum rebus non alienandis.*
27. *Ne clerici de bonis eccleſ. in ſolo ædificent laicali.*
28. *De quantitate vicariarum & ſtipendiis ſacerd.*
29. *Ut beneficia aquæ benedictæ ſolis ſcholaribus.*
30. *Ne clericus clericum coram ſæculari judice.*
31. *De celebratione capitulorum ruralium.*
32. *Quod non alii quam diffamati, ad capitula vocentur.*
33. *Ut litigantes a lite recedant.*
34. *De juramento advocatorum.*
35. *De captione excommunicati.*
36. *Ne presbyteri regant parochias primo anno.*
37. *Ne alienæ ordinationis presbyteri.*
38. *Ne pro ſpiritualibus officiis quicquam exigatur.*
39. *Ne pro delictis rectorum eccleſia ſuſpendatur.*
40. *De viſitationibus archidiaconorum.*
41. *Ne clerici ſe obligent foro ſæculari.*
42. *De bonis clericorum.*
43. *De excommunicationum ſententiis.*
44. *Ne quis in propria cauſa excommunicet.*
45. *Ut abſque libelli donatione, &c.*
46. *Ut omnibus libere liceat appellare.*
47. *De quæſtoribus eleemoſynarum.*
48. *De reliquiis & veneratione ſanctorum.*
49. *De Judæis & eorum mancipiis.*
50. *De teſtamentis.*
51. *Ut rectores, poſt mediam quadrageſ. decedentes, &c.*
52. *De mortuariis.*
53. *De decimis.*
54. *De oblationibus.*
55. *De ſententiis excommunicationum.*


## PRÆFATIO.

ALtiſſimus de terra medicinam: eccl. 38. Quod primo & principaliter intelligitur de medicina animæ, cujus medicus eſt Chriſtus. Secundo animæ morbus eſt peccatum, juxta illud Prophetæ: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. (Pſalm. 40.) Et hæc ſpiritualis medicina animam curat per verborum ſanctæ ſynodi efficaciam, juxta illud propheticum: *Miſit verbum ſuum, & ſanavit*. (Pſalm. 106.) Et non ſolum ſanat per verborum efficaciam, ſed per operationes ſacramentorum, fluentium de fontibus Salvatoris, id eſt, Chriſti vulneribus. Hic eſt medicus, de quo loquitur Auguſtinus: Venit magnus medicus, quia ubique jacebat ægrotus: de cujus medicina dicitur in eccleſiaſtico: *Unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis*. (Eccl. 38.) Et ſicut dicit Auguſtinus, ipſe fuit medicina, qui ſufficiebat omnibus, & contra omnem morbum. Hic eſt Samaritanus, id eſt, Chriſtus, qui infundit vinum, id eſt [a] Salvatoris punctiones verborum, & oleum ſacramentorum, ſauciato, id eſt, per peccatum vulnerato. Cujus prætextu, nos Petrus miſeratione divina Exonienſis epiſcopus, vices quodammodo gerentes in terris,

[a] Forte ſalutares. H.

ANNO CHRISTI 1287.

licet minus digne, prædicti altiſſimi Samaritani & unguentarii Jeſu Chriſti, pro noſtro modulo Pauli doctoris gentium ſequentes veſtigia, qui apud Miletum ſynodum convocavit, vos fratres noſtros & filios in Chriſto, dignum duximus convocandos ad hanc ſanctam ſynodum in eccleſia noſtra Exoniæ celebrandam: ut aquam ſapientiæ hauriamus cum gaudio de fontibus Salvatoris: a quibus cum virtutes ſacramentorum effluxerint, a ſacramentis ſumat tractatus noſter ſynodalis exordium.

### I. *De Sacramentis in genere.*

QUoniam eccleſiaſtica ſacramenta ad ſalutis remedia ſunt divinitus inſtituta, in quorum diſpenſatione præcipuum conſiſtit miniſterium prælatorum; omnibus quibus animarum cura incumbit, ſacramenta ipſa ſane intelligere, ac ſcire plebi ſibi commiſſæ rite conferre, expedit & oportet; & tanto circa eorum collationem cautius ſe habere, quanto utiliora ſunt, & magis neceſſaria ad ſalutem. Quæ igitur ſint, & quot, & quæ neceſſaria, & quæ non, ac quæ collata valeant iterari: ab initio propter ſimpliciores breviter exponamus. Sunt autem VII. Baptiſmus ſcilicet, qui eſt janua omnium ſacramentorum, & dicitur ingredientium, eo quod ingredientes ſanctificat, & tam ab originali quam actuali peccato hominem exuit & emundat: unde, prima tabula ducens ad portum ſalutis poſt naufragium, appellatur. Secundum vero ſacramentum nuncupatur confirmatio, & dicitur pugnantium: quoniam per baptiſmum ſanctificatos contra antiqui hoſtis inſidias corroborat, ut inſultibus fortius reſiſtant humani generis inimici, [b] tanquam leo rugiens mundum circuire non deſinens, prædam quam devoret quærens in hominibus. Eſt & tertium ſacramentum progredientium: ideoque viaticum ſeu Euchariſtia appellatur, ingenti caritate & rationabili inſtitutum. Quartum vero ſacramentum eſt redeuntium, eo quod redeuntibus datur: propter quod ſecunda tabula poſt naufragium appellatur pœnitentia. Eſt & quintum ſacramentum, ſcilicet extrema unctio, & dicitur exeuntium, quod tam ad infirmitatum corporis alleviationem, quam peccatorum remiſſionem, noſcitur ſalubriter inſtitutum. Eſt & ſextum ſacramentum, ſcilicet matrimonium, quod fuit inſtitutum in paradiſo, & ante peccatum: poſt vero peccatum, & extra paradiſum, fuit inſtitutum ad remedium; videlicet, ut carnalis concupiſcentiæ vitium cohiberet, & fornicationis labes per legitimum conjugium concluderetur. Eſt & ſeptimum ſacramentum, ſcilicet ordo. Nam ſicut in veteri teſtamento, ſacrificia offerebantur, non per quoſcunque, ſed vocatos a Domino: ita nec in novo, niſi per ipſos, qui ad hoc ſacros ſuſcipiunt ordines, eccleſiaſtica ſacramenta poterunt diſpenſari.

b *Forte*, qui tanquam ... non deſinit. H.

Cum igitur ſint VII. ſacramenta eccleſiaſtica: primum quidem eſt baptiſmus, quod omnibus eſt neceſſarium; ſine quo ad regnum cœlorum minime pervenitur. Pœnitentia vero neceſſaria eſt ad-[illegible]is, qui poſt baptiſma in crimen actuale incide-[illegible]. Cetera vero tria, ſcilicet confirmatio, eu-[illegible], & extrema unctio, non ita neceſſaria ut pr[illegible] quoniam abſque eis, poteſt eſſe ſalus: [illegible] haberi nequeunt, & ex contemptu minime [illegible]. Duo vero ultima, ſcilicet, conjugium & ordo, voluntaria ſunt & ſpiritualia; quia liberum unicuique ipſa percipere, vel non percipere: hoc excepto, quod qui curam habent animarum, compelli ad ordines, vel curam ſuſceptam dimittere, ſacri canones decreverunt. Per iſta duo ſacramenta peccatum non dimittitur, ſed per matrimonium, fornicationis juvatur vitium: per ordinem, ſi digne conferatur & rite, virtutes augentur & munera gratiarum. Horum autem VII. ſacramentorum quædam ſunt irreiterabilia, ut baptiſmus, confirmatio, & ordo: quæ ſemel collata, minime reiterantur. Cetera vero quatuor licite poterunt iterari, ſolemni pœnitentia duntaxat excepta, quæ quia ſacramentalis eſt, iterari non debet. Præmiſſis tam breviter quam leviter in genere expoſitis, ut per hoc ab initio corda ſimplicium cautius illuſtremus: ad ſingula ſacramenta, qualiter unuſquiſque curam habens animarum, in ipſis ſuum debeat impendere miniſterium, per ordinem deſcendamus: noſtri progreſſus, quem Deus dirigat & conſervet, a baptiſmo ſumentes exordium.

### II. *De Baptiſmo.*

BAptiſmi ſacramentum adeo eſt neceſſarium, quod ſine eo non eſt ſalus, nec aliis quam baptizatis regni cœleſtis janua aperitur. Quapropter ſacerdotibus, quibus cura animarum incumbit, diſtricte præcipimus, quod formam baptizandi parochianis ſuis exponant ſæpius in vulgari: videlicet, quod tempore partus aquam habeant promptam, in quam, ſi oportuerit, baptizandum immergant, dicentes: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Sæpius enim accidit, quod propter mortis periculum, per alium quam per ſacerdotem oportebit parvulum baptizari. Propter cauſas hujuſmodi emergentes, expedit & oportet ut quilibet formam baptizandi intelligat & ſciat: quam, cum inevitabilis caſus emerſerit, valeat obſervare, quæ ſi penitus obſervata non fuerit, parvulus de integro baptizetur. Quoniam ex quo duo ſunt neceſſaria in baptiſmo, ſcilicet verbum & elementum: utroque vel altero deficiente, nihil eſt quod agitur. Sacerdos inſuper ſuos inſtruat parochianos, quod non ſolum ſacerdotes, verum etiam clerici & laici, inſuper pater & mater, in neceſſitatis articulo abſque [a] copula conjugali, ſuos parvulos valeant baptizare. Cum igitur contigerit parvulum domi propter mortis periculum baptizari, ſi poſtea convaluerit, ad eccleſiam deferatur; ut ſi rite fuerit baptizatus, non ipſa ſubmerſio, nec ipſa præcedentia, ſed ſubſequentia duntaxat per ſacerdotem, ut convenit, ſuppleantur. Vas vero in quo puer domi fuerit baptizatus, comburatur, vel ad uſus eccleſiæ reſervetur: ac aqua, in qua puer immerſus fuerit, in baptiſterium effundatur, vel ſaltem projiciatur in ignem ob reverentiam ſacramenti.

a *Al.* abſque ... [illegible]

Et ne ob parentum imprudentiam ullatenus abſque baptiſmo decedat: præcipimus, ut per ſacerdotes parochiales prægnantibus mulieribus injungatur, in tempore partus ſui aquam habeant promptam ad manus, ut ſi ingruerit repentini caſus neceſſitas, puer ſaltem a parentibus, ſi alii non adſint, in forma quam præmiſimus baptizetur. Ita quod peccata ſua, cum tempus partus inſtare crediderint, ſacerdoti confiteantur: ne, cum ipſis in puerperio laborare contigerit, impedientibus



ANNO CHRISTI 1287.

tibus pariendis doloribus, confiteri cum valuerint, adimatur facultas.

Ad hoc præcipimus, quod ſacerdotes parochiales, parochianos ſuos moneant diligenter, ut pueros ſuos diebus ſabbati proxime ante Paſcha & Pentecoſten, ad baptiſmum ſolemniter celebrandum a ſacris canonibus deputatis, ad eccleſiam ſtudioſius deferant baptizandos, ceſſante cujuſcunque periculi ſuſpectione.

In levatione pueri de fonte ſacro, per quam compaternitas ſpiritualis contrahitur: præcipimus, ut in levatione maris, duo mares & una fœmina, in fœminæ vero levatione, unus mas & duæ fœminæ adhibeantur. Plures non poſſunt eſſe compatres, ſed tanquam teſtes.

Ne autem alicujus dubietatis prætextu, non baptizatus quiſpiam relinquatur, quod in infantibus expoſitis, & aliis domi baptizatis extra formam ſuperius traditam, de facili poſſet contingere: præcipimus, quod in hujuſmodi dubio baptizentur ſub hac forma verborum: Non intendo te rebaptizare: ſed ſi non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Nec tum dubietas talis facit ſacramentum baptiſmatis iterari: quoniam non monſtratur iteratum, quod neſcitur eſſe factum.

Panni vero chriſmales, quorum candor, innocentiam vitæ, & puritatem Chriſtianam deſignant, nuſquam in uſus profanos, ſed eccleſiæ, convertantur.

Baptizandus vero niſi de legitimo matrimonio fuerit procreatus, a ſacerdote exactiſſime inquiratur de parentum nominibus: ut, quanquam parvulo baptiſmus non debeat denegari, parentes tamen ejus pro commixtione illicita puniantur.

### III. *De Confirmatione.*

QUoniam in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam: eo quod nobis eſt magna & gravis colluctatio adverſus principem tenebrarum. Quapropter ſacerdotibus parochialibus diſtricte præcipimus, ut parochianos ſuos ſæpius moneant, quatenus parvulos ſuos, quos prius baptizatos eſſe conſtiterit, procurent quam citius poterunt confirmari. Et ne ob parentum negligentiam ipſos contingat abſque confirmatione diutius remanere: ſtatuimus, ut parvuli, infra triennium a tempore ortus ſui, confirmationis recipiant ſacramentum: dum tamen proprii vel alieni epiſcopi copia habeatur. Alioquin parentes ex tunc qualibet ſexta feria in pane & aqua jejunent, donec pueri confirmentur.

Adulti vero ad confirmationem minime offerantur, niſi peccata ſua prius fuerint confeſſi eodem die.

Confirmandi ſecum deferant ligaturas mundas, latitudinis & longitudinis competentis, quas poſt confirmationem per triduum portare, deinde igne comburi præcipimus, & confirmatos ultra baptiſterium per manus ſacerdotis, vel ſaltem diaconi, ablui.

Sacerdotes autem, ſuos inſtruant parochianos, ne pater aut mater, vitricus vel noverca, puerum ſuum; nec vir, fœminam; nec fœmina, maſculum; aut qui confirmatus non fuerit, ab epiſcopo teneat confirmandum.

Item inter tenentes pueros ad confirmandum ex parte una, & ipſos confirmatos & parentes eorum ex altera, ſicuti in baptiſmo, cognatio contrahitur ſpiritualis: propter quam ad invicem matrimonium contrahere prohibentur.

Et quia hujuſmodi ſacramentum iterari non debet, ut prædiximus: moneantur parentes per locorum presbyteros, ut pueris ſuis de confirmatione tempore infantiæ ſuæ recepta, poſtquam ætatem exceſſerint, innoteſcant. Unde & pueros ſuos per hoc certificare, & parentes certificare oportet.

### IV. *De Euchariſtia.*

SAcramentum Euchariſtiæ omni veneratione dignum, ſolis ſacerdotibus licet conficere, qui ſecundum eccleſiæ claves rite fuerunt ordinati. Sacerdotes igitur, priuſquam accedant ad miniſterium tam ſublime, vitæ ſuæ vias examinent diligenter, verbum Apoſtolicum ſæpius in animo revolventes: *Qui manducat & bibit indigne*, &c. Et ſimiliter illud Evangelii, cum Dominus intinxiſſet panem, & dediſſet Judæ Iſcarioti: *Poſt bucellam intravit in eum ſatanas*: quia manducavit indigne. Quod ſi forte alicujus peccati mortalis læſam conſcientiam habuerint: (in quo tum, quantum ad ſe, ſuſpenſi exiſtunt) ad dictum miniſterium accedere non præſumant, donec conſcientiæ ſuæ vulnera alicui patefecerint ſacerdoti, & pœnitentiam inde receperint ſalutarem. 1. Cor. 11. Joan. 13.

Provideant igitur ſacerdotes, quod oblatas habeant confectas de ſimila frumenti, & aqua dumtaxat: ita quod nihil immiſceatur fermenti. Sint & oblatæ integre candidæ, & rotundæ: nec per tantum tempus cuſtodiantur, quod in ſapore vel aſpectu abominabiles habeantur. Vinum habeant purum: vinum vero in acetum converſum rejiciatur omnino.

Miſſam celebraturus ſacerdos infundat calici plus de vino, & parum de aqua: nec Miſſæ, niſi in altaribus & ſuper altaribus conſecratis, aliqualiter celebrentur. In quarum celebratione duo ſaltem luminaria habeantur, tam ob reverentiam ſacramenti, quam extinctionis caſu fortuito: quorum ſemper altera ſit de cera.

De parochianorum eleemoſynis ſacerdotes procurent duos fieri tortiſios in canone Miſſæ ardentes, prout in eccleſiis multis hactenus fieri conſuevit. Ut autem ad idem efficiamus ſubditorum animos promptiores: omnibus parochianis noſtris contritis & confeſſis, qui in hac parte manus porrexerint adjutrices, quindecim dies de pœnitentia ſibi injuncta miſericorditer relaxamus.

Quia vero per hæc verba, *hoc eſt enim corpus meum*, & non per alia, panis tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti: prius hoſtiam non levet ſacerdos, donec ipſa plene protulerit verba, ne pro creatore, creatura a populo veneretur.

Hoſtia autem ita levetur in altum, ut a fidelibus circumſtantibus valeat intueri: per hoc enim fidelium devotio excitatur, & fidei meritum ſuſcipit incrementum. Parochiani vero ſolicite exhortentur, ut in elevatione corporis Chriſti, nedum reverenter ſe inclinent, ſed genua flectant, & creatorem ſuum adorent, omni devotione & reverentia, ad quod per campanellæ pulſationem primitus excitentur: & in elevatione ter tangatur campana major.

Habeat ſacerdos parochialis, propter infirmos, ſemper hoſtias conſecratas, quas ultra VII. dies conſervari firmiter prohibemus: ſed proximo die Dominico ſequente, ante calicis ablutionem, a ſacerdote Miſſam celebrante, vel ab alio, dum tamen digne & devote, ſumatur. Quo die, juxta parochianorum diffuſionem, plures vel pauciores conſecrentur: aliæ innoventur per ſubſequentem hebdomadam duraturam.

Cum

ANNO CHRISTI 1287.

Cum ergo Euchariſtia ad infirmum fuerit deferenda: ſuperpelliceo & ſtola induat ſe ſacerdos, niſi loci diſtantia & aeris intemperies hoc fieri minime patiatur. Sit corpus Dominicum repoſitum in burſa mundiſſima, & ipſa includatur ſub ſerura in pyxide munda & honeſta, argentea vel eburnea, vel alia convenienti, quam ad pectus deferat ſacerdos, ipſum præcedente lucerna, eo quod portatur candor lucis æternæ. Præcedat etiam tintinnabulum, ad cujus ſonitum excitentur fideles ad " orandum corpus Dominicum, ſe humiliter inclinando, &, ſi fieri poteſt, genua flectendo. Et ut eorum in hoc labor meritorius habeatur: iis omnibus, ſi hoc fecerint corde puro pariter & devoto, tredecim dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Ne quis reputet oneroſum, ſuo creatori tantum impendere famulatum, unde inſtigante diabolo ulla ſolicita dubitatio de corpore Chriſti mentes occupat laicorum. Priuſquam communicent, inſtruantur per ſacerdotes, quod illud accipiunt ſub panis ſpecie, quod pro illorum ſalute pependit in cruce: hoc ſuſcipiunt in calice, quod effuſum de corpore Chriſti: & ad hoc inducantur per exempla, rationes, & miracula, quæ hactenus evenerunt.

" *f. ad adorandum*

### V. *De pœnitentia.*

ADmiranda & multiplex Dei miſericordia, humanis lapſibus ita ſubvenit, ut non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed per pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ: ut qui regenerationis dona violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſionem criminum pervenirent. Mediator enim Dei æterni & hominum homo dominus Jeſus Chriſtus, præpoſitis eccleſiæ hanc tradidit poteſtatem, ut ſacerdotes confitentibus pœnitentiæ ſatisfactionem darent, juxta illud Evangelii: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur, &c.* Item: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus, &c.* Verum, quia in gravibus peccatis quis poſitus, dum in ſuis premitur, aliena non diluit: revocent ſe prælati intus ad conſcientiam, ut crimina propria prius corrigant, & tunc aliena reprehendant. Curet igitur ſacerdos, ut ſapiens medicus & perfectus, primo peccata ſua diluere, & poſtea aliena tergere & ſanare: & ut liberius & commodius hoc valeat adimplere, præſentis ſynodi approbatione ſtatuimus, ut locorum archiepiſcopi", qui de ſacerdotum prudentia & moribus pleniorem habent notitiam, de quolibet decanatu, unum vel duos eligant confeſſores, quos ad hæc ſcientia & meritis crediderint magis idoneos; qui vice noſtra, decanorum ruralium, rectorum, vicariorum, & parochialium ſacerdodotum audiant confeſſiones: pœnitentiarii noſtri generalis authoritate in omnibus ſalva, ad cujus arbitrium in dubiis & gravioribus recurratur, niſi forte talis emergat articulus, qui nobis inconſultis nequeat expediri.

*Joan. 20. Luc. 17.*

" *Corr. archidiaconi.*

Et quia prælatis eccleſiarum, quibus animarum cura incumbit, in ſe bonos exiſtere non ſufficit ad ſalutem, niſi ſubditorum mores & vitam corrigant & reforment, quorum ſanguis de eorum manibus requiretur: moneant parochianos ſuos, & crebris prædicationibus inducant, quod quilibet eorum ter in anno, ſcilicet ante Natale Domini, Paſcha, & Pentecoſten, vel ad minus in Quadrageſima, in ipſius initio confiteantur, ne eccleſiæ careant ſuffragiis, quæ fiunt tunc temporis, peccata ſua integre proprio ſacerdoti, vel alteri de ipſius licentia confiteantur. Licentia vero petita, & aſſignata rationabili cauſa, non denegetur: alioquin pœnitentes fruſtra ſe detegerent alieno, cum ipſe abſque licentia eos abſolvere non poterit vel ligare, niſi de mandato ſuperioris. Hoc fiat, vel in peregrinatione, ſeu vinculo, ſeu mortis articulo pœnitens fuerit conſtitutus. De confeſſione vero facta alteri per ipſius aſſignationem, fidem faciat proprio ſacerdoti: alioquin pro confeſſo nullatenus habeatur.

Quod ſi quiſpiam confeſſus non fuerit & communicaverit ſemel in anno: vivens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens eccleſiaſtica careat ſepultura.

In pœnitentiis vero injungendis, ſacerdotes peritorum medicorum inhæreant veſtigiis, ut ſciant vinum & oleum infundere vulneribus ſauciati, & juxta qualitatem criminum & contritionem confitentium, adhibere propria & proficua medicamenta. Etenim non omne quod ſanat oculum, ſanat calcaneum. Qualitatem igitur & contritionem confitentium diligenter attendant; audiant quicquid dixerint, ac eos ſupportent in ſpiritu lenitatis; ne verbis exaſperent, nec aſpectu; ſed ſolicite inducant, ut integre confiteantur. Vagos non habeant oculos, ſed pronos in terram; non reſpicientes faciem confitentis, niſi quatenus ipſius cordis contritionem & erubeſcentiam, quæ eſt maxima pars pœnitentiæ, valeant æſtimare, quæ non tam verbis, ſicut vultu & aſpectu poterunt deprehendi. Mulieres in aperto, & extra velum confiteantur, non ut audiri valeant, ſed videri. Et quæ partui ſunt vicinæ, tunc confiteantur, prout ſupra decrevimus in titulo de baptiſmo.

Caveant inſuper ſacerdotes, ne maritis, aut eorum uxoribus, pro pœnitentia quicquam injungant, per quod inter ipſos de enormi crimine ſiniſtra valeat oriri ſuſpicio & ex hoc odium generari. Qualitate tum criminis commiſſi, & illius univerſis circumſtantiis ponderatis, talis injungatur pœnitentia confitenti, quæ ſatisfactionem inducere & proficere valeat ad ſalutem.

Præterea ſtatuimus, & ſub pœna præcipimus concilii generalis, ut medici corporis, cum ipſos ad ægrotos vocari contigerit, ante omnia infirmis perſuadeant, ut medicos advocent animarum: cum nonnunquam infirmitas corporalis proveniat ex peccato, propter quod Dominus præcepit languido, quod abiret & amplius non peccaret, ne deterius ſibi contingeret. Et cum ſic fuerit ægroto de ſpirituali ſalute proviſum, ad medicinæ corporalis remedium ſalubrius procedatur. Medicus ægroto nihil ſuadeat, quod cedat in animæ detrimentum, cum multo pretioſior ſit anima corpore, & per conſequens ſalus unius eſt alterius ſaluti merito præponenda.

Infirmi confiteri non tardent, ſed pro ſacerdote confeſtim mittant, & de die, propter diverſa pericula quæ de nocte potuerint evenire. De quorum vero convaleſcentia deſperatur, Dei tunc miſericordiæ commendentur: nec eſt eis præciſe pœnitentia injungenda, ſed notificanda potius quæ debetur; ut ſi convaluerint, perficiant eam. Si deceſſerint, pœna æterna quæ debetur, in pœnam Purgatorii tranſitoriam commutatur, occulto Chriſti judicio arbitrandam.

In pœnitentiis dandis diligenter attendat ſacerdos qualitatem delinquentis, quantitatem delicti, locum, tempus, cauſam, perſeverantiam in delicto, pœnitentis devotionem, & ſigna contritionis ipſius; nec inquirat de propriis nominibus perſonarum, cum quibus quis peccaverit, ſed in genere. Ut ſi mulier fuerit, quæ peccavit: quærat ab



ANNO CHRISTI 1287.

ab ea, utrum cum clerico, vel laico, religioſo vel ſæculari ſacerdote, vel diacono, vel ſubdiacono, conjugato vel ſoluto, conſanguineo vel affine. Si vero vir, aptas & conſimiles de mulieribus ſibi faciat quæſtiones: ita tamen, quod majora & notoria pœnitentiario noſtro reſervet, & pœnitentem ſibi tranſmittat, cum litteris, cauſam delicti & circumſtantias ipſius continentibus. Pœnitentes iterum cum litteris pœnitentiarii, abſolutionis & pœnitentiæ modum continentibus, ad ſuum redeant ſacerdotem; revertenti aliter non credatur. Hæc nedum in foro pœnitentiali, ſed judiciali, præcipimus firmiter obſervari.

Et quoniam ſpiritus & carnis in dies ſingulos creſcente concupiſcentia, & refrigeſcente caritate multorum, nedum uſitata crimina multiplicantur, ſed excogitantur nova, & inaudita pariter perpetrantur: noſtro pœnitentiario indulgemus, ut ſi in capite jejunii ad ſuſcipiendum, & audiendos publice pœnitentes, ſe ſolum ſufficere non crediderit, ſocium unum vel plures, juxta pœnitentium numerum, ſibi adjungat.

De peccatis quæ communiter ſunt in uſu, a ſacerdote inquiri poterit ſingillatim: de aliis inuſitatis non inquirat, niſi per circumſtantias, & a longe inquirat; ut per hæc, expertis, dum eorum recenſetur memoria, detur materia confitendi; inexpertis, dum celantur incognita, occaſio delinquendi non pandatur.

Caveant igitur ſacerdotes, ne ex ardore avaritiæ pœnitentias laicis exponant venales: quarum prætextu ipſis laicis remittatur corporalis pœnitentia, quæ debetur; & ipſis ſacerdotibus quicquam temporalis lucri accreſcat, cum æterno ſupplicio & brevi fructu. Nullum etenim crimen tam grande quis timeret committere, quod per pecuniam conſpiceret ſe poſſe redimere. Hujus criminis reos, ſi qui inventi fuerint ſacerdotes, (quos ipſo facto ſuſpenſos ac ſimoniacos declaramus) ſi poſtea Divina celebrare, immo verius profanare præſumpſerint, a noſtra diœceſi, abſque ſpe redeundi, in perpetuum decrevimus expellendos.

In rebus vero nefarie acquiſitis, ſacerdotes injungant parochianis pœnitentibus, ut damnum paſſis, omnino, ſi ſuperſint, ablata reſtituant: alias autem in eleemoſynarum quarumcumque largitiones ablata hujuſmodi nullatenus convertantur.

Confitenti ſe criminalia perpetraſſe, quamvis mentiendo dicat ſe abſtinere non poſſe, curioſe ſuadendum eſt & conſulendum, ut abſtineat: & quamquam vera pœnitentia dici non debeat, admitti tamen debet ipſius confeſſio, & crebris & ſalubribus monitis ſibi eſt pœnitentia indicenda.

Nullus omnino ſacerdos crimina ſibi confeſſata revelet, vel verbo, vel ſigno, vel quovis alio modo, ſpecialiter vel generaliter. Sed ſi in dubiis prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione certæ perſonæ caute requirat: quoniam ſic detegentes deponendos eſſe & in arctum monaſterium detrudendos, ad perpetuam pœnitentiam peragendam, apoſtolica decrevit authoritas.

Cuſtodes carcerum, incarceratos ſuſtineant libere confiteri. Quod ſi de cetero quiſpiam confeſſionis gratiam inhibuerit carcerato, niſi vivens de hoc condigne ſatisfecerit, moriens eccleſiaſtica careat ſepultura.

Et quia de rebus tranſitoriis nihil ſupereſt quod animarum ſaluti debeat anteponi, præcipimus, quod cum fratres Prædicatores & Minores, tam in Quadrageſima, quam extra, cum tranſitum fecerint per parochias, confeſſiones fidelium libere audiant, & pœnitentias injungant: qui, ſi voluerint confiteri, proprii ſacerdotis licentia requiſita, & eccleſiæ parochiali oblationibus conſuetis & debitis prius ſolutis, & ſi ſedes apoſtolica eis amplius indulſerit, vel indixerit indulgendum, hoc ab omnibus obſervetur. Et quoniam ipſorum Fratrum prædicatio & ſancta converſatio in eccleſia Dei produxiſſe fructum non modicum dignoſcitur, ubicumque per noſtram diœceſim tranſitum fecerint, honorifice admittantur & procurentur honeſte.

### VI. *De extrema unctione.*

SAlubre utique tam corpori, quam animæ, unctionis extremæ perpenditur ſacramentum, ad allevationem corporum, remiſſionem peccatorum, dignoſcitur alimentum. Quapropter inter cetera ſacramenta iſtud non minimum præcipimus venerari, & ſacerdotes parochos, quandocumque fuerint requiſiti, ad viſitandum infirmos ſe promptiſſimos exhibere. Et qui difficiles ſe exhibuerint in hac parte, & infirmis pœnitentibus & petentibus, gratis abſque ulla exactione pecuniæ ſacramentum hoc non contulerint: cum gratia ſit gratis data, & non pretio conferenda, convicti ſuper hoc, juxta canonicas ſanctiones punientur condigne.

Præterea præcipimus, quod rejecta omni negligentia, parochiales presbyteri, circa curam ſibi commiſſam vigiles ſint & ſoliciti, extra ſuam parochiam abſque cauſa rationabili nullatenus provocantes: & tunc loco ſuo alium dimittant idoneum, qui ea quæ animarum curæ incumbunt, ſciat & valeat adimplere.

Quod ſi quemquam juvenem vel ſenem, culpa, negligentia, vel abſentia ſui ſacerdotis, quod abſit, abſque baptiſmo, confeſſione, Dominici corporis perceptione, ac extrema unctione præveniri morte contigerit: ſacerdos ſuper hoc convictus, a celebratione Divinorum protinus ſuſpendatur: cujus ſuſpenſio minime relaxetur, donec tam grande crimen pœnitentia condigna meruerit expiari.

Et quoniam quidam laici imperiti, de hoc ſacramento nequiter ſentientes, illud abhorrent in tantum, quod vix velint illud ſuſcipere etiam in extremis, fatue æſtimantes, quod poſt ipſius ſuſceptionem, carnis eſum, nudis pedibus inceſſum, copulam carnalem etiam cum uxore legitima, ſibi fore penitus interdicta: præcipimus parochialibus presbyteris, ut ubi noverint tantam hereſim pullulare, contrarium prædicent, parochianis notificantes inter cetera, hoc ſacramentum poſſe licite iterari; & quod uncti, ſi ab infirmitate poſtea convaluerint, carnes comedere, nudis pedibus ambulare, &, ſi conjugati fuerint, uxores ſuas cognoſcere, occaſione hujuſmodi omittere non tenentur.

### VII. *De matrimonio.*

CArnalis concupiſcentiæ vitium ex inobedientia primorum parentum contractum, ita tranſivit in poſteros, ut quanquam homo baptiſmi gratia renovatus, confirmationis robore ſolidatus, & ſacro viatico recreatus exiſtat, non eſt tamen per omnia priori innocentiæ reſtitutus: immo prioris concupiſcentiæ fomes adhuc remanens, ipſum inquietare non ceſſat, per quam colaphizatur ſtimulo ſatanæ, inceſſanter nitentis hominem per hoc ſicut per ceteros nocendi modos ducere ad interitum. Homo tamen, ſi legitime reſtiterit, propter

ANNO CHRISTI 1287.

pter certaminis hujus victoriam majus meritum conſequetur, Ad vitandum igitur hujus concupiſcentiæ malum, matrimonii ſacramentum ab Apoſtolo poſt peccatum hominibus eſt conceſſum, quod a Deo in paradiſo & ante peccatum, ad officium fuerat inſtitutum. Hoc per ſponſalia de futuro initiatur, per mutuum conſenſum de præſenti ratificatur, per carnalem copulam conſummatur. Debet igitur hoc ſacramentum, cum diſcretione magna & reverentia celebrari, in locis honeſtis, & tempore congruo, cum omni modeſtia, & maturitate: non in tabernis, potationibus, & commeſſationibus, non ſecretis horis, latebris, & ſuſpectis, ſed palam & ſobrie celebretur.

Et ut in ipſis contrahendis forma de cetero obſervetur, a qua vidimus quamplurimos deviare, & nonnulla animarum eveniſſe pericula: præſentis ſynodi authoritate ſtatuimus, ut nullum matrimonium, nulla ſponſalia, niſi in præſentia rectoris eccleſiæ, ſeu ſacerdotis parochialis, & trium fide dignorum, in poſterum contrahantur, qui, ſi ſuper forma & modo contractus lis inter contrahentes oriri contigerit, valeant ſuper hoc veritati teſtimonium perhibere. Contrahentes vero extra formam prædictam; & præſentes in contractu, per locorum ordinarios graviter puniantur. Licet per legitimum viri & mulieris conſenſum, legitima matrimonia contrahantur: quantum ad eccleſiam neceſſaria ſunt verba vel ſigna, conſenſum exprimentia de præſenti. Ex quo manifeſte liquet, quod ſine authoritate eccleſiæ, cujus judicio approbandus vel reprobandus eſt contractus, non ſunt matrimonia contrahenda: quanquam alias contracta propter hoc minime diſſolvantur.

Et quia ex inſolentia contrahentium ſic alias nonnunquam eccleſiaſtici judices nimium perturbantur, & perplexitates inextricabiles in cauſis matrimonalibus ſæpius inducuntur: ſtatuta canonum exequentes, ſtatuendo præcipimus; quod cum matrimonia, modo ſupradicto contracta, fuerint ſolemnizanda, trina denunciatio in eccleſiis, in quarum parochiis habitant copulandi, diebus Dominicis & feſtivis per presbyteros parochiatum, publice proponatur; quarum quælibet octo dierum contineat ſpatium, ut ſupra illum terminum, qui voluerint, & valuerint, legitimum impedimentum apponant. Presbyteri etiam quod per ſe ipſos potuerint inveſtigare, & quod per ſe vel per alios invenerint, illud litteratorie ſignificent quibus incumbit ſolemnitates contractuum celebrare. Quod ſi contra copulam contrahentium appareat probabilis conjectura; contractus interdicatur expreſſe, donec quid ſuper iis fieri debeat, canonice dijudicetur. Si vero aliquis impedimentum apponat, cui fama viciniæ non conſentit, juret ſtatim quod illud non obivit malitioſe: injungatur ſibi quod coram loci ordinariis, certis die & loco compareat, impedimentum objectum legitime probaturus: qui ſi jurare noluerit, vel juraverit, & non comparuerit, vel in probatione defecerit objectorum, ex tunc procedatur in negotio, oppoſitione hujuſmodi non obſtante. Opponens vero, quia matrimonium legitimum impedivit, canonice puniatur.

Præterea quia quidam diabolicæ fraudis inſtinctu, legitima matrimonia, contra præceptum Domini, diſſolvere ſatagentes, cum diverſis in diverſis provinciis contrahere non verentur: ſub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, ne aliqua extranea & ignota perſona, ad contrahendum matrimonium in noſtra diœceſi ullatenus admittatur, donec per litteras loci ordinarii, in cujus jurisdictione moram traxit diutinam, conſtiterit matrimonium legitime bannatum fuiſſe, & ſe poſſe contrahere abſque ullo impedimento docuerit evidenter. Idem fiat, etiamſi contrahentes fuerint noſtræ diœceſis: dum tamen diverſorum archidiaconatuum, vel parochiarum. Sacerdotes ſolemnitatem matrimonii aliter celebrantes, nec non & ipſa contrahentes, puniantur pœna concilii generalis.

ANNO CHRISTI 1287.

Cum autem matrimonium in facie eccleſiæ fuerit ſolemnizandum, palam & in oſtio eccleſiæ ſacerdos interroget contrahentes, ſi igitur invicem conſentiant, ab ipſis ſingillatim. Si ſuſpecti ſint, nihilominus inveſtiget, an ad contrahendum vi metus vel violentia ſint inducti. Et ſi de hoc per utriuſque vel alterius eorum confeſſionem conſtiterit, ulterius non procedat: alioquin eos inſtruat in vulgari, quod ſe invicem accipiant ſub his verbis: Accipio te in meam, & ego te in meum: eo quod per hæc verba vel conſimilia, legitima matrimonia contrahuntur. Ubi vero ſponſalia contrahuntur, quæ ſunt futurarum nuptiarum repromiſſio, ut puta ſub his verbis vel conſimilibus: Accipiam, vel habebo te in meam, & ego te in meum: vel qualitercumque clam vel palam matrimonium ſit contractum, ſolemnitate minime ſubſecuta, in utroque caſu ipſis contrahentibus carnalem copulam interdicimus, donec trinæ denunciationes factæ fuerint, & ſolemnitas in facie eccleſiæ adimpleta. Qui prius inter ſe commiſcent, graviter puniantur, quanquam aliud non ſuperfuerit impedimentum.

Ad hæc, quia propter clandeſtina & interdicta matrimonia, nonnulla animarum pericula contingit pluries evenire, cum non appareant legitimi teſtes per quos contractus poſſet probari: multotiens evenit, ut conjuncti legitime, ſeparentur, & illegitime conjuncti cum ſuarum tolerentur periculo animarum, eo quod eccleſiaſticus judex nequit in dubiis certam ferre ſententiam. Omnes talia matrimonia contrahentes, ab ingreſſu eccleſiæ *: ſalva nihilominus pœna concilii generalis ſoboli impoſita ex talibus nuptiis procreatæ. Sacerdotes parochiales, ſi talia conjugia nedum celebrare præſumpſerint, vel contempſerint prohibere, vel quiſcunque regularis ipſius præſumpſerit intereſſe, ſuſpendendum ab officio per triennium declaramus, pœnæ ſubdendum nihilo minus graviori, ſi culpæ ſuæ qualitas id poſtulaverit ſuſcipiendum.

* Deeſt in ceteris.

Circa fornicariarum abjurationes hanc formam de cetero præcipimus obſervari, ut delinquentes juramento præſtito ſe aſtringant. Quod ſi ipſos contigerit pati poſtea recidivum, pœnam corporalem, abſque ulla contradictione ſubibunt, quæ ipſis arbitrio ſui judicis imponetur. Quam ſi poſtea incurrerint, & ſuper hoc convicti fuerint, vel confeſſi: tunc delinquentes ſine juramenti exactione contrahant ſub hac forma: Ego ex nunc accipio te in meam, ſi de cetero carnaliter te cognoſcam: & ego te in meum, ſi a te de cetero carnaliter cognita fuero. Quem quidem contrahendi modum redigi præcipimus in ſcripturam: ut per ipſam, in dubio, rei geſtæ veritas comprobetur. Quod ſi contrahentes poſtea ſe carnaliter cognoverint, & ſuper hoc fides facta fuerit in judicio: compellantur matrimonium, ante ſic contractum, in facie eccleſiæ ſolemnizare, infra certum tempus arbitrio judicis moderandum.

Studeant mariti juxta verbum apoſtoli uxores ſuas diligere, eiſque debitum reddere conjugale, & ipſis juxta ſubſtantiæ ſuæ vires vitæ neceſſaria exhibere: ad quæ, cum oportuerit, eoſdem decre-



ANNO CHRISTI 1287.

decrevimus compellendos. Advocatus necnon & procuratores, qui de cetero in cauſis matrimonialibus, quicquam malitioſe opponunt, quo minus legitimum matrimonium, debitum ſortiatur effectum, vel ut in ceteris cauſis eccleſiaſticis proceſſus judicialis contra juſtitiam diutius remaneat in ſuſpenſo, præſentis ſynodi approbatione excommunicamus: & nihilo minus ſuper hoc convictos a ſuis officiis per annum decrevimus ſuſpendendos.

Cauſæ vero divortii poſtquam fuerint examinatæ, & plene inſtructæ, ad officialem noſtrum cum toto proceſſu habito remittantur, per ipſum canonice decidendæ, ſicut hactenus fieri conſuevit.

## VIII. *De Ordine in genere.*

CUm ad ſpiritualia officia exequenda aſſumendi ſint tales, qui poſſint digne ſacramenta Dominica pertractare, quæ per alios, quam per illos, qui ad hoc ſacros ordines ſuſceperunt, nequeunt diſpenſari: cum omni reverentia venerandum eſt Ordinis ſacramentum, per quod cetera miniſtrandi ſolis clericis eſt attributa facultas. Quicumque igitur qui ad tam dignum acceſſerunt ſacramentum, præcipue ſacros ordines ſuſcepturi, cum omni munditia corporis & cordis, facta confeſſione, & recepta pœnitentia, idem aſſumant. Quibus ex cauſis, ad ordines ſuſcipiendos accedentes, diligenter attendant, prudenter advertentes, an ſint legitimi, nec dum legitimati; an irregularitatem notam ex aliqua cauſa contraxerint, ut puta quia fuerint homicidæ, judices, advocati, dictatores, ſcriptores, executores in cauſa ſanguinis; an ſimoniaci, vel interventores ſimoniacæ pravitatis, vel ſimoniæ vitio infecti; aut an ab hereticis, ſchiſmaticis, vel nominatim excommunicatis ſcienter promoti. Item an bigami, corruptarum mariti, vel ſacrarum virginum violatores; an excommunicati, vel furtive ordines adepti, vel in ſuſceptis taliter ordinibus miniſtrantes. Item an ſacrilegi, ſortilegi, demonibus immolatores, incendiarii, eccleſiarum effractores; an conſcientiam habeant peccati mortalis, vel conſimilibus criminibus fuerint irretiti, quæ irregularitatem inducunt. Quos omnes ſuſpenſos eſſe ab executione ſui officii declaramus, & a receptione ordinum ſuperiorum, donec ſuper defectibus vel criminibus hujuſmodi cum eis canonice fuerit diſpenſatum, omnino decrevimus repellendos.

Item ad propriam recurrant conſcientiam, quo fine ad ordines aſpirent, ut Deo & eccleſiæ virtuoſius & gratioſius famulentur, non pro temporali quæſtu, nec beneficiis a ſuis ordinatoribus extorquendis, quoniam tales ſimoniacos reputamus.

Caveant ad ſacros ordines promovendi, ut titulum habeant ſufficientem, ſine quo omnibus ad ſacros ordines accedere interdicimus facultatem: alioquin ipſos tanquam furtive promotos decrevimus reputandos, eo quod intentionis noſtræ non eſt aliquos aliter ordinare.

Et quoniam quidam promovendi, advertentes ſe non poſſe abſque titulo ordinari, cum clericis beneficiatis vel laicis paciſcuntur, ut eis per chartam nomine tituli conferant ſpirituale aliquod vel temporale, eandem chartam ab eiſdem poſt ſuſceptos ordines recepturi: hujuſmodi beneficiatos, & taliter ordinatos, tanquam ſimoniacos, ab officio & beneficio decrevimus ſuſpenſos. Laicos vero pactionis hujus mediatores, conſcios tantæ fraudis, excommunicationis majoris ſententia innodamus....

Religioſis ac ſecularibus clericis diſtricte præcipimus, ne aliquos de confratribus ſuis ad ſacros ordines nobis audeant præſentare: niſi eis ante ordinum ſuſceptionem in ſufficienti & perpetuo titulo velint & valeant providere. Alioquin ſicut ordinatos, ita præſentatores eorum, ſuſpendendos decrevimus a Divinis.

ANNO CHRISTI 1287.

Nullus etiam, etſi de ſufficienti titulo ſit proviſus, abſque ſui archidiaconi litteris patentibus ſuper natalibus & honeſta converſatione, ad hujuſmodi ordines ſuſcipiendos accedat: religioſis & beneficiatis dumtaxat exceptis.

Cum abbates, priores, vel ſaltem ſubpriores, aliquos de confratribus ſuis ad ordines recipere contigerit: ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipimus, quod nullum ante annum probationis effluxum, vel factam profeſſionem, nobis præſentent abſque ſuis patentibus litteris: ne ipſis forſitan ad ſæculum revertentibus, nos vel ſucceſſores noſtros ſuper eorum proviſione fatigari contingat.

Ad hæc, quoniam quidam extranei ſe oriundos de noſtra diœceſi, ac ſervi ſe liberos multotiens mentiuntur, ad quod probandum conductitios teſtes & falſos producunt: nos tam ipſos, quam teſtes eorum, pro hujuſmodi fraudis commento, excommunciationis vinculo innodamus.

Item quia quidam eccleſiarum rectores, cum eos ad ordines ſuſcipiendos contigit evocari, ſe aſſerunt in ſacris, cum non ſint, ut ſic nobis valeant & officialibus noſtris illudere, ſicut alii, qui cum ſint authoritate concilii privati, ſe procurant, abſque noſtra conſcientia, inter ceteros ordinari: tam hos, quam illos, ab officio ſuſpendimus & beneficio, donec primi ſuper illuſione hujuſmodi nobis ſatisfecerint, & in ſacris ordinibus fuerint conſtituti; ſecundi vero beneficia ſua dimiſerint vacua, aliis libere conferenda. Alioquin, ſi ipſa præſumpſerint poſtmodum retinere, fructus, ſi quos ex ipſis perceperint, quos conſtat non eſſe ſuos, cum integritate reſtituere compellantur: quos ſi retinere contenderint, tanquam rei eccleſiaſticæ invaſores excommunicationis ſententia percellantur.

Clerici ab alieno epiſcopo ordinati, non prius ad executionem ſui ordinis in noſtra diœceſi admittatur, donec de eorum ordinatione, litteratura, converſione, moribus, nobis vel locorum archidiacono fidem fecerint manifeſtam.

Rectores vero eccleſiarum parochialium, ad ordines quos beneficiorum ſuorum cura requirit, infra conſtitutum tempus ſe faciant promoveri, & reſideant perſonaliter in eiſdem, ſi pœnam generalis concilii voluerint evitare: nec eccleſiis ipſis per vicarios, ſed per ſeipſos deſerviant, niſi dignitates forte annexæ fuerint, vel præbendæ; in quo caſu ipſos habere vicarios canonice conſtitutos, a jure novimus eſſe permiſſum.

## IX. *De eccleſiis, capellis, & oratoriis conſtruendis & reparandis.*

QUoniam eccleſiarum ordinatio, a quocumque conſtructæ fuerint, non in conſtruentis poteſtate, ſed loci diœceſani, conſiſtere dinoſcitur, prout utriuſque juris ſancta & ſalubris decrevit authoritas; nec liceat cuiquam eccleſiam, vel capellam de novo conſtruere abſque epiſcopi ſui licentia ſpeciali: præcipimus, quod nullus eccleſiam, vel capellam in noſtra diœceſi de novo fabricare præſumat, niſi noſtro primitus requiſito & accedente conſenſu; nec in eiſdem Divina aliqualiter facere miniſteria, nec ipſa ſine noſtro conſenſu totaliter diruta renovare.

Capellæ vero cum fuerint ſic conſtructæ nihil in eis fiat quod in matricis eccleſiæ cedat præjudicium. Illa etenim nonnunquam, de rectoris aſſenſu, mediante juſtitia conceduntur: hoc adjecto, ut id fiat abſque juris præjudicio alieni. Quo caſu ſtatuimus, ut ſacerdotes in dictis capellis miniſtrantes, univerſas oblationes, quas in ipſis offerri, contigerit, eccleſiæ matricis rectori cum integritate reſtituant. Et ut ſibi ſuper hoc ſalubrius conſulatur, dictos ſacerdotes ad idem religione ſacramenti præcipimus obligari. Libertatem etenim, quæ de concedentis benignitate præceſſit, in ſuam læſionem nolumus redundare. Hoc nedum de conſtruendis, ſed de jam ſimili modo conſtructis, firmiter præcipimus obſervari. Si quis autem reſtituere contempſerit, præter reatum perjurii, ipſum ſuſpenſionis vinculo, donec reſtituerit, innodamus. Si vero laicus reſtitutionem impedierit, ac poſt trinam admonitionem non deſtiterit ab impedimento: hoc ipſo majoris excommunicationis incurrat ſententiam.

Inhibemus etiam, ne in capellis quæ proprios parochos non habent, parochianis matricis eccleſiæ, nec aliis quibuſcumque, ſacramenta vel ſacramentalia miniſtrentur: niſi aliquibus aliis amplius fuerit indultum. Nec ſit in ipſis fons baptiſmalis, nec in eiſdem nuptiæ vel Divina celebrentur: niſi fundationis tempore, vel poſtea, majori donatæ fuerint libertate, & ob hoc matrix eccleſia honorem receperit competentem. Obventiones tamen earum, quas a prædictis perſonis contigit provenire, rectori, ut prædiximus, reſerventur. Idem de oratoriis, quæ in aliquorum domibus conſtruuntur, ſtatuimus obſervari.

Ad hæc, onus hujuſmodi conſtructionis & reparationis, cancelli matricis eccleſiæ, ad ipſius eccleſiæ rectorem; navis vero eccleſiæ, ad parochianos, volumus & præcipimus pertinere, conſuetudine contraria non obſtante.

Verum onus capellæ quæ diſtinctam habet parochiam, ad ipſos capellæ parochianos totaliter pertinebit; eo quod ob ipſorum favorem & commodum fuit conſtructa: & nihilo minus matrici eccleſiæ, ſi refectione indiguerit, juxta diſcretionem locorum archidiaconi, ipſos decrevimus pervenire.

Quia domini terrarum in diverſis parochiis terras poſſidentes, & in una illarum tantummodo perendinantes, ad onera eccleſiæ, in cujus parochia non inhabitant, ſed ſui famuli & ſervientes, ipſis parochianis incumbentia contribuere contradicunt: ut hujuſmodi calliditati in poſterum obvietur, præſentis ſynodi authoritate ſtatuimus, quod domini hujuſmodi, onus reparationis eccleſiæ & cœmeterii, ſecundum portionem terræ quam poſſident in eadem parochia, ſicut ceteri parochiani agnoſcant & perſolvant totaliter in futurum; & ipſi ad id faciendum, ſi neceſſarium fuerit, per illarum eccleſiarum prælatos, per omnimodam cenſuram eccleſiaſticam, de cetero compellantur.

Si quis vero altare cum parietibus & tecto in eccleſia, ex devotione velit conſtruere: hoc fiat, prius a nobis petita licentia & obtenta, ac aſſignata perpetua & ſufficienti ſuſtentatione ad reparationem hujuſmodi ædificii, cum indiguerit: ita quod parochiani propter hoc procedente tempore non graventur.

Onus oratoriorum, quæ in privatis domibus conſtruuntur, & etiam capellarum proprios non habentium parochianos, ad ipſorum dumtaxat [illegible] fundatores, item eccleſiæ & capellæ, quæ ſi fuerint ſuperfluæ vel dirutæ, an debeant reparari, vel aliis uniri, an totaliter deſtrui, ordinandi poteſtatem nobis de cetero reſervamus, juxta canonicas ſanctiones.

### X. *De dedicatione eccleſiarum.*

SIcut nos iræ filii de natura, per baptiſmatis ſacramentum facti ſumus templum Domini univerſi: ita privata domus a ceteris materiali ſubjecto non differens, per inviſibile dedicationis miniſterium, Dominicum templum efficitur: in quo, cum tanquam homines fragiles & imbecilles exceſſerimus, a Deo miſericordiam imploramus, & veniam delictorum: in hoc loco, & non alibi abſque cauſa honeſta, & neceſſitate magna, hoſtia ſalutaris viva & vera, offerri habet manibus ſacerdotum, ſicut liquet omnibus quibus præcepta ſunt nota novi & veteris teſtamenti.

Idcirco officii noſtri debitum exequi cupientes, ſingulis eccleſiarum rectoribus nondum dedicatarum præcipimus: quod eccleſias ſuas curent taliter parare, ut ipſas dedicare poſſimus, cum vacaverit nobis tempus. Et ne quæque probabilis ignorantia, nos circumveniat in hac parte, decanis ruralibus injungimus, ut de eccleſiis non conſecratis nec ......; & de aliis, de quibus dubium eſt an fuerint conſecratæ (eo quod certa conſecrationis indicia non apparent) nos vel officialem noſtrum, citra feſtum Nativitatis beatæ Mariæ, non omittant reddere certiores: alioquin ipſos velut inobedientes graviter puniemus.

Et ut matri a filiis honor debitus impendatur, ſtatuimus, ut anniverſarius dedicationis dies, a parochianis omnium eccleſiarum, & etiam capellarum adjacentium non dedicatarum, velut dies natalis Domini ſolemniter celebretur: & quod parochiani ipſam, velut matricem, ſuis oblationibus venerentur. Parochiani capellarum dedicatarum & non dedicatarum, prædicto die, & die feſti ſanctæ matricis eccleſiæ, ad eccleſiam matricem accedant, honorem debitum, qui a filiis matri debetur, devotis precibus impenſuri: non ut parochiani capellarum dedicatarum offerant, niſi velint, eo quod oblationes ſuas in capellis dedicatis, ipſos facere oportebit.

Ut autem conſecrationis impenſæ memoria perpetuetur: præcipimus, quod dotis quantitas quæ in dedicatione eccleſiæ eſt collata, dies dedicationis & annus, nomen conſecrantis, numerus dierum indulgentiæ a conſecrante conceſſæ, in Kalendare eccleſiarum conſcribantur.

### XI. *De cœmeteriis capellarum, de matrice eccleſia longe diſtantium, dedicandis.*

QUia propter locorum diſtantias, & viarum diſcrimina, ac inundationes aquarum, nonnunquam capellæ infra parochiarum limites conſtituuntur, certos parochianos, & diſtinctos fines habentes, de quibus rectores omnia percipiunt emolumenta: advertentes per hoc viventibus parochianis ſalubriter fuiſſe proviſum, ſed in nullo mortuos relevari, ſtatuimus, ut ubi defunctorum corpora, propter impedimenta prædicta, nequeunt abſque nimia difficultate & periculo ad matricem eccleſiam tumulanda deferri, ſi capellæ diſtent a ſuis eccleſiis per duo milliaria, vel ſint minoris diſtantiæ, dum tamen aquarum nimia inundatio tale præſtiterit impedimentum, rectores eccleſiarum, ſi locus ſuperſit, faciant ibi ſumptibus parochianorum, cœmeteria præparari: ut cum per loca ipſa tranſitum fecerimus, ea benedicere valeamus, in quibus corpora parochianorum earundem, ad vitandum hujuſmodi pericula (abſque matricis eccleſiæ præjudicio) reponantur.





Dedicentur capellæ eccleſiæ ipſæ: cum orationes in locis dedicatis efficaciæ ſint longe majoris.

### XII. *De eccleſiarum ornamentis, & eorum cuſtodia.*

UT ornamenta eccleſiarum, quibus quaſi propriis inſtrumentis ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrantur, ſint fulgida & honeſta, exemplum nos docet doctiſſimi Salomonis, dum vaſa domus Dei ex auro puriſſimo conſtituit fabricari. Quapropter præcipimus, quod quælibet parochialis eccleſia, & etiam capella diſtinctam habens parochiam, munda & decentia habeat ornamenta.

Sit in aliqua eccleſia ſaltem unus calix argenteus, purus vel deauratus: ſcyphus argenteus vel ſtanneus pro infirmis, ut poſtquam Euchariſtiam aſſumpſerint, loturam digitorum ſuorum ſacerdos ſibi præbeat in eodem. Sint duo corporalia munda & integra cum repoſitoriis: duo paria veſtimentorum, plenare unum, feſtivale, aliud feriale: quatuor tuellæ ad majus altare, quarum ſaltem duæ ſint benedictæ, & una illarum cum parura.

Item ad quodlibet altare, cum contigerit Miſſam inibi celebrari, ſint ſuperpellicea duo, & unum rochetum: velum quadrageſimale: velum nuptiale: palla mortuorum: frontellum ad quodlibet altare: Miſſale bonum, graduale, troparium, manuale bonum, legenda, antiphonale, pſalteria, ordinale, venitare, hymnare, collectare; præſens ſynodus ſcripta habeatur in ſingulis eccleſiis citra feſtum S. Michaelis: ciſta ad libros & veſtimenta: pyxis argentea vel ſaltem eburnea, ad Euchariſtiam, cum ſerura: chriſmatorum ſtanneum cum ſerura: aſſer ad pacem: pyxis ad oblatas: tres phialæ: ſacramentarium lapideum, & immobile: thuribulum: vas ad incenſum: vas ad aquam benedictam: heja ad tenebras: candelabrum Paſchale: duæ cruces, una fixa, & alia portabilis: imago beatæ Mariæ virginis, & ſancti loci ejuſdem: cereus paſchalis: duo cerei proceſſionales: celatura ſuper altare: campanella deferenda ad infirmos, & ad elevationem corporis Chriſti: lucerna boeta: campanellæ ad mortuos: feretrum mortuorum: baptiſterium lapideum bene ſeratum: feneſtræ vitreæ ſufficientes in cancello & navi eccleſiæ.

Qualiter hæc ſunt neceſſaria in eccleſia Dei ad explendum cultum Divinum, uſus nos inſtituit quotidianus. Quædam iſtorum, prout utilitas expoſcit in majoribus eccleſiis quæ ſufficiunt, duplicentur, vel triplicentur, in quibus ſint hæc amplius quam aliis: diaconus & ſubdiaconus, cappa chori, tunica, dalmatica, duo phylacteria ad cornu altaris, & unum ad patenam.

Onera omnium ornamentorum prædictorum, parochiani, ſicut hactenus, ita de cetero ſupportabunt, libris matutinalibus, unico ſcilicet pſalterio, feneſtris vitreis in cancello, & celatura ſuper majus altare, dumtaxat exceptis: quæ rectores vel vicarii ſupportabunt, prout in noſtra diœceſi hucuſque fieri conſuevit.

Ornamenta eccleſiæ, ſecuræ cuſtodiæ committantur: non tamen ſub cuſtodia laicorum, niſi id neceſſitas major expoſtulaverit. Nec tunc ſacra contingere, nec in eccleſia loco clerici aliqualiter miniſtrare præſumant.

Et quoniam audivimus, quod quidam nobis & locorum archidiaconis illudentes, cum ſibi eccleſiaſtica deficiunt ornamenta, tempore viſitationis exhibent aliena pro ſuis, mendaciter aſſerentes illa ſua eſſe, quæ ab aliis accommodarunt: hanc fraudem ſub pœna excommunicationis de cetero fieri prohibemus.

Ad hæc, cum ornamenta eccleſiæ incurſu latronum contigerit aſportari: ſi propter defectum cancelli, ornamentorum amiſſorum periculum, ad rectorem; ſi navis eccleſiæ, ad parochianos ſtatuimus pertinere: ut per hoc, tam hi, quam illi, ad ſupplendos tales defectus potius animentur.

Et quoniam inter eccleſiarum rectores & ſuos parochianos contentiones in eccleſiis ſæpius ſuſcitantur, dum parochiani ipſi propria authoritate truncum affigunt in eccleſiis, vel extra, pro fidelibus eleemoſynis colligendis; & præſumunt, ut audivimus, publice prædicare majorem fore eleemoſynam, ad truncum ipſum offerre, quam in manibus proprii ſacerdotis: unde evenit, ut tam ab oblationibus debitis, quam ex devotione conſuetis, corda inſipientium avertuntur, & eccleſiarum rectores in utriuſque damnum incurrunt non modicum, & jacturam. Audivimus etiam, quod quidam laici oblationes candelarum, quæ in feſto Purificationis beatæ Mariæ Virginis, & aliis feſtis per annum, ex laudabili conſuetudine fieri conſueverunt, ne dum rectores recipiunt, ſed aliquando capiunt de manibus offerre volentium: ſcelus hujuſmodi palliantes, quod ex cera inde collecta, velint facere cereum coram cruce, vel alibi. Has duas laicorum præſumptiones, tanquam nefarias, deteſtantes, ſtatuendo præcipimus, quod omnes tales trunci in eccleſia affixi, ſeu cœmeteriis, vel juxta, citra feſtum Nativitatis Joannis Baptiſtæ, ab eccleſiis ipſis penitus amoveantur; nec iterum apponantur, abſque noſtra, archidiaconi, vel ſaltem ipſius rectoris, licentia ſpeciali: ad quos truncos ſi parochiani prædicare præſumpſerint, perpetuo amoveantur, & ipſi nihilo minus canonice puniantur. Si vero prædictum citra terminum amoti non fuerint: ex tunc eccleſias in quibus remanſerint, donec amoveantur, ſuſpendimus a Divinis.

Et quia laudabilis conſuetudo erga ſanctam eccleſiam pia devotione fidelium introducta, commutari non debet, ſub conſueto colore canonicæ pietatis: omnes impedientes debitas oblationes & devotas in eccleſia Dei, & rectores eccleſiarum, quo minus de ipſis libere diſponere liceat, excommunicamus, donec de injuriis, eiſdem rectoribus ſatisfecerint competenter.

Item audivimus, quod propter ſedilia in eccleſia rixantur multoties parochiani, duobus vel pluribus unum ſedile vendicantibus: propter quod grave ſcandalum in eccleſia generatur, & Divinum ſæpius impeditur officium. Statuimus, quod nullus de cetero quaſi proprium ſedile in eccleſia valeat vendicare, nobilibus perſonis & eccleſiarum patronis dumtaxat exceptis: ſed qui orandi cauſa primo eccleſiam introjerit, juxta propriæ voluntatis arbitrium ſibi eligat orandi locum.

Præcipimus inſuper, quod de eccleſiarum inſtauro, ipſius cuſtodes, coram rectoribus vel vicariis eccleſiarum, ſeu ſaltem capellarum parochialium, & quinque vel ſex parochianis fide dignis, quos ipſi rectores, vicarii, vel capellani, de hoc duxerint eligendos, quolibet anno compotum fideliter reddant & redigatur in ſcriptis. Quam ſcripturam præcipimus loci archidiacono, cum viſitat, præſentari: nec ipſum inſtaurum in alios uſus, quam eccleſiæ,

ANNO CHRISTI 1287.

nullatenus convertatur. Unde ſi parochiam pro defectibus eccleſiæ, ſeu pro aliis demeritis, amerciari contigerit, de proprio ſatisfaciant, inſtauro eccleſiæ integre remanente.

Et quia nonnumquam certus redditus & inſtaurum cantariis, altaribus, ſeu luminaribus aſſignatur: præcipimus, quod ipſa in alios uſus eccleſiæ minime convertantur, niſi neceſſitas vel ſaltem æquitas aliter ſuadeat ordinare, loci archidiaconi vel ſaltem rectoris accedente conceſſu.

### XIII. *Ne in eccleſiis vel cœmeteriis earum, mercata vel placita ſæcularia teneantur, vel ædificia ſæcularia conſtruantur.*

PIus & miſericors Dominus, qui dum pro peccatis noſtris iraſcitur, miſericordiæ recordatur, templa Dominica conſtrui & Divinis precibus conſecrari voluit & præcepit: in quibus plebs fidelis ab omnibus forinſecis & ſæcularibus operibus abſtinens, per oblationes & pacificas hoſtias, devotæ præcipue orationis, iram judicis mitigaret, ipſius clementiam humiliter poſtulando. Quod idem omnium Dominus tam verbis, quam operibus, ſpecialiter volens deſignare, flagello facto de funiculis ementes & vendentes ejecit de templo: aſſeverans domum ſuam domum fore orationis, & per tale commercium factam fuiſſe ſpeluncam latronum. Ne igitur ubi delictorum eſt venia impetranda, delicta delictis gravius accumulentur: diſtricte prohibendo ſtatuimus, ne in quibuſcumque eccleſiis noſtræ diœceſis, atriis earum, vel cœmeteriis, mercata ſeu placita ſæcularia de cetero teneantur; nec ullas negotiationes quiſquam exercere præſumat: nec ædificia ſæcularia inibi conſtruere, niſi pro communi utilitate, & hoſtilitatis tempore, neceſſitas id expoſcat. Et ſi quæ hactenus conſtructa fuerint, ipſa præcipimus demoliri.

Et quia in cœmeteriis dedicatis multa ſanctorum & ſalvandorum corpora tumulantur, quibus debetur omnis honor & reverentia: ſacerdotibus parochialibus diſtricte præcipimus, ut in eccleſiis ſuis denuncient publice, ne quiſquam luctas, choreas, vel alios ludos inhoneſtos, in cœmeteriis exercere præſumat; præcipue in vigiliis, & in feſtis Sanctorum, cum hujuſmodi ludos theatrales & * ludibriorum ſpectacula introductos, per quos eccleſiarum coinquinatur honeſtas, ſacri ordines deteſtentur. Quod ſi aliqui, poſt factam denunciationem, ludos hujuſmodi (quanquam improprie dictos, eo quod ex eis crimina oriuntur) exercuerint: prædicti ſacerdotes eorum nomina loci archidiacono, vel ipſius officiali, denuncient, ut ipſi pro ſuis demeritis canonice puniantur.

* Hic deeſſe verbum aliquod videtur.

### XIV. *De cœmeteriis claudendis & arboribus creſcentibus.*

SAcra loca ab omnibus venerari, tam juris civilis eſt ratio, quam ſacrorum canonum jubet authoritas. Idcirco eccleſiarum cœmeteria, cum quia ſancta, tum quia ſanctorum reliquiis ſanctificata exiſtunt, ab omni immunditia præcipimus cuſtodiri: maxime ne brutorum animalium ſordibus maculentur.

Hinc etiam, quod omnibus, quibus ipſa claudendi onus incumbit de jure & conſuetudine, injungimus & mandamus: ut circumquaque muro vel foſſato ipſa totaliter claudant & conſervent ita ut ne bruta animalia, porci præcipue ingrediantur. Quod ſi rectores eccleſiarum vel presbyteri parochiales, ad quos cœmeteriorum cuſtodia dignoſcuntur principaliter pertinere, propria animalia, vel aliena, ibidem depaſcant, vel depaſci permittant: ipſos per locorum ordinarios decrevimus graviter puniendos. Et ne ex aliena culpa propriam negligentiam in poſterum valeant excuſare: compellendi parochianos ſuos quacumque cenſura eccleſiaſtica, decenter & honeſte ſua cœmeteria claudere, præſentis ſynodi authoritate ipſis plenam committimus poteſtatem.

ANNO CHRISTI 1287.

Et quia inter rectores eccleſiarum & ſuos parochianos, ſuper arboribus in cœmeterio creſcentibus altercationes oriri ſæpius intelleximus, utriſque ad ſe ipſos pertinere contendentibus: hujus altercationis dubium declarare juris * ſcripti potius quam ſtatuto decidere æſtimamus. Nam cum cœmeterium, maxime dedicatum, ſolum ſit eccleſiæ; & quicquid plantatur, ſolo cedat: ſequitur neceſſario, arbores ipſas debere inter facultates eccleſiaſticas annumerari, de quibus, laicis diſponendi nulla eſt attributa facultas; ſed, ſicut ſacra ſcriptura teſtatur, ſolis ſacerdotibus diſpoſitionis cura indiſcuſſe a Deo commiſſa docetur. Verum, quia arbores ipſæ, propter ventorum impetus, ne eccleſiis noceant, ſæpe plantantur: prohibemus, ne eccleſiarum rectores ipſas præſumant proſternere indiſtincte, niſi cum cancellus eccleſiæ neceſſaria indigeat refectione: nec in alios uſus aliqualiter convertantur, præterquam ſi navis eccleſiæ indiguerit ſimiliter refectione, & rectores propter parochiæ indigentiam, eis caritative de arboribus ipſis duxerint largiendum. Quod fieri non præcipimus; ſed, cum factum fuerit, recommendamus.

### XV. *De immunitate eccleſiarum, perſonis & rebus earum.*

SAnctam matrem eccleſiam, quæ nemini claudit ingreſſum, vel gremium redeundi, non ſolum patres apoſtolici, ſed etiam Romani principes in unitate multiplici decorarunt: ut ſit ipſa tanquam pia mater, quæ in ſinu ſuo recolligit univerſos; ita ſinguli boni, ſive mali, ad ipſam confugientes, ſub ipſius chlamyde proteguntur illæſi. Hanc libertatem eccleſiaſticam bonæ memoriæ Othobonus, quondam in Anglia ſedis apoſtolicæ legatus, prudenter attendens, decrevit ſtatuendo: ut ſi quis aliquem, ad eccleſiam, cœmeterium, vel clauſtrum confugientem, inde abſtraxerit, vel neceſſarium victum ſibi prohibuerit miniſtrari; aut res alienas in prædictis locis depoſitas, hoſtiliter vel violenter aſportaverit, vel aſportari fecerit; aut abſtractionem aut prohibitionem ſuo nomine factam, vel a ſuis familiaribus, ratam habuerit; aut talia præſumentibus auxilium, conſilium, vel conſenſum præbuerit, publice vel occulte: fore ipſo facto, vinculo excommunicationis innodatos, a quo non prius abſolventur, donec eccleſiæ damnum paſſæ ſatisfecerint competenter. Hæc digna æmulatione ſequentes, adjiciendo ſtatuimus: ut nullus in prædictis locis, etiam laicus in laicum manus injiciat temere violentas, vel ad palliandam propriam injuriam vel alienam, locum ſacrum præſumat affirmare profanum, vel aliam perſonis eccleſiaſticis, rebus earum, aut familiæ, contra immunitatem a ſanctis canonibus eis indultam, injuriam irroget, vel gravamen. Alioquin contravenientes vinculo excommunicationis concilii innodamus: ceteris pœnis in ſtatuto ipſius legati enumeratis, in ſuo robore nihilo minus induraturis.

XVI.



ANNO CHRISTI 1287.

### XVI. *De eccleſiarum domibus conſervandis & reparandis.*

INgratitudinis vitio & avaritiæ labe quorundam ſtatum * novimus quamplurimum dejugari *: qui, cum beneficiis eccleſiaſticis ſuis nonnulla percipiant emolumenta, onera incumbentia negligunt ſupportare, ædificia eccleſiarum integra conſervare, & reſtaurare dirupta non curantes: immo, aut bona percepta in ſinu avaritiæ abſcondunt; aut velut prodigi, inutiliter conſumere non verentur.

* Deeſt forte eccleſiaſticum.
* f. denigrari

Hinc eſt, quod ſtatuendo & monendo diſtricte præcipimus, ut clerici univerſi, eccleſiarum ſuarum cancellos, domos, & cetera ædificia deſtructa, de novo conſtruere, & ruinola fulcire, prout indiguerint, non omittant: ut cum nos, vel locorum archidiaconos, per loca ipſa tranſire contigerit, valeamus ibidem hoſpitare honeſte. Qui ſi moniti per nos vel dictos archidiaconos, præmiſſa per duos menſes facere detrectaverint: ex tunc, juxta prædicti legati ſtatutum, tantum de eccleſiarum ſuarum fructibus plenarie * præcipimus, quantum ad refectionem hujuſmodi ſufficiat peragendam.

* f. pendere præcipim.

### XVII. *De vita & honeſtate clericorum.*

UT clerici a vulgari vita recluſi, mundi voluptatibus non intendant, ſacris eſt canonibus diffinitum: quorum etiam vita aliis exemplare, ceteros morum gravitate & converſatione laudabili decet præcellere. Ne igitur clerici ad gubernationem poſiti populorum, per vitam malam & geſtus incompoſitos efficiantur ruinæ, tam propriæ, quam multorum: ſtatuendo præcipimus, quod clerici univerſi, quorum opera lucere debent coram hominibus, vita bona, converſatione honeſta, & ſanctis moribus ſe exornent; ut non ſolum verbo prædicationis, ſed vitæ propriæ integritate, errantes ad viam veritatis revocent & ſalutis.

Et ne in ipſis ſuperbiæ vitium, quod omnis peccati & perditionis * fuit, prædominetur: præcipimus, quod pannis ſericis vel viridibus, aut rubeis, ſeu ſubtelaribus manicis, ſolutaribus conſutitiis, caligis aliis quam nigris, frænis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut alio quocumque ornatu ſuperfluo non utantur, ſed habitu & inceſſu corporis, Deo & hominibus ſtudeant complacere.

* Add. origo vel quid ſimile.

Omnes perſonæ in dignitate, necnon rectores eccleſiarum in ſacerdotio conſtituti, ac parochialium eccleſiarum vicarii, cappis & ſupertunicis utantur clauſis, & maxime in civitatibus, via, & in plateis, coram ſuis prælatis & conventibus clericorum. Hoc idem faciant ſacerdotes, quanquam minime beneficiati, ſi ſibi ſuppetant facultates: quæ ſi defuerint, volumus tamen & præcipimus, quod tam ipſi, quam ceteri clerici omnes conſtituti in ſacris ordinibus, ſuper indumentis ſaltem utantur clauſis, ut in omni caſu, per habitum exteriorem, per quem interior deſignatur, clerici a laicis diſcernantur.

Induant ſe clerici veſtibus unius coloris, & non varii, nec permixti: quoniam omnis ornatus ad jactantiam adhibitus, eſſe debet a clericis alienus. Et ſicut nec fulgidis veſtibus ſe ornare *, ita non ſordibus deturpare. Nam ut exquiſitæ deliciæ, * nec affectatæ ſordes, laudes.

* Deeſt debent,
* ita nec affectatæ ſordes, laudabiles.

Clerici veſtes habeant, nec longitudine nec brevitate nimia ridiculoſas: nec fibulas, nec annulos deferant, nec corrigias ſericas, auri vel argenti habentes ornatum. Circa capitis tonſuram, honeſtatem oſtendant, ut comam nullatenus nutriant, ſed crinibus & patentibus auribus incedant, coronas habentes ſphæricas & decentes, quas infulis cooperire, ſub pœna ſtatuti legati Othoboni penitus prohibemus. Moribus & verbis pudorem indeſinenter oſtendant: ad quod deſignandum, prædicatores turturi comparantur. Et quoniam in compoſitione corporis, qualitatem indicant mentis: & inceſſu clerici debent eſſe ornati, ut gravitate itineris, mentis maturitatem oſtendant.

ANNO CHRISTI 1287.

Item a pravorum conſortiis ſe abſtineant. Sæpe etenim pravorum conſortia bonos mores corrumpunt, & diutina converſatione ſubvertunt. Lectionibus & orationibus intendant aſſidue.

Item clerici modeſti ſint & ſobrii, abſtinentes ſe a crapula & ebrietate. Nam, ut ait Gregorius, gula nihil turpius eſt, cujus fœtor eſt in ore, pallor in facie, tremor in digitis: in cujus corde nullum latet ſecretum. Ut inter clericos & hiſtriones, ſicut eſt, ita appareat in omnibus diſpar profeſſio: diſtricte præcipimus, ut ad convivia non accedant, maxime ſacerdotes: niſi a domino domus ſpecialiter fuerint invitati. Quod ſi invitari contigerit, ſeſe non ingurgitent, ſed protinus poſt prandium, ad propria ſobrii revertantur. Nuſquam tabernas exerceant, niſi peregrinationis cauſa in itinere conſtituti: ſed ita modeſte & ſobrie vivant ſemper, ut in omni tempore inter ſanctum & profanum, mundum & immundum, diſcernere ſciant & valeant, ſicut decet.

Præcipimus ut clerici hiſtrionibus & joculatoribus non intendant; ad aleas vel ad taxillos non ludant, nec aliis ludentibus ſint participes, aut inſpectores; nec ad ſpectacula publica, ſpectandi gratia, præſumant accedere. Avibus nec canibus venatoriis non utantur. Hæc & alia plurima ſunt clericis interdicta, quorum converſatio a laicorum actibus eſt remota, quos ſicut loco, ita religione debent præcellere.

### XVIII. *De clericis concubinariis, & concubinis eorum puniendis.*

LIbidinis ardorem, quo decor & honeſtas clericalis ſæpius ſcandalizatur, & habetur pluribus in deriſum, extinguere cupientes: clericos univerſos beneficiatos, & alios, ab * omni incontinentiæ vitio præcipimus caſte vivere & honeſte, præcipue in ſacris ordinibus conſtitutos. Et ne eorum honeſtatem, mulierum conſortia dehoneſtent: præcipimus, quod * in domibus ſuis nec alienis detineant publice concubinas: & ſi qui hactenus habuerint, ipſas infra menſem a ſe prorſus amoveant, illas vel alias de cetero nullatenus retenturi. Alioquin ſecundum ſtatuta dominorum Othonis & Othoboni, contra eos edita in hoc caſu, puniantur condigne: quæ juxta formam ſtatuti * Radingiæ promulgati, præcipimus annis ſingulis publicari.

* f. abſque omnis
* Deeſt forte, nec
* Ann. 1279. vide ſupra.

Et licet eccleſiaſtici, quidquid vitæ ſuæ neceſſitati eis ſuperfuerit de patrimonio ſuo Jeſu Chriſti, in uſus pauperum, quorum diſpenſatores exiſtunt, teneantur ex debito erogare: quidam tamen eorum, ut audivimus, de quo dolemus, bona eccleſiæ, non in pauperum uſus, at ſuarum concubinarum convertunt, eiſdem terras, redditus, ſeu res alias, de pecunia eccleſiæ comparando, vel ad comparandam pecuniam miniſtrando: immo quod deterius eſt, præſumptione tam damnabili non contenti, in extremis laborantes, & de ſuperno lumine cogitantes, in ſuis ultimis voluntatibus, quas in malum exemplum omni tem-

ANNO CHRISTI 1287.

pore continuarunt, bona eccleſiæ ſuis concubinis relinquere non formidant; aliquando directe, aliquando, ut pallient ſcelus ſuum, perſona tertia mediante. Hanc damnabilem præſumptionem in clericis perfecto odio proſequentes, damnamus pariter & reprobamus, auctoritate præſentis ſynodi: ſtatuentes, ut clerici beneficiati in noſtra diœceſi, concubinas ſuas, ſi quas hactenus habuerunt vel habituri ſunt, quod abſit, terras, redditus, domos emere, vel ad emendum pecuniam miniſtrare, aut in ſolo laicali de bonis eccleſiaſticis ædificia conſtruere, ſeu fructus eccleſiaſticos in laico feodo reponere, amodo non præſumant. Quod ſi aliquid contra hoc ſtatutum venire præſumpſerint: ipſos pro tanto temeritatis exceſſu excommunicationi decrevimus ſubjacere, donec læſis eccleſiis emendam præſtiterint ſufficientem.

Et quanquam ultimis decedentium voluntatibus favor maximus debeatur: in odium tamen incontinentium clericorum & concubinarum ſuarum præcipimus, quod ſi clericos ſuis concubinis aliquid legare contigerit, legato tali, velut invalido, totaliter careant. Quod ſi vel aliis ſuppoſitis perſonis ſolvi contigerit: executores illud, tanquam indebitum, repetant, & eccleſiæ, de cujus proceſſit patrimonio, reſtituere non omittant: alioquin de proprio ſatisfacere compellantur.

Ut autem incontinentiæ vitio circa clericos cautius obviemus: pœnis temporalibus, cum perpetuas non formidant, decrevimus ſuccurrendum: ſtatuentes, quod beneficiati, qui amodo concubinas ſuas publice detinent, eo ipſo ab officio & beneficio ſint ſuſpenſi, ita quod de beneficiis, donec omnino ipſas amoverint, ſe nullatenus intromittant. Alioquin majoris excommunicationis incurrant ſententiam: qua dum ſint ligati, ſi Divina præſumpſerint celebrare, a ſuis beneficiis perpetuo amoveantur. Qui vero beneficiati non fuerint, ab officio ſuſpenſi remaneant: gravius puniendi, prout culpæ qualitas hoc expoſcit.

Presbyteri vero, qui in illis fornicantur, quas baptizaverint, vel ſuſceperint ad pœnitentiam: ſi beneficiati fuerint, hoc ipſo facto a ſuis beneficiis ſint amoti. Alioquin ab officio tamdiu ſuſpenſi remaneant, donec ad arbitrium ſuperioris condigne pœnituerint. Clerici vero, qui adulterium commiſerint vel inceſtum, præter pœnas ſupradictas, graviter puniantur. Qui vero de incontinentia publice fuerint diffamati, nec voluerint aut valuerint canonice ſe purgare: pro convictis habentes, decrevimus puniri.

In deteſtatione autem incontinentiæ vitii clericorum & presbyterorum, publicas concubinas eorum ab ingreſſu eccleſiæ, & ſuſceptione ſuſpendimus ſacramentorum. Quæ ſi monitæ, a ſua fœditate non receſſerint, ipſas excommunicationis vinculo innodamus: quas, in majorem utriuſque ruborem, a ſuis fornicariis presbyteris, tales præcipimus publice nunciari. Et ſi adhuc incorrigibiles forte permanſerint: invocetur contra eas, ſi oportuerit, auxilium brachii ſæcularis.

Caveant igitur clerici, & prudenter attendant, ut ſi ipſos cum ſuis concubinis taliter excommunicatis, amplius fornicare contigerit, ne majoris excommunicationis incurrant ſententiam, criminoſis in eodem crimine communicando.

[illegible]ne impietas ſub pietatis ſpecie pallietur: [illegible], ne clerici, in ſacris maxime ordinibus [illegible] ullas conſanguineas, dummodo ſuſpe[illegible] ſuis [illegible] gratia præſumant [illegible]: ſed ſi tales habeant quæ indigeant, in domibus alienis, procul ab eis, vitæ neceſſaria ſubminiſtrent.

Et quia mulierem quam bene conſpicimus converſantem, mente debemus diligere, & non frequentia corporali: inhibemus, ne clerici eccleſias monialium, vel ſororum ſæcularium, vel regularium, ſine honeſta & legitima cauſa, frequentare præſumant, aut cum eiſdem frequenter familiare habere colloquium.

Ut autem incontinentiæ vitium, tam a laicis, quam a clericis, deteſtabile magis impoſterum habeatur: præcipimus, quod ſacerdotes parochianis ſuis, ſæpius & publice prædicent, omnem carnalem commixtionem inter virum & mulierem, extra legitimum conjugium, mortale fore peccatum, & æternam gehennæ pœnam inducere, niſi in hac vita vera confeſſione, & pœnitentia purgetur.

## XIX. *De reſidentia eccleſiaſticorum presbyterorum, habentium plura beneficia.*

PAſtoralis curæ ſolicitudo hoc habet in ſe proprium, ut oves paſtoris vocem audiant & ſequantur, ut mutua inter eos habeatur cognitio, Sicque curæ gregis ſibi commiſſi, præſentialiter oportet paſtorem intendere, & errantes crebris clamoribus ad oviles Dominicum revocare: ut grex [qui curam animarum] boni paſtoris ſequatur veſtigia, & non mercenarii, qui dimittit oves & fugit, eo quod non eſt ſibi cura de ovibus. Statuimus, ut rectores eccleſiarum parochialium, quibus, ex ſuſcepta cura regiminis, reſidendi onus incumbit, in ipſis perſonaliter reſideant, iis duntaxat exceptis, quorum abſentia per inſtitutos vicarios fuerit excuſata; vel quorum eccleſiæ, dignitati vel præbendæ ſint annexæ, vel cum quibus ad obtinendum plura beneficia a ſede apoſtolica dicitur diſpenſatum. Quorum beneficiorum numero & eorumdem facultatibus prudenter penſatis, modo in uno, modo in alio, plus vel minus reſidentiam faciant perſonalem. Quibus injungimus, diſtricte præcipientes, ut diſpenſationes, ſi quas habeant, per quas tot beneficia licite valeant perſonaliter retinere, nobis citra proximum feſtum S. Michaelis, quem terminum ipſis peremptorie aſſignamus, non differant exhibere. Quas, ſi juſto impedimento ceſſante, intra prædictum tempus non exhibuerint: ex tunc ipſo jure vacare eadem beneficia declaramus, ſecundum verbum & intellectum concilii generalis aliis idoneis perſonis libere conferenda.

Abundant voces tres uncis his incluſæ.

Circa vicariorum inſtitutionem & reſidentiam, ſtatutum dominorum Othonis & Othoboni, per omnia præcipimus obſervari. Et ne quam habeat unde quis ignorantiam, vel negligentiam excuſabilem prætendere valeat: ipſa ſummatim duximus notificanda. Statuit dominus Otho *, ut nullus ad vicariam admitteretur, niſi in presbyterum ordinatus, vel ſaltem diaconus in presbyterum proximis quatuor temporibus ordinandus: qui renuncians aliis beneficiis curam animarum habentibus, juraret, reſidentiam facere; & per ſeipſum ibidem faceret continue corporalem: alioquin ipſam inſtitutionem nullam fore decrevit, & vicariam alii conferendam. Cui ſtatuendo ſuperaddit dominus Othobonus, ut ſi quis contra prædictum ſtatutum vicariam teneret, fructus ſuos non faceret ſic perceptos: ſed illorum medietas una, eccleſiæ, cujus eſt vicaria, traderetur, in ipſius utilitatem modis omnibus convertenda: pars vero una alterius medietatis, inter pauperes ipſius parochiæ diſtribueretur, & altera loci archidiacono applicaretur, qui annis ſingulis ſuper his inquiſitionem faceret diligentem, ut prædictum ſtatutum facere firmiter obſervari.

* Legebam Othobonus, ſed falſo.

Hoc, & cetera quæ in prædictis ſtatutis latius continentur, tam ab his archidiaconis, quam vicariis, inconcuſſe præcipimus obſervari: ita quod nulla valeat in his negligentia vel culpa notari,

## XX. *De inquiſitione facienda ſuper litteratura eccleſiaſticarum perſonarum.*

OMnium mater errorum ignorantia, præcipue ſacerdotibus eſt vitanda, qui in populo Dei docendi officium ſuſceperunt: quorum opus in prædicatione & doctrina conſiſtit, ut ædificent cunctos, tam fidei ſcientia, quam operum diſciplina. Ne igitur per cæcitatis ignorantiam, dum ducatum præſtant populo Chriſtiano, ambo in foveam delabantur: ſingulis locorum archidiaconis injungimus, ut diligenter inquirant, qui rectores, vicarii, aut ſacerdotes, in litteratura enormem patiuntur defectum: & poſtquam eis de hoc conſtiterit, nobis denunciare quam citius non omittant.

De parochialibus ſacerdotibus frequenter aſſumant experientiam, an habeant & ſciant decalogum, id eſt, præcepta legis Moſaicæ, ipſaque ſubditæ plebi exponant, & ſolicite prædicent obſervanda. An etiam ſciant ſeptem peccata mortalia, ipſaque prædicent populo fugienda: ſciant etiam ſeptem ſacramenta eccleſiaſtica, & qualiter habent conferri, ut ſupra diximus, unumquodque: & an articulorum fidei Chriſtianorum ſaltem ſimplicem habeant intellectum, prout in pſalmo, Quicumque vult, & in utroque ſymbolo continentur; ni * quilibet, qui fidem catholicam firmiter non crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

* f. eam qui.

Sacerdotes autem, ſi quos invenerint, circa præmiſſa, nimia ignorantia laborare, ipſos protinus ſuſpendant ab officio ſacerdotali, maxime a regimine animarum, ad quos quidem Divinus ſermo dicitur: *Tu vero ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne fungaris mihi ſacerdotio.*

Oſe. 4.

Ut autem quilibet ſacerdos, cui animarum cura incumbit, melius ſciat & intelligat, qualiter debeat in ipſa verſari: præcipimus, quod quilibet, cui parochialis eccleſiæ regimen incumbit, quandam ſummulam plurimum utilem; immo verius neceſſariam, a diverſis tractatibus extractam ſub compendio: (quæ ſummula ſub eiſdem * verbis incipit) quilibet, & præſentem ſynodum, citra feſtum S. Michaelis, habeant ſcriptam, & ipſam ſane intelligant, ac ea utantur ſub pœna unius marcæ, loci archidiacono applicandæ. Quam ſi archidiaconus remiſerit, & ipſam vel ipſius partem quartam levare poterit, & recipere prætermiſerit: eumdem archidiaconum, in duabus marcis, fabricæ eccleſiæ Exonienſi volumus obligari.

* Iiſdem ultimum verbis, a quibus incipit hæc ſynodus: tempor. Al[illegible] de terra curavit, &c. Eam ſummulam vide ad calcem hujus concilii.

## XXI. *De Divino officio nocturno, pariter & diurno.*

MInistri eccleſiarum, qui eccleſiaſticis ſuſtentantur ſtipendiis, prompti debent eſſe & ſoliciti circa Divinum officium peragendum: ut in vinea Domini viriliter laborantes, præter ſtipendia temporalia, quæ hic percipiunt, æternæ retributionis denarium mereantur percipere poſt laborem: quos circa ipſum officium propheticus ſermo inſtruit, & informat, dum per prophetam dicitur: *In matutinis meditabor in te:* & alibi: *Septies in die laudem dixi tibi.*

Pſal. 62. Pſal. 118.



Hinc eſt quod ſingulis eccleſiarum miniſtris in virtute ſanctæ Trinitatis injungimus, ut ſecundum formam concilii generalis, Divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, corde & voce ſimul ſtudioſe celebrent, & devote, & plane, & plene, abſque ſyncopa, pſallendo ſeu cantando ſingula quæ incumbunt. Caveant igitur pſallentes, ut in medio verſiculi pauſent puſillum: nec unus ſequentem verſiculum prius incipiat, donec alter plene dixerit præcedentem: & ſic pſallendo ſeſe intelligant, ut dum voce unus pſallat, animus affectu ſimul pſallere videatur.

Et quia canonicæ horæ ſecundum temporum interſtitia, in eccleſiis parochialibus, ſicut in cathedralibus & collegiatis, nequeunt decantari: præcipimus, ut presbyteri parochiales ab eccleſiis ſuis recedere non præſumant, donec feſtis diebus ante Miſſam, vel poſt, canonicas horas decantaverint; vel ſaltem legerint abſque cantu, cum dies fuerit feriandus: proviſo, quod Miſſam ſacerdos prius non celebret, donec matutinas & primam ſolverit creatori.

Præcipimus etiam, quod parochiales presbyteri, omni die, præterquam in Paſchatis tempore, & feſtis Sanctorum, * novem lectionum, & in vigiliis eorumdem, decantent Placebo & Dirige, & commendationem. Hæc tamen * tempora non excipimus, dum tamen id velint facere ex devotione.

* leg. officium recitent novem lecti:
* f. hæc enim tempora.

Ad hæc diſtricte prohibemus, ne presbyteri circa potationes & inutiles confabulationes, noctes ducant, quaſi inſomnes, ſicut fieri audivimus aliquando: quod cubant * ſobrii tempeſtive, ut mane ſurgentes poſt plenam digeſtionem, habiliores ſint ad Divinum officium exequendum. Quo incepto, exteris collocutionibus laicorum amplius non intendant: ſed donec illud impleverint, aures intentas jugiter porrigant ad Divina.

* f. ſed cubent.

Præterea audivimus quandoque, quod presbyteri quanquam fuerint abſentes, forte ex illicita cauſa, tanquam præſentes eſſent, ad horas canonicas faciunt campanas pulſari: quarum ſonitu populus excitatus, dum ad eccleſiam, Divinum officium audiendi & orandi cauſa, accedit, presbyterum non inveniens, clerico præſente, ubi ſit inquirunt, & reſponſum accipiunt, non eſt hic; jam receſſit: & ſic parochiani illuſi recedunt, & eccleſia defraudatur obſequiis. Hanc tam fraudem, quam injuriam .... cedere minime dubitatur, evellere cupientes; ſtatuimus, ut ſi talis ſacerdos perpetuus fuerit, veluti rector, ſeu vicarius, per menſem vel amplius, ſuperioris arbitrio ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendatur: ſi vero conductitius fuerit, & temporalis, ut vere dici poſſit, jam receſſit; ipſum a noſtra diœceſi præcipimus amoveri.

Præterea præcipimus, quod nullus ſacerdos bis in die Miſſam celebrare præſumat, præterquam diebus Nativitatis Domini, & Reſurrectionis Dominicæ; & cum in eccleſia propria corpus fuerit tumulandum. Quibus caſibus in Miſſa priori presbyter ablutionem calicis aut digitorum non aſſumat.

Statuimus inſuper, quod parochiales presbyteri annalia vel triennalia non recipiant, per quæ parochiales eccleſiæ careant obſequiis debitis, & quotidianis. Alii vero capellani conductitii, diebus Dominicis & aliis ſolemnitatibus, non prius celebrent, donec Miſſa parochiæ fuerit celebrata.

Et quoniam audivimus, quod quanquam rectores eccleſiarum, metu pœnæ ſtatuti, infra annum a tempore ſuſcepti regiminis, ...... & fecerint

cerint in presbyteros ordinari, Miſſarum tamen ſolemnia differunt celebrare per tempora diuturna; per hoc excuſare volentes, quod in prædicto ſtatuto nihil cautum de Miſſarum ſolemniis reperitur: hanc excuſationem (qua ſe accuſant potius quam excuſant) frivolam reputantes: ſtatuimus, ut ſaltem infra dimidium annum poſt ordinum ſuſceptionem, niſi canonicum habuerint impedimentum, Miſſas celebrare non omittant. Alioquin beneficiorum ſuorum fructus decrevimus ſibi ſubtrahendos, donec quod dictum eſt devote compleverint: nec poſtquam ſemel celebraverint, incipiant tunc ceſſare; ſed ſub pœna prædicta frequenter ſtudeant celebrare.

Et cum in eccleſia Dei, ſecundum inferiores & ſuperiores ordines, officia ſunt deſtituta *, ne inferior uſurpet officium ſuperioris, & promiſcuis actibus contingat eccleſiaſtica officia perturbari: firmiter inhibemus, ne diaconi confeſſiones audiant, pœnitentiaſve injungant, vel ſacra miniſtrent, aut aliqua officia exerceant, quæ ſolis ſacerdotibus ſunt conceſſa.

* f. inſtituta

Laicos aut in cancello ſtare, vel canes ſecum in eccleſia detinere, aut in navi eccleſiæ tumultum facere, dum in ipſa Divinum officium celebratur, firmiter inhibemus: & ipſos a tali præſumptione per locorum rectores, vicarios, & parochiales inſuper ſacerdotes, cenſura eccleſiaſtica ſtatuimus coercendos: inhibentes clericis conjugatis, quantumcumque litteratis, ne altari præſumant miniſtrare, cum ipſos ſtudere oporteat qualiter uxoribus ſuis valeant complacere: ſicque eis, quæ Dei cultum reſpiciunt, animum ex toto nequeunt applicare.

XXII. *Quod parochiani frequentent eccleſiam diebus Dominicis.*

TAm veteris quam novi Teſtamenti pagina, ſeptimum diem ad humanam requiem deputavit. Unde Judæi ſecundum litteram, diem Sabbatum, nos ſecundum litteræ intellectum, Dominicum, a manuali opere cuſtodimus: quo, in eccleſia conveniens populus Chriſtianus, tam Divina obſequia audiant, quam vivendi normam addiſcant. Et quanto variæ ſæculi operationes, parochianos non ſinunt ceteri diebus Divinis officiis intereſſe; tanto his diebus ſinguli curioſius tenentur adeſſe; ut dum pro pane materiali in ſingulos dies, perituro, ſex diebus laboraverunt, ſeptimo ſaltem die, cibo ſpirituali, qui non perit, verbo prædicationis ſalubrius refocillentur.

Idcirco parochialibus presbyteris præcipimus univerſis, ut parochianos ſuos moneant diligenter, & efficaciter inducant: ut eccleſiam ſuam feſtis diebus, præſertim Dominicis, ſtudeant frequentare, Divinum officium audituri, & recte vivendi inſtructionem humiliter recepturi. Qui ſi ex conſuetudine ſe abſentaverint, per locorum ordinarios puniantur. Et ut abſentandi ſe occaſio auferatur, ſub pœna excommunicationis firmiter prohibemus, mercata Dominicis diebus in noſtra diœceſi celebrari, præterquam de victualibus quæ in his ſicut ceteris licite vendi poſſunt: Miſſa tamen primitus celebrata. Aliter & alia vendentes, & ementes, gravi pœnæ decrevimus ſubjacere.

XXIII. *Qualia Feſta debent indici, & obſervari.*

C[illegible] feſta indicenda errare novimus quam[illegible] ſacerdotes [illegible] in ſua parochia [illegible] ſolemniter celebrandum, alius [illegible] penitus prætermittit: ſicque in una parochia homines ceſſare a laboribus, in alia communiter laborare ſæpe contingit. Quod abſurdum admodum reputantes, inhibemus, ne ſacerdotes alia feſta in parochiis ſuis præcipiant ſolemniter celebrari, quam ea quæ in ſacris canonibus ſunt expreſſa, vel quæ cum clero & populo ſolemniter duximus veneranda.

Ut feſtorum celebrandorum inter omnes ſubditos noſtros eadem obſervantia habeatur: feſta ſolemniter celebranda, cum clero & populo, præſenti ſynodo duximus inſerenda.

In menſe Januarii: Circumciſionis Domini, Epiphaniæ Domini, Converſionis S. Pauli.

In menſe Februarii: feſtum Purificationis B. Mariæ, Cathedræ S. Petri, S. Matthiæ apoſtoli.

In menſe Martii: feſtum S. Gregorii, Annunciationis S. Mariæ.

In menſe Aprilis, S. Georgii, S. Marci evangeliſtæ.

In menſe Maii: ſanctorum Philippi & Jacobi, Inventionis ſanctæ Crucis, S. Joannis ante portam Latinam, S. Auguſtini Anglorum apoſtoli.

In menſe Junii: S. Barnabæ apoſtoli, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, apoſtolorum Petri & Pauli.

In menſe Julii: Tranſlationis S. Thomæ martyris, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, S. Jacobi apoſtoli majoris.

In menſe Auguſti: Ad vincula S. Petri, S. Laurentii, Aſſumptionis B. Mariæ, S. Bartholomæi apoſtoli, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ.

In menſe Septembris: Nativitatis beatæ Mariæ, Exaltationis S. Crucis, S. Matthæi apoſtoli, S. Michaelis Archangeli.

In menſe Octobris: S. Lucæ evangeliſtæ, apoſtolorum Simonis & Judæ.

In menſe Novembris: Omnium Sanctorum, S. Martini, S. Catharinæ, S. Andreæ apoſtoli.

In menſe Decembris: S. Nicolai, Conceptionis B. Mariæ, S. Thomæ apoſtoli, Nativitatis Domini per octo dies, Paſchæ per quatuor dies, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes per quatuor dies. Temporibus ſuis, feſtum Sancti loci, & dedicationis eccleſiæ.

XXIV. *Ne clerici negotiatores exiſtant, vel ſæculares adminiſtrationes recipiant.*

A Turpis lucri quæſtibus, quæ ex cupiditatis labe procedunt, cujuſcumque gradus clericos ſe abſtinere Apoſtolica ſententia patenter inſinuat; qua cavetur: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Inhibemus igitur cunctis clericis, religioſis, & aliis, ne quis eorum negotiator exiſtat, vel ſæcularia commercia, verum inhoneſta maxime, exercere præſumat. Oportet tamen prælatos, negotiorum ſæcularium habere notitiam: ut eorum cautela, eccleſiæ ſerventur indemnes; & ſubditis non ſolum ſpiritualia, ſed etiam carnalia ſubſidia, cum indiguerint, ſubminiſtrent.

2. Tim. 2.

Et quanquam clericis ſit interdicta negotiatio: illa negotiationis ſpecies in ipſis præ ceteris, ubi tempus venditur, quod omnibus eſt commune. Unde ipſis inhibemus, ſub pœna ſuſpenſionis officii & beneficii: ne cuicumque dare præſumant ſuam ſubſtantiam ad uſuram. Alioquin ſuper hæc convicti, ſuis beneficiis privandos decrevimus: & ad dignitates eccleſiaſticas amplius minime admittantur.

Inhibemus etiam ipſis, ne vilius emant, aut carius vendant, pro dilectione temporis non venalis.

Item





Item quia abſurdum eſt clericis, immo probroſum, ſi forenſium diſceptationum executores exiſtant: diſtrictius inhibemus, ne clerici aut in ſacris ordinibus conſtituti, laicorum miniſtri aut procuratores exiſtant; aut quaſcumque ballivas ab ipſis recipiant, per quas ſibi ad ratiocinia obligentur: maxime a talibus, qui per ſæcularem potentiam, ipſorum bona, immo verius eccleſiæ, de facto valeant occupare.

Item ne judicia ſanguinis tractare eiſdem, nec intereſſe, nec ſententiam ſanguinis dictare, ſcribere aut proferre, ſeu ſanguinis vindictam exercere, ſeu ubi exercetur, intereſſe, ullo modo præſumant: alioquin ipſos ad beneficia eccleſiaſtica retinenda inhabiles fore decrevimus.

XXV. *Ne dignitates vel officia ulli tradantur ad firmam.*

IN ſubverſione Judæorum & gravamine ſubditorum redundare dignoſcitur, cum officium conducitur prælaturæ, ut juſtitia, quæ gratis eſt cuilibet impendenda, interventu pecuniæ redimatur. Ideo etenim perſonis eccleſiaſticis certa ſunt ſtipendia conſtituta, ne dum ſumptus quam prædo.., ........ Diſtricte igitur inhibemus, ne dignitates vel officia eccleſiaſtica, ſeu ſpiritualis juriſdictionis exercitium, ſeu quorumcumque ſacramentorum proventus, modo ad firmam aliqualiter concedantur. Alioquin convicto ſuper hoc deliquiſſe, pœna Oxonienſis concilii infligatur. Si tamen certus redditus dignitati vel officio ſit annexus: dari ad firmam licite poterit, petita a nobis primitus licentia, & obtenta, ſicut de aliis beneficiis decrevimus conſequenter.

Item cum laboranti in vinea Domini, & non alii, retributionis denarius debeatur: ſtatuendo decrevimus, ut nulla eccleſiaſtica beneficia, quocumque quæſito colore, tradantur vel recipiantur ad firmam, abſque licentia noſtra ſpeciali: quam ſi honeſta cauſa aliquibus gratioſe conceſſerimus, ut puta longæ peregrinationis forſitan vel ſtudii cauſa, circa noſtram conceſſionem, fraudem fieri prohibemus: ſtatuentes, ut cauſa ceſſante, ſeu indulto a nobis terminato tempore, ceſſet firmæ traductio *, & ipſius conductor confeſtim ab ea recedat, ac locator ad ſuum beneficium revertatur, in ipſo facturus reſidentiam perſonalem. Alioquin primo per fructuum ſubtractionem, deinde ſumptus * continua cauſa hoc exegerit, per ſui beneficii amiſſionem, ad id, ſi neceſſe fuerit, compellatur.

* f. traditio

Hic aliquid deeſt.

Et quia audivimus, aliquando, quod dolentes referimus, laicis eccleſias conjuncti * ad firmam, ſub nomine ballivorum, in quarum domibus præſumunt cum ſuis uxoribus & familia habitare, in grave ſcandalum & diſpendium eccleſiarum: nos, id de cetero fieri prohibemus, ſub pœna excommunicationis, quam in dantes proferimus & recipientes: ſub pœna eadem nihilominus interdicentes, ut terra libera eccleſiarum, decimæ, vel quæque alia ad eccleſias pertinentia, propter pericula quæ de facili exinde poſſent contingere, ſub annuo cenſu ad firmam laicorum non committantur.

* f. concedi

XXVI. *De prohibita eccleſiaſticarum rerum alienatione:*

ECcleſiaſticarum rerum alienationes, non ſolum ſancti patres Romani pontifices, ſed etiam principes ſæculares, grandi devotionis affectu interdicere ſtuduerunt: ne per ipſas incaute factas, in rebus eccleſiæ temporalibus graviter læderentur. Hinc eſt, quod omnibus viris eccleſiaſticis, religioſis, & aliis, cujuſcumque eminentiæ aut gradus exiſtant, quaſcumque rerum eccleſiæ immobilium alienationes facere prohibemus: ut nec ipſas extra formam canonis, vendere, donare, impignorare, permutare, aut in perpetuam emphyteuſim concedere, nullo modo præſumant. Contrarium vero facientes, pœna canonis, aut conſtitutionis Romanæ, ſeu ſaltem Oxonienſis concilii, decrevimus eſſe plectendos. Si vero res eccleſiæ hactenus alienaverunt, juris forma minime obſervata: illi iidem, ſi ſuperſint, alioquin ſucceſſores eorum, alienata celeriter ſtudeant revocare: cum tales alienationes viribus careant, & ſint irritæ ipſo jure.

Qui vero res alienatas receperit, niſi monitus ipſas reſtituat, excommunicationis ſententia percellatur: a qua, priuſquam reſtituerit, nullatenus abſolvatur.

XXVII. *Ne clerici de bonis eccleſiaſticis in ſolo ædificent laicali.*

UT clericos nobis ſubjectos ab omni laſciviæ ſpecie, quatenus poſſumus, cohibeamus, ſtatuimus diſtrictius inhibentes, ne de bonis eccleſiaſticis ædificia ſibi in ſolo conſtruant laicali, in quibus præter eccleſiarum rerum diſpendia, nonnullos clericos in animarum ſuarum periculum, & laicis pernicioſum exemplum, multa turpia & inhoneſta audivimus perpetraſſe. Verum in ſolo eccleſiæ ædificia ſibi neceſſaria ſtudeant ædificare, & ſi neceſſe fuerit, ad idem, ut ſupra præmiſimus, compellantur; in quibus, abſque ulla vagatione honeſte ſe recolligant, & eccleſiarum ſuarum fructus reponant, ut ſic ſemper ſub eccleſiaſticarum perſonarum poteſtate conſiſtant, & laicorum juriſdictioni nullatenus ſubjiciantur.

XXVIII. *De quantitate vicariarum, & ſtipendiis ſacerdotum.*

LAborantibus in vinea Domini, ſicut inhumanum eſt, victum neceſſarium denegare: ita nimias divitias elargiri, quibus impinguati, incipiant inſanire, reprehenſibile judicamus. Ut igitur circa utrumque moderationis temperiem adhibeamus, & ex duobus contrariis faciamus optimum temperamentum, illum imitantes, qui ait: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi, Domine: ſed tantum victui meo tribue neceſſaria*: ſtatuimus, ut in parochialibus eccleſiis quælibet vicaria perpetua certas portiones habeat ſibi aſſignatas, valentes ad minus pretium unius capellani ſtipendia *, quinque marcas; de quibus ipſe vicarius juxta ſuæ ſubſtantiæ modulum valeat hoſpitalitatem tenere: & ſi in ægritudinem, ſenectutem, vel aliam impotentiam inciderit, ſuſtentari, eccleſia propter hoc debitis obſequiis non carente. In eccleſia 40. marc. ſecundum verum valorem, vel circiter, præcipimus hoc obſervari. In aliis vero æſtimationis majoris, juxta oneris quantitatem, & noſtræ diſcretionis arbitrium, vicariarum portiones volumus ampliari: ita quod in utroque caſu rectores vel vicarii onera ordinaria vel extraordinaria, prout ipſa poſuerimus iſtis vel illis, agnoſcant; & de illis ſatisfaciant abſque partis incommodo ſine norma. Quod ſi pars ab hujuſmodi onere libera, propter normam partis oneratæ damnum incurrat: præcipimus damnum, quod accidit ſine culpa, a parte culpabili plenarie reſervari. Ubi

Prov. 30.

* f. ſtipendii

autem

ANNO CHRISTI 1287.

autem inter rectores & vicarios onerum diviſio non eſt facta: juxta modum facultatis utriuſque agnoſcant ambo onera ſupradicta.

Ad hæc, ne parochiales ſacerdotes in vituperium clericalis ordinis oporteat mendicare, aut turpius facere, lucri quæſtibus inhiare, ſeu in habitu indecenti incedere, propter eorum inopiam compellantur: ſtatuimus, ut a rectoribus eccleſiarum quibus deſerviunt, annuatim percipiant pro ſtipendiis xl. ſolid. ſterlingorum. Et ſi cum eiſdem convenerint, pro quantitate minori: præſentis tamen ſynodi auctoritate decrevimus ſuppleri, quod deeſt: fidei interpoſitione juramenti rei inſolutum receptæ minoris valoris, vel alius cujuſcumque generis vinculo, quod in fraudem præſentis ſtatuti inter contrahentes interponi contigerit, a quo abſolvimus partem totaliter obligatam, minime obſiſtente. In majoribus eccleſiis, niſi propter majus onus pro majori quantitate conveniri contigerit, conventionem ipſam ratam habemus pariter & acceptam. Nec rectores in hoc reputent ſe gravatos: cum liberum ſit eis, ad quod non tenentur, propriis eccleſiis perſonaliter deſervire; & ſic ſe a parochialium ſacerdotum ſtipendiis exonerare.

Sacerdotes vero auxiliarii, non minus percipiant quam quinquaginta ſolidos, quanquam cum eiſdem conveniri contigerit pro minori: alioquin quod deerit, ſuppleatur ſub forma ſuperius annotata.

### XXIX. *Ut beneficia aquæ benedictæ ſolis ſcholaribus aſſignentur.*

A Noſtris majoribus ſæpe audivimus recitari, beneficia aquæ benedictæ, intuitu caritatis, fuiſſe ab initio inſtituta, ut ex eorum proventibus, pauperes clerici exhiberentur in ſcholis, ibidem taliter proficerent, ut aptiores & magis idonei fierent ad majora. Ne igitur, quod tam ſalubriter extitit inſtitutum, per tempus redeant in abuſum: ſtatuimus, quod in eccleſiis quoque a ſcholis civitatis vel caſtrorum diœceſis, ultra decem non diſtantibus miliaria, aquæ benedictæ beneficia ſolis ſcholaribus aſſignentur.

Quia vero in rectores & vicarios eccleſiarum, ac ſuos parochianos, ſuper collatione hujus beneficii lites nonnunquam audivimus ſuſcitari; quas, ſicut cordi nobis eſt amputare, debemus deſtruere: ſtatuimus, ut rectores & vicarii, quorum magis eſt ſcire, qui clerici ad hujuſmodi officium idoneiores exiſtent, tales clericos in beneficiis prædictis præficere ſtudeant, qui ſunt juxta corda eorum, & ſciant & valeant in Divinis officiis ſibi congrue deſervire, & ſuis velint mandatis obtemperare. Quibus ſi parochiani malitioſe ſubtrahere velint eleemoſynas conſuetas: ad ipſas ſibi largiendas ſolicite moneantur, &, ſi neceſſe fuerit, compellantur.

### XXX. *Ne clericus clericum coram ſæculari Judice conveniat.*

CUm nec volens nec invitus clericus valeat ſibi laicum conſtituere judicem: inhibemus, ne clericus clericum ſuper re ſpirituali, aut quacumque actione perſonali ſibi competente, vel ſuis, trahat in cauſam correctionis coram judice ſæculari. Alioquin illum qui hoc facere attentaverit, cauſam perdere declaramus.

Et quanquam non ſuo nomine, ſed alieno, ad vetitum tamen clericum trahi procuravit: nihilo minus eum qui taliter in fraudem legis commitit, prædictis pœnis decrevimus involutum. Si quis autem clericus contra laicum actionem ſe habere crediderit: illam, niſi de re ſpirituali fuerit, vel aliter conventum fuerit inter partes, ſæculari coram judice proſequatur. Si quis vero laicus clericum cujuſcumque gradus duxerit eſſe pulſandum, coram eccleſiaſtico judice eas proponat quas ſe habere exiſtimat, occaſiones.

Hunc ordinem legibus conſentaneum illa regula manifeſtat, quæ perſicit "actorem ſequi forum pulſati. Qui vero hujus ordinis violator extiterit, ſi clericus fuerit, gravi ſubjacet ultioni: ſi vero laicus, puniatur" violator eccleſiaſticæ libertatis, ac ſic in generalem excommunicationis ſententiam, qua violatores hujuſmodi innodantur, incidiſſe publice denuncietur. Et ne laicis nulla detur occaſio, clericos apud non ſuos judices fatigandi: præcipimus, quod ſi inter hujuſmodi diverſæ profeſſionis homines litigium oriatur, cum celeritate qua convenit, laicis ipſis plena juſtitia impendatur.

Ad hæc, ſub pœna excommunicationis inhibemus, ut nullus parochianus noſter clericum aut laicum noſtræ diœceſis, contra quem nihil juſte habet quæſtionis, coram extraordinario judice malitioſe fatigare præſumat laboribus & expenſis: ut ſic pro redimenda vexatione valeat a convento pecuniam extorquere.

Si quis vero laicus clericum ad forum pertrahit ſeculare, ſuper actione maxime perſonali; & judex ſæcularis clericum coram ſe compellat reſpondere; vel quia non reſpondit, ipſum gravare propter hoc præſumat: tam ipſum judicem, quam totaliter pertrahentem, auctoritate præſentis ſynodi ſacroſanctæ, excommunicationis, ac ſpeciales interdicti ſententias & generales, ceteraque remedia eccleſiaſtica, contra eoſdem fore procedendum nihilo minus decernentes, donec gravamen hujuſmodi revocaverit, & clerico in hoc læſo ſatisfecerit competenter.

" *f. præcipit* " *Al. ut* *Mendoſus locus.*

### XXXI. *De celebratione capitulorum ruralium.*

PRincipis apoſtolorum doctrina nos inſtruit & informat, ut, qui omnibus præeſſe volumus, ſingulos juvemus, ſingulos relevemus: eo quod onera ſingulorum noſtris humeris ſupportare incumbit. Juxta igitur paſtoralis curæ ſolicitudinem, quieti ſubditorum proſpicere cupientes: ſtatuimus, ut archidiaconi, & eorum officiales, capitula ſua ſtudeant celebrari in locis, ubi ſacerdotes & clerici facilius & cum minori gravamine poterunt convenire; & remotiores primo expediant, eoſq; protinus abire dimittant, qui de parochiarum ſuarum eccleſiis fuerint expediti: nec capitula uſque in craſtinum continuent, ne ſacerdotes ſic coacti, extra ſuam parochiam, non abſque periculo animarum, oporteat pernoctare.

De menſe in menſem capitula celebrentur, niſi feſta vel alia impedimenta quæ occurrunt, hoc minime patiantur.

De conſiſtoriis noſtris hæc eadem præcipimus obſervari.

Et quia juxta beatum Iſidorum, nullam reus pertimeſcit culpam, quam redimere nummis exiſtimat: præcipimus, quod ſi laicus convictus fuerit ſuper crimine, propter quod publica ſit ei pœnitentia injungenda, illam non in pecuniariam commutet, niſi ſcandalum, vel alia honeſta cauſa, exegerit aliter ordinare.

Solemnis pœnitentia, quæ ſacramentalis eſt, in aliam nullatenus commutetur.

Quia vero clerici eam ſubire non debent: ſtatuimus, ut ſi tale crimen commiſerint, & de eo convicti fuerint judicialiter, propter quod eſſet laicis ſolemnis pœnitentia injungenda: ab executione ſui officii ſuſpendantur, donec per nos, vel ſuperiorem noſtrum, ſecum fuerit diſpenſatum. Hujuſmodi autem criminoſi clerici, ſive laici, ad noſtrum pœnitentiarium tranſmittantur: ut præter pœnam in foro judiciali eis inflictam, propter ſcandalum, in foro pœnitentiali ob ipſum delictum pœnitentiam recipiant ſalutarem.



ANNO CHRISTI 1287.

### XXXII. *Quod alii quam publice diffamati, ad capitulum non vocentur.*

DAmnabilis apparitorum præſumptio, adeo his diebus, illicitis auſibus additum patefecit, ſicut ex frequenti clamore didicimus plurimorum: ut quandoque motu proprio, nulla infamia præcedente, ad capitula vocare præſumant ſuper crimine innocentes, ut aliquid extorqueant a vocatis, vel a ſuis votis * quaſi de licentia commendetur. Huic morbo, quale poſſumus, remedium adhibere volentes; firmiter inhibemus, ne quis officialis, decanus, aut apparitor, quenquam ad capitulum evocet, vel faciat evocari, ſuper crimine de quo publice non fuerit prius defamatus. Alioquin ſuper hoc convicti, a ſuis commoveantur " officiis.

* *f. amoveantur.*

In indicendis purgationibus defamatis, quinquenarium numerum principali perſonæ pro levi crimine, pro majori & horribili duodenarium, judices non excedant. In imponendis vero mulctis, oneroſi ſubditis non exiſtant: ne paſtoris ſolum fungentes nomine, velut lupi rapaces præſumant gregem ſubditum ſibi dilaniare.

### XXXIII. *Ut litigantes, impune a lite recedant.*

SAlvator noſter, pacis amator, ipſam vivens nobis dedit, & reliquit diſcedens: quam qui impedit aut perturbat, in pacis committit auctorem, ipſius donum evacuare moliens, pariter & relictum. Ne igitur judices ipſius judicium impedire præſumant, cui a patre omnia judicia ſunt conceſſa: ſtatuimus, ut quandocumque a lite recedere voluerint litigantes, & pacis inter ſe fœdus inire, hoc eis libere liceat, abſque pœna, niſi de alterutrius injuria conſtiterit evidenter: ſi tamen talis ſit lis, quæ compoſitione amicabili valeat terminari.

Et quoniam cupiditas omnium malorum radix, nonnunquam mentes judicum tanta involvit caligine, ut juſtum putent quicquid eis cedit ad lucrum: diſtricte prohibemus, ne cum judex aliquis partem ad debiti ſolutionem condemnat, pœnam ſtatuat ſibi ſolvendam, ſi intermedio ſolutionis faciendæ minime fuerit ſatisfactum. Et ſi quis contra hæc venire præſumpſerit, id quod hoc modo perceperit, in duplum reſtituere compellatur.

### XXXIV. *De juramento advocatorum.*

SAnctione legali ab olim provide novimus inſtitutum, ut advocati lite legitime conſtituta, in omni judicio & coram quocumque judice, tactis ſacroſanctis Evangeliis juramentum præſtarent: omni virtute ſua omnique tempore, quod juſtum & verum æſtimarent, ſuis inferre clientulis, & nihil in hoc ſtudii relinquere, quod ſibi eſſet poſſibile: & ſi cauſam, quam in ſua fide ſuſciperent, vel improbabilem ſcirent, vel penitus deſperatam, vel certamine procedente talem eam cognoſcerent, amplius eidem minime procurarent, ſed tali communione ſeſe totaliter ſepararent. Quia tam ſancta & ſalubris proviſio in deſuetudinem abierat, ſicut vidimus; & hoc ſupereſt teſtimonium ſapientis, dicentis: Quod ſi narretur, lege cavetur, ſed conſuetudine non habetur: Felicis recordationis Gregorius papa X. ſanctionem prædictam novæ conſtitutionis ſuffragio renovavit", ipſam & ad procuratorum perſonas latius extendendo, & tam ſanctionis prædictæ, quam ſuæ conſtitutionis novæ, certas pœnas violatoribus infligendo. Quæ quidem conſtitutio, quamvis tempore recens exiſtat, antiqua tamen videtur per abuſum & deſuetudinem, ſicut alias habuiſſe.

" *Concil. Lugdun. 2. c. 19.*

Quapropter advocatorum & procuratorum malitias indies ſingulos excreſcere conſpicientes, adeo ut prædictæ conſtitutionis obſervantia magis ſit utilis & neceſſaria futuris temporibus, quam tranſactis: prædictam conſuetudinem per pœnas in eadem inſertas diſtricte præcipimus obſervari: adjungentes, ut advocati & procuratores, quanquam a judice vel a parte minime fuerint requiſiti, tamen juramentum prædictum ultro ſe offerant præſtituros. Alioquin a foro, in quo facere prætermiſerint, eo ipſo per annum ſint a ſuo officio ſuſpenſi.

Judices oblatum juramentum non reſpuant, ſed confeſtim admittant: cum illud nedum in favorem judicii, ſed partium, fuerit adinventum. Ad hoc tamen cauſæ ſpirituales, per canones habeant terminari. Inhibemus, ne quiſquam laicus, maxime illitteratus, ipſius advocationis aſſumat officium, ſed ſibi omnino ſilentium imponatur, per pœnam quam judex fuerit arbitraturus.

### XXXV. *De captione excommunicatorum.*

AB uno & eodem principio vices & poteſtates quibus mundus regitur proceſſerunt, ſcilicet ſacerdotalis & regalis poteſtas: quarum prima gladio ſpirituali, alia materiali utitur in rebelles. Et quanquam Divino aſpectu ſecunda" major exiſtat, utraque tamen pro qualitate temporum alterius eget auxilio: ſicque propter obſtinatorum malitiam compeſcendam nonnunquam major compellitur auditorium minoris implorare: ut poteſtas ſæcularis brachia ſua in ipſos extendat, quos eccleſiaſtica nequit coercere.

" *Corr. prima. Vel forte legendus, Primo aſpectu ſecunda major &c. H.*

Hinc eſt quod ſingulis archidiaconis, eorum officialibus, ac ceteris juriſdictionem habentibus ordinariam, diſtricte præcipimus: ut " pro excommunicatorum captione a ſæcularibus poteſtatibus impetranda, nobis crediderint eſſe ſcribendum, ob quam cauſam, & qua auctoritate, ordinaria ſcilicet, an delegata, fuerint invocati, nos ſuis litteris reddant certiores. Cum autem ad ſupplicationem noſtram excommunicati capti fuerint per auxilium brachii ſæcularis: ipſius eccleſiæ ingreſſum, & communionem fidelium, ac ſacramentorum participationem penitus interdicimus. Et ne ab ſatisfactione congrua & inſpectis ſuper hoc noſtris ſeu ſaltim litteris excommunicatorum teſtium alibi libenter, ſub pœna excommunicationis incurrenda hoc ipſo penitus prohibemus.

" *f. ut cum.* *Locus mendoſus.*

### XXXVI. *Ne presbyteri primo ordinationis ſuæ anno parochias regant.*

CUm ſit ars artium regimen animarum; illud juvenibus & inexpertis committere valde reputamus abſurdum, donec per merita virtutum & experientiam diutinam digni efficiantur ad tanti oneris ſarcinam ſupportandam. Quapropter ſtatui-

ANNO CHRISTI 1287.

tuimus, ne quiſquam presbyterorum, primo ordinationis ſuæ anno, ad curam parochiæ ullatenus admittatur: illis tamen dumtaxat exceptis, tenentur propriis eccleſiis deſervire. Sed cum poſt annum ad curam hujuſmodi contigerit ſe admitti, in ipſa ſe exerceant ſtudioſe: ſic etenim per exercitium, eorum artificium ſuſcipiet incrementum. Si vero prius, contra prohibitionem noſtram admiſſi fuerint, tam admiſſos, quam admittentes, tamdiu ab officii executione ſuſpendimus, donec per nos vel officialem noſtrum ſuſpenſio hujuſmodi fuerit relaxata.

XXXVII. *Ne alienæ ordinationis presbyteri ſine examinatione, & litteris dimiſſoriis, admittantur.*

QUia clerici criminoſi, vel in natalibus patientes defectum, vel inhabiles ad ordines ſuſcipiendos, nonnunquam a ſuis diœceſanis fugiunt, ut ab alienis epiſcopis ordines conſequantur, quibus nedum ſuos celant defectus, ſed quod deteſtabilius eſt, ſæpe mentiuntur ordines ſe habere, vel majores habere quam habeant: ſancti patres proinde ſtatuerunt, ne quiſquam epiſcoporum, alterius diœceſis clericos ordinaret abſque ſui epiſcopi licentia; & litteris commendatitiis: alioquin tam ordinatores, quam ordinatos, ab executione ſui officii ſuſpenderunt.

Hinc eſt, quod diſtricte prohibemus, ne archidiaconi, vel quiſquam alius, clericum quemcumque noſtræ diœceſis, ab alieno epiſcopo ordinatum, ad celebrandum in noſtra diœceſi prius admittant, donec litteras commendatitias ſui inſpexerint ordinatoris, per quas conſtet eis totaliter "ordinatum, a nobis prius litteras dimiſſorias habuiſſe. Aliter etenim ſuſpenſus remaneat ordinatus, quouſque ſecum duxerimus diſpenſandum.

" *f.* taliter

Cum vero ordinatus, fuerit alterius epiſcopatus, & ordinationis ſimiliter alienæ: ſtatuimus, ut abſque litteris commendatitiis ſui epiſcopi, & examinatione diligenti ſuper honeſtate & litteratura, ad parochias cuſtodiendas vel celebranda Divina, peregrinando nullatenus admittatur, vel remiſſius procedatur in ipſis, ſub pœna excommunicationis.

Interdicimus ne a quocumque ſacerdote quicquam detur, vel recipiatur pro licentia celebrandi.

Inhibemus etiam, ut nullus ſacerdos celebrare præſumat, donec loci ordinario fuerit præſentatus, & per ipſum, ut convenit, approbatus. Quod etiam de capellanis magnatum intelligi volumus, quibus confeſſiones audire, pœnitentias dare, aut alia ſacramenta miniſtrare, firmiter prohibemus: niſi forte, quæ eis a jure in neceſſitatis articulo ſunt conceſſa: & tunc non aliter, quam ſi talis articulus emerſerit ex inopinato.

XXXVIII. *Ne pro ſpiritualibus officiis quicquam exigatur.*

QUanta ſit labes ſimoniacæ pravitatis, ſanctorum patrum decreta declarant, qui omnia crimina hujus comparatione, quaſi pro nihilo reputant. Simoniacos etenim, præcipuos hæreticos, a cunctis fidelibus novimus reſpuendos, & ipſos Judæ proditori comparandos. Nam ſicut ipſe Dei filium, ita iſti Spiritum ſanctum, Patri & Filio conſubſtantialem, vendere non formidant: & ſic ejuſdem rei facinoriſq; portionis pro crimine etiam participes.

Ne igitur avaritiæ, quæ eſt idolorum ſervitus, miniſtrorum eccleſiæ corda ad tam grande "alliciat: diſtricte inhibemus, ne ipſi pro ſacris, vel quibuſcumque ſacramentalibus miniſtrandis, utputa ſepulturis & exequiis mortuorum, benedictionibus inhabitantium, inſtallationibus abbatum vel priorum, ſeu admiſſionibus clericorum in poſſeſſionem beneficiorum ſuorum, & conſimilibus, quicquam præſumant exigere, cum id abſque labe fieri non valeat ſimoniaca. Laudabilem tamen conſuetudinem; ſi qua fuerit in hujuſmodi pia fidelium introducta conſtitutione, cum de ipſa nobis conſtiterit, faciemus, Domino inſpirante, firmiter obſervari, juxta traditam nobis formam in concilio generali.

ANNO CHRISTI 1287. " *Deeſt* ſcelus,

Ad hæc, in Dei nomine lacrymoſis obſecramus ſuſpiriis, ut locorum archidiaconi, & ceteri eccleſiarum prælati, ſic ſtudeant exceſſus ſubditorum corrigere, ut holocauſtum pro peccato minime poſtulantes, lucro animarum pecuniam vel aliud nullatenus anteponant.

XXXIX. *Ne pro rectorum vel vicariorum delictis eccleſia ſuſpendatur a Divinis.*

PEriniquum judicantes, quenquam alieno odio prægravari, cum pœna debeat ſuos tenere auctores, nec ulterius progredi metas quam reperiatur in excedente debitum: diſtricte prohibemus, ne pro rectorum aut vicariorum debitis "eccleſia a Divinis ſuſpendatur; ſed per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias, in perſonas eorum canonice promulgandas, fructuum ſuorum ſequeſtrationem, & ſi eccleſiæ fuerit, diſtractionem, aut cohibeantur a malo, aut ad bonum quod omiſerunt facere, compellantur.

" *Corr.* delictis

Parochianos ſimiliter pro ſuis delictis, & in perſonis, ſtatuimus puniendos: niſi omnes vel majorem partem conſtiterit deliquiſſe, & eorum proterviam aliter compeſci non poſſe, niſi eccleſia a Divinis obſequiis ſuſpendatur.

XL. *De viſitationibus archidiaconorum, & procurationibus, & non viſitando.*

AEterni largitor præmii, laborantibus panem manducare conceſſit, quem otioſis omnibus interdixit. Ideoque Dominus omnium, ſolis operariis in vinea ſua laborantibus, retributionis dona eſt largitus: idemque ipſe in ſacro evangelio auſteritati imputat dominantis, ſi tollat quod non poſuit, & metat quod minime ſeminavit. Et his ſancti patres provide informati, in ſuis canonibus decreverunt, ne quiſquam prælatorum, cui viſitationis incumbit officium, procurationem ea ratione recipere, niſi quando perſonaliter viſitaverit, ut procuratio aliud non ſit niſi ſuſtentatio viſitantis. Alioquin duplici infamia, negligentiæ ſcilicet & avaritiæ notaretur.

Hinc eſt quod ſingulis archidiaconis præcipimus, ut ab eccleſiis, quando perſonaliter non viſitant, procurationes exigere vel percipere non præſumant: alioquin quod receperint, velut indebitum & non ſuum reſtituant.

Archidiaconatuum ſuorum ſingulis annis ſingulas eccleſias ſtudeant viſitare: quarum veſtes, libros, utenſilia, & cetera ornamenta, habeant in ſcriptis redacta; ut videant quæ a tempore proximæ viſitationis per diligentiam perſonarum ſuperaddita fuerunt, & quæ per earum negligentiam deteriorata medio tempore vel deperdita: proinde, an quælibet eccleſia, juxta ſuas facultates decentibus fulgeat ornamentis, & eorum habeat copiam,



ANNO CHRISTI 1287.

copiam, ſicut eſt ſuperius diffinitum. Libros monaſteriorum abjectos, a parochialibus eccleſiis ipſis monaſteriis appropriatis, abjiciant: qui cum non ſint de communi uſu, presbyteri & clerici per ipſos in miniſteriis Divinis, errare coguntur, ac laici eorum ignorantiam, quanquam inculpabilem, intuentes, eoſdem tanquam fatuos incipiunt deridere. Et adeo temporalis lucri commodum appetitur, in ſupplendis hujuſmodi defectibus cura negligitur & correctio impetranda. Statuimus ut non per pœnas pecuniarias, ſicut hactenus fieri conſuevit, ſed per coercitiones canonicas, contra eos quibus reparandi & ſupplendi ipſius defecti onus incumbit, amodo procedatur. Et ſi forte contra præſentis ſtatuti decretum præſumptum fuerit: pœna ipſa, ſi committatur, non ipſis viſitatoribus, ſed potius eccleſiæ viſitatæ uſibus applicetur. Alioquin recipientem "aliter, præter pecuniæ receptionem, reſtitutionem " in duplum pœnæ appoſitæ, in ſubſidium fabricæ eccleſiæ noſtræ Exonienſis, præſentis ſynodi authoritate decrevimus puniendos.

" *f.* dantem & recipientem
" *Corr.* reſtitutione

Inquirant etiam diligenter, numquid parochiales ſacerdotes circa Divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, ſicut in concilio generali, ut ſupra cavetur, ſuum devote exerceant officium ut tenentur; & ut invenerint, pœna condigna caſtigent.

Et quia peccata hominum Chriſtum a ſua ſede, quæ eſt in anima juſti, expellunt; operibus manifeſtant, ne juxta Apoſtolum, non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti, quærere comprobentur. Sollicite igitur inquirant de exceſſibus ſingulorum, quorum actus boni ſeu mali, de facili trahuntur a ſubditis in exemplum. Majores exceſſus nobis referant, illos maxime, ſuper quibus criminoſi noſtra indigent diſpenſatione: ceteros corrigant, prout ſecundum ſuæ diſcretionis arbitrium, melius viderint expedire. Ita ſemper, ut animarum lucrum quæſtui anteponant.

Poſſeſſiones eccleſiarum ſuarum & juſtarum "faciant plene conſcribi: de alienationibus, ſi quæ fuerint, inquirentes, ut cum celeritate debita, ratione " prima revocentur.

" *Corr.* & jurium
" *f.* occaſione prima

In aliis ſuis viſitationibus conventionem " in concilio Lateranenſi " ſtatutam nullo modo excedant: ſed in equis, familia, victualibus, & aliis neceſſariis, habeant per omnia moderate. Unde Oxonienſis concilii ſtatuta ſequentes, firmiter prohibemus, ne ad procurationem ſuam præſumant extraneos invitare. Si tamen pro ipſorum honore rectores hoc duxerint faciendum: hoc fieri minime prohibemus. Qui vero ibidem ſe ingeſſerint, ſi clerici fuerint, ſuſpendantur; ſi laici, modeſte corripiantur, & informentur ſe aliter abſtinere.

" *Corr.* evectionem.
" *Later.* III. *c.* 4.

Item nullas tales excommunicationes indebitas per ſe vel ſuos exerceant in ſubjectos; nec antiquas procurationes augere præſumant, ſeu ab exilibus eccleſiis, quæ propter ſui tenuitatem, hactenus procurationes dare minime conſueverant, procurationes aliquas extorquere.

Et quanquam ſolicitudinis cura per ipſos tanquam oculos noſtros in quamplutibus habeat relevari: nolumus tamen, quod præſumptione quadam terminos tranſcendant, quos ſibi ſtatuerunt patres noſtri. Unde de ſequeſtris noſtris, clericis, non ordinatis, non reſidentibus, religioſorum exceſſibus, & aliis ad noſtram juriſdictionem immediate ſpectantibus, ipſis interdicimus interponere partes ſuas, niſi ſaltem, ut nobis vel officiali noſtro fideliter referant, quæ in hac parte ſciverint corrigenda.

XLI. *Ne clerici obligent ſe diſtrictioni fori ſæcularis: vel in parcis vel vivariis magnatum furtum committant.*

ANNO CHRISTI 1287.

ANnis ſingulis & diebus, mundus iſte nequam, labe plus ſolito corripitur peccatorum, & tanto ardentius conatur inventum, quanto quis ſibi congregat cumulum delictorum. Ecce etenim rabies inaudita aliquorum, dum inſurgunt filii in parentes, & ipſos nituntur ſubjicere ſervituti, per quos ſunt ad vitam perpetuam regenerati, & ſervitute diabolica liberati. Quod apertius in laicis, qui clerum & eccleſiæ libertates nituntur ſubjicere ſuæ ditioni: quorum temerariam audaciam reſecare tenemur potius quam fovere. Prohibemus igitur ſub pœna excommunicationis, ne clerici, maxime beneficiati, pro debito proprio vel alieno, diſtrictioni ſe obligent judicis ſæcularis: cujus obligationis prætextu, laici de facto, quanquam de jure non valeant, clericos ad judicia ſæcularia pertrahant.

Et ſicut per clericorum contractus nolumus quod amplius id contingat: ſic multo magis deteſtamur, ſi propter eorum debita id debeat evenire. Unde diſtricte inhibemus, ne quiſquam clericorum in foreſta domini regis, vel parcis alterius cujuſcumque aut Warenna, furtum committere venationis; vel in ſtagnis piſcariis, vel vivariis, quodcumque furtum præſumat committere.

Si quis autem clericorum contra has prohibitiones noſtras venire præſumpſerit: ſi quidem in contractu, ipſum a Divinis in triennium volumus manere ſuſpenſum; ſi in delicto, ipſo facto, vinculum excommunicationis incurrat. Et poſtea, ſi monitus a prælato ſuo, pro tam gravi culpa, ad ipſius prælati arbitrium ſatisfacere non curaverit: extunc, ſi beneficiatus fuerit, ipſum a beneficio ſuo decrevimus fore privandum. Si vero beneficiatus non exiſtat, ab executione ordinum per quinquennium ſuſpendatur: dicit etenim ratio, ut in quibus major reperitur culpa, in ipſos gravior exerceatur vindicta.

XLII. *De forma liberandi bona clericorum a laicis male capta & retenta.*

BOna mobilia & immobilia clericorum, ſicut ipſorum perſonas, ſub protectione eccleſiaſtica conſiſtere, ſanctorum patrum decreta ſanxerunt: ut neque laicis de ipſis ſtatuendi ſeu diſponendi quicquam ", eccleſiæ reſpiciat commodum, ulla ſit permiſſa facultas: ſed quicquid fecerunt in hac parte, firmum & ſtabile eſſe non poterit, donec ab eccleſia fuerit approbatum. Quanto minus ſit eis licitum bona clericorum capiendi & detinendi, nemo eſt qui ambigat ſanæ mentis.

" *leg.* quidquam, quod eccl.

Cum igitur clericorum, ſeu aliarum perſonarum, quæcumque bona a bailivis magnatum, ſeu aliis quibuſcumque, capi & detineri contigerit: de injuria propria, quod abſque læſione eccleſiaſticæ libertatis poſſe fieri non videatur, ad eorum liberationem taliter procedi ſtatuimus & mandamus: ut per loci archidiaconum vel officialem ipſius, vel alium quem ipſe aſſignaverit, moneantur ipſorum bonorum detentores primo, ſecundo, & tertio, ſub teſtimonio trium vel quatuor clericorum, vel ſaltem laicorum, ſi clericorum copia non habeatur: per quas monitiones poſſit probari, ſi de ipſis in dubium alias revocetur, quod bona ipſa clericis a quibus ſunt ablata, reſtituant indilate, & ſi reddiderint, clericos ipſos ſibi fore obnoxios, quod compareant in proximo loci capitulo,

ANNO CHRISTI 1287.

adverſus eos ſuam proſecuturi actionem. Quem quidem terminum ipſis clericis aſſignari præcipimus, ut querelantibus reſpondeant in forma juris. Si vero factis monitionibus, detentores bona ipſa reſtituere per bidoum detrectaverint: ex tunc qui illud monuit, in ſcriptis excommunicet detinentes cum ſuis complicibus & fautoribus: qui ſi "latam in ipſos ſententiam adhæc" aliud bidunm bona ipſa reſtitnere præpoſuerint", locum in quo taliter bona detinentur, eccleſiaſtico interdicto ſupponat. Et ſi nec robur, nec fatigatio hujuſmodi, adhuc ſufficiant ad tantam obſtinatorum malitiam compeſcendam: contra eorum complices & fautores, per inquiſitiones legitimas, & ſequentes excommunicationis ſententias, cenſuras eccleſiaſticas modis omnibus præcipimus aggravari. Deinde his remediis attentatis, niſi ad deliberationem proficiant, ſuſtineamus patienter, ut eccleſia non habeat quid ultra faciat, quod is cujus bona detenta ſunt, jus ſuum coram ſæculari judice proſequatur. Hanc formam volumus obſervari, niſi clericus laicum feodum poſſideat: ratione cujus bona ſua laico feodo capi contigerit. Nam quantum ad ipſum feodum pertinet, clerici ſæcularibus obnoxii ſunt legibus.

"leg. ſi poſt latam " Corr. adhuc " Corr. poſtpoſuerint,

Ad hæc, quoniam, ut ait beatus Gregorius, culpam vehementer me committere æſtimo, ſi ea, quæ pro timore omnipotentis Dei ſunt ſuggerenda, noluero: & alibi: cum increpare delinquentes non vult, eos proculdubio tacendo paſtor occidit. Ut igitur valeamus cum Apoſtolo dicere & clamare: *Mundæ ſunt manus meæ a ſanguine ovium noſtrarum*: Silere & impunitam "verſutiam quorundam laicorum maxime bailivorum magnatum, noſtra conſcientia minime nos permittit. Ipſi etenim "frequenti querela didicimus, in tantam furoris audaciam modernis temporibus inciderunt, "quo magis contumelias, damna, & opprobria perſonis eccleſiaſticis, & rebus eorum intulerunt, eo magis congaudent, & id potiſſime gloriantur. Heu miſeri infelices, & in tenebris ambulantes! Nonne Deus pater noſter eſt, qui vos creavit? eccleſiaque mater eſt, quæ vos in baptiſmo regeneravit? Nonne in canone cautum reperitur: Qui abſtulit patri aut matri, & dicet quia hoc peccatum non eſt, homicidii particeps eſt. Ergo qui pecunias eccleſiæ rapit, aufert, & defraudat; homicida eſt. Nonne mirabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur: ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum, ſibi ſubjugare conetur, & iniquis obligationibus illum ſub pœna ſubjicere, a quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cœlis ſeſe ligari poſſe & ſolvi?

Act. 20. " Deeſt, relinquere " Deeſt, ſicut " Corr. ut quo

Quapropter in virtute ſanctæ Trinitatis firmiter inhibemus, ne quiſquam laicorum, clericum, cujuſcumque conditionis vel ordinis, capere, vel incarcerare præſumat; aut aliter in eum injicere manus temere, aut violenter, cum ſcriptum ſit: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Quod de prælatis eccleſiarum & clericis intelligimus eſſe dictum: niſi pro ipſius clerici captione, velut excommunicati, "ſcripſimus", ſed pro crimine homicidii, aut conſimili enormi delicto, capiendus fuerit, tanquam violator pacis domini Regis "regni.

Pſal. 104. " ſ. ſcripſerimus, qui pro cr. " leg. & regni.

Quod ſi quis clericum aliter capere, detinere, & incarcerare præſumpſerit, aut in eum manus injicere violentas: ipſum, candelis accenſis, pulſatis campanis, in ſingulis eccleſiis archidiaconatus, in quo hujuſmodi ſacrilegus converſatur, excommunicatum a canone tamdiu publice nunciari, donec hanc injuriam pacis ſatisfecerit competenter, præcipimus, & cum noſtrarum teſtimonio litterarum ad ſedem apoſtolicam venerit, abſolvendus.

Item quidam laici proprios terminos excedentes, inter ſacrum ſanctuarium & profanum minime diſtinguentes: ſolummodo quod ſacrum eſt a manibus pontificum conſecratum, ſanctuarium appellant, dum eccleſiam & ipſius cœmeterium, ſanctuarium tantum mendaciter aſſeverant. Quod nedum civilis, verum etiam canonica ſanctio liquido contradicit, dum inquit: Nulli licet ignorare: *Omne quod Domino conſecratur, ſive fuerit homo, ſive animal, ſive ager, vel quicquid fuerit ſemel conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino*, & ad jus pertinet ſacerdotum. Propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui a Domino & eccleſia cui competunt, aufert, vaſtat, invadit, & eripit, uſque ad emendationem, eccleſiæque ſatisfactionem. Vel ſacrilegus judicetur, & ſi emendare noluerit, excommunicetur. Depellenda eſt etenim illius uſurpationis contumelia, ne prædia uſibus cœleſtium cœtuum dicata, a quibuſdam irruentibus vexentur. Quod ſi quis præſumpſerit, ut ſacrilegus judicetur.

Hinc eſt quod omnes illos, qui nedum clericorum perſonas, ſed res eorum mobiles, ſeu ſe moventes intra eccleſiam vel ipſius cœmeterium, aut in agro ad eccleſiam pertinente, vel alibi, abſque rationabili cauſa rapiunt, capiunt, & abducunt, ipſis invitis quorum ſunt bona, niſi celeri reſtitutione ſibi proſpexerint, ut inimicos Dei & eccleſiæ, ac ſacrilegos, excommunicamus, & a ſanctæ matris eccleſiæ liminibus ſequeſtramus: necnon ad bonorum liberationem ipſorum procedi præcipimus, juxta formam ſuperius traditam. Quandocumque pro eo quod clerici aut laici cauſam ſpiritualem, utpote "violenta manuum injectione in clericum (niſi ad correctionem rebus præmiſſis) vel matrimonio contrahendo, decimis oblationibus, mortuariis, læſione fidei vel juramenti, & ceteris hujuſmodi, de jure vel conſuetudine ad forum eccleſiaſticum pertinentibus, in foro eccleſiaſtico fuerint proſecuti, ipſos ad forum traxerint ſæculare; necnon & judex ſæcularis, qui eos ob gravare præſumpſerit: niſi poſt trinam admonitionem a gravamine deſtiterit inferendo, & ſatisfecerit de illata injuria, conſimili excommunicationis ſententia innodamus: firmiter præcipientes, ut rei judicatæ exceptionem judices ſæculares admittant; rei dico, cujus cognitio ad eccleſiaſticum pertinet judicem. Et eccleſiaſtici judices ſimiliter, cum de re judicata per judicem ſæcularem excipitur: admittere non poſtponant, ubi jura canonica non repugnant.

" ſ. de violenta

## XLIII. *De deliberatione in ſententiis cum excommunicatione promulgandis.*

ECcleſiarum prælati, qui claves Petri geſtant in manibus, prudenter attendant, quanta ſit eis a Chriſto commiſſa poteſtas ligandi & ſolvendi. Non enim, ait Chryſoſtomus, homo eſt qui ligat, ſed Chriſtus qui hanc poteſtatem dedit. Dominus fecit homines tanti honoris". Et cum excommunicatio, æternæ mortis damnatio ſit, nec niſi pro mortali debeat imponi crimine, ac illis dumtaxat qui aliter corrigi nequeunt: in ipſa ferenda judices oportet eſſe peritos, ut deliberatione provida & maturitate debita, ipſam ſtudeant promulgare. Nam ſi quis fidelium excommunicatur injuſte: ei potius oberit, qui ipſam tulit, quam ei qui ipſam injuriam patitur.

" Deeſt participes.

Cunctis ergo ſubditis noſtris juriſdictionem habentibus, & ceteris omnibus quibus de ipſis in hoc commiſſa eſt poteſtas, diſtricte præcipimus: ut cum ipſos oportet in aliquem proferre ſententiam, ſibi



ANNO CHRISTI 1287.

ſibi præcaveant, ne abſque cauſa rationabili, id eſt trina monitione præmiſſa, & præſentibus perſonis, per quas, ſi neceſſarium fuerit, poſſunt monitiones probari, ipſam promulgare præſumant, ſicut ſtatutum novimus in concilio "generali. Hanc autem cauſam expreſſe conſcribant, & ipſam proferant in ſcriptis: cujus copiam tradant excommunicato infra menſem a die ſententiæ, ſi fuerint requiſiti. Et hæc eadem in ſuſpenſionis & interdicti ſententiis volumus obſervari: ſicut in alio concilio novimus eſſe cautum. Qui præter hanc formam quenquam excommunicare præſumpſerit, & ſuper hoc convinci contigerit: pœnis expreſſis in præfatis conciliis, ſe noverit ſubjacere, quas faciemus dante Domino firmiter obſervari.

" Later. III. c. 47.

Quia vero communicans cum excommunicatis ſcienter, innodatur ſimili ſententia ipſo jure, per quam ſacramentorum participatione privatur: præcipimus, quod excommunicati, a ſingulis arctius evitentur, ut ne quiſquam cum ipſis cibo, potu, oſculo, ſalutatione, locutione, oratione, aut aliquo genere communionis, communicare præſumat. In foro eccleſiaſtico, aut civili, poſtquam eorum excommunicatio per patentes litteras conſtiterit, excommunicati ad agendum nullatenus admittantur: ſed a cunctis legitimis actibus repellantur, donec fuerint abſoluti, & ſuper hoc litteras exhibuerint teſtimoniales.

Quicumque autem excommunicatum ad agendum aliter admiſerit, authoritate præſentis ſynodi ſacroſanctæ, excommunicamus: eumdemque ſic ligatum, cum de hoc conſtiterit, præcipimus publice nuntiari, ut prætextu ignorantiæ, excuſationis cauſa omnibus auferatur. Sacerdotibus parochialibus firmiter injungimus, ut cum in eccleſiis major aderit populi multitudo, candelis accenſis & pulſatis campanis, excommunicatorum nomina, & excommunicationum cauſas, ac qua authoritate fuerint ſic ligati, omnibus innoteſcat.

## XLIV. *Ne quis in propria cauſa quemquam excommunicet vel ſuſpendat.*

QUemadmodum non decet, ita non licet, quenquam ſibi eſſe judicem, vel in propria cauſa ſibi jus dictare. Statuimus ergo, ut nullus pro proprio debito, vel pro injuria perſonæ ſuæ illata, quenquam propria authoritate ſuſpendere vel excommunicare præſumat. Alioquin & debitum amittat, & pro injuria quam intulit, ab injuriarum cadat totaliter actione: alteri parti, ſuper injuſta ſententia, ſalva nihilo minus quæſtione.

Licebit autem prælatis eccleſiarum juriſdictionem habentibus, in ipſos qui eorum juriſdictionem notorie impedire contigerit, præhabita competenti monitione, ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias promulgare: cum in jus dicendo, non tam ſuam, quam publicam exerceant utilitatem.

Licet igitur eccleſiarum rectoribus, vicariis, & parochiarum capellanis, pro mortuariis, decimis, oblationibus, & inſtauro eccleſiæ, & aliis juribus eccleſiæ ſuæ injuſte detentis, in quorum poſſeſſione notorium eſt ſuas eccleſias extitiſſe, per ſemetipſos, trina tamen monitione præmiſſa, nominatim ſuſpendere & excommunicare detentores: cum in hoc caſu non injuriam ſuam, nec ſibi debitum, ſed eccleſiæ ſuæ potius, proſequi videantur.



## XLV. *Quod abſque libelli donatione in cauſis matrimonialibus procedatur.*

COnſiderantes, in cauſis matrimonii, juris ſolemnitatem non eſſe per omnia obſervandam, quæ breves lites alio nomine appellantur, eo quod in ipſis breviter ſit procedendum, id eſt, ſummarie debeant terminari: ne pro exiguis rebus maximas actiones homines ſuſtinere cogerentur, ſtatuimus in pecuniariis cauſis, in quibus litis æſtimatio viginti ſolid. non excedit, abſque libelli donatione cum celeritate debita proſequatur, ſicut de conſuetudine hactenus in noſtra diœceſi novimus obſervatum. Volumus tamen, ut in illis factum ita dilucide exprimatur, ut ſciatur qualis agenti competat..... & defenſio ipſi reo.

## XLVI. *Ut omnibus libere liceat appellare, & ſuas proſequi appellationes.*

APpellationis remedium non ad defenſionem iniquitatum, ſed innocentiæ præſidium, novimus inſtitutum. De quo in canonibus cautum reperimus, ut omnis oppreſſus, libere, ſi voluerit, appellet judicium, & a nullo prohibeatur, ſed ab aliis fulciatur, liberetur", & audiatur.

" ſ. libenter

Item a quibuſcumque eccleſiaſticis judicibus, ad alios judices eccleſiaſticos, ubi eſt major authoritas, provocatum fuerit, audientia non negetur. Et quia patet iſtud omnibus eſſe commune: ſtatuendo præcipimus, ut archidiaconi, aut ceteri ſubditi noſtri ordinariam juriſdictionem habentes, appellationibus ab ipſis ad noſtram audientiam interpoſitis, ſicut decet eos, deferant reverenter: appellantibus, vel ſuis, nullam ob hoc moleſtiam inferentes vel gravamen. Nec ipſos minis terreant, ut ab appellationum ſuarum proſecutione deſiſtant. Terminum deſignent appellantibus, infra quem, coram nobis vel officiali noſtro modo comparere valeant, appellationes ſuas legitime proſecuturi. Ac ipſis petentibus inſtanter concedant epiſtolas, in quibus, ſi a gravamine vel interlocutoria ab ipſis fuit appellatum, appellationis cauſam exprimant. Et ſi ipſam non duxerint admittendam: cur hoc, nobis expreſſe deſignent. Patienter etenim ſuſtinebimus, ſi eorum appellationes admiſſæ non fuerint, quorum exceſſus, evidentia rei, vel ipſorum confeſſione, aut alio legitimo modo, notorii fuerint & manifeſti; vel appellationes alias fruſtratoriæ evidenter exponant.

## XLVII. *De quæſtoribus eleemoſynarum.*

QUot errores quantaſque abuſiones eleemoſynarum quæſtores hactenus prædicaverunt, populo Chriſtiano ſatis per orbem novimus divulgatum. Ipſi etenim cum ſint idiotæ, vitæ pariter communiter inhoneſtæ: confingentes ſe peritos, & vitæ ſanctitatem exterius prætendentes, cum audacia quadam præſumpta prædicandi aſſumunt officium. Qui vero nuſquam Divini verbi notitiam habuerunt, inter cetera erronea quæ proferunt, mendaciter aſſerunt ſe habere multo plures & majores indulgentias, quam habeant: ut ſic ſimplicium alliciant animos ad majores eleemoſynas largiendas, quas poſtea in ebrietatibus & luxuriis, in omni "conſpectu prodigaliter conſumere non erubeſcunt. Unde evenit, ut veræ & fructuoſæ indulgentiæ, a nonnullis ſæpius contemnantur.

" ſ. in omnium conſp.

Anno Christi 1287.

Quapropter prohibemus ſubditis noſtris, ne quæſtorem eleemoſynarum ullum admittant, niſi litteris noſtris munitus exiſtat: & tunc prædicare minime permittatur, ſed capellis parochialibus ipſius negotia & indulgentias, prout a litteris papalibus vel noſtris valeat elicere, evidenter plebi exponat fideliter. Nec credant ſchedulis falſis, quas ipſi ſæpius porrigunt: niſi ſchedulæ prius per nos fuerint examinatæ, & approbatæ noſtri impreſſione ſigilli. Pecunia vero collecta, uſque ad proximum loci capitulum integra cuſtodiatur, tunc per loci ordinarium fideli nuntio aſſignanda. Qui vero aliter eos admiſerit, vel ipſos prædicare permiſerit, per nos vel officialem noſtrum cenſemus graviter puniendum: niſi ipſis litterarum poteſtatem conceſſerimus ampliorem.

Cum vero ipſis contigerit indulgeri, clerum poſſe convocare (quod cum minori cleri commodo intellexerimus) eſſe intelligimus conceſſum: ſtatuimus quod hujuſmodi convocationes alibi non fiant, niſi in plenis locorum capitulis, in quibus clerus commodius poterit convenire, & indulgentiæ conceſſæ melius examinari.

## XLVIII. *De reliquiis, & veneratione ſanctorum.*

NOnnumquam per malos, ſicut per bonos, miracula facta ſanctorum, ſacra commemorat eccleſia. Idcirco ſacroſanctam Romanam eccleſiam, (quæ per Dei omnipotentis gratiam, authoritate apoſtolicæ traditionis, numquam erraſſe probatur a tramite:) in hoc ideo eſt recurrendum, & expectandum ipſius decretum: ne quis hoc approbando, quod ipſa reprobat, a catholicis hæreticus comprobetur. Idcirco in concilio generali provide novimus eſſe prohibitum: ne quis reliquias de novo inventas publice venerari præſumat, niſi a Romano pontifice prius fuerint approbatæ. Quam probibitionem inviolatam ab omnibus præcipimus cuſtodiri: ſtatuentes, ut nullus ſanctorum reliquias venales exponat; ſed nec lapides, fontes, arbores, ligna, veſtes, aut res quaſcumque alias, ut ſanctas, propter fictitia documenta, aliqualiter veneretur; cum illud hæreticam ſapere pravitatem apoſtolica declarat ſententia, & nulli licere docetur aliud, vel ſentire, quam Romanam eccleſiam matrem omnium eccleſiarum ſequi viderit & tenere. Si qui autem contra hoc venire præſumpſerint, niſi moniti ſuum deponant errorem, tanquam hæreticos cenſemus graviter puniendos.

Lateran. IV. c. 62.

## XLIX. *De Judæis & eorum mancipiis.*

A Judæis regimen Dei ablatum, & datum genti juſtitiam facienti, ſcriptum in canonibus reperitur. Per quod liquet Chriſticolas libertate donatos, Judæoſque ſubactos eorum perpetuæ ſervituti. Cum igitur ſcriptum ſit: *Ejice ancillam & filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*: nimis reputamus abſurdum, ut filii liberæ, ancillæ filiis famulentur.

Gen. 21.

Quapropter Lateranenſis concilii ſtatuta ſequentes, diſtricte prohibemus ne Judæi ſub obtentu alendorum puerorum ſuorum, neque pro ſervitio vel qualibet alia cauſa, in domibus ſuis mancipia habeant Chriſtiana; ne forte per aſſiduam familiaritatem, ad eorum perfidiam ſimplicium animos valeant inclinare. Sæpe enim malorum conſortia, bonos corrumpunt. Chriſtiani qui contra hanc prohibitionem venire præſumpſerint, excommunicentur: Judæi gravi ſubjaceant ultioni.

Lateran. III. c. 26.

Prohibemus inſuper, ne Judæi publicis fungantur officiis, quorum prætextu Chriſtianis nimium ſint moleſti. Et quoniam cum eis ſumere cibum non licet: inhibemus, ne Judæi ad Chriſtianorum, vel Chriſtiani ad Judæorum accedant convivia. Item ſi quis Chriſtianus infirmatus fuerit, a Judæo non accipiat medicinam. Item die paraſceves, oſtia & feneſtras habeant clauſas, quia Chriſtianis..... conſueverant illudere illo die. Item prohibemus ne novas fabricent ſynagogas. Sed ſi erigant veteres quæ corruerint, vel ruinam minentur: ſi ipſas reædificare permittantur, ita quod ampliores vel pretioſiores non faciant, ipſis ſatis novimus eſſe permiſſum.

Ad hæc, diſtricte præcipimus, ut Judæi utriuſque ſexus, ſuper veſtes exteriores, duas tabulas laneas habeant alterius coloris, ad pectus conſutas: quarum latitudo digitorum duorum, & longitudo quatuor ſit ad minus: ut ſic per diverſitatem habitus, a catholicis diſcernantur; & damnatæ commixtionis exceſſus, inter hos & illos valeant evitari.

Ne autem eccleſiæ parochiales per ipſos ſuis juribus defraudentur: præcipimus, quod Judæi de terris quas colunt, decimas ſolvere, vel poſſeſſionibus ipſis renunciare; & pro domibus quas inhabitant, parochialia jura eccleſiæ parochiali debita tribuere, arctius compellantur.

## L. *De teſtamentis.*

QUanquam in jure canonico, & longe amplius in civili, de teſtamentis & legatis, grandis & diffuſus habetur tractatus: propter ſimplices tamen qui neutrius juris girarunt volumina, nec ipſorum habeat notitiam, neceſſarium duximus ſuper prædictis, quæ in quotidiano ſunt uſu, utilia quædam ſtatuere; & pœnis ſtatutorum refrænare, prout poſſumus, abuſores.

Cum igitur extremis decedentium voluntatibus, favorem maximum impendere teneamur: ſtatuimus, ut nullus, cujuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtat, clericum vel laicum, liberum vel ſervum, de bonis quæ poſſidet tempore mortis, libere teſtari impediat quoquo modo, ſub pœna excommunicationis, quam impedientes decrevimus incurrere ipſo facto: cum, quantum ad ea quæ tunc poſſidet, liber quilibet cenſeatur, ſicut de hujus regni conſuetudine hactenus eſt pacifice obſervatum.

Quandocumque igitur ſano vel ægroto, libero aut ſervo, ſuum placebit condere teſtamentum: ſtatuimus, ut pro rectore, vicario, vel capellano eccleſiæ parochialis confeſtim tranſmittat, ut in ipſorum præſentia & duorum vel plurium fide dignorum, de omnibus bonis ſuis mobilibus portionem ſuam contingentibus, diſponat pro animæ ſuæ ſalute, ſicut ſibi placebit, & melius crediderit expedire. Uxoris & filiorum ſi quos habuerit portionibus per omnia ſalvis: expenſis funeris exceptis, quæ ante omnem diviſionem deduci ſtatuimus de communi, debita quæ debet teſtator, ſolvantur.

Similiter de communi, portiones dividendæ inter prædictas perſonas per omnia, fient æquales portiones, ita ut pro una perſona omnes filii computentur. Si vero teſtator alicui filiorum de propriis bonis prius ſuſtentationem providerit; & ſic aliis, & alii, cui vel quibus minime ſit proviſum: ſtatuendo prohibemus, ut iis, quibus proviſio facta eſt, ſimiliter teſtatoris heredes (ſi tantundem



Anno Christi 1287.

habeant, de propria hujuſmodi proviſione, quantum tum foret ſua portio, ſi ad diviſionem cum ceteris admitterentur) nullatenus ad portionem dividendam inter filios admittantur: ſed eo quod eis eſt proviſum a teſtatore, vel ſucceſſione juris, contenti remaneant, nec per ipſos aliorum portio diminuatur. Hæc quæ de marito ſtatuimus, de uxore ſervari volumus, ſi decedat.

Quæ autem ad uſum teſtatoris ſpecialiter ſunt parata, utputa equi, arma, & cetera hujuſmodi; vel quæ ad uſum uxoris, utputa ſupellectilia, veſtes mulíebres, monilia, annuli: abſque diviſione utrique eorum, præcipua reſerventur.

Curet autem teſtator, fideles & locupletes noſtræ diœceſis, & non aliunde, conſtituere executores: ac in ſcriptis, ſi fieri poteſt, ſuum condere teſtamentum. Quod, poſtquam factum fuerit, claudatur, & cum ſigillo proprio, ſi habeat, alioquin alieno, protinus conſignet: quod & præſentium ſigillis faciat conſignari. Alioquin contra teſtamentum, teſtatoris * ſigillo ſignatum, de facili præſumi queat: cum poſt mortem teſtatoris, poſſit teſtamentum aliud fabricari, & ſigillo ipſius aliter conſignari, prout audivimus fieri aliquando.

* Deeſt forte ſolios.

Facto autem teſtamento nuncupativo, vel in ſcriptis, & teſtatoris corpore tradito ſepulturæ: ad loci ordinarium executores accedant, ſuper teſtamento facto in ſcriptis fidem facturi, tam de præſentia conſignantium, quam de ſignis. Super nuncupationem vero probationes dilucide monſtrentur ſuper omni eo quod teſtator aſſeritur voluiſſe, & ſpecialiter ſuper omni relicto: ita quod inter teſtes, executores nullatenus admittantur.

Probato igitur teſtamento, & per judicem approbato, executores fideliter conficiant inventorium in præſentia fide dignorum, ad hoc ſpecialiter vocatorum: in quo omnia bona quæ defunctus habuit tempore mortis, & quæ ſibi debebantur, & quæ debuit aliis, conſcribantur fideliter & expreſſe. Quo inventorio facto, tam ipſi executores quam præſentes eidem, ſua appendant ſigilla. Donec iſta fiant (quæ fieri præcipimus infra quindecim dies, ſi fieri poteſt, a tempore ſepulturæ) executores minime miniſtrent.

Cum ergo cœperint miniſtrare, protinus uxori & filiis, ſi ſuperſint, ſuas aſſignare ſtudeant portiones. De portione vero contingente defuncti legatum diſtribuant, debita eidem exigant, & exolvant aliis debita ab eodem; ad quæ tam uxor quam filii tenentur contribuere pro rata portionis cujuſque.

Sed ne eorum portiones propter timorem, ſeu incertitudinem æris alieni, ab executoribus diutius detineantur: ſtatuimus, quod æs alienum, de quo conſtat, ante reſtitutionem portionum, ab executoribus deducatur: pro dubio vero & incerto, recepta ab ipſis uxore & filiis cautione idonea de reſtituendo, quantum legitime apparere poterit ipſos pro ſuis portionibus ad id teneri, executores ſuas conſtitutas liberent portiones. Idem faciant litigatores de ſibi relictis, ſicut inferius & plenius continetur.

Et ſic ſtudioſe ſuum curent executores officium exercere; ut infra anni ſpatium nihil remaneat exequendum. Alioquin compoto reddito de receptis, amoveantur omnino, & eorum loco alii magis idonei ſubrogentur, quod inferius ſtatuimus, ſi prius ſuſpecti probabiliter inveniantur.

Et quoniam propter malitias executorum, ſeu debitorum defuncti, ſeu fraudes fictitiorum creditorum, decedentium voluntates vix debitum ſortiuntur effectum: cupientes in hac parte remedium quale poſſimus adhibere, authoritate præſentis ſynodi ſacroſanctæ, excommunicamus omnes executores, quouſque modo impedimentum præſtant, niſi vel aliter recuſantes in foro eccleſiaſtico a defuncti creditoribus conveniri, vel ipſis, ſicut decet, ioibi reſpondere:

Mendoſus locus.

Item omnes illos, qui ſcientes ſe obligatos defuncto, patiuntur ſe per malitiam a ſuis executoribus conveniri, ut ſic ipſis in probatione deficientibus, per ſententiam abſolvantur; vel impedimentum * quoquo modo, quo minus in foro eccleſiaſtico ab executoribus defuncti libere valeant conveniri.

* Corr. impediant.

Item omnes illos, qui ab executoribus defunctorum in judicio ſcienter expoſcunt indebitum, & in ſua petitione iniqua uſque ad diffinitivam ſententiam perſeverant, quod a defunctis licet ſi ſuperſtites eſſent non peterent, vel de jure valere * non valerent.

* f. habere.

Ut autem executores circa ſuum officium exequendum promptiores reddamus, pariter & attentos: volumus, quod dum circa hoc laborant, de bonis defuncti expenſas percipiant moderatas: cum ſuum officium ſibi non debeat eſſe damnoſum, nec debeant propriis ſtipendiis militare; quibus, ſub pœna excommunicationis interdicimus, ne per ſe, vel interpoſitas perſonas, abſque fide dignorum præſentia & rationabili .... quicquam de bonis defuncti emere ſibi invicem vel donare, ſeu quovis alio titulo uſurpare, ſeu ſibi retinere præſumant, niſi quod eis relictum fuerit ſpecialiter in teſtamento.

Si vero contigerit parochianum noſtrum, hominem alterius diœceſis ſibi conſtituere executorem: ille ad hujuſmodi onus nullatenus admittatur: niſi de ſubditis noſtris, locupletes & idoneos manucaptores inveniat ad fidele inventorium faciendum, & fideliter adminiſtrandum, vel ratiocinium reddendum, cum ipſum vel ſuos manucaptores ſuper hoc contigerit interpellari: ad quod etiam executores noſtræ diœceſis per corporale ſacramentum, priuſquam adminiſtrent, præcipimus obligari; omnibus executoribus interdicentes, ut cum veriſimilis præſumptio habetur, defunctum nimis æris alieni pondere oneratum, legatum nemini liberent, niſi recepta prius obligatoria ſufficienti cautione: de reſtituendo quantum legis Falcidiæ ratio in hoc expoſcit. Alioquin cum ad ratiocinia reddenda pervenerint, quæ ſupererogaverint, ipſis minime decrevimus allocanda.

Et quoniam cordi plurimum debet eſſe veritatis cuilibet amatori, nequitiam reprimere falſariorum: nos præſentis ſynodi ſanctæ approbatione, excommunicamus & excommunicatos publice denunciamus, omnes illos, qui poſtquam teſtator condito teſtamento in fata deceſſerit, teſtamentum aliud fabricare, aut præter teſtatoris conſcientiam quicquam condere, addere, vel detrahere teſtamento priori, ſibi vel aliis aliud deſcribendo, ſeu fraudem quamcumque aliam committendo, contra teſtatoris præſumpſerint voluntatem. Et ſi quos tantæ fraudis reos convenire contigerit, ipſos decrevimus, tanquam falſarios puniendos.

Ut autem viris religioſis omnem evagandi materiam auferamus, quibus omnibus, ceteris derelictis, ſolius Dei incumbit inhærere miniſteriis: ſtatuimus, ut nullus religioſus in noſtra diœceſi executionis onus aliqualiter in ſe ſuſcipiat, abſque noſtra licentia ſpeciali. Si quis autem contra hanc prohibitionem noſtram venire præſumpſerit: quod fecerit, & viribus careat, & ipſe nihilo minus juxta noſtræ diſcretionis .... graviter puniatur.

ANNO CHRISTI 1287.

In fine autem cujuslibet teſtamenti, hanc clauſulam adjici volumus generalem: Cetera omnia bona mea, ſive in rebus, ſive in manibus fuerint debitorum, in hoc teſtamento non expreſſa, volo ut pro animæ meæ ſalute, per manus executorum meorum in pios uſus diſtribuantur: & quod creditoribus meis per manus eorundem, ſimiliter ſit ſatisfactum.

Si qui vero laicorum deceſſerint inteſtati, de bonis eorum, per locorum ordinarios, taliter præcipimus ordinari, ut pro anima defuncti in pios uſus totaliter erogentur.

### LI. *Ut rectores, poſt mediam Quadrageſ. decedentes, libere legare valeant fructus autumni ſequentis.*

Sæpe contigit nonnullos eccleſiarum rectores, vitam ducere *diſſolutam, ut cum ad vitæ finem pervenerint, non habeant in bonis, de quibus eccleſiarum ſuarum defectus, tam in ornamentis quam in domibus, valeant reparari, vel creditoribus ſuis de eo ſatisfacere quod ſibi debetur. Quapropter, laudabilem noſtræ diœceſis conſuetudinem approbantes: ſtatuimus, ut quilibet beneficiatus noſtræ diœceſis, ſi die Dominica Quadrageſimæ, quacumque hora, vel poſtea deceſſerit, fructus beneficii ſui ſubſequentis autumni liberam legandi habeat poteſtatem: fœno, prato, paſtura, & cicera de dominico eccleſiæ duntaxat exceptis, quæ cum ad annum ſequentem pertineant, ipſi futuro rectori ſtatuimus reſervari.

* *ſcr. adeo* diſſolutam

Et quoniam non eſt ferendus is, qui lucrum amplectitur, onus autem annexum contemnit; ſtatuimus, ut de domibus prædictis defectibus, ac etiam eccleſiæ omnibus ordinariis, uſque ad mediam Quadrageſimam ſequentem, executores ſatisfaciant ad plenum.

Item ſtatuimus de quolibet qui fructus percepit autumnales, quandocumque ante tempus prædictum decedat, uſque ad illud, ad omnia onera teneatur.

Si vero prædicto die Dominica, vel poſt, quis inteſtatus decedat: omnia bona teſtatoris, & fructus ſequentis autumni, in ſolutionem debitorum defuncti prædictorum, & defectuum ſupletionem, ac in alios pios uſus, juxta noſtræ diſcretionis arbitrium convertantur, ita quod circa ſuppletionem defectuum, per quantum tempus illud beneficium tenuerit, ratio habeatur.

Idem fiat, ſi ante prædictum tempus quemquam contigerit decedere inteſtatum, ut in utroque caſu teſtamenti & executorium faciamus ſuppleri defectum.

Ab iſto ſtatuto, parochialium vicarios eccleſiarum dumtaxat excipimus. Nam cum ipſius virtute ſacramenti præſtiti, perſonalem reſidentiam facere teneantur: congruum eſt, immo verius neceſſarium, ut fructus & obventiones vicariæ ſuæ, protinus & cum integritate percipiant, de quibus valeant ſuſtentari. Idcirco de bonis defuncti vicarii, quæ habuit tempore mortis, & debita ſua ſolvi præcipimus, & prædictos defectus ſuppleri, ratione temporis conſiderata.

Præterea ſtatuimus, quocunque tempore anni quis decedat, fructus terrarum quas ſeminavit ſuperſtes, ſibi cadant, & in ſuos uſus integre convertantur: hoc excepto, ut ſi decedat ante terminum ſupra prædictum, ſumptus quos defunctus impendit in terris excolendis & ſeminandis, ipſius executoribus allocentur. Succeſſor vero, ſi quem capellanum ſtipendiarium invenerit, ante terminum prænotatum, ſive poſt ipſum, ſi idoneus fuerit, uſque ad feſtum S. Michaelis proximo ſequentis, nullatenus amovere præſumat: ſed ſub eiſdem conditionibus ipſum retineat, quibus idem capellanus convenerat cum defuncto.

Ne igitur eccleſiarum vacantium terras jacere contingat incultas: ſtatuimus, ut per locorum decanos fideliter excolantur, ita quod iidem decani a futuris executoribus ſumptus percipiant competentes, quos loci ordinarius moderetur, ſi aliter inter ſe convenire noluerint.

### LII. *De mortuariis.*

Mortuariorum præſtationem ex eo intelleximus ſalubriter ſumpſiſſe initium, quod decimis majoribus & minoribus, ac ceteris juribus parochialibus per ignorantiam non ſolutis, læſis eccleſiis præſtarentur, ut talis oblivio procedens ex incuria non ſolventis, poſſet ſaltem, per hoc, apud diſtrictum judicem excuſari. Et quanquam iſta proviſio eſſet aliqualiter fructuoſa omnibus Chriſtianis: quidam tamen, vel cauſam hujuſmodi præſtationis ignorantes, vel quod deterius eſt, de ſalute propria non curantes, ipſam mirabiliter ſubtraxerint, ſuam miſeriam in poſteros tranſmittentes; qua ſe nituntur modernis temporibus excuſare, quod nec ipſi, nec majores eorum, hanc præſtationem ullo tempore agnoverint. O excuſatio miſera & infelix, quæ dum ſit in peccatis, ſuos ducit ad interitum excuſantes. Unde ſunt & alii, qui animæ ſuæ ſalutis provide conſulentes, velut devoti eccleſiæ filii, præſtationem ipſam agnoſcunt, ſicut majores eorum hactenus cognoverunt: ſicque contingit, in una parochia ſolvi ſecundum melius averium pro defunctis; & in alia, penitus denegari.

Ut igitur a palea triticum ſeparemus; ſtatuendo præcipimus, ut in parochia, in qua talis ſolutio fieri conſuevit, nullus ab ea ſe valeat excuſare; ſed in eadem fiat præſtatio uniformis, cum eadem non debeat diverſo jure cenſeri.

Parochianos aliarum parochiarum monemus & hortamur in Domino: ut ſpiritum aſſumentes conſilii ſanioris, tam ſalubrem præſtationem agnoſcant de cetero, & de ea ſatisfacere ſtudeant ſicut ceteri in futurum. Videntur namque rabie nefanda moveri, qui male detentis Deo & eccleſiæ ſatisfacere tunc non curant, quando quod debetur ſibi nequeunt amplius retinere: ſed ipſius ſubibunt judicium, cui in hac parte injuriam intulerunt.

In parochiis vero, in quibus ſecundum melius averium dari hactenus conſuevit, illud legandi, donandi, aſſignandive in alios uſus, decedentibus omnibus interdicimus facultatem. In executores, ſeu alios quoſcumque detentores, niſi legitime moniti ſatisfecerint Deo & eccleſiæ de eodem, excommunicationis ſententiam præcipimus promulgari.

Item præcipimus, ſi ſint aliqui, qui ſecundum melius averium, falſo & nequiter aſſerunt ſuum, vel partem ipſius, ut per hoc eccleſiam ſuo jure valeant defraudare: quorum aſſertioni nullatenus eſt credendum, niſi prius de ſuo titulo fecerint plenam fidem.

Et quia aliquando accidit, quod in bonis defuncti plura animalia inveniuntur, in quibus aliqui aſſerunt ſe habere partes, ſicque nullum eorum in totum eſt defuncti: ſtatuimus quod quanquam verum fuerit quod affirmant; ſi tamen defuncti partibus computatis, partes collectæ ad ſecundum melius ſe extendant, illud eccleſiæ liberetur: partiariis



riis uni vel pluribus, pro partibus ſuis ab executoribus defuncti primitus ſatisfactum.

Et quoniam quidam in diverſis parochiis diverſa domicilia poſſidentes, in eiſdem, pro ſuæ voluntatis libito, æqualiter commorantur: ſi in alterutra illarum parochiarum in fata decedant, dubitatur an illi infra cujus limites deceſſerint, integraliter, vel alteri eccleſiæ, pro indiviſo, mortuarium ipſius defuncti ſit præſtandum: dubitationem hujus præſentis ſynodi authoritate enodantes, declaramus; quod illa eccleſia, ubi deceſſit, & viaticum recepit, mortuarium ſibi debitum integraliter percipiat. Quod ſi talis dominus in aliena parochia, ubi nullam terram poſſedit, decedat: tunc illi eccleſiæ ubi larem fovet tempore mortis, hujuſmodi mortuarium ſit integre præſtandum.

Cum autem tanta laboraverint paupertate, ut ſoluto eccleſiæ quod exigitur, æquivalens apud ſuperſtites nihil remaneat: præcipimus, quod cum de hoc conſtiterit, nihil eo nomine exigatur, niſi quod relictum eccleſiæ ſpecialiter invenitur.

### LIII. *De decimis.*

O Mira & ineffabilis caritas veſtri quilibet *, in ſignum univerſale dominii, velut ille cujus eſt terra & plenitudo ejus, &c. decimas & primitias ſibi reddi præcepit, non ſibi ſed ſacerdotibus profuturas; ut illis ſint cibus, qui in domo ſua ſibi miniſtrant, juxta illud Malachiæ prophetæ: *Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea.* Item tamen omnium Dominus, fructuum cunctorum largitor, pro decima quam recipere dignatus eſt, ipſam plene ſolventes quadruplici largitione remunerat, beneficio fructuum, ſanitate corporis, indulgentia peccatorum, & regni cœleſtis gratia præmiorum. Nemo igitur pro avaritia, tot amittat beneficia, ſed quilibet decimas placabiles Deo exolvat: ut ſint cibus illis quibus ipſe pro ſuo cultu eas conceſſit, ne maledictionem incurrant, quam Dominus per os Prophetæ protulit in non ſolventes.

* *Corr.* *cuilibet*

*Malach. 3.*

Quapropter eccleſiarum diſpendiis & animarum periculis occurrere cupientes; univerſis parochianis noſtris, ſub Divini teſtatione judicii præcipimus, ut de omnibus fructibus totiens quotiens renovantur in anno, ſeu in annis, eccleſiis parochialibus perſolvere decimas integre non omittant, ſumptuum expenſis nequaquam deductis.

Et quia decimæ debentur de omnibus quæ licite adquiruntur: præcipimus, quod nedum de ſegetibus decimæ perſolventur, verum etiam pomis preſſoribus, arboribus, herbis hortorum, apibus, jumentis, animalibus, lana, lino, canabo, melle, columbariis, caſeo, butyro, piſcationibus, pannagiis, ſilvis cæduis, ruſcis, fœno, herba, prato vendito, paſtura vendita extraneis parochianis, niſi de animalibus ibidem paſcentibus, decima perſolvatur: locatione boum facta extra parochiam locatoris, furnis, venatione, molendinis, granariis, abſque ſumptuum deductione. Sed & de fullonariis, velut de negotiationis lucro, decimam ſolvi præcipimus; argentariis, metallariis, lapidicinis; de negotiationibus, artificiis, & de inſtauro eccleſiæ, contraria conſuetudine non obſtante.

Quia vero aliqui, ut audivimus, etiam jure ſuo aſſerunt, partem prati pro decima fœni, eccleſiæ fuiſſe antiquitus aſſignatam: niſi hoc probaverint evidenter, ipſos in ſua aſſertione decrevimus nullatenus audiendos.

Inſuper, quod in quibuſdam locis conſuetudo peſſima inolevit, ſcilicet, quod quidam laici integre ſolvere decimas contradicunt, niſi prius ſibi vel ſuis a rectoribus eccleſiarum convivia præparentur, chirothecæ, ſeu quicquam aliud: quaſi pro cuſtodia decimæ ſuis debeantur ſervientibus. Nos vero hanc conſuetudinem velut corruptelam, ac a jure contrariam decrevimus extirpandam: inhibentes, ſub pœna excommunicationis, ne tale quid exigatur amplius ſeu præſtetur: ſed eccleſiarum rectores, ſuos parochianos per eccleſiaſticam compellant cenſuram ad præſtationem debitam decimarum, prædicta conſuetudine, vel aliqua conſimili, non obſtante.

Ad hoc, quia propter appulſiones pecorum ad diverſarum parochiarum paſturas, plures & quaſi inextricabiles quæſtiones inter eccleſiarum rectores ſæpius oriuntur: nos, qui in lenitate pacis quieſcimus, dum ſubditos pati perſpicimus, pariter inquieti; ſic ſtatuimus, quod ſi oves a tempore tonſionis uſque ad feſtum S. Martini, in parochia una depaſcantur & cubent: tunc de decima lanæ, caſei, & butyri, eccleſiæ illius parochiæ perſolvatur plene pro eodem tempore, quanquam poſtea amoveantur, & alibi tondeantur. Vulgariter enim dicitur, quod ante feſtum ſupradictum tantum crevit lana, quantum creſcit anno eodem.

Et ne rector de decima per amotionem ovium defraudetur: præcipimus, quod priuſquam oves amoveantur a paſcuis, rectori ſufficienter caveatur de ſolvendo dictam decimam lanæ, cum tempus venerit tonſionis. Si vero oves a feſto S. Martini, uſque ad feſtum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, in una parochia commorentur: decima agnorum illi eccleſiæ perſolvatur: ſalva decima lanæ, alteri rectori, a cujus parochia amotæ fuerint, forma qua diximus. Quod ſi a tempore tonſionis uſque ad feſtum S. Martini, ad paſcua diverſa transferentur: quælibet eccleſia, pro rata temporis decimam percipiat earundem: ita quod, ſi in una parochia cubent, & paſcantur ibidem per xx. dies vel citra, morentur, & non amplius, tam breve tempus dividatur.

Pullorum vero, equorum, vitulorum, & hœdorum, habita ratione ad loca diverſa ubi gignuntur, eduntur, & nutriuntur, & ad moram quam contraxerunt in eiſdem, inter rectores decima partiatur. Cum quis vero poſt feſtum S. Martini oves occiderit, vel alio fortuito caſu moriantur: de decima vellerum eccleſiæ ſatisfiat. Si autem oves extraneæ in alicujus parochia tondeantur: idem rector decimam lanæ conſervet, donec ſibi conſtiterit alibi fuiſſe pro decima ſatisfactum.

Et quia inter rectores eccleſiarum & ſuos parochianos, contentiones ſæpe oriuntur, eo quod nonnunquam in dubium revocatur, quid & quantum dari debeat pro decima, quando propter vaccarum vel ovium paucitatem caſeus inde fieri non ſufficit, & ſimiliter propter modicitatem vitulorum, agnorum, hœdorum, pullorum, porcellorum, aucarum, vellerum, certa decima dari non poteſt, cum decem capita minime inveniantur; nos certam regulam ſuper his tradere cupientes, cum hoc locorum conſuetudini relinquere, potius eſſet litium augere materiam, quam auferre conſuetudinem per negotiationem in dubium revocatam: ſtatuimus, quod pro quolibet agno, hœdo, & porcello, infra numerum ſeptenarium, detur pro decima, unus quadrans. Si vero fuerint ſeptem, pro decima detur unus, & in ſequenti anno, quod defecit de denario numero, in ſolutione decimæ allocetur, vel pro quolibet vitulo infra

præ-

ANNO CHRISTI 1287.

prædictum numerum detur obulus. Si vero tot fuerint, pro decima detur unus, & ſicut in caſu priori fiat allocatio. Pro pullo vero detur denarium. Si vero fuerint ſeptem aucæ, pro decima detur una. Alioquin uſque in annum ſequentem decimæ ſolutio differatur. Item pro lacte cujuslibet vaccæ, caſeo deficiente, detur denarium. Item pro lacte ovis matricis, quadrans: pro lacte capræ, obulus.

Ad hæc, quia intelleximus, quod quidam molendina habentes in minutis particulis, quaſi granorum pugillis; & totiens quaſi ſingulis diebus, decimas de molendinis exſolverent: unde evenit, quod graviter in hoc eccleſia læditur, eo quod non patiuntur, rectores ibi habere ciſtas ad ſuas decimas colligendas. Nos ſane conſiderantes, particularem ſolutionem & exactionem non minima habere incommoda: ſtatuimus, quod in Kalendis cujuslibet menſis, de decima molendinorum de cetero ſatisfiat; vel ſaltem, quod rectores habere ciſtas inibi permittantur, in quas decima reponatur, quam, cum ipſis placuerit, libere valeant aſportare.

Item quia quidam lac purum pro decima lactis, quod conſuevit in caſeo decimari, ſicut hactenus eſt obſervatum in noſtra diœceſi, de conſuetudine approbata, ad eccleſiam deferunt malitioſe; & quod ſcelerius[a] eſt, non invenientes ibi qui illud recipiat, in contumeliam Dei & eccleſiæ coram altari projiciunt. Quidam vero non ſinunt rectores, decimas libere colligere & aſportare, ſed equos & boves ſuos, & ſubjugatos capiunt, & imparcant, & decimas ipſas depaſcunt propriis animalibus, & alienis. Quidam decimas ſuas ſubtrahunt fraudulenter, vel in odium rectorum deteriorant ſcienter. Quidam magnates, nedum rectores in decimis percipiendis, ſed jam receptis, fraudare conantes, nonnunquam ſuos tenentes, plerunque alienos, & per minas impediunt & terrores, modo clam, modo palam, ne a rectoribus decimas ſuas audeant comparare: ut per hoc rectores, emptores minime invenientes, ipſis magnatibus duntaxat pro vili pretio decimas ſuas vendere compellant, aut alias damnificentur. Alii ſequeſtrationem, etiam archidiaconorum, in decimis interpoſitam infringere non formidant. Alii etiam beneficiis eccleſiaſticis, abſque inſtitutione, per ſæcularem potentiam ſe intrudentes, vel procurantes intrudi, decimas non ſuas violenter aſportant, ſeu faciunt aſportari. Nos, omnes hujuſmodi moleſtatores, complices, & fautores eorum, authoritate Domini patris omnipotentis, & beati Petri principis apoſtolorum, patroni noſtri, approbatione præſentis ſynodi ſacroſanctæ, excommunicamus: donec pro commiſſis ſatisfactionem præſtiterint competentem. Dictos intruſores (qui quod per judicis officium petere debebant, invadere præſumpſerint) præter dictam excommunicationis ſententiam, quam ipſos incurrere volumus ipſo facto, pœnis in ſacris canonibus, & præcipue in concilio Othoboni, quondam legati in Anglia, contra tranſgreſſores editis & ſtatutis, decrevimus ſubjacere.

[a] f. ſcelera-tius.

### LIV. *De oblationibus.*

QUoniam oblationes fidelium, non ſolum a conſtitutionibus ſanctorum Patrum, ſed a lege Divina ſumpſere originem, ad quarum præſtationem parochianus quilibet obligatur: ſtatuimus, quod omnis adultus, videlicet quatuordecim annorum, quater in anno, in die natalis Domini, Paſchæ, feſti ſancti loci, & feſti dedicationis eccleſiæ ſuæ parochiæ, vel feſti Omnium Sanctorum, ſi talis alicubi vigeat conſuetudo, eccleſiam ſuam parochialem ſuis oblationibus veneretur: niſi fuerit parochianus alicujus capellæ, a matrice eccleſia dependentis; cui capellæ a ſuis parochianis ſimilem ſtatuimus impendi honorem. Statuimus inſuper, quod obventiones & oblationes, quas fieri contigerit in capellis, ubi matrix eccleſia religioſis eſt appropriata perſonis, non ipſis religioſis cedant, ſed vicariis duntaxat inibi canonice conſtitutis.

Quia vero eccleſia Exonii mater eſt omnium eccleſiarum diœceſis, omnibus parochianis noſtris, per presbyteros parochiales ſolicite præcipimus ſuaderi: ut in ſignum debitæ ſubjectionis, oblationes ſuas Pentecoſtales ad eccleſiam antedictam deferant; vel ſaltem per ſuos presbyteros parochiales tranſmittant.[a] Ut autem ad ipſorum corda cautius & facilius inducantur, ipſis parochianis presbyteris, ut indulgentias benefactoribus eccleſiæ conceſſas, per tres dies ante feſtum Pentecoſtes proximos & ſolennes, ſuis parochianis exponant; oblationes, quas fieri contigerit, recipiant, & ipſas ſecum deferant ad locum ubi proceſſiones Pentecoſtales conveniunt, una cum propriis oblationibus ad quas ex more tenentur, collectori, fide ad hæc data, integre reſtituturi.

[a] Forte, ut autem ad hæc ipſorum corda. Hard.

De ſtatu & regularibus obſervantiis religioſorum ad præſens aliquid decernere, ſeu definire, nobis videtur ſupervacaneum, & onoroſum potius, quam fructuoſum. Per regulas etenim quas profitentur, inſuper ſanctorum Patrum decreta, concilii domini Othoboni quondam legati in Anglia conſtituta provincialia, & correctiones quas facimus circa perſonas eorum in viſitationibus noſtris, quaſi ſingulis annis: ſatis poterunt informari, qualiter in ordine ſuo & obſervantia regulari, quilibet debeat converſari.

Quæ autem in præſenti ſynodo ſunt ſalubriter inſtituta, ab omnibus ſubditis noſtris præcipimus obſervari inviolabiliter: nobis, vel officiali noſtro metropolitano, ſuper dubiis, ſi emerſerint,[a] reſervata.

[a] Deeſt, judicandi poteſtate, vel quid ſimile.

### LV. *De ſententiis excommunicationis.*

UT autem ſubditorum noſtrorum ſaluti cautius proſpiciamus, ne excommunicationum ſententias per ignorantiam incurrant, aliqualiter ipſo facto latas: excommunicationum ſententias, tam Oxonienſis[a] concilii per dominum Stephanum quondam Cantuariæ archiepiſcopum, quam in concilio Londonienſi[b] per dominum Othobonum, quondam legatum in Anglia; præſenti ſynodo duximus inſerendas.

[a] Ann. [illegible]

[b] Ann. [illegible]

In Oxonienſi concilio excommunicantur omnes illi, qui malitioſe eccleſias ſuo jure privare præſumunt; aut per malitiam libertates earundem infringere vel perturbare præſumunt, & ad uſus proprios retinere.

Item omnes illi, qui pacem & tranquillitatem domini regis & regni injurioſe perturbare præſumunt, & qui jura domini regis retinere contendunt.

Item omnes illi, qui ſcienter & prudenter falſum perhibent teſtimonium, vel perhibere procurant; vel etiam qui tales teſtes ſcienter producunt, vel ſubornant, in cauſa matrimoniali, ubi ſcilicet agitur de matrimonio, vel ubi agitur de alicujus exhæredatione.

Item advocati omnes, qui in cauſis matrimonialibus malitioſe exceptiones opponunt, vel opponi procurant, ne matrimonia verum & debitum ſortiantur effectum,[a] vel contra juſtitiam cauſæ diutius ſuſpendantur.

[a] Forte, vel ut. H.

Item



ANNO CHRISTI 1287.

Item omnes illi, qui gratia lucri, vel favoris, & odii, vel quacunque aliqua de cauſa, crimen imponunt alicui, cum infamatus non ſit apud bonos & graves, ut ſic purgatio ei indicatur, vel alias gravetur.

Item omnes illi, qui vacante eccleſia malitioſe opponunt vel opponi faciunt patronatus quæſtionem: ut ſic verum patronum illius eccleſiæ illa vice defraudent.

Item omnes illi, qui gratia lucri, odii, vel favoris, contemnunt exequi mandata domini regis contra excommunicatos, eccleſiæ mandata contemnentes.

In concilio Londonienſi excommunicantur omnes illi, qui aliquem ad eccleſiam, cœmeterium, vel clauſtrum, confugientem, inde abſtrahunt violenter; vel ei victum neceſſarium prohibent exhiberi; vel qui res alienas in locis prædictis depoſitas violenter aſportaverint, vel aſportari fecerint; aut abſtractionem, prohibitionem, vel aſportationem factam ſuo nomine, vel a familiaribus ſuis, ratam habuerint; aut abſtrahentibus, prohibentibus, vel aſportantibus, publice exhibuerint, vel occulte, auxilium, vel conſilium & conſenſum.

Item omnes illi, qui de domibus, maneriis, vel grangiis, vel aliis locis, ad archiepiſcopos, epiſcopos, vel alias perſonas eccleſiaſticas, vel ad ipſas eccleſias pertinentibus, præter dominorum voluntatem vel cuſtodum rerum earum, conſumere, vel auferre, aut tractare præſumant: nec, donec ſatisfecerint, abſolvantur.

Item omnes illi, qui pro impedimento pacis vel co.... tionem litigantium objiciendo, quicquam receperint, donec reſtituan: ſic receptum donatori.

Item excommunicati ſunt ab archiepiſcopo Angliæ, omnes illi qui veniunt aut faciunt contra novam chartam: quæ ſententia per ſedem apoſtolicam pluries confirmata eſt.

Has excommunicationum ſententias, ſic proinde vulgatas; necnon & noſtras quas ſupra crimínoſos tulimus & rebelles, prima Dominica in Adventu Domini, Dominica in Septuageſima, & Dominica proxima ante feſtum beati Petri ad vincula, intra Miſſarum ſolennia, cum major aderit cleri & populi multitudo, candelis accenſis, pulſatis campanis, in ſingulis eccleſiis parochialibus noſtræ diœceſis, per locorum presbyteros, & per decanum Chriſtianitatis Exonii, in prædicto feſto B. Petri cathedralis eccleſiæ Exonii, præcipimus ſolenniter publicari.

Ne autem per tempus elapſum, ſtatutorum depereat memoria, ſed recens omni tempore habeatur: præcipimus, quod in quodlibet archidiaconatu, in proximis capitulis ante feſtum S. Michaelis, & poſt Paſcha celebrandis, ſynodus ſingulis annis ſolenniter publicetur: eccleſiarum rectoribus & vicariis nihilo minus præcipientes, ut citra feſtum S. Michaelis, in eccleſiis ſuis, ſicut prædiximus, ipſam habeant ſcriptam; & tam ipſi quam ceteri ſacerdotes parochiales, totiens quotiens illam reſpiciant & revolvant, donec quaſi corde tenus eam intelligant, & ſciant pandendam laicis facilius exponere in vulgari: ut ea quæ de præſenti ſynodo, pro communi utilitate ſtatuimus, tam prælati; quam ſubditi, ſciant & valeant obſervare. Quibus ea obſervantibus ſalus ſit & vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro per infinita ſæcula ſæculorum.

Data Exonii XVI. Kal. Maii, feria quarta poſt Dominicam qua cantatur, Quaſi modo geniti, ſcilicet officium. Anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo, & conſecrationis noſtræ ſeptimo.

## SUMMULA

SEU

## MODUS EXIGENDI CONFESSIONES, pœnitentiaſque injungendi; ab eodem reverendo patre Petro epiſcopo Exonienſi, ſacerdotibus ſuæ diœceſis ad obſervandum impoſitus in ſynodo Exonienſi.

### OBSERVATIO COLLECTORIS ANGLICANI.

Summulam vocat in prooemio, altero poſt inceptivum §. & videtur eadem eſſe de qua cavit in 20. c. ſuæ ſynodi, his verbis: „Præcipimus quod quilibet, cui parochialis eccleſiæ regimen incumbit, quandam ſummulam plurimum utilem, immo verius neceſſariam, a diverſis tractatibus extractam ſub compendio, (quæ ſummula ſub eiſdem verbis incipit) quilibet, & præſentem ſynodum citra feſtum S. Michaelis habeant ſcriptam, & ipſam ſane intelligant, ac ea utantur ſub pœna unius marcæ, loci archidiacono applicandæ. Quod ſi archidiaconus remiſerit, &c. Vide ſynodum præcedentem, cui immediate ſubjungitur in MS. hæc ſummula, ſynodi pœnas denuo indicens.

ALtiſſimus de terra creavit medicinam. Eccleſ. 38. Iſte eſt altiſſimus de quo canit eccleſia, dicens: tu ſolus altiſſimus Jeſu Chriſte: & iſte eſt medicus, de quo in pſalmo dicitur: *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum, ſana me Domine*, &c. Et ſi aliqui vulnerati corporaliter, multum deſiderant habere medicum, ut dicit Origenes: anima quotiens,[a] totiens vulneratur. Et beatus Ambroſius dicit, quod nullus dolor major, quam hic qui mucrone peccati conſcientias vulnerat. Sed dicet aliquis: quomodo poterit hoc eſſe, quia ego non ſentio hujuſmodi vulnera? Ad hæc reſpondet Origenes, & dicit: „Quando volunt medici incidere aliquos, vel urere, dant eis bibere aliquid, quod potum facit eos profunde dormire, ita quod amentes fiant, & ſic non ſentiunt: ſic & amentes effecti propter cupiditates terrenas, quæ nos reddunt inſenſatos, ita quod non ſentimus quanta ſunt vulnera animæ. Et propter hæc quærendus eſt Chriſtus, qui eſt altiſſimus medicus: quia non eſt opus valentibus, ſed male ſe habentibus, medico. De iſto medico dicit Ambroſius: „Audite me terreni homines, inveni medicum qui habitat in cœlis, & in terris parat medicinam. Nihil poteſt ſanare vulnera mea, niſi ille qui..... ſentit. Chriſtus ergo medicus eſt altiſſimus, & dat dimiſſionem in contritione laxati. Nam medicinam, in confeſſione; diætam injungit, in obſervatione jejuniorum; balneum præcipit, in lacrymarum effuſione; phlebotomiam injungit, in paſſionis Chriſti recordatione. Sed quid eſt medicina? utique pœnitentia, de qua dicit Auguſtinus: Pœnitentia non ſolum præteritum vulnus curat jejunio, ſed animam ultra a peccato vulnerari non ſinit. Sed aliqui dicunt: Inveniemus miſericordiam, & in fine pœnitebimus: quia dicit Dominus, nolo mortem peccatoris. Contra dicit Auguſtinus: Sic nullus debet ſpe miſericordiæ in ſuis peccatis diutius remanere, ſicut nec debet ſibi vulnus procurare cauſa curationis futuræ: quia qui peccatori veniam promittit, diem craſtinum non promittit.

Psalm. 6.

[a] Deeſt, peccat.

Ex prædictis ergo patet, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus, trinus & unus, medicus eſt: quam Trinitatem offendit peccator per peccatum. Peccatum vero morbus eſt: pœnitentia eſt medicina, quæ per tres ſui partes, ſcilicet contritionem & confeſſionem & ſatisfactionem, mitigat iram Trinitatis, quam peccando offendit peccator.

Hæc

ANNO CHRISTI 1287.

A Hæc ergo ego Petrus Exonienſis intime conſiderans, & inſufficientiæ presbyterorum ſacrorum confeſſiones audientium compatiens, quorum ignorantiam, proh dolor! ſæpiſſime ſum expertus: præſentem ſummulam eiſdem aſſigno, ut eam ſciant ad utilitatem ſuam & confitentium. Cum autem ſatisfacere debeat delinquens, non ſecundum arbitrium proprium, ſed potius ad arbitrium ejus contra quem deliquit: miſericordius volens agere nobiſcum Dominus, ſacerdotem poſuit inter ſeipſum & nos, cujus in hoc arbitrium debemus ſequi. Quem quidem ad noſtram partem potius voluit declinare, tanquam infirmitate circumdatum: & propter hoc ſcientem compati iis qui ignorant, & ut iſte ſciat quid nobis injungere debeat. Nos inde omnia debemus confiteri, quia B noſtras non poteſt per ſe conſcientias intueri. Et quoniam ad tranſgreſſionem decem dictorum mandatorum, tota reduci poteſt criminum multitudo: dicta mandata ſcire tenentur pœnitentes, & pœnitentias injungens: & ſunt hæc.

Exod. 20.

*Non adorabis deos alienos*, &c.

Recurrat igitur pœnitens ad primum mandatum, & ſolicite videat in ſeipſo, ſi tranſgreſſus fuerit. An ſcilicet cultum ſoli Deo debitum, dæmoniis vel aliis creaturis exhibuerit; ſcilicet faciendo preſtigia, id eſt, recurrendo ad conjurationes, ſicut ſolet fieri pro furto, in gladio, in pelvi, & in nominibus ſcriptis & incluſis in luto, & impoſitis in aqua benedicta, & ſimilia: vel recurrendo ad auguria ſortiarii, vel ſi ſortiarios pro ta- C libus conſuluerit, & dæmonibus ſacrificaverit, id eſt, divinationes vel ſortilegium fecerit, ſicut faciunt quidam miſeri pro mulieribus quas amant fatue.

Deinde videat, ſi tranſgreſſus fuerit ſecundum mandatum. *Non aſſumes nomen Dei in vanum*. Ut, ſi forte aliquo modo vacillaverit in fide, vel titubaverit. Et debent doceri ſimplices (quia forte non poſſunt ſcire omnia quæ credi debent) quod habeant apud ſe ſtabile cor & fixum, ſcilicet quod credant ſicut credit eccleſia: vel ſi non fecerunt, & opera Chriſtiana faciant: quia ſecundum Auguſtinum, non ſufficit quod nomen Chriſti accepiſti, ſi opera Chriſtiana non feciſti. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Videat etiam ſi ...... nomen Dei in ſcriptis ſacroſanctis, vel tactis, ſi- D cut ſæpe fit. Aſſiſis, & ibi doceantur mala perjurii: vel ſi juraverit ſine cauſa, maxime nominando caput vel cetera membra Chriſti; & hæc ex conſuetudine, contra conſilium Salomonis, dicentis: *Jurationi non aſſueſcat os tuum*. Videat etiam ſi trangreſſus fuerit, quod fide data promiſit.

2. Cor. 6.

Eccli. 23.

Deinde videat ſi tranſgreſſus fuerit tertium mandatum, quod eſt, *Memento ut diem ſabbati ſerves*, non faciendo in ea opera ſervilia: ſcilicet diebus Dominicis & ſolemnitatibus Sanctorum: vel peccata, quæ maxime ſunt ſervilia. Tria vero præcedentia mandata, Deo debita ſunt: ſeptem ſequentia, ad proximum referuntur.

Quarto conſiderandum eſt, ſi tranſgreſſus fuerit quartum mandatum, quod eſt. *Honora patrem* E *tuum & matrem tuam*. Quod non ſolum de patre carnali, ſed de ſpirituali intelligendum eſt: ſive parentibus, hoc eſt de patre & matre, in ipſos manus injiciendo, ſive verbis probroſis, ſive operibus injurias eis erogando: vel forte ſi fuerint pauperes, ſi non ſubvenerit eis eleemoſynis, ſecundum poſſe ſuum rationabile, ut ſi ſint mortui & orationibus egeant, ſi non fecerit orare pro eis. Non tamen injungat ſacerdos Miſſas a ſe faciendas, vel a ſuo loco ... tale beneficium reddat ei.

Deinde conſiderandum eſt, quod ſi tranſgreſſus fuerit quintum mandatum, quod eſt, *Non occides*, &c.

A *Quæ ſequuntur, continent examen in ſequentia decalogi præcepta: deinde in ſeptem peccata capitalia; denique in circumſtantias. Quis, quid, ubi, &c. Quæ quia nihil habent, quod non reperiatur in familiaribus confeſſionis formulis, quæ omnium teruntur manibus: idcirco hic prætermittenda viſa ſunt.*

ANNO CHRISTI 1287.

Quia tamen quædam ſunt peccata, propter quæ debet ſimplex ſacerdos ad papam vel epiſcopum mittere pœnitentem: ea præſenti tractatui utique duximus inſerenda: ut auditis talibus mittat ſacerdos pœnitentem ad epiſcopum, vel ejus pœnitentiarium, ut [b] ipſo, audito pœnitente, diſcernat utrum ad epiſcopum abſolutio pertineat, vel ad papam debeat ipſum deſtinare. Sunt autem hi ad papam mittendi, ad abſolutionem ſuſcipiendam, B ſcilicet:

b Forte, ipſe M.

Percuſſores clericorum, vel religioſorum, ſive clericorum ſive laicorum, dum tamen ſunt in collegiis. Item incendiarii qui domos incendunt. Violatores eccleſiarum. Sortilegi, & dæmonibus immolantes: & etiam aliud quam Deum adorantes. Item communicantes ſcienter & prudenter cum excommunicatis a papa, & etiam ab epiſcopo. Item falſarii litterarum domini papæ, & etiam procurantes falſitatem ab alio fieri, & ſcienter & prudenter falſis litteris utentes. Item falſi teſtes. Item ſupponens partum, id eſt, faciens alienum partum, ſuum, ut alii exhæredentur. Item partum ſuum necans, vel per injuriam ſuffocans. Item tonſores monetæ. Item impedientes legem domi- C ni Papæ. Item proditor domini ſui, vel regni, vel alterius. Item ſectans hæreſes, id eſt, hæreticus, ſcilicet, qui fovet hæreticos. Item ſimoniacus, ſcilicet, qui emit vel dat aliquid, ut habeat aliquid ſpirituale; vel qui vendit ſpirituale, vel etiam qui procurat aliud dare, ut ipſe vel alius habeat aliquod ſpirituale, ſcilicet beneficium eccleſiaſticum, vel etiam ordines. Item raptores rerum ſacrarum. Item ſchiſmaticus, id eſt, recedens ab eccleſia Romana. Item invadentes poſſeſſionem eccleſiaſticam. Item adjutores Saracenorum in armis vel aliis prohibitis. Item uſurarius. Item judex qui facit ſtatuta contra libertatem eccleſiæ, vel qui favet talibus. Item qui ſuſpenſus, Divina celebravit. Item qui enormia contra naturam com- D mittunt circa luxuriam.

Et ſi forte non poſſit peccator induci, quod hujuſmodi epiſcopo vel ejus pœnitentiario [a] ..... adeat epiſcopum ſacerdos, & expoſito ei crimine, recipiat ab eo ſacerdos poteſtatem abſolvendi pœnitentem. Hi quidem, ſicut dictum eſt, mittendi ſunt ad epiſcopum, ut ipſe quos abſolvere poterit, abſolvat: quos vero abſolvere non poterit, ad papam mittat epiſcopus abſolvendos.

a f. confiteatur.

Conſideratis his interrogationibus, ſuppleat diſcretus ſacerdos ignorantiam pœnitentis, adhibita diſcretione prædicta in omnibus faciendis. Conſideret autem ſacerdos abſolvere volens pœnitentem, ſi pœnitens ſit Chriſtianus, & ſi fidem habeat. Quo invento doceat eum ſacerdos articu- E los fidei, quos ignorat. Deinde doceat eum quod habeat contritionem, & amaram corde, & diſcretam cum moderamine, ne ſit dolor irrationabilis, & perſeverantem cum propoſito ſe abſtinendi, & generalem, ſcilicet pro omnibus commiſſis, & hoc præcipue propter Deum. Deinde videat & moneat eum ſacerdos, quod habeat oris proprii confeſſionem veram & nudam, cum omnibus circumſtantiis, & integram, quod omnia detegat, & hæc omnia faciat propter Deum. Deinde moneat eum ſacerdos, quod voluntarie ſatisfaciat, occulte pro occultis, & manifeſte pro manifeſtis: & quod plenarie ſatisfaciat, moneat eum ſacerdos, ut ſci-



ANNO CHRISTI 1287.

licet ſatisfactio omnibus correſpondeat peccatis: A & hoc totum ſit propter Deum.

In mutationibus [b] antecedat ſacerdos, quod tria ſunt genera peccatorum. Quædam ſunt peccata ſpiritus: ut ſuperbia, ira, invidia, acedia. Quædam carnis: ut gula, luxuria. Quædam vero media: ut cupiditas, avaritia. Contra ſpiritus peccata, injungenda ſunt maxime oratio, humilitas, manſuetudo, & ſimilia. Contra gulam, & luxuriam, & cupiditatem, & avaritiam: injungenda ſunt flagella corporis, jejunia, diſciplinæ, & peregrinationes. Contra quidem media, injungenda ſunt largitas eleemoſynarum, & exercitium in operibus miſericordiæ. Contra peccata quidem carnis; injungenda ſunt flagella corporis, jejunia, diſciplinæ, & peregrinationes. Fuerunt ta- B men quidam, qui docuerunt pro omni peccato, hæc tria eſſe injungenda: ſcilicet orationem, eleemoſynam, & flagellum corporis, ſicut prædictum eſt, ſcilicet in jejuniis & eleemoſynis, & peregrinationibus. Quia, ſicut credebant, in omni actu peccatorum habet aliquid de ſuo ſuperbia vitæ, cujus medicina ſpiritualis eſt oratio: & hoc eſt forte genus dæmonii, quod non ejicitur ſine oratione & jejunio. Aliquid habet de ſuo concupiſcentia oculorum: contra eſt proprie eleemoſyna. Habet aliquid de ſuo concupiſcentia carnis: contra eſt flagellum corporis. Nec nos hæc reprobamus: dum tamen, ſecundum quod peccatum eſt magis ſpirituale, vel carnale, vel medium, magis injungat ſacerdos propriam medicinam. Et qui eleemoſynam C dare non poterit corporalem, det ſaltem ſpiritualem: ſcilicet compaſſionem, cum voluntate dandi corporalem, ſi ſubeſſet facultas. Doceat etiam ſacerdos pœnitentem quorumlibet ſpiritualium peccatorum remedia, ſecundum quod Dominus ei inſpiraverit ex authoritate ſcripturarum. Nos enim non decernimus iis ad præſens onerare præſentem tractatum. Et ſecundum omnes diverſitates horum, dicitur eſſe arbitraria pœnitentia,

b Forte, accedit. M.

Diligenter ſunt hæc obſervanda: conditio ſcilicet pœnitentis, hoc eſt, ſi ſervus vel liber: & etiam ſexus, id eſt, ſi eſt maſculus vel fœmina: & ſtatus, ut ſi eſt dives vel pauper, juvenis vel ſenex; & ordo, ut ſi eſt clericus, vel laicus. Si vero clericus, cujus ordinis ſit. Item complexio conſideranda eſt; D ſcilicet, ſi eſt ſanguineus, vel phlegmaticus, vel cholericus, vel melancholicus: & conſiſtentia quidem corporis, id eſt, ſi eſt æger vel ſanus, vel debilis vel potens. Quæ conſideret ſacerdos: & ſecundum hæc, qualitatem & quantitatem injungendorum ſacerdotis moderetur quidem diſcretio.

Circa ægrotos hæc obſervanda ſunt a ſacerdote, quod ſi laboret quis in extremis, vel alia ſit gravis ægritudo: non injungat ei ſacerdos pœnitentiam, quæ, ſi ſanus fuiſſet, fuerit ei injungenda. Quam ſi voluerint amici ejus pro ipſo ſuſcipere, [c] concedam: non tamen ipſis, niſi forſan languens hoc poſtulaverit, crimina languentis exponentur. Si convaluerit, veniat quidem ad eccleſiam, pœnitentiam ſuſcepturus, & abſolvat eum ſacerdos, E monens eum, quod animo prompto Divinæ ſe ſubjiciat voluntati, ſive in morte, ſive ſalute animæ ſuſcipienda ...... & de omnibus aliis moneat eum, quæ circa ſalutem decrevit eſſe facienda. Quid autem prodeſſe debeat, ſi deceſſerit, pœnitentia

c Forte, concedat. M.

A quam amici ejus ſuſcipiunt faciendam, Dei relinquatur clementiæ. Similiter in caſibus, in quibus mittendi ſunt ad epiſcopum pœnitentes, in articulo mortis a ſacerdote ſimplici abſolvantur. Injungatur tamen eis, quod ſi convaluerint, epiſcopum adeant, impleturi quod eis duxerit injungendum.

ANNO CHRISTI 1287.

Sunt autem articuli fidei, quos pœnitentem debet docere ſacerdos, ſecundum quod quidam annumerant, ſubſcripti. Quod Deus unus eſt in eſſentia, trinus in perſonis; ſcilicet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; ſine principio, ſine fine: omnia creans ex nihilo. Et quod filius Dei carnem ſumpſit ex Virgine: de ea natus, manente virgine: verus Deus & homo: Deus, quia idem filius B Dei; & homo, quia idem filius Virginis. Crucifixus eſt, mortuus & ſepultus: non tamen neceſſitate, ſed ſponte, ut nos redimeret. Quod idem Deus & homo a morte ſurrexit, carne glorificata poſt reſurrectionem: & quod nos omnes reſurgemus. Quod idem Deus & homo Jeſus Chriſtus aſcendit in cœlos in ſua humanitate, iterum venturus judicare mundum. Eſt autem neceſſaria fides ſacramentorum, & eorum effectus. Scilicet quod baptiſmus mundat ab originali peccato, & ab actuali, ut adultum: ſed neceſſaria eſt adulto contritio pro actuali. Quod confirmatio confirmat Spiritum ſanctum in homine baptizato. Quod vera pœnitentia, delet peccatum actuale, mortale, veniale. Quod in ſacramento altaris eſt verum corpus & verus C ſanguis Chriſti: verus Deus, & verus homo. Et quod idem ſacramentum confirmat pœnitentem ne recidivet, reconciliando & ſuſtinendo contra actuale peccatum. Quod ordines collati conferunt poteſtatem officiorum & ſacramentorum celebrandorum. Quod matrimonium legitime contractum, excludit mortale peccatum in opere generationis virorum & mulierum. Quod extrema unctio alienat a pœna corporali & ſpirituali.

Debet autem ſacerdos docere laicum, quod credat & ſciat ſymbolum, *Credo*, ſaltem in lingua materna. Et quod ſciat orationem Dominicam, ſcilicet *Pater noſter*: & ſalutationem beatæ Mariæ, ſcilicet *Ave Maria*. Moneat etiam ipſum, quod ſolicite cuſtodiat ne recidivet, & quod ſæpe rever- D tatur ad ipſum: ſaltem ter in anno, ſicut in conditionibus ſynodalibus continetur. Et ſi forte labatur in peccatum, ſtatim poſt lapſum redeat ad ſacerdotem, ut inſtructum pœnitentem ſic abſolvat, & in pace dimittat: melius tamen ſi ſciverit, & ſi ei Dominus melius inſpiraverit faciendum, faciat,

Hic tractatus habeatur in ſingulis, vel diverſis parochialibus, ſub pœna unius marcæ, loci archidiacono ſolvendæ; vel minus, vel plus, ſecundum facultatem ſacerdotis ignorantis. Quod arbitrio archidiaconi in periculo animæ ſuæ committimus: reſervando nobis poteſtatem puniendi archidiaconum, ſi negligens fuerit inventus, qui E ad minus ſolvat ad opera beati Petri Exonii, vel epiſcopo, duas marcas pro qualibet negligentia. Quod ſinguli ſacerdotes illum addiſcant, & ſciant: alioquin cum ſuper hoc requiſiti fuerint, cauſa [a], quaſi inſufficientes repellantur.

a f. beneficiorum cauſa.

# ** CONCILIUM REMENSE,

Nunc primum prodit ex apographo R. P. Jac. Sirmondi Societ. Jesu.

## Concilium provinciale eccleſiæ Remenſis celebratum circa annum Dom. MCCLXXXVII. a reverendo patre domino Petro Barbet.

UNiverſis præſentes litteras inſpecturis, Petrus miſeratione Divina Remenſis archiepiſcopus, Robertus Laudunenſis, Thomas Belvacenſis, Guido Noviomenſis, Guillelmus Ambianenſis, Galterus Silvanectenſis, Jacobus Morinenſis, & Michael Tornacenſis, ejuſdem permiſſione, epiſcopi ſuffraganei Remenſis provinciæ, ſalutem in Domino ſempiternam.

Ad fructificandum in eccleſia Domini, ' ager Dominicus nuncupatur, ſenſibus noſtris ineſſe debet illa ſolicitudo, ut quicumque'' diverſa negotia quæ nobis incumbunt ex officii debito, diverſimode diſtrahant mentes noſtras; ad illa tamen præcipue internæ conſiderationis oculos dirigamus, per quæ vitatur periculum animarum. Cum itaque inter nos, & viros religioſos fratres Prædicatores & Minores, occaſione cujuſdam conceſſionis, a felicis recordationis domino Martino papa quarto ſuper confeſſionibus audiendis & injungendis pœnitentiis ſibi factæ, gravis eſſet orta diſſenſionis materia, prout univerſitatem veſtram credimus non latere: pro eo videlicet quod iidem fratres dicunt & aſſerunt, ſe intelligere eo modo quod diſucide* obviant juri communi, conciliis, & conſtitutionibus Romanorum pontificum, & intentioni etiam concedentis: ex quibus aſſertionibus, præſumptionibus'', temerariiſque, quod dolentes referimus, multa ſcandala & animarum pericula in clero & populo ſunt exorta, cum periculo ſubditorum noſtrorum, quorum ſanguis in diſtricto examine de noſtris manibus requiretur: præſertim cum nos in ſuſcipiendo curam ipſorum noſtras obligaverimus animas pro eiſdem. Et licet plures contractus amicabiles cum fratribus habuerimus memoratis, per quos credebamus vitare ſcandala & pericula ſupradicta, & prædictos fratres amicabiliter inducere, ut reſipiſcerent ab inceptis, & quod ipſi non præſumerent pontificale officium uſurpare: ipſos tamen ad id allicere nequeuntes, neceſſe habuimus ſuper tam arduo & periculoſo negotio provinciale concilium convocare, Deo propitio in eodem negotio ſalubre remedium quæſituri. Et demum venerabilibus fratribus noſtris ſuffraganeis prædictis, procuratoribus capitulorum cathedralium, & aliarum collegiatarum eccleſiarum, abbatibus, prioribus conventualibus non exemptis, & aliis eccleſiarum prælatis præfatæ provinciæ, qui ad hoc vocati'' fuerunt; vocatis per nos & archiepiſcopum ſupradictum, Remis ad diem Lunæ in feſto B. Michaelis archangeli, ad jam dictum concilium: ipſiſque præſentibus in eodem concilio, deliberato ſtatuimus, & noſtrorum'' omnium, necnon procuratorum venerabilium fratrum noſtrorum Sueſſionenſis & Cameracenſis epiſcoporum, de quibus abſentia tunc conſtabat (qui quidem procuratores ad hoc habebant ſpeciale mandatum) multorum abbatum & prælatorum ejuſdem provinciæ, conſenſu, & etiam voluntate, prædictum negotium in curia Romana, uſque ad ipſius totalem expeditionem ſtatuimus proſequendum, & decernimus authoritate concilii memorati.

' Add. quæ

'' Corr. quantumcumque

* Forte, obviat. H.

'' Corr. præſumptuoſis

'' f. vocandi

'' Leg. noſtrû ...

Et quia cauſa ipſius proſecutionis neceſſe habemus expenſas facere, necnon circa ſupplicationes (contra abuſores litterarum apoſtolicarum, per quas tam clerici quam laici ejuſdem provinciæ graves jacturas & damna intolerabilia patiuntur, & alia negotia ſæpe dictæ provinciæ promovenda) ſummo pontifici faciendas: in eodem concilio, deliberatione provida ſtatuimus, quod nos prædictus Remenſis archiepiſcopus, & nonſquiſque epiſcopus ipſius ſuffraganeorum, vigeſimam redituum noſtrorum omnium anni præſentis ſolvere teneamur infra inſtans paſcha, pro eiſdem negotiis proſequendis. Et quia paterna dilectio, & devotio filialis, illam inſolubilem unionem inter ſe mutuo vendicant, quod Pater & filius, quicquid in hujus vel illius animo geritur, præcordialiter ſentiunt & affectant: nec aliter quam ad ſemetipſum, opportunis temporibus recurrit alter ad alterum, cum hoc caritas innuat, & debitum exigat honeſtatis: in eodem concilio ſimiliter duximus ordinandum, quod omnes abbates, priores, decani, capitula, parochialium eccleſiarum rectores, non exempti, Remenſis provinciæ, centeſimam redituum & proventuum ſuorum anni prædicti, infra prædictum terminum ſolvere teneantur, & apud illos deponere, quos in hac parte duxerimus ordinandos. Et nihilo minus quilibet epiſcopus in ſua diœceſi, exigendi, colligendi, & recipiendi dictam centeſimam a ſuis ſubditis, necnon compellendi eoſdem ad id authoritate concilii, ad ſolvendum videlicet prælibatam centeſimam, habeat poteſtatem. Illi vero qui centeſimam alias impoſitam in toto vel in parte hactenus non ſolverunt, ad ſolvendum eamdem, vel quod reſiduum fuerit, infra inſtans feſtum Purificationis Virginis glorioſæ, authoritate prædicti concilii compellantur. Et nihilo minus memorati epiſcopi, eos, poſtquam plane ſatisfecerint, poterunt abſolvere, qui pro defectu ſolutionis dictæ centeſimæ, excommunicationis ſententiam incurrerunt.

In quorum teſtimonium & munimen, ſigilla noſtra una cum ſigillis prædictorum Sueſſionenſis & Cameracenſis epiſcoporum, duximus præſentibus apponenda.

Nos autem Sueſſionenſis & Cameracenſis epiſcopi prædicti, præmiſſis omnibus, prout ſuperius continentur, benignum aſſenſum favorabiliter impertimus, & ea in noſtris diœceſibus, authore Domino, & quantum vires noſtræ poterunt ſuſtinere, promittimus nos facturos. Ad quorum evidentiam pleniorem, præſentes litteras, una cum ſigillis reverendiſſimorum patrum ſupradictorum, ſigillis noſtris fecimus ſigillari.

Datum & actum anno Dom. MCCXXCVII. in die feſto B. Remigii, in capite Octobris.

CON-



# CONCILIUM HERBIPOLENSE,

Sub præſidio Joannis legati ſedis apoſtolicæ, in præſentia Rudolphi imperatoris multorumque principum celebratum anno MCCLXXXVII.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *De honeſta vita.*
2. *De vitandis tabernis ac ludis.*
3. *De colloquio cum monialibus, vel de inordinato joco.*
4. *De haſtiludio clericorum.*
5. *De clericis concubinariis, vel manifeſtis cohabitatoribus.*
6. *De his qui beneficia per intruſionem accipiunt.*
7. *De bina celebratione Miſſarum.*
8. *De portatione corporis Chriſti.*
9. *De alienationibus rerum eccleſiaſticarum.*
10. *De habentibus duas vicarias.*
11. *De ætate clericorum promovendorum.*
12. *De præſentatione promoti.*
13. *De obſervatione interdicti.*
14. *De beneficiorum ſuſceptione de manu laicorum.*
15. *De benedictionibus & ſepulturis quæ fiunt per pactum.*
16. *De cura capellarum.*
17. *De vicariis in eccleſiis parochialibus monaſteriorum.*
18. *De habitu & converſatione monachorum.*
19. *De vita & habitu monialium.*
20. *De occupatoribus & invaſoribus rerum eccleſiaſticarum.*
21. *De laicis recipientibus beneficia eccleſiaſtica.*
22. *De advocatis eccleſiarum.*
23. *De uſurariis.*
24. *De læſionibus eccleſiaſticarum perſonarum.*
25. *De læſoribus nunciorum ſedis apoſtolicæ.*
26. *De uſurpantibus ſibi bona eccleſiarum vacantium.*
27. *De viſitatione per epiſcopos facienda, & de confirmatione.*
28. *De propugnaculis quæ fiunt in eccleſiis.*
29. *De debitis maritorum defunctorum.*
30. *De ſpoliatoribus ſtratarum.*
31. *De emptione ſeu venditione bonorum feudalium eccleſiæ.*
32. *De his qui capiunt bona eccleſiæ vel capituli propter debita ſingularis perſonæ.*
33. *De his qui invadunt bona eccleſiarum propter inimicitias advocatorum.*
34. *De apoſtolis reprobatis.*
35. *De laicis qui fabricæ eccleſiæ adminiſtrant.*
36. *De his qui prohibent ne quis coram eccleſiaſtico judice conqueratur.*
37. *De falſariis.*
38. *De obſervatione interdicti.*
39. *De conſervatoribus monaſteriorum.*
40. *De exigentibus nova paſſagia.*
41. *De obſervatione conſtitutorum.*
42. *De his quibus erat indultum quod excommunicari & interdici non deberent.*

## CONSTITUTIONES JOANNIS TUSCULANI epiſcopi, apoſtolicæ ſedis legati.

## PRÆFATIO.

*Joannes Divina miſeratione Tuſculanus epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, venerabilibus in Chriſto patribus univerſis, archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis ſibi in Chriſto clericis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpoſitis, archipreſbyteris, & aliis eccleſiarum prælatis, capitulis, conventibus, & collegiis, Ciſtercienſibus, Præmonſtratenſibus, Cluniacenſibus, ſancti Benedicti, ſancti Auguſtini, Carthuſienſibus, Grandimontenſibus, & aliorum ordinum, necnon prioribus hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolymitanarum domorum, militiæ templi beatæ Mariæ Teutonicorum, ceteriſque perſonis eccleſiaſticis regularibus & ſæcularibus, exemptis & non exemptis, & per partes Alamaniæ, Bohemiæ, Daciæ, & Sveciæ regna, necnon Moraviæ, * Marthiani, Poloniæ, Pomeraniæ, Pruſſiæ, Caſſubiæ, & Livoniæ ac Ruſſiæ ducatus conſtitutis, in perpetuum.*

* Vox mendoſa, vel ignota. H.

DEus deorum Dominus rite ac æquo moderamine cuncta præordinans, ab æterno ingentes legis voluit eſſe conditores, ut ſe homines eſſe cognoſcerent, & proprium ſub legis limitibus arbitrium limitarent: in ceteriſque propulſatis, in ſilentiis roboraretur, juſtitia vigeret, æquitas & candor magis eniteſcerent honeſtatis. Hæc tria, quaſi conformia, & ſtatus proſperitatem aſſerentia poſſeſſoris, promptis affectanda ſunt deſideriis, ſummis exequenda vigiliis, & ſolicitis ſtudiis acquirenda. Hæc apta ſunt & neceſſaria protinus ſingulis, maxime perſonis ſublimibus, dignitate præcellentibus, ac in ſacris officiis conſtitutis. Hæc ſicut affectu nobis anxio appetimus, ſic & ea ſubditis noſtris libentiſſime propinamus, ut per æquitatis, juſtitiæ, honeſtatis ſuæ tramites incedentes, adſit eis felicis ſtatus tranquillitas & plena jucunditas libertatis. Ut igitur de commiſſo nobis per ſacroſanctam matrem Romanam eccleſiam in partibus noſtris plenæ legationis officio, & continuis noſtris laboribus, quos libenter perferimus, & ſubditis noſtris quietem pacis, & ſtatus commoda propinemus, fructuſque percipiant optatos, pro ſalubri ſtatu cleri, partium, regnorum, & ducatuum prædictorum, in ſacro Herbipolenſi concilio, aſſidentibus nobis venerabilibus patribus, Moguntinenſi, Colonienſi, Saltzburgenſi, & Viennenſi, archiepiſcopis, & nonnullis eorum ſuffraganeis, & de ipſorum ac abbatum & prælatorum præſentium* quaſdam conſtitutiones edidimus per eos in poſterum inviolabiliter obſervandas, quæ a jure ſuadentur, æquitati deſerviunt, & continent honeſtatem: mandantes auctoritate qua fungimur, ut in qualibet, etiam cathedrali, conventuali, ſeu etiam collegiata, ſub noſtro ſigillo penitus habeantur annuatim, prout in conſtitutione noſtra contra uſurarios actus inferius annotata expreſſe legitur, publicandæ. Vos itaque has conſtitutiones devote ſuſcipite, & eas tanquam amatores juſtitiæ inviolabiliter obſervate.

Locus corruptus.

* deeſt forte, conſilio.

## CAPITULA.

### I. *De honeſta vita.*

In nomine Domini, Amen. Ut Chriſti militia laudibus deputata Divinis, vita, geſtu, moribus, & habitu, a malitia ſecernatur humana: cunctos archiepiſcopos, epiſcopos, clericos, abbates, ceteroſque inferiores eccleſiarum prælatos, & perſonas in dignitate ſacri ſacerdotii conſtitutas, quarum



cura

curanobis committitur, auctoritate hortamur in Domino, & paterna ſuadela monemus, ut pie, caſte, munde, ac in ſplendore* vitæ vivere ſtudeant, gravitate qua convenit, tam in habitu, quam in moribus incedentes: & ut dignitate præcellunt, ſic & vitæ præfulgeant honeſtate: præſenti conſtitutione ſtatuimus in poſterum valitura, ut archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, in domibus eorum, clauſa, & non nimia longitudine vel brevitate, munda habeant indumenta.

* Bin. Manuſcr. vit. haberi forte legendum virtutum.

*II. De vitandis tabernis ac ludis.*

Uſus tabernarum, præterquam in itinere conſtitutis, & ludos taxillorum, omnibus clericis & perſonis eccleſiaſticis, præſertim in prælaturis & ſacris ordinibus conſtitutis, omnino prohibemus: & qui contra fecerint, in publico, vel alibi laicis præſentibus, arbitrio ordinarii puniantur.

*III. De colloquio cum monialibus, vel de inordinato joco.*

Abuſum quoque ac ſuſpicionem contagii a perſonis eccleſiaſticis, maxime in dignitatibus & ſacris ordinibus conſtitutis, paterna diligentia præcidere diligentes: perſonis hujuſmodi frequentationem clauſtrorum, ſeu monaſteriorum monialium, ac inhoneſtam collocutionem, & ludum noxium cum ipſis monialibus in cameris, vel publice, in hac edictali conſtitutione de cetero prohibemus: & qui contra fecerit, pœna" communionis puniatur per ordinarium.

" *f.* excommunicationis.

*IV. De haſtiludio clericorum.*

Haſtiludia & torneamenta, clerici qui ſunt in dignitatibus, perſonatibus, ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, hoc edicto perpetuo ſibi noverint interdicta: ita quod nulla perſona eccleſiaſtica in dignitate ſeu perſonatu, & in ſacris ordinibus conſtituta, cum armis vel ſine armis ipſa exerceat. Et ſi contra fecerit, anathematis vinculum eo ipſo incurrat. Abſolutionem tum "eorum epiſcopo metropolitano, ac aliis epiſcopis reſervamus.

" *f.* tamen eor.

*V. De clericis concubinariis, vel manifeſtis cohabitatoribus.*

Concubinarios clericos, qui retinendo publice concubinas, & famam negligunt, & reverentiam maculant clericalem, more pii patris, non perſonas, ſed perſonarum vitium deteſtantes, eorum ſaluti præſentis conſtitutionis tenore ſic duximus providendum. Et quod ſi publice retinere præſumpſerint concubinas, vel novas focarias acquirere earum loco, ſint ipſo facto beneficiis privati: quæ illi, ad quos collatio pertinet, conferre aliis perſonis idoneis teneantur.

*VI. De his qui beneficia per intruſionem arripiunt.*

Damnandæ ambitionis improbitas ſic aliquorum animos occupat, quod in illam eos temeritatem impellit, ut quod prohibente jure nequeunt, præſumant per intruſionem arripere, ac præſumpta violenter retinere. Volentes igitur competens huic morbo remedium adhibere, hoc edicto perpetuo conſultiſſime prohibemus, quod nullus clericulus eccleſiam vel præbendam aliquam, vel beneficium eccleſiaſticum, aut proventus ipſorum, quæ ad eum de jure non pertinent, in alterius præjudicium recipere ac retinere præſumat. Qui contra fecerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat: nec poſſit ſibi de abſolutionis beneficio providere, niſi illi, cui ſuper eccleſia ſeu beneficio & fructibus eorum hujuſmodi injuriam fecit, ſatisfaciat competenter. Et nihilo minus ſi per menſem in occupatione, intruſione, ſeu violentia hujuſmodi, animo ſteterit indurato, beneficiis, ſi qua habet in eccleſiis, ipſo facto ſit privatus; & ſit extunc inhabilis ad dignitatem aliquam, ſeu eccleſiam obtinendam. Et, ſi laicus fuerit, ſententiam excommunicationis incurrat.

*VII. De bina celebratione Miſſarum.*

Ad noſtrum pervenit auditum, quod nonnulli presbyteri, ignari quanti terroris exiſtat illicite tractare Divina, quæ ſicut gloriam digne ſumpta, ſic & indigne præſumpta pœnam promittunt æternam, in eadem eccleſia nulla neceſſitate urgente, ſed ad ſolum quæſtum, Miſſam celebrant bis in die. Quod deteſtantes omnino, ſub atteſtatione tremendi judicii, in quo ab eis, ſi contra fecerint, requiratur, hac edictali conſtitutione ſingulis presbyteris inhibemus, ut niſi unam Miſſam, aut duas in caſibus a jure conceſſis, in die cantare aut legere cum ſacrificii celebratione præſumant, & ſi ſecus fecerint, ordinarii arbitrio acriter puniantur.

*VIII. De portatione corporis Chriſti.*

Sanctiſſimum corpus Chriſti, cujus dignæ venerationi fragilitas humana non ſufficit, cum ad infirmos, vel ad mulieres vicinas





nas partui, extra corpus eccleſiæ deportatur, veneratione ſolita mandamus venerari: videlicet, ut presbyter indutus ſuperpelliceo cum ſtola circa collum portet; niſi loci diſtantia, & temporis qualitas ſecus expoſcat; clericus vero præcedens cum campanella & lumine, tintinnando; & obviantes, donec ſacerdos tranſeat, genuflectant, & dicant devote ter ad minus orationem Dominicam cum ſalutatione B. Virginis glorioſæ. Nos enim tam ſacerdoti quam clerico deportantibus, & ſingulis vere pœnitentibus & confeſſis genuflectentibus, dummodo, ut dictum eſt, genuflectant, & orationem Dominicam cum ſalutatione beatæ Virginis dicant, decem dies pro vitæ qualitate de injuncta ſibi pœnitentia, auctoritate qua fungimur, relaxamus. Presbyter vero, qui aliter, tum occulte ipſum portare præſumpſerit, ordinarii arbitrio puniatur.

*IX. De alienationibus rerum eccleſiaſticarum.*

Licet alienationes rerum eccleſiaſticarum, maxime poſſeſſionum, librorum & vaſorum, quæ Divinis cultibus ſunt deputata, ſacri prohibeant canones: quia tamen, ut noſtris inſonuit auribus, nonnulli prælati tam ſæculares quam religioſi, ſicut abbates & abbatiſſæ, & priores monaſteriorum quæ ſunt per priores ſolita gubernari, & alii eccleſiarum rectores, novo alienationis quæſito colore, bona eccleſiarum, quarum gubernatores exiſtunt, fingentes ſe pro utilitatibus eccleſiarum ſuarum maximis debitis obligatos, conſanguineis eorum, ſeu perſonis extraneis, bona alienant hujuſmodi ad vitam, vel obligant poſſidenda. & per hoc, ipſis qui obligantur deficientibus, ſucceſſores eorum, aut propter potentiam detinentium, aut eccleſiarum inopiam, non audent ea redimere, vel non poſſunt, & ſic paſtorum nequitia eccleſiæ propriis bonis defraudantur: nos indemnitati eccleſiarum providere volentes, ac alienationes hujuſmodi edicto perpetuo prohibentes, omnino * alienantes in fraudem ſine ſuperiorum aſſenſu, & aliter quam in caſibus a jure permiſſis, bona eccleſiarum, quarum curam gerunt, pœna canonis puniantur.

*X. De habentibus duas vicarias.*

Presbyteris duas communicaturas recipere prohibemus omnino, cum impoſſibile ſit quod ſufficienter " poſſit eccleſiis ſervire duabus: & qui contra fecerit, prima vicaria ipſo facto, & de ſecunda, quamdiu primam retinuerit, proventibus ſit privatus, quos in utilitatem ipſius eccleſiæ decernimus per ordinarium convertendos.

" Deeſt forte tam.

*XI. De ætate clericorum promovendorum.*

Præſenti perpetuo prohibemus edicto, ne de cetero archiepiſcopi, epiſcopi, abbates & abbatiſſæ, ſeu alii eccleſiarum prælati, ad quos parochialium eccleſiarum collatio, ſeu præſentatio pertinet, parochiales eccleſias perſonis, quæ viceſimum quintum annum non attingunt, conferant; vel eas ad hujuſmodi eccleſias repræſentent, vel repræſentatum talem admittant, vel inſtituant in eiſdem. Si contra factum fuerit, premantur pœna illius canonis, *Licet canon.* [1] *lib. 6.*

*XII. De præſentatione promoti.*

Eccleſiarum quoque patronos, ſeu illos, qui noſcuntur in eccleſiis aliquibus jus patronatus habere, præſenti ſanctione monemus: ut vacantibus eccleſiis de jure, & de facto, in quibus jus patronatus obtinent, perſonam idoneam & ætatis legitimæ, diœceſanis, ſeu illis, ad quos inſtitutio in ipſis eccleſiis pertinet, infra tempus ſtatutum a jure ſtudeant præſentare. Et ſi per menſem ultra dictum tempus eccleſias ipſas detinere præſumpſerint, ipſo facto excommunicationi ſubjaceant: & ea vice præſentatione hujuſmodi ſint privati. Ac ſi ſuperior non eccleſiam ſic vacantem infra tempus a canone ſibi præfixum conferat: a collatione beneficiorum ſit per annum ipſo facto privatus. Et ſi laici fuerint, & ordinarium providere volentem ipſi eccleſiæ impediverint: ipſo facto ſint ſententia excommunicationis innodati.

*XIII. De obſervatione interdicti.*

Clericos tam ſæculares, quam religioſos etiam, cujuſcumque ſint ordinis, qui conſtituti erunt in civitate, villa, ſeu caſtro, vel in aliquo loco qui ſubjaceat interdicto, in obſequiis mortuorum ſeu proceſſionibus non debere cantare, aut publice celebrare, aut campanas ad horas pulſare, præſentis conſtitutionis oraculo volumus declarari, niſi haberent ex privilegio vel indulto".

" facultate forte. In manuſcripto tamen hæc vox deſit.

*XIV. De beneficiorum ſuſceptione de manu laïcorum.*

Nullus de cetero clericus, vel eccleſiaſtica



1 Eſt canon 13. Concili Lugdunen. Admonere autem Binius debuerat, hanc voculam, *lib. 6.* additam fuiſſe poſtea. Nam anno 1287. nondum erat ſextus decretalium liber. *Harduinus.*

ANNO CHRISTI 1287.

ca perſona, eccleſiam ſeu eccleſiaſticum beneficium de manu laici, vel alterius ad quem collatio non pertinet, recipiat, ſeu laicali favore vel potentia ſibi exiſtimet retinenda: & qui contra fecerit, niſi in manu diœceſani, vel ejus ad quem eccleſiæ, vel beneficii collatio, vel inſtitutio pertinet, libere reſignaverit, anathematis vinculo innodetur: nec abſolvi valeat, niſi eccleſiæ ſic obtentę de fructibus per eum perceptis plenarie ſatisfiat.

*XV. De benedictionibus & ſepulturis quæ fiunt per pactum.*

Obſcœnam illorum abominationem præſentis conſtitutionis oraculo deteſtantes, qui vendere dicuntur benedictiones nubentium, & ſepulturas mortuorum, talia de cetero fieri prohibemus omnino: & qui contra fecerit, cum Giezi in die tremendi judicii recipiat portionem. Nec per hoc intendimus, quod laudabiles conſuetudines locorum, ſeu eccleſiarum habentium cœmeteria, infringi debeant, & quando *poſſint rectores earumdem eccleſiarum hujuſmodi recipere licite, ſi nubentes poſt benedictionem, & conſanguinei vel alii pro defunctis poſt ſepulturam, aliquod offerre voluerint, devotionis intuitu, & etiam pietatis.

* f. quod non poſſ.

*XVI. De cura capellarum.*

Rectores, qui matrices habent eccleſias, a quibus dependent capellæ, circa ipſas in tali volumus cura verſari, ut in ipſa capella, quæ ſubjacet curæ ſuæ, ſi facultates ſuppetant, vicarium idoneum ſtatuant, qui reſideat continue in eccleſia, & deſerviat in Divinis, & parochianis ſpiritualia præbeat alimenta. Quod ſi fuerint in hoc remiſſi, vel ſe reddiderint negligentes, per ordinarios puniantur.

*XVII. De vicariis in eccleſiis parochialibus monaſteriorum.*

Curent etiam & priores, cujuſcumque ſint ordinis, parochialibus eccleſiis quas obtinent, pleno jure per vicarios idoneos continue facere in Divinis obſequiis deſervire, & parochianis eccleſiarum ipſarum ſpiritualia ſolicite miniſtrare. Alioquin abbas, ſeu prior, qui parochialem eccleſiam hujuſmodi ſine rectore per menſem dimiſerit a die novitiæ computando, & in ea non curaverit vicarium aut miniſtrum idoneum ordinare, præſentis conſtitutionis tenore ſit extunc ab officio ipſo facto ſuſpenſus, tamdiu in ſuſpenſione hujuſmodi permanſurus, quamdiu eccleſia ipſa ſine vicario ſeu miniſtratore manebit: & proviſio ſive ordinatio eccleſiæ ordinarii arbitrio reſervetur.

ANNO CHRISTI 1287.

*XVIII. De habitu & converſatione monachorum.*

Volumus etiam, quod abbates, priores monaſteriorum quæ per priores ſunt ſolita gubernari, veſtes non habeant, quæ in forma vel colore appareant ſæculares, ac monachos eorum intra clauſtra eorum retineant, nec permittãt eos ſine manifeſta, ſeu juſta ac rationabili cauſa, frequenter in ſæculo cum ſæcularibus converſari: ſed ſecundum ſtatuta regulæ, in qua profeſſi ſunt, ſtudeant Domino deſervire: & ſi contra fecerint, per menſem per ſuperiorem ab officio ſuſpendantur.

*XIX. De vita & habitu monialium.*

Hanc circa monialium curam abbatiſſas, & prioriſſas monaſteria monialium gubernantes, volumus adhibere cautelam, ut poſtquam monialis quindecimum annum ætatis exegerit, & poſt duodecimum aut quindecimum ætatis ſuæ annum probationem in monaſterio fecerit, ultra annum profeſſionis velum cogatur recipere, ac ſibi capillos juxta ſcapulas amputare, quæ per ſubtractionem præbendarum * abbatiſſæ ſtudioſe arceantur. Item, ſine manifeſta vel rationabili cauſa, exitus clauſtri eiſdem monialibus per eam quæ regit monaſterium prohibeatur omnino. Ceterum ne prætextu inopiæ ipſis detur monialibus occaſio malignandi, abbatiſſa, juxta facultatem & quantitatem redituum monaſterii, eis in victu honeſte provideat & amictu, prout regula patitur earumdem. Super quo ſi dubietas emerſerit, per ordinarium loci declaretur; & ipſe ordinarius abbatiſſas contra facientes per adminiſtrationis privationem coerceat, vel alias, quo melius eas poſſe videbitur coerceri.

* Hic aliquid mendoſum in MS. lectio. ll.

*XX. De occupatoribus & invaſoribus rerum eccleſiaſticarum.*

Dignum arbitrantes & conſentaneum æquitati, ut quos jugo legis forſitan premimus, ab oppreſſorum illicitis auſibus defendamus, & conſultiſſima conſtitutione in poſterum valitura ſanciamus, quod nulla ſæcularis vel eccleſiaſtica perſona, quantacumq; nobilitate aut præeminentia ſtatus præfulgeat (Chriſtianiſſimo domino Romanorum rege ſemper auguſto, ejuſdemque Divina conſorte, eorumq; filiis dumtaxat exceptis) eccleſias & eccleſiaſtica bona, jura & juriſdictiones, & vaſſallos eorum, violenter & auctoritate propria publice uſurpare, aut occupando invadere, vel ſcienter uſurpare, aut occupatoribus, invaſoribus, & ſcienter uſurpantibus eccleſias & bona prædicta, præſtare præſumant quomodolibet, per ſe, vel per alium aut alios, conſilium, auxilium, vel favorem: vel quod ſi aliquis contra hujuſmodi noſtræ conſtitutionis tenorem facere vel venire præſumpſerit, & requiſitus, infra menſem, eccleſiæ læſæ, aut prælato ipſius, damnum non emendaverit, ipſo facto anathematis vinculo ſit innodatus, & terræ ipſius eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto: ac clerus terræ offenſoris hujuſmodi, ſola denunciatione prælati, ſeu cleri eccleſiæ læſæ, ſervet inviolabiliter interdictum: quod ſi celebrare præſumpſerint, quamdiu offenſor hujuſmodi non emendaverit quod deliquit, ipſo facto a Divinis officiis ſe noverint eſſe ſuſpenſos. Simili modo illos qui poſſeſſiones eccleſiaſticas titulo pignoris detinent obligatas, a quibus jam receperint ultra ſortem, ſi non reſtituant prælatis eccleſiarum quarum ſunt, infra dictum tempus, volumus hac pœna mulctari.



ANNO CHRISTI 1287.

*XXI. De laicis recipientibus beneficia eccleſiaſtica.*

Laicos, quantacumque ſtatus dignitate fulgentes, eccleſiaſtica recipere beneficia, aut occupata tenere, quæ debentur militantibus in Divinis, de cetero prohibentes: eos, niſi infra menſem a tempore occupationis, in antea occupata beneficia ipſa dimiſerint, ipſo facto excommunicationis vinculo volumus eſſe innodatos.

*XXII. De advocatis eccleſiarum.*

Nonnulli, qui eccleſiarum ſe aſſerunt advocatos, ſicut tenentur, non ſolum eccleſias ipſas ab oppreſſoribus non defendunt, ſed eccleſiarum ipſarum bona violenter diripiunt, ac perſonas ipſorum multipliciter inquietant. Et ſi advocatus quatuor pluresve habeat filios, quod eſt tamen intolerabile, omnes ſe reputant in direptionem bonorum eccleſiæ advocatos: ſic quod per hoc eccleſiæ, unde ſperant auxilium, frequenter ſentiunt detrimentum. Quibus volentes ſalubre remedium adhibere, hac edictali conſtitutione ſancimus, cunctos eccleſiarum advocatos infra noſtrę legationis terminos conſtitutos, cujuſcumque ſint præeminentiæ ſtatus, eiſdem juribus eſſe contentos; quæ ipſis, ſeu eorum anteceſſoribus fuerint conceſſa ſemper, quos advocationi hujuſmodi præfecerint: & eccleſias, quarum advocati exiſtunt, defenſare ſtudeant, & manutenere pro poſſe; & ſolum ille, in quem omnes concordant, aut major pars eorum, habeatur eorum de cetero advocatus. Alioqui ſi negligentes in defendendo & manutenendo perſonas & jura ipſarum eccleſiarum fuerint vel remiſſi, hujusmodi advocationis officio eos privatos eſſe volumus ipſo facto: & ſi quid ultra debitum ab ipſis eccleſiis auferre, & contra hujus noſtræ conſtitutionis tenorem venire præſumpſerint, niſi infra menſem eccleſiis ipſis reſtituerint quod auferunt, vel emendaverint quod delinquunt, excommunicatos eſſe decernimus: & ad requiſitionem perſonarum eccleſię injuriam paſſę, excommunicatos mandamus denunciari omni menſe.

ANNO CHRISTI 1287.

*XXIII. De uſurariis.*

Uſurarios actus Divina & humana lege ſatis novimus exprobratos: & contra exercentes uſuras noviſſima conſtitutio Lugdunenſis concilii pœnas ſtatuit exquiſitas, quibus addendum aliquid non videmus. Sed quia novo quæſito fęnerandi colore, nonnulli ſub titulo venditionis exercent uſuras, emendo pignus pro quantitate, quæ mutuo petitur, & vendendo eodem redemptionis tempore pro quantitate adaucta numero uſurarum, huic fraudi ſic prævidimus obviandum: quod conſtitutio ſanctæ recordationis Gregorii papæ decimi contra uſurarios edita in concilio *Lugdunenſi, in ſingulis cathedralibus & collegiatis eccleſiis, una cum præſentibus conſtitutionibus noſtris publicetur, ſtatim lecto evangelio, ſemel in anno in quadrageſima publice coram populo: & tunc fęneratores hujuſmodi, & alios qui contra tenorem hujuſmodi concilii Lugdunenſis exercent uſuras, & retinentes eos in domibus propriis, excommunicati nominatim publice nuncientur. Quod ſi eccleſiarum prælati, in hujuſmodi publicatione, quam per ſeipſos & alios facere debent, negligentes fuerint vel remiſſi; & in dicto tempore publicatio ipſa non fiat: eos æterni mittimus judicis ultioni. Et ſi uſurarius diem claudit extremum, qui occulte uſuras exercuit, & trium aut duorum teſtium fide dignorum teſtimonio conſtiterit exercuiſſe uſuras: niſi pro eo ſatisfactum fuerit de receptis uſuris, nullus ipſum recipiat ad eccleſiaſticam ſepulturam. Alioqui ſi contra factum fuerit, præter pœnam latam in Lugdunenſi concilio contra tales, volumus ut locus ſeu eccleſia, in cujus cœmeterio de voluntate prælati ſeu capituli ſepulta fuerint corpora talium, ipſo facto eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, quamdiu eadem corpora per eos non fuerint exhumata.

* an. 1274. can. 26.

*XXIV. De læſionibus eccleſiaſticarum perſonarum.*

Eos qui Dei timore poſtpoſito clericos ſeu eccle-

Anno Christi 1287.

eccleſiaſticas perſonas occidunt, vulnerant, A mutilant, proſcribunt, capiunt, & captas retinere præſumunt, etſi ſententiam, quam incurrunt, latam a canone non verentur, adjectione hujuſmodi pœnæ volumus coercere; videlicet quod prælati vel rectores eccleſiarum, in quibus captivantes & detinentes ipſi degunt, & captivati clerici capiunt, & captivi tenentur, ipſos captivantes, & captivos detinentes excommunicatos denuncient publice ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, niſi, poſtquam requiſiti fuerint, eos infra octo dies dimiſerint, & in locis, ubi capti clerici & perſonæ eccleſiaſticæ tenentur, tamdiu ſcientes ceſſent a Divinis, quamdiu in locis ipſis fuerint ſic captivi. Quod ſi contra fecerint, tanquam eorumdem maleficorum participes excommunicatos eſſe volumus ipſo facto: ſalvis aliis quæ contra tales ſunt in conciliis provincialibus conſtituta.

*XXV. De læſoribus nunciorum ſedis apoſtolicæ.*

Si quis in tanti proruperit furoris audaciam, quod nuncios legatorum apoſtolicæ ſedis de latere miſſorum ab ipſa, ſeu archiepiſcoporum aut epiſcoporum, aut delegatorum, capere vel verberare, ac eos ſpoliare, ſeu litteras auferre, aut dilaniare, aut alias eos in juriſdictione eis commiſſa, per ſe, vel per alios aut alium, publice vel occulte, vel quomodolibet impedire præſumpſerit, ipſo facto ſint excommunicationis ſententia innodati. Eamdem pœnam nihilo minus contrahere volumus, qui venientes ad curiam eorumdẽ, & abinde redeuntes eos in perſonis offenderint, vel eos bonis eorum, quæ ſecum habuerint, occulte vel publice ſpoliarint.

*XXVI. De uſurpantibus ſibi bona eccleſiarum vacantium.*

Nonnulli afflictis eccleſiis, quæ vacationis laborant incommodo, non verentes afflictionem addere, bona earumdem eccleſiarum diripere ac occupare nituntur. Ex quo grave ipſis eccleſiis in rebus earum provenit detrimentum. Nos ſuper hoc vacantibus eccleſiis providere volentes, eos, qui vacantium eccleſiarum, & decedentium clericorum, bona immobilia ſeu mobilia de cetero uſurpabunt, aut uſibus propriis deputabunt, excommunicatos eſſe volumus ipſo facto.

*XXVII. De viſitatione per epiſcopos facienda, & de confirmatione.*

Curent archiepiſcopi & epiſcopi commiſſas ſibi provincias omni ſolicitudine ab inſidiis inimici humani generis, & qui circuit quærens quem devoret, per ſe vel alios cuA ſtodire. Et quia ob defectum viſitationis multos mares & mulieres quaſi ſexagenarios invenimus, nondum unctione chriſmatis confirmatos: præſentis conſtitutionis tenore ſancimus, ut ſinguli archiepiſcopi, & epiſcopi, civitates & diœceſes ſuas per ſe, vel per alium, aut alios, anno quolibet, vel ad minus de biennio in biennium, viſitare ſtudeant, confirmando confirmandos, & corrigendo quæ ſunt corrigenda.

*XXVIII. De propugnaculis quæ fiunt in eccleſiis.*

B Nonnullos, qui guerras habent vel inimicitias cum aliquibus eccleſiis ſibi vicinis, campanilia ſive domos ipſarum occupare audimus, ac armatis & ædificiis ad pugnandum incaſtellare, præter prælatorum aſſenſum, & in ultiones contra votum. Et propter hoc inimici eorum incaſtellationes & munitiones hujuſmodi occupare volentes, eccleſias plerumque occupant & comburunt. Quod omnino prohibere volentes, præſentis conſtitutionis tenore, omnes, qui de cetero eccleſias, ſeu domos, & campanilia eccleſiarum occupare, incaſtellare, aut munire perſonis armaC tis, vel quibuslibet ædificiis præſumpſerint, ſub pœna excommunicationis, quam in eos per ſuperiores fieri volumus, hoc edicto perpetuo monemus, ne contra aſſenſum prelatorum audeant eccleſias munitionibus & incaſtellationibus hujuſmodi moleſtare: & hæredes eorum, ſi in hujuſmodi, paternæ violentiæ participes fuerint, eadem cum parentibus volumus pœna mulctare.

*XXIX. De debitis maritorum defunctorum.*

Nonnulli, ſicut audivimus, pro maritorum D ſeu filiorum debitis uxores ſeu matres excommunicant ordinaria fulti juriſdictione. Quod juri & æquitati contrarium reputantes, id fieri de cetero prohibemus: niſi mater & uxor ſuccedant in bonis mariti, ſeu filii, defunctorum.

*XXX. De ſpoliatoribus ſtratarum.*

Spoliatores ſtratarum, & raptores alios, qui tranſeuntes per vias aut ſtratas publicas, viduas, pupillos, & perſonas alias, eorum bona vi ſpoliant, eorum violentias, quæ perturE bationem deſiderandæ pacis inducunt, volentes de cetero coerceri: præter pęnas, quas eis ſacratiſſimę leges imponunt, tali volumus, noſtro feriente correctionis gladio, pœna mulctari, ut tam ipſi, quam receptantes eos ſcienter, & dantes eis auxilium vel favorem, ipſo facto, nodo anathematis ſint innodati.

*XXXI. De emptione ſeu venditione bonorum feudalium eccleſiæ.*

Ementes bona feudalia, quæ ad eccleſias ſeu



Anno Christi 1287.

ſeu perſonas eccleſiaſticas eccleſiarum nomine de jure directi dominii pertinent, ac vendentes, cum ea ſine conſenſu eccleſiarum & perſonarum hujuſmodi alienari nequeant, eccleſiarum indemnitatibus providendo, tali volumus pœna mulctari: ut ementes & alienantes laici vel clerici, ſive ſint religioſi, vel clerici ſæculares, qui ſine conſenſu eorum, qui ſuper hoc requirendi ſunt, hujuſmodi bona feudalia emerint vel alienaverint, ipſo facto excommunicationi ſubjaceant, & bona ipſa eccleſiis, ad quas directum dominium pertinet, applicentur.

*XXXII. De his qui capiunt bona eccleſiæ vel capituli, propter debita ſingularis perſonæ.*

Prohibemus inſuper, ut nullus propter debitum, vel fidejuſſoriatus obligationem, ſingularis perſonæ alicujus, vel eccleſiæ, bona eccleſiaſtica capiat, quæ ad eccleſiam vel capitulum ipſius eccleſiæ communiter pertinent. Et qui contra fecerint, niſi moniti, infra quindenam a die notificationis numerandam reſtituerint eccleſiæ vel capitulo, ad quos pertinent, excommunicationi ſubjacere volumus ipſo facto.

*XXXIII. De his qui invadunt bona eccleſiarum propter inimicitias advocatorum.*

Nullus de cetero, qui cum advocatis eccleſiarum guerras habebit, vel inimicitias, bona eccleſiarum, quibus advocati defenſores exiſtunt, prætextu guerræ, quam habet cum eis, ſubripiat, aut eccleſias ipſas, vel villas earum, & loca incendio vel hoſtilitate devaſtet, aut homines earum ſpoliet bonis eorum. Et qui contra fecerint, ipſo facto excommunicationem incurrant, nec abſolvi valeant, niſi quod deliquerunt, emendent.

*XXXIV. De apoſtolis reprobatis.*

Peccatores, ſeu reprobatos apoſtolos, in eorum reprobata regula remanere verantes omnino; volumus quod nullus clericus, nulla ſæcularis perſona, intuitu religionis eorum, ac inſolito habitu, eos de cetero recipiat, aut eis alimenta miniſtret. Et qui contra fecerit, arbitrio ſui ordinarii puniatur. Quod & in vagis ſcholaribus tractandis obſervari volumus: & quod clericali privilegio coram ſæculari judice nequeant ſe tueri.

*XXXV. De laicis qui * fabricæ eccleſiæ adminiſtrant.*

* Forte, qui bona fabricæ, H.

Laicos in nonnullis partibus, prætextu fabricæ eccleſiæ reparandæ, per laicos ſine conſenſu prælatorum, ſeu capitulorum eccleſiarum hujuſmodi, ad recipiendum oblationes, ſeu proventus alias conceſſos fabriA cæ, deputatos, præſentis conſtitutionis tenore, hujuſmodi officio ex nunc eſſe volumus privatos; & alios laicos, vel clericos, ſive* prælati, ſeu capituli eccleſiarum reparandarum aſſenſu, prohibemus in poſterum ordinari: cum ex privilegio, vel ex longinqua conſuetudine approbata, vituperoſum exiſtat, ut laici, prælatis & capitulis eccleſiarum invitis, bona eccleſiæ adminiſtrent. Ideoque qui contra fecerint, ac per ordinarium loci moniti, infra menſem ab hoc officio non ceſſabunt, eos excommunicatos eſſe volumus ipſo facto.

* Corr. ſine

B

*XXXVI. De his qui prohibent, ne quis coram eccleſiaſtico judice conqueratur.*

Perſonas omnes, quacumque dignitate & ſtatus præeminentia præfulgentes, univerſitates civitatum & locorum, ac conſules eorumdem, qui, ut nullus conqueratur, coram eccleſiaſtico judice prohibent, ac ſtatuta condunt contra clerum ſeu clericos, & eccleſiaſticam libertatem: hæc* edicto perpetuo tali pœna volumus puniri, videlicet, C quod perſonæ talia de cetero committentes modo quolibet, excommunicationis; & univerſitates interdicti ſubeant ſententias ipſo facto.

* Corr. hos

*XXXVII. De falſariis.*

Falſarios litterarum, ſeu bullæ ſummorum Pontificum, monetarum, aut litterarum, vel ſigilli eorum, excommunicantes in ſcriptis: eos qui ſcienter receptaverint, aut eis præſtiterint, quo minus capiantur, auxilium, conſilium vel favorem, publicum vel occulD tum, præſentis conſtitutionis tenore ipſo facto excommunicationis eſſe volumus vinculo innodatos.

*XXXVIII. De obſervatione interdicti.*

Quotiens ex juſta cauſa epiſcopus locum aliquem eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, id obſervent, & obſervari faciant alii epiſcopi convicini; ut inter ſe compatientes, mutua caritate ad invicem, in tuitionibus eccleſiarum earumque jurium, alter alteri E alternis ſubſidiis ſuffragetur.

*XXXIX. De conſervatoribus monaſteriorum.*

Conſervatores, qui perſonis religioſis & monaſteriis maxime dari conſueverũt, exemptis per ſummum Pontificem, aut legatos ejus miſſos a latere, ſub certa forma, cum additione illa, videlicet* attentius proviſurus, ut eis & de his, quæ cauſæ cognitionem exigunt, & quæ indulta hujuſmodi non attingunt, ſe nullatenus intromittant. Ipſe enim

* f. videlicet (attentius proviſurus ut eis, &c.) de his.

ANNO CHRISTI 1287.

enim ſummus Pontifex, ſi ſecus præſumptum fuerit, tam litteras ſuper hoc datas, quam proceſſus earum authoritate habitos, omnino carere juribus, & nullius firmitatis eſſe docuerint * a tenore litterarum hujuſmodi deviantes perſonas, quas illi, quibus conſervatores hujus* conceduntur, convenire volunt, ad ſuam citant præſentiam, quantacumque diſtantia ſint longinqui. Quia eoſdem conſervatores non poſſe etiam citatos ad eorum venire præſentiam non * teneri, proceſſuſque eorum contra citatos tales faciendus nullius eſſe momenti, præſentis conſtitutionis ſerie declaramus.

* Hic aliquod mendum in MS. ſubeſt. B. Corr. hujuſmodi. Nam in Mſſ. [illegible] ſæpe hujus pro hujuſmodi.
* Etiam hic aliquod mendum ſubeſt in MS. B.

*XL. De exigentibus nova paſſagia.*

Cum imponentes & exigentes nova paſſagia, vel antiqua ſeu conceſſa augmentantes, ſingulis annis ſummus Pontifex in Cœna Domini anathematis vinculo denunciet ſubjacere: ſtatuimus, ut ordinarii locorum, per ſe vel per ſuos vicarios ſingulis annis in Cœna Domini ſolenniter coram populo eoſdem, ſive ſint archiepiſcopi, ſive epiſcopi, ſeu abbates, aut alii inferiores prælati, aut laici, ſeu ſæculares perſonæ; quocumq; nomine cenſeantur, pulſatis campanis, & candelis accenſis, excommunicatos denuncient, uſque ad integram reſtitutionem, tanquam excommunicatos ab omnibus evitandos.

*XLI. De obſervatione conſtitutorum.*

Has noſtras conſtitutiones in hoc ſacro concilio promulgatas, in ſingulis cathedralibus eccleſiis in noſtræ legationis termino conſtitutis, ſub ſigillo noſtro haberi volumus & publicari, prout ſuperius legitur, omni anno: & ut his noſtris conſtitutionibus adhibeatur in perpetuum plena fides, eas appenſione noſtri ſigilli fecimus communiri.

Actum Herbipoli ann. Dom. MCCLXXXVII. menſe Martii, feria tertia poſt Lætare Jeruſalem, pontificatus domini Honorii Papæ IV. anno II.

*XLII. De his quibus erat indultum quod excommunicari & interdici non deberent.*

Hactenus, ſicut & hodie fieri dicitur, nonnulli tam clerici quam ſæculares, quibus erat & extitit indultum ex indulgentia ſummorum Pontificum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, & quod terræ ipſorum non poſſint ſubjici eccleſiaſtico interdicto, hujus privilegio abutentes, multam nocendi & abutendi aſſumebant, &, tanquam eis ſit licitum, aſſumunt audaciam & materiam delinquendi. Sanctæ recordationis Alexander papa IV. & Clemens papa IV. volentes ſuper hoc ſalubriter providere, quia per hoc ordinatorum juriſdictio elidebatur, * & condemnabantur a talibus omnia hujuſmodi apoſtolica indulta, quibuſcumq; perſonis conceſſa, in quantum per ea ordinariorum juriſdictio impeditur, reſtringitur, vel arctatur, totaliter revocarunt; ita quod iidem ordinarii in perſonis & terris (ipſis regibus, & reginis, quantum ad regna ſua tantum, & regnis ipſis, nec non & regum ipſorum filiis & fratribus, ac eorum uxoribus, & eorum filiorum, fratrum & uxorum terris exceptis) juriſdictionem ſuam, talibus indultis nequaquam obſtantibus, valeant, prout ad eos pertinet, exercere. Nos itaque præſentis conſtitutionis oraculo revocationem hujuſmodi, prout in eorumdem Pontificum litteris, quas in Herbipolenſi concilio publice legi fecimus, plenius continetur, volumus inviolabiliter obſervari: & declaramus, eorumdem privilegiorum authoritate ordinariorum juriſdictionem minime impediri.

* Fort. & [illegible]

NOTA SEVERINI BINII.

*Chronicon Hirſaugienſe anno 1283. res in hac ſynodo geſtas continet his verbis:* Eodem anno Martinus Papa IV. legatum de latere miſit in Alemanniam epiſcopum Tuſculanum: qui veniens ad Herbipolim in præſentia Rudolphi regis Romanorum, & multorum principum, epiſcoporum, abbatum, ducum, comitum atque nobilium, concilium celebravit: ubi inter alia legatus ipſe nomine papæ contributionem decimi denarii a clero, & rex ab univerſo populo imperii, inſtantiſſime exigere cœperunt, multis principibus in eorum ſententiam conſentientibus. Siffridus autem archiepiſcopus Colonienſis, & Henricus archiepiſcopus Trevirorum, contra inſolitam, ac nimis gravem exactionem ſe fortiter opponentes, negotium penitus revocarunt: *Hæc Trithemius in prædicto chronico Hirſaugienſi. Ejuſdem concilii meminit Eberhardus in ſuis annalibus anno 1290. his verbis:* Rodulphus rex apud Herbipolim, ſolennem curiam habuit cum principibus Alemanniæ. Et eodem tempore Joannes Tuſculanus epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, ibidem celebravit concilium: & quod multa onera & graves expenſas ſolebat clero imponere, a quibuſdam epiſcopis adverſus eum extitit ad ſedem apoſtolicam appellatum, & propter hoc ſua intentio & conſilium, deſideratum ab eo eventum non habuit: & ipſe ſubito ad propria eſt reverſus. Intellexerat enim prius alii de morte domini papæ Honorii: qui prius dicebatur Jacobus de Sabello, cui ſucceſſit frater Hieronymus de ordine fratrum Minorum, & vocatus eſt Nicolaus. *Hæc de Herbipolenſi concilio Eberhardus. In tempore Trithemius, Siffridus, & Eberhardus diſcrepant. Lectionem Eberhardi, quam habet manuſcriptus, quamque approbat Siffridus, ſectandam putavi.*

# CONCILIUM MEDIOLANENSE,

## In cauſa diſciplinæ eccleſiaſticæ habitum, anno Domini MCCLXXXVII.

*Conſtitutiones ſynodales hoc concilio promulgatas ſummatim recenſet Bzovius in annalibus his verbis:* Mediolani porro eodem anno, authoritate ſummi pontificis, Otto archiepiſcopus, indicta [illegible]ataque ſynodo provinciali in eccleſia [illegible], præſentibus quamplurimis epiſcopis, [illegible] & reliquis ex clero, ad duodecimum diem [illegible] multa ſaluberrima conſtituit.

I. In primis, conſtitutiones ſummorum pontificum & Friderici olim imperatoris, contra hæreticos latas, inviolabiliter obſervari, & ex earum præſcripto contra fidei catholicæ prævaricatores procedi, mandavit.

II. Abbates, monachos, & reliquos omnes religioſos, ut ex formula S. Benedicti & S. Auguſtini viverent, admonuit.



ANNO CHRISTI 1287.

III. Ne moniales, quovis prætextu, ſepta monaſteriorum, in quibus recluſæ, egrederentur, edixit.

IV. Aucupium & venationem univerſo clero, lata excommunicationis ſententia, interdixit.

V. Alienandi bona, quæcumque, ſive mobilia ſive immobilia, eccleſiaſtici juris fuerint, poteſtatem omnibus abſtulit, neve quis aut vendere, aut oppignerare, aut titulo donationis ea alicui concedere auderet, ſub anathematis & nullitatis cenſura prohibuit.

VI. In detentores eccleſiaſticorum bonorum graviſſimas pœnas promulgavit.

VII. Falſi crimine obnoxios, a communione ſacramentorum atque fidelium ſegregavit.

VIII. Legatorum piorum fraudatores cœtu Chriſtianorum indignos eſſe judicavit.

IX. Poteſtatem ædificandi eccleſias, aut oratoria, penes ſolos epiſcopos eſſe juſſit.

X. Rerum ſacrarum ex teſtamento vel codicillis relictam adminiſtrationem, penes ſolos parochos eſſe voluit: aliaque pro eccleſiaſtica diſciplina ex more priſco, ſive revocanda, ſive obſervanda, in eodem concilio ſanctiſſime ordinavit.

# SYNODUS MEDIOLANENSIS

Ex Rerum Italic. Script. Tom. 4.

## Habita anno MCCLXXXVII. Indict. I. ſub Othone Archiepiſcopo.

### PRÆFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Celebrata eſt iſta Synodus anno 1287. in metropolitana baſilica S. Teclæ, interfueruntque aut Epiſcopi, aut Procuratores Epiſcoporum, & Capitulorum Eccleſiarum, quæ tunc Metropolitæ Mediolanenſi ſuberant. Ejuſdem vero mentionem minime omiſit celebris rerum Mediolanenſium Scriptor Bernardinus Corius, qui in Hiſtoriis ſuis ad an. 1287. etiam auctor eſt, in eo Concilio acrem excitatam fuiſſe animorum contentionem inter Brixienſem, & Vercellenſem Epiſcopos, quod uterque ſibi aſſereret ſeſſionis locum ad Archiepiſcopi dexteram, itaut Vercellenſis interpoſita prius ad Romanum Pontificem appellatione, inde ſtatim receſſerit. Si eidem Corio fides, pridie Idus Septembris, die Veneris prænemorati anni convenere Patres, eaque die conſtitutiones infra edendas promulgavere. Neque abnuo ego, niſi quod anno 1287. in diem 12. Septembris minime cecidit ſexta feria. Refert etiam Corius aliquot ex Canonibus ibi editis, quorum tamen ſenſum tutius ex actis ipſis petere juvat; nam ſive ob incuriam Typographorum, aut propter vitiatos Codices, Corius ſatis expreſſiſſe mentem Patrum minime videtur. Scribit ille, conſtitutum fuiſſe in ea Synodo: *Che neſſuno eccleſiaſtico non andaſſe nei Monaſteri, nè ivi teneſſe biſdancia, nè preſtaſſe biſdancia, ſotto pena di ſcomunicazione.* Ita vero ſe habet Canon V. *Nulla perſona eccleſiaſtica in domibus Monaſterii, vel Eccleſiarum, ſeu etiam alibi, teneant biſcatiam, nec mutuent in biſcatia.* Adhuc apud Mutinenſes, immo & apud Thuſcos, in uſu ſunt hæc vocabula *Biſca*, & *Biſcazza*, quibus ſignificantur loca publica, quo multi confluunt ad ludendum ludum alearum aut talorum, non voluptatis, ſed quæſtus gratia. Ipſe etiam ludus *Biſcazza* olim appellabatur. In Statuto Bononienſi lib. v. Rubric. 47. interdicitur, ne quis ludat *ad aliquem ludum taxillorum, ſeu ad aliquod genus Biſcazaria taxillorum*. Infra edicitur, ne quis *debeat mutuare ad ludum, ſeu occaſione ludi Biſcazaria in ſua domo vel alio loco*. Simili modo in Statuto Regienſi lib. 3. cap. 103. vetantur homines ludere *ad aliquem ludum taxillorum, & chartarum, nec ad aliquem alium ludum Biſchizariæ, in civitate &c.* Deinde additur: *Nullæ obligationes, impignationes &c. factæ tempore, vel occaſione ludi, vel Biſchizariæ, valeant &c.* Ex his veram vocabuli ſignificationem habes. Sed iterum audiamus eumdem Corium, alterius Canonis ſenſum nobis ediſſerentem: *Che gli Abati, Priori, Monachi, Canonici Regolari, Abbateſſe, e Monache non giocaſſero a' dadi, e non andaſſero a funerale alcuno.* Diſtinguenda hæc erant: ibi enim *Abbatiſſa* tantum, vel *Moniales ad exequias mortuorum ire prohibentur.* Reliqua mitto. Ughellius etiam in Catalogo Archiepiſcoporum Mediolanenſium Tom. IV. col. 283. Ital. ſacr. Concilium hoc memoravit, addens, *magnam illam contentionem de dignatione, quæ inter Brixianum & Vercellenſem Epiſcopos per id tempus vertebat, ad æquilibrium exactiſſimi juris* ibi fuiſſe expenſam.

Incipiunt Capitula, ſeu Rubricæ Conſtitutionum Domini Ottonis Archiepiſcopi Mediolani.


I. *Quod ſtatuta Romanorum Pontificum obſerventur.*
II. *Quod ſtatuta contra Hæreticos obſerventur.*
III. *Quod hæc ſtatuta, & alia obſerventur.*
IV. *Quod Abbates, & Monachi Sancti Benedicti, Priores, Præpoſiti, ac Canonici Sancti Auguſtini compellantur per Diœceſanos hæc obſervare.*
V. *Quod Clerici, vel Moniales non ludant, nec corebizent, nec teneant biſcatiam, vel ibi præſtent.*
VI. *Quod Clerici non utantur venationibus.*
VII. *Quod Clerici contra Laicos non cauſentur.*
VIII. *Quod nullus Secularis detineat perſonas, vel res eccleſiaſticas.*
IX. *Quod nullus faciat ſtatutum contra excommunicatores, vel interdictores.*
X. *Quod nullus faciat ſtatuta contra Fidem, vel eccleſiaſticam libertatem.*
XI. *Quod nullus proponat in concionibus aliquid contra Fidem, vel eccleſiaſticam libertatem.*
XII. *Quod eccleſiaſticæ perſonæ non præſtent cauſſa lucri.*
XIII. *Quod nullus invadat, vel uſurpet bona eccleſiaſtica.*
XIV. *Quod nullus alienet bona eccleſiaſtica.*
XV. *Quod nullus noviter locum ædificans compellat circumſtantes ad illum locum congregari.*
XVI. *Quod nullus celet fraudulenter eccleſiaſtica Feuda, vel alia bona.*
XVII. *Quod nullus teneat modo illicito bona eccleſiaſtica.*
XVIII. *Quod Epiſcopi in Synodis exponant de perjuris, & infamibus.*
XIX. *Quod nullus falſificet inſtrumenta, vel literas.*
XX. *Quod Sacerdos Parochialis denunciet Diœceſano infra menſem de ordinationibus Defunctorum.*
XXI. *Quod nullus detineat legata ad pias cauſſas.*
XXII. *Quod Parochialis eccleſia habeat tertiam partem de legationibus eccleſiæ factis; & quod nullus inducat infirmum ſepeliri alibi, quam in ſua eccleſia Parochiali.*
XXIII. *Quod nullus audiat Confeſſiones ſine licentia.*
XXIV. *Quod nullus conſtruat Oratoria ſine licentia.*
XXV. *Quod nullus audiat ad Confeſſionem alienos Parochianos, vel recipiat ad Divina.*
XXVI. *Quod Humiliati obediant ſuo Diœceſano.*
XXVII. *Quod nullus prædicet ſine licentia.*
XXVIII. *Quod nullus ſtet excommunicatus per annum.*
XXIX. *Quod nullus recipiat ignotos ad Ordines, vel celebrandam Miſſam, vel conferat Oleum, vel Chriſma ſine literis commendatitiis.*


OTTO Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Univerſis literas præſentes inſpecturis, ſalutem in Domino Jeſu Chriſto.

Quia hominum malitia prævalente Caritas refrigeſcit, Fides ſubtrahitur, attenuatur Eccleſiæ devotio, & libertas Eccleſiaſtica uſurpatur, Nos ad honorem Dei Patris omnipotentis, & B. Mariæ Virginis glorioſæ, & Sancti Ambroſii Confeſſoris patroni noſtri, & animarum ſalutem, & ſubditorum noſtrorum ædificationem, & immunita-

nitatem Eccleſiæ conſervandam, & reprimendam malitiam perverſorum: Præſentibus, & aſſiſtentibus nobis in Provinciali Concilio venerabilibus Fratribus, & Suffraganeis noſtris Brixienſi, Novarienſi, Laudenſi, Taurinenſi, Cremonenſi, Aſtenſi, & Vintimilienſi Epiſcopis, ac Electo Aquenſi; Archipresbytero, & Ordinariis Mediolanenſis Eccleſiæ; Aſcherio Archidiacono Alexandriæ, & Magiſtro Petro Goltiteſta Canonico Laudenſi Procuratoribus Aſtenſis Epiſcopi; Vicedomino, Præpoſito, & Joanne de Ferraria Canonico Eccleſiæ Brixienſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Archidiacono, & Archipresbytero Novarienſibus pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Jacobo Cimiterio, & Magiſtro Petro Gelinteſta Canonicis Eccleſiæ Laudenſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Andriolo de Gavio, & Amadeo Parie Canonicis Eccleſiæ Terdonenſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ Sede vacante; Magiſtro Germano Canonico Aſtenſi pro Capitulo Aſtenſis Eccleſiæ; Præpoſito, & Bartholomæo Prando Canonico Eccleſiæ Taurivenſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Oberto de Moncicalo Canonico Eccleſiæ Aquenſis pro Capitulo ipſius Eccleſiæ; Præpoſito Nantelino de Adelapſiis, Pergamino de Nembro, & Robacaſtello de Nuzo Canonicis Eccleſiæ Pergamenſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Archipresbytero, & Guiſardo de Periſco Canonico Eccleſiæ Cremonæ pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Archidiacono, & Savino Canonico Eccleſiæ Ipporegienſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Archidiacono, & Gulliermo Ruxato Canonico Eccleſiæ Albenſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Presbytero Anſelmo de Caſtello Canonico Eccleſiæ Saonenſis, & Vicario Capituli Sede Vacante pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Præpoſito & Presbytero Ottone Canonico Eccleſiæ Vintimilienſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Præpoſito, Presbytero Anſelmo, Præpoſito Sanctæ Mariæ Albinganenſis pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ; Anſcherio Archidiacono, Rufino Archipresbytero, Joanne Merlono Canonico Eccleſiæ Alexandriæ pro Capitulo ejuſdem Eccleſiæ: Sancti Conſtantii, & de Colla Monaſteriorum Abbatibus infraſcriptis; Conſtitutiones, & Statuta in hac Eccleſia Sanctæ Teglæ Mediolanenſis, hoc ſacro Concilio approbante, facimus, & ſolemniter promulgamus, ac promulgamus, auctoritate, mandato, & privilegiis Sedis Apoſtolicæ, & Legatorum ejus in omnibus ſemper ſalvis.

## CAPITULUM I.

*Quod ſtatuta Romanorum Pontificum obſerventur.*

IN primis monemus, indicimus, ac hortamur, ut Conſtitutiones, & Statuta Sanctorum Patrum, Canones, Concilia, & Decretales Romanorum Pontificum inviolabiliter obſerventur.

## CAP. II.

*Quod ſtatuta contra Hæreticos obſerventur.*

Item monemus, & indicimus, ac hortamur, ut Concilia, & ſtatuta a Sanctis Patribus, & Summis Pontificibus edita, necnon leges quondam Federici Imperatoris promulgatæ contra hæreticam pravitatem, & pro libertate Eccleſiaſtica inviolabiliter obſerventur.

## CAP. III.

*Quod hæc ſtatuta, & alia præcedentia obſerventur.*

Item ſtatuimus, quod Prælati, & Clerici ſeculares omnes Conſtitutiones, & ordinamenta, editas, & edita tam per Legatos Sedis Apoſtolicæ, quam per nos, & Prædeceſſores noſtros, & ſuffraganeos Mediolanenſis Eccleſiæ, & Prædeceſſores eorum tam ſuper cultu Divino, quam ſuper vita & honeſtate Clericorum debeant inviolabiliter obſervare.

## CAP. IV.

*Quod Abbates, & Monachi Sancti Benedicti, Priores, ac Canonici Sancti Auguſtini iſta obſervent.*

Item ſtatuimus, quod Abbates, & Monachi Regulam Sancti Benedicti, Priores, & Præpoſiti, ac Canonici Regulares Regulam Beati Auguſtini inviolabiliter obſervent, & per Diœceſanos locorum ad prædicta compellantur.

## CAP. V.

*Quod Clerici, vel Moniales non ludant, nec corchizent, nec teneant biſcatiam, vel ibi præſtent.*

Item ſtatuimus, quod Abbates, Priores, Præpoſiti, & Monachi, & Canonici Regulares, necnon Abbatiſſæ, & Moniales ad aleas, vel taxillos non ludant, nec corchizent.

Abbatiſſæ, vel Moniales ad exequias mortuorum non vadant. Nulla perſona Eccleſiaſtica in domibus Monaſterii, vel Eccleſiarum, ſeu etiam alibi, teneant biſcatiam, nec mutuent in biſcatia; & qui contra fecerit, ſit excommunicatus.

## CAP. VI.

*Quod Clerici non utantur venationibus.*

Item prohibemus Abbatibus, Prioribus, Monachis, Canonicis Regularibus, & Religioſis quibuſcumque, ne canes, accipitres, auſtures, vel falcones ad venandum habeant, teneant, vel teneri faciant, nec hujuſmodi venationibus, aut vagationibus utantur. Qui ſi moniti per Diœceſanum proprium ſe culpabiles exhibuerint in præmiſſis, auctoritate hujuſmodi Conſtitutionis ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, quam ſi per menſem ſuſtinuerint animo indurato, pœna graviori puniantur.

## CAP. VII.

*Quod Clerici cum Laicis non cauſentur.*

Item quia nonnulli Seculares Poteſtatis gerentes officium, libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam lædere ac imminuere molientes, tanquam invidi honoris & privilegii Eccleſiaſtici, Eccleſiaſticas coram ſe litigare perſonas compellunt contra Canonicas ſanctiones: Statuimus, quod venientes Clerici coram eis, quos fore Clericos habitus & Clericalis tonſura demonſtrat, allegato privilegio coram ipſis: ſi Juſtitiarii, vel ſeculares compulſioni nihilominus inſtiterint, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, a qua nullatenus abſolvantur, niſi ab hujuſmodi compulſione deſtiterint, & de damnis, intereſſe, & expenſis, quæ, & quas ob hoc ſuſtinuerint, per ipſos Juſtitiarios, ſeu Judices Seculares fuerit ſatiſfactum, eorum proceſſibus, & ſententiis habitis in hujuſmodi quæſtionibus, & prolationibus, nil omnino roboris habituris.



## CAP. VIII.

*Quod nullus Secularis detineat perſonas, vel res eccleſiaſticas.*

Item quum ſint aliqui, qui perſonas Eccleſiaſticas, & res earum capiunt & invadunt, & perſonas eaſdem carceribus, ſeu vinculis mancipatas, & res detinent, & quum a Judicibus Eccleſiaſticis admonentur, quod res & perſonas Eccleſiaſticas reddant & liberent, ut res & perſonas eaſdem poſſint impune detinere, diutius malitioſe negant, ſe res illas, vel perſonas cepiſſe, vel occupaſſe, & detinere: Quare eorum quotidianis fraudibus occurrentes, deliberatione provida duximus ſtatuendum, ut ſive loci Dominus fuerit, ſive Rector, ſive quocumque nomine nuncupetur, teneatur jurare, ſe rem illam, vel perſonam non detinere, nec detineri facere, nec dolo vel malitia deſiiſſe habere, & nec deliberandi, nec reſtituendi poteſtatem habere. Qui ſi juramentum hoc præſtare noluerint, quum eo ipſo culpabiles videantur, excommunicationis vinculo ſint adſtricti.

## CAP. IX.

*Quod nullus faciat ſtatutum contra excommunicatores, vel interdictores.*

Item ſtatuimus & ordinamus, quod quicumque ſtatutum, præceptum, bannum, decretum, ſeu interdictum fecerint, ſeu fieri fecerint, aut factum ſervaverint, aut dederint auxilium, conſilium, vel favorem, contra excommunicatores, vel denunciatores ſententiarum excommunicationum, vel interdictorum, vel obſervationes ipſarum, publicum, vel occultum: denuncientur excommunicati per totam Provinciam noſtram. Poſt quam denunciationem Diœceſanus, ſi ſibi expedire videbitur, ceſſari faciat a divinis in loco, vel locis, in quo, vel quibus morabuntur, vel ad quæ venerint taliter excommunicati, quamdiu moram fecerint in eiſdem; nec abſolvantur, donec ſatisfecerint competenter de damnis & injuriis propter hoc Eccleſiæ & Eccleſiaſticis perſonis illatis.

## CAP. X.

*Quod nullus faciat ſtatuta contra Fidem, vel Eccleſiaſticam libertatem.*

Item ſtatuimus, quod omnes illi Rectores, & Poteſtates, qui de cetero fecerint, ſeu conſenſerint aliquid fieri contra Fidem Catholicam, vel Eccleſiaſticam libertatem, necnon omnes & ſinguli, qui ſuper hoc dederint, auxilium, conſilium, vel favorem publice, vel privatim, ſint ipſo facto excommunicationis vinculo innodati, & tanquam excommunicati ab omnibus evitentur.

## CAP. XI.

*Quod nullus proponat in concionibus aliquid contra Fidem, vel Eccleſiaſticam libertatem.*

Item ſtatuimus, quod nullus in conciliis, vel concionibus alicujus Civitatis, Caſtri, Burgi, ſeu Villæ, aut Univerſitatis, Collegii, ſeu Societatis, præſumat arengare, proponere, ſeu alio quocumque modo dare auxilium, conſilium, vel favorem ſuper aliquibus factis, vel faciendis, quod redundet in Hæreticorum favorem, ac læſionem Catholicæ Fidei, vel Eccleſiaſticæ libertatis. Alioquin excommunicationem incurrant ipſo facto; & nihilominus ſit notatus tanquam ſuſpectus de hæretica pravitate, & etiam Feudis, & beneficiis, quæ ab Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, vel eorum, ſeu eorum Vaſſallis detinet, necnon Jurepatronatus, ſive Advocatiæ, ſi quid in aliquibus habet Eccleſiis, omnino ſit privatus.

## CAP. XII.

*Quod Eccleſiaſticæ perſonæ non præſtent cauſſa lucri.*

Item ſtatuimus, ut nullus Prælatus, aut Clericus Secularis, vel Religioſus, cujuſcumque ſit conditionis, præeminentiæ, ſeu ſtatus, a quocumque, penes quem deponit pecuniam, ſeu ab alio nomine ipſius, per ſe, vel per alium, emolumentum aliquod ratione ipſius depoſiti paciſcatur habere, ſive in ſpecialibus, & expreſſis verbis, ſive generalibus, quibuſcumque utantur. Quod ſi quis hujuſmodi noſtræ conſtitutionis violator exſtiterit, volumus & mandamus, quod depoſitario contra deponentem exceptio competat ad emolumentum hujuſmodi non ſolvendum; & ſi ſolverit, actionem habeat contra taliter deponentem ad recipiendum qua ratione ſolvit eidem. Qui vero depoſitum hujuſmodi fecerit, vel fieri fecerit, & emolumentum aliquod ratione hujuſmodi depoſiti pactus fuerit habere, vel recipere per ſe, vel per alium, ſententiam excommunicationis incurrat.

## CAP. XIII.

*Quod nullus invadat, vel uſurpet bona Eccleſiaſtica.*

Item ſtatuimus, quod nulla Eccleſiaſtica, Seculariſve perſona, cujuſcumque ordinis, ſtatus, conditionis, aut dignitatis exiſtat, Eccleſias, Eccleſiarum poſſeſſiones, domos, juriſdictiones, vaſallos eorum, Feudum, ſeu bona, & jura quæcumque ad illas ſpectantia, invadere, occupare, uſurpare, aut capere, ſeu detinere, vel occupatoribus, invaſoribus, detentoribus, uſurpatoribus, & capientibus, conſilium, auxilium, vel favorem publicum, vel occultum per ſe, vel per alium præſtare præſumat. Et ſi quis Eccleſias, Eccleſiarum poſſeſſiones, domos, juriſdictiones, aut vaſallos, ſeu eorum jura, & bona quæcumque ad illas ſpectantia, invaſerint, occupaverint, aut capere, ſeu detinere præſumpſerint; Eccleſias ipſas, & ipſarum jura, poſſeſſiones, & bona ſuperius nominata infra duos menſes a publicatione præſentis conſtitutionis in Civitate Mediolani, ac in ejus Diœceſi, in aliis vero Civitatibus noſtræ Provinciæ, & Diœceſibus earumdem, infra ſimilem

Anno Christi 1287.

lem terminum, ex quo præſens conſtitutio in eiſdem fuerit publicata, libere & abſolute dimittat, reddat, & reſtituat, & relaxet, ut ipſis Eccleſiis per illos, ad quos de jure in eiſdem electio, vel collatio, aut præſentatio, ſeu proviſio pertinet, de perſonis idoneis valeat provideri. Qui vero contra hujuſmodi noſtræ conſtitutionis tenorem facere, vel venire præſumpſerit, ſi fuerit perſona Eccleſiaſtica, quæ Eccleſiam taliter occupabit, vel occupaverit, ſeu detinuerit, non ſolum Eccleſia taliter occupata, vel detenta, verumetiam omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, quæ infra noſtram Provinciam obtinet, eum præſentis Concilii auctoritate privamus. Si vero eadem perſona Eccleſiaſtica non Eccleſiam, ſed jura præmiſſa, vel aliquid præmiſſorum detinet occupata, & infra præfixum tempus libere & abſolute non dimiſerit, aut de cetero occupabit, excommunicationis vinculo ſit adſtricta. Quam ſi ſpatio duorum menſium ſuſtinuerit animo indurato, ex nunc omnibus beneficiis, quæ infra noſtram Provinciam obtinet, ſit privata. Laicus autem ſi quid tenet, perdat, & excommunicationis vinculo ſit adſtrictus, a qua, niſi ſatisfecerit competenter, non valeat abſolutionis beneficium obtinere. Quam ſententiam ſi per tres menſes ſuſtinuerit animo indurato; & per Diœceſanum paſſi injuriam requiſitus, infra eumdem terminum libere & abſolute non reſtituerit; vel ſi dictum detentorem requirere non audebit, & poſt denunciationem factam per ipſum in loco publico, quo ad dictum invaſorem poſſit dicta denunciatio pervenire, Eccleſiam vel bona occupata, vel invaſa non reſtituerit: Terra propria, ſi quam habet, ſeu tenet alibi infra noſtram Provinciam, quamdiu invaſori obedierit, ſuppoſita ſit Eccleſiaſtico interdicto. Et niſi ante neceſſitates ultimas tam perſona Eccleſiaſtica, quam Secularis ſibi de hujuſmodi abſolutione providerit, quamvis in mortis articulo non ſit ei, ſi pœnituerit, abſolutio, vel Communio deneganda: tamen Eccleſiaſtica careat ſepultura, donec Eccleſia occupata, aut detenta per eum, aut jura, & bona præmiſſa abſolute & libere dimittantur, ac de fructibus eiſdem ad mandatum Ordinarii, vel ejus Vicarii fuerit ſatisfactum. Omneſque Religioſos, & Clericos Seculares, qui tales ſcienter ad Eccleſiaſticam ſepulturam receperint, ab officio & beneficio per annum decernimus fore ſuſpenſos.

## CAP. XIV.

*Quod nullus alienet bona Eccleſiaſtica.*

Item præſenti Conſtitutione ſtatuimus, quod nulla perſona Eccleſiaſtica noſtræ Provinciæ, poſſeſſiones, vel res immobiles, aut jura Monaſteriorum, Eccleſiarum, & Hoſpitalium, & aliorum locorum venerabilium, ſeu theſaurum, Libros, vel paramenta quocumque titulo diſtrahat, alienet, vel pignori obliget ſine Diœceſani licentia ſpeciali. Quod ſi contra factum fuerit, hujuſmodi diſtractiones, alienationes, vel pignorum obligationes nullæ ſint ipſo jure, nec per eas emptoribus, vel creditoribus jus aliquod acquiratur. Et nihilominus diſtrahentes, alienantes, vel pignori obligantes, ipſo jure hac præſenti Conſtitutione, officio, & beneficio ſint ſuſpenſi, quouſque per Diœceſanum ſuſpenſionem hujuſmodi concedatur relaxari. Recipientes vero ſcienter bona prædicta, vel aliquod prædictorum in pignore, vel alio modo illicito, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

## CAP. XV.

*Quod nullus noviter locum ædificans compellat circumſtantes ibi congregari.*

Item ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis Rector, vel alius Dominus temporalis, ſeu Civitas, Commune, aut alius locus Villam, Burgum, vel alium locum de novo conſtruxerit, aut conſtruere voluerit, homines alicujus Eccleſiæ compellere, vel compelli facere per ſe, vel per alium non præſumat, ut cauſſa habitandi ſe transferant ad Villam, vel Burgum, ſeu locum conſtructum, aut conſtruendum de novo. Prohibentes etiam, ne prædictæ perſonæ, ſeu loca de poſſeſſionibus hominum eccleſiæ, quominus in jurisdictione, & dominio Eccleſiæ remaneant, ſe modo aliquo intromittant. Qui vero contra prædicta facere attentabit, ſi Rector fuerit, vel alius Dominus temporalis, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat; & Terra, ſi quam infra noſtram Provinciam obtinet, quamdiu eidem obedierit, ſit ſuppoſita Eccleſiaſtico interdicto: Civitas autem, Commune, ſeu locus alius, quæ, vel qui contra noſtram Conſtitutionem facere attentabit, ipſo facto Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: quod interdictum relaxari non poſſit, niſi per Diœceſanum, in cujus Civitate, vel Diœceſi damnum fuit irrogatum.

## CAP. XVI.

*Quod nullus celet fraudulenter eccleſiaſtica Feuda, vel alia bona.*

De his autem, qui ſcienter Eccleſiaſtica Feuda celant, vel alia bona immobilia ad Eccleſiam pertinentia, ſi infra duos menſes a tempore publicationis hujuſmodi; eadem ab Eccleſia recognoſcere, & id quod debent Eccleſiæ, & perſonis Eccleſiaſticis facere jure Feudi, vel alio contextu, ſeu alio juſto modo facere, ſolvere, ſeu reſtituere contradicent: auctoritate præſentis Concilii ſententiam excommunicationis incurrant. Quam ſi per annum ſuſtinuerint animo indurato, ipſo facto cadant a jure Feudi, & ab omni alio jure, quo tenebant, & tenuerunt prædicta bona, & ad Eccleſiam revertantur. Et hanc noſtram conſtitutionem per ſingulas Parochias ſingularum Diœceſum ſemel in anno præcipimus publicari.

## CAP. XVII.

*Quod nullus teneat modo illicito bona eccleſiaſtica.*

Item ſtatuimus, quod quicumque habet, vel tenet modo illicito Cruces, Calices, Paramenta, & Libros, ſeu quæcumque alia bona divino cultui deputata, Eccleſiæ, vel illi, cujus eſt, infra duos menſes a tempore publicationis hujuſmodi reſtituere debeat & conſignare: & ſi ignorat cujus Eccleſiæ ſint, vel fuerint, aut illam perſonam, cujus fuerint, Diœceſano, vel Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, ſi vacaret, conſignet. Alioquin excommunicationis vinculo ſit adſtrictus.

CAP.



Anno Christi 1287.

## CAP. XVIII.

*Quod Epiſcopi in Synodis exponant de perjuris, & infamibus.*

Item ſtatuimus, ut ſinguli Epiſcopi in ſuis Synodis publice exponere non omittant, quod perjuri, & infames ſunt ab omni actu legitimo repellendi, nec merentur Eccleſias regere, & alias pœnas, quibus propter perjurium ſunt adſtricti. Injungentes Sacerdotibus Parochialibus, ut & ipſi in ſuis Eccleſiis ſæpius prædicta publicent, ne prætextu ignorantiæ occaſionem habeant perjurandi.

## CAP. XIX.

*Quod nullus falſificet Inſtrumenta, vel litteras.*

Item ſtatuimus, ne aliquis Religioſus, Clericus, ſeu Laicus contrafaciat, vel contrafieri faciat, aut falſificet, vel falſificari faciat literas noſtras, vel Diœceſanorum noſtrorum, ſeu inſtrumenta coram nobis, vel Diœceſanorum noſtrorum aliquo confecta, vel rogata, vel quibus nos impartimur auctoritatem, aut aliquis ex ſuffraganeis noſtris. Et ſi quis contra fecerit, excommunicationis vinculo ſit adſtrictus.

## CAP. XX.

*Quod Sacerdos Parochialis denunciet Epiſcopo de ordinationibus defunctorum infra menſem.*

Item ſtatuimus & mandamus, quod quicumque alicujus ultimæ voluntatis exequutionem ſuſceperit, ante omnia, quæ defunctus ad pias cauſſas, & pro male ablatis reſtituendis, & de bonis ſuis diſtribuenda, & reddenda mandaverit, expediat exequutor, niſi defunctus aliud juſſerit faciendum; quo facto quæ prædiximus exequatur. Circa quod volumus, quod Parochialis Sacerdos defuncti infra menſem a die obitus teſtatoris, vel quo eum defunctum cognoverit, per ſe, vel per alium Diœceſano loci, vel ejus Officiali, necnon defuncti, & exequutoris ipſius, denunciet, quid, & quantum pro prædictis caſibus legaverit, referat; & exponat; & tunc Diœceſanus, vel Officialis ipſius eumdem exequutorem compellat ſecundum voluntatem defuncti, quæ præmiſſa ſunt, adimplere. Sacerdos autem, qui denunciationem prædictam Diœceſano, vel ejus Officiali faciendam ſcienter omiſerit, excommunicetur.

## CAP. XXI.

*Quod nullus detineat legata ad pias cauſſas.*

Item ſtatuimus, quod quicumque legata, ſeu relicta ad pias cauſſas detinet occupata, vel de cetero occupabit, niſi infra menſem a tempore hujuſmodi publicationis reſtituerit, ſeu impedierit, quominus diſtribui poſſint ſecundum voluntatem teſtatoris, ſententiam excommunicationis incurrat.



## CAP. XXII.

*Quod Parochialis Eccleſia habeat tertiam partem de legationibus Eccleſiæ factis, & quod nullus inducat aliquem ſepeliri niſi in ſua Eccleſia Parochiali.*

Item ſtatuimus, ut de cetero Parochialis Eccleſia tertiam habeat portionem de his, quæ teſtator legaverit Eccleſiæ, ubi elegerit ſepulturam, & de oblationibus faciendis circa exequias ſepulturæ, niſi in aliquibus locis ratione compenſationis, vel conſuetudinis certum aliud obſervetur. Et quod aliquis dolum, vel fraudem non committat in his, quæ legaverit, vel legare voluerit aliquis pro anima ſua, & de oblationibus, ut Eccleſia Parochialis defraudetur Canonica portione. Et non inducat, ſeu induci faciat, quod aliquis ſepulturam eligat alibi, quam in Eccleſia ſua. Et qui contra fecerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat.

## CAP. XXIII.

*Quod nullus audiat Confeſſiones ſine licentia.*

Item ſtatuimus, ne quis Sacerdos Religioſus, ſeu Secularis, alterius Clerici, vel Laici (excepto quum mortis articulo imminente Sacerdotem proprium habere non poſſit) niſi de licentia Diœceſani, vel proprii Sacerdotis, Confeſſiones audiat, & pœnitentiam injungat, vel abſolvat eumdem. Et ſi quis contra fecerit, excommunicationis vinculo ſit adſtrictus.

## CAP. XXIV.

*Quod nullus conſtituat Oratoria ſine licentia.*

Item ſtatuimus, quod nullus Clericus, vel Secularis, aut etiam Laicus Oratoria, Altaria, vel Capellas, ſeu Eccleſias in locis non exemtis ſine Diœceſanorum ipſorum licentia conſtruat, vel conſtrui faciat, nec in jam conſtructis, vel conſtruendis divina tentet Officia celebrare. Si vero in loco exemto conſtructum fuerit Oratorium, vel Capella, nullus ibidem celebrans aliquem de grege alteri credito recipiat ad divina. Nullus inſuper exemtus in locis non exemtis prædicta faciat, nec in eiſdem, quum ab Ordinario fuerit interdictum, celebret, vel faciat celebrari divina. Nec etiam in exemtis hoc ipſum exemti faciant, niſi ſuper his licentiam Sedis Apoſtolicæ habeant, vel ipſius privilegium ſpeciale, de quibus licentia, & privilegio infra XV. dies a tempore præſentis interdicti Diœceſano, vel Officiali ipſius, aut ei, quem ad hoc deputaverit, fiat fides. Qui autem contra hanc conſtitutionem faciet, eum in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus.

## CAP. XXV.

*Quod nullus audiat ad Confeſſionem alienos Parochianos, vel recipiat.*

Item quia Humiliati indifferenter officium prædicationis uſurpant, Confeſſiones audiunt, injun-

injungunt pœnitentias, & abſolutiones concedunt, necnon Parochianos alienos recipiunt ad divina; hoc duximus ſtatuendum, quod ſi ſuper hoc a Sede Apoſtolica, vel Legatis ipſius, aliquo privilegio, vel privilegiis aſſerunt, ſeu credant ſe fore munitos, infra tres menſes, poſtquam præſens conſtitutio fuerit in Civitate noſtra, & Civitatibus noſtræ Provinciæ publicata, Diœceſano, vel ejus Officiali, aut Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, ſi vacaret, vel ejus Vicario, de hujuſmodi privilegio, ſeu privilegiis faciant plenam fidem. Alioquin eos, & eorum quemlibet auctoritate præſentis Concilii admonemus primo, ſecundo, tertio, ut a prædictis deſiſtant; quod ſi prædicta facere, vel aliquid prædictorum præſumſerint, ipſos, & eorum quemlibet excommunicationis vinculo innodamus.

## CAP. XXVI.

*Quod Humiliati obediant ſuo Diœceſano.*

Item ſtatuimus, quod Humiliati ſuo Diœceſano obediant, & quod dodias, fodra, & collectas una cum alio Clero ſolvant.

## CAP. XXVII.

*Quod nullus prædicet ſine licentia.*

Item quum quidam indifferenter officia ſprædicationis uſurpare conentur, ſtatuimus, quod nullus Secularis Clericus, vel Religioſus, aut etiam Laicus, cujuſcumque ordinis, ſtatus, aut ſcientiæ glorietur, prædicare audeat, vel præſumat, niſi a Sede Apoſtolica, vel Legatis ipſius ſuper his privilegium habuerit ſpeciale, vel a Diœceſano loci hoc ſit eidem commiſſum. Et ſi quis contra fecerit, auctoritate præſentis Concilii excommunicationis vinculo ſit adſtrictus. Et ſi quæſtuarii fuerint, qui aliqua in prædicationibus hujuſmodi lucrati fuerint, vel acquiſierint, licite poſſit eis auferri, & auferentium fiant. Nolumus tamen, quod Presbyteri in Cathedralibus Eccleſiis exiſtentes hac conſtitutione ligentur.

## CAP. XXVIII.

*Quod nullus ſtet excommunicatus per annum.*

Item ſtatuimus in præſenti Concilio, & volumus per totam noſtram Provinciam firmiter obſervari, quod ſi Laicus excœcata & obſtinata mente adeo fuerit induratus, quod excommunicationis ſententiam per annum ſuſtinuerit, nec abſolutionem curaverit obtinere, Sacerdos, de cujus Parochia excommunicatus fuerit, Diœceſano loci, vel Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ſi vacaret, infra menſem referat per ſe, vel per nuntium ſpecialem. Et tunc Diœceſanus loci Seculari Judici illius excommunicati denunciet pertinaciam & contemtum. Qui Judex, ſub cujus juriſdictione temporali idem excommunicatus exiſtit, pœna pecuniaria illum cogat abſolutionis beneficium poſtulare, & præſtare cautionem Eccleſiæ, ſi poteſt, quam caſus excommunicationis illius acquirit. Et ſi Judex ille Secularis in hoc negligens fuerit, vel remiſſus, ad id Judex Eccleſiaſticus per cenſuram Eccleſiaſticam Judicem illum cogat. Si vero excommunicatus prædictus Rector fuerit Civitatis, vel loci, aut ejus Officialis, aut Dominus, ſive alio quocumque nomine cenſeatur, qui non poſſit per modum prædictum ad abſolutionem hujuſmodi coerceri, & eamdem excommunicationem per annum ſuſtinuerit animo indurato: Terra, vel locus, in quo, vel in qua idem Rector fuerit, vel Officialis, ſeu quis alius quocumque nomine cenſeatur, ſi quam propriam infra noſtram Provinciam obtinet, quamdiu eidem excommunicato obedierit, ſupponatur Eccleſiaſtico interdicto; & nihilominus ipſo facto Feudum, ſi quod ab Eccleſia detinet, perdat, & ad Eccleſiam revertatur. Si vero Clericus excommunicatus adeo mentis obſtinatæ perſiſtit, quod infra annum non procuraverit ſe abſolvi, tunc Diœceſanus illum beneficiis ſuis privet, & ad illa beneficia eligantur idonei per eos, ad quos in illis electio, vel præſentatio noſcitur pertinere. Qui autem ob hanc cauſſam, vel quamcumque aliam a Diœceſano excommunicatus fuerit, vel excommunicationem incurrerit ipſo facto, & excommunicatus ingerat temere ſe divinis, vel quicquam injuriæ excommunicatori, vel ſuo Parochiali Presbytero, pro eo quod eum evitet, vel non admiſerit ad divina, aut quicumque alteri Clerico, vel laico ob hanc cauſſam dixerit, & intulerit, aut dici, vel fieri mandaverit, excommunicetur iterum; & ſi ejus protervitas meruerit, prædicta ſententia, & ſententiæ aggraventur.

## CAP. XXIX.

*Quod nullus recipiat ignotos ad Ordines, vel ad celebrandam Miſſam, ſine litteris commendatitiis.*

Item præcipimus in virtute obedientiæ, & obteſtatione divini Judicii univerſis & ſingulis Epiſcopis noſtræ Provinciæ, ne alicui Religioſo Clerico, vel Seculari dent, vel dari faciant Chriſma, Oleum Sanctum, nec eos recipiant ad Ordines, vel publice ad celebrandum Miſſam abſque litteris commendatitiis Diœceſanorum ſuorum.

*Expliciunt Conſtitutiones Domini Ottonis Archiepiſcopi Mediolani.*







# INCIPIUNT CONSTITUTIONES DOMINI COELESTINI LEGATI IN LOMBARDIA.

## OBSERVATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Poſt mox relatum Mediolanenſe Concilium in Ambroſianæ Bibliothecæ Codice MS. D. 233. fol. ex quo illud deſumptum, ſuccedebant *Conſtitutiones Domini Cæleſtini Legati in Lombardia*. Cur hic titulus appoſitus fuerit, quum infra Legatus ille ſedis Apoſtolicæ ſe *Guifredum tit. S. Mauritii presbyterum Cardinalem* appellet, divinent alii. Rurſus quo anno hæc ille promulgaverit in conventu Laudenſi, præſentibus Archiepiſcopo, & Epiſcopis provinciæ Mediolanenſis, ignorum profecto mihi fateor. Attamen veri videtur ſimile, vel paulo ante, vel circiter eumdem annum 1287. Legatum hunc Apoſtolicum ad Inſubres miſſum, quum adhuc ibi Manichæorum ſemina vigentia falcem expoſcerent. At de illo nihil aliud mihi dicendum ſuccurrit niſi quod iiſdem temporibus floruit Gaufridus S. R. E. Cardinalis; ſed quum is titulum ſanctæ Suſannæ præferret, Goifredus autem titulum S. Mauritii, unum cum altero miſcere minime auſim.

Venerabili in Chriſto Patri Dei gratia Mediolanenſi Archiepiſcopo Guifredus miſeratione divina tituli Sancti Mauritii Presbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus ſalutem in Domino. Deſtinati a Summo Pontifice ad Provinciam Lombardiæ pro animarum ſalute conſervanda, Eccleſiaſtica libertate, vita & honeſtate Clericorum reformanda, & exſtirpanda hæretica pravitate ad laudem, & honorem nominis Chriſtiani, præſentibus nobis, & venerabilibus Patribus Placentino, Vercellenſi, Cremonenſi, Pergamenſi, Novarienſi, Terdonenſi, Saonenſi, Iporienſi, Laudenſi, Taurinenſi, & Vigintimilienſi Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis apud Laude ad hoc ſpecialiter convocatis.

## CAPITULUM PRIMUM.

*De Statutis Civitatum contra Eccleſiaſticam libertatem.*

Ordinamus, ut omnia Statuta præcepta, & banna, quæ per Poteſtates, ſeu Rectores, Conſuleſve Laicorum facta ſunt, vel fiunt contra Deum, & Eccleſiaſticam libertatem, ac perſonas Eccleſiaſticas, atque contra Statutum, & honorem Eccleſiarum, ſint irrita ipſo jure. Atque ſtatuendo præcipimus, ut dicti Poteſtates, atque Rectores ea de Capitularibus ſuis abradant; & ea, vel illis ſimilia non ſcribant ibi, ſeu ſcribi permittant; nec utantur eiſdem, aut ſimilibus, quantumcumque adſtrinxerint ſe vinculo juramenti, quia juramenta de illis ſervandis illicita ſunt, & ideo non ſervanda. Quod ſi ſecundum ea aliquid ſubditis ſuis præceperint, ſubditi nullatenus eis obediant, etiam juramento adſtricti. Transgreſſores autem, ſive Rectores, ſive ſubditi fuerint, ipſo jure vinculum excommunicationis incurrant ſecundum tenorem generalis Conſtitutionis felicis recordationis Honorii Papæ, & nec eorum filii, vel nepotes de cetero ad Eccleſiaſticum beneficium aſſumantur. Quod ſi aſſumti fuerint, illo careant, & aſſumtores conferendi poteſtate priventur.

## CAP. II.

*Quod Statuta contra libertatem Eccleſiæ non ſerventur.*

Item ſtatuimus, ut quodlibet Commune teneatur ponere in ſuo Statutario, quod ſi aliquod Statutum contra prædicta ibi ſit, vel ponatur, illud teneatur juramento non ſervare; & ſi ſuſpicio ſit, ne aliquid contra prædicta in eo contineatur, Librum Statutorum, & Statuta ſua oſtendant frequenter Epiſcopo, vel ejus Nuntio, & copiam legendi faciant omni anno, & ad monitionem emendent Epiſcopi. Quod ſi non fecerint, poſtquam per Epiſcopos admoniti fuerint, pœnam excommunicationis incurrant. Item proviſiones, quas Civitatum & locorum Rectores recipiunt ſuper eo, quod ſi pro iniquis Statutis, vel præceptis, quæ faciunt, excommunicati fuerint, vel damna incurrerint, omnino ſerventur indemnes, penitus irritamus, & caſſamus, & eas decernimus irritas & inanes, & qui eas receperint, pœnam excommunicationis incurrant.

## CAP. III.

*Quod nullus uſurpet bona Eccleſiaſtica.*

Item Poteſtates, locorumque Rectores non extendant manus ad extirpandam Juriſdictionem in locis, vel terris, ſeu perſonis, quæ ad Epiſcopos pertinent, vel etiam ad Eccleſias pleno jure. Et qui contra fecerint, niſi admoniti reſipuerint intra decem dies, pœnam excommunicationis incurrant.

## CAP. IV.

*Quod Statuta contra Hæreticos obſerventur.*

Statuta quæque edita in Concilio generali Lateranenſi, & leges promulgatas a Frederico Imperatore pro libertate Eccleſiæ, vel contra hæreticam pravitatem, præcipimus inviolabiliter obſervari.

## CAP. V.

*Quod nullus ſtet excommunicatus per annum.*

Item ſtatuimus, quod ſi aliquis contumaciter Clericus, vel Laicus in excommunicatione

ANNO CHRISTI 1287. perduraverit per annum, quod Poteſtas ad requiſitionem Epiſcopi ipſum bannire teneatur banno maleficii. A

## CAP. VI.

*Quod Conventuales communiter vivant.*

De vita & honeſtate Clericorum ſtatuimus, ut in omnibus Conventualibus Eccleſiis, niſi magna neceſſitate coacti ab Epiſcopo approbata hoc non poſſint, vivant Clerici in communi. Alioquin tertia pars redituum ſequeſtretur ad minus, dividenda ſingulis diebus inter eos tantum, qui interfuerint Divinis Officiis, & pro hoſpitibus recipiendis, & eleemoſynis largiendis. Ad hoc per Epiſcopos cenſura Eccleſiaſtica compellantur. B

## CAP. VII.

*Quod quilibet Hebdomadarius faciat ſuam ſeptimanam.*

Suam ſeptimanam Hebdomadarius per ſe, vel per alium facere teneatur. Alioquin per menſem beneficio ſit ſuſpenſus, ſalvis conſuetudinibus eorum, qui ſunt in perſonatibus, & illorum, qui ſunt Epiſcoporum, vel Eccleſiæ ſervitio occupati.

## CAP. VIII.

*De Clericis concubinariis.*

Clerici concubinarii fœminas ſuas infra octo dies poſt admonitionem abjiciant, & eas a cohabitatione abjurent, nec filios ſecum teneant; & qui contra fecerit, ſententiam excommunicationis incurrat; quam ſi contempſerint, ipſo jure priventur beneficio.

## CAP. IX.

*Quod Statuta de honeſtate Clericorum obſerventur.*

Et præcipimus Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ut conſtitutiones editas ſuper vita & honeſtate Clericorum ſervent, & faciant in ſuis Eccleſiis inviolabiliter obſervari.

## CAP. X.

*Quod Clerici intendant circa ornatum Eccleſiæ.*

Monachi Sancti Benedicti, & Canonici Regulares Regulam Sancti Auguſtini obſervent, & ſuas inſtitutiones per Eccleſiam approbatas. Circa ornamentum Eccleſiæ intendant; tam in his, quam circa Altaria exerceantur, quam in aliis. E

## CAP. XI.

*De cuſtodia & reverentia Corporis Chriſti.*

Corpus autem Domini cum omni cuſtodia ſi reſervari contigerit, in puriſſimo loco reponatur, & in elevatione campanæ pulſetur. Et ſi per Civitatem portetur, vel Villam, portans cum ſtola ad collum incedat, & portet honeſte. Et qui contra fecerit, tribus diebus Veneris in pane & in aqua jejunet.

## CAP. XII.

*Quod nullus teneat duo beneficia.*

Item ſtatuimus & ordinamus, quod nullus de cetero in eadem Civitate, vel Plebe, ſeu Plebanatu, niſi Capellæ ſint tenues in reditibus, vel annexæ Plebi, duo beneficia obtineat; & ſi qui habuerint, eligant quod maluerint infra menſem. Qui ſi retinere præſumſerint, noverint ſe vinculo excommunicationis adſtrictos.

## CAP. XIII.

*Quod promulgata in Lateranenſi Concilio obſerventur.*

De Eccleſiis Parochialibus, & dignitatibus Eccleſiaſticis diſtricte præcipimus ab Epiſcopis, & aliis Prælatis, & ſubditis obſervari, quæ in Lateranenſi & generali Concilio ſtatuuntur.

## CAP. XIV.

*Quod res Eccleſiaſticæ non poſſint alienari.*

Prælati quoque, & Miniſtri Eccleſiarum juC ramento adſtringantur per Epiſcopum, vel ſuum majorem Prælatum, theſaurum Eccleſiæ, vel res immobiles, abſque licentia Epiſcopi, vel ſui ſuperioris alienare non poſſe.

## CAP. XV.

*Quales debeant eligi in Sacerdotes.*

Item ſtatuimus, quod non poſſit eligi aliquis, vel inſtitui in loco, vel beneficio Sacerdotis, niſi ſit Sacerdos, vel talis, qui in proximo velit & poſſit fieri Sacerdos; vel niſi aliquis ex Clericis ipſius Eccleſiæ ſit, qui velit, & poſſit fieri Sacerdos. Et ſi aliter factum fueD rit, ex nunc caſſamus; & contrafacientes pœnam ſuſpenſionis incurrant; quam ſi contempſerint, excommunicentur. Si autem Eccleſia ita tenuis ſit in facultatibus, quod ibi non poſſit eſſe Sacerdos, & hoc ſit in proviſione Epiſcopi; ille, qui percepit proventus Eccleſiæ ipſius, tantum teneatur dare vicino Sacerdoti, ut congruis temporibus ibi deſerviatur. Alioquin privetur beneficio. Prælati Eccleſiarum cogantur ad Sacerdotium, & ſi inobedientes fuerint ſuſpendantur. Quod ſi contempſerint, excommunicentur.

## CAP. XVI.

*De Uſurariis quomodo ſepeliantur.*

De Uſurariis ſtatuimus, quod niſi ad pœnitentiam venientes ſteterint mandatis Eccleſiæ de uſuris reſtituendis, in Cimiterio non ſepeliantur. Et ſi forte ſepulti fuerint, quouſque ibi remanſerint, in Eccleſia non celebretur. Et ſi poſſent commode inveniri hi, a quibus uſuras habuerunt, ſtipulentur ſibi reſtitutionem fieri. Alioquin Presbyter recipiat cautionem, & pœnitentes hæredes damnet de reſtitutione facienda, & inde teneantur ſacramento.

CAP.



ANNO CHRISTI 1287.

## CAP. XVII.

*Qui debeat abſolvere excommunicatos.*

Et volumus, niſi ubi ſpecialiter prohibetur, per Epiſcopos poſſe abſolvi excommunicatos, & interdictos.

## CAP. XVIII.

*Quod nullus recipiat Uſurarios ad ſepulturam.*

Interdicimus autem Templariis, & Hoſpitalariis, & aliis exemptis, ne publicos Uſurarios ad Eccleſiaſticas ſepulturas admittant, B nec interdictos, vel excommunicatos ad Divina Officia, vel ſepulturas, nec Parochianos alienos ad Sacramenta. Et ſi admoniti per Epiſcopum contra prædicta venire præſumſerint, pœnam ſuſpenſionis incurrant, ſalvis privilegiis ipſorum, quibus exhibitis legitime ſe defendant.

Ideoque caritati veſtræ in virtute obedientiæ, qua fungimur auctoritate, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prædicta omnia ſolemniter publicantes, eadem & vos ipſi obſervetis, & faciatis inviolabiliter obſervari, ita quod in noviſſimo diſtricti examinis die coram tremendo Judice, qui reddit unicuique ſecundum opera ſua, dignam poſſitis reddere rationem. Datum Laude XII. Kal. Junii.

Ex Martene Theſ. Anecd. tom. 4. p. 129.

# STATUTA SYNODALIA

## JOHANNIS EPISCOPI LEODIENSIS,

## Anno MCCLXXXVII. edita.

***Ex duobus codicibus MSS. uno inſignis monaſterii Parci prope Lovanium, altero Colbertino.***

JOhannes, Dei gratia, Leodienſis epiſcopus univerſis abbatibus, abbatiſſis, prioribus, prioriſſis, præpoſitis, archidiaconis, decanis, conventibus, capitulis eccleſiarum ſalutem in Domino ſempiternam.

A præcedentibus noſtris Leodienſibus epiſcopis temporibus retroactis ad conſervandum & gubernandum libertatem eccleſiarum, & eccleſiaſticarum perſonarum, jus & regimen civitatis & diœceſis Leodienſis, & ad reprimendam malitiam perverſorum, multæ proviſiones & conſtitutiones ſynodales emanarunt: quia tamen poſtmodum, creſcente hominum malitia, numquam in eodem permanentium, & continue novas malitias novaſque rebelliones adinvenientium, & contra eccleſiam Dei & juſtitiam malignantium, ipſæ eccleſiæ & eccleſiaſticæ perſonæ civitatis & diœceſis Leodienſis propter ipſorum malitiam perverſorum adhuc nimium perturbantur; nos auctoritate pontificali dictis malitiis obviare, & ipſi libertati eccleſiaſticæ & eccleſiaſticarum perſonarum civitatis & diœceſis noſtræ Leodienſis providere, in quantum poterimus, cupientes, hac generali ſynodo de conſenſu & voluntate capituli noſtræ majoris eccleſiæ Leodienſis, conſtitutiones ſynodales noſtrorum prædeceſſorum una cum noſtris conſtitutionibus, quas in præſenti ſynodo ſtatuimus, ipſas anteceſſorum noſtrorum conſtitutiones ſynodales, quas in ipſa compilatione noſtra redigimus, reſecatis aliis ſuperfluis, approbamus & ratificamus, & una cum noſtris conſtitutionibus præcipimus inviolabiliter obſervari.

### I. De ſynodo.

I.

Diſtricte igitur, prout noſtri anteceſſores ſtatuerunt, præcipimus & mandamus decanis, & ſacerdotibus, & aliis qui ipſi ſynodo intereſſe tenentur, ut jejuni & cum magna devotione intrent ſynodum, nec aliquis afferat in ſynodo cauſas vel negotia impertinentia ad ſynodum, & omnes perſonæ quæ tenentur intereſſe ſynodo, veniant ad ſynodum audituri ſalubria mandata ſynodalia; & decani induti albis & ſtolis, presbyteri autem cum ſuperpelliciis intrent ſynodum, niſi detineantur infirmitate gravi vel inevitabili neceſſitate, & ſi qui venire nequiverint, mittant ad ſynodum cum litC teris ſuis patentibus, cauſam infirmitatis vel neceſſitatis ſuæ expreſſe continentibus ſuo ſigillo vel alio authentico ſigillatis, per quas ſe obligent ad ſtatuta ſynodalia obſervanda, capellanum vel clericum, vel alium idoneum habentem per ipſas litteras poteſtatem dictam abſentem excuſandi, & canonicum impedimentum in animam ipſius, ſi neceſſe fuerit, jurandi & mandata ſynodi ad dominum ſuum referendi.

II.

Item, præcipimus, quod ipſi decani, presbyteri & alii qui dictæ ſynodo intereſſe tenebuntur, eundo, redeundo & moram faciendo, in loco ſynodi honeſta habeant hoſpitia, & honeſtam ſocietatem, & non recedant a ſynodo ſine noſtra licentia: & ipſi D decani antequam recedant, habeant omnes conſtitutiones præſentis ſynodi ſcriptas, & eas legant & intelligant, & ſi ſuper aliquibus hæſitaverint vel dubitaverint, petant & requirant ea per nos vel officialem noſtrum exponi, antequam recedant a ſynodo.

### II. De baptiſmo.

I.

Baptiſmus honorabiliter & caute celebretur cum aperta diſtinctione verborum & forma verborum in quo conſiſtit ſalus baptizandi.

II.

Ille qui baptizat, quando immergit in aqua baptizandum, dicat hæc verba nihil addendo, ſubE trahendo, vel mutando, puerum nominando *Petre*, vel *Johannes*: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti*. Et ut caveatur periculum baptizandi, non mergatur caput pueri in aqua, ſed ſacerdos ſuper verticem pueri ter infundat aquam cum pelvi vel alio mundo vaſe & honeſto, tenens puerum nihilominus una manu diſcrete.

III.

Item, juxta fontem inſtituatur piſcina apta, ubi laventur manus eorum qui tenuerunt puerum, & ſuper piſcinam illam ponatur cooperculum.

IV.

Item, doceant presbyteri frequenter viros & mulieres formam & verba baptizandi in propria lin-

lingua, quibus valeant in neceſſitate baptizare, etiam parentes, ſi alius defuerit, & poſtmodum referatur ad ſacerdotem, qui diligenter interroget quid baptizator fecerit, aut quid dixerit, & ſi inveniat omnia rite facta vel dicta, faciat puero ea quæ ſolent fieri poſt immerſionem. Si vero invenerit vel dubitarit, puerum non eſſe rite baptizatum, baptizet puerum ſub hac forma, *Petre, ſi tu es baptizatus, ego te non baptizo; ſed ſi tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti.*

V.

Item, doceant presbyteri quod ſi pater vel mater infantem ſuum in neceſſitate baptizaverint, non propter hoc dimittant, quia ut conjuges ſe habeant ut ante.

VI.

Item, ſi caput infantis naſcentis appareat extra, vel membrum aliud principalius, & timeatur de morte infantis, antequam perfecte naſcatur, infundat qui affuerit, aquam ſuper caput naſcentis dicens: *Infans, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti.* Si autem pervenerit vivus ad ortum legitimum, de novo baptizetur ſub his verbis: *Non te baptizo; ſed ſi non fuiſti baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti.*

VII.

Item, ſi mulier mortua fuerit in partu, non negentur ei aliqua jura chriſtianitatis, ſed in eccleſia deferatur, & in cimeterio tumuletur, niſi aliud obſtiterit, quia pœnam non debemus ei convertere in culpam: & ſi certum ſit quod parturiens mortua fuerit, teneatur os ejus apertum, & cum magna cautela uterus ejus aperiatur, ut infans vivus ſi poſſit, educatur & baptizetur. Si autem mortuus reperiatur, extra cimeterium ſepeliatur vel tumuletur.

VIII.

Ad levandum puerum de ſacro fonte duo vel tres ad plus admittantur: & ſi puer ſit maſculus, una mulier & duo viri interſint. Si ſit femina, unus vir & duæ mulieres, & pater nullatenus admittatur.

IX.

Parentes & patrini filiolos doceant orationem dominicam, ſcilicet *Pater noſter* & ſymbolum apoſtolorum, ſcilicet *Credo in Deum* & ſalutationem B. Mariæ, id eſt *Ave Maria*, & exhortentur eos ſæpe pie & juſte vivere.

X.

Item, fontes ſub cooperculo competenti & ſub ſera cuſtodiantur propter immunditias & ſortilegia.

XI.

Item, renovetur aqua fontium ſingulis annis in Paſcha & Pentecoſte, & ſæpius ſi neceſſe fuerit, & tunc ſæpius diligenter inſpiciatur, ſi indigeat renovari: & ſi indigeat, tunc excluſis laicis & clauſis oſtiis renovetur, & amoveatur vetus aqua, & fontes bene mundificentur, & nova aqua imponatur & benedicatur & chriſmetur; ſed antequam nova aqua apponatur, fontes diligenter mundificentur propter reverentiam ſacramenti.

XII.

Chriſma, oleum ſanctum, & oleum infirmorum in ampullis metallinis vel criſtallinis ſub clave & ſera cuſtodiantur, & deſuper diligenter obturentur. Si autem oportuerit chriſmati vel oleo ſancto aliud oleum apponi, caute & diligenter admiſceatur oleum appoſitum cum chriſmate & oleo ſancto: & hoc cum virgula.

XIII.

Excommunicamus omnes illos & illas, qui vel quæ de ſacramento altaris, vel de altari, vel in ipſo altari vel de chriſmate, aut de alio ſacramento ſeu ſacramentis aliis ſortilegia faciunt ſeu fieri procurant.

III. *De confirmatione.*

I.

Moneant presbyteri parentes baptizandorum nondum confirmatorum, ut eos adducant ad epiſcopum, qui ſolus poteſt confirmare. Adducant ſeptennes pueros vel minoris ætatis, quibus abſcindantur capilli contra frontem dependentes, & frontes diligenter laventur, & habeant faſciolas ſive bandella de ſpiſſa tela non tenui peplo, quæ ſint ſine ſutura & ſine nodo intermedio, quæ habeant latitudinem trium digitorum & longitudinem duorum pedum & dimidii & ſint munda & alba.

II.

Offerantur autem pueri epiſcopo ab eis qui curam eorum habeant, qui melius noverunt quod non ſunt vel fuerunt confirmati. Et moneantur parentes, quod confirmatos pueros tertia die adducant ad eccleſiam, ut presbyter lavet frontes eorum, & comburat bandella, & aquam lotionis cum cinere bandellorum faciat in ſacram piſcinam reponi. Adulti autem ſi ſint vel doli capaces, vel duodecim annorum & amplius, prius confiteantur ſuis presbyteris, quam confirmentur. Diligenter autem doceantur a presbyteris omnes confirmandi, quod ſe, ut dictum eſt, præparent ante diem præparationis, & quod nullus audeat ſe ingerere ad confirmandum, qui alias fuerit confirmatus. Parentes autem jam confirmatorum parvulos, ſæpe reducant eos ad memoriam quando, & a quo, & ubi fuerunt confirmati.

III.

Doceant autem ſacerdotes quod epiſcopus in confirmatione confirmandorum nomina poteſt mutare.

IV.

Nullus etiam ad primam tonſuram vel ad minores ordines audeat accedere, qui non prius fuerit confirmatus.

V.

Moneantur confirmandi, ut ita tempeſtive veniant ad confirmationem, ut primæ orationi interſint, expectent uſque ad ultimam quæ fuerit ſupra confirmatos.

VI.

Item, præcipimus ſacerdotibus, quod in ſuis eccleſiis publice & pluries denuncient ſuis parochianis, quod in confirmatione ſicut in baptiſmo contrahitur compaternitas, quæ non ſolum impedit matrimonium contrahendum, ſed dirimit jam contractum.

IV. *De confeſſione & pœnitentia.*

I.

Item, ſacerdotes doceant vel moneant ſubditos ac etiam eis in pœnitentiam injungant, ut ſæpe veniant ad confeſſionem, priuſquam veniant diligenter ſcrutentur corda ſua, peccata ſua apud ſe rememorent ſolicite cum dolore, & ſimplici vultu veniant ad confeſſionem quaſi ad Dei judicium. Sacerdotes autem, ut Dei miniſtri circa confeſſionem audiendam & pœnitentiam injungendam maximam habeant diligentiam.

II.

Ad audiendas confeſſiones communem & apertum locum in eccleſia ſibi eligant ſacerdotes, ut communiter ab omnibus videri poſſint, & in locis abditis & obſcuris non audiant confeſſiones, non extra eccleſiam, niſi ex magna neceſſitate vel infirmitate.





III.

Item, præcipimus quod ſacerdotes non ſedeant ad confeſſionem ante ſolis ortum, nec poſt ſolis occaſum, niſi ex magna neceſſitate.

IV.

Item, præcipimus diſtricte quod ſedendo ad confeſſionem presbyteri habeant vultum humilem, oculos ad terram, nec faciem reſpiciant confitentis, & maxime mulieris.

V.

Item, presbyteri in ſuperpellicio vel cappa rotunda confeſſiones audiant, & cum ſtola ſuperpoſita ad confeſſionem ſedeant.

VI.

Sacerdotes etiam moneant ſubditos ſuos, ut humili habitu & geſtu, oculis in terram defixis confiteantur. Mulieres cooperto capite & collo, ſubmiſſa facie confiteantur.

VII.

Sacerdotes mulierem quæ ſola ſit in eccleſia non audiant confitentem, ſed in aſpectu honeſtæ ſocietatis.

VIII.

Præcipimus ſub pœna excommunicationis presbyteris, ne audiant confeſſiones mulierum cum quibus peccaverunt, de peccatis quæ perpetraverunt cum eis: nec etiam conſcios & fautores peccati ſui vel mediatores audiant, ſed mittant eos ad honeſtos confeſſores, niſi neceſſitas, ex caſu hoc præcedente, exegerit.

IX.

Item, præcipimus quod ſacerdotes manſueti audiant confitentem, & de conſuetis peccatis interrogent ſigillatim: de inuſitatis autem non nominatim, ſed per talia verba inquirant, ex quibus confitens, ſi reus eſt peccati, poſſit intelligere quid dicatur, ut intelligens confiteatur: ſi autem reus non eſt, de illo non tentetur.

X.

Item, ſacerdotes moneant confitentes, ut integre & diſtincte confiteantur omnia peccata mortalia, & circumſtantias quæ aggravant peccatum, ut ſacer ordo, ſacer locus, in peccato luxuriæ, & circumſtantiæ quæ aggravant peccatum, notantur in hoc verſu;

*Quis, quid, ubi, quotiens, per quos, cur, quomodo, quando.*

Venialia autem ſummatim ſufficit confiteri.

XI.

Item, ſacerdotes reſervent epiſcopo majora peccata, ut puta, homicidia, ſacrilegia, incendia, peccata contra naturam, concubitus perſonarum conventualium in ſacris ordinibus conſtitutarum, inceſtus, videlicet cum conſanguinea vel affini, vel cum ea quæ votum caſtitatis emiſit, injectionem manuum in parentes, oppreſſiones parvulorum, negligentia pereuntium in igne; vel in aqua natos amittentium, veneficia, perjuria ſolemnia, fidei fractiones, votorum tranſgreſſores, ſimoniam, adulteria manifeſta, hæreſes, apoſtaſia, maleficia, eorumque malefici, aut conjuges ne poſſint coire, vel qui procurant ſterilitatem mulierum, vel qui procurant abortum, falſarios, qui litteram, ſigillum, vel monetam falſant. In his autem mittant presbyteri ad epiſcopum abſolvendos, nec abſolvant eos, niſi de noſtra ſpeciali licentia, vel niſi in articulo mortis.

XII.

Licentiam conceſſam a nobis ſeu auctoritate noſtra quibuſcumque ſive religioſis, ſive aliis abſolvendi a prædictis peccatis revocamus.

XIII.

Intendimus etiam nos de prædictis peccatis ſalubriter diſponere, & religioſis & aliis perſonis idoneis ſuper hoc committere vices noſtras, declarantes autem quod illi quibus duxerimus committendum, poteſtatem non habeant aliis perſonis idem committendi.

XIV.

In dubiis autem confeſſor conſulat epiſcopum vel ejus vices gerentem, vel alios ſapientes, quorum conſilio pœnitentem abſolvat vel remittat ad alium.

XV.

Audita confeſſione, ſemper confeſſor interroget confitentem, ſi velit ſe abſtinere ab omni peccato mortali: quod ſi confeſſus non dixerit, eum presbyter non abſolvat, nec injungat ei pœnitentiam, ne inde confidat, ſed eum moneat, & ſollicite hortetur, ut interim faciat quidquid boni poterit, ut Deus cor ejus illuſtret ad pœnitentiam, & conſulat ei modum vivendi, per quem facilius abſtinere poſſit a peccato mortali.

XVI.

Injungant ſacerdotes pœnitentias ſecundum quantitatem delicti ſive peccati & poſſibilitatem confitentis, ſcilicet pro peccatis carnalibus magnas injungat pœnitentias corporales, ſicut jejunium, diſciplinam & hujuſmodi. Item, pro ſpiritualibus ſpirituales, ut orationes etiam & meditationes ſuis peccatis contrarias.

XVII.

Præcipimus ſtatuendo quod quando aliquis recognoverit vel confeſſus fuerit presbyteris quod peccaverit in aſſumtione rei alienæ, vel damno alii illato per furtum, rapinam, uſuram, fraudem, inventionem, injuſtam vexationem, falſam teſtificationem, & aliquos modos, pro eo injungant ſacerdotes reſtitutionem fieri eis quos prædictis modis damnificaverunt; vel ſi deceſſerint, eorum hæredibus. Quod ſi non inveniantur hæredes, fabricæ eccleſiæ noſtræ Leodienſis reſtituendo applicent. Et concedimus quod reſtitutio talium poſſit fieri dictæ fabricæ eccleſiæ noſtræ S. Lamberti. Qui vero reſtituendi facultatem non habent, promittant ſe reſtituturos prædictis modis cum facultatem habuerint, aliter non abſolvantur.

XVIII.

Item, declaramus quod nomine reſtitutionis reſtituentes eccleſias, capellanias, vel cœnobia inſtituere non poſſunt, vel eleemoſynas, vel legata, vel teſtamenta facere auctoritate propria, ſed reſtituenda dictæ fabricæ applicentur, vel alias de noſtra licentia ordinetur. Sed prius unde poſſit fieri reſtitutio aſſignetur.

XIX.

Et quia nonnulli falſo aſſerunt, quod privilegia habent a ſede apoſtolica, quod reſtitutiones talium bonorum ipſis fieri poſſint, præcipimus omnibus rectoribus eccleſiarum, quod niſi ipſi religioſi vel alii oſtendant talia privilegia ipſis rectoribus, ipſi rectores non permittant ipſis fieri tales reſtitutiones, & eas ipſis fieri inhibeant ſub pœna excommunicationis: & denuncient ſuis ſubditis, quod non liberantur, ſi talibus religioſis vel aliis non habentibus ſuper hoc privilegium injuſta reſtituant. Et nos excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes illos qui dixerint ſe habere privilegium, quod reſtitutiones tales ipſis fieri poſſint, cum non habeant privilegium, & nihilominus recipiunt reſtitutiones tales.

XX.

Item, in confeſſione caveant ſacerdotes, ut ſi con-

Anno Christi 1287.

confitentes nomina eorum intimaverint cum quibus peccaverunt, ſecretum teneant ſicut confitentes peccatum.

XXI.

Item, nullus ſacerdos ira, vel odio, vel etiam metu mortis in aliquo audeat confeſſionem confitentis ſibi ſigno vel verbo generaliter vel ſpecialiter aliquatenus revelare. Omnes enim ſacerdotes contrarium facientes excommunicamus & excommunicatos denunciamus.

XXII.

Sacerdotes miſſas quas pœnitentibus injunxerint vel injunxerunt, non celebrent, neque tricenarium, neque annuale, neque colluſionem cum alio ſacerdote faciant de miſſis celebrandis, ut ſibi mutuo pro miſſis celebrandis ſuos parochianos tranſmittant.

XXIII.

Item, presbyteri ſuos parochianos moneant frequenter, ut a feſto Purificationis omnes ab XIV. annis & ſupra veniant ad confeſſionem ante dominicam in Ramis palmarum, & qui in hoc negligentes fuerint per octavam Paſchæ a carnibus abſtineant & jejunabunt ſicut in quadrageſima, niſi neceſſitate fuerint excuſati, nec propter hoc ipſis confeſſio denegetur.

XXIV.

Item, ſtatuimus quod presbyteri inhibeant parochianis ſuis, ne quis rem furtivam vel furti ſuſceptam vel ſuſpectam emat: quod ſi emerit, ſciat ſe ad reſtituendum teneri.

XXV.

Item, inhibemus ſtatuendo ſacerdotibus & aliis confeſſoribus, ne a confitentibus nomina illorum, cum quibus peccaverunt, inquirant, vel circumſtantias per quas poſſint nomina eorum deſignari: quod ſi fecerint, ab officio audiendi confeſſiones noverint ſe ipſo facto ſuſpenſos, & ſacerdotes primo inhibeant confitentibus, ne illorum nomina cum quibus peccaverunt exprimant, niſi forte confiteantur ſe deliquiſſe cum patre ſpirituali aut carnali, aut in alio caſu, ſine quo non poteſt plene confiteri, & tunc confitentes non dicant nomen proprium illius cum quo peccaverunt, ſed in genere dicant peccavi cum ſacerdote, clerico, monacho, & ſimilibus.

XXVI.

Item, presbyteri attendant quod ſi parochiani eorum non veniant ſemel in anno ad confeſſionem, nomina eorum referri debent ad epiſcopum vel officialem in ſcriptis ut puniantur.

XXVII.

Item, doceant presbyteri ſubditos ſuos, quod ipſi tenentur ex præcepto obſervare jejunia ab eccleſia inſtituta, etiamſi mortaliter non peccaverint, ut jejunia quadrageſimæ, quatuor temporum, proceſſionum, & in feſto S. Marci & rogationum ſequentium & ſimilia.

XXVIII.

Si feſtum ſancti Marci in hebdomada Paſchali venerit, ſive dominica die, non differetur, neque jejunetur, ſed proceſſio fiet generaliter cum letania.

XXIX.

Item, doceant ſacerdotes, quod ipſi ſubditi ſui tenentur jejunare vigilia Natalis Domini, Pentecoſten, Natalis B. Johannis-Baptiſtæ, B. Laurentii, Aſſumtionis B. Mariæ, & omnium ſanctorum & apoſtolorum, de quibus inferius apparebit. Et ſi aliqua vigilia die dominico evenit, jejunetur ſabbato præcedenti.

XXX.

Item, ſi alicui imponenda eſt ſolemnis pœnitentia pro crimine, & peccato vulgariſſimo quod totam villam commoverit, remittendus eſt ad epiſcopum, ut in die cinerum ejiciatur ab eccleſia & in die cœnæ recipiatur.

XXXI.

Nota.

Item, præcipimus quod ſacerdotes de mortalibus confiteantur ſuis decanis conſiliorum; & decani confeſſiones ſuorum ſacerdotum audiant ſaltem ſemel in anno, & decanus nomina ſacerdotum ſibi non confitentium ſaltem ſemel in anno referat nobis vel officiali noſtro, ut puniantur.

XXXII.

Et præcipimus etiam omnibus ſacerdotibus quod in principio miſſæ celebrandæ & divini officii celebrandi ab eiſdem, moneant etiam omnes fideles exiſtentes in eccleſia, ut ſi aliquem excommunicatum ſciverint in eccleſia, quod illum nuncient ſacerdoti: & cum presbytero innotuerit aliquem excommunicatum eſſe in eccleſia, non celebret, niſi exeat excommunicatus: & ſi excommunicatus violenter perſiſtere voluerit in eccleſia tempore quo divinum officium celebratur, tunc presbyter ſignificet juſtitiæ ſæculari loci, & petatur ut dictum excommunicatum ab eccleſia extrahat, & eumdem ad hoc compellat, ut divinum officium permittat excommunicatus celebrari. Et ſi juſtitia ſæcularis monita, hoc facere noluerit cum poſſit, & dictum excommunicatum in eccleſia perſiſtere permiſerit, ex tunc ſtatuimus dictam juſtitiam exercentem excommunicationis ſententiam incurrere, vel incurriſſe ipſo facto. Et præcipimus ſacerdotibus, quod dictam excommunicationem publice denuncient in eccleſia ſua ſic eſſe latam, & referant nomina dictam juſtitiam exercentium propter hoc excommunicatorum, nobis aut noſtro officiali, & decano. Et præcipimus decanis quod per totum decanatum ſuum dictam juſtitiam quæ dictam excommunicationem incurrit, denuncient & denunciari faciant ſingulis diebus dominicis & feſtivis, candelis accenſis ac campanis pulſatis publice ſic excommunicatam.

XXXIII.

Item, præcipimus quod cum laici decimas tenentes, quas non tenent ab eccleſiis vel eccleſiaſticis perſonis ad confeſſionem venerint, ſive ſint ſani ſive infirmi, ſacerdotes nullatenus abſolvant eos, niſi promiſerint, quod quam cito poterint illas decimas de noſtro conſilio, reſignabunt eccleſiis vel eccleſiaſticis perſonis aſſignandas: & ſi promittere noluerint, conſulant eis quod Corpus Domini non recipiant in tali ſtatu: intimantes eiſdem, quod ſi illud receperint, magis peccabunt.

XXXIV.

Item, præcipimus ſtatuendo, ut nullus ſacerdos audeat celebrare miſſam, niſi poſtquam dixerit matutinas, primam canonicam & jejuno ſtomacho & poſt dormitionem. Sacerdotes cum accedunt ad miſſam celebrandam devote ſe habeant, & ante altare dicant devote *Confiteor* ſuum. Et poſtquam ſacerdos miſſam celebrare inchoaverit, ſe habeat humiliter & devote, nec fabuletur cum aliis extraneis perſonis antequam ſit miſſa finita: & cum offertur, non inſpiciant perſonas offerentes, & maxime mulieres, ſed vultum ſimul habeant fixum verſus terram.

## V. *De ſacramento altaris.*

I.

Sacerdotes in veſtibus albis, mundis, ſacerdotalibus, & benedictis accedant ad miſſam celebrandam. Manipulus habeat in longitudine ſub brachio duos pedes, ſtola ad minus uſque ad paramentum albæ dependeat vel prope extremitatem albæ. Alba & caſula integra & non diſſuta obſervetur. Amictus ſæpe mundetur. Cingulum mundum & integrum & longum benedictum habeatur. Presbyteri ſub albis induti ſint ſuperpelliciis vel tunica linea quæ vulgariter *Saroht* vel *Rochet* appellatur.

II.

Præcipimus, ut ſingulis quatuor menſibus abluantur ornamenta eccleſiaſtica quæ ablui debent.

III.

Non cantent ſacerdotes ſine calceamentis vel caligis cum calceis attingentibus ſuper genua.

IV.

Noverint ſacerdotes, quod ſi cum conſcientia peccati mortalis acceſſerint ad celebrandam miſſam & celebraverint, ad minus ter, peccant mortaliter. Primo, quia præſumunt indigne accedere; ſecundo, quia indigni conficiunt & contingunt Euchariſtiam & tenent ſacra vaſa; tertio, quia indigni manducant Corpus Chriſti & Sanguinem bibunt.

V.

Altare ad celebrandum ad minus paretur duobus pallis benedictis.

VI.

Duo corporalia ad neceſſitatem unius altaris ad minus habeantur, quæ ſint mundiſſima & benedicta & aptæ plicaturæ.

VII.

Pannus quo calix extergitur cum veneratione cuſtodiatur.

VIII.

Miſſale ſemper involutum camiſia linea & munda altari imponatur, & habeat ſubdariolum, vel manutergium dependens, quo presbyteri nares, os & faciem detergant.

IX.

Loca circa altare ab aranearum telis & pulveribus & ceteris immunditiis ſæpius emundentur.

X.

Sacerdotes abluti ante canonem pollice vel indice nihil tangant in canone præter Corpus Domini & corporale ante elevationem Corporis Chriſti.

XI.

Cortinæ a lateribus altaris utrimque appendantur, nec ab aliquo tempore ſacrificii retrahantur. Cortina convenieos ſurſum ſuper altare extendatur, quæ protegat & defendat altare ab immunditiis deſcendentibus.

XII.

Calix & patena in quibus conficitur Corpus Chriſti ſint argentea vel aurea & integra, & calix ſit cum firmo pede & non titubans.

XIII.

Nullus ſacerdos ſine clerico celebrare præſumat, qui clericus habeat tunicam lineam vel ſuperpelliceum vel cappam rotundam & calciatus incedat.

XIV.

Clericus autem & ſacerdos non faciant aperturas ſub aſellis in tunica linea vel ſuperpellicio, quibus ejiciant vel exeant brachia ſine manicis tunicæ lineæ vel ſuperpellicii in miniſterio altaris.

XV.

Ampullæ aquæ & vini integræ & mundæ intus & exterius obſerventur, & ſigno vocabuli diſtinguatur vas vini a vaſe aquæ.

XVI.

Vinum ampullæ de tertio in tertium diem ad minus renovetur. Vinum rubicundum, ſi commode poſſit haberi, miniſtretur ad celebrandum.

XVII.

Piſcina in qua lavat ſacerdos manus ſuas poſt ſanctam conſecrationem munda teneatur & cooperiatur, & exterſorium poſt illam lotionem mundum habeatur, & reverenter alba tela vel corona linea vel ſerica tegatur, & cum corporali, cum neceſſe fuerit abluatur ab aliquo ſacerdote vel perſona religioſa, & aqua ablutionis in piſcinam ſacram mittatur.

XVIII.

Idem fiat de exterſorio calicis, vel ipſum quando vetus vel minus honeſtum fuerit ſuper piſcinam ſacram comburatur, & cinis in piſcinam radatur.

XIX.

Item, habeant ſacerdotes proprium manutergium quo manus detergant ante celebrationem vel ante contactum ſacrorum, ut Euchariſtiæ, chriſmatis & olei ſancti.

XX.

Clericus autem non extergat ad prædicta manutergia vel exterſoria; ſed habeat aliud proprium.

XXI.

Sacerdos ſit diligens in electione hoſtiæ conſecrandæ, ut ſit integra, ſolida, non nimis vetuſta; & in appoſitione vini & aquæ, ut diſcernat odore quid ſint utrumque, vel ab aliquo faciat guſtu diſcerni. De aqua autem ponantur duæ guttæ vel tres.

XXII.

Sacerdotes autem attente & diſtincte dicant & legant in canone quæ dicenda ſunt.

XXIII.

Sacerdos non elevet hoſtiam ad oſtendendum populo, niſi poſtquam dixerit hæc verba: *Hoc eſt enim Corpus meum*; & tunc pulſetur campana magna tribus ictibus ex una parte, ut fideles qui audierint, ubicumque fuerint, adorent.

XXIV.

Si ſacerdos cum venerit ad conſecrationem ſanguinis vel ad perceptionem, & nihil in calice invenerit, innuat ut afferatur ei vinum & aqua, quibus appoſitis, dicat illa verba canonis ab illo loco: *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*, uſque ad finem, & faciat ſignacula quæ ex tunc ſolent fieri ſupra ſanguinem.

XXV.

Illa autem quæ facta ſunt ſuper Euchariſtiam non reiteret. Quod ſi aquam puram invenerit & guſtaverit, ſacramentum non reiteret ſanguinis, ſed tranſeat cum conſueto modo.

XXVI.

Ille autem cui per ejus negligentiam hoc evenerit, tribus diebus a ſe diſtantibus jejunet in pane & aqua.

XXVII.

Si quid vero de ſanguine ceciderit ſuper corporale, vel ſuper pallam altaris, illa pars abſcindatur, & pro reliquiis habeatur, & recondatur, vel comburatur, & cinis in piſcina ſacra ponatur, vel pars corporalis vel pallæ intincta ſanguine ter diligenter abluatur, & aqua ablutionis a presbytero jejuno vel alia religioſa perſona & jejuna ſumatur, & poterit dictis pannis uti, ſicut prius poſt ablutionem prædictam.

XXVIII.

Si ſanguis ſupra aliud veſtimentum ceciderit, illa pars abſcindatur & comburatur, & cinis in ſacra piſcina recondatur: ſi ſupra lignum, lapidem, vel terram ſolidam ſanguis ceciderit: illa pars, ſi commode poſſit, a ſacerdote ablinguatur & poſtea radatur, & raſura cum ablutione vini & aquæ a ſacerdote ſumatur, vel combuſta in ſacram piſcinam ponatur.

Item,

Anno Christi 1287.

XXIX.

Item, ſi in ſanguine muſca vel aranea, vel aliquid abominabile ceciderit, quod vix ſine vomitu vel periculo corporis poſſit ſumi, caute abſtrahatur ſupra patenam vel alium calicem, & abluatur vino, & poſt ſanguinis ſumtionem & ablutionem ſolitam illa lotio honeſte a presbyteris ſumatur, vel ſaltem in piſcinam mittatur, & beſtia ſupra piſcinam comburatur.

XXX.

Si Corpus Domini ſupra pallam ceciderit, bis lavetur vino & aqua & a presbytero ſumatur. Si ſupra aliquod veſtimentum ceciderit, pars illa abradatur, & comburatur, & cinis in piſcinam mittatur.

XXXI.

Calix ad communicandum infirmos mundus & integer habeatur, & coopertus cuſtodiatur, & ſi facultas ſuppetat, fiat argenteus.

XXXII.

Pyxis in qua Corpus Domini reſervatur, vel ad infirmos defertur, eburnea vel argentea, vel ad minus cuprea bene climata, & ſemper pannus lineus, albus, mundus, vel ſericus infra pyxidem ponatur, ſupra quem Corpus Domini in pyxide collocetur.

XXXIII.

Cum infirmus communicari voluerit, prius viſitet eum presbyter ſine Corpore Domini, ſi commode fieri poteſt, & diligenter audiat confeſſionem ejus, & poſt redeat ad eccleſiam, & cum iturus erit ad infirmum communicandum, prius aliquanto ſpatio pulſetur campana aliquo certo ſigno ad hoc diſtincto, ut fideles ad eccleſiam veniant, & ſacerdotem qui defert Dominum ſuum, reverenter & ordinate ſubſequantur, & orationes quas ſciunt dicant devote pro infirmo, eundo & redeundo. Sacerdos eat dicendo ſeptem pſalmos, & ſi via fuerit longior, addat xv. pſalmos, & letaniam, & orationes.

XXXIV.

Incedat autem ſacerdos ad communicandum cum campanula & lucerna præcedente. Expectent autem omnes fideles donec infirmus communicetur, & redeant uſque ad eccleſiam poſt ſacerdotem ſemper Corpus Domini deferentem, ne populus in redeundo in vanum adoret, & ut populus in accedendo cum Deo ſuo reverentius vel libentius accedat: quilibet fidelis pœnitens ſi devote fecerit, habeat quinque dies indulgentiæ pro eundo & quinque redeundo: Si qui autem maligni hanc proceſſionem turbaverint, ſi moniti ſe non correxerint, per cenſuram eccleſiaſticam compelcantur.

XXXV.

Referatur autem Corpus Domini venerabiliter & ſublimiter, poſito decenti cooperculo ſuper calice, quod ſit cum cruce ſuppoſita & panno fimbriis ſericis adornato.

XXXVI.

Si infirmus frequentem vomitum levi occaſione patiatur, non conferat presbyter ei Corpus Domini, ſed credat infirmus & ſpiritualiter accipiat.

XXXVII.

Ante autem quam ſacerdos communicet infirmum ſacerdos dicat ei, ſi credat quod ſub illa forma panis ſit Corpus Chriſti, natum de Virgine, paſſum in cruce, ſuſcitatum tertia die. Quod ſi confeſſus fuerit verbo vel ſigno, communicet eum, ſi alia cauſa non obſtiterit: alioquin non communicet eum. Si autem communicatus evomuerit, partes corporis diligenter & attente colligantur, & quæ reperiri poſſunt, cum vino a ſacerdote vel aliquo fideli ſumantur, reſiduum vomitus comburatur, & ponatur in terram juxta altare, vel alibi in ſacro loco ubi commode poterit.

Anno Christi 1287.

XXXVIII.

Cum autem Corpus Domini defertur, fideles coram quibus defertur, ſi commode fieri poſſit, genua flectant, pectus tundant, & inclinato capite, junctis manibus adorent. Equitantes autem non dedignentur deſcendere de equis ut adorent eum, qui pro ipſis deſcendit de cœlis in terram.

XXXIX.

Si per caſum mortis, vel ægritudinis, vel paſſionis alicujus inopinatum contingat, quod ſacerdos cœptum nequeat explere myſterium, licitum ſit alteri ſacerdoti exequi & perficere conſecrationem cœpti officii: ita quod incipiat ibidem ubi alter deſtitit, niſi incepta collecta needum perfecta vel perlecta, vel inceptis verbis ſacramenti Euchariſtiæ needum perlectis, prædictus caſus contingat: tunc enim a capite collectam, vel ſacramenti verba recipiet, ut ſic ſaluti fragilitatis humanæ conſulatur, & ſacris myſteriis, ne inexpleta & ne interrupta remaneant, provideatur ſollicite.

XL.

Si autem dubitetur an hoſtia a primo ſacerdote ſit conſecrata, ſubſtitutus ſacerdos novam oblatam offerat, & ſolito more conficiat, & poſt miſſam hoſtiam primam accipiat. Idem dicimus de calice, id eſt de eo quod in calice recipitur.

XLI.

Euchariſtia pro infirmis reſervata ſingulis diebus dominicis renovetur.

XLII.

Corpus Domini in honeſto loco ſub altari vel in armariolo ſub clave ſollicite cuſtodiatur. Similiter chriſma & oleum in alio loco.

XLIII.

Doceant ſacerdotes ſubditos ſuos, ut cum venerint ad communicandum in die Paſchæ vel alias, jejuni & devoti & confeſſi accedant, & nullus extraneus ſe immiſceat, niſi viator vel peregrinus, & hoc de licentia ſacerdotis.

XLIV.

Item, hoſtiæ non conſecratæ quæ dicuntur panis benedictus nulli dentur, nec etiam parvis pueris. Pueri non communicentur antequam diſcretionem fidei habere dinoſcantur, ut circiter decennium.

XLV.

Item, præcipimus, ut in die Paſchæ & ceteris ſolemnibus quibus fideles communicant, tot hoſtiæ conſecrentur, quod non oporteat frangi formas quando fideles communicant.

XLVI.

Præcipimus, ut nullus ſacerdos bis in die celebret miſſam, niſi ex magna neceſſitate & urgenti: & tunc in prima miſſa poſt perceptionem ſanguinis non utatur ablutione vini & aquæ, ſed reſervet in tuto & honeſto loco, & eam accipiat poſt ſecundam miſſam, vel det honeſtæ perſonæ jejunæ, quam noverit ad hoc eſſe paratam.

XLVII.

Presbyteri non deſerviant duabus eccleſiis, niſi una dependeat ab altera.

XLVIII.

Nullus fidelis arcendus eſt a communione, niſi excommunicatus vel interdictus, vel ab aliquo notorio crimine notatus: videlicet publicæ meretrices, mimi, hiſtriones, uſurarii notorii.

Sacer-



Anno Christi 1287.

XLIX.

Sacerdotes prohibeant ſub pœna excommunicationis ſubditis ſuis, ne locent meretricibus vel receptatoribus earum, vel turpitudinis mediatoribus earum, domos aliquas: & ſi qui contra prohibitionem iſtam fecerint, epiſcopo vel ejus officiali nomina eorum per presbyterum nuncientur, & exhortentur ſacerdotes ſuos parochianos, ut ipſis presbyteris denuncient eos vel illas qui deliquerunt in præmiſſis.

L.

Excommunicamus ſacerdotes capellanos, qui ſcienter accedent ad miſſam celebrandum præſentibus publicis excommunicatis.

LI.

In capellis magnatum vel aliorum de novo conſtructis, niſi ex licentia noſtra nullus audeat celebrare: quod ſub pœna excommunicationis fieri prohibemus.

## VI. *De ordinandis.*

al. de ordinibus.

I.

Præcipimus ſtatuendo clericis habentibus parochias, vel capellanias, vel præpoſituras vel alias curas animarum, ut ad ſingula tempora ordinum offerant ſe ordinandos prout onus beneficii requirit epiſcopo, feria v. ante tempus ordinum etiam non vocati, ut poſſit interrogare epiſcopus vel archidiaconus de his quæ pertinent ad ſufficientiam ordinandi. Et hoc jurare debent quando recipiuntur ad parochias vel ad eccleſias. Præſententur ordinandi epiſcopo per archidiaconos ſuos.

II.

Statuimus quod cedant fructus parochiarum & capellaniarum eorum qui in propriis perſonis & in ordine ſacerdotali ibidem non deſerviunt, & eorum qui curam parochialem de manu prælati ſui non receperunt ad opus noſtri, archidiaconorum, ſeu aliorum, ſecundum quod ſe habet de conſuetudine hactenus in noſtra diœceſi obſervata.

III.

Excommunicamus, & excommunicatos denunciamus omnes illos, qui fructus eccleſiarum parochialium & capellaniarum & altarium earumdem, in quibus rectores eorum perſonaliter non deſerviunt, pro illis temporibus nobis, archidiaconis, & decanis competentes receperint & levaverint præter noſtram, archidiaconorum & decanorum voluntatem.

IV.

Excommunicamus etiam omnes, qui fructus eccleſiarum parochialium, capellaniarum, vel altarium in quibus rectores earum perſonaliter non deſerviunt pro illis temporibus levaverunt & receperunt contra voluntatem noſtram, archidiaconorum ſeu decanorum, niſi infra menſem proximum ſatisfecerit de receptis.

V.

Præcipimus decanis, ut ſingulis in ſuis decanatibus de hujuſmodi diligenter inquirant, & eos ad notitiam noſtram referant, officialis noſtri vel archidiaconi.

VI.

Omnes ordinandi diligenter ante ordines confiteantur, ut mundi mente & corpore gratiam recipiant ampliorem.

VII.

Præpoſiti & decani qui curam habent animarum ad ſacros ordines, ſecundum quod beneficium requirit ſe præſentent, & in eccleſiis debitam faciant reſidentiam.

VIII.

Excommunicamus omnes illos qui tonſuram clericalem & quoſcumque ordines ſacros vel non ſacros ab alienis epiſcopis receperint, licentia noſtra ſpeciali ſuper hoc non obtenta.

Anno Christi 1287.

IX.

Item, excommunicamus omnes alios extraneos qui a nobis ſeu vices noſtras gerente in noſtra diœceſi tonſuram clericalem vel quoſcumque ordines ſacros vel non ſacros furtive ſuſceperint, ſine licentia epiſcoporum ſuorum.

X.

Item, excommunicamus omnes illos qui tonſuram clericalem ab alieno epiſcopo ſine noſtra licentia ſuſceptam deferre præſumſerint; vel radi fecerint, noſtra licentia ſuper hoc non obtenta, etiamſi ab excommunicatione, quam ob hoc incurrerint, fuerint abſoluti.

XI.

Item, præcipimus quod nullus accedat ad ordines, nec per archidiaconum præſentetur ordinandus, niſi ætate, moribus, & ſcientia dignus exiſtat & ſub certo titulo.

XII.

Item, nullus admittatur ad titulum vicariæ, niſi ſit perpetua vicaria, a qua non poſſit amoveri.

## VII. *De extrema-unctione.*

I.

Cum reverentia, aqua benedicta, & cruce deferatur oleum ſanctum ad infirmos, & diligenter dicantur VII. pſalmi prius cum letania & orationes ad hoc inſtitutæ. Ille autem, qui inungit proferat iſta verba: *Per iſtam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum*, & ſic de aliis, & reverenter inungat, & verba diſtincte proferantur, & inde penitus nihil exigat: & ſi quid datum fuerit, gratis recipiatur: tamen conſuetudo laudabilis obſervetur per epiſcopum.

II.

Item, ad ſacramentum extremæ-unctionis ſæpe presbyteri moneant populum, ut indifferenter a XIV. annis & ſupra ſinguli cum neceſſe fuerit inungantur, nec pauperes pro egeſtate ſe excuſent.

III.

Si non poſſit infirmus habere multitudinem candelarum, vel indumenta linea, quæ cauſa reverentiæ in hoc ſacramento haberi ſolent, non propter hoc dimittat ſacerdos inungere, ſed ſufficiat candela una.

IV.

Inuncti cum ſtupa diligenter in ſingulis membris inunctis extergantur, & ſtupæ comburantur, & cinis in ſacro loco reponatur.

V.

Doceant ſacerdotes quod hoc ſacramentum licite poteſt iterari in qualibet gravi & periculoſa infirmitate.

VI.

Item, ſuſcepturi quodcumque ſacramentum prius confeſſione mundentur. Iſtud ſacramentum valet ad tres, unde verſus.

*Ungor in extremis, ut ſit mihi gratia major,*
*Et morbus levior, vel pœnitentia minor.*

## VIII. *De cimeteriis & ſepultura.*

I.

Præcipimus, & ſtatuimus, quod nullus excommunicatus nunciatus in cimeterio eccleſiæ,

vel

vel ipſa eccleſia, vel ambitu ſepeliatur: & ſi factum fuerit, corpus & oſſa ejus excommunicati extumulentur & ejiciantur ex cimeterio, dummodo diſcerni poſſint a corporibus & oſſibus fidelium; & cimeterium in quo corpus excommunicati ſepultum eſt maneat & ſit interdictum, donec excommunicati corpus, ſi diſcerni poſſit, extumuletur.

II.

Et præcipimus omnibus tam religioſis quam aliis, dum ad ipſos aliquis qui ſepulturam ſuam elegerit debeat ſepeliri, interrogent a ſacerdote ſuo diligenter, utrum ſepeliendus deceſſerit excommunicatus vel interdictus. Quod ſi per presbyterum aut alias ipſis conſtiterit, nullo modo ſepeliant corpus excommunicati vel interdicti in cimeterio eccleſiæ vel ejus ambitu.

III.

Item, prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliquis in cimeterio interdicto ſepeliatur, & ne aliquis ſepulturæ tali interſit.

IV.

Laici autem qui tali ſepulturæ in cimeterio interdicto interfuerint ſcienter, excommunicationis ſententiam, quam ſuper hoc ferimus in his ſcriptis, incurrant ipſo facto, & nuncientur publice excommunicati.

V.

Clerici vero qui interfuerint tali ſepulturæ ſcienter, ſententiam ſuſpenſionis ab officio, quam in eos ferimus ipſo facto, ſe noverint incurriſſe.

VI.

Item, ſtatuimus & præcipimus ſub pœna excommunicationis obſervari, ut quotiens quis in loco religioſo ſepulturam elegerit, corpus primo præſentetur parochiali eccleſiæ, & tunc demum celebrata miſſa in eccleſia parochiali deferatur in locum in quo elegerit ſepulturam: & hoc nihilominus, fiat ſalvo in omnibus jure eccleſiæ parochialis defuncti.

VII.

Item, cum a pluribus ſacerdotibus intellexerimus, quod quidam religioſi fraudulenter in damnum & præjudicium eccleſiarum parochialium incitant & inducant infirmos divites & potentes precibus & promiſſionibus ad eligendum apud eos ſuam ſepulturam: ut per hoc ipſi religioſi vel alii apud quos tales ſepulti fuerint habeant magnam partem bonorum mortuorum, & munera parentum eorumdem, ex quibus eccleſiæ parochiales ſuis juribus defraudantur: nos ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis talia de cetero fieri prohibemus. Sed ſi ipſi infirmi ſine fraude, & ſine dolo, & precibus talibus, ſuam ad locum religioſorum aut alias elegerint ſepulturam, ibidem ſepeliantur, ſalvo tamen jure parochialis eccleſiæ, ut dictum eſt.

VIII.

Et nos omnibus eligentibus ſuam ſepulturam ad ſuam parochialem eccleſiam quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus.

IX.

Sacerdotes audito obitu parochianorum ſuorum, abſolvant eos ſtatim cum pſalmo *De profundis* & collecta, & dicant vigilias, & alia quæ pro defunctis debentur.

X.

Corpora defunctorum de nocte in domibus non cuſtodiantur, ſed ad eccleſiam deferantur, & omnibus excluſis, oſtia firmantur factis orationibus, & alia quæ in talibus fieri conſueverunt.

XI.

Item, decani referant ad ſynodum nomina ſa- A cerdotum qui eodem anno defuncti ſunt, ut in ſynodo abſolvantur, & ſinguli presbyteri faciant pro eis ſpeciale ſervicium, ut ſimiliter pro eiſdem fiat tempore opportuno.

XII.

Item, præcipimus, quod ſacerdotes in reditu de ſynodo ad ſuas parochias, unuſquiſque ſacerdos quam cito commode poterit, cantet miſſam ſolemniter pro ſacerdotibus defunctis in illo anno.

XIII.

Item, ſtatuimus, quod omnes presbyteri annuatim in craſtino octavarum Paſchæ ſolemniter obſervent & celebrent anniverſarium ſacerdotum omnium ſuorum & fratrum, & nuncient populo dominica præcedenti, quod quicumque anniver- B ſario prædicto interſuerit, ſi pœnitens fuerit, ei decem dies indulgentiæ concedimus.

XIV.

Item, ſtatuimus, quod omnes portantes corpora pauperum mortuorum ad eccleſiam & ad foſſam, & omnes qui interſuerint ſepulturæ eorumdem habeant xx. dies, & qui extremæ-unctioni interſuerint habeant decem dies ſimiliter indulgentiæ.

XV.

Item cimeteria munda & clauſa muris & ſepibus vel aliis teneantur, ne a porcis vel aliis animalibus inquinentur.

XVI.

Excommunicamus omnes illos qui de novo in eccleſia ædificaverint. Si quis partem cimeterii ſi- C bi attraxerit vel appropriaverit, moneatur ut reſtituat: quod ſi noluerit, epiſcopo nuncietur.

XVII.

Nullus presbyter pro ſepultura vel pro quocumque eccleſiaſtico ſacramento conferendo aliquid exigat vel petat. Sed ſi ſibi poſtea datum fuerit, illud presbyteri recipere poſſunt. Sed ſi in aliqua parochia de conſuetudine antiqua aliquid presbytero conſuevit dari, dum ſacramenta eccleſiaſtica exhibuerit, vel aliquem ſepelierit, & illud presbytero non conferatur, denunciet ipſe presbyter nobis vel noſtro officiali vel archidiacono loci, & nos vel ipſi talem conſuetudinem laudabilem faciemus ex officio noſtro obſervari.

XVIII.

D Item, inhibemus ne placita ſæcularia in eccleſia, vel in porticu, vel in cimeterio ejuſdem teneantur, & omnes proceſſus judicum ſæcularium & ſpecialiter ſententias prolatas in eiſdem locis a ſæcularibus judicibus declaramus & pronunciamus ipſo facto non tenere.

XIX.

Præcipimus etiam ſub ſententia excommunicationis omnibus principibus & aliis laicis, ne ſua parlamenta habeant vel teneant in eccleſiis vel earum cimeteriis, & quod nullus negotiationes, & præcipue nundinarum & fori cujuſcumque tumultus exerceat in eccleſiis vel earum cimeteriis.

XX.

Præcipimus etiam, quod joculatores, hiſtrio- E nes, ſaltatrices in eccleſia, cimeterio, vel porticu ejuſdem, vel in proceſſionibus, vel in rogationibus joca vel ludibria ſua exerceant, nec in dictis locis aliquæ choreæ fiant.

XXI.

Item, ſtatuimus, quod in eccleſiis civitatis & diœceſis Leodienſis laici de cetero ſæcularia vel alios contractus ſæculares non exerceant, nec merces vendantur ibidem, cum domus Dei non negotiationis, ſed orationis eſſe debeat & vocari: alioquin ab his qui eccleſiis præerunt excommunicentur.







## IX. *De matrimonio*.

I.

Præcipimus presbyteris quod prohibeant ſubditis ſuis, ne dent ſibi fidem de matrimonio mutuo contrahendo, niſi coram ſacerdote alterius eorum qui voluerit contrahere in loco celebri & publico, non in cameris, non in domibus, ſed coram pluribus in facie eccleſiæ, niſi ſint tales perſonæ, quod presbytero loci ex cauſa ad alium locum hoc viſum fuerit expedire. Et ſi aliter fidem dederint de matrimonio contrahendo, eos excommunicamus, & eos etiam qui clandeſtinas nuptias contrahunt, & tales denuncientur excommunicati. Et ſi aliqui ſibi fidem dederint de matrimonio contrahendo ſine presbytero, & in matrimonio poſtea voluerint procedere ulterius per eccleſiam, coram ſacerdote fidem iterent. Et tunc presbyter procedat ad proclamationem bannorum.

II.

Cum autem matrimonia fuerint celebranda, contrahentes prius coram ſacerdote contrahant ſponſalia, & poſtea tribus diebus feſtivis a ſe diſtantibus ſuper dicto matrimonio contrahendo banni fiant in eccleſia ad miſſam poſt evangelium, & proclametur publice a ſacerdote quod dicti contrahentes matrimonium ſunt contracturi, & præcipiatur ab ipſo ſacerdote omnibus audientibus ſub pœna excommunicationis, ut ſi qui ſciant legitimum impedimentum inter ipſos contrahere volentes, quare ad matrimonium procedere non poſſint, videlicet conſanguinitatis, affinitatis, vel compaternitatis, vel quodlibet aliud, quod id proponant, & id denuncient presbytero antequam matrimonium contrahatur, & ipſi presbyteri nihilominus inveſtigent diligenter utrum aliquod impedimentum exiſtat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra matrimonium contrahendum, ad matrimonium contrahendum non procedat presbyter. Et ipſis contrahere volentibus expreſſe presbyter interdicat, ne procedant ad matrimonium, donec quid fieri debeat de præmiſſis per epiſcopum ſeu ejus officialem, archidiaconum, vel alium qui in talibus cognoſcere poſſit & conſuevit declaretur, & tunc presbyter contrahere volentes, & denunciatorem, ſi per eam ſe facere voluerint, citet coram nobis vel noſtro officiali, archidiacono, vel alio, ut ſupra, & quid ſuper hoc per ipſum presbyterum actum fuerit in proclamationibus & aliis, & cauſam quare ad matrimonium non procedit per litteras ſuas ſignificet idem presbyter nobis, vel noſtro officiali, vel aliis ut ſupra, & ſignificet presbyter ſuis parochianis quod quicumque impedimentum aliquod ſcit, vel famam ſuper hoc, quod mortaliter peccat, ſi hoc antequam matrimonium contrahatur, non denunciat.

III.

Excommunicamus & excommunicatos denunciamus, qui poſt affidationem clandeſtinam, vel etiam in manu presbyteri factam, antequam matrimonium in conſpectu eccleſiæ cum ſolemnitate debita ſit contractum, carnaliter ſe cognoſcunt.

IV.

Item, excommunicamus & excommunicati denuncientur qui clandeſtina conjugia contrahunt. Item, excommunicamus & denuncientur excommunicati, qui poſtquam eis per presbyterum loci vel officialem noſtrum ſeu loci archidiaconum interdictum ſit, ne matrimonium contrahant, nihilominus contraxerunt matrimonium.



V.

A Excommunicamus, & excommunicatos denunciamus ſacerdotes, clericos, ſive laicos, vel etiam mulieres, & quoſcumque qui aliquas perſonas clandeſtine modo prædicto præſumpſerint copulare.

VI.

Item, excommunicamus & excommunicati denuncientur quicumque clandeſtinis matrimoniis coram presbytero vel aliis celebratis interfuerunt, niſi infra menſem ex tunc hoc denuncient epiſcopo vel ejus officiali, archidiacono vel aliis, &c. Et nihilominus pœna debita puniantur.

VII.

Item, excommunicamus & excommunicatos B denunciamus illos, qui fidem vel munera aliqua dederint, ſeu acceperint pro celandis impedimentis matrimonii, vel qui prece, pretio, gratia, favore, odio, vel timore impedimentum matrimonii celaverint.

VIII.

Item, excommunicamus omnes illos qui quomodolibet falſum impedimentum proponunt contra matrimonia contracta vel contrahenda. Si qui vero clandeſtina matrimonia vel interdicta conjugia inire præſumpſerint in gradu prohibito, etiam ignorantes, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium: ſimiliter proles illegitima cenſeatur, ſi ambo parentes ſcientes C impedimentum legitimum, propter quod inter eos matrimonium ſtare non poſſit, & nihilominus matrimonium etiam in faciem eccleſiæ contraxerint.

IX.

Excommunicamus etiam & excommunicatos denunciamus quoſcumque, qui rapuerunt aliquas mulieres, & abducunt invitas ad hoc quod eis cohabitent, vel matrimonium contrahant cum eiſdem, licet poſtmodum de non volentibus, fiant volentes. Et cum matrimonia debeant eſſe libera, prohibemus ne pœna aliqua apponatur ſuper matrimonio contrahendo, & pœnam appoſitam in matrimonio declaramus non tenere, & ad eam ſolvendam pœnam promittentes non eſſe obligatos, D cum matrimonia metu pœnæ aſtringi non debent. Si qui autem ad invicem dederint fidem de matrimonio contrahendo per verba de futuro, & ante carnalem copulam fidem velint remittere, non fiat hujuſmodi remiſſio, niſi per epiſcopum, ejus officialem vel archidiaconum loci.

X.

Presbyteri pro dandis litteris teſtimonialibus nihil recipient, ſed ſolum pro labore ſcripturæ, ſigillatione, & cera tres albi ſufficient.

XI.

Excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes illos, qui contra matrimonium contractum vel contrahendum ſortilegia vel maleficia procurant, vel per ſortilegium & male- E ficium faciunt, vel conſilium ad hoc dant quod conjuges ſe odio habeant, vel quod unus cum alio coire non poſſit.

XII.

Matrimonia cum devotione contrahentium, & benedictio nuptiarum in miſſa hora debita celebrentur. Nuptiæ non celebrentur, niſi hora miſſæ, & conjuges in nuptiis celebrandis audiant totam miſſam.

### X. *De vita & honeſtate clericorum.*

I.

Præcipimus quod univerſi clerici & presbyteri continenter & caſte vivant, ab libidinis vitio præcaventes, quatenus in conſpectu omnipotentis Dei puro corde & mundo corpore valeant adminiſtrare: & qui comprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis vel minus peccaverint, ab eorum ordinariis ſeu prælatis puniantur: alioquin nos prælatorum negligentiam ſupplebimus & tales puniemus.

II.

Præcipimus etiam prælatis eorum ſub pœna ſuſpenſionis, quod tales clericos in ſuis iniquitatibus non ſuſtineant, maxime obtentu pecuniæ vel alterius commodi temporalis.

III.

Ab crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant.

IV.

Præcipimus etiam omnibus clericis ſub pœna ſuſpenſionis, & maxime ſacerdotibus & in ſacris ordinibus conſtitutis, ne feminam aliquam in domo ſua teneant vel habeant, niſi ſorores, matres, amitas, aut materteras, vel filias earum, ſive avunculorum aut patruorum, aut alias ita maturas & antiquas, quod nulla ſuſpicio de illis habenda ſit. Antiquas autem reputamus ſexagenarias, & ultra.

V.

Prohibemus etiam ipſis clericis, ne mulieres alias a ſupradictis domus eorum frequentare, aut eiſdem in domibus ſervire permittant, licet in eis morentur.

VI.

Clerici tonſuram & habitum habeant clericales; & coronam rotundam competentem, & ſepties ad minus in anno radant coronam.

VII.

Monemus primo, ſecundo & tertio omnes clericos noſtræ civitatis & diœceſis Leodienſis, ut infra menſem proximum tonſuram & habitum habeant clericales, & ulterius portent & deferant competenter. Alioquin omnes & ſingulos clericos ex tunc ulterius tonſuram & habitum clericales continue non gerentes, poſt monitionem ternam ſpecialiter factam, denunciamus gaudere non debere privilegio clericali, & ipſum privilegium amittere.

VIII.

Continue autem reputamus clericos portare tonſuram & habitum clericales, qui in civitates, vicos, eccleſias & alibi coram notis & ignotis palam portant eoſdem. Verumtamen ſi clericus per vias vel loca aliqua procedens ad vitandum pericula, de quibus merito timere debuit, tonſuram & habitus clericales diſſimulaverit & non portaverit, hujuſmodi privilegium non amittit.

IX.

Clerici pannis rubeis, viridibus, & virgulatis indecentis menſuræ non utantur ſine cauſa: alioquin eos a laicali juſtitia ratione clericalis privilegii non defendemus.

X.

Sacerdotes cappis manicatis non utantur.

XI.

Clerici in ſacris ordinibus conſtituti & bene[illegible] mitras non habeant in capite, dum ſunt in eccleſia.

XII.

Clerici ad aleas vel taxillos non ludant, nec participes ſint ludentibus: & ſint clerici in eccleſia honeſte ſine tumultu, ſine verboſitate & ſuſurratione, nec habeant in domibus ſuis canes vel aves venaticos.

XIII.

Item, ſtatuimus, quod quicumque ſacerdotes ſeu clerici beneficiati ſententiam ſuſpenſionis vel excommunicationis per annum & diem animo ſuſtinuerint indurato, beneficiis ſuis priventur per ſuos ordinarios, & alias nihilominus propter hoc canonice puniantur.

XIV.

Item, ſtatuimus, ut clerici ubique & maxime in divinis officiis decenter & diſtricte ſe habeant, & tales ſe in moribus, vita, & converſatione, verbis, factis, ſocietatibus, corporis compoſitione, & quibuſcumque honeſtatibus exhibeant, ut verecundia quæ etiam laicis eſt indicta, in ipſos clericos commendetur.

XV.

Nullus clericus in ſacris ordinibus conſtitutus vel beneficium habens eccleſiaſticum, horas canonicas & beatæ Mariæ qualibet die diſtricte & diſcrete dicere prætermittat.

XVI.

Item, ſtatuimus, quod nec canonici nec clerici vagentur tempore nocturno per plateas: & ſi aliquos tranſire oporteat ex juſta & legitima cauſa, hoc faciant ſine clamore, ſine tympanis & chorea; & præcipimus quod contrarium facientes excommunicentur.

XVII.

Nullus presbyter dicat miſſam niſi unam in die, & præcipue de die, niſi in caſibus a jure permiſſis, vel hoc faciat neceſſitate imminente, utpote miſſam pro defunctis: nec celebret presbyter ſine clerico vel ſcholari, nec mulier permittatur aliquatenus ad altare miniſtrare.

XVIII.

Item, ſtatuimus, quod nequaquam laicus vel clericus uxoratus inſtituatur matricularius, ubi matricula valet LX. ſolidos Leodienſes vel amplius, ſed clericus honeſtus, non uxoratus, ſi haberi poſſit: & ſi in aliquibus eccleſiis ſit laicus vel uxoratus clericus matricularius, ille ejiciatur, & recipiatur clericus non uxoratus, & ubicumque haberi poſſit clericus, non recipiatur laicus.

### XI. *De ordinario & feſtis.*

I.

Item ſtatuimus, ut in omnibus eccleſiis noſtræ diœceſis ſingulis noctibus in matutinis pſalmi nocturnales ſive feriales decantentur vel legantur ad nocturnos, niſi ea die ſit tale feſtum, quod miſſam propriam habeat, vel collectam, Invitatoria, reſponſoria & laudes, ac horæ diei de ſancto cujus eſt feſtum cantentur, quemadmodum in majori eccleſia ſervatur.

II.

Item, diſtricte præcipimus, ſub pœna excommunicationis tam decanis conventualium eccleſiarum, quam ſacerdotibus parochialibus, & aliis civitatis & diœceſis Leodienſis, quod calendaria eccleſiarum ſuarum corrigant ad calendarium ejuſdem eccleſiæ majoris Leodienſis; & ordinarium habeant & teneant majoris eccleſiæ Leodienſis, & ſe in divinis officiis celebrandis & faciendis, & in ordinario conforment dictæ majori eccleſiæ tanquam membra ſuo capiti, ſuo modo, & ſuo poſſe. Volumus tamen quod quælibet eccleſia feſtum cujuſlibet ſancti, cujus ſpecialiter in illa eccleſia ſolet haberi reverentia, obſervet, prout hactenus conſuevit.

III.

Item, ſtatuimus, quod quandocumque aliquod feſtum IX. lectionum occurrerit in dominica infra quadrageſimam vel adventum, dictum officium dominicæ tam diurnum, quam nocturnum fiat in dominica, & officium feſti transferatur uſque ad feriam ſecundam proxime ſequentem, & tunc fiat plenarie, nec tamen populo præcipiatur quod dicta feſta celebret.

IV.

Item, ſtatuimus, ſi feſtum Annunciationis venerit in dominica *Lætare Jeruſalem* ſeu dominica in Paſſione, tunc differtur uſque ad ſecundam feriam, & populo præcipiatur, ut ſecunda feria feſtum Annunciationis celebretur. Quando autem Annunciatio venerit in dominica ſeu hebdomada palmarum, tunc anticipabitur in vigilia palmarum, & celebrabitur. Quando autem venerit in hebdomada Paſchali, videlicet feria ſecunda, tertia vel quarta, anticipabitur in vigilia palmarum, & celebrabitur.

V.

Item, ſtatuimus, quod feſtum Trinitatis dominicæ poſt octavam Pentecoſtes, quæ vocatur octava Trinitatis, cum IX. lectionibus & debita ſolemnitate fiat. In hebdomada vero præcedente, videlicet ab octava Pentecoſtes in ſecundis veſperis uſque ad prædictam dominicam cantetur & legatur de Trinitate, prout hactenus conſuevit, & poſt dictum feſtum Trinitatis per hebdomadam ſequentem cantetur officium dominicæ, ſcilicet *Domine ne in ira*, & quinta feria ejuſdem hebdomadæ fiat ſolemniter feſtum Euchariſtiæ, prout hactenus a noſtris anteceſſoribus ſunt ſtatuta.

VI.

Item, ſtatuimus, prout anteceſſores noſtri ſtatuerunt, quod in feſto Annunciationis & in feſto Purificationis B. Virginis, quando infra ſeptuageſimam evenerint *Te Deum*, *Gloria in excelſis*, & ſequentia cantetur.

VII.

Item, ſtatuimus, prout in eccleſia Leodienſi obſervatur, quod per totam diœceſim in ſingulis eccleſiis celebrentur cum IX. lectionibus feſta SS. Gregorii, Benedicti, Ambroſii, Barnabæ, Dominici, Auguſtini, Jeronymi, Franciſci, Lucæ, Leonardi, & undecim millium Virginum. Nolumus tamen, quod populus in dictis feſtis ceſſet ab operibus ſuis.

VIII.

Feſta etiam quæ per totum annum nos præcipimus celebrari ſunt hæc. *In Januario* feſta Circumciſionis, Epiphaniæ, Converſionis S. Pauli. *In Februario* feſta Purificationis, Cathedræ S. Petri, Matthiæ apoſtoli. *In Martio* feſtum Annunciationis. *In Aprili* nullum, niſi Paſcha. *In Majo* feſtum apoſtolorum Philippi & Jacobi, Inventionis S. Crucis. *In Junio* Nativitatis B. Johannis Baptiſtæ, Petri & Pauli apoſtolorum. *In Julio* feſta S. Magdalenæ, Jacobi apoſtoli. *In Auguſto* feſta S. Petri ad vincula, Laurentii, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, B. Bartholomæi apoſtoli. *In Septembri* Nativitatis B. Virginis, S. Lamberti, S. Matthæi apoſtoli, S. Michaelis. *In Octobri* feſta S. Dionyſii, SS. Simonis & Judæ. *In Novembri* feſtum Omnium ſanctorum, S. Huberti, S. Martini, Catharinæ, & S. Andreæ. *In Decembri* S. Nicolai, S. Thomæ, Nativitatis Domini, S. Stephani, & Johannis evangeliſtæ, SS. Innocentium. Feſtum Paſchæ Domini quocumque menſe accidat cum tribus diebus, & feſtum Pentecoſtes cum tribus diebus ſequentibus ſolemniter celebrentur. Quælibet eccleſia feſtum ſui patroni







& ſuæ dedicationis celebret in ſua parochia. Omnia vero alia feſta, exceptis prædictis non præcipiantur celebrari, nec proclamentur in ſynodo qui ea infringunt, ſed in ipſis devotioni hominum relinquatur: ita quod qui noluerit ea celebrare, propter hoc nec pœnam incurrat, nec culpam: proviſo tamen quod in eccleſia eorum fiant officia a clericis & a ſacerdotibus modo debito & conſueto.

IX.

Item, præcipimus omnibus ſacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, quod feria ſecunda & tertia ante diem cinerum ab eſu carnium abſtineant. NOTA.

X.

Item, ſtatuimus quod in omnibus vigiliis præterquam in vigiliis Johannis evangeliſtæ, Philippi & Jacobi jejunetur. Et hoc presbyteri præcipiant populo ſibi ſubjecto, & in vigiliis Omnium ſanctorum, Natalis Domini, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis jejunetur, & a lacticiniis abſtineatur.

XI.

Item, præcipimus omnibus clericis uxoratis, qui beneficia eccleſiaſtica detinent, quod infra menſem proximum poſt præſentis ſynodi celebrationem reſignent ea: quod ſi forte neglexerint, ipſos excommunicamus, & excommunicatos denunciamus.

### XII. *De bigamis.*

I.

Item, præcipimus omnibus qui fuerint clerici & bigami ſunt effecti, quod tonſuram & habitum non deferant clericalem: alioquin nos ipſos excommunicamus; cum bigamus gaudere non debeat privilegio clericali.

II.

Excommunicamus etiam, & excommunicatos denunciamus omnes laicos & alios quoſcumque qui clericos deaſſecuraverint, maxime coram ſuo judice, volentes facere juſtitiæ complementum, niſi infra octo dies eoſdem aſſecurent & a præmiſſis deſtiterint, & ulterius talia non attentaverint.

III.

Et nos omnibus judicibus eccleſiaſticis, decanis, capitulis, archidiaconis & aliis præcipimus, quod celeriter laicis de clericis faciant juſtitiæ complementum: alioquin nos & officialis noſter juſtitiam faciemus.

IV.

Item, cum in aliquibus locis clerici in illo loco potentes conſanguineos & amicos ſuos ſeu alios ad hoc inducunt & incitant precibus, pretio, ſeu nutu vel ſignis, quod aliis clericis minas inferant, vel noceant, eoſdem lædant ſeu gravent: nos errori talium obviare volentes, excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes illos clericos, qui ulterius talia fecerint & omnes alios qui amicis ſuis, conſanguineis & aliis mandaverint, præceperint vel injunxerint, incitaverint prece, pretio, nutu, vel aliquibus ſignis, vel ratum habeant quod clericis minas inferant, noceant, vel ipſos lædant in corpore vel rebus, niſi tales clerici infra quindenam a tempore præſentis ſynodi præmiſſa revocent, & faciant quod propter ipſos talibus clericis mala non fiant, & omnes etiam illos, qui de cetero talia facere præſumpſerint, vel conſilium ſeu auxilium adhibuerint.

V.

Item, prohibemus, ne clerici exerceant negotia turpia, & officia inhoneſta, quæ non decent clericos, qualia ſunt hæc, uſura & omnes ſpecies uſuræ, turpis quæſtus, ſcilicet cum aliquid

Anno Christi 1287.

carius venditur, ſive propter diem ſive propter terminum; officium cambitoris, carnificis, tabemarii, procenetæ, fullonis, ſutoris, textoris, nec ſint hiſtriones, joculatores, balliyi; foreſtarii ſæculares, goliardi, thelonearii, unguentarii, triparii, molendinarii. Si vero clerici aliqui officia talia exercuerint, a ſuo prælato ſuper hoc puniantur.

VI.

Item, nullus presbyter permittat aliquem prædicare in eccleſia vel parochia ſua, niſi ſit authentica perſona, vel de ordine Prædicatorum vel Fratrum Minorum, & habeat licentiam ſuorum priorum vel miniſtrorum ſuorum, vel licentiam ſuper hoc a nobis habeat ſpecialem.

VII.

Item, ſtatuimus, ut Corpus Domini ſervetur tam in conventualibus eccleſiis, quam etiam in parochiis.

VIII.

Item, ſtatuimus propter apoſtatas, deſertores & vagos & ignotos clericos, de quibus an ſacerdotes ſint vel quales non immerito dubitatur, ut nullus rector eccleſiæ vel altaris tacite vel expreſſe aliquem admittat in ſocium, vel ad celebrandum ſacramentum, vel ad divinum officium exercendum, niſi notum de ordinibus, moribus & converſatione, & alias commendatum: & ſi omnino extraneus vel peregrinus fuerit, per nos, officialem noſtrum, ſeu loci archidiaconum cum examinatione debita approbatus & admiſſus ad hujuſmodi officia exercenda admittatur. Et ſi quis rector eccleſiæ vel altaris aliquem contra hoc admiſerit, ſuſpenſus ſit propter hoc ipſo facto, eo ſalvo quod honeſtæ perſonæ peregrinantes, qui non quæſtu, ſed pietatis & devotionis intuitu miſſam dicere volentes, admitti poterunt, ſi requirant.

IX.

Item, cum intellexerimus, quod quidam laici capellas & altaria in eccleſiis conſtruxerunt propria auctoritate, & ſine licentia epiſcopi ſui, & eaſdem capellas vel altaria dotare non curant; ſed de anno ad annum, vel de menſe ad menſem, vel de tempore ad tempus conducunt presbyteros vagabondos pro pretio quanto potuerint minori ad celebrandum in ipſis capellis vel altaribus, tales presbyteros inſtituendo & removendo pro eorum voluntate: nos talia ſub pœna anathematis fieri prohibemus: præcipientes rectoribus eccleſiæ ſub quibus tales capellæ vel altaria conſiſtunt, quod moneant illos qui tales capellas vel altaria conſtruxerunt, ut ipſas vel ipſa dotent: alioquin ipſos competenti monitione præmiſſa excommunicent, & nomina eorum nobis vel officiali noſtro remittant, & in ipſis capellis ac altaribus, quouſque dotentur, aliquatenus officia divina celebrari non permittant, niſi per ſuum archidiaconum.

## XIII. *De ſtatu religioſorum.*

I.

Statuimus, ut nullus monachus vel monialis clauſtrum ſuum exeant per civitates, villas & oppida diſcurrendo, aut in villa monaſterio adjacente comedere audeant, niſi ex cauſa rationabili & urgente: & id tunc fiat cum prælati ſui licentia principali: quam licentiam prælati non dent, niſi evidens & juſta ſit cauſa, & non poſſit ſine ſcandalo denegari.

II.

Item, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus, ut omnes religioſi, ſed præcipue moniales, quicumque fuerunt conſtituti, habitum ferant ſecundum regulam eorumdem.

III.

Item, ſtatuimus & præcipimus quod presbyteri & decani rurales obediant archidiaconis ſuis in omnibus licitis & honeſtis, eorum jura & noſtra obſervent & faciant obſervari. Nolumus etiam quod jura archidiaconorum noſtrorum per aliquos impediantur.

IV.

Item, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, præcipimus omnibus monachis, monialibus & canonicis regularibus, cujuſcumque ordinis noſtræ civitatis & diœceſis exiſtant, ne habeant proprium, nec pecuniam habeant, niſi cui hoc permittitur ratione officii vel adminiſtrationis ſibi commiſſæ.

V.

Item, nullus religioſus fidejubeat, vel pecuniam mutuo recipiat ſine licentia ſui abbatis & conventus: alioquin abbas & conventus non tenebuntur reſpondere, nec obligati erunt ex contractu hujuſmodi: & nos omnes religioſos fidejubentes, ſeu mutuum recipientes, vel contrahentes ſine licentia abbatis & conventus, ipſo facto ſuſpendimus. Caveant ergo ſibi laici & alii, ne de cetero cum talibus contrahant: & præcipimus omnibus presbyteris hæc ſtatuta in eccleſiis ſuis pluries publicare.

VI.

Item, præcipimus, quod de cetero nec monachi nigri, nec canonici regulares in hiſcis vel tabardis equitent vel incedant, ſed tantummodo in cappis rotundis vel cucullis: & ſi quis ex eis contra hoc fecerit, ipſo facto ab ingreſſu eccleſiæ tamdiu ſit ſuſpenſus, donec a nobis beneficium abſolutionis obtinuerit.

VII.

Item, ſtatuimus, ut nigri monachi in ſuis monaſteriis habeant ſtatuta felicis recordationis domini Gregorii papæ, & ea obſervent, & abbates eorum faciant obſervari, & frequenter in ſuis capitulis publicari.

VIII.

Item, ſtatuimus, quod religioſi, cujuſcumque religionis exiſtant, de cetero novam domum ædificare, vel oratorium novum conſtruere, vel antiquam tranſponere non præſumant ſine licentia noſtra.

IX.

Item, præcipimus omnibus abbatibus & prioribus in virtute ſanctæ obedientiæ; ut omnia & ſingula, quæ ad ordinem & regulam pertinent, faciant ab omnibus & ſingulis monachis ſuis ſeu canonicis regularibus obſervari, cum appoſitione pœnæ quæ in regula continetur.

X.

Rebelles vero & incorrigibiles ad nos vel officialem noſtrum referant, & inobedientiam & rebellionem ipſorum nobis oſtendant, ut ipſorum rebellio per ipſorum detentionem ſeu alias per nos compeſcatur.

## XIV. *De archidiaconis & decanis.*

I.

Statuimus & præcipimus, quod omnes presbyteri & decani rurales obediant archidiaconis ſuis in omnibus licitis & honeſtis, & jura ipſorum & noſtra obſervent & obſervari faciant: nolumus etiam quod jura archidiaconorum noſtrorum per aliquos impediantur.

II.

Archidiaconi viſitent in ſuis archidiaconatibus eccleſias, & corrigant ea quæ ſpectant



Anno Christi 1287.

ad ſuum officium, & in viſitandis eccleſiis ſubditorum recipiantur ſemel in anno, ſecundum quod in generali concilio continetur.

III.

Archidiaconi vero v. aut vii. decani vero duobus equis contenti exiſtant, nec cum canibus venatoriis & avibus proficiſcantur: & ita procedant, ut non quæ ſua ſunt, ſed quæ JESU-CHRISTI ſunt, quærere videantur, nec archidiaconi, nec decani recipiant procurationem aliquam in pecunia, nec permittant a ſuis ſervientibus vel clericis aut ſacerdotibus aliquam pecuniam exigi vel extorqueri: quod ſi contra fecerint, ſciant ſe pœnam a canone ſuper hoc conſtitutam incurſuros, & nihilominus ſententias ſuſpenſionis, excommunicationis, vel interdicti, ſi quas promulgaverint, contra hoc in eccleſias vel perſonas decernimus non tenere; & cum archidiaconi vel decani viſitaverint & ad aliquam eccleſiam pervenerint, quæ viſitanti per ſe ad aliqua non ſufficit, tunc duas vel plures conjungant, & eas uno die viſitent, & tunc expenſas illius viſitationis ab ipſis eccleſiis viſitatis pro rata cujuſlibet recipiant, nec aliquam pecuniam ab ipſis eccleſiis habeant, quam quod expenſæ illius viſitationis ſolvantur.

IV.

Cum archidiaconi in eccleſiis & earum appendiciis; & decani in capellis in noſtra diœceſi habeant de conſuetudine inſtitutiones: præcipimus eiſdem, quod nullum ad regimen parochialis eccleſiæ admittant vel inſtituant, niſi qui xxv. annum ætatis ſuæ attigerit; & ſi archidiaconi vel decani, vel eorum clerici ſcienter contrarium fecerint, nos ipſo facto contrarium facientes, prout noſtri anteceſſores fecerunt, ſuſpendimus a divinis, & nos collationes eccleſiarum parochialium, admiſſiones & inſtitutiones ad eaſdem faciendas vel factas a tempore generalis concilii ultimi Lugdunenſis perſonis qui vigeſimum quintum annum ætatis ſuæ non attigerunt, pronunciamus & declaramus nullas eſſe ipſo jure, & nullus admittatur ad regimen parochialis eccleſiæ, niſi qui ſcientia & moribus idoneus exiſtat, & infra tempus a jure ſtatutum poſſit in presbyterum ordinari.

V.

Is etiam qui ad regimen parochialis eccleſiæ aſſumitur, ſi infra annum a tempore inſtitutionis ſuæ non fuerit in presbyterum ordinatus, & perſonaliter non reſederit in eadem, ex tunc anno elapſo, nulla etiam monitione præmiſſa, dicta eccleſia eſt privatus. Poterit tamen ſuper reſidentia diſpenſari per eum qui ſuper hoc habuerit poteſtatem.

VI.

Nihil exhibeatur & detur archidiaconis & decanis, ſeu aliis ratione viſitationis, niſi ad eccleſias ſpecialiter viſitationis cauſa venerint vel acceſſerint.

VII.

Si quis autem archidiaconus aut decanus, vel alius loco archidiaconi vel decani parochialis eccleſiæ regimen cuiquam qui nondum xxv. ætatis ſuæ annum attigerit, ſcienter contulerit, nos eos eo ipſo ſuſpenſos declaramus.

VIII.

Archidiaconi vel decani nullum admittant ad aliquod beneficium eccleſiaſticum, niſi primo juret quod ipſum beneficium canonice ſit adeptus, & quod alienata ipſius eccleſiæ pro poſſe ſuo revocabit, & quod in adeptione illius beneficii ſimoniam vel pactionem illicitam non commiſerit, nec credit ab aliquo commiſſam, & quod infra annum debet in ſacerdotium promoveri, & perſonaliter in eccleſia reſidere.

IX.

Nullus etiam archidiaconus aliquem presbyterorum qui in alio archidiaconatu vel alia diœceſi fuerit converſatus recipiat vel celebrare permittat, niſi per litteras archidiaconi, in cujus archidiaconatu converſatus eſt, conſtiterit ei de converſatione ejus, & eum non pati legitimum impedimentum, quominus valeat divina celebrare.

X.

Cum etiam a noſtris anteceſſoribus quoddam ſtatutum factum fuit quod eſt tale: „Cum alia vice inhibuerimus, ne aliquis archidiaconus ruralis officiales habeat, qui cognoſcant de cauſis, cum ipſi archidiaconi & officiales eorum inveniri debeant in cathedrali eccleſia, ubi poſſunt ſubditis plenitudinem juſtitiæ exhibere, & copiam habere conſilii: denunciamus omnes illos excommunicatos, qui tale officium exercebant ſine noſtra licentia." Nos præmiſſa ſub pœna excommunicationis obſervari præcipimus.

XI.

Cum autem ad parochialem eccleſiam vel beneficium aliquod archidiaconis vel decano aliquis præſentatur; fiant tres proclamationes, ut in matrimonio ſuper dicta præſentatione, & citentur omnes qui ſua crediderint intereſſe ad videndum admiſſionem ipſius, & dicendum quicquid velint proponere ſeu opponere de jure contra dictam præſentationem, & ſi nullus comparuerit contra dictam præſentationem, tunc examinetur præſentatus de ſcientia, moribus, & vita. Et ſi idoneus exiſtat, admittatur: ſi non fuerit idoneus, non admittatur: & ſi aliquis comparuerit & ſe oppoſuerit dictæ præſentationi, vel ſi plures fuerint ad ipſum beneficium præſentati: tunc archidiaconus vel decanus cauſam oppoſitionis & de jure præſentatorum cognoſcat, & qui potior fuerit in jure, ad ipſam eccleſiam admittatur, nec occaſione litis vel controverſiæ per aliquam compoſitionem aut conventionem eccleſiarum aut fructuum partitio fiat; & ſi contra hoc factum fuerit, illud decernimus irritum & inane.

XII.

Præcipimus etiam decanis ruralibus, quod in ſuis decanatibus inquirant utrum aliqui filii ſacerdotum vel illegitime nati obtinent aliqua beneficia eccleſiaſtica ſine diſpenſatione ſedis apoſtolicæ: quos ſi invenerint, nuncient patronis beneficiorum, quod ipſa beneficia conferant perſonis idoneis, & nomina talium ſuperiori ſuo ſub pœna excommunicationis remittant.

XIII.

Nullus filius ſacerdotis obtineat beneficium in quo pater ſuus immediate deſervivit.

XIV.

Prohibemus etiam ne fiant reſignationes eccleſiarum, niſi in manibus prælati eccleſiæ: alioquin reſignatio non valet ſaltem quoad eccleſiam.

XV.

Decani etiam infra duos menſes proximos faciant congregationem presbyterorum ſuorum, & præcipiant cuilibet presbytero & curato maxime, quod habeant iſta ſtatuta hujus ſynodi, & ea legant & intelligant: & ſi presbyteri ſtatuta non intelligant, exponent ea presbyteris.

XVI.

Præcipimus omnibus presbyteris curatis ſub pœna excommunicationis, quod iſta habeant ſtatuta, & ea ſæpius legant & intelligant omnes articulos ſtatutorum, per quos incurritur ſententia ſuſpen-

ANNO CHRISTI 1287.

ſuſpenſionis vel excommunicationis, vel interdicti ipſo facto, & quæ ſub ipſis pœnis præcipiuntur obſervari exponant ſuis ſubditis, tam in eccleſiis ſuis, quam alibi in lingua propria, & doceant ſuos ſubditos quam periculoſa ſit excommunicatio, quæ repellit hominem a participatione ſacramentorum & a communione fidelium, ſcilicet ab eccleſia militante & triumphante, & doceant ſubditos ſuos, quia ſententia excommunicationis etiamſi ſit injuſta, timenda eſt & tenenda: & hoc ipſum presbyteri faciant ad minus ſemel in menſe: & ipſi presbyteri admittant ſive in eccleſia, ſive extra, excommunicatos & interdictos ad prædicationem, ſed poſt prædicationem expellant eos ab eccleſia.

XVII.

Decani non faciant aſſiſiam vel talliam ſuper presbyteros ſuos.

XVIII.

Decani pro nuptiis conſanguineorum ſuorum non mittant presbyteris ſuis ſubditis joculatores remunerandos, nec presbyteri ſuis ſubditis vel ſociis, nec clerici clericis.

XIX.

Decani & presbyteri non emant a quæſtuariis futuros proventus ſeu quæſtus faciendos.

XX.

Item, præcipimus omnibus decanis & ſacerdotibus conſiliorum ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, quod quolibet anno exceſſus contingentes in decanatibus & parochiis eorum & ad noſtram correctionem ſpectantes, officiali noſtro vel illi qui erit ex parte ipſis referant fideliter, cum ſuper hoc fuerint requiſiti.

XXI.

Item, prout anteceſſores noſtri ſtatuerunt præcipimus univerſis conſiliorum decanis, quod ipſi diligenter inquirant nomina & numerum eccleſiarum in quibus inveſtiti perſonaliter non deſerviunt, & nobis ſeu officiali noſtro remittant.

XXII.

Item, ſimiliter inhibemus, ne aliquis decanus presbyteros extra diœceſim Leodienſem ab alienis quibuſcumque epiſcopis ordinatos permittant in ſuis decanatibus celebrare, niſi per litteras noſtras eis oſtenderint ipſos ſuper hoc licentiatos, & tunc eos licentiæ conceſſæ terminos excedere non permittant.

XXIII.

Item, ſtatuimus, prout noſtri anteceſſores ſtatuerunt, quod decani conſiliorum ſingulis annis perſonaliter in cœna Domini conſecrationi chriſmatis interſint reverenter & decenter, niſi legitimo detenti ſint impedimento: & tunc ſacerdotes pro ſe mittant, qui eos legitime excuſent, & eorum vices gerant.

XXIV.

Decani vero chriſmate ad loca ſua deputato, illud ſacerdotibus ſuis perſonaliter reverenter, ſi fieri poteſt, venientibus tradant: alioquin presbyteris notis, & fide dignis, pro ſe miſſis, in honeſto habitu, munda vaſa & honeſta deferentibus, ſanctum chriſma, & oleum ſanctum infirmorum, ſub debita diſtinctione ſignorum diſtribuant ſine exactione alicujus pecuniæ, pretii pro laboribus & expenſis: mandantes quod de cetero nulli laico prædicta tradantur referenda.

XXV.

Præcipimus etiam, prout anteceſſores noſtri ſtatuerunt, omnibus archidiaconis, ne aliquem vicarium in ſuis archidiaconatibus ad eccleſiam admittant, niſi prius vicarius juraverit quod ſine diminutione [illegible] dari conſueti [illegible]; nec admittant aliquem vicarium qui in aliena eccleſia eſt canonice inveſtitus, vel vicarius legitimus.

XXVI.

Præcipimus omnibus archidiaconis, ut vicariis faciant debitam competentiam aſſignari.

XXVII.

Suſpendimus etiam ab officio omnes vicarios, qui inveſtitis aliquid dant, concedunt, vel promittunt ad ſupplicandum alios & obtinendum vicarios.

XXVIII.

Item, præcipimus omnibus archidiaconis, quod quando viſitant eccleſias archidiaconatus ſui, & invenerint in eccleſia defectum in libris miſſalibus & aliis, ad quæ major decima parochiæ tenetur, ipſi moneant detentores dictæ decimæ, quod prædictum defectum ſive defectus ſuppleant infra terminum competentem: alioquin fructus decimæ dictæ inbanniant & ſaiſiant auctoritate noſtra, donec de prædictis fuerit ſatisfactum, & quicumque de prædictis fructibus poſt hujuſmodi inbannitionem ſe intromiſerit, ſi eſt religioſa perſona vel eccleſiaſtica, ipſam a divino officio ſuſpendimus ipſo facto: ſi vero laica, ipſam ipſo facto excommunicamus. Damus autem archidiacono poteſtatem relaxandi ſententias, quando de præmiſſis fuerit ſatisfactum.

XXIX.

Item, ordinamus & præcipimus omnibus inveſtitis & rectoribus eccleſiarum parochialium, & aliis eccleſiarum prælatis, quod ſtatutis temporibus ſucceſſive prout onus beneficii eorum requirit, ſe faciant in presbyteros ordinari, & in eorum eccleſiis perſonaliter deſerviant: alioquin ipſos ſuſpendimus ab officio: & ſi in ipſa ſuſpenſione per menſem ſteterint, ipſos excommunicamus, niſi ſuper hoc cum ipſis diſpenſatum fuerit ab eo, qui hoc faciendi habeat poteſtatem.

XXX.

Item, inhibemus etiam, ne aliquis de beneficio eccleſiaſtico in temporalibus ſeu ſpiritualibus ſpectantibus ad ipſum beneficium ſe aliquatenus intromittat, antequam ad ipſum beneficium canonice admiſſus fuerit vel receptus ab ipſo prælato habente ſuper hoc poteſtatem. Et nos omnes intromittentes, ſeu ingerentes ſe de beneficio eccleſiaſtico in ſpiritualibus vel temporalibus, antequam ad ipſa admiſſi vel recepti canonice fuerint, excommunicamus & excommunicatos denunciamus: & nihilominus declaramus ipſos a jure, ſi quid ex præſentatione vel collatione aliqua ad ipſum beneficium eis competebat cecidiſſe ipſo jure.

XXXI.

Ordinamus etiam quod vicarii habeant competentiam xv. librarum alborum ad minus, niſi loca ſint ſolemnia, vel habeant onera adeo magna, quod ratione prædicta eis plus debeant aſſignari; & hoc taxationi antiqui archidiaconi committimus de conſilio ordinarii faciendæ: quam fieri volumus tam de eccleſiis parochialibus quæ ſubſunt archidiacono, quam de aliis quæ a juriſdictione archidiaconi ſunt exceptæ, quam etiam de capellis.

XXXII.

Volumus etiam quod a prædictis archidiaconis taxetur de quibus bonis & qualibus dicta competentia recipi debeat.

XXXIII.

Item, committimus decanis quod inquirant de eccleſiis deſalcatis, & nobis referant quod eccleſiæ ſint deſalcatæ, & per quos & in quibus: & nos omnes deſalcationes eccleſiarum minus legitime



ANNO CHRISTI 1287.

me factas revocamus, & præcipimus ſub pœna excommunicationis omnibus qui bona eccleſiarum habent per deſalcationem minus legitime factam, quod ea eccleſiis a quibus ſunt deſalcata reſtituant, & de receptis ſatisfaciant eiſdem infra quatuor menſes a tempore præſentis concilii: alioquin omnes dicta bona ſic deſalcata detinentes, ſi ſint perſonæ eccleſiaſticæ vel religioſæ ſuſpendimus a divinis; ſi laicæ ſint, eas excommunicamus.

XXXIV.

Item, committimus archidiaconis quod ubicumque eccleſiæ ſunt adeo tenues, quod inveſtiti earum non poſſint de reditibus ſuſtentari, de decimis vel aliis bonis quæ recipiuntur a patronis, ſive patroni ſint eccleſiaſtici ſive ſæculares, ratione ipſarum eccleſiarum, ſive jure patronatus competentem portionem inveſtitis aſſignent: & ſi defectus fuerit in bonis patronorum, cogantur parochiani ad ſupplementum.

XXXV.

Item, in virtute ſanctæ obedientiæ inhibemus officiali noſtro, archidiacono, decanis & quibuſcumque aliis prælatis, capitulis, & conventibus civitatis & diœceſis noſtræ Leodienſis, ad quos admiſſiones, inſtitutiones, curæ, collationes, ſeu receptiones aliquarum eccleſiarum, capellarum ſeu beneficiorum eccleſiaſticorum de jure ſeu conſuetudine pertinent, ne pro admiſſione, inſtitutione curæ, collatione ſeu receptione alicujus beneficii eccleſiaſtici, pecunias exigant vel recipiant, aut aliquod commodum temporale: cum hoc fieri non poſſit ſine vitio ſimoniæ; & nos omnes & ſingulos prælatos cujuſcumque conditionis vel ſtatus exiſtant, pro admiſſione, inſtitutione curæ, collatione ſeu receptione alicujus beneficii eccleſiaſtici faciendis pecuniam ſeu aliud commodum temporale petentes & recipientes, & omne conſilium & auxilium ad hoc exhibentes ſuſpendimus ab ipſo officio ipſo facto.

## XV. *De ſententia excommunicationis.*

I.

Cum incendiarii & effractores eccleſiarum & monaſteriorum ſint ipſo facto auctoritate canonis excommunicati, & incendiarii aliarum rerum & bonorum eccleſiarum & monaſteriorum ſint tanquam ſacrilegi excommunicandi, nos ipſos incendiarios, invaſores, raptores, detentores grangiarum, domorum, & aliarum rerum & bonorum eccleſiarum & monaſteriorum & eorum complices & fautores in hac parte excommunicamus, & excommunicatos denunciamus: & præcipimus omnibus rectoribus eccleſiarum, quod ſaltem quolibet menſe dictam canonis & noſtram excommunicationis ſententiam innovent, & aggravent in ipſos excommunicatos, candelis accenſis, campanæ pulſatione, in ſpeciali de quibus conſtiterit, & in generali de quibus eiſdem non conſtiterit. Si autem a tempore perpetrati delicti hujuſmodi malefactores non ſatisfecerint eccleſiis quibus damnum intulerunt, infra quindenam, ſi ſint domini hujuſmodi malefactores habentes terram & diſtrictum eorum, tunc terras & diſtrictum ſtatuimus eſſe ſuppoſitos & ſupponimus eccleſiaſtico interdicto. Si vero terram vel diſtrictum non habent, ſtatuimus, quod per decanum conſilii vel presbyterum loci, in quo hujuſmodi delictum eſt perpetratum, dum hoc eis innotuerit per evidentiam facti, teſtes idoneos, quos audiendi ipſis conferimus poteſtatem, aut famam publicam denuncietur judici ſeu domino, ſub cujus diſtrictu iidem malefactores morantur vel conſiſtunt, prædictum delictum ſic eſſe factum. Et ſi dominus vel judex ſub quo dictus malefactor moratur vel conſiſtit, poſt dictam denunciationem infra xv. dies juſtitiam non fecerit de dicto malefactore, ut dictum eſt: tunc dictum dominum & ejus juſtitiam excommunicamus & excommunicatos denunciamus. Et ſi ipſe dominus & ejus juſtitia dictam excommunicationem per quindecim dies ſuſtinuerint, præcipimus ex tunc per ſingulos presbyteros dicti decanatus in dictum dominum & ejus juſtitiam innovari & aggravari dictam excommunicationem ſingulis diebus dominicis & feſtivis, candelis accenſis, campanis pulſatis, & uxores eorum & famulos extra eccleſiam teneri. Et ſi ipſe dominus, ejus juſtitia, & complices dictam excommunicationis ſententiam per alios quindecim dies animo ſuſtinuerint indurato: ſtatuimus quod ex tunc tota terra & diſtrictus ipſius domini ſint ſuppoſiti, & ſupponimus eoſdem eccleſiaſtico interdicto: & nihilominus in locis in quibus hujuſmodi violentia facta fuerit, & dicti malefactores commorentur, ceſſetur a divinis, nec reſumantur organa ſine noſtro mandato vel officialis noſtri ſpeciali.

II.

Item, excommunicamus & præcipimus excommunicatos denunciari omnes illos, qui immunitates eccleſiarum violant, videlicet qui hominem de eccleſia vel ejus cimeterio extraxerint, vel quolibet alio modo violaverint eccleſiam, & ſi ipſi violatores infra ſeptem dies a tempore perpetrati delicti non reſtituerint hominem eccleſiæ prædictæ a qua non receperunt: ſtatuimus quod ex tunc ſententia excommunicationis prædicta in eoſdem, eorum complices, & fautores innovetur & aggravetur ſingulis diebus dominicis & feſtivis, candelis accenſis, & campanis pulſatis. Et ſi dicti malefactores per alios xv. dies dictam excommunicationem animo indurato ſuſtinuerint; ſtatuimus quod ex tunc ceſſetur a divinis in locis in quibuſcumque tales violatores fuerint vel morantur, & per triduum poſtquam receſſerint de dicto loco. Et quia nonnulli judices & alii dum hominem, quem, ab eccleſia extrahere volunt pro delicto ſibi impoſito, non audeant extrahere propter cenſuram eccleſiaſticam vitandam ab eadem, per excogitatam malitiam obſident & cuſtodiunt eccleſiam manibus armatis, & defendunt ne victualia homini exiſtenti in eccleſia conferantur, ut ipſum hominem in eccleſia exiſtentem fame compellant exire eccleſiam. Nos talia fieri ulterius prohibemus, & præcipimus presbyteris eccleſiæ, & aliis Chriſti fidelibus in qua idem homo confugit, ut dicto homini alimenta & alia neceſſaria adminiſtrari faciant, & obſidentes eccleſiam, ſi ad monitionem presbyteri ejuſdem ab obſeſſione prædicta non recedant, & ipſi homini alimenta adminiſtrari non permittant, nominatim eos excommunicet presbyter loci auctoritate noſtra, & excommunicatos denunciet, & nomina eorum & ſeriem facti officiali noſtro reſcribat: & ſi ipſi excommunicati perſtiterint in ſua malitia, nec receſſerint ab obſidione prædicta, ſtatuimus, quod in quibuſcumque locis venerint ſeu morentur dicti obſidentes ſeu cuſtodientes eccleſiam, ceſſetur a divinis, nec reſumantur organa ſine noſtro mandato vel officialis noſtri ſpeciali. Et nos eccleſiam ſic obſeſſam, a qua ipſi obſidentes moniti, ut dictum eſt, non recedunt, ſupponimus eccleſiaſtico interdicto. Si vero dubitetur utrum fugiens ad eccleſiam propter delictum ab eo commiſſum ſit ab eccleſia defendendus, ſcribatur officiali noſtro, & quod per ipſum officialem decretum fuerit obſervetur.

XVI.

ANNO CHRISTI 1287.

## XVI. *De capientibus clericos:*

I.

Item, præcipimus & mandamus, quod omnes capientes, clericos vel eccleſiaſticas perſonas, cum eorum complicibus, & fautoribus in hac parte, propter hoc auctoritate canonis excommunicati, denuncientur nominatim, ſi nomina eorum ſciri potuerint: alioquin generaliter publice ſingulis diebus dominicis, & feſtivis, candelis accenſis, & pulſata campana, excommunicati denuncientur: ſtatuentes quod loca in quibus clerici vel eccleſiaſticæ perſonæ capiuntur, ſeu loca in quibus capti detinentur, dummodo per diem, & noctem fuerint ibidem, ſuppoſita ſint eccleſiaſtico interdicto: & in locis in quibus clerici, & eccleſiaſticæ perſonæ, captivi deducuntur ſine mora unius diei ibidem facienda, ceſſetur a divinis per triduum: & in quibuſcumque locis capientes ſeu detinentes clericos venerint, dummodo presbytero loci conſtiterit, quamdiu ibidem extiterit, ceſſetur a divinis: & ſi ibidem pernoctaverit per biduum, poſt ejus receſſum, ceſſetur in loco a divinis.

I I.

Item, excommunicamus omnes judices, ſcabinos, & juſtitiam exercentes, & dominos temporales, per quorum loca & diſtrictum clerici captivi deducuntur, ſeu in quorum locis detinentur, ſi clericos a manibus dictorum capientium non liberaverint, ſeu arreſtaverint, & detineant, dummodo ipſi domini, ſcabini, juſtitia & judices ſciant ipſos clericos eſſe captos, & a manibus dictorum capientium per ſuam potentiam potuerint deliberare eoſdem: & ſi capientes clericos ſint domini temporales, & terram & diſtrictum habeant, ipſos clericos infra triduum a tempore perpetrati delicti a dicta captivitate non deliberaverint, vel exire permiſerint, ex tunc tota terra eorum ſuppoſita ſit eccleſiaſtico interdicto.

I I I.

Præterea ſtatuimus, quod clerici ſeu capellani dominorum ſeu nobilium vel aliarum perſonarum qui fuerint pro injectione manuum in clericum vel cauſa aliquorum exceſſuum ſententia excommunicationis innodati, ſui domini in hujuſmodi injuriis conſilium vel auxilium verbo vel facto non impediant: alioquin noverint ſe eadem ſententia innodatos: ſed ipſos dominos ſuos excommunicatos modis omnibus quibus potuerint inducant, ut de his pro quibus excommunicati exiſtunt ſatisfaciant. Quod ſi infra menſem eoſdem dominos ſuos inducere nequiverint, extunc omnino recedant ab eiſdem, nec eis communicent: alioquin ipſos clericos & capellanos qui ultra id temporis cum dictis dominis ſuis excommunicatis permanſerint & eis communicaverint, majori excommunicatione excommunicamus, & ſtatuimus excommunicatos, & eos præcipimus, per ſimiles presbyteros publice candelis accenſis, campana pulſata denunciari excommunicatos.

I V.

Item, excommunicamus & excommunicatos denunciari mandamus omnes dominos, principes, & judices, & alios quoſcumque cujuſcumque conditionis, vel ſtatus exiſtunt, qui rectoribus inveſtitis eccleſiarum & aliis perſonis eccleſiaſticis inhibent, & minas imponunt eiſdem, ne miniſtrent in parochiis & locis ſuis, & ad eccleſiam ſuam accedere & loca ſua, propter quæ pluries divina in ſua parochia vel noſtra diœceſi impediuntur. Et etiam excommunicamus omnes illos & excommunicatos denunciamus qui in præmiſſis conſilium adhibent & præmiſſa fieri procurant.

## XVII. *De percuſſoribus clericorum.*

I.

Item, ſtatuimus ut occiſores, mutilatores, & percuſſores atrociter clericorum & eccleſiaſticarum perſonarum, & clericos capientes, & in captivitate detinentes, ſeu per captivitatem pecuniam aliquam ab eis extorquentes, propter hoc auctoritate canonis excommunicati per omnes eccleſias civitatis & diœceſis Leodienſis, & omnes operam ſeu conſilium ad hoc adhibentes ab omnibus presbyteris, & eccleſiarum rectoribus, ſingulis diebus dominicis & feſtivis, candela accenſa, campanis pulſatis, nominatim de quibus conſtiterit, excommunicati denuncientur & ab omnibus arctius evitandi, donec ſufficienter ſatisfecerint de commiſſis, & a ſede apoſtolica meruerint beneficium abſolutionis obtinere.

I I.

Præterea locus ille ad quem venerint tales excommunicati, quamdiu ibidem fuerint, & poſt duos dies ſequentes immediate a receſſu eorum, ſi in eodem loco biberint aut comederint, & per duos dies ſequentes ulterius ſi in eodem loco pernoctaverint, & locus in quo talis violentia facta fuerit, & in quo dicti malefactores per octo dies moram traxerint, ſit interdictus: & ſi hujuſmodi ſacrilegi ſeu malefactores terram, juriſdictionem & diſtrictum habuerint, & ſi infra tres menſes a tempore perpetrati delicti ad arbitrium noſtrum non ſatisfecerint de delicto; eorumdem terra & diſtrictus ex tunc eccleſiaſtico, ipſo facto, ſit ſuppoſitus interdicto.

I I I.

Præterea ſi domini terræ in quorum diſtrictibus manent, & ubi domicilium habent hujuſmodi ſacrilegi, vel ubi tam enorme ſcelus commiſſum extiterit, tam nefarios ſacrilegos & nefandos in ſuis diſtrictibus ſuſtinuerint, & contra eos ad privationem bonorum & præſcriptionem de terra ſua non proceſſerint, & juſtitiam, prout ex officio ſuo tenentur, ſuper hoc non fecerint, infra quindecim dies poſtquam de delicto hujuſmodi conſtiterit eiſdem per famam publicam, vel per denunciationem decani vel presbyteri loci, quam ab ipſo decano vel presbytero loci fieri præcipimus, ſub pœnis excommunicationis: quam cito per famam, querimoniam alicujus, evidentiam rei, aut alio modo conſtiterit ſeu alias legitime, ſtatuimus quod ex tunc ipſi domini terræ & eorum judices, ſcabini, & juſtitia excommunicationis ſententiam incurrant: & ſi per quindecim dies dictam excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato, ex tunc tota eorum terra eccleſiaſtico ſit ſuppoſita interdicto, & contra eos nihilominus procedatur, ſicut requiſiverit protervitas delinquentis.

I V.

Item, ſtatuimus & præcipimus, ut ubicumque bona eccleſiarum, & eccleſiaſticarum perſonarum mobilia fuerint violenter accepta ſeu imbannita per judicem ſæcularem, vel immobilia arreſtata vel occupata; ſi hoc decano vel presbytero loci innotuerit, quibus in hoc fidem adhibemus vel adhiberi præcipimus, ceſſetur a divinis ibidem, donec bona fuerint legitime reſtituta & dearreſtata, & ſatisfactum fuerit de commiſſis; nec organa reſumantur, ſine noſtro vel officialis noſtri ſpeciali mandato.



V.

Et ſi dominus vel judex loci præmiſſa fecerit, ipſo facto ſit excommunicatus, & ſi per quindecim dies hujuſmodi excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato, tota terra dicti domini, vel judicis ex tunc ſuppoſita ſit eccleſiaſtico interdicto. Si vero perſona ſæcularis juriſdictionem in dicto loco non habens præmiſſa fecerit, ſententiam excommunicationis incurrat ipſo facto.

V I.

Præcipimus decano & presbytero loci, ut domino ſeu judici loci præmiſſa denuncient: & ſi ipſe dominus infra triduum poſtquam de præmiſſis ei conſtiterit per denunciationem decani vel presbyteri loci, evidentiam rei, famam publicam, ſeu alias legitime præmonitus, impedimenta vel injurias ceſſare non fecerit, ſtatuimus quod ex tunc domini & juſtitia loci ſive villici, ſcabini & alii ſint ipſo facto excommunicati, & ſi ipſi domini vel juſtitia ſua per quindecim dies, dictam excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato, ex tunc tota terra & diſtrictus ejuſdem ſuppoſiti ſint eccleſiaſtico interdicto.

V I I.

Intelligimus bona mobilia eſſe detenta, ubi per noctem, & diem continue detinentur. Si vero per alia loca deferantur ſine interpoſitione temporis unius diei, ex tunc in dicto loco ceſſetur, quamdiu dicta bona fuerint ibidem, & ipſis bonis a loco depoſitis, presbyter organa reſumere poterit.

V I I I.

Item, excommunicamus & ipſo jure excommunicatos denunciamus quoſcumque dominos laicos, vel eorum officiarios vel ballivos, aut villicos ſeu foreſtarios quorumlibet dominorum, aut conſiliarios eorumdem, qui aliqua ſtatuta ediderint, vel conſuetudinem induxerint contra eccleſiæ libertatem, & ſcriptores dictorum ſtatutorum, & judices qui ſecundum ſtatuta vel conſuetudines hujuſmodi præſumpſerint judicare, & nihilominus ſtatuta, & conſuetudines, contra libertatem eccleſiaſticam inducta, & ſententias ex eis prolatas decernimus non tenere, & actionem ſeu exceptiones ex talibus ſententiis non competere. Et ſi aliquis ſecundum ſtatuta vel conſuetudines inducta ſeu inducenda ulterius preſumpſerit judicare, ſententiam excommunicationis incurrat, & in quibus locis talis excommunicatus venerit & moram fecerit, ceſſetur a divinis, quouſque nobis ſatisfecerit competenter.

I X.

Item, excommunicamus omnes illos, & denuncientur excommunicati, qui conſtituerunt, vel perceperunt, vel conſtitui & præcipi fecerint & mandaverint, ſeu bannum aliquem ſuper hoc fecerint, quod extra terram illorum nullus laicus debet vocari in jus coram quocumque judice eccleſiaſtico, vel laicos, quoſlibet querimoniam deferentes coram nobis vel noſtro officiali, vel quolibet judice ordinario, vel delegato in rebus vel perſonis læſerint, vel aliquo modo propter hoc turbaverint, & illos & alios laicos, qui abſque auctoritate res eccleſiarum vel eccleſiaſticarum perſonarum invaſerint vel imbanniverint per manum laicalem. Et quia nonnulli judices & domini temporales, cum aliquis clericus vel laicus aliquem coram nobis ſeu noſtro officiali, ſeu alio judice ſpirituali in cauſam traxerint, patrem, matrem, fratres, ſeu conſanguineos ipſius in cauſam trahentes coram judice ſpirituali capiunt & detinent, & bona eorumdem ſaiſiunt & arreſtant, ut per hoc agere volentem coram ſpirituali judice cogant deſiſtere a perſecutione juris ſui: nos talia anathematis interminatione fieri prohibemus, & excommunicamus, & excommunicatos denunciamus omnes dominos, ballivos, foreſtarios, & judices quoſcumque, & omnes conſilium, & auxilium & opem præſtantes, qui patrem, matrem, fratrem, ſeu quoſcumque conſanguineos alios, & amicos trahentes, aliquem in cauſam coram nobis propter hoc ceperint, detinuerint & arreſtaverint, vel bona eorum ſaiſierint, vel occupaverint, & in locis in quibus talia, & ea quæ in ſtatuto proxime ſupra poſito continentur, facta fuerint, ceſſetur a divinis, nec reſumantur organa ſine mandato noſtro vel officialis noſtri ſpeciali.

## XVIII. *De executoribus mandatorum & portatoribus litterarum.*

I.

Inſuper excommunicamus illos, & denuncientur excommunicati, qui portatores litterarum & executores mandatorum a nobis ſeu noſtro officiali vel quocumque judice eccleſiaſtico deſtinatos, & ſacerdotes mandata judicum eccleſiaſticorum exequentes capiunt, detinent, ſeu ſpoliant, aut bona eorum aut eis attinentium imbanniunt vel occupant; & ceſſetur a divinis ubicumque executores mandatorum, vel portitores litterarum a nobis, ſeu officiali noſtro vel quocumque judice eccleſiaſtico deſtinatarum, aut querimoniam coram judice eccleſiaſtico deponentes, vel officialem noſtrum adeuntes detinentur; vel eorum bona capiuntur, occupantur, & detinentur, quamdiu hujuſmodi violentia duraverit, nec reſumantur organa.

I I.

Et quia, ut intelleximus, nonnulli domini temporales, judices, ſcabini, ballivi & alii cum portatores litterarum, & executores mandatorum ad loca ſua venerint, eoſdem capiunt & arreſtant, ſeu bona eorum occupant, ad excuſationem eorum dicentes, quod hoc non faciunt ratione litterarum, & executionis prædictarum; ſed ratione quorumdam exceſſuum ſeu debitorum aliquorum impoſitorum ipſis portatoribus, ſeu aliis executoribus ab eiſdem dominis, judicibus, ballivis, & aliis: cum fraus & dolus nulli patrocinari debeat; ſtatuimus, quod non obſtantibus excuſationibus talibus, ad executionis ſententiam contra eos procedatur, & ſecundum formam ſuperius expreſſam, niſi forte ipſi judices, ballivi ſeu alii malefactores in hac parte coram decano ſeu loci presbytero per juramentum proprium, vel teſtes idoneos, ſeu alias legitime docuerint infra triduum a tempore captionis, & arreſtationis prædictorum, ipſos portitores ſeu executores, ſi laici ſint, aliquod delictum manifeſtum commiſiſſe, & quod propter hoc vel in aliam cauſam, & non in fraudem præſentis ſtatuti noſtri, & eccleſiaſticæ libertatis talia attentaverunt. Si vero ipſi portitores & executores clerici fuerint, tunc cum ipſi domini vel judices, ballivi & alii non habent in eoſdem clericos juriſdictionem, a pœna dicti ſtatuti non potuerint excuſari.

I I I.

Item, excommunicamus, & denunciantur excommunicati omnes illi qui manus injecerint, vel violentiam intulerint in rebus vel perſonis aliquorum prædictorum, vel qui inhibent laicis, ne pro ſuorum negotiorum proſecutionibus, quæ

ad forum eccleſiaſticum pertinent, nos vel officialem noſtrum vel eccleſiaſticum judicem adeant, ſeu per litteras apoſtolicas coram judice eccleſiaſtico experiantur.

IV.

Item, cum cauſæ matrimoniales, nativitatis alicujus, uſurarum, ſimoniæ, perjurii, adulterii, contra raptores rerum eccleſiaſticarum & invaſores decimarum, perjurii, ac fidei violationis, juris patronatus, electionum, & plures aliæ ad forum eccleſiaſticum pertinent ſecundum canonicas ſanctiones: ita quod ſæcularis judex de talibus cauſis eccleſiaſticis cognoſcere non poterit nec debet; nos excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes judices & ballivos, ſcabinos, & juſtitias ſæculares quaſcumque, qui de talibus cauſis cognoſcere & judicare præſumpſerint, & nihilominus ſententias & proceſſus judicum ſæcularium quorumcumque habitos, & habendos ſuper cauſis hujuſmodi eccleſiaſticis, tanquam a non ſuo judice factos cenſemus ſeu irritos, & penitus non tenere nec valere nunciamus.

V.

Item, excommunicamus, & denuncientur excommunicati qui conſpirationem, & colligationem aliquam ſeu fœdera fecerint de non offerendo ſacerdoti ſeu in nuptiis, ſeu in exequiis mortuorum, aut alias, ſeu de non ſolvendo decimas debitas & conſuetas, ſeu aliquid faciendo vel non faciendo quod cedit contra jura parochorum, & eccleſiaſticam libertatem.

VI.

Item, cum nonnulli principes, domini, & judices ſæculares Leodienſis diœceſis tyrannica pravitate adeo gravent eccleſias, & eccleſiaſticas perſonas moleſtent & perturbent, quod ipſæ eccleſiæ & eccleſiaſticæ perſonæ ſub eorum dominio conſtitutæ deterioris conditionis exiſtunt quam ſub Pharaone fuerant, qui legis divinæ notitiam non habebat, tallias, exactiones, petitiones, & ſervitia indebita dictis eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis imponere, & ab eiſdem recipere & exigere non verentur: adeo quod quidam eorum abuſum hujuſmodi frequentibus actibus induxerunt per conſuetudinem faciendum, licet in talibus contra libertatem eccleſiaſticam perpetratis conſuetudo aliqua indici non poteſt, quæ potius eſt dicenda corruptela, & cum tanto ſint graviora peccata, quanto diutius detinent infelicem animam alligatam: nos hac generali ſynodo prædictis principibus, dominis & judicibus ſæcularibus quibuſcumque inhibemus diſtrictius, ne eccleſiis, monaſteriis, vel eccleſiaſticis perſonis hujuſmodi exactiones, tallias illicitas, & ſervicia indebita, nomine petitionis vel quocumque alio nomine vel colore imponant, vel ab eiſdem exigant ſeu loci presbytero.

## XIX. *De ſententia excommunicationis.*

I.

Et ſub pœna excommunicationis interdicimus ipſis monaſteriis, eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis, ne ipſis principibus, dominis, & judicibus ſæcularibus ſolvant vel conferant hujuſmodi tallias, exactiones & ſervitia ſub nomine petitionis ſeu quocumque modo, cum hoc ſit contra eccleſiaſticam libertatem: alioquin recipientes hujuſmodi tallias, exactiones, & ſervicia, & quorum conſilio vel auxilio talia facta fuerint, ſtatuimus eſſe vinculo excommunicationis ipſo facto innodatos, & ipſi principes, domini judices ſæculares violenter contra voluntatem monaſteriorum, eccleſiarum & bona eorumdem receperunt, invaſerunt, vel arreſtaverunt, ſeu capi, invadi, arreſtari fecerint & mandaverint, ratione talliarum, exactionum & ſervitiorum prædictorum; ex tunc præcipimus eoſdem, & omnes eorum complices & fautores in hac parte excommunicari, & excommunicatos denunciari: & ſi ipſi principes, domini & judices infra xv. dies ex tunc proxime ſequentes ab invaſione, receptione & arreſtatione non deſtiterint, & ea quæ de bonis monaſteriorum, eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum eiſdem monaſteriis, eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis integraliter non reſtituerint, moniti ſuper hoc tota terra dictorum principum dominorum ſeu judicum & diſtrictus eorum ſuppoſita & ſuppoſiti ſunt eccleſiaſtico interdicto, & in quibuſcumque locis aliis ipſi ex tunc venerint, biberint vel comederint pernoctando, per triduum ceſſetur a divinis.

II.

Item, excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes dominos; judices ſæculares, ſcabinos, & quaſcumque juſtitias ſæculares, qui clericos, vel eccleſiaſticas perſonas ſcienter ſuper re mobili quocumque jure, debitis, damnis, vel aliis actionibus perſonaliter citant, & in cauſam trahunt, ſeu litigare compellunt coram juſtitia ſæculari, & procurantem præmiſſa, & omnes qui conſilium, & auxilium in præmiſſis præſtiterint. & omnes juſtitiarios, & alios qui occaſione judicii alicujus redditi & pronunciati contra clericos modo prædicto & in foro prædicto manum imponent vel apponerent ad perſonas, res, & poſſeſſiones clericorum, & nihilominus ſententiam excommunicationis in dicto foro contra clericos latam tanquam a non ſuo judice & ab excommunicatis prolatam decernimus nullam eſſe ipſo jure: mandantes omnibus ſacerdotibus locorum in quibus præmiſſa facta fuerint, ſub pœna ſuſpenſionis latæ ſententiæ, ut cum eiſdem conſtiterit de violentiis prædictis per evidentiam rei, famam publicam, ſeu alias, ſtatim ceſſent a divinis ſine alterius expectatione mandati, & auctores hujus violentiæ excommunicent & excommunicatos denuncient in generali in quibus non conſtiterit, in ſpeciali de quibus conſtiterit.

III.

Item, cum nonnulli principes, domini & judices ſæculares, dum directe propter cenſuram eccleſiaſticam, & pœnas ſuper hoc conſtitutas, contra monaſteria, eccleſias, vel eccleſiaſticas perſonas, vel eorum bona non audeant attentare; indirecte, excogitatis quibuſdam malitiis, inhibent ſuis ſubditis, ne aliqui colant terram dictorum monaſteriorum, eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum, nec alias quam proprias, vel ad eorum molendina molant, vel ad ſimilia: propter quæ ipſa monaſteria, eccleſiæ, & eccleſiaſticæ perſonæ grave diſpendium & gravamen incurrunt. Nonnulli etiam de prædictis laicis per nequitias alias ponunt, ſeu poni faciunt dicta monaſteria, eccleſias, vel eccleſiaſticas perſonas extra tuitionem, & defenſionem eorumdem: concedentes malis & perverſis licentiam, immo auctoritatem contra ipſa monaſteria, eccleſias, & eccleſiaſticas perſonas inſurgendi vel malignandi, ut per hoc principes, domini, & judices ſæculares quod a monaſteriis, eccleſiis, & eccleſiaſticis perſonis requirunt, licet illicitum ſit, conſequantur. Nos tantis fraudibus & iniquitatibus obviare volentes, præcipimus omnibus principibus, dominis, & judicibus





bus ſæcularibus Leodienſis diœceſis, ne de cetero talia facere præſumant: ſtatuentes, quod ſi qui eorumdem per ſe vel per alium, terras aut poſſeſſiones dictorum monaſteriorum, eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum, coli & arari inhibuerint, vel ad molendina eorum moli, vel aliquid ſimile mandaverint directe vel indirecte, vel ipſa monaſteria eccleſias & eccleſiaſticas perſonas extra tuitionem ſuam poſuerint, & ab injuratoribus & invaſoribus eorum non defenderint ſuper hoc requiſiti, ipſo facto excommunicationis pœnam incurrant: & omnes qui eis opem, conſilium & auxilium præſtant in hac parte, cum ex gladii poteſtate eiſdem conceſſa teneantur eccleſias & eccleſiaſticas perſonas defenſare; & ſi per unum menſem dictam excommunicationis ſententiam animo ſuſtinuerint indurato, in quibuſcumque locis ex tunc venerint, biberint aut comederint pernoctando, per triduum ceſſetur a divinis ſine expectatione alterius mandati.

## XX. *De communitatibus.*

I.

Item, ſtatuimus, quod ſi aliqui nobiles vel alii ad prælia vel alias expeditiones procedentes jacuerint in grangiis, curtibus, vel bonis eccleſiarum vel eccleſiaſticarum perſonarum, vel monaſteriorum, quod tamen fieri ſub pœna excommunicationis prohibemus, & damna aliqua vel rapinas ibidem fecerint, ſi infra menſem a tempore perpetrati delicti, requiſiti, monitione ſuper hoc facta, de damnis, rapinis, & injuriis irrogatis, læſis, & damnum paſſis non ſatisfecerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Et ſi per quindenam animo indurato ſteterint in dicta ſententia, ipſam excommunicationis ſententiam in eoſdem aggravent & innovent ſinguli presbyteri diebus dominicis & feſtis, candelis accenſis, pulſatis campanis, & nihilominus contra eoſdem procedatur ſicut contra invaſores bonorum eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum eſt procedendum, ſicut ſuperius eſt expreſſum.

II.

Item, excommunicamus & excommunicatos denunciari præcipimus, omnes illos tam nobiles, quam alios, qui homines noſtræ majoris eccleſiæ & aliarum eccleſiarum noſtræ diœceſis Leodienſis ipſis capitalem cenſum ſolventes, vel de familia eorumdem exiſtentes, prætextu advocationis, ſeu habitationis, vel alterius coloris exactionibus, petitionibus, vel aliis ſervitutibus opprimunt vel moleſtant, vel mobilia ipſorum poſt eorum mortem accipiunt violenter.

III.

Item, excommunicamus & denuncientur excommunicati qui grangias eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum clauſerint, vel terras eorum coli prohibuerint, vel pecora eorum acceperint, aut communibus paſcuis ubi paſci conſueverunt expulerint. Omnes prædicti in quolibet menſe, id eſt prima dominica menſis a quolibet presbytero parochiali denuncientur excommunicati in generali; in ſpeciali vero ubicumque conſtiterit ſacerdoti de aliquo prædictorum, nominatim prædictos malefactores, & omnes qui conſilium, mandatum, & auxilium præſtiterint, ipſe presbyter incontinenti quam cito ſciverit, non expectato termino menſis, denunciet excommunicatos, ſine expectatione alterius mandati, ſingulis diebus dominicis aut feſtis, candelis accenſis, campanis pulſatis, nec eos abſolvat ſine noſtro vel officialis noſtri mandato ſpeciali. In qua excommunicatione, ſi per quindenam permanſerint, uxor eorum & familiæ, monitione trium dierum præmiſſa, ab eccleſia arceantur, vel ingreſſu eccleſiæ: & ſi per aliam quindenam perduraverint, totum ballivatum vel villicatum eorum eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, et præcipimus denunciari interdictum.

## XXI. *De paſcuis communibus.*

Item, excommunicamus omnes & ſingulos, qui paſcua communia in ſicco vel in hujuſmodi, ſilvis vel terris conſtituta, in villis aliquarum eccleſiarum noſtræ diœceſis vel ipſarum allodiis, vel hominum ad eccleſias vel villas earum pertinentium invaſerint, occupaverint, vel appropriaverint violenter, niſi infra VII. dies poſt hujus ſententiæ publicationem, quam a quolibet ſacerdote proxima ſecunda dominica poſt hanc ſynodum fieri volumus, eadem paſcua dimiſerint & communitati reſtituerint: ita quod amplius ſe de eis nullatenus intromittant. Præcipientes diſtrictius, quod ſi hoc non fecerint, denuncientur ſingulis diebus dominicis & feſtis, candelis accenſis, campanis pulſatis, publice & ſolemniter excommunicati tanquam prædones rei publicæ, vel alienæ invaſores. In qua excommunicatione ſi per XV. dies perſtiterint, uxores eorum & famuli, monitione trium dierum præmiſſa, ab ingreſſu eccleſiæ arceantur. Eadem ſententia percellentes omnes illos, qui de cetero ſuper communibus paſcuis vel ſimilia talia attentaverint. Mandantes quod ſinguli ſacerdotes contra eos de quibus conſtiterit, quod præmiſſa in poſterum attentabunt, nominatim procedant modo prædicto. Ubicumque vero aliquis ſacerdos ſpecialiter de aliquo ſuo parochiano, vel de aliquibus aliis ſciverit quod aliquid de prædictis paſcua occupent, incontinenti procedat contra illum vel illos pœna ſupradicta, ſine expectatione alterius mandati. Quod ſi ſcienter hoc omiſerit facere, ipſo facto ab officio ſit ſuſpenſus.

## XXII. *De decima novalia.*

Item, præcipimus, quod quilibet laici, ſive nobiles vel alii, qui antiquarum occaſione decimarum, quas in aliquibus parochiis percipiunt, vel ex donatione vel ex largitione nobilium, ſeu alia occaſione, quaſcumque decimas novalium in terris propriis vel aliis in quibuſlibet parochiis obvenientes occupant, attrahunt & ſibi vindicant, penitus ab occupatione, attractione, & uſurpatione earumdem decimarum novalium deſiſtant, & de blatis ſatisfaciant tam nobis, quam eccleſiaſticis perſonis, quibus ipſæ novales decimæ de jure competunt, ipſas decimas eccleſiis ad quas pertinent de cetero pacifice poſſidendas relinquentes. Quod ſi per menſem poſt hujuſmodi publicationem mandati, quam infra dominicam palmarum in qualibet parochiali eccleſia a ſacerdote loci ſub pœna ſuſpenſionis ab eodem fieri præcipimus, * eos excommunicamus; & præcipimus, quod quilibet de præmiſſis de quibus conſtiterit, ſine alterius expectatione mandati, a presbytero loci excommunicati denuncientur. In qua excommunicatione ſi per quindenam perduraverint, ex tunc in antea in uxores eorum & famulos excommunicationis ſententia aggravetur.

* Videtur deeſſe *ſi correxerint* aut quid ſimile.

XXIII.

XXIII. *De celebratione in loco interdicto.*

Item, directe præcipimus, ut quandocumque contigerit ab ordinariis judicibus aliqua loca ſeu eccleſias ſupponi eccleſiaſtico interdicto, preſbyteri & clerici diligenter obſervent ſententias interdicti, nec aliquis in eccleſia interdicta præſumat celebrare divinum officium durante interdicto, quod durare intelligimus, donec ab eo, a quo latum extitit, ſeu habente ſuper hoc poteſtatem fuerit revocatum. Et nos omnes ſacerdotes celebrantes ſcienter, diaconos vel ſubdiaconos & alios clericos epiſtolam & evangelium legentes, aut aliquid de divino officio in ſuis officiis officiantes in loco interdicto; niſi in caſu in jure excepto, ut inferius apparebit, & celebrantes divina ſcienter excommunicatis & interdictis præſentibus, excommunicamus & excommunicatos denunciamus. Si vero preſbyteri excommunicati vel ſuſpenſi divina, immo potius prophana non formidaverint celebrare, ipſos denunciamus ipſo facto irregulares: & ſi in ſua rebellione ulterius per ſeptem dies duraverint, ipſos a ſuis beneficiis, ſi quæ habent, ipſo facto privamus, & privatos denunciamus: indulgentes beneficiorum patronis, quod ex tunc aliis perſonis idoneis beneficia conferant dictorum privatorum: alioquin elapſo termino juris, poteſtas conferendi dicta beneficia ad ſuperiorem proximum devolvetur. Si vero dicti irregulares beneficia non habent, nos perpetuo a noſtra diœceſi eos eliminamus. Et licet tales per aliquorum preces importunas abſolutionis beneficium ab excommunicatione a nobis obtinuerint: volumus tamen & præcipimus archidiaconis, quod in ſuis archidiaconatibus, decanis conventualium eccleſiarum & conſiliorum, abbatibus, prioribus & ceteris eccleſiarum prælatis, quod in ſuis eccleſiis dictos irregulares celebrare, vel aliquod divinum officium exequi non permittant.

XXIV. *De altari, calice, & veſtimentis, &c.*

Item, præcipimus etiam officiali noſtro, quod altaria ſuper quibus tales excommunicati celebraverint, faciat confringi, nec permittant in eis celebrari donec fuerint reparata; & calices conflari, & veſtimenta ſacra in quibus celebraverint, comburi. Et ſi qui ſacerdotes, ſupra dicta altaria antequam ſint confracta, & cum dictis calicibus antequam ſint conflati, & cum dictis veſtimentis antequam ſint combuſta, ſcienter celebrare præſumpſerint, ipſo facto ſint ſuſpenſi a divinis. Item, ſtatuimus, quod ſi ſacerdotes ſuſpenſi, excommunicati vel interdicti celebraverint, & notam irregularitatis incurrerint, & poſtmodum in contemptum celebrare reperiantur, perpetuo carceri mancipentur.

NOTA.

XXV. *De extorquentibus.*

I.

Præterea cum beneficium abſolutionis ab excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiis per vim & metum extortum, nullum ſit ipſo jure: præcipimus omnibus ſacerdotibus, quod ſi aliquis excommunicatus, per vim vel metum procuraverit ſe abſolvi, nihilominus, non obſtante tali abſolutione nulla, excommunicatum excommunicatum, ſuſpenſum, ſuſpenſum & irregularem irregularem denuncient, ſicut ante talem abſolutionem facere debuerunt, & illos qui vi, vel metu hujuſmodi extorſerint abſolutionem, declaramus ſententiam excommunicationis auctoritate canonis incurrere, a qua non poterunt niſi per ſummum pontificem abſolvi.

II.

Præterea cum circa abſolutionem interdictorum a preſbyteris & aliis clericis aliquotiens ſit erratum: volentes errori communi remedium adhibere, ſtatuimus, ut quotienſcumque aliquem locum auctoritate ordinaria, vel legati vel delegati eccleſiaſtico contigerit ſupponi interdicto, omnibus tam extrema-unctio, quam ſepultura & alia eccleſiaſtica ſacramenta penitus denegentur, exceptis neceſſariis ſacramentis, utpote baptiſma parvulorum & pœnitentia morientium, ac viaticum quoque morientibus in extremis non denegetur: nec poterit preſbyter veſperas, nec alias canonicas horas, nec etiam miſſam uſque ad offertorium, prout intelleximus quoſdam preſbyteros feciſſe, officiando celebrare.

III.

Clericos autem decedentes, & qui cauſam interdicto non dederint, ſed ipſum reverenter ſervaverint in cimeterio ſine campanarum pulſatione, ceſſante omni ſolemnitate, cum ſilentio concedimus tumulari, & in eccleſia interdicta licite cum duobus vel tribus clericis, vel ſacerdotibus qui cauſam interdicto non dederint, clauſis januis, voce ſubmiſſa, ita quod extra audiri non poſſint, excommunicatis & interdictis excluſis, horas dicere: & poterunt tempore interdicti eccleſiarum miniſtri ſemel in ſeptimana, voce ſubmiſſa, clauſis januis, excommunicatis & interdictis penitus excluſis, celebrare miſſam ad conficiendum Corpus Domini, quod prout dictum eſt, dari poterit morientibus in extremis.

XXVI. *De poteſtate ſimplicis ſacerdotis in articulo mortis.*

I.

Preſbyteri ſimplices in articulo mortis quemlibet excommunicatum quacumque auctoritate poſſunt abſolvere, & abſolvunt in forma eccleſiæ: & hoc fiat, ſi poterit, coram fide dignis & teſtibus quibus excommunicatio eſt manifeſta, & ſic abſoluto, quia pure abſolutus eſt, dummodo aliud eidem non obſiſtat, conferri debent omnia ſacramenta eccleſiaſtica, & eccleſiaſtica ſunt ſepultura donandi, exceptis uſurariis, vel raptoribus, & aliis in jure expreſſis.

II.

Forma eccleſiæ talis eſt, quod excommunicatus, qui ſe petit abſolvi, dabit cautionem pignoraticiam, ſi poterit; & ſi non poterit, fidejuſſoriam vel juratoriam, quod ſtabit mandatis eccleſiæ ſuper his pro quibus eſt abſolutus: & ſi ſic abſolutus deceſſerit, hæredes ipſius tenebuntur & compellentur ad ſatisfaciendum de his pro quibus mortuus fuerat excommunicatus. Si autem ſic abſolutus convaluerit ab infirmitate ſua, tunc accedat ad ſuum excommunicatorem cum litteris ejus qui eum abſolvit, continentibus abſolutionem, & qualiter fuerit abſolutus; & tunc ipſe abſolutus faciat id quod excommunicator ei injunxerit ſuper his, pro quibus fuerat excommunicatus. Si vero excommunicatus cum convaluerit ad excommunicatorem ſuum accedere noluerit, nec acceſſerit infra terminum quem volumus & præcipimus ſub pœna excommunicationis præfigi ab illo qui excommunicatum abſolvit, tunc ille qui abſolvit eum, retrudat ipſum





ipſum in priſtinam ſententiam auctoritate præſentis ſtatuti, & tunc ut prius habeatur pro excommunicato; & nihilominus, ſi tunc juramentum præſtiterit, pro perjurio tali puniatur.

III.

Quia vero per præſentia ſtatuta noſtra omnibus paterna ſollicitudine intendimus providere, ut quies eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis procuretur, & pacis turbatores, pœnæ formidine arceantur a peccatis; præcipimus, & mandamus, & ſtatuimus ſub pœna excommunicationis, ut ſtatuta ipſa ab omnibus eccleſiaſticis & ſæcularibus perſonis inviolabiliter omni fraude & dolo excluſis obſerventur: & preſbyteri, clerici & alii eccleſiarum prælati mandata dictorum ſtatutorum fideliter exequantur: & nos omnes tam eccleſiaſticas, quam ſæculares perſonas, quæ ſententias excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti latas vel ferendas virtute dictorum ſtatutorum non obſervaverint, & preſbyteros, clericos & alios eccleſiarum prælatos, qui mandata eccleſiaſtica fraudulenter & contumaciter exequi non curaverint, excommunicamus in his ſcriptis: & nihilominus illi pro quo mandata exequi debeant, ad expenſas & intereſſe tenebuntur.

IV.

Quoniam autem accepimus, quod plerique noſtri ſubditi mandata noſtra & officialis noſtri & aliorum judicum minus prompte nec licenter exequantur, & aliqui exequi omittant, in ſuarum periculum animarum, & libertatis eccleſiaſticæ læſionem, diſtricte præcipimus, quod ea de cetero, omni occaſione & excuſatione poſtpoſitis, ſine difficultate ſuper quocumque negotio fideliter exequantur, obſervent, & obſervari faciant, juxta eorum tenorem mandatorum, mandatis receptis ſigilla ſua in ſignum executionis appendentes. Quicumque vero hujus mandati tranſgreſſor extiterit, per triginta dies ab officio pœnam ſuſpenſionis ſe noverit incurſurum: gravius contra ipſum proceſſuri, ſi meruerit protervitas delinquentis.

XXVII. *De modo conſtandi decano & preſbytero loci.*

I.

Cum in multis articulis ſtatutorum noſtrorum inſeritur, *quando decano & preſbytero loci conſtiterit de delicto vel de præmiſſis, delinquentem excommunicet ſeu ad excommunicationem procedat*; quatenus hæc clauſula, *ſi decano vel preſbytero loci conſtiterit*, &c. accipienda ſit, declaramus ſtatuentes, quod quando decano vel preſbytero loci per evidentiam facti, puta ſi delictum fieri viderint, vel audierint, vel alias ſciverint factum eſſe, vel per confeſſionem delinquentis, quam decanos vel preſbyteros loci audiendi, recipiendi, & delinquentes ad dicendum veritatem, ſi neceſſe fuerit, ſuper præmiſſis compellendi per cenſuram eccleſiaſticam, ſtatuimus habere poteſtatem, vel per famam publicam contra aliquos laborantem conquerentium, vel eorum procuratoris habentis ſuper hoc poteſtatem ſacramenti de calumnia ſubſequente, illos contra quos fama laborat delictum ipſum commiſiſſe, vel per ſententiam vel per confeſſionem in jure factam conſtiterit de commiſſis, vel cum judex ipſi decano vel preſbytero loci mandavit quod ad excommunicationem procedant virtute dicti ſtatuti noſtri. Decanus vel preſbyter loci vel alius executor delinquentem excommunicet, & ad excommunicationem procedat: aliter autem decanus, preſbyter, vel executor, delictum, & quid ſuper eodem factum fuerit, & circumſtantias ejuſdem nobis vel noſtro officiali reſcribant, & quod ſuper hoc a nobis ſeu noſtro officiali mandatum fuerit, obſervetur.

II.

Præterea intelleximus, quod cum portitores litterarum noſtrarum curiæ noſtræ & archidiaconatus Leodienſis ad aliquos preſbyteros pro citationibus & aliis mandatis exequendis venerint, ipſi executores ſeu preſbyteri ipſa mandata exequi recuſant, niſi ipſa mandata juſtitiæ ſæculari loci & illis contra quos mandata exequi debent oſtendantur: propter quod pluries accidit, quod mandatorum noſtrorum, curiæ noſtræ, & archidiaconorum portitores & executores capiebantur, & arreſtabantur, & eis mala inferebantur. Quare ſtatuimus, quod quotienſcumque aliqui portitores litterarum noſtrarum, archidiaconorum noſtrorum, ſeu aliorum ad aliquem locum venerint, in quo alicujus potentiam ſeu violentiam ſibi merito inferri metuerint, preſbyteri & ipſi executores mandatorum ipſis diligenter inſpectis, & viſo, ſi ſuſpicione careant, ipſorum mandatorum copia de verbo ad verbum recepta, dicta mandata ſigillent, & portitori reddant, & eum caute & honeſte expediant, ita quod malum ei non inferatur: & preſbyter ſeu executor cum copia mandati tranſcripti ipſum mandatum exequatur: alioquin preſbyteros & executores præmiſſa fraudulenter omittentes, ipſo facto ſuſpendimus.

III.

Præterea cum nonnulli preſbyteri ſeu eccleſiarum rectores, directis eiſdem mandatis eccleſiaſticis ad exequendum eadem, differunt ea exequi, pro eo quod aſſerunt ipſa exequi non audere propter minas eiſdem illatas. Cum igitur conſtitutiones noſtræ ſynodales pro communi utilitate eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum, & ad conſervandam eccleſiaſticam libertatem ſint ſtatutæ, & publica utilitas præferenda ſit privatæ, mandamus univerſis preſbyteris & eccleſiarum rectoribus & prælatis quod ſtatuta noſtra ſynodalia obſervent, & ad executionem mandatorum & in eis contentorum procedant diligenter, niſi forte ipſis timor mortis vel cruciatus corporum inferatur: ita quod propter hoc ad executionem & obſervationem ſtatutorum merito procedere non audebunt, in quo caſu dictas minas inferentes excommunicamus, & locum in quo præmiſſa facta fuerunt & ejus populum ſupponimus eccleſiaſtico interdicto, niſi habuerimus quod minæ, a tempore quo factæ fuerunt, ceſſaverunt infra octo dies, & preſbyter cui minæ hujuſmodi intentabantur, ſi poterit, recipiat teſtimonium competenter; & ſi infra menſem unum tunc proximum hujuſmodi minæ non ceſſaverint, ita quod preſbyter ſeu executor executionem ſuam & ſtatuta ſynodalia obſervare non poterit, tunc executor ſive ſit preſbyter, vel quicumque alius, a loco in quo minæ factæ fuerunt recedat, nec ad eum minus durantibus accedat: alioquin ipſum ſuſpendimus a divinis ipſo facto, & ex tunc idem executor decano concilii præmiſſa denunciet: & ipſe decanus ad denunciationem dicti executoris dictas minas ſub juramento ſibi illatas affirmantis, faciat convocationem ſuorum ſacerdotum & ſubditorum, & omnes vel eos qui prædictas minas fecerint vel intulerint, cum eorum fautoribus, complicibus, in hac parte excommunicatos propter hoc auctoritate noſtra per ſingulos preſbyteros

ANNO CHRISTI 1287.

dicti concilii faciat denunciari excommunicatos ſingulis diebus dominicis & feſtivis . . . . . . . . . . . . uxorem & familiam extra eccleſiam tenendo, & locum ſuppoſitum eccleſiaſtico interdicto. Et nihilominus ſi ſit dominus terræ ſeu villicus juriſdictionem habens, a quo ſeu cujus auctoritate dictæ minæ factæ fuerint, decanus loci denunciet ei quod dictas minas ceſſare faciat, & permittat eccleſiaſtica obſervari mandata. Alioquin a tempore denunciationis dicti decani, quam fieri mandamus infra octo dies a tempore denunciationis ſibi factæ, poſt quindecim dies totus diſtrictus & terra domini prædicti, & ejus juſtitiæ, ſuppoſiti ſint eccleſiaſtico interdicto, & ipſum interdictum per ipſum decanum & per ſingulos presbyteros ſui conſilii præcipimus publicari, & ſi ſit ſingularis perſona diſtrictum & juriſdictionem non habens dictas minas inferens; tunc decanus prædictus poſt denunciationem dicti excommunicatoris modo prædicto factam, moneat dictum dominum & juſtitiam ſuam, ſub quibus minas inferens conſiſtit, ut dictas minas ceſſari faciat, & ipſum presbyterum aſſecurari: ita quod mandata eccleſiaſtica exequi poſſint infra octo dies a tempore dictæ monitionis: alioquin ipſum dominum, ejus juſtitiam, eorum complices & fautores excommunicamus & excommunicatos denunciamus. Et ſi per quindecim dies in dicta excommunicatione permanſerint, terram & diſtrictum eorum eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Similiter ſi decano loci minæ factæ fuerint, per officialem noſtrum procedatur.

## XXVIII. *De judicibus*.

I.

Inſuper ſtatuimus & præcipimus ſub pœna excommunicationis omnibus ſcabinis & juſtitiariis, ut non differant fraudulenter proferre judicium ſuper querimoniis & cauſis eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum contra perſonas laicales ad ipſos delatis, & dictas ſententias debitæ executioni demandare.

II.

Præcipimus omnibus judicibus ordinariis & delegatis, ut in judiciis Deum præ oculis habentes ſtatuant & faciant quod ſuadebit juſtitia, & pauperibus in quantum potuerint cum Deo & ratione condeſcendant, & ſub pœna excommunicationis, quod prece, pretio, odio, vel timore non flectantur; & excommunicationis ſententiam non proferant, niſi in ſcriptis, & cauſam expreſſe conſcribant, propter quam excommunicant, & exemplum ſcripturæ exhibeant excommunicato infra menſem poſt diem excommunicationis latæ, ſi fuerint requiſiti ſuper hoc, ſimiliter procedant in ſuſpenſionis & interdicti ſententiis: alioquin judex contrarium faciens, per unum menſem ab ingreſſu eccleſiæ, & divinis officiis ſecundum canonicas ſanctiones, ipſo facto eſt ſuſpenſus. Et ſi ſic ſuſpenſus divina officia exequatur, irregularitatem incurrat, ſuper qua non poterit, niſi per ſedem apoſtolicam diſpenſari, & judex in quantum poterit lites abbreviet, & cum judex viderit aliquam partium per exceptiones frivolas dilatorias, & peremtorias litem protrahere, tunc ſecundum quantitatem vel qualitatem negotii, conditionem perſonarum & alias circumſtantias ſtatuat terminum peremtorium partibus ad proponendum quidquid proponere voluerint, & ultra terminum non audiat aliquam ulterius proponentem.

III.

Judices advocatos in judiciis poſtulantes & procuratores faciant jurare tactis ſancro-ſanctis, quod in cauſis in quibus ſunt advocati & procuratores, omni virtute ſua omnique ope id quod verum & juſtum eſſe æſtimaverint ſuis clientibus inferre procurabunt & ſuadebunt, & quod in quacumque parte judicii cum ipſis innotuerit cauſam eſſe injuſtam, eam dimittent, & omnino recedent ab eadem, nullatenus ulterius de ipſa ſe intromiſſuri.

IV.

Præcipimus omnibus judicibus in virtute ſanctæ obedientiæ, quod nullum ſuper exceſſibus ſuis conveniant vel citari faciant, niſi prius apud bonos & graves ſuper delicto aliquo diffamatum, vel perſona gravi denunciante cui merito ſit credendum; & tunc in citatione & proceſſu ſcribant perſonam denunciantem, & ſi perſona denuncians in probatione defecerit, ſciat quoniam denunciatio tenebitur ad expenſas & intereſſe. Non ſignet vel ſcribat judex vel denuncians per formam eſſe cum non ſit verum, cum mortale peccatum ſit innocentem diffamare, & non permittat judex de ſigillo ſuo recipere ultra rationem, & omnia acta judicialia conſcribantur, & originalia maneant apud judices, ut ſi diſſonantia actorum fuerit, ad originale recurratur.

V.

Præcipimus & omnibus judicibus, ut habeant notarios peritos & diſcretos, qui teſtes poſſint examinare in cauſis gravibus, ut puta matrimonialibus & aliis. Et notarii in examinandis teſtibus ſint diligentes & diſcreti, nec aliquam foveant partem, & quærant a teſte cauſam ſcire dicti ſui, de loco, tempore, & aliis circumſtantiis, de quibus traditur. Extra *de teſtibus*, & cum agitur in cauſa matrimoniali, ad divortium notarii quærant diſtinctionem graduum ſecundum decretalem extra *de teſtibus*, in capitulo *licet ex quadam*.

VI.

Et nos excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes advocatos, procuratores, notarios & alios quoſcumque, qui perſonas in judicio litigantes inſtruunt, & inducunt, & faciunt negare quod eſſet affirmandum, vel etiam affirmare quod eſſet negandum; & qui teſtes inſtruunt & inducunt ad perhibendum falſum teſtimonium, & omnes teſtes falſum deponentes; & mandamus judicibus quotienſcumque tales invenerint, quod eos capiant, & in carcerem intrudant, pœna canonica puniendos.

VII.

Nullus advocatus patrocinium ſuum præſtet manifeſto uſurario, hæretico, vel Judæo contra Chriſtianum, niſi judex ex cauſa aliqua advocato hoc duxerit committendum, & aſſiſtant advocati pauperibus & miſerabilibus perſonis gratis: & nullus advocatus, procurator ſeu notarius vel judex attentet pudicitiam mulierum litigantium.

VIII.

Præterea præcipimus omnibus judicibus quod in citationibus ponant terminum competentem, & executores non citent aliquem, niſi citatus veniendi ad judicium terminum habeat competentem ſecundum locorum diſtantiam.

IX.

Item, cum in concilio Lugdunenſi ſtatutum ſit, ne a ſede apoſtolica vel legatis ejus cauſæ aliquibus committantur niſi perſonis quæ in dignitate ſunt præditæ, nec alibi quam in civitate & in locis magnis & inſignibus, ubi valeat juris



ANNO CHRISTI 1287.

peritorum copia inveniri; & cum in noſtra diœceſi a nonnullis dubitentur quæ loca inſignia debeant reputari, nos talem dubitationem removentes, ipſa loca inſignia propriis vocabulis duximus exponenda vel exprimenda, videlicet Leodium, Hovum, Dinantum, Namurcum, Foſſis, Thuduinum, Nivella, Lovanium, Aquis, Trajectum, Tungris, & Thenis in monte: prohibentes, ne in aliis locis cauſæ apoſtolicæ vel legatorum ejus tractentur, niſi de communi partium proceſſerit voluntate.

X.

Quia vero ceſſiones actionum odioſæ ſunt & pluries in fraudem fiunt, ſtatuimus, ut ceſſiones actionum inter viros fiant de licentia & in præſentia noſtra, officialis noſtri, vel loci archidiaconi, vel judicis partium competentis. Et ſi legitima cauſa ſubſit, ceſſiones admittantur: alioquin non admittantur. Ceſſiones autem aliter factæ non valeant, & qui cedit, cadat a jure ſuo, & is in quem facta eſt ceſſio commodum non habeat, & ſi ex tali ceſſione aliquis agere præſumſerit, uſque ad litem conteſtatam agere deſtiterit, excommunicatus ſit ipſo facto.

XI.

Item, inhibemus ſacerdotibus & aliis eccleſiarum prælatis & omnibus clericis, ne exequantur mandata judicum delegatorum, niſi prius inſpecto authentico quo utuntur ſigillato.

## XXIX. *De Beghinis*.

I.

Item, præcipimus, quod omnes Beghinæ privilegio Beghinali gaudere volentes, intrent curiam Beghinarum, & præcipimus commorantibus extra curiam Beghinarum, quod diſtinguant habitum ſuum ab habitu Beghinarum, & ſi aliqua Beghina extra curiam acceſſerit moratura, vel ejecta fuerit propter incontinentiam vel aliud delictum, habitum non deferat Beghinarum.

II.

Præterea omnes Beghinas negotiatrices vel mercatrices manifeſtas amplius quam decem marcharum in negotiationibus habentes, a privilegiis Beghinarum excludimus, nec eas a ſolutione cotorum ſeu exactionum volumus eſſe liberas. Alias autem in curiis commorantes declaramus ad præmiſſa non teneri.

## XXX. *De mandatis*.

Quoniam autem ut accepimus quod plures ſubditi noſtri mandata noſtra & noſtri officialis & aliorum judicum minus promte & diligenter exſequuntur, & aliqui exſequi omittunt; in ſuarum periculum animarum & libertatis eccleſiaſticæ Leodienſis; diſtricte præcipimus quod ea de cetero omni occaſione & excuſatione poſtpoſita ſine difficultate ſuper quocumque negotio & contra quoſcumque fideliter exſequantur, & obſervent & obſervari faciant juxta eorumdem tenorem mandatorum, mandatis receptis ſigilla ſua in ſignum executionis appendentes. Quicumque vero hujuſmodi mandati tranſgreſſor extiterit, per triginta dies ab officio pœnam ſuſpenſionis ſe noverit incurſurum. Nihilominus contra ipſum gravius proceſſuri, ſi meruerit protervitas delinquentis.



## XXXI. *De falſariis*.

I.

Statuimus de falſariis declarando falſarios litterarum domini papæ eſſe auctoritate canonis excommunicatos, & nos excommunicamus etiam & excommunicatos denunciamus omnes abuſores litterarum domini papæ, legatorum ejus, noſtrorum archidiaconorum, decanorum, & aliorum prælatorum, judicum eccleſiaſticorum, & omnes illos qui per litteras apoſtolicas vel legatorum ejuſdem coram diverſis judicibus aliquem ſuper una re, vel in una parochiali vel pluribus perſonalibus actionibus trahunt in cauſam, & vexant. Qui vero dictas litteras apoſtolicas aut legatorum ejus ad futuras trahunt injurias, aut aliis vendunt aut commodant, emunt ab aliis, ſeu ex cauſa commodati recipiunt, illos etiam qui propter vexationem vel extorſionem aliquam faciendam eis ſcienter utuntur contra illos contra quos nihil habent quæſtionis, aut per ipſas malitioſe adverſarios ſuos ad villam quæ commune cum aliis habet vocabulum, citari procurant, vel ad loca ignota vel minus inſignia *.

* *Videtur hic aliquid deeſſe.*

II.

Excommunicamus etiam omnes falſitatem in litteris noſtris, eccleſiæ noſtræ majoris curiæ noſtræ, vel archidiaconorum vel decanorum noſtrorum, ac ipſarum litterarum ſigillis committentes ſive facientes; nec non illos quorum conſilio vel inſtructione ipſa committitur falſitas, & illos ſimiliter, qui ipſis litteris falſis ſcienter utuntur. Et diſtricte præcipimus ſacerdotibus & decanis chriſtianitatis, ut per ſingulas parochias inquiri faciant tales falſarios vel abuſores, & nomina illorum, & qui ſuper hoc fuerint diffamati, remittant nobis ſeu officiali noſtro.

III.

Item, excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes illos qui per reſcriptum apoſtolicum in forma ea quæ de bonis, quod ſolum ſe extendit ad res eccleſiarum, citant, & conveniunt aliquos ſuper aliis rebus quam eccleſiaſticis, ad quas hujuſmodi reſcriptum ſe non extendit, etiam omnes illos qui cauſa ferendi teſtimonii, faciunt aliquos citari preſonaliter coram judicibus ad vexandum eos, quorum teſtimonio non indigent.

IV.

Excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes falſam monetam, & etiam omnes illos quorum auxilio vel conſilio præmiſſa fiunt, facientes, & eos quorum conſilio facta fuerit falſa moneta, & qui eam in terra ſua fieri permittunt.

## XXXII. *De uſurariis*.

I.

Excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes uſurarios manifeſtos, & ſingulis diebus dominicis & feſtivis a quolibet ſacerdote denuncientur excommunicati.

II.

Nullus ſacerdos oblationes manifeſtorum uſurariorum recipiat, nec ad communionem eos admittat, niſi uſurarius manifeſtus ſatisfecerit de uſuris, ſecundum conſtitutionem felicis recordationis domini Gregorii papæ X. quæ incipit, *Quamquam uſurarii*.

III.

Nullus teſtamentis uſurarii manifeſti interſit;

ANNO CHRISTI 1287.

nec ad pœnitentiam vel communionem admittat, niſi de uſuris ſatisfecerit ſecundum formam conſtitutionis domini Gregorii papæ, & teſtamenta manifeſtorum uſurariorum, qui ſecundum formam dictæ conſtitutionis non ſatisfecerint de uſuris, ſuſpenſione nulla ſunt ipſo jure. Cum autem uſurarii manifeſti ſecundum formam conſtitutionis ſatisfecerint, ad ſacramenta eccleſiaſtica admittantur.

IV.

Manifeſtos autem uſurarios dicimus, de quibus per ſententiam vel confeſſionem factam in jure aut evidentiam rei quæ aliqua tergiverſatione non poteſt celari, conſtiterit evidenter, & illos etiam qui per uſuras diffamati infra tempus ſtatuendum ab eo qui ſuper hoc habet poteſtatem ſe non purgaverint, reputamus pro manifeſtis uſurariis puniendos.

V.

Præcipimus etiam ſingulis ſacerdotibus parochialibus, quod moneant in parochiis ſuis frequenter in generali & ſpeciali de quibus conſtiterit uſurarios, & infamatos publice de uſuris & contractibus illicitis præemtionum exercendis, ut ab uſuris & a talibus contractibus deſiſtant infra ſeptem dies a tempore dictæ monitionis: alioquin ex tunc ipſi uſurarii & præemtores excommunicentur in ſpeciali, & diffamati ſe non purgaverint, pro convictis habeantur, ſi taliter moniti & excommunicati reſipiſcere noluerint, nominatim excommunicentur, & nomina eorumdem noſtro officiali referant, ſalvo jure noſtro & archidiaconorum in præmiſſis.

VI.

Præcipimus etiam conſtitutionem domini Gregorii papæ X. felicis recordationis contra uſurarios alienigenas editam obſervari.

## XXXIII. *De quæſtuariis.*

I.

Quæſtuarii non permittantur in eccleſiis prædicare, vel negotia ſua exponere pro aliquo quæſtu faciendo, quaſcumque litteras deferant; ſed ipſi ſacerdotes per ſeipſos fideliter ſecundum tenorem litterarum, quas ipſi quæſtuarii habuerint, ſine fraude & ſubſtractione aliqua negotia eorum exponant. Sacerdotes non permittant quæſtuores, Goliardos, vel quoſcumque alios ignotos infra parochiam ſuam in eccleſia, in via, vel in platea, vel quibuslibet locis ſuæ parochiæ prædicare vel oſtiatim deferre indulgentias pro quæſtu faciendo: ſed tales & omnes qui eis aſſiſtunt, presbyter loci excommunicet, & ad removendum ipſos invocet auxilium brachii ſæcularis, ſi neceſſe fuerit, & ſacerdotes non permittant prædicatores quæſtuarios celebrare ſuper archas, nec pulſare campanulas manuales per vicos, neque in eccleſia, & ipſi presbyteri ſæpe dominicis diebus & feſtivis moneant parochianos ſuos, & etiam ſub pœna excommunicationis eiſdem inhibeant, ne tales audiant propter pericula hæreſum, & errores quos ſæpius ſeminant. Et ſi quis tales viderit, denuncient presbytero, & presbyter eos faciat teneri per juſtitiam ſæcularem, & nobis remitti.

II.

Præcipimus etiam quod eccleſiæ interdictæ a nobis, noſtro capitulo, archidiacono loci, ſeu officiali, vel quocumque judice ordinario, vel delegato nullatenus aperiantur; nec quacumque auctoritate, pro quocumque quæſtu faciendo, niſi de mandato ſpeciali ſedis apoſtolicæ.

III.

Item, monemus omnes ſacerdotes & alios quoſcumque noſtræ diœceſis qui eleemoſynas fidelium ad opus fabricæ eccleſiæ majoris Leodienſis collatas detinent, quod infra menſem ſatisfaciant de eiſdem procuratori ſeu procuratoribus dictæ fabricæ; alioquin omnes ſuſpendimus: & ſi per octo dies cauſam ſuſpenſionis ſuſtinuerint, ipſos excommunicamus, & etiam omnes illos, qui dictas eleemoſynas ſubripuerint & celaverint, diſtraxerint, ſubripiunt, celant, & diſtrahunt in fraudem dictæ fabricæ.

IV.

Item, præcipimus & injungimus univerſis presbyteris noſtræ diœceſis, ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, quatenus diligenter negotium dictæ fabricæ eccleſiæ apud ſuos ſubditos promoveant diligenter & fideliter in eccleſiis, confeſſionibus, & teſtamentis: & ſi qui pro hujuſmodi negotiis excommunicati vel ſuſpenſi fuerint, non abſolvantur, niſi per nos ſeu officialem noſtrum.

## XXXIV. *De teſtamentis.*

I.

Præcipimus ut ſacerdotes denuncient ſuis ſubditis, quod omnes quibus hoc a jure prohibitum non eſt, liberam teſtamenti habeant factionem, & clerici bona maxime mobilia quæ per eccleſiam ſunt adepti, hæc per modum teſtamenti ſive alias non transferant ad filios, nepotes, aut alios ſuos conſanguineos, ſed relinquant eccleſiæ a qua ſunt profecta: ſed intuitu eccleſiæ pauperibus, religioſis locis, & illis qui ipſis ſervierant, ſive conſanguinei ſint ſive alii, aliqua juxta ſervitii meritum de mobilibus dare poſſunt: de aliis vero bonis quæ ex hæreditate, artificio, vel doctrina, vel alias non ex bonis eccleſiæ ad clericos pervenerunt, clerici poſſunt diſponere pro ſuo arbitrio.

II.

Excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes clericos qui bona immobilia eccleſiarum filiis ſuis, neptibus ſuis, vel conſanguineis ſeu aliis conferunt, vel in ipſis transferunt, ab eccleſiis alienant ſua propria voluntate & ſine conſenſu epiſcopi ſui.

III.

Præcipimus & monemus, ut laici in præſentia ſui ſacerdotis teſtamenta ſua faciant, niſi improviſa neceſſitas emerſerit.

IV.

Item, omnibus ſacerdotibus præcipimus, quod hortentur omnes clericos & laicos teſtamenta ſua facere, & quod non differant uſque ad anguſtias mortis, ſed ea faciant dum adhuc compotes ſunt mentis & corporis. In teſtamentis faciendis conſulant ſacerdotes ſuis ſubditis, quod declarent ſua debita & foreſacta, & quod ea reſtitui faciant primo, ſeu præcipiant de bonis ſuis, & quod poſtmodum aliqua fabricæ eccleſiæ S. Lamberti martyris, eccleſiæ totius civitatis & diœceſis Leodienſis, & ſuæ parochiali eccleſiæ, & etiam religioſis & piis locis ac pauperibus aliis ſecundum arbitrium teſtamenti. Si quis vero fabricæ eccleſiæ S. Lamberti & parochiali eccleſiæ ſuæ aliquid legaverit in ſuo teſtamento, eidem xx. dies de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus. Et fiant teſtamenta parochianorum publice & coram diſcretis perſonis; & cum aliqua fabricæ eccleſiæ S. Lamberti legantur, hoc presbyter ſignificet in Leodio procuratori fabricæ, & nomina eorum, qui prædicta legata fecerunt infra menſem.

Suſpen-



ANNO CHRISTI 1287.

V.

Suſpendimus & ſuſpenſos denunciamus omnes presbyteros, qui celant legata fabricæ eccleſiæ prædictæ, nec ea procuratori ſuo denunciant infra duos menſes a tempore ſcientiæ. Et excommunicamus omnes laicos, qui celaverint prædicta legata.

VI.

Quoniam autem in aliquibus locis noſtræ diœceſis quædam conſuetudo inolevit, quæ dicenda eſt potius corruptela, cum ſit contraria rationi, & contra jura canonica & civilia, videlicet quod judices & ſcabini & conſiliarii quorumdam oppidorum dicunt & ſtatuunt, vel judicant & faciunt obſervari, & per conſuetudinem tenent, quod nullum teſtamentum, donatio, vel legatum teneat ſuper mobilibus & immobilibus, quod vel quæ a decumbentibus in lecto piis locis vel perſonis aliis fuerit factum vel facta, & quod vel quæ fuerit ab aliquo per translationem proprietatis in pia loca vel alia perſonas, retento a teſtatore ſeu donatore uſufructu, niſi ab eodem uſufructus cum proprietate transferatur, & differatur. Nos huic manifeſto errori obviare volentes, conſuetudinem prædictam ſeu ſtatutum, reprobatam ſeu reprobatum a noſtris prædeceſſoribus penitus etiam reprobamus. Statuentes etiam, prout noſtri anteceſſores ſtatuerunt, quod quilibet tam ſanus quam infirmus, qui liberam habet a jure teſtamenti factionem, & compos mentis exiſtit, libere poſſit condere teſtamentum & donare & legare tam proprietatem quam uſumfructum, vel proprietatem, retento ſibi uſufructu, & etiam utrumque tam proprietatem quam uſumfructum, & ſecundum ejus voluntatem & diſpoſitionem procedant univerſa: cum ultimæ voluntatis liber debeat eſſe ſtylus, & liberum eſſe debeat quod irritum non reddit arbitrium. Præcipientes diſtrictius, quod ſi in aliqua parochia aliqui judices, ſcabini, vel conſiliarii ſecundum dictam conſuetudinem ſeu ſtatutum reprobatam & reprobatum judicaverint & fecerint obſervari, denuncietur officiali noſtro, & ipſe officialis contra judices prædictos tam ſcabinos quam partem ad hoc inſtantem procedat.

VII.

Presbyteri inſtruant ſubditos ſuos, quod diſtricte faciant ſua teſtamenta & legata, ſi poterint, & certos executores conſtituant ad exequendam ſuam ultimam voluntatem. Et tamen ſi aliquis omnia bona ſua in manibus executorum ſuorum poſuerit, habetur pro teſtamento.

VIII.

Verum cum executores ſeu manufideles teſtamentorum perperam procedentes, bona ad executionem pertinentia clam ſuſcipiunt & celant, & poſtmodum cum rationem executionis ſuæ facere debent, negant ſe habere bona quanta receperunt, furtum & rapinam committentes, & ultimam voluntatem defuncti minime exſequentes. Nos malitiis talium obviare volentes, ſtatuimus & ordinamus, quod nullus executor ſeu manufidelis bona teſtatorum ad executionem ſuam pertinentia invadat, recipiat, vel de eiſdem ſe aliquatenus intromittat, niſi facto prius inventario, id eſt quadam ſcriptura, in qua continebuntur quæ & qualia bona teſtator poſt ſe reliquit, ad executionem prædictam ſpectantia; quæ ipſe executor ſeu manufidelis recipiet & levabit, & debita foreſacta, & legata ipſius teſtatoris reſtituet & adimplebit, & illud inventarium fiet per bonos viros, videlicet per presbyterum & duos ſcabinos locales ſeu ſynodales, nec ſuſpectos, & ſigillabitur ſub ſigillo presbyteri vel alicujus perſonæ authenticæ. Unde executores petant a teſtatore, ſi poteſt fieri, quod ipſos de bonis ſuis & debitis ſuis certificet, nam in hoc ſtabitur aſſertioni teſtatoris.

IX.

Et nos excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes executores ſeu manufideles, qui bona decedentium, quorum ſunt executores, prius non facto modo prædicto inventario, invadunt, recipiunt, vel levant, nihilominus ipſi executores ſeu manufideles, ſi bona, prædicto non facto inventario, levaverint, dum a creditoribus ſeu legatoribus defuncti, ratione dictæ executionis conveniuntur, in ſolidum tenebuntur, & condemnabuntur, exceptis rebus quæ ſervari non poſſunt: quas res ſi neceſſitas exegerit, executores alienare poterunt, non facto inventario: in præſentia tamen ſacerdotis loci, vel duorum vel trium ſcabinorum ſynodalium vel fide dignorum, pecuniam de dicta re redactam ipſi executores ponent in certo loco, nec ea utentur, niſi dicto inventario facto: alioquin dictam excommunicationis ſententiam incurrant: & ſi defunctus aliquod debitum ſub pœna ad uſuras vel ad alia damna debebat, poterunt executores vel manufideles de bonis defuncti ſolvere debitum, pœnam, uſuras & alia pericula & damna extinguendo, non facto etiam inventario, ſi ipſum inventarium commode fieri non poteſt. Si debitis, pœna, uſuris & aliis impedimentis inſtantibus fuerit augmentandum circa exſequias dicti defuncti, & fiet in præſentia presbyteri, duorum vel trium ſcabinorum ſynodalium vel aliorum proborum; alioquin dicta excommunicationis ſententia ligentur. Si vero presbyter loci fuerit executor, tunc poterit fieri inventarium ipſum in præſentia decani loci vel alterius authenticæ perſonæ & duorum vel trium ſcabinorum ſynodalium vel aliorum presbyterorum.

X.

Volumus tamen quod teſtamenta canonicorum eccleſiarum Leodienſium, quorum executores canonici fuerint, ordinentur & teneantur, prout eſt vel in poſterum fuerit a capitulis eorumdem ſuper hoc ordinatum: nec volumus per hoc præjudicium generari conſuetudinibus obſervatis circa teſtamenta canonicorum noſtræ diœceſis, ſi quas habent in præmiſſis.

XI.

Præcipimus etiam ſacerdotibus loci, & ipſis executoribus, & manufidelibus, quod copiam inventarii dicti referant infra duos menſes noſtro officiali a tempore quo factum fuerit, & hoc præcipimus per noſtrum officialem regiſtrari, nec aliquid recipiatur pro ſigillo. Cum autem teſtator deceſſerit, ipſi executores facto inventario, bona ad executionem pertinentia apprehendant, & exequantur ultimam voluntatem dicti defuncti, faciendo proclamari in loco quo morabatur defunctus & plurimos eſſe & conſervari conſuevit, ut omnes creditores defuncti & a quibus aliqua extorſerat, compareant certa die oſtenſuri debita ſua: & tunc ipſi executores primo creditoribus a quibus injuſte extorſerat ſatisfaciant, & de reſiduo ſatisfaciant legatariis quibuslibet pro rata bonorum defuncti, & officialis noſter per cenſuram eccleſiaſticam compellat executores & hæredes defuncti ad implendam & exequendam ſupremam defuncti voluntatem.

## MODIFICATIONES

### Præcedentium ſtatutorum anno M. CC. XC. editæ.

JOHANNES Dei gratia Leodienſis epiſcopus univerſis abbatibus, abbatiſſis, prioribus, præpoſitis, archidiaconis, decanis, conventibus, capitulis, & eccleſiarum rectoribus, clericis, & aliis civitatis & diœceſis Leodienſis, ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum in generali concilio nuper a nobis Leodii celebrato in craſtino dominicæ qua cantatur *Invocavit me*, anno Domini M. CC. LXXXVII. ad conſervandum ſtatum & libertatem eccleſiarum ac regimen diœceſis Leodienſis, & ad reprimendam perverſorum malitiam quaſdam ſynodales fecerimus conſtitutiones, quæ tunc legitimæ de ſui forma poterant reputari: ſed quia potentes, magnates, nobiles diœceſis noſtræ Leodienſis, nec non magiſtri ſcabini, jurati & communitates civitatis Leodienſis, oppidorum Hoyenſis, Dioneti, S. Trudonis, Tongrenſis, & Foſſatenſis, ad nos detulerint querimoniam ſuper eo quod per quaſdam ex conſtitutionibus, de quibus inferius fit mentio, jura ſua, libertates, franchiſiæ, leges & conſuetudines ipſorum ad quorum obſervationem ex debito noſtri tenemur officii, læduntur & enervantur, ut dicebant, licet dictæ conſtitutiones fuerint & debuerint apud juriſperitos legitimæ reputari: quia cum alibi ſcribitur quod ad ſedandum populum termini multum remanſerit, nos pacem & tranquillitatem noſtrorum ſubditorum modis omnibus affectantes dictas conſtitutiones de juriſperitorum conſilio declaramus, corrigimus, & modificamus, prout inferius continetur.

I.

Sub titulo de uſuris in conſtitutione quæ incipit, *Excommunicamus, & excommunicatos denunciamus omnes uſurarios manifeſtos*, & clauſulas quæ tales ſunt, *Et illos etiam qui ſuper uſuris diffamati infra tempus ſtatuendum ab eo qui ſuper eo habet poteſtatem ſi ſe non purgaverint, reputamus pro manifeſtis uſurariis puniendos*. Et illam clauſulam. *Et infamati ſi ſe non purgaverint reputamus pro manifeſtis uſurariis puniendos*. Et illam clauſulam, *Et infamati ſi ſe non purgaverint, pro convictis habeantur*, ſic declaramus; licet de jure ſic intelligi deberent, & noſtræ hactenus fuerit intentionis, ut ſic intelligerentur: dum cum fama ſic legitime contra illos probata & pronunciata per judicem competentem, famam legitime contra illos eſſe probatam, illos ſic diffamatos reputamus pro uſurariis manifeſtis puniendos, & pro convictis debent haberi ſi ſe non purgaverint infra terminum competentem eis aſſignandum. Volentes & præcipientes vobis omnibus & ſpecialiter noſtro officiali Leodienſi, quod ſi uſurarii manifeſti ſatisfecerint de uſuris, vel cautionem præſtiterint de ipſis reſtituendis ſecundum conſtitutionem felicis recordationis domini Gregorii papæ X. quæ incidit *Quamquam* vel *Quamvis*, ſine difficultate qualibet eccleſiaſticæ tradatur ſepulturæ.

II.

Item, aliam conſtitutionem ſub titulo *de teſtamentis* qua dicitur: *Excommunicamus omnes laicos qui celaverint legata fabrica eccleſia Leodienſis*, ſic declaramus & intelligi volumus de laicis qui tenentur ad ſolutionem legatorum, quod illi ſint excommunicati ſecundum tenorem & formam conſtitutionis.

III.

Item, conſtitutionem, quæ ſcripta eſt ſub eodem titulo *de teſtamentis*, quæ ſic incipit, *Verum cum executores ſeu manufideles teſtamentorum perperam protendentes*, &c. uſque ad finem tituli, ſic corrigimus & modificamus, quod mortuo teſtatore, executores teſtamenti ipſius defuncti vocent duos vel tres ſcabinos, vel alios probos viros & honeſtos, & coram eis ſcribi faciant, ſi commode fieri poteſt, bona ſpectantia ad ipſam executionem & copiam dictæ ſcripturæ dent dictis probis, & ſic dicta executione utantur, & in ea procedant juxta ipſius defuncti voluntatem: ita quod per dictam executionem legi & conſuetudini loci in quo præmiſſa fient, nullum fiat præjudicium, nec ad aliud obligentur dicti executores virtute dictæ conſtitutionis quam de jure vel conſuetudine dicit loci ſint obligandi.

IV.

Item, aliam quæ ſcripta eſt ſub titulo, *de vita & honeſtate clericorum*, in qua excommunicantur & excommunicati denunciantur omnes laici, & omnes quicumque in clericos deaſſecuraverunt, &c. mitigamus in hunc modum, quod pœnam excommunicationis in eis latam revocamus: ita tamen quod ſi qui fuerint laici vel alii qui clericos deaſſecuraverint, nec eos poſtea aſſecuraverint, nos & alii judices competentes procedemus, prout de jure fuerit faciendum, cum ſuper hoc ad nos vel ad judices competentes fuerit delata querela.

V.

*Correctio circa plures ſententias excommunicationis interdicti & ceſſationis.*

Item, quia in quibuſdam malefactoribus ipſis de quibus in illis fit mentio inflictæ quædam pœnæ ſequuntur, videlicet, ubi tales malefactores domicilium habuerint, moram fecerint, biberint, comederint, pernoctaverint, privatæ perſonæ vel domini diſtrictum habentes, quod in locis illis, vel in diſtrictibus dictorum dominorum ceſſetur a divinis, & poſt receſſum eorum per duos, tres vel plures dies, & ubi violentia facta eſt, & quod dominus loci, judex, juſtitia, villicus, & ſcabini ſint excommunicati, & eorum terræ & diſtrictus eccleſiaſtico ſuppoſiti ſint interdicto, niſi fecerint de dictis malefactoribus id quod presbyter loci vel decanus, de quibus in eiſdem conſtitutionibus continetur, propter quæ ceſſare mandabatur a divinis in aliquibus locis virtute ipſarum conſtitutionum. Et quia pœnæ ita ſuos auctores tenere debent, ut inſontes non lædantur, dictas pœnas relaxamus. Volentes & præcipientes, quod licet in aliquibus locis dicti malefactores domicilium habuerint, moram fecerint, biberint, comederint, pernoctaverint, tranſitum fecerint, vel ſi domini non liberaverint clericos, qui capti deducuntur per eorum loca vel diſtrictus, a manibus ſic eos deducentium, vel ubi violentiæ factæ ſunt, ſeu aliqua alia de cauſa, licet hic de ea expreſſa non fiat mentio, contenta in noſtris novis conſtitutionibus propter quam ceſſare deberent a divinis virtute dictarum conſtitutionum, vel dominus, judex, juſtitia, villicus, & ſcabini excommunicationis ſententiam incurrebant; Non propter hoc dicti domini, judex, juſtitia, villicus, & ſcabini, licet denunciationi presbyteri vel decani prædictorum non obedierint in præmiſſis, dum tamen de hoc fecerint quod ad ipſos pertinet ratione ſui officii, excommunicationis ſententiam incurrant, nec terræ eorum, ſeu diſtrictus vel alia loca eccleſiaſtico propter hoc ſupponantur interdicto virtute dictarum conſtitutionum, ipſis conſtitutionibus & pœnis aliis contra ipſos malefactores in ſuo robore durantibus.

VI.

Malefactores autem prædicti ſunt incendiarii, effractores eccleſiarum, monaſteriorum invaſores, raptores, detentores grangiarum, domorum, & aliarum rerum ſeu bonorum eccleſiaſticorum, monaſteriorum, & eccleſiaſticarum perſonarum, eorum complices, & fautores, & violatores eccleſiarum & cimeteriorum, nec non immunitatum eccleſiarum, extractores aliquorum hominum ab eccleſia, obſidentes eccleſias, prohibentes ne obſeſſis in eccleſia victualia conferantur, capientes clericos, & eorum bona, complices, & eorum fautores, clericos captivos detinentes, pecuniam ab eis extorquentes per captivitatem domini locorum qui eos non deliberavit a manibus ſuis vel eorum qui eos ſic captos deducunt per eorum terras, vel eos ibidem non arreſtant, inhibentes rectoribus & inveſtitis, ne in locis ſuis morari poſſint eorum complices & fautores, occiſores, mutilatores, percuſſores atrociter clericorum, imbannitores, & arreſtantes bona eccleſiarum vel eccleſiaſticarum perſonarum, facientes & ſcribentes ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem, judicantes ſecundum ea, prohibentes, ne ad judicem eccleſiaſticum eatur de cauſis ſpectantibus ad forum eccleſiaſticum, impedientes portitores litterarum judicum eccleſiaſticorum & ipſarum executores: eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis, tallias, exactiones indebitas, vel ſervitia indebita imponentes, inhibentes terras eccleſiarum coli, & alii malefactores, de quibus in dictis novis conſtitutionibus vel eorum aliqua fit mentio ſpecialis, licet hic non exprimatur.

VII.

Item, alteram conſtitutionem in qua dicitur, quod ſi aliqui nobiles vel alii ad prælia vel ad aliquas expeditiones procedentes, jacuerint in grangiis eccleſiarum ſeu eccleſiaſticarum perſonarum, &c. quod niſi infra quindecim dies a tempore perpetrati delicti ſatisfecerint de damnis & rapinis, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, prout in ipſa conſtitutione continetur. Nos conſiderantes quod propter neceſſitates plurimas præmiſſa interdum fieri contingit, pœnam excommunicationis in dicta conſtitutione contentam relaxamus.

VIII.

*Correctio contra ceſſiones actionum faciendas.*

Item, conſtitutionem ſcriptam de judicibus, in qua prohibentur fieri ceſſiones actionum inter vivos coram aliis quam coram noſtro officiali Leodienſi, archidiacono loci vel judice competenti, &c. intelligimus & declaramus de ceſſionibus actionum perſonalium; quare vobis & veſtrum ſingulis præcipiendo mandamus, quatenus dictas conſtitutiones ſecundum prædictas declarationem, correctionem, modificationem obſervetis ex nunc, & eis utamini, non obſtante eorum primo tenore. Præcipientes vobis omnibus & ſingulis, quatenus ad ceſſationem contra prædictas declarationem, correctionem, & modificationem virtute prioris tenoris dictarum conſtitutionum nullatenus procedatis. Et ſi procedatis organa veſtra ſine alterius expectatione mandati reſumatis, ceteris noſtris conſtitutionibus & antiquis ſtatutis ſynodalibus in ſuo robore manentibus, ac etiam firmitate. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum præſentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M. CC. XC. dominica poſt Purificationem B. Mariæ Virginis.

Explicit, Deo gratias.



# VITA NICOLAI PAPÆ IV.

NIcolaus quartus, patria Aſculanus, ordinis Minorum generalis, dictus ante Hieronymus, religionis & pacis amator, ex cardinale presbytero ſanctæ Sabinæ, creatus eſt pontifex maximus octavo Kalendas Martii, anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo octavo. Sub imperio Rudolphi imperatoris, ſeditionibus Romæ coortis diſcedens, Reate profectus, quoſdam ibi cardinales ex omni fere religione creavit. Rebus tranquillioribus redditis, ad Urbem rediit, eccleſiamque ſanctæ Mariæ Majoris reſarcivit, cardinalis Columnæ auxilio adjutus, partes quoque anteriores eccleſiæ Lateranenſis reparavit. Certis adjectis conditionibus, Aragoniæ regum cum Neapolitano reconciliavit. Ptolemaidi per Soldanum obſeſſæ, bis mille & quingentos milites propriis expenſis auxilio miſit. Carolum duobus regnis Sicilienſi & Neapolitano inveſtivit. Legatos miſit ad reges Franciæ & Aragonum, ut eos ad ferendas terræ ſanctæ ſuppetias induceret. In quo cum fruſtra ſe laborare intelligeret, triſtitia & amaritudine confectus, poſt annos quatuor, menſem unum, & dies octo adminiſtrati muneris pontificii, anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo, menſe Decembri, ut ait Trithemius in chronico Hirſaugienſi, Romæ mortuus, in eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris cum honore ſepultus eſt: & vacavit ſedes apoſtolica annis duobus, menſibus tribus, & diebus octodecim: idque propter diſcordiam cardinalium, hac de cauſa Peruſii congregatorum.

A Nicolao hujus nominis quarto, non tertio, edita eſt illa conſtitutio decretalis tit. de verb. ſignific. in 6. qua recte & bene definitur, ſanctam, meritoriam, perfectiſſimam, & quandoque per Chriſtum verbo & exemplo prædicatam eſſe, illam Minoritarum paupertatem, qua, ſolo uſu ſibi aſſervato, rerum dominia a ſe removent. *Bellarminus libro quarto de Rom. pont.*

CON-

# CONCILIUM INSULANUM

## A præſulibus Arelatenſis provinciæ celebratum anno Domini MCCLXXXVIII.

Ex codice MS. eminentiſſimi cardinalis Chiſii nunc primum prodit.

Concilium per dominum Roſtagnum Divina providentia Arelatenſem archiepiſc. II. apud Inſulam celebratum.

### TITULI CANONUM.


1. *Ut excommunicatus propter illatum damnum vel injuriam, non abſolvatur donec ſatisfecerit.*
2. *Ut nullus ſine cauſa beneficio ſpolietur a prælato.*
3. *Ut circa regulares nihil innovetur.*
4. *Ut pecunia legata ad arbitrium executorum dividatur in cauſas pias.*
5. *Ut presbyteri doceant populum, quomodo parvuli in neceſſitate baptizandi ſint.*
6. *Ut in eccleſiis ſemper reſideant presbyteri, aut ſaltem vicarii perpetui.*
7. *De celebranda octava ſanctæ Trinitatis, & feſto ſancti Trophimi.*
8. *Ut parochiales presbyteri diligentiſſimi ſint circa legata pia.*
9. *Adverſus invaſores bonorum eccleſiaſticorum.*
10. *De injuriis & damno dato.*
11. *De iis qui clericum ceperint.*
12. *Ut ſerventur jura edita de Judæis.*
13. *Ne banna fiant adverſus eccleſiæ libertatem.*
14. *De iis qui tradunt toxica, in mortem, vel abortum.*
15. *Ut bladum non transferatur, donec ſit decimatum.*
16. *Ut eccleſia, & perſonæ earum, bannum ſolvere non cogantur.*
17. *Ut prætextu baptiſmi non donetur niſi ſola alba.*
18. *Ut ſtatuta priorum conciliorum obſerventur.*


### PRÆFATIO.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad omnia conſilia & actus noſtros progredimur, in quo vivimus movemur & ſumus. Scriptum eſt enim: *Omnia quæcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti facite, gratias Deo agentes*. Teſtatur enim pagina veritatis, quod in exordio creationis humanæ, lex obedientiæ tranſgreſſionis vitium invexit, cum primarii parentes, ſui conditoris prohibitione poſtpoſita, pomum, quod univerſalis & ſingularis Dominus ſpeciali ſubjecerat interdicto, in totius poſteritatis periculum attentarunt: ſicque de corrupta radice corrupti ramuſculi proceſſerunt. Idem "autem fit proclivis curſus ad voluptatem, & natura vitiorum eſt invitatrix. Quamobrem convenit ſanctorum patrum conſtitutionibus, generalium conciliorum & provincialium canonibus, ac ſingulorum epiſcoporum ſtatutis ſynodaticis, ſic perverſorum coarctari molimina: ut appetitus noxii debitæ non excedant limites honeſtatis, ſed inde Chriſtiana profeſſio liberius magis ac magis ſalutaribus proficiat incrementis. Sane cum plurima ſtatuta in provincialibus conciliis per prædeceſſores noſtros ſint edita, quædam ex eis propter aliquorum incertitudinem non abſque animarum periculo evagentur, nonnulla propter varium recurſum temporis mutatione ſeu reformatione nunc indigeant, cum dicat Auguſtini authoritas ad Bonifacium: omnia debent ſuis temporibus convenire. Nos Roſtagnus miſeratione Divina ſanctæ Arelatenſis eccleſiæ archiepiſcopus, unanimi fratrum noſtrorum conſilio & voluntate concordi, videlicet domini [a] G. Dei gratia epiſcopi Vaſionenſis, domini [b] S. Dei gratia Auraſicenſis epiſcopi, domini [c] Riadi Carpentoratenſis epiſcopi, D. [d] B. Cavallicenſis epiſcopi, ac M. Roſtagni ſacriſtæ Tolonenſis procuratoris domini Joannis epiſcopi, & G. præpoſiti & capituli Tolonenſis, & magiſtri S. Falconis Tricaſtrini canonici procuratoris domini epiſcopi [e] B. Dei gratia Tricaſtrini, & præpoſiti & capituli ejuſdem eccleſiæ, ex juſtis cauſis abſentium; & G. de Arois & Raolo & Joanne Figuerie procuratoribus eccleſiarum cathedralium, & prioribus conventualibus Maſſilienſibus & Avenionenſibus, necnon præpoſitis noſtræ Arelatenſis provinciæ, præſentibus, & aliis pluribus viris diſcretis, in provinciali concilio apud villam Inſulæ Venaiſſini Cavallicenſis diœceſis conſtituti: attendentes quod injuriatur memoriæ frequenter oblivio, virorum prudentium cautela providit adverſus oblivionem remedium de ſcripturæ certæ ſuffragio, ne aliqui de cetero prætextu ignorantiæ ſe valeant excuſare, ſtatuta prædeceſſorum noſtrorum infra ſcripta, cum quibuſdam aliis per nos editis, colligi & corrigi fecimus, ac ipſa præſente clero & populo publicari, & ſub certo anno tali volumine ſeu libello, quem ſigillo noſtro & prædictorum fratrum noſtrorum, ad æternam rei memoriam voluimus roborari, ut deinceps in Arelatenſi provincia, in judicio vel extra, nulla exinde poſſit hæſitatio exoriri.

Authoritate igitur præſentis concilii præcipimus & ordinamus, quod prædictum volumen, ſeu libellus, & noſtris ſuffraganeis, & omnibus abbatibus, præpoſitis & prioribus conventualibus Arelatenſis provinciæ, infra inſtans feſtum Natalis Domini integraliter habeatur. Verum quoniam multorum ſtatuta ſalubria, non ſunt, ſicut decuit, hactenus obſervata, propter quod in contemptum & oblivionem quaſi totaliter devenerunt; ideo neceſſarium fore duximus, prædictorum conciliorum Arelatenſium quædam magis utilia renovare ſtatuta, quæ inferius continentur.

Coloſſ. 3.

" ſ. Ideo autem

a Girard. b Non eſt in Gallia Chriſtiana ſtatutum. Sunt Martinorum. R. c Non eſt in Gallia Chriſtiana niſi Raymundus. R. d Bertrandi. e Bertrandi.







### CANONES.

*I. Ut excommunicatus propter illatum damnum vel injuriam, non abſolvatur donec ſatisfecerit.*

IN primis igitur præſentis approbatione concilii renovamus, & de novo ſtatuimus X. capitulum primi concilii" provincialis, per dominum Joannem quondam Arelatenſem archiepiſcopum celebrati, quod incipit. Item ſtatuimus, quod ſi quis propter damnum datum, vel injuriam irrogatam, excommunicationis vinculo fuerit innodatus, non ante abſolutionis beneficium mereatur obtinere ipſe qui damnum dedit, vel injuriam irrogavit, quam pro poſſe ſuo ſatisfaciat competenter. Quod ſi abſque ſatisfactione debita fuerit abſolutus, abſolvens juxta ſuperioris arbitrium puniatur.

" An. 1234. Vide ſupra ad d. an.

*II. Ut nullus ſine cauſa beneficio ſpolietur a prælato.*

Item innovamus & de novo ſtatuimus XXIV. capitulum concilii" prædicti D. Joannis quod incipit. Item ſtatuimus quod nullus eccleſiaſtico beneficio jam adepto, ſine cauſæ cognitione a prælato ſuo aliquatenus ſpolietur. Quod ſi ſpoliatus intra menſem non fuerit reſtitutus, extunc cum de ſpoliatione conſtiterit, ſuperior ex officio ſuo ſpoliatum reſtituere non poſtponat.

" Vide ibid.

*III. Ut circa regulares nihil innovetur.*

Circa regulares vero nihil novi duximus innovandum.

*IV. Ut pecunia legata, ad arbitrium executorum dividatur in cauſas pias.*

Ad hæc aliud Arelatenſe concilium renovantes, per dominum B. Malcferrati celebratum, quondam Arelatenſem epiſcopum, innovamus & de novo ſtatuimus ſecundum capitulum ejuſdem "concilii, quod incipit. Cum autem teſtator legat certam pecuniæ quantitatem, vel res alias, pro foreſtis ſuis diſtribuendis arbitrio gadiatorum ſeu executorum teſtamenti ſui, nec extant certæ perſonæ, quibus, ſeu inter quas, pecunia ~~ſeu res~~ ſic legata diſtribuantur: ſtatuimus, quod pecunia ſeu res prædictæ, per ipſos executores, de conſilio tamen & aſſenſu prælatorum, ne fraus aliqua per ipſos gadiatores valeat procurari, in pias cauſas dividantur. Et niſi teſtator tempus præfixerit ad hujuſmodi perſolvenda, dicti executores per diœceſanos locorum ea infra annum ſolvere per cenſuras eccleſiaſticas compellantur.

" Vide ſup. pag. 459.

*V. Ut presbyteri doceant populum, quomodo parvuli in neceſſitate baptizandi ſint.*

Item innovamus & de novo ſtatuimus XI. capitulum provincialis Concilii per dominum Florent. " celebrati, tum Arelatenſem archiepiſcopum, quod incipit. Circa ſacramentorum diſpenſationem, quoniam per quorumdam diſpenſatorum negligentiam multiplices ſubcreverunt abuſus: ſtatuimus ut presbyteri parochiales, in præcipuis feſtivitatibus, in plena eccleſia & publica populi allocutione & ſermone, doceant parochianos ſuos qualiter & quibus verbis debeant uti, cum parvulos in caſu neceſſitatis baptizant.

" Vide ſup. ad an. 1234.

*VI. Ut in eccleſiis ſemper reſideant presbyteri, aut ſaltem vicarii perpetui.*

Item innovamus V. capitulum ejuſdem concilii, quod incipit. Quia major pars eccleſiarum parochialium hujus provinciæ, ad monachorum vel conventuum regularium pertinet prioratus, de quorum collegiis aliqui conſueverant in ipſis eccleſiis continue reſidere, in ſpiritualibus & temporalibus præſidentes; & de ipſis, prælatis ſuis rationem congruam opportune reddentes: nunc autem reſidentia ſua ad hæc ſola coarctatur tempora, quibus ſpiritualibus "ſpolia colliguntur, alicubi nullo prorſus ſacerdote relicto, alicubi vero ſolo mercenario: ita quod plurimæ eccleſiæ, aut rectores & miniſtros non habent, aut per" .... reguntur mercenarios. Statuimus, ut in talibus eccleſiis deinceps, aut de ipſis collegiis ad quorum patronatum pertinent, aliquæ bonæ, ſufficientes, & honeſtæ perſonæ reſideant, quæ curam animarum loci recipiant a prælatis; aut ſi tales ſunt patroni, qui curam habere non debeant, aut non velint, tantum accipiatur & ſequeſtretur de bonis & dotibus eccleſiæ, quantum vicario perpetuo ſufficienti & honeſto, & in ſacris promoto, ibidem reſidenti, & per patronum præſentato, & per prælatum inſtituto, ad victum honeſtum ſufficiat & veſtitum, & alia quæ ad officium vicarii pertinere noſcuntur: & hujuſmodi vicarius curam animarum loci recipiat a prælato. Quod ſi vacante tali eccleſia per mortem aut "ſucceſſionem vicarii, non fuerit, intra tempus ſtatutum a jure, alter vicarius ſufficiens prælato loci per patronum præſentatus: ex tunc per ipſum prælatum vicarius competens conſtituatur ibidem, nec ultra mercenariis, niſi forte bonis & expertis, & hoc ad tempus, & ex cauſa,

Vide ibid.

" ſ. quibus temporalia ſpol.

" ſ. presbyteros

" ſ. ceſſionem

ſa, Dominicarum ovium regimina committantur: quia mercenariis gregem committi Dominicum, evangelica veritas ſummi paſtoris ore promulgata graviter deteſtatur.

*VII. De celebranda octava ſanctæ Trinitatis, & feſto S. Trophimi.*

Vide ibid.

Item VI. capitulum ejuſdem innovamus, quod incipit. Statuimus etiam ut in octava Pentecoſtes celebretur ſolemniter officium ſanctæ Trinitatis, & a veſperis ſabbati Dominica agatur ſolemnitas, & per totam ſequentem hebdomadam tres lectiones & tria reſponſoria ſingulis diebus, niſi feſtum IX. lectionum extiterit, de ſanctæ Trinitatis hiſtoria per ordinem decantentur, uſque ad veſperas ſequentis ſabbati, & tunc incipiatur hiſtoria. Feſtum autem B. Trophimi per totam provinciam ſolemniter celebretur, ſicut de apoſtolis.

*VIII. Ut parochiales presbyteri, diligentiſſimi ſint circa legata pia.*

Item approbante præſenti concilio innovamus & ſtatuimus, innovando nonum capitulum provincialis concilii per R. patrem bonæ mem. dominum B. de ſancto Martino Arelatenſem archiepiſcopum celebrati, quod incipit. Verum quia parochiales presbyteri circa ſolutiones eorum quæ ad pias cauſas a decedentibus relinquuntur, negligentes exiſtunt, præcipue ex quo in his, quæ ipſis proveniunt, eiſdem fuerit ſatisfactum: ſtatuimus, ut omnia legata ad pias cauſas ab ipſis teſtatoribus derelicta, omnes parochiales ſacerdotes in ſcriptis penes ſe retinere procurent, ut ſciant quid, a quo, & quibus * licitos eſſe præcipimus & intentos: ſtatuentes, ut poſt obitum teſtatoris, infra quindecim dies, hæres ab ipſo parochiali presbytero requiſitus, ipſius teſtamenti ſeu voluntatis ultimæ eidem ſacerdoti dare tranſcriptum ſeu tranſlatum, quoad pias cauſas, & piis uſibus deputata, expenſis legatariorum teneatur: ad quod ab eodem presbytero per cenſuras eccleſiaſticas compelli valeat ipſe hæres. Inſuper ſtatuentes, ut legantur publice tunc, proxima die Dominica vel feſtiva, legata ſupradicta, ut quid cui legatum fuerit vel relictum, minime ignoretur: adjicientes, ut ſacerdos qui hoc legerit, pro perſona quæ legatum ſeu relictum hujuſmodi fecerit, Dominum deprecetur, & ad rogandum pro ipſa perſona ſubditos ſuos ſive parochianos moneat, & inducat ut ſaltem orationem Dominicam dicant.

Vide ibid.

* Aliquid hic deeſt cujus ultima ſyllaba ſo. Certe enim legendum ſolicitos eſſe præcip. & int.

*IX. Adverſus invaſores bonorum eccleſiaſticorum.*

Item innovamus & de novo ſtatuimus, approbante ſacro præſenti concilio, primum capitulum & omnia contenta in eo, ſecundi provincialis concilii Avinione celebrati per reverendum patrem B*. Divina providentia tunc Arelatenſem archiepiſcopum, nunc epiſcopum Portuenſem, quod incipit. In primis igitur, quoniam aliqui ſuis finibus non contenti, paſſim aliena diripiunt, & eccleſiaſticas libertates effringere non verentur: approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod quælibet perſona, ſæcularis aut eccleſiaſtica, nobilis aut alia, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, officii, conditionis, aut ſtatus fuerit, quæ vel eccleſiaſticas capellas, ſeu earum cœmeteria, hoſpitalia, recluſoria, domos, poſſeſſiones loca, villas, caſtra, cenſus, [1] taſcas, [2] trezena, [3] laudimia, [4] vintena, feuda, leſdas, pedagia, ſeu [5] alia quæque utilia, ſeu etiam earum homines aut familias, animalia, ſive bona quælibet, mobilia ſeu immobilia, ſive domos religioſas aut hoſpitalia, ſive recluſoria, quomodolibet invadere, capere, occupare, detinere, pignorare, ſeu gadiare, necnon & qui contra eccleſias vel capellas, aut clericos ſive perſonas eccleſiaſticas, ſeu earum homines, loca, villas, caſtra, ſeu manſiones, aut contra libertates eccleſiaſticas, vel domos religioſas, aut hoſpitalia ſive recluſoria, quomodolibet edere vel facere quævis ſtatuta, ſive banna, vel præconizationes, aut novitates quaſcumque, ſive quibuslibet ex prædictis directe vel indirecte violentias aut moleſtias irrogare, ſeu eis ſuper bonis quibuslibet eccleſiaſticis ſeu patrimonialibus, quæſtas, aut talias, angarias ſive parangarias, aut neceſſitates quaslibet aliqualiter imponere vel inferre, ſive domos eccleſiarum, aut clericorum, ſeu perſonarum eccleſiaſticarum, occaſione quacumque, ferrare ſeu claudere, vel ferrare ſeu placare, ſive earum banna quæcumque bannire, ſeu etiam vias novas aliquas ubilibet adinvenire, vel facere, per quas eccleſiæ ſeu earum villæ, caſtra, vel loca, in pedagiis ſive leſdis aut quibuslibet juribus aliis, poſſint in aliquo diminui, vel etiam pejorari, ſive caminos aut vias, ſeu ſtratas publicas aut privatas, intra limites ſive territoria vel diſtrictus locorum, villarum, ſeu caſtrorum eccleſiaſticæ ditionis, auferre, vel ſibi quomodolibet appropriare, attribuere, ſeu etiam applicare, vel terminos eorum arare præſumpſerit, ſeu attentaverit, per ſuam potentiam, aut violentiam, ſive ſuperbiam:

* Bertrandum. Vide ſup. pag. [illegible]

[1] [illegible] [2] [illegible] [3] [illegible] [4] [illegible] [5] [illegible]





intra tres dies ſuper his a die captionis ſeu invaſionis, attentationis ſive præſumptionis hujus, & eorum fautores, per emendam aut revocationem debitam, ſeu alias ut res exigit, plene ſatisfecerit, excommunicationi ſubjaceat ipſo facto: quam ex tunc in attentatores & præſumptores hujuſmodi, fautoreſque eorum, conſiliarios, & coadjutores quoslibet, ferimus in his ſcriptis. Et nihilominus ſi perſona hujuſmodi perſtiterit in excommunicatione ipſa per tres dies: ex tunc loca quælibet ubi fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Quam ſiquidem excommunicationis ſeu interdicti ſententiam, cum de præmiſſis, ſeu eorum aliquibus, cuilibet ordinario vel ejus officiali ſummarie conſtiterit aut de plano: volumus, & ſtatuendo mandamus, executioni debitæ per ipſum quemlibet ordinarium, ſeu officialem ipſius, certificatum de plano, mandari per univerſas eccleſias Arelatenſis civitatis, diœceſis & provinciæ, ſicut viderit commodius expedire: ſuper quo, tam in genere, quam etiam quaſcumque perſonas ſingulariter nominandas * plenam habeant facultatem. Et inſuper etiam ad augmentandam hujuſmodi ſententiam, prout ei videbitur expedire: inſuper mandamus & præcipimus firmiter & diſtricte, quod ſuper omnibus circa præmiſſa per quoslibet aboleri hactenus attentantis, fiant poſt inſtans feſtum Pentecoſtes, per tres dies Dominicos continuos, monitiones in eccleſiis, videlicet generales: ut quicumque ſuper præmiſſis, aut eorum aliquibus, aboleri contra eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas ſeu earum juriſdictionem & jura, prout ſuperius ſunt expreſſa, quicquid hactenus attentaverit, illud & illa quælibet, intra feſtum inſtans Aſſumptionis beatæ Mariæ, totaliter revocent & emendent, ſive de ipſis ſatisfaciant competenter. Quod niſi fecerint, nos eodem approbante concilio, in quoslibet attentatores hujuſmodi, ſeu etiam præſumptores, ex nunc ut ex tunc, excommunicationis ſententiam ſimiliter ferimus in his ſcriptis, & in eorum quoslibet coadjutores, conſiliarios, & fautores. Quam excommunicationis ſententiam, cum conſtiterit ordinario cuilibet, ſeu ejus officiali, de plano vel ſummarie, per officium vel alias aliter, de præmiſſis: volumus & mandamus per univerſas eccleſias civitatum & diœceſum publicari, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, prout per quemlibet ordinarium, ſeu officialem ipſius, fiet requiſitio ſuper eis.

* Deeſt aliq.

* Certe nominandi.

*X. De injuriis & damno dato.*

Item innovamus ſacro præſenti concilio approbante, & ſtatuimus innovando ſecundum caput ejuſdem concilii & omnia contenta in eo, quod incipit. Inſuper ſacro approbante concilio ſtatuimus, quod ſi contingat vel homines, vel res quaslibet, animalia quævis eccleſiarum, ſive perſonarum eccleſiaſticarum, ſive hominum aut locorum ſuorum quorumlibet, abduci per aliquos aut aliquas in prædictam ſive pignorationem aut repreſaliam: abductores hujuſmodi, & eorum fautores, & authorizatores, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto, qui tamdiu per capellanos eccleſiarum civitatis & diœceſis, ubi prædicta commiſſa fuerint, authoritate præſentis concilii denuncientur excommunicati cum campanis pariter & candelis, ſingulis Dominicis diebus & feſtivis, quouſque de damnis & injuriis irrogatis fuerit eas paſſis plenarie ſatisfactum. Et nihilo minus civitates, caſtra, loca, & villæ, in quibus prædicta hujuſmodi recepta fuerint ſeu admiſſa, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, ſi requiſiti, qui fuerint inibi requirendi, a ſe noluerint abjicere prædicta eadem. Et ad hæc eadem exequenda, diœceſani ſinguli, & officiales eorum, ſe promptos exhibeant ſine contradictione quacumque, ut idem faciant fieri per capellanos ſuos, cum per illum, in cujus civitate vel diœceſi res ſic deteſtabilis commiſſa extiterit, fuerint requiſiti. Et nihilo minus ſuper iis etiam obſervetur attente novella conſtitutio Gregoriana*.

Vide ibid.

* Concil. Lugd. II. c. 18.

*XI. De iis qui clericum ceperint.*

Vide ibid.

Item XV. capitulum ejuſdem concilii innovamus, & præſenti concilio approbante præcipimus obſervari omnia in eo contenta, quod incipit. Ad hæc etiam approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod ſi officiales, vel locorum domini quilibet ſæculares, ſeu eorum curſores aut bannerii, ceperint clericum aliquem; & requiſiti per diœceſanum, vel officialem ſuum, quod clericum illum captum cum omnibus rebus ſuis reſtituant ſibi confeſtim; ſi per unum diem deſtiterint illum reſtituere, quamquam ipſo facto ſint excommunicati, ex tunc officiales illi, ſeu domini, & quilibet detinentes atque curſores ſeu bannerii ſupradicti, denuncientur excommunicati nominatim & expreſſe, diebus ſingulis, cum campanis pariter & candelis. Et ſi denunciati per tres dies, clericum illum non reddiderint, ex tunc locus aut civitas, ſive caſtrum, aut villa, ubi captus ille clericus detentus fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Nec teneatur aliquis fidem facere dictis officialibus, ſive dominis aut detentoribus, ſive quibuslibet aliis, quod captus ſit

ſit clericus; cum ſufficiat, ut illum conſtet clericum; in eo quod diœceſanus, vel officialis, ſeu locum tenens ipſius, aſſerat per litteras vel nuntium, clericum illum eſſe; nec ſuper his fides aliqua ſit laicis facienda. Hoc autem de tali clerico intelligimus, qui erat in poſſeſſione clericatus, tempore captionis.

*XII. Ut ſerventur jura edita de Judæis.*

Vide ibid.

Item VI. caput ejuſdem concilii innovamus, & præſenti concilio approbante præcipimus obſervari omnia in eo contenta, quod incipit, Inſuper etiam ſtatuimus, ut jura edita de Judæis ſerventur: videlicet, in pectoribus appendentia veſtimentis exterioribus diſſimilia ſigna portent: talia ſiquidem, per quæ faciliter & diſtricte valeant a Chriſtianis agnoſci pariter & diſcerni. Sed neque teneant Chriſtianos nutricios aut nutrices; carnes autem per eos occiſas nullus vendat fidelibus Chriſtianis. Ipſi quoque Judæi dies * excolant manifeſte. In quadrageſima carnes publice non manducent. Obviantes autem cruci, ſive Chriſti corpori, vel penitus ſe recludant, aut cito recedant, vel reverentiam exhibeant ut Chriſtiani. Alioquin Judæi quilibet contra facientes, per ſubſtractionem communionis fidelium, & Chriſtiani per excommunicationis ſententiam, per ordinarios, vel officiales, ſeu loca tenentes eorum, ſolicite compellantur.

*XIII. Ne banna fiant adverſus eccleſiæ libertatem.*

Conc. Biterric. ann. 1246. c. 11. ad verbum.

Item VII. caput ejuſdem concilii innovamus, & ſtatuimus innovando, quod incipit. Cum in jure canonico caveatur, quod qui de cetero ſervari fecerit ſtatuta, & conſuetudines introductas contra eccleſiæ libertatem, ſtatutarii & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, necnon poteſtates, conſules, rectores, conſiliarii locorum ubi ſtatuta hujuſmodi & conſuetudines de cetero edita fuerunt vel ſervata, necnon & illi, qui ſecundum ea judicare præſumpſerint, vel in formam publicam ſcribere judicata, excommunicationis ſententiæ debeant ſubjacere: nonnulli propriæ ſalutis obliti, & ſuæ verecundiæ non parcentes, juris ſententiam verborum amplexu non ſine fraude circumvenire nituntur: non ſtatuta, ut aſſerunt, banna tamen faciunt proclamari, præcepta & prohibitiones inducunt, quæ non eſt dubium in libertatis eccleſiaſticæ præjudicium redundare. Nos itaque fraudibus malignorum, quas circa hoc adhibitas fuiſſe cognovimus, obviare volentes, approbante præſenti conſilio ſtatuimus: ut qui contra eccleſiæ cujuſlibet libertatem, banna, prohibitiones, ſive præcepta, ſcientes fecerint, aut fieri procuraverint; ſeu facientibus conſilium vel opem duxerint adhibendam, ipſa, poſtquam per locorum ordinarios, vel officiales eorum, ſuper hoc fuerint requiſiti, abſque cujuſlibet difficultatis obſtaculo indilate revocent, ſeu faciant revocari, ad conſimilia numquam de cetero proceſſuri: alioquin cenſura ſimili ſint adſtricti. Qui vero contra eccleſiaſticas conſuetudines antiquas, rationabiles, approbatas, & hactenus pacifice obſervatas, ſtatuta, banna, prohibitiones, aut præcepta, ſcienter fecerint, aut fieri procuraverint, ſive jam facta ſervaverint, aut ſervari fecerint, ſeu facientibus vel ſervantibus, in hujuſmodi conſilium vel opem præſtiterint: per diœceſanos locorum, aut officiales, præſentis authoritate concilii moneantur, ut infra VIII. dies a tempore monitionis hujuſmodi numerandos, ſtatuta, banna, prohibitiones & præcepta hujuſmodi debeant revocare, ad conſimilia nunquam ulterius proceſſuri; alioquin excommunicationis ſententia, quam in his ſcriptis ex nunc ferimus, ſint ligati.

*XIV. De iis qui tradunt toxica, in mortem vel abortum.*

Item ſtatuimus, quod quicumque toxicare, aut opem ad hoc vel conſilium dare, vel in mortem alterius toxicum dictare, ſeu vendere, ſeu quocumque modo tradere, aut aliter miniſtrare præſumpſerit, vel quicumque tales ſciverit & celaverit ordinario ſuo, neque diœceſano ſuo infra menſem revelaverit, vel archiepiſcopo ſuo, ſi diœceſanum non habuerit, non tanquam confeſſori, ſed tanquam judici ....tas mortiferas, ſeu aliud mortiferum in mortem vel abortum cujuſquam dederit, eo ipſo majorem excommunicationem incurrat: & ſi per tres menſes in eadem excommunicationis ſententia animo ſteterit indurato, cum & participatione ſacramentorum & communione fidelium ſit privatus; ipſe & ejus liberi uſque ad quartam generationem in Dei eccleſia non valeant eccleſiaſticum beneficium obtinere, nec valeant aſſumi ad aliquas ſæculares, vel eccleſiaſticas dignitates. Et ſi clericus beneficiatus fuerit, illo ſit privatus beneficio, ipſo facto; & ab omni ordine quem ſuſceperat, degradetur, tradendus poſtea curiæ ſæculari. Si vero beneficiatus non fuerit, ſimiliter degradetur, & tradatur ſæculari curiæ puniendus. Qui vero ex tali vel ſimili ſuſpicione probabitur infamatus, & ex viſibilibus præſumptionibus





nibus & perſpicuis judiciis apud bonos & graves notatus: ad honorem, vel dignitatem eccleſiaſticam vel ſæcularem nullatenus admittatur: & nihilo minus ad detentionem perſonæ, prout ſceleris immanitas ſuadebit, ad eliciendam veritatis certitudinem: ſicut officiali dicti domini viſum fuerit, procedatur. Hoc autem ſtatutum extendi volumus, tam ad præterita, quam præſentia & futura. Nolumus tamen, quod aliquis pœnam excommunicationis pro prædictis incurrat prædictam, niſi poſt unum menſem a tempore publicationis hujus ſtatuti per noſtram provinciam faciendæ.

*XV. Ut bladum non transferatur, donec ſit decimatum.*

Item ſtatuimus, quod aliquis bladum de decimaria alicujus eccleſiæ intra aliam decimariam transferre non audeat, quouſque fuerit decimatum. Si quis vero contrarium fecerit, rectam decimam, ſcilicet decimam partem, integraliter eccleſiæ, de cujus decimaria bladum extraxerit, intra octo dies ſolvere teneatur. Quod ſi non fecerit, ſe noverit auctoritate præſentis concilii excommunicationis ſententia innodatum.

*XVI. Ut eccleſiæ & perſonæ earum, bannum ſolvere non cogantur.*

Item ſtatuimus, quod nullus dominus temporalis audeat compellere eccleſias, vel perſonas earum, familiam, ſervientes, ſeu nuncios, ſolvere bannum ſeu banna pro animalibus ſuis quibuſcumque, vel perſonis prædictis; & ſi contrarium fecerit, pignorando, capiendo, vel detinendo, vel homines, vel animalia, vel bona, per ſe id faciendo, vel factum per alios, ex quo ſciverit, ſuſtinendo, ipſo facto ſit excommunicationis ſententia innodatus: a qua minime abſolvatur, donec damnum paſſis ſatisfecerit competenter. Talam vero ſeu emendam ad arbitrium diœceſani præcipimus integraliter emendari.

*XVII. Ut prætextu baptiſmi non donetur niſi ſola alba.*

Quia ſæpe didicimus quod plures infantes ſine baptiſmo ab hoc ſæculo transmigrarunt, ex eo quod cum magna difficultate inveniri poterant qui eos poſſent baptizare, propter ſumptus & expenſas conſuetas & conſuetos, per patrinos temporibus retroactis, & ita terrore dictorum ſumptuum multa pericula evenerunt: ſtatuimus approbante concilio, ad periculum animarum evitandum, quod aliquis vel aliqua de cetero infanti, vel matri, vel alicui perſonæ, tempore dicti baptiſmi, vel alio tempore, illo prætextu dare aliquid, niſi ſolam albam, non audeat attentare.

*XVIII. Ut ſtatuta priorum conciliorum obſerventur.*

Item volumus, & approbante ſacro præſenti concilio præcipimus ſtatuendo, quod omnia ſtatuta olim per venerabiles patres Arelatenſes archiepiſcopos prædeceſſores noſtros, & per nos in conciliis provincialibus edita, in ſuo robore permaneant, ſicut prius.

OBSERVATIO G. C. S. J.

Subjuncta huic concilio erant alia, provinciæ Arelatenſis, ut admonuit præfatio: nempe

1. Concilium Joannis archiepiſcopi Areſatenſis celebratum MCC. XXXIV. VI. Id. Jul. Locus incertus.
2. Ejuſdem concilium ſecundum; anno M. CC. LI. celebratum Inſulæ in Venaſſino comitatu, die Martis poſt feſtum Exaltationis S. Crucis.
3. Concilium I. per Bertrandum Maleferrati. Arelat. archiepiſcopum, anno M. CC. LXX. Idib. Jul. Avenione celebratum.
4. Concilium Florentini archiepiſcopi, ſine ulla loci ac temporis nota.
5. Concilium a Bertrando de S. Martino, archiepiſcopo Arelate habitum, ſine die & anno.
6. Concilium a Bernardo de Anguiſello, qui ex archiepiſcopo Arelatenſi factus eſt epiſcopus Portuenſis, cardinalis, celebratum Avenione, anno M. CC. LXXIX. XVI. Kal. Jun. die Mercurii ante Pentecoſten.
7. Concilium Bertrandi Amalrici, Arelat. archiepiſcopi, Avenione habitum, anno M. CC. LXXXII.

Quæ partim edita ſuperius & ſuos in annos diſtributa; partim, quia nondum in manus noſtras venerant, aut certam temporis non præferebant notam, in appendicem ſervata ſunt.

ANNO CHRISTI 1289.

## ** SYNODUS CICESTRENSIS

Ex editione Anglicana Tom. II.

Conſtitutiones ſynodales D. Gilberti Epiſcopi Ciceſtrenſis, lectæ & publicatæ in majori eccleſia Ciceſtrenſi, in feſto S. Fidis virginis, in concilio ſynodali ibidem celebrato, præſidente dicto domino Gilberto Ciceſtrenſi epiſcopo, anno Domini MCCLXXXIX.

TITULI CAPITULORUM.


1. *De vita & honeſtate rectorum eccleſiarum.*
2. *De continentia eorumdem.*
3. *De iis qui corrumpunt filias ſpirituales.*
4. *De rectoribus, qui corrumpunt ſuas parochianas.*
5. *Ut prædicta ad ceteros presbyteros extendantur.*
6. *De concubinis presbyterorum & clericorum.*
7. *De iis qui in excommunicatione pertinaciter perſeverant.*
8. *Ne fornicariis, aut de incontinentia diffamatis parochia regenda committantur.*
9. *De veſtimentis presbyterorum.*
10. *Quales presbyteri eligendi a rectoribus eccleſiarum*
11. *De denunciatoribus.*
12. *De mittendis ad pœnitentiarium.*
13. *De taxandis ſtipendiis presbyterorum.*

ANNO CHRISTI 1287.

14. *De presbyteris præficiendis.*
15. *De Divinis officiis rite celebrandis.*
16. *De viſitatione vel infirmorum.*
17. *De pœnitentiis.*
18. *Quomodo deferenda ad infirmos euchariſtia.*
19. *De ſepulturis.*
20. *Ut nemo, niſi privilegio papæ munitus, audiat confeſſionem alieni parochiani.*
21. *De ſacris liberaliter conferendis.*
22. *Ut liberaliter detur in Paſcha corpus Chriſti.*
23. *De legato facto concubinæ clerici.*
24. *De matrimonio & clandeſtinis deſponſalibus.*
25. *De matrimoniis clandeſtinis.*
26. *Ut archidiaconi, & alii juriſdictionem habentes, ſuis finibus ſint contenti.*
27. *De viſitatione epiſcopi.*
28. *De proceſſionibus.*
29. *De ornamentis eccleſiæ.*
30. *Quid faciendum de pannis chriſmalibus.*
31. *De firmis.*
32. *De decimis.*
33. *De vicariis.*
34. *De penſionibus.*
35. *De juramento fidelitatis.*
36. *De penſionibus.*
37. *De examinationibus.*
38. *De exceptionibus cauſarum matrimonialium.*
39. *De iis qui mentiuntur habitum fratrum, & prædicant turpis lucri gratia.*
40. *Qui ſint excommunicati.*
41. *De ſententia excommunicationis.*

## CAPITULA.

### I. *De vita & honeſtate rectorum eccleſiarum.*

RECtores eccleſiarum, & alii quibus incumbit regimen animarum, plebes ſibi commiſſas, exemplo bonæ converſationis, verbo exhortationis, in fide recta, & bonis moribus, diligenter inſtruant & informent. Ut autem liberius & efficacius officium impleant exhortationis, univerſi animarum curam habentes, eccleſiaſticis officiis & aliis bonis ſtudiis ſe exerceant, orationibus & lectionibus jugiter intendant. Sint pudici, virtutum operatione præclari, humilitate præditi, pacifici, evangelizantes pacem, annunciantes bona, diſſenſiones, rixas, & ſcandala reſecantes. Ab illicitis ſpectaculis ſe abſtineant, & præcipue a duellis, & torneamentis, luctis, & aliis ubi ſanguinis effuſio poterit formidari: tabernas & inhoneſta convivia non frequentent; externarum fugiant conſortia fœminarum, & omnium ex quarum cohabitatione ſiniſtra ſuſpicio poterit exoriri.

### II. *De incontinentia eorumdem.*

Si quis autem de incontinentiæ vitio graviter diffamatus, non potuerit canonice ſe purgare: habebitur pro convicto. De convictis vero vel in jure confeſſis, beneficiorum vel ſtipendiorum fructus* ſubtrahantur, donec inde noſtram gratiam conſequantur. Ceteri in ſacris ſedibus conſtituti, juxta modum culpæ, canonice puniantur.

* al. fructus beneficiorum & ſtipendia

### III. *De iis qui corrumpunt filias ſpirituales.*

Graviori autem ſunt animadverſione plectendi, qui proprias filias ſpirituales, quas baptizaverint, vel ſemel ad confeſſionem admiſerint.[a]

a Deeſt, corrumpunt, aut aliquid ſimile. E.

### IV. *De rectoribus, qui corrumpunt ſuas parochianas.*

Et rectores, qui proprias parochianas corrumpere non verentur. Qui, ſecundum rigorem canonum, ab omni officio deponendi, peregrinando debent xv. annis pœnitere: & poſtmodum ad monaſterium divertere, ac ibidem toto vitæ ſuæ tempore commorari.

### V. *Ut prædicta ad ceteros presbyteros extendantur.*

Hæc autem quæ ſupra diximus de pœna presbyterorum, qui parochias regunt, ad alios extendi volumus, qui non regunt parochias: cum omnes pari voto continentiæ ſint aſtricti, & omnes deceat par honeſtas.

### VI. *De concubinis presbyterorum.*

Concubinæ vero presbyterorum, vel aliorum clericorum, qui in ſacris ordinibus fuerint conſtituti, de quibus conſtiterit, per excommunicationis ſententiam, ad agendam pœnitentiam compellantur: earumdem abſolutione nobis, præterquam in mortis articulo, reſervata.

### VII. *De iis qui in excommunicatione pertinaciter perſeverant.*

Si quis* autem excommunicatione contempta, animo obſtinato, in peccato pertinaciter perſeverare*; & coerceatur* brachio ſeculari; & in vita careat communione fidelium*; & in morte, eccleſiaſtica ſepultura talibus denegetur.

* al. qui
* al. perſeveret
* al. compleatur

### VIII. *Ne fornicariis, aut de incontinentia diffamatis*, parochiæ regendæ committantur.*

Caveant inſuper rectores eccleſiarum ne publice* fornicariis ſacerdotibus, aut de vitio incontinentiæ convictis, ſeu diffamatis, parochias regendas committant, ſeu retineant*: quod ſi facere præſumpſerint, lx. ſolidorum pœna, convertendorum in fabricam eccleſiæ Cicestrenſis noverint ſe multandos.

* al. publicis
* al. retineant convictis ſeu diffamatos

### IX. *De veſtimentis presbyterorum.*

Sicut vita presbyterorum a vita vulgari debet eſſe ſejuncta: ita decet, ut habitu & inceſſu a ceteris diſtinguantur*. Propter quod inhibemus, ne cappis manicatis, vel aliis indumentis, levitatis & laſciviæ notam prætendentibus, utantur publice, contra conſtitutionem S. concilii ultimo apud Lambeth celebrati. Alioquin hujuſmodi indumenta, fabricæ eccleſiarum, ubi degunt, vel quibus deſerviunt, archidiaconi miniſterio, cognitione ſummaria applicentur.

* al. diſtinguere

### X. *Quales presbyteri eligendi a rectoribus eccleſiarum.*

Eligant itaque eccleſiarum rectores, presbyteros notæ ordinationis, & converſationis honeſtæ, potentes opere & ſermone; qui exemplo vitæ, & verbo doctrinæ parare Domino valeant plebem perfectam; qui circa correctionem parochianorum vigilent inceſſanter, & exceſſus ſubditorum diligenter inveſtigent, & corrigant quæ fuerint pœnitentialiter & familiariter corrigenda.



ANNO CHRISTI 1289.

Exceſſus autem, qui in publicam prodeunt notitiam ſive famam, archidiaconis ſeu decanis, ſive officiariis noſtris, ſine mora denuncient rectores ſeu vicarii, corrigendos: ad quod, juramenti vinculo, antequam ad curam parochiarum acceſſerint, quaſi voto fortiſſimo adſtringantur.

### XI. *De denunciationibus.*

Ad hæc, præcipimus ut rectores, vel eorum presbyteri, ſingulis interſint capitulis, & exceſſus denuncient ſubditorum, & denunciationes, vocationes; & executiones noſtras, ſeu officiariorum noſtrorum, ac alia mandata recipiant, quæ occurrerint variis temporibus injungenda.

### XII. *De mittendis ad pœnitentiarium.*

Nullus autem ad pœnitentiarios noſtros pro aliquo delicto mittatur, de quo interim confeſſus fuerit, vel convictus. Enormia vero delicta nobis, vel pœnitentiario noſtro ad hoc ſpecialiter deputato, præterquam in articulo mortis, reſervamus. Litteras autem archidiaconi, decani, vel officiariorum, ad pœnitentiarium, gratis concedi volumus & præcipimus pœnitenti. Et ut liqueat, qualis fuerit pœnitentia, & pro quo crimine ſpecialiter injuncta: pœnitens, litteras pœnitentiarii referat ad mittentem. In ſingulis autem decanatibus, per capitulum duo eligantur presbyteri, qui moribus & ſcientia præditi, confeſſiones audiant ſacerdotum.

### XIII. *De taxandis ſtipendiis presbyterorum.*

Ne per* levitatem ſtipendiorum, viliores honeſtioribus, vel imperiti peritioribus præferantur: ſtipendia presbyterorum unius anni, taxanda duximus quinque marcas, in locis quibus eccleſiarum ſunt tenues, ſive modicæ facultates. In ditioribus autem eccleſiis, juxta ipſarum facultates, presbyteris volumus & ſtatuimus uberius provideri.

* al. pro levitate

### XIV. *De presbyteris præficiendis.*

Rectores eccleſiarum, presbyteros ſuis eccleſiis non præficiant, donec ipſos archidiaconis, vel ipſorum officiariis repræſentent: de quorum ordine*, vita, & ſcientia, examinatione habita diligenti, illi qui inventi fuerint idonei, adjuncto tempore, & ſtipendiorum quantitate, in rotulum publicum capituli redigantur: minus autem idonei, de quorum vita & ordinatione non conſtiterit, penitus repellantur. Ordinati vero a non ſuis epiſcopis, vel alias irregularitate canonica notati, ad nos mittantur pro gratia, ſi digni fuerint, obtinenda: ſi ſit caſus in quo, ex noſtro officio poſſimus de jure miſericorditer diſpenſare.

* al. ordinatione

### XV. *De Divinis officiis rite celebrandis.*

Presbyteri ſint ſeduli ad Divina officia, horis competentibus & ſtatutis in ſuis eccleſiis celebranda: ne deſidia vel negligentia argui ſive puniri debeant a prælatis. Quæ autem tractant vel legunt*, diſtincte proferant & aperte, non tranſiliendo, neque tranſcurrendo, vel ſyncopando; ſed cum debita reverentia, ut ad devotionem excitent mentes ſeu animos auditorum.

* al. Quæ … le… vel …



### XVI. *De viſitatione infirmorum.*

Infirmos ſingulis diebus Dominicis vel feſtivis videant, & viſitent diligenter. Caveant autem presbyteri, ne ad viſitandum infirmos ſe exhibeant difficiles, quacumque hora fuerint requiſiti. Quod ſi præſumpſerint, canonicam non effugient ultionem: nec, ſicut a quibuſdam hactenus præſumptum, mittant cum euchariſtia diaconos ad infirmos, dum ipſi vel potationibus, vel aliis voluptatibus carnis vacant, ſed perſonaliter infirmos adeant, & confeſſiones audiant ſolerter: crimina & circumſtantias criminum inveſtigent, & innoteſcant infirmis, quæ foret pœnitentia, ac injungant, quod pœnitentiam recipiant, cum ſaluti fuerint reſtituti, cum pœnitentia non ſit infirmis, ſecundum canones, injungenda.

### XVII. *De pœnitentiis.*

Pro furtis & rapinis, ſeu damnis aliis irrogatis, Miſſarum ſolemnia non injungant, rerum reſtitutione prætermiſſa, ſicut ſolet fieri a quibuſdam, qui ſalutem animarum non quærunt, ſed compendium temporale: ſed aut omnia rem reſtitui, & damna reſarciri præcipiant defraudatis.

### XVIII. *Quomodo deferenda ad infirmos euchariſtia.*

Cum autem in urbibus & villis, ubi ſitæ ſunt eccleſiæ, accedunt cum euchariſtia ad viſitandum infirmos: pro reverentia corporis Chriſti, ſuperpelliciis ſint induti, cum cruce, lucerna accenſa, & campana; clerico, vel alio humiliter præeunte.

### XIX. *De ſepulturis.*

Ad hæc, firmiter inhibemus, ne communio corporis Chriſti cuiquam, vel morienti eccleſiaſtica ſepultura, prætextu cujuſlibet delicti occulti denegetur.

### XX. *Ut nemo, niſi privilegio papæ munitus, audiat confeſſionem alieni parochiani.*

Nullus presbyterorum, alienum parochianum ad confeſſionem, vel communionem corporis Chriſti, præſumat admittere, ſine licentia proprii ſacerdotis, niſi privilegio audiendi confeſſiones, a ſummo pontifice ſit munitus. Cum autem a ſacerdote licentia petitur alteri confitendi, ſacerdos perſonam deſignet cui debeat confiteri: ne quiſpiam tali velamine, nemini confitendo, pœnitentiæ diffugiat ſacramentum.

### XXI. *De ſacris liberaliter conferendis.*

Ne autem presbyteri quæſtum ſaluti præferant animarum, tractatum de decimis ſeu aliis temporalibus in confeſſionibus non permittant, ſed diligenter exponentes confitenti, qualiter debeat confiteri; & quis ſit pœnitentiæ fructus; expletis omnibus, tantum demum petant, quæ de decimis vel aliis eccleſiaſticis* debebantur.

* al. vel aliis, eccleſiæ debebuntur.

### XXII. *Ut liberaliter detur in Paſcha corpus Chriſti.*

Similiter in ſacroſancto die Paſchæ, ſine ulla exactione decimæ, vel debiti, ſeu oblationis, liberatur* corpus Chriſti: ne una manu porrigendo

* al. liberaliter conferant corp.

ANNO CHRISTI 1289.

euchariſtiam, altera recipiendo pecuniam, noſtræ redemptionis myſterium fiat venale. Quod ſi compertum ſit fieri: præcipimus hujuſmodi flagitioſum commercium ſeveritate canonica graviter vindicari.

XXIII. *De legato facto concubinæ clerici.*

Licet legitima teſtamenta clericorum decedentium velimus firmiter obſervari: volumus tamen, quod concubinis ſuis in teſtamento ſuo quicquam relinquant, ſeu iis donent in extremis, mortifere laborantes. Quod ſi de cetero factum fuerit, totum illud in pios uſus noſtro arbitrio convertatur.

XXIV. *De matrimonio & clandeſtinis deſponſalibus.*

Ad hæc, firmiter inhibemus, ne quis alienum parochianum ad matrimonium contrahendum recipiat, niſi tamen ubi vir ejus converſatus fuerit: quin ubi fœmina degit, diligens ſcrutinium permittatur, & litteras referat ſui prælati, quicquid per ſcrutinium appareat continentes.

XXV. *De matrimoniis clandeſtinis.*

Fidei donationes domeſticas, etiam de matrimonio contrahendo, fieri prohibemus, niſi coram teſtibus fide dignis, & ſub præſentia ſacerdotis. Ac laici, qui talibus interfuerint clandeſtinis contractibus, propter pernicioſum exemplum, pœna publica puniantur.

XXVI. *Ut archidiaconi, & alii juriſdictionem habentes, ſuis finibus ſint contenti.*

Volentes autem ut unicuique quod ſuum eſt, conſervetur legitime; ſtatuimus, ut archidiaconi, & alii qui alicui juriſdictioni præeſſe videntur, taliter ſuis finibus ſint contenti, ne quid in præjudicium epiſcopalis dignitatis noſtræ, aut poſſeſſionis, ſeu conſuetudinis Ciceſtrenſis eccleſiæ, diu obtentæ, & approbatæ, temere audeant attentare.

XXVII. *De viſitatione epiſcopi.*

Volumus etiam & ſtatuimus, quod ſingulis eccleſiis civitatis Ciceſtriæ & diœceſeos, ad noſtram viſitationem ſpectantibus, poſt ſuſceptionem noſtrarum litterarum de viſitatione celebranda, omnes cauſæ integræ tum repertæ, necnon exceſſus non correcti, noſtræ diſcuſſioni & correctioni principaliter reſerventur.

XXVIII. *De proceſſionibus.*

Quia vero exigentibus culpis noſtris, fructus humanis neceſſitatibus cœleſti miſeratione proviſos frequenter abſorbet repentina calamitas tempeſtatum: orationum ſuffragiis eſt Chriſti miſericordia, & precibus piis invocanda. Ideoque ſinguli presbyteri, cum aeris intemperiem viderint imminentem, non expectato noſtro vel archidiaconorum noſtrorum mandato, protinus ad proceſſiones & humiles orationes devotionem excitent ſubditorum: ne, dum juſſionis noſtræ auctoritas expectatur, ultra quam expediat, deprecatio fidelium, moroſa negligentia prorogetur.

XXIX. *De ornamentis eccleſiæ.*

Quia domum Dei decet ornari honore congruo, dicente Pſalmiſta, *Domine dilexi decorem domus tuæ*: præcipimus, in vaſis, veſtimentis, libris, & aliis ad Divinum miniſterium deputatis, eccleſiis honorifice provideri. Item eccleſiaſticum fontem baptiſmalem, & chriſma, ſub clavibus, curioſa diligentia & ſolicitudine cuſtodiri. Si quis vero ea incaute relaxaverit * non ſignata, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur.

Ann. Chriſti 1289. Pſal. 25.

* *al.* reſerata

XXX. *Quid faciendum de pannis chriſmalibus.*

Panni etiam chriſmales, in uſus ſeculares, ſeu profanos, minime convertantur; ſed ad manutergia, ſeu ſuperpellicia, ſeu pannos ceteros conſuendos ſeu reficiendos, diſpoſitione diſcreti * rectoris cum omni reverentia catholica exponantur.

* *al.* Eccleſiæ ſeu rectoris

XXXI. *De firmis.*

Eccleſias viris religioſis ad firmam dari firmiter inhibemus, & illis præcipue, qui in eiſdem obtinent jus patronatus: item multo fortius de laicis quibuſcumque. Quod ſi contra præſumptum fuerit, fructus beneficiorum ſequeſtrentur. & tam dantes quam accipientes, epiſcopi & * ſui officiarii decreto canonico puniantur.

* *f.* ex

XXXII. *De decimis.*

Decimas autem nullus vendere præſumat, ante tempus, quo inde ex beneficio conſuetudinis teſtandi habeat facultatem: ſed nec laicus ullo tempore, donec fuerint a novem partibus ſeparatæ. Indulgemus vero clericis in ſuis eccleſiis reſidentibus, aut in noſtro ſervitio admorantibus, aut etiam de noſtra licentia, cauſa ſtudiorum abſentibus, ut de fructibus terrarum eccleſiarum ſuarum, quas propriis ſumptibus excolunt atque ſerunt, quacumque parte anni deceſſerint, teſtandi habeant facultatem.

XXXIII. *De vicariis.*

Religioſi, ad vicarias eccleſiarum quas habent in proprios uſus, vicarios nobis idoneos præſentent: alioquin taxatione vicariorum præhabita *, de illis curabimus ordinare.

* *al.* prohibita

XXXIV. *De penſionibus.*

Ne * connivientia noſtra conſenſum inducat, & taciturnitas pariat culpæ reatum: nos ſynodali definitione, firmiter injungimus & monemus, ut eccleſiæ, decimæ, penſiones, & alia quæcumque * jura, quæ per vitioſum ſunt uſurpata ingreſſum, ſine mora ſalubriter reſignentur: cum vitia poſſeſſionum a prædeceſſoribus ad poſteros, juxta juris exigentiam, cum ſuo vitio tranſmittantur. Et ne ſupradicta percipiantur, vel exigantur, ſub obteſtatione Divini judicii, firmiter inhibemus: cum ad paria judicentur, alienum invadere, & illicite detinere.

* *al.* Ne ut

* *al.* alia eccleſiaſtica

XXXV. *De juramento fidelitatis.*

Illum autem abuſum reprobamus penitus, quo religioſi a clericis ad beneficia præſentati, ante inſtitutionem obtentam, fidelitatis exigunt juramentum. Qui autem tale ſacramentum præſtiterunt, beneficiis ipſis noverint ſe privandos. Nec exactores relinquimus impunitos, cum ſimoniacam contineant pravitatem.

XXXVI.



ANNO CHRISTI 1289.

XXXVI. *De penſionibus.*

Penſiones autem debitas, terminis ſtatutis ſolvi præcipimus, ſub pœna duplici, eccleſiæ Ciceſtrenſis fabricæ perſolvenda. Simili pœna percelli volumus, qui ſynodalia, antequam a ſynodo receſſerint, non perſolvunt.

XXXVII. *De examinationibus.*

Quia cauſæ plerumq; matrimoniales, & aliæ, per indiſcretos examinatores periclitantur & diutius protrahuntur: volumus, quod in ſingulis decanatibus, ſex vel quatuor fide digni eligantur & diſcreti, qui teſtes producendos fideliter examinent, & dicta ſingulorum integre & fideliter redigant in ſcripturam: non ſicut fieri conſuevit, ſcribendo quod cum aliis concordet, vel per omnia idem dicat, cum talis ſit obſcuritas reprobanda. Ad hoc ſe obligent vinculo ſacramenti, ſalario eis ob hoc, moderatione archidiaconi & capituli, conſtituto.

XXXVIII. *De exceptionibus cauſarum matrimonialium.*

Qui autem in cauſa matrimoniali falſas exceptiones vel opponunt, vel opponi procurant, vel qui in cauſa matrimoniali, ubi de exheredatione agitur filii, ſcienter prohibent teſtimonium, ut id fieri procurent, vel teſtes ſubornant: excommunicationis ſententiæ ſe noverint ſubjacere.

XXXIX. *De iis qui mentiuntur habitum fratrum, & prædicant turpis lucri gratia.*

Quia, .. ura fide dignis audivimus, quidam non veri fratres, nec veraciter de ordine quidem apoſtolorum exiſtentes, mutatis vicibus, ipſorum fratrum, ſcilicet apoſtolorum habitum & tonſuram, ſimilitudinarie portantes, in pleriſque eccleſiis & aliis locis noſtræ diœceſis, prædicationis, & audiendi confeſſiones officium præſumptuoſe exercuerunt, & aliquoties eorum prædicationem, ad quæſtum pecuniarium, & aliud lucrum turpe, florido colore ſubventionis, ad calicem, vel librum, vel aliud ornamentum eccleſiaſticum, quo eos egere aſſerunt, converterunt, & a ſimplicibus per medium illum extorſerunt: volentes ergo noſtros ſubditos, a talibus fraudibus præmuniri, ipſis injungimus, ne tales falſos fratres, vel alios, titulum profeſſionis a ſede apoſtolica non habentes, in ſuis eccleſiis, vel alibi in ſuis parochiis, prædicare, vel conciones audire permittant. Et ſi quid lucri fortaſſe, pro hujuſmodi prædicatione ſibi adquiſiverunt, illud ad fabricam & opus eccleſiæ, ubi id acceptum fuerit, ſtatim deputare non poſtponant.

XL. *Qui ſint excommunicati.*

Excommunicamus autem, qui pacem regis & regni perturbare, aut libertates eccleſiæ ſeu jura, præcipue hujus ſacroſanctæ Ciceſtrenſis eccleſiæ, infringere, ac poſſeſſiones eccleſiaſticas invadere; aut ad bona eccleſiaſtica manus impias extendere præſumpſerint, in præjudicium eccleſiaſticæ libertatis. Item illos qui in beneficia eccleſiaſtica ſe intrudunt; & eos qui per laicalem potentiam, ſeu aliam violentiam, abſque conſenſu ſeu conniventia prælati loci, ea detinent occupata: illos qui ſequeſtrationem ſcienter de cetero violant, conſimili ſententia involventes. Eadem ſententia etiam omnes illos innodamus, qui mandata regia pro coercendis excommunicatis a quibuſlibet impetrata, gratia vel odio * alicujus perſonæ, ſeu alia cauſa, exequi malitioſe differunt vel * evitant. Omnes etiam incendiarios, eccleſiarum fractores, veneficos * & veneficas, vacantes imprecationibus, magos, & hæc fieri procurantes, & qui immunitatem eccleſiæ violaverint, denunciamus excommunicationis ſententiam incurrere ipſo facto.

* *al.* vel odio, ſeu lucri cauſa exequi.

* *al.* diff. vel omittunt.

* *al.* veneficos, & magici incantionibus utentes, & hæc fieri procurantes.

XLI. *De ſententia excommunicationis.*

Prohibemus etiam, ne excommunicationis ſententia in genere pro damnis vel injuriis proferatur in genere, quotiens dignoſci poterit, quis adverſus quem habeat actionem: niſi evidens utilitas id expoſcat. Excommunicamus etiam omnes illos, qui odii vel lucri cauſa aliis crimina falſa imponunt, pro quibus mors, vel exilium, aut membrorum mutilatio, vel exheredatio, ſeu bonorum expoliatio, ſequi debeat, ſi judicialiter convincantur. Iſtaſque generales ſententias in ſingulis parochialibus eccleſiis, per earum ſacerdotes, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, præcipimus, quater in anno lingua materna publicari parochianis, diſtincte & aperte: videlicet Dominica in Adventu Domini, Dominica in medio Quadrageſimæ, Dominica proxima ante feſtum Nativitatis Joannis Baptiſtæ, & Dominica proxima ante feſtum S. Michaelis. Qui vero, ad defamationem alterius quid proponit, quod mores ſugillet, niſi hoc probare valuerit, canonice puniatur: & ita injuriam paſſo, pro modo culpæ, ſatisfacere compellatur. Hæc autem ſalubria ſtatuta, in ſingulis decanatibus *, proximis capitulis poſt ſingulas ſynodos recitentur, & per illos qui capitulis præerunt, in ſingulis articulis exponantur, & ad eorum obſervantiam per cenſuram eccleſiaſticam ſinguli diſtrictius compellantur. Hæc autem, & a ſingulis libertatem prætendentibus diſtrictius obſervari, & in ſuis capitulis publicari *.

* *al.* in ſing. decan. ſingulis capitulis generalibus quater in anno recitentur.

* Deeſſe videtur præcipimus

** CONCILIUM VIENNENSE,

EX *Gallia Chriſtiana diſcimus, a Guillelmo de Valentia, Viennenſi archiepiſcopo, habitum eſſe provinciale concilium, die feſto S. Lucæ ann. Dom.* MCCLXXXIX. *cui interfuerunt Joannes Valentinenſis & Dienſis, Hugo Vivarienſis, G. Gratianopolitanus, & Aymo Maurianenſis, epiſcopi.*

ANNO CHRISTI 1290.

# CONCILIUM EBREDUNENSE

## Anno Domini MCCXC. celebratum,

*Ex MS. Codice Eccleſiæ Dignienſis.*

Ex Martene Theſ. Anecd. Tom. IV. p. 1209.

### I.

HÆc ſtatuta, quæ nos frater R. de Medullione Dei patientia ſanctæ Ebredunenſis eccleſiæ Archiepiſcopus per dictum dominum Henricum bonæ memoriæ Ebredunenſem Archiepiſcopum ac poſtmodum Oſtienſem Epiſcopum comperimus eſſe facta, una cum venerabilibus G. Dignenſi, B. Glandatenſi, Lantelmo Graſſenſi, B. Senecenſi, Hugone Nicenſi, & Gvilelmo Vencienſi Dei gratia Epiſcopis ſuffraganeis noſtris, fratre P. abbate Boſchaudunenſi, ac procuratoribus Capitulorum eccleſiarum ipſorum conſtituti in noſtro provinciali Concilio apud Ebredunum anno 1290. die Sabbati ante Aſſumptionem B. Mariæ Virginis evocato, & cum continuatione dierum ſubſequentium celebrato, de ipſorum conſilio & aſſenſu expreſſo ſtatuta ipſa utpote utilia & honeſta rata habentes, & ex certa ſcientia confirmamus, ac per Ebredunenſem civitatem, diœceſim, & provinciam volumus & præcipimus perpetuo firmiter & efficaciter obſervari, non intendentes, propter hæc ſtatuta ſtatutis aliquibus in Ebredunenſi & aliis præmiſſis eccleſiis hactenus rite & canonice factis præjudicium aliquod generari, ſeu conſuetudinibus in eiſdem hactenus obſervatis.

### II.

Item nos prædictus frater R. archiepiſcopus cum præfatis ſuffraganeis noſtris unanimiter & concorditer in præſenti concilio ſtatuimus & ordinamus.

*Ut nullus in Clericum tonſuretur, niſi ſit de legitimo matrimonio.*

Ut nullus tonſuret aliquem in Clericum, niſi comperto quod ſit de legitimo matrimonio natus, & niſi habeat litteras teſtimoniales de corona ab illo, a quo ipſam accepit, per quas poſſit facere fidem loco & tempore opportunis, quod fuerit tonſuratus.

### III.

*De precibus, & orationibus ſpiritualibus in Miſſa faciendis.*

Item ſtatuimus & ordinamus, ut pro præſenti tribulatione, & perſequutione quæ imminet Eccleſiis, mitigandis ſpeciales orationes & preces diebus ſingulis in Miſſis parochialibus & conventualibus poſt *Pater noſter* ad Dominum effundantur, ſecundum modum inferius annotatum. Dicto *Pater noſter*, *ſed libera nos a malo*, incipiat Preſbyter, *Deus in adjutorium meum intende*; & dicatur totus pſalmus *Gloria Patri &c. Sicut erat &c. Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Pater noſter. Et ne nos &c. ℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuere nos. ℣. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum. Oremus. Protege nos Domine famulos tuos*, & alia oratio. *Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, pro tua nominis gloria miſericorditer liberemur.* Item, alia oratio. *Concede nobis omnipotens & juſtiſſime Deus, apud quem nulla eſt iniquitas, ut qui ſanctuarii tui poſſeſſiones & jura diripienda invadunt, ſatisfactione celeri corrigantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, amen. Libera nos &c.* Et iſtud fiat, quotieſcumque nos præfatus id duxerimus revocandum.

### IV.

*De indulgentia conceſſa per archiepiſcopum & prælatos omnibus fidelibus, qui ſpeciales orationes fecerint in præmiſſis.*

Nos autem præfatus archiepiſcopus de prædictorum ſuffraganeorum noſtrorum conſilio & aſſenſu omnibus fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui pro iſtis tribulationibus ſedandis, ſingulis diebus aliquam orationem ſpiritualem fecerint, xx. dies de injunctis ſibi pœnitentiis relaxamus.

Et nos etiam ſuffraganei ejus prædicti ac quilibet noſtrorum alios xx. dies conſimiliter indulgemus. In quorum omnium teſtimonium nos præfatus archiepiſcopus, & ſuffraganei ejuſdem ſigilla noſtra præſenti paginæ duximus appendenda. Et

# **CONCILIUM NUGAROLIENSE,

## Ab Auſcitanæ provinciæ epiſcopis celebratum, præſide Amaneo de Armaniaco, hujus nominis ſecundo, anno Domini MCCXC.

Nunc primum prodit ex ampliſſima bibliotheca illuſtriſſimi archiepiſcopi Remorum coadjutoris, Mauritii Tellerii.

### TITULI CAPITULORUM.


1. *Ut comes Fuxi reſtituat epiſcopo Laſcurienſi civitatem Laſcurienſem, & alia.*
2. *Excommunicatio in .......*
3. *De abuſoribus litterarum.*
4. *Excommunicatio ſortilegorum.*
5. *De ſententia excommunicationis, & de leproſis.*
6. *Diverſa pœna, quicumque epiſcopum invaſerit.*
7. *Idem in abbatibus & clericis.*
8. *De ſententia excommunicationis cum interdicto.*
9. *Quod requiſiti ceſſent a Divinis.*
10. *Excommunicatio contra infringentes libertatem eccleſiæ.*
11. *Interpretatio cujuſdam ſtatuti.*
12. *Excommunicatio contra occupantes bona vel res eccleſiarum.*


### PRÆFATIO.

NOtum ſit omnibus quod ann. Dom. MCCXC. die ſabbati, poſt feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, venerabilis A*. Dei gratia archiepiſcopus Auſcitanus, aſſiſtentibus apud Nugarolium in concilio provinciali venerabilibus fratribus noſtris, Coſeranenſi, Olorenſi, Tarbienſi, Laſcurienſi, Adurenſi, & ſanctæ* Quiteriæ, epiſcopis & vicariis eccleſiæ Convenarum, ſede vacante, & procuratoribus aliorum ſuffraganeorum noſtrorum eccleſiæ Auſcitanæ, necnon cum procuratoribus omnium capitulorum; eccleſiarum cathedralium, collegiatarum ipſius provinciæ, & abbatibus Peſſani, & Reulæ* Silveſtrenſis; & pluribus prioribus, præceptoribus, archipresbyteris, & aliis eccleſiarum prælatis diœceſis & provinciæ prædictarum, fuit concorditer ordinatum.

* Amaneus. * Yaſatenſi. * Corr. Regulæ



ANNO CHRISTI 1290.

## CANONES.

### *I. Ut comes Fuxi reſtituat epiſcopo Laſcurienſi civitatem Laſcurienſem, & alia.*

QUod ſuper violentia & ſpoliatione facta præfato epiſcopo & eccleſiæ Laſcurienſi, moneatur nobilis vir & comes Fuxi & uxor ejus, & eorum eſt* in Bearnio, per Tarbienſem & Olorenſem epiſcopos, quod infra quindecim dies poſt monitionem ipſorum, reſtituant dicto epiſcopo Laſcurienſi civitatem Laſcurenſem, & caſtra, ac loca, & alia bona, in monitione ſuper hoc confecta, contenta: alioquin excommunicationis ſententia ſint ligati. Et quod ad perpetuam rei memoriam inter ſtatuta provincialia ſcribatur, ut ſi in futurum per aliquos principes contemptentur* ſimilia, contra ipſos modo ſimili procedatur.

* f. civitates * Corr. attemptentur

### *II. Excommunicatio in ........*

Sententia excommunicationis delata dudum in* rectores manifeſtos provinciæ Auſcitanæ, ſit ratificata & confirmata.

* f. raptores, vel ſectatores, eorum nempe, quæ prædicta ſunt, vel rectores, manifeſtos concubinarios.

### *III. De abuſoribus litterarum.*

Quia per uſum* litterarum multi vexantur & affliguntur laboribus & expenſis: in prædicto concilio extitit conſtitutum, quod tam clerici, cujuſcumque conditionis aut ſtatus exiſtant, qui litteris apoſtolicis abutuntur, vel litteris legatorum ſedis apoſtolicæ, videlicet utendo falſis litteris ſcienter; vel qui litteras nomine ſuo vel nomine eccleſiæ ſuæ impetratas tradunt aliis pro adverſariis fatigandis, & qui eas ad ſic utendum recipiunt; & qui litteris vocatis, *ea quæ de bonis*, utuntur contra aliquos, contra quos de jure, ſecundum formam ipſarum, dictæ litteræ non procedunt vel poſſunt extendi, vel aliis litteris apoſtolicis generalibus, ſententiam excommunicationis incurrant: & judices, qui ſcienter aliquos ſic faciunt per ſuas litteras fatigari.

* Corr. abuſum

### *IV. Excommunicatio ſortilegorum.*

Quoniam ſortilegia idolotatriæ comparantur, per quam animæ damnabiliter decipiuntur: omnes ſortilegi fuerunt in dicto concilio excommunicationis ſententia innodati.

### *V. De ſententia excommunicationis, & de leproſis.*

Fuit in dicto concilio inſtitutum, quod clericus aut religioſus, cujuſcumque conditionis aut ſtatus exiſtat, qui clericum aut religioſum ſuper actu particulari, vel ſuper crimine in judicium vocari ſeu citari fecerit coram judice ſæculari, excommunicationis ſententiæ ſubjaceat ipſo facto; & vocato ſeu ſic citato de expenſis & intereſſe ſatisfacere teneatur [a]. Item quod leproſi ſuper actionibus perſonalibus non conveniantur coram judicibus ſæcularibus; & ſi conventi fuerint, non teneantur reſpondere coram ipſis: & ad intereſſe teneantur eiſdem, qui eos ſic procuraverint conveniri: & nihilominus judices ſæculares compellantur per cenſuram eccleſiaſticam, ne ipſos ſuper talibus actionibus reſpondere compellant. Item quod leproſi eundo ad villas, & per villas, & ad caſtra, ſignum portent conſuetum in veſte ſuperiori, & non intrent nundinas vel mercata: alioquin quinque ſolidis currentis monetæ mulctentur, ordinario applicandis.

Concil. Vauren. an. 1368. c. 94.

a Hic deſinit Canon Vaurenſis.

### *VI. Diverſa pœna quicumque epiſcopum invaſerit.*

Quia quod contra prælatos agitur, facile in ſubditos derivatur: dignum eſt, ut perpetrata contra ipſos emendatione debita corrigantur, ne concuſſis columnis eccleſiæ, ædificium diruatur, Idcirco ſtatuimus, quod quicumque epiſcopum hoſtiliter malitioſe cum armis fuerit inſecutus, invaſerit, percuſſerit, vel ceperit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, aut factum ratum habuerit, aut conſilium dederit vel favorem, aut poſtea receptaverit aut defenſaverit ſcienter: ejuſdem excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, a qua nequeat, niſi in articulo mortis, niſi a nobis vel a ſummo pontifice, liberari. Et ſi in mortis articulo quis abſolutus fuerit, corpus ſepultura Chriſtiana*, donec de præmiſſis ſatisfecerint competenter. Nec ad tonſuram admittantur;* in domibus regularibus, alicujus prælationis ſequantur,* honorem. Si ſecus factum fuerit, ſit irritum ipſo facto, & omnibus feudis, locationibus, arrendationibus eccleſiarum, & beneficiis quæ ab eccleſia & monaſteriis obtineant* in provincia, ipſo jure perpetuo ſit privatus, quæ ad ipſas eccleſias ipſo facto libera revertantur. Et quod ſi quis prædictorum, filium

* Deeſt, privetur, * Deeſt nec * f. conſequantur * Corr. obtinebant .... ſint privati

Anno Christi 1290.

lium vel filios habeat, beneficiatum, vel beneficiatos, quovis beneficio ſit eo ipſo privatus, ſpe promotionis eo ipſo omnino ſublata. Dentur cuncta eorum ædificia in ruinam, & nullo tempore reparentur. Et ſit infamis perpetuo: & tam inſecutor, quam alii ſupradicti, tanti mali participes, quamdiu in ſua malitia perdurabunt, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, pulſatis campanis & candelis extinctis, per omnes illius loci eccleſias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, & diœceſum vicinarum, excommunicati publice nuncientur. Et loca ubi perpetrata prædicta fuerint, & ubi prædicta delinquentes hujuſmodi recepti fuerint, uſque ad congruam ſatisfactionem eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. In aliis quibuſcumque locis, quamdiu ibi fuerint, ceſſetur omnino a Divinis; præter in caſibus a jure permiſſis, & aliis pœnis ſuper hoc vel concilia juro ſtatutum nihilo minus in ſuo robore duraturo.

*Mendoſus locus, ſed tamen intellectu facilis.*

*VII. Idem in abbatibus & clericis.*

Idem ſit in abbatibus, prioribus, archidiaconis, canonicis eccleſiarum cathedralium, rectoribus: exceptis tribus pœnis, ſcilicet quod filii talium non perdent habita beneficia; & quod ſua ædificia non dentur in ruinam; & quod non admittantur ad ſacros ordines, tonſuram, vel beneficia eccleſiaſtica, nec ad honorem prælationis in domibus regularibus.

*VIII. De ſententia excommunicationis cum interdicto.*

Statuimus, quod ſi quis, vel ſi quæ, violenter occupaverit bona vel res eccleſiaſticarum perſonarum, vel retinuerit occupata, vel mandaverit, vel ſuo nomine factum, ratum habuerit, vel conſilium vel auxilium ad hoc dederit: ipſo facto ſit excommunicationis vinculo innodatus: & loca ubi ſit violentia, vel ad quæ reducuntur, uſque ad ſatisfactionem condignam ſint eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita. Si caſtra, villa, vel locus eccleſiæ, vel monaſterii, vel eccleſiaſticarum perſonarum, occupentur: quamdiu ſtabit injuria, ſit ipſe locus ſuppoſitus eccleſiaſtico interdicto; & omnia loca terræ taliter occupantium, vel mandantium, vel ratum habentium, niſi requiſiti infra octo dies emendaverint, uſque ad condignam ſatisfactionem, ipſo facto eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.

*IX. Quod requiſiti ceſſent a Divinis.*

Addimus quod rectores eccleſiarum, dum fuerint requiſiti "perſonas eccleſiaſticas vel clericos damnum paſſos de præmiſſis, ceſſent a Divinis, & ſervent contenta ſuperius ex tempore", nullo alio mandato a ſuperiore ſuo expectato.

*X. Excommunicatio contra infringentem libertatem eccleſiæ.*

Ad evitandum animarum periculum, & eccleſiarum indemnitatibus Auſcitanæ provinciæ providendum, omnes & ſingulos utriuſque ſexus, cujuſcumque dignitatis, conditionis, aut ſtatus exiſtant, qui contra eccleſiæ libertatem, immunitatem, juxta "jurisdictionem & privilegia ejuſdem, ſive conſiſtant * de ſpiritualibus, & temporalibus, modis quibuſcumque acquiſita, vel contra laudabiles conſuetudines erga ipſas eccleſias pia devotione fidelium introductas venire nituntur, ipſa uſurpando, aut ipſis eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis onera, præſertim gravia, imponere, aut contra præmiſſa, vel aliquod eorumdem, ſtatutum, ordinationem, colligationem, conſpirationem, conſœderationem, pacta, promiſſiones inter ſe, clam vel palam, directe vel indirecte, jure" vel facere, ſuper conciliis expenſas, vel ſumptuum contributionem, vel alias quoquo modo adinvicem factis vel faciendis, perpetuo vel ad tempus: necnon omnes & ſingulos, cujuſcumque conditionis aut ſtatus exiſtant, qui prælatos, eccleſias, monaſteria, capitula, collegia, vel conventus, ſeu alias perſonas eccleſiaſticas, ad ſubmiſſiones ſibi faciendas bonorum immobilium, ſeu jurium ipſarum eccleſiarum, hactenus compulerunt, quocumque quæſito colore ſeu modo, vel alias quomodolibet, niſi infra duos menſes a tempore hujuſmodi inchoandos, de prædictis ſatisfecerint eccleſiis competenter, ipſa bona in priſtinum diviſerint, vel de cetero perſonas eccleſiaſticas ad hujuſmodi ſubmiſſiones, ut præmittitur, faciendas compulerint, & quoſcumque dantes in prædictis vel aliquo prædictorum, conſilium, auxilium vel favorem, ſingulas perſonas, excommunicationis; collegia & univerſitates, interdicti ſententiis ipſo facto decernimus ſubjacere. Prælati vero, religioſi, clerici, & perſonæ eccleſiaſticæ, qui vel quæ præſentem conſtitutionem, & alia jura ſuper hoc edita non ſervaverint, pœnas ſuper hoc inflictas ipſo facto noverint incurriſſe. Præſentem autem conſtitutionem per ſuffraganeos noſtros in ſuis ſynodis ſemel; & per rectores eccleſiarum in ſuis eccleſiis quolibet anno, ſub pœna ingreſſus eccleſiæ, quam, non parendo, ipſo facto incurrant, præcipimus publicari.

*XI. Interpretatio cujuſdam ſtatuto.*

*deeſt conſentientes, aut aliquid ſimile.*

Sacro approbante concilio "ſtatutum noſtrum olim editum in concilio Nogarolenſi
„ quod incipit. Statuimus quod ſi quis vel ſi
„ quæ violenter occupaverint bona, res ec-
„ cleſiæ, vel eccleſiarum parochialium, vel
„ retinuerint occupata, &c. declaramus, omnes & ſingulos utriuſque ſexus, qui poſt dictum ſtatutum, bona, jura, vel res eccleſiarum, quæ eiſdem competunt vel debentur, de conſuetudine vel de jure, quoad proprietatem vel poſſeſſionem, aut quoad utrumque, qui retinuerint, requiſiti occupaverint ea, ſubtraxerint prædicta, vel aliquod prædictorum, ipſis eccleſiis vel perſonis eccleſiaſticis: ipſo facto in pœnas dicti ſtatuti incidiſſe. Mandantes dictas pœnas in dictis perſonis & locis, uſque ad congruam ſatisfactionem, inviolabiliter obſervari,

*XII. Excommunicatio contra occupantes bona vel res eccleſiarum.*

Statuimus quod quicumque utriuſque ſexus, bona, res, vel jura eccleſiarum, quæ eiſdem de jure vel conſuetudine competunt vel debentur, quoad poſſeſſionem vel proprietatem, conjunctim vel diviſim, occupaverint, vel retinuerint requiſiti, vel in præmiſſis dederint conſilium vel favorem, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant. Si autem domini locorum, vel eorum locum tenentes, conſules, jurati, prædicta faciunt, ubi prædicta facta fuerint, vel aliquod de prædictis; niſi fecerint dari, reſtitui, vel emendari, requiſiti, ipſo facto ſint ſuppoſiti eccleſiaſtico interdicto.

G. C. OBSERVATIO.

Editum eſt a nobis hoc concilium, ut eſt in codice Mſ. ex quo quidquam detrahere religio fuit: quanquam undecimum caput alterius cujuſdam eſſe concilii, ex eo certiſſime conſtet, quod interpretetur ſtatutum *olim*, ut ait, *editum in concilio Nogarolienſi*: quod ſtatutum eſt octavum hujus concilii caput. Quod aſcititium eſt undecimum, vix certa eſſe poteſt duodecimi fides.

## ** CONCILIUM PARISIENSE.

Ex chronico S. Dionyſii, edito a doctiſſimo & religioſiſſimo viro R. P. Luca Dacherio Benedictino.

MCCXC. Hoc anno miſſi fuerunt a curia Romana duo legati in Franciam, quorum nomina, domnus Girardus, & domnus Benedictus, qui convocatis omnibus prælatis ejuſdem regni, tenuerunt concilium in eccleſia B. Genoveſæ Pariſius. *Hactenus chronicon.*

## SYNODUS URATISLAVIENSIS ANNO MCCXC. CELEBRATA.

Ex Lunigii Spicileg. Contin. II.

ANno Domini Milleſimo ducenteſimo nonageſimo, ſecundo Calend. Septembr. Præſidentibus nobis Synodo Diœceſana in choro noſtræ Eccleſiæ Cathedralis, Clero noſtro de tota terra diœceſis ad ipſam Synodum convocato, præſens Conſtitutio eſt ſolenniter promulgata, præſentibus & expreſſum conſenſum præbentibus his noſtris Fratribus: Illuſtri Principe, Domino Conrado, Duce Sileſiæ, & Domino de Sagano, Præpoſito noſtro: Et dominis Milejo Decano; Johanne Cantore, Nicolao Cuſtode, Johanne Decano; & Magiſtro Vito Archidiacono Glogovienſi; Henrico Lignicenſi; & Johanne Lanayſen, Archidiacono; & Petro Præpoſito, & Magiſtro Jacobo, Scholaſtico ſanctæ Crucis, Stephano, Arnoldo, Petro, Martino, Magiſtro Mirzlao, presbyteris: Nicolao de Conſnow; Petro Cancellario noſtro; Martino Januſio; Henrico Simonis Walkone, Senuario Johanne; Henrico procuratore, & Henrico de Wirbena; Canonicis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis.

Volumus autem & mandamus univerſis & ſingulis, Archipresbyteris, & ceteris Eccleſiarum Rectoribus noſtræ diœceſis conſtitutis ſub pœna ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, qua ex tunc incurrunt contemptores uſque ad octavam beati Michaelis; has noſtras ſalubres Conſtitutiones conſcriptas habeant in Eccleſiis ſuis eaſdem parietibus affigentes. In cujus facti evidentiam, Conſtitutiones præſentes Sigillis, noſtro & noſtri Capituli, fecimus conſignari. Præcipimus quod Sacerdotes majora in confeſſione majoribus reſervantes, mittant ad Epiſcopum pœnitentes homicidas, facto, opere, conſilio, vel auxilio; blaſphemos Omnipotentis, & beatæ Mariæ, & Sanctorum: Injectores manuum in parentes, ſive in Clericos, vel quoſcumque Religioſos, Incendiarios; Simoniacos; literarum falſarios; inceſtuoſos, deteſtabile peccatum contra naturam committentes cum brutis animalibus: Concubitores monialium, Eccleſiarum & Cœmiteriorum effractores & violatores: Schiſmaticos & ſacrilegos, & divinatores, & eos qui ad eos accedunt: Qui de ſacramentis aliqua commiſerunt maleficia, vel auxilium præſtiterunt, qui abortivum procuraverint: Qui non permiſerit Baptizare, qui interfuerunt ſcienter: Qui ſine prima tonſura aliquem ordinem ſuſcepit; Qui contra juſtitiam vel conſcientiam, auctoritatem, conſilium ſive auxilium in aliquo impendunt, unde mors hominis vel membrorum mutilatio eſt ſecuta: vel qui hujuſmodi ſcienter occaſionem ſine cauſa dederunt. Qui literas dictat, ſcribit, legit, vel aliquod adminiculum præſtiterit, ut aliquis mutiletur.

Item: Clericos, qui ſuſpenſi ſunt vel excommunicati, promoti, aut celebraverunt divina. Item; Sacerdotes ſeu miniſtros, quorum negligentia aliquid circa Sacramenta Altaris inhoneſtum quocumque modo evenit. Quibus omnibus (præterquam illis qui pro violenta manuum injectione

ANNO CHRISTI 1290.

ctione in perſonas Eccleſiaſticas in Canonem latæ ſententiæ inciderunt; quos Epiſcopi abſolvere non poſſunt) per ipſos Epiſcopos de abſolutionis beneficio provideri poteſt. Epiſcopi autem dicere debent omnibus excommunicatis ex quibuſcumque cauſis: quod nullo modo, abſque mortali peccato & irregularitatis vitio, poſſunt vel debent ſe ingerere divinis; & publice eis dicant ſi eſt publicum peccatum eorum: & ſi occultum, occulte debent dicere confeſſoribus: quorum diſpenſatio ad ſolum ſummum Pontificem ſpectat; quod nec in ſuſceptis miniſtrare ordinibus, nec ad majores, ſeu ad beneficia curam animarum habentia, poſſunt promoveri, abſque diſpenſatione Domini Papæ. Caveant autem Epiſcopi, quod nullum excommunicatum pro violenta manuum injectione in perſonas Eccleſiaſticas, nec ab aliis excommunicationibus a Canone, ſive ab aliis Judicibus latas, abſolvere nullatenus, niſi de mandato vel auctoritate Apoſtolicæ Sedis, vel Cardinalium curæ commiſſis diſpenſare, præſumant.

Ex Martene Theſ. Anecd. Tom. IV, p. 213.

## CONCILIUM PROVINCIALE APUD NOBILIACUM DIOECESIS LEMOVICENSIS ANNO MCCXC. CELEBRATUM

### A Simone archiepiſcopo Bituricenſi de colligenda centeſima reddituum Eccleſiaſticorum in provinciæ utilitatem convertenda.

*Ex archivis illuſtriſſimi archiepiſcopi Albienſis.*

SImon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus, Aquitaniæ primas, ac de ejuſdem gratia Claromontenſis, G. Lemovicenſis, R. Caturcenſis, R. Ruthenenſis, B. Albienſis Epiſcopi, nec non Paulus Banciani Ruthenenſis Canonicus vicarius in ſpiritualibus & temporalibus generalis venerabilis patris ...... prædicta gratia Mimatenſis Epiſcopi in provinciali concilio celebrato per nos apud Nobiliacum Lemovicenſis diœceſis congregati, univerſis & ſingulis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem in Domino. Dudum nobis, & aliis prælatis Bituricenſis provinciæ in noſtro provinciali concilio celebrato per nos Bituris congregatis, de conſenſu totius concilii, pro communi utilitate totius provinciæ per nos extitit ordinatum, quod quælibet perſona eccleſiaſtica prædictæ noſtræ provinciæ; nobis ſeu alteri noſtrum ſubjecta, collegiata, ſeu non collegiata, regularis vel ſæcularis, cathedralis ſeu non cathedralis, quocumque nomine cenſeatur, ſolvere teneretur centeſimam partem reddituum ſuorum eccleſiaſticorum uſque ad quinquennium: quæ omnia adeo ſunt notoria & omnibus manifeſta, quod nulla poſſunt tergiverſatione celari. Hinc eſt quod cum multi in ſolutionibus dictæ centeſimæ pro terminis jam elapſis ſe negligentes exhibuerunt & rebelles, omnes debitores prædictæ centeſimæ auctoritate concilii ſupradicti monemus, primo, ſecundo, tertio peremptorie, ſingulariter, & univerſaliter, ut infra menſem a tempore ſynodi proprii Epiſcopi cujuslibet debitoris computandum, de prædicta centeſima pro parte qua obligati exiſtunt, & quatenus pro tempore prædicto tenetur, nec non de expenſis retardatæ ſolutionis factis competenter ſatisfaciant: videlicet quilibet collectoribus ſeu collectori ad hæc per ſuum proprium Epiſcopum deputatis, ſeu etiam deputandis: quod ſi infra menſem a dicto tempore ſatisfacere neglexerint, ſeu contempſerint, auctoritate prædicti concilii in perſonas ſingulares univerſitatem non facientes ex nunc ut ex tunc excommunicationis ſententiam promulgamus. Capitula vero Scholarium, eccleſiarum Collegiatarum, decanos, priores, præpoſitos eorum, nec non conventus, abbates, & alias univerſitates Eccleſiaſticas, quocumque nomine cenſeantur, ſupponimus eccleſiaſtico interdicto: monentes nihilominus omnes prædictas perſonas primo, ſecundo & tertio ſub pœnis prædictis, quas ex nunc & ex tunc in eas ferimus, niſi fecerint quod mandamus, quatenus de tota centeſima ultimi anni inſtantis circa Nativitatem Domini ſupradictis collectoribus vel eis qui per proprium diœceſanum fuerint deputati, vel etiam deputandi, infra dictam Nativitatem Domini ſatisfaciant competenter. Ut autem ſupraſcripta centeſima ad proſecutionem negotiorum noſtræ provinciæ integre convertatur, monemus auctoritate prædicti concilii omnes prædictos collectores primo, ſecundo, & tertio peremptorie, ut ſuper receptis de centeſima reddant quilibet ſuo proprio diœceſano legitimam rationem infra menſem, computandum ab eo tempore quo fuerint ſuper hoc requiſiti, de receptione pro expenſis vel ſalario nihil penitus retinentes, niſi prout per proprium diœceſanum fuerit ordinatum, in contradictores & rebelles ex nunc ut ex tunc excommunicationis ſententias promulgantes. Ut autem omnia præmiſſa commodius & facilius effectui valeant mancipari, cuilibet de ſupradictis Epiſcopis in ſua civitate & diœceſi plenam & liberam concedimus poteſtatem revocandi collectores dictæ centeſimæ, eoſdem, vel alios collectores conſtituendi, omnes prædictos debitores & collectores auctoritate prædicti concilii monendi, excommunicandi, & per alia juris remedia compellendi, prout viderint expedire. Actum apud Nobiliacum in prædicto noſtro Concilio die Mercurii poſt feſtum beati Michaelis anno Domini MCCLXXXX.

ANNO CHRISTI 1291.

## CONCILIUM SALTZBURGENSE

### De Hoſpitalariorum, Templariorum & Teutonicorum ordinibus conjungendis, celebratum anno Domini MCCXCI. tempore Nicolai papæ quarti.

*QUa occaſione hæc ſynodus indicta, quidque in ea geſtum fuerit, Eberhardus hujus temporis ſcriptor in ſuis annalibus, apud Henrici Caniſii primum tomum editarum antiquitatum extantibus, ita deſcribit:* Anno milleſimo ducenteſimo nonageſimoprimo, civitas Akaron, quam ſolum habebant Chriſtiani in terra ſancta, obſeſſa eſt per Soldanem Babylonenſem, & per quadraginta dies & noctes



ANNO CHRISTI 1291.

noctes ſine intermiſſione impugnata, capta eſt, & ibidem multa Chriſtianorum millia & capta ſunt & occiſa: aliqui autem per navigium fugerunt. Et quia multorum erat opinio, quod ſi fratres domorum ibidem, ſcilicet Hoſpitalarii, Templarii, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordaſſet, civitas capta non fuiſſet: mandavit papa Nicolaus omnibus patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, & aliis prælatis, ut concilia provincialia celebrarent, & deliberarent qua ope vel conſilio eidem terræ poſſit ſubveniri. Et per concilium habitum Saltzburgæ, reſcriptum fuit domino papæ & conſultum, ut prædicti tres ordines counirentur ad unum ordinem, melioribus eorum obſervantiis in unum redactis: & quod ad ſuccurſum ejuſdem terræ ſanctæ, rex Romanorum cum principibus vocaretur. Qui nuncii antequam veniſſent ad curiam, papa mortuus eſt: & ſic hoc negotium remanſit infectum. *Hæc Eberhardus.*

*Quæ ſequuntur ſtatuta Chunradi Saltzburgenſis archiepiſcopi, accepit Binius a Gretſero manuſcripta, & in tomi tertii appendice collocavit. Cumque concilii locum aut tempus deſignatum non haberent, huic attribuenda concilio duxit.*

### Hæ ſunt conſtitutiones domini Chunradi, venerabilis archiepiſcopi eccleſiæ Saltzburgenſis.

I. *De contractibus matrimonialibus.*

COntractibus matrimoniorum, qui nonnunquam contra eorundem honeſtatem, ac juris prohibitionem, in grave animarum periculum clandeſtine celebrantur, ſalubriter occurrere cupientes: prioribus ſtatutis ſuper hoc editis adjicimus, & de conſilio ſacræ ſynodi ſtatuentes, irrefragabiliter ordinamus, ut quandocumque ſponſalia ſeu matrimonia contrahuntur, non minus quam ſex perſonæ honeſtæ, ac fide dignæ, de vicinia & ſaltem parochia amborum, vel alterius contrahentium, aut loci in quo contractus agitur, inter quas ad minus tres virilis ſexus habeantur. Et in ipſo contractu debent pro teſtibus adhiberi, quæ non ſunt de contrahentium familia, vel eiſdem in una domo cohabitantes, ſeu domus, in qua fit contractus hujuſmodi, inquilinæ. Quod ſi ſecus fuerit attentatum, contrahentes, operam dantes, ſive ſcienter præſentiam exhibentes, & ſponte in ſuis domibus hæc fieri patientes, ſententiam excommunicationis, quam & in his ſcriptis in eos ferimus, incidant ipſo facto; in quos etiam alias*, pro juſto noſtri motus arbitrio, animadverti pœna, quæ plus timeatur, volumus & debemus: quam ſententiam abſolutionis nobis duximus reſervandam. Volumus etiam, ut poſt contracta quocumque modo ſponſalia, vel matrimonia, ipſi contrahentes, vel aliqui de ipſorum mandato ſpeciali, contractum hujuſmodi infra menſem, a die ejuſdem numerandum, plebano vel plebanis ipſorum contrahentium, ſeu, ſi copia ipſorum haberi non poterit, vicariis eorundem, duabus vel tribus perſonis idoneis præſentibus, debeant publicare. Contravenientes ſententia excommunicationis, quam in his ſcriptis pronunciamus, involvi volumus ipſo facto, alias, pro exceſſus gravitate, per nos acrius puniendos: eorundem abſolutione nobis libere reſervata.

* Cur. alia

II. *De clericis officialibus.*

JUris veſtigiis inhærentes, in hac ſacra ſynodo denunciamus publice; & ſub pœna clericalis privilegii prohibemus, ne clerici religioſi vel ſæculares, cujuſcumque ordinis, vel prælaturæ, procurationes ſæculares, ſub quibuſcumque principibus, vel aliis laicis aſſumant, ſeu ante aſſumptas retinere præſumant, ne ſub nomine pignoris, vel quocumque colore quæſito, ſint actores, procuratores, conductores, juſtitiarii, vicecomites, præpoſiti, adminiſtratores, officiales, quocumque vocentur nomine, in civilibus, vel miniſtri: quia nemo militans Deo ſe debet negotiis ſæcularibus implicare. Si qui vero juris & noſtræ prohibitionis tranſgreſſores, hæc vel aliquid horum de novo aſſumpſerint, ſeu ante aſſumpta non depoſuerint ſtatim, per omnia, & in totum: ipſo jure ſententiam excommunicationis incurrant, abſolutione nobis, ſi digne pœnituerint & ſatisfecerint, reſervata. In qua excommunicatione ſi per menſem animo perſtiterint indurato, ipſos ex tunc a beneficiis, dignitatibus, perſonatibus, & adminiſtrationibus eccleſiaſticis quibuſcumque, ac omni privilegio clericali, exutos & privatos eſſe volumus ipſo facto, nec ad ea vel ſimilia in poſterum aliquatenus admittendos: punitionem illorum, qui ante hanc noſtram ordinationem (quam extra Salisburgenſem, Chiemenſem, Boumbergenſem, Gaizenſem archidiaconatus extendi ad præſens volumus) hujuſmodi prohibita illicite gerere præſumpſerint, noſtræ diſtrictionis judicio reſervantes.

III. *De ſecta vagorum ſcholarium.*

LIcet contra quoſdam ſub vagorum ſcholarium nomine diſcurrentes, ſcurriles, maledicos, blaſphemos, adulationibus importune vacantes, qui ſe clericos in vituperium clericalis ordinis profitentur, nonnulla pio zelo pro ſalubri eorum correctione emanaverint inſtituta: ex his tamen nullus fructus aut modicus jam provenit. Publice nudi incedunt, in furnis jacent, tabernas, ludos, & meretrices frequentant, peccatis ſuis victum ſibi emunt, inveterati ſectam ſuam non deſerunt: ſic ut de eorum correctione nullus remaneat locus ſpei. Ideoque prioribus ſtatutis pro ſalute animarum ſuarum, quam quærimus, ſalvis: adjicimus & denunciamus in hac ſacra ſynodo, ſub pœna privilegii clericalis publice prohibentes, ne quis ſectam vagorum ſcholarium reprobatam aſſumat, ſeu in ea permaneat, vel eam exercere præſumat. Alioquin eos, qui hujuſmodi ſectam ante hanc noſtram conſtitutionem temere aſſumptam, infra menſem, a tempore promulgationis ejuſdem conſtitutionis numerandum, penitus non dimiſerit, & illos, qui nunc aſſumere præſumpſerint, ipſo facto ſtatim omni privilegio clericali exui præcipimus & nudari: volentes, ut quandocumque a monaſteriis, eccleſiis, vel clericis, cujuſcumque rei importuni aut violenti fuerint exactores, ipſis eoſdem liceat noſtra authoritate capere, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, brachio ſæculari. Et eos captos nobis vel archidiaconis noſtris aſſignari volumus, noſtro carceri, ut nobis videbitur, includendos: ut ſic reatus, omne excludat privilegium in his, quos vilitas vitæ eo nec frui patitur, nec gaudere.

CON-

ANNO CHRISTI 1291.

# CONCILIUM LONDINENSE

ANNO CHRISTI 1291.

## De ejectione Judæorum, habitum anno Chriſti MCCXCI. tempore Nicolai papæ IV.

DE *rebus in hac ſynodo geſtis ita Bzovius* : Bernhardo epiſcopo Groſſetano, ſedis apoſtolicæ legato, in Anglia nondum præſente, Londini ad Weſtmonaſterium celebratum eſt concilium. In hoc in primis agitatum eſt de ejectione Judæorum, quorum erat per omnem Angliam ingens multitudo : quo ſic oves ab hœdis ſegregarentur. Itaque publico juſſum eſt edicto, ut infra paucos dies omnes abirent cum bonis. Illi juſſis concilii parentes, alii alio diſceſſerunt. Ita profuga gens de Anglia in perpetuum exivit, miſera ſemper alicubi terrarum peritura, uſque eo dum denique deleatur. Eodem in concilio Eduardus expoſuit A ſe cupere ire auxilio Chriſtianis in Aſiam : & quia res ad religionem pertinebat, voluit ut ſacerdotes pecuniam ſuppeditarent. Poſtremo placuit regi, ſimiliter atque principibus, illud injurium jure iterato ſtatuere, ne cui hominum liceret dare prædia collegiis monachorum : neve liceret monachis, aut aliis ſacerdotibus, emere poſſeſſiones. Supervenit tandem legatus, & una cum Joanne Beccano archiepiſcopo Cantuarienſi ſibi adjuncto, regem iniquitatis atque impietatis redarguit, legemque abrogare, & eccleſiis, eccleſiaſticiſque rebus ac perſonis, libertatem reſtituere coegit.

# CONCILIUM MEDIOLANENSE,

## Pro auxilio Terræ ſanctæ ferendo congregatum anno Domini MCCXCI. tempore Nicolai papæ IV.

ACta *hujus concilii ex Bernardo Corio Bzovius in annalibus deſcribit ſummatim his verbis* : Ad diem vigeſimumſeptimum menſis Novembris hujus anni, Otto archiepiſcopus, Mediolani in eccleſia ſanctæ Teclæ, ſynodo provinciali epiſcoporum & univerſi cleri congregata, multa ad eccleſiaſticam diſciplinam revocandam conſtituit, ac fratre Stephanardo ordinis Prædicatorum verba ad omnes faciente, plurimos Chriſti fidelium, ad B auxilia terræ ſanctæ a Saracenis oppreſſæ, auctoritate ſummi pontificis cruce ſignavit. Dedit inſuper iſtud ſalubre ſummo pontifici conſilium, ut milites Hieroſolymitani una cum Templariis & Teutonicis in unum ordinem congregarentur, iiſdem inſtitutis viverent, & unitis armis contra barbaros dimicarent : præfecto copiis Cruceſignatorum, rege Galliarum. *Bernardus Corius hiſtoria Mediolanenſi p. 2.*

# SEDES VACANS.

ANNO CHRISTI 1292.

# [a] CONCILIUM ASCHAFFENBURGENSE PROVINCIALE,

ANNO CHRISTI 1292.

## Sub præſidio Gerardi Moguntini archiepiſcopi celebratum anno Dom. MCCXCII. poſt obitum Nicolai papæ quarti, tempore interregni pontificii.

DE *hoc concilio ita Trithemius in chronico Hirſaugienſi* : Anno præſcripto Gerardus archiepiſcopus Moguntinus ſynodum provincialem ſuffraganeis & prælatis ſuis in Aſchaffenburg celebrandam indixit, ubi convenerunt epiſcopi Eiſtetten- C ſis, Spirenſis, Auguſtenſis, Herbipolenſis, Bambergenſis, Hildesheimenſis, & Wormatienſis, cum aliis multis abbatibus, præpoſitis, decanis, atque presbyteris, qui multa & varia in negotiis eccleſiaſticis utilia ſtatuerunt.

Ex Lunigii Spicileg. tom. 1.

# CONCILII BREMENSIS

## Anno MCCXCII. celebrati Statutum.

GYſelbertus, Dei gratia ſanctæ Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ad perpetuam rei memoriam. Execrabilis horribilium ſcelerum & D multa præſumptio, per importunitatis licentiam, contractorum, noſtris temporibus ſic excrevit, ut quidam perditionis filii, qui obſtinatis animis ad exercenda quæque nefaria velociter currere ſunt edocti, nunc ad illam crudelitatis ſævitiam non verentur manus extendere, quod Epiſcopos capere audeant, includere, & carcerali cuſtodiæ mancipare. Propter hoc clericalis dignitas contemnitur, dum Eccleſiarum prælati, filii Syon incliti, velut vaſa teſtacea conteruntur. Certe ne in his magis inſoleſcat crudelis cervicoſitas impiorum & ſuperbia Deum odientium libere ſemper aſcendat. Nos una cum Razzeburgen. Zwerinen. & Lubicen. Eccleſiarum Epiſcopis, ſuffraganeis noſtris, nec non totius provinciæ prælatis, tam regularibus, quam ſecularibus, & pluribus Clericis, tam religioſis, quam aliis in noſtra Bremen. Eccleſia, in provinciali Concilio congregatis, deliberatione diligenti habita, conſenſu & approbatione prædictorum omnium accedente, ſtatuimus, ut ſi in noſtra aliquos, vel Coepiſcoporum noſtræ provinciæ in ſua, vel aliena diœc. capi contigerit, in illa diœceſ. in quo captus tenetur, & in ſua ceſſetur

a Concilium Tarraconenſe anni 1292. habes in tomo ſequenti in Concilio Tarraconenſi anni 1329.



ANNO CHRISTI 1292.

tur generaliter a divinis. Similiter à divinis ceſſari præcipimus & in territorio, in quo capitur, vel per quod captus deducitur, ſi captioni, vel deductioni hujuſmodi Dominus dicti territorii conſenſum præſtiterit, vel juvamen. Quod ſi infra menſem a captivitate idem Epiſcopus detentus fuerit, totam provinciam ſupponimus per ſententiam, quam nunc ferimus, eccleſiaſtico interdicto. Item cum hujuſmodi ſcelerum pertractores ipſo facto ſint excommunicatione ligati a Canone ſententiæ promulgatæ, volumus & præcipimus, ipſos ab omnibus Eccleſiarum rectoribus noſtræ provinciæ excommunicatos expreſſis eorum nominibus nunciari ſingulis diebus Dominicis & feſtis, & a Chriſti fidelibus, uſque ad ſatisfactionem condignam, certius evitare. Illos etiam, qui ipſis communicare præſumpſerint, præterquam in caſibus a jure B conceſſis, ſi Canonice moniti a communione talium ſe non abſtraxerint, ſive laici fuerint, ſive Clerici religionis vel ordinis cujuſcunque, præcipimus a locorum ordinariis, auctoritate noſtra & dicti conſilii excommunicationis vinculo innodari. Inſuper dicti ſacrilegi perſonam ſtandi in judicio non habeant, teſtimonium eorum nihil fidei afferat, & tanquam rei crimine læſæ Majeſtatis inter vivos ab omnibus prorſus legitimis actibus ſint excluſi, & poſt mortem, niſi ſibi a ſede Apoſtolica de abſolutionis beneficio providerint beſtialem cum beſtiis recipiens ſepulturam. Feuda ſi qua ab Eccleſia tenuerint ipſo facto amittant nec infeudentur a novo, qui talibus beneficiis ex eorum maleficio ſe C reddiderunt indignos filiis etiam patratorum hujuſmodi ſcelerum capientium ſcilicet, quam raptos detinentium in Clericatu poſitis, ad eccleſiaſticos ordines, beneficia eccleſiaſtica, & honores, niſi parentes eorum celeri ſibi ſatisfactione proſpexerint, prohibitus ſit aſſenſus. Ad hoc ſtatuimus & firmamus in his ſcriptis, ut ſi qui Clerici, monachi, aut regulares, cujuſcunque ordinis, religionis, ſtatus, conditionis, aut gradus exiſtant, qui prædictos ſacrilegos ad eccleſiaſticam ſcienter receperint ſepulturam, ſint ſuis officiis, beneficiis, locíſque privati, & a clericali ordine penitus alieni. Item de Epiſcopis alienis per noſtram provinciam tranſeuntibus ſic volumus obſervari, quod in territorio noſtræ diœc. vel provincia, in qua eos D capi contigerit, ſi Dominus ejuſdem territorii captioni eorum aſſenſum & opem præſtiterit, ac per totam Diœc. in qua capti detinentur, donec ad eorum liberationem divina officia intermittantur, & capientes ac ipſos captos detinentes per totam noſtram provinciam uſque ad ſatisfactionem condignam excommunicati publice denuncientur. Statuimus inſuper & inviolabili conſtitutione firmamus, ut ſi qui domos, vel Curias Epiſcoporum, aliorum Prælatorum, vel Canonicorum per vim confregerint, aut alias dotes Eccleſiæ in ruinam, quive ad hoc conſilium & auxilium, opem, vel operam præſtiterint efficacem, ut ſacrilegi invaſores a diœceſano loci, cum ad ejus notitiam pervenerit, excommunicentur & per totam diœc. uſque E ad condignam ſatisfactionem excommunicati publice nuncientur. Si vero uſque ad vitæ ſuæ exitum in ſua pertinacia perſtiterint, eccleſiaſtica careant ſepultura, quos ſi parochialium Eccleſiarum Clerici ex certa ſcientia ad ſepulturam receperint, pro ipſo ſuis beneficiis ex hac noſtra ſententia, quam in his ſcriptis ex nunc ferimus, ſunt privati & is ea libere confecerit, ad quem Collatio pertinet eorundem. Si vero religioſi monachi, vel Canonici eos ſepelire præſumpſerint in eo loco, in in quo ſepulti fuerunt, eccleſiaſticum ponimus interdictum, donec corpus effodiant. Et ſuper no-

A ſtri tranſgreſſione ſtatuti emendam exhibebant competentem diœceſano & eccleſiæ, in cujus loci injuriam hanc fecerunt. Addentes ut ſi Dominus terræ, Civitas, oppidum, aut quæcunque communitas, in domibus, curiis, aut præmittitur terrarum Domini ejuſdem pœnis contra ſingulares perſonas annotatis ſuperius ſubjacebant. Nec non & ipſius terra, civitas, communitas vel oppidum, niſi monitione præmiſſa ſatisfecerit a diœceſano loci ſupponitur eccleſiaſtico interdicto, quod uſque ad condignam ſatisfactionem per totam diœc. præcipimus inviolabiliter obſervari. Item ſi Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, aut alterius Collegii, vel perſonam Eccleſiaſticam alias in dignitate, vel perſonatu capi contigerit, & captum detineri ſta- B tuimus, ut uſque ad liberationem ipſius & exhibitionem debitæ ſatisfactionis in diœc. in qua captus detinetur, ceſſetur generaliter a divinis. Sacrilegi quoque expreſſis eorum nominibus per totam provinciam ſingulis diebus dominicis excommunicati publice denuncientur. Item ſi quiſquam de Prælatorum vel Canonicorum familia captus fuerit nulla adverſus eum, coram ipſius Domino, vel prælato, ſcilicet & Canonico, inſtituta querela; taliter diffinimus, ut ejus captivatores, vel detentores, canonica monitione præmiſſa, ab ordinario loci excommunicationi ſubdantur, donec captum libertati priſtinæ reſtituant, & ei ac Domino ſatisfactionem exhibeant competentem. Inſuper ſtatuimus, ut in ſingulis noſtris ſuffraganeo- C rum noſtrorum ac Archi-Diaconorum noſtrorum noſtræ diœceſ. & provinciæ Synodis, ab his, qui eis præſident, Clerici prophani excommunicentur, anathematizentur, & una cum laicis contra libertates Eccleſiaſticas Statuta edentibus, ac eis utentibus, qui ipſo facto canonis ſententia ſunt ligati, excommunicati publice nuncientur, prout ſecundum Deum videbitur expediens & conſultum. Item ſtatuimus, ut Eccleſiarum, monaſteriorum, aut aliorum piorum locorum advocati in perſonis, aut bonis earundem eccleſiar. monaſteriorum, aut piorum locorum ſibi debito uſurpantes contenti his, quæ ipſi jura permittunt, hoc eſt pœnis delinquentium moderatis, ex juſto judicio provenientibus ab injuriis & injurioſis gravaminibus omnino de- D ſiſtant, & perſonas eccleſiaſticas, procuratores, aut nuncios Eccleſiarum, ſeu Eccleſiaſticarum perſonarum in petendis, aut percipiendis decimis, cenſibus, vel aliis redditibus eorundem, & in pignoribus pro eiſdem decimis, cenſibus, ſeu redditibus, ut in quibuſdam locis aſſolet, capiendum non impediant & requiſiti eos impediri a ſuis ſubditis modo aliquo non permittant. Quod ſi a dictis advocatis, vel eorum nunciis ſecus fuerit attentatum, Canonica contra ipſos, ubi commode fieri poſſit & veriſimile ſit ad eorum poſſe notitiam pervenire, admonitione præmiſſa, ex abundanti tribus Dominicis diebus de ambone majorum Eccleſiarum illius Diœc. in qua dicti Advocati delinquunt, publica fiet mentio, ut ab injuria deſi- E ſtant & commiſſa infra terminum de ambone ſibi ſtatuendum ſatisfactionem exhibeant congruentem. Alioquin ex tunc ab ordinario loci excommunicentur, ac per totam Diœc. excommunicati publice nuncientur. Ceterum ſi Dominus terræ fuerit advocatus, & per ſe, vel ſuos deliquerit in præmiſſis, tota illius terra, vel ſi ſingularis ſit perſona, parochia, in qua moratur, per menſem de ambone ſtatutum, ab eodem loci ordinario ſupponitur Eccleſiaſtico interdicto. Præterea raptores & invaſores & detentores rerum mobilium, ſeu immobilium ad menſam Epiſcopalem, monaſteria, Capitula, alia pia loca, ſeu perſonas Eccleſia-

ANNO CHRISTI 1292.

ſiaſticas pertinentium ſi continua monitione infra terminum præmiſſa a loci ordinario ſibi ſtatutum reſtitutionem & ſatisfactionem plenariam cum effectu non duxerint faciendam. Hoc obſervatum volumus & teneri, quod ſupra de Advocatis terrarum Dominis & perſonis ſingularibus eſt ſtatutum. Ceterum ut fortiori caritatis vinculo uniti, alter alterius onera portantes, contra præmiſſorum ſtatutorum transgreſſores ac alios delinquentes inſtantius procedamus, & ut ipſi majori rubore ſuffuſi citius reſipiſcant, hac Synodali conſtitutione ſanximus, ut nos & ſucceſſores noſtri, & quilibet ſupradictorum Coepiſcoporum, noſtrorum ſuffraganeorum invicem tenere debeamus & obſervare noſtras ſententias, & per noſtras Diœc. exequendam ab earum latore ſumus requiſiti. Verum ſi in perſonas ſpectabiles, illuſtres, aut alios nobiles, ſcilicet terrarum Dominos, ſententias proferre contigerit, poſtquam a ſede metropolitana, cui nunc favente Domino præſidemus, fuerint confirmatæ, ipſa mandata per totam noſtram provinciam fideliter exequantur. Archi-Diaconorum etiam per noſtram diœc. & provinc. conſtitutorum ſententias, nec nos, nec ſucceſſores noſtri, nec aliquis Coepiſcoporum noſtrorum abſque cauſæ cognitione relaxabimus ullo modo. Item omnibus & ſingulis Prælatis ac Clericis noſtræ diœceſ. & provinciæ prohibemus, ne in domibus ſuis, vel commeſtionibus ſcholares vagos, qui Goliardi, vel Hiſtriones alio nomine appellantur, per quos non modicum vileſcit dignitas Clericalis ullatenus recipiant. Illos maxime, qui in ſacris conſtituti ſunt ordinibus, a clericali habitu apoſtatantes & ordine, Laicalem habitum aſſumpſerunt. Quod cum præmiſſis Statutis omnibus & ſingulis ſub excommunicationis pœna præcipimus firmiter obſervari. Poſtremo ne circa hæc aliquis occaſionis vel ignorantiæ poſſit velamen prætendere, ſtatuimus, volumus & mandamus, ut hæc ſalutaria ſtatuta ſemel quolibet anno in Epiſcopali Synodo, vel capitulo, publice recitentur. Verum quia plus firmitatis afferre videtur, quod ſpecialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, ſupraſcriptis omnibus etiam includimus & incluſum eſſe volumus Diœc. noſtræ honorabile Capitulum Eccl. Hamburg. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium & approbationem totius concilii accedentis conſenſu ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum.

Datum & actum an. Dom. MCCLXXXXII. feria ſecunda poſt Dominicam, qua cantatur Lætare.

# ** SYNODUS CICESTRENSIS.

Ex tomo II. collectionis Anglicanæ.

Statuta & adjectiones domini Gilberti Dei gratia Ciceſtrenſis epiſcopi, publicata in majori eccleſia Ciceſtrenſi, in ſynodo ibidem celebrata, in die S. Calliſti papæ, anno Domini MCCXCII.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *Ne animalia ponantur in cœmeteriis ad paſcendum.*
2. *Quod in oblationibus devotio populi non reſtringatur.*
3. *Excommunicati ſunt ipſo facto detentores decimarum.*
4. *Quod parochiani ſilentes audiant Miſſam.*
5. *Quod ſepulturæ non fiant in eccleſiis & cancellis.*
6. *Ne trunci erigantur in eccleſiis ſine epiſcopi licentia.*
7. *Ut hæ conſtitutiones quater in anno publicentur.*

## CAPITULA.

### I. *Ne animalia ponantur in cœmeteriis ad paſcendum.*

Licet humana fragilitas quemlibet ad affectandum & aſſequendum bona temporalia diverſis malis "allicit: ad hoc tamen homini a Deo datur diſcretio, ut eum auditus hujus, maxime per ea quæ honeſtatem decent, a rationis tramite per devium non abducat. Cum ergo eccleſiarum ſanctuaria, quæ populariter cœmeteria nominantur, ſicut frequenter noſtris auribus inculcatur, non tantum per laicorum, verum etiam, quod deteſtabilius eſt, per rectorum, vicariorum, & ſacerdotum parochialium, cupiditatem nefariam, porcis, equis, bobus, ovibus, & aliis animalibus, ſub prætextu herbagii inibi creſcentis, Dei & eccleſiæ rejecta reverentia conculcentur; & ſanctorum forte corpora, quorum aliqua in iiſdem cœmeteriis fas eſt credere ſepeliri, execrabili effoſſione fœdentur (quod præſertim defunctorum parentibus & amicis merito cedere poterit in horrorem.) Nos igitur, tantæ temeritatis & deteſtandæ cupiditatis audaciæ frænum moderaminis volentes imponere, ſub Divinæ & noſtræ maledictionis interminatione duximus "ſtatuendum: ne quis litteratus, vel laicus, talia deinceps attentare præſumat: hoc tantum adiecto moderamine, quod rectoribus, vicariis, & ſacerdotibus parochialibus, quibus non eſt aliunde paſtura ſufficiens, tempore quo agnos ſuos colligunt decimales; & ab illo tempore, tantummodo per quindenam, liceat eoſdem agnos immittere nutriendos. Quod ſi forte ſecus contigerit fieri, ex contemptu, vel per negligentiam, aut malitiam eorum, quibus parochiali conſuetudine claudendi cœmeterium, diviſim vel conjunctim onus incumbit: ipſos, qualitercumque ſtatus conditione præfulgeant, domino rege & ejus liberis dumtaxat exceptis, a tempore notificationis præſentis ſtatuti, excommunicationis ſententiæ tamdiu volumus ſubjacere, quouſque terminos vel limites clauſuræ cœmeterii, qui ipſos contigerint, refecerint competenter.

" modis

" al. præcipimus ſtatuenda.





ANNO CHRISTI 1292.

### II. *Quod in oblationibus devotio populi non reſtringatur.*

Habet hoc proprium antiqui hoſtis invidia, ut, ipſo ſuadente, frequenter ea quæ ad animarum remedium pertinent & ſalubriter ordinantur, per malorum machinationes in noxam miſerrime permutentur. Quod & his temporibus, (utinam futuris ſæculis reſervatis) in hac noſtra diœceſi, proh dolor! vulgariter aſſeritur inveniri: dum quidam maledictionis filii, in nubentium ſolenniis, in mulierum purificationibus, & aliis, in quibus ipſe Deus in miniſtrorum ſuorum perſonis oblationum ſolebat libamine præclare " honorari, ad unius oblationem denarii devotionem populi reſtringere ſunt moliti; reſiduum oblationis fidelium, ſuis, pro libito, vel alienis, uſibus applicantes. Diverſorum igitur his damnabilibus conſiliis, ſalubre repagulum opponere cupientes, & in ipſos qui non reſipiſcunt, laqueum injicere, quem miſeris miſere tetenderunt: nil novum ſtatuentes, ſed antiquorum canonum ſancita in medium deducentes, univerſos & " ſingulos inſtigatores, per quorum nefanda conſilia, eccleſiis, vel ipſarum rectoribus, vicariis, aut miniſtris ipſius, quicquam ſubtrahetur honoris vel commodi conſueti, ſynodi declaratione præſentis pronunciamus, vinculo excommunicationis, ex concilio Oxonienſi damnatos, & involutos: reſervata nobis abſolutione eorum præterquam in mortis articulo, quouſque miniſterio in contrarium laborante, eccleſiis devotio popularis fuerit efficaciter reſtituta.

" al. populariter hon.

" al. univ. hujuſmodi ſeſti,

### III. *Excommunicati ſunt ipſo facto detentores decimarum.*

Item decimas a quibuſcumque debitas perſolvi præcipimus integraliter, ſub pœna excommunicationis, quam in non plene ſolventes ferimus; in his ſcilicet " declarantes cum decretali, non debere fieri, ante decimarum liberationem, ſaltem in prædialibus decimis, aliqualem deductionem culturæ, vel collationis, vel doni alicujus conferendi meſſoribus, clericis, bedellis, vel aliis communibus miniſtris quibuſcumque, aut per animalia, aliove modo, conſilio, auxilio, favore, aut conniventia: dictas debitas decimas, conſumendas, diſſipandas, vel minuendas eſſe, a quoquam clam vel palam, ſub pœna eadem prohibemus. Qui autem ſecus egerint, partem cum Cain, cujus ſequaces ſunt, habebunt, & ut raptores ac ſacrilegi, ab eccleſia & fidelium communione merito abjiciendi, atque adeo & hac ſacra ſynodo maledicti.

" al. in his ſcriptis

### IV. *Quod parochiani ſilentes audiant Miſſam.*

Parochianos, diebus Dominicis ſaltem, & aliis ſolennitatibus feſtivis, præcipimus moneri diligenter, quod in eccleſia ſolenniter & devote morentur, ſaltem dum Miſſa cantatur, orationibus & aliis devotionibus jugiter inſiſtendo, non diſcurrendo tumultuoſe, ut alicubi hactenus fieri conſuevit, per cœmeteria & alia loca eccleſiis contigua, ex cauſa non neceſſaria, & multotiens inhoneſta.

### V. *Quod ſepulturæ non fiant in eccleſiis & cancellis.*

In eccleſiis, vel earum cancellis non fiant ſepulturæ indiſtincte, ad cujuslibet voluntariam electionem, corporum defunctorum: villarum dominis & patronis eccleſiarum, & illorum uxoribus, rectoribus etiam & vicariis exceptis, per quos, vel per quas accreverit honor illis eccleſiis notabiliter & perpetuo duraturus.

### VI. *Ne trunci erigantur in eccleſiis ſine epiſcopi licentia.*

Ne ſubjectorum vicariorum ſeu ſacerdotum parochialium ſimplicitate vel conniventia, quæ hactenus alicubi in noſtra diœceſi fieri comperimus, trunci concavi de cetero in eccleſiis parochialibus vel capellis erigantur, per quod ſubtrahatur a Divina reverentia ſive cultu devotio popularis, dum ex vero vel ficto parochianorum odio, eiſdem truncis malitioſe vel damnabiliter imponunt, quod Deo miniſtrantibus in altari devote conſuevit offerri: hac ſacra ſynodali conſtitutione ſancimus, ne qui parochiani, rectores, vel vicarii, vel ſacerdos parochialis eccleſiæ curam gerens, truncos hujuſmodi, vel aliud pecuniæ receptaculum cum clauſura, ſine noſtra vel officialis noſtri licentia . . . . erigant, aut conſilium præſtent erigentibus, aut juvamen; ſed erectos amoveant ab eccleſiis in quibus fuerint, intra octo dies a tempore notificationis, vel publicationis præſentis edicti. Quod ſi ex contemptu, negligentia, ſeu quavis arte vel malitia, factum non fuerit vel omiſſum: ex tempore ipſam eccleſiam, in qua truncus hujuſmodi fuerit, vel quid aliud, ut diximus, loco ejus, ſub interdicto manere volumus, quouſque funditus evellatur & amoveatur ab ea.

*Hæc conſtitutio deeſt in quibuſdam exemplaribus.*

### VII. *Ut hæ conſtitutiones quater in anno publicentur.*

Iſtas generales ſententias in ſingulis parochialibus eccleſiis, per earum ſacerdotes, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, præcipimus quater in anno lingua materna publicari parochianis diſtincte & aperte: videlicet Dominica tertia in adventu Domini, Dominica in medio Quadrageſimæ, Dominica proxima ante feſtum Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ, & Dominica proxima ante feſtum ſancti Michaelis Archangeli.

Anno Christi 1293. Ex Hanſizii Germania ſacra Tom. 1. p. 441.

# SYNODUS PATAVIENSIS

## A Bernardo episcopo

### Anno MCCXCIII. celebrata.

Nos Wernhardus Dei gratia Pataviensis epiſcopus anno Dom. 1293. in octava B. Joannis Baptiſtæ celebrantes Pataviæ in cathedrali noſtra Eccleſia Synodum Clericorum de conſilio fratrum noſtrorum ac Prælatorum, qui in noſtro Capitulo aderant, ſtatutis prædeceſſorum noſtrorum hæc, quæ ſequuntur, duximus apponenda. In primis itaque diſtrictius inhibemus, ne Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, de quacumque re ſuffuraturas in pilleis ſuis habeant ejuſmodi pilleis longiores, & ſuperius dependentes; ſed nec unquam liceat eis aliqua alia geſtare pillea, niſi extra manſiones ſuas. Quo caſu contra æſtus vel pluvias pilleis adjuncto capucio uti poſſunt; qui vero prædictis ſuffuraturis uti, vel præter neceſſitatem prædictum pilleum geſtare præſumpſerit, toties MLX Dn. ad fabricam Pataviensis Eccleſiæ teneatur, quoties hujuſmodi ſibi veſtitis fuerit viſus uti; d hoc inquirant Decani, & emendam repetant ſ prædictam.

De vigiliis quoque Sanctorum ab Eccleſia inſt tutis, in quibus eſt in cibis quadrageſimalibus j junandum, præcipimus, ut quoties hujuſmodi giliæ in diem Dominicam inciderint, Rectores E cleſiarum die Sabbathi præcedente idem jejuni faciant obſervari, ſicut a jure communi anteagnoſcitur inſtitutum.

Anno Christi 1294. Ex Hanſizii Germania ſacra Tom. 1. p. 442.

# SYNODUS APUD S. HIPPOLYTUM

## A Bernardo Pataviensi Epiſcopo celebrata.

Nos Wernhardus Dei gratia Eccleſiæ Pataviensis Epiſcopus anno Domini 1294. feria quinta poſt Dominicam *Reminiſcere* apud S. Hippolytum celebrantes Capitulum Clericorum de conſilio venerabilium fratrum Abbatum, Præpoſitorum, Archidiaconorum, & aliorum, qui eidem Capitulo aderant, ſtatutum recolendæ memoriæ domini Godefridi prædeceſſoris noſtri, ne ſacerdotibus vel ſcholaribus vagis conſolationis aliquid impendatur, præterquam duobus ſimul venientibus ſine armis, & longis cultellis, quibus in charitate voluit modicum paſtum dari.

Item ſtatutum, quo Anticipatores, & ſupplantatores Clericorum in Eccleſiis, & capellis ſuſpenduntur a Divinis, tenore præſentium revocamus in totum. Quia vero prædictorum Sacerdotum & ſcholarium vagorum inſolentiæ adeo per noſtram diœceſin excreverunt, ut etiam in præſentia noſtra a Clericis & Eccleſiaſticis perſonis, denegantibus ſibi, quod poſſunt, blaſphemias inferant & imponant: Statuimus, providemus, & de novo ſtrictius inhibemus, ne ſacerdotes, ſeu ſcholares hujuſmodi, vel eorum aliquis ad panem recipiatur omnino, nec ipſis conſolationis aliquid impendatur. Qui vero contrarium fecerit, ſi plebanus fuerit, 1. lib. Dn. ſi vero Vicarius, med. lib. toties, quoties in hoc caſu deliquerit, ſolvere teneatur. Volumus autem, ut Decani de hujuſmodi ſtatuti tranſgreſſoribus diligenter inquirant; & emendam prædictam requirant. Alioquin ſciant ſe teneri ad ſolutionem omnium, quæ per eorum incuriam, & negligentiam, circa inquiſitionem & requiſitionem hujuſmodi negligentur.

Item ſtatuimus, & ordinamus, ut nullus Clericus alterum, offerendo pecuniam ante tempus in Vicaria ſeu adminiſtratione, ad quam aſſumptus eſt, audeat ſupplantare, ſi gravem a nobis effugere voluerit ultionem. Ut autem huic morbo plenius occurramus, inhibemus firmiter, & diſtricte, ne Clericus volens Vicariam ſeu aliam quamcumq; adminiſtrationem in aliqua Eccleſia convenire ſibi, ante feſtum Epiphaniæ cujuslibet anni, quidquam loqui, vel attentare præſumat. Alioquin quartam partem omnium, quæ ante feſtum hujuſmodi exhibebit, & nihilominus, qui exhibitionem talem apud ſe fieri permiſerit, tantumdem ſolvere teneatur. Super quo etiam Decani diligenter inquirant, & emendam repetant ſupradictam. Alioquin pœnam prædictam incurrant.

Item uſurarum voraginem compeſcere cupientes, omnibus ſtatutis contra uſurarios inſtitutis in ſuo robore manentibus, ſtatuimus, ut omnis, qui de cetero uſuras & uſurarum contractus exercere præſumpſerint, ad reſtitutionem uſurarum hujuſmodi, & nihilominus tantumdem nobis ſolvere teneantur.

# VITA CÆLESTINI PAPÆ V.

Cæleſtinus V. anachoreta, Eſerninus, Petrus Moroneus ante dictus, qui in monte Marcella non procul a Sulmone ſolitariam vitam agebat, vir ſanctiſſimæ converſationis, a quo Cœleſtinorum ordo ſumpſit initium, poſt interregnum biennii & quatuor menſium, Divina tandem ordinatione in papam electus eſt Nonis Julii, anno 1294. tempore Adolphi imperatoris. Ut Peruſium proficiſceretur cardinales ſuaſerant: verum, quia Aquiliam Caroli regis ſciebat eſſe voluntatem, Aqui-

Jam



Anno Christi 1294.

Iam ſe convertit: ubi receptus & coronatus eſt, incredibili hominum frequentia propter rei novitatem eodem confluente. Cardinales duodecim creavit, homines maximi meriti, inter quos duo eremitæ fuerunt. Verum cum & propter oneris magnitudinem & rerum inexperientiam parum idoneus huic faſtigio ſibiipſi videretur, abdicare ſe magiſtratu conſtituerat. Adeo namque facilis & benignus erat, ut nihil unquam ulli petenti recuſaret, & quandoque duobus idem annueret. Quod abdicationis conſilium tam vehementer urgebat & promovebat cardinalis Cajetanus: ut tametſi Carolus rex Neapolim ſecum perduxiſſet Cœleſtinum, quo illum de ea ſententia dimoveret, ille tandem ſexto ſui pontificatus menſe propria ſponte ſuæ dignitati cederet. Ad ſolitudinem excuſſo onere rediens, ſucceſſoris mandato in arcem Fumonis conjectus eſt, ubi mœrore animi confectus XIV. Kalendas Julii obiit. A Clemente V. in ſanctorum numerum propter miracula relatus eſt. *Hæc Platina & Trithemius.* Pergratum fuerit lectori, ſi quæ de hoc pontifice ſcriptor hujus temporis Eberhardus refert in annalibus anno 1290. hic ſubjungam. Mortuo, inquit, Nicolao IV. vacavit ſedes apoſtolica propter diſcordiam cardinalium pluſquam tribus annis, & tandem iidem cardinales, ut creditur, nutu Divino concordaverunt in quemdam virum rectum & religioſum, qui in cella ſua per quadraginta annos & amplius ſub regula B. Benedicti ſtrenue vixerat, qui electus Cœleſtinus eſt vocatus: & cum educeretur e cella, nullum equum tunc & etiam poſtea aſcendere voluit, ſed tantum aſellum, exemplo Domini venientis Hieroſolymam, equitavit. In via etiam tranſeundo Dominus per eum multa miracula fecit; qui licet miræ ſanctitatis exiſteret, tamen adeo ſimplex erat, quod petentibus concedenda & non concedenda conceſſit. Et cum conſideraret, quod conſuetum ſilentium & abſtinentiam, quæ in clauſtro ſervaverat, propter intolerabilem rerum curam, tenere non potuit in papatu: renunciare eidem præſulatui cogitavit. Et cum ſapientum eſſet opinio, quod papa non poſſet cedere, talem conſtitutionem edidit, quod papæ poſſint cedere, tam præſens, quam futuri: dicens quod de plenitudine poteſtatis eamdem conſtitutionem facere bene poſſet. Qua facta, ſtatim ceſſit, & electus eſt poſt ipſum Benedictus cardinalis, qui vocatus eſt Bonifacius: qui ſtatim poſt creationem ſuam omnes gratias & conceſſiones, quas prædeceſſor ſuus fecerat, revocavit. Et omnis populus, propter evidentem ſanctitatem, prædictum Cœleſtinum libenter habuiſſet pro papa: ſed dominus Bonifacius ipſum reclusit, ne ſchiſma fieret, ſi a populo raperetur. Poſt autem duos annos idem Cœleſtinus mortuus eſt, & dicitur, quod Dominus per eum multa miracula operetur, & ſepultus eſt in monaſterio ſancti Antonii Ferentini.

Ex Martene Theſ. Anec. tom. 4. p. 213.

# CONCILIUM PROVINCIALE

## Apud Aureliacum ſub Simone archiepiſcopo Bituricenſi anno MCCXCIV. celebratum ad ſubveniendum urgentibus regni negotiis.

*Ex archivis illuſtriſſimi archiepiſcopi Albienſis.*

### CONVOCATIO CONCILII.

Simon Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopus Aquitaniæ primas venerabili fratri A. ejuſdem gratia Claromontenſi epiſcopo ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. In firmamento cœli, ſcilicet univerſalis eccleſiæ a Deo facta fuerunt duo luminaria, id eſt inſtitutæ duæ dignitates, videlicet pontificalis auctoritas & regalis poteſtas, a quarum qualibet gubernari & regi debent ſubditi, ut ſub omni quiete conſiſtant: quod in regno Franciæ per compaſſiones & ſupportationes mutuas actore Domino eſt hactenus obſervatum. Nos itaque qui pontificali, licet indigni, fungimur dignitate in dicto regno, in parte ſollicitudinis evocati, merito formidamus, ne ſanguis ſubditorum noſtrorum de noſtris manibus requiratur; niſi contra turbatores quietis publicæ aſcendamus ex adverſo, & nos murum opponamus pro defenſione fidei & reipublicæ clericorum, & ad perfectæ obſervantiam caritatis: ac ob hoc principaliter prætextu cujuſdam tractatus habiti cum excellentiſſimo principe ac domino domino Philippo Dei gratia rege Francorum una cum archiepiſcopis regni ejuſdem ſuper imminentibus & arduis negotiis, quæ totum regnum ipſum, & quaſcumque perſonas ejuſdem regni, ad cujus turbationem aſpirat hoſtilis ſeditio, dinoſcuntur tangere: diſpendioſo quarum periculo, ut quieta ſibi tranquillitas præparetur, dignum & pium eſt auctoritatis pontificalis potentiæque regalis clypeis obviare, nec non ſuper quibuſdam aliis ſtatum eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum noſtræ provinciæ, quæ celeritatem deſiderant, tractandis & feliciter promovendis, una cum ſuffraganeis noſtris, capitulis, decanis, archidiaconis, abbatibus conventualibus, & collegiatarum eccleſiarum prioribus, archipresbyteris, eccleſiarum rectoribus, perpetuis vicariis, & aliis clericis beneficiatis provinciæ noſtræ Bituricenſis, in quacumque dignitate, officio vel ordine conſtitutis; quos univerſos & ſingulos negotium præſens tangit, & propter hoc ab omnibus approbandum, tractare ſalubriter diſpoſuimus in inſtanti concilio quod dominica die poſt feſtum ſancti Matthæi apoſtoli proxime venturum, & diebus ſequentibus, ſi quos continuari contigerit ſeu etiam prorogari, apud Aureliacum Claromontenſis diœceſis ob univerſalis eccleſiæ totius provinciæ Bituricenſis & reipublicæ utilitatem ac neceſſitatem urgentem, immo potius imminentem, ad inſtar aliorum archiepiſcoporum ejuſdem regni, veſtris parcentes laboribus & expenſis, ſicut vobis ſuis temporibus oretenus exponemus, Domino concedente, proponimus celebrare. Fraternitati veſtræ mandamus, quatinus omnes & ſingulos ſuffraganeos noſtros, capitula eccleſiarum cathedralium & collegiatarum, decanos, archidiaconos, & alios in eccleſiis collegiatis ſæcularibus dignitatem ſeu perſonatum habentes, abbates conventuales, & collegiatarum eccleſiarum priores, archipresbyteros, & decanos rurales, eccleſiarum rectores, & alias perſo-

ANNO CHRISTI 1294.

nas prædictas in dicta Bituricenſi provincia conſtitutas, citetis peremptorie & vocetis, ſeu citari & vocari peremptorie faciatis, ut ipſi dictis diebus & loco ad dictum concilium, videlicet epiſcopi, decani, archidiaconi, abbates conventuales, & eccleſiarum collegiatarum priores, & aliæ perſonæ dignitatem habentes pro ſe perſonaliter, capitula, collegia, archipresbyteri, decani rurales, eccleſiarum rectores, & aliæ inferioris ordinis ſive ſtatus perſonæ per procuratores ſive œconomos ſufficienter inſtructos compareant, audituri, tractaturi, obligaturi, ſi neceſſe fuerit, facturi & adimpleturi quidquid in dicto concilio audiendum, faciendum, tractandum, ordinandum, & per obligationem adimplendum fuerit ſuper præmiſſis & ea contingentibus ad quæ peremptorie vos citamus ſimiliter & vocamus; vobis mandantes ut ſubditos veſtros citari & vocari faciatis ſecundum formam ſuperius annotatam. Volumus ſiquidem & indulgemus, quod per vos & alios ſuffraganeos veſtros, videlicet per quemlibet in ſua civitate & diœceſi cum eorum ſuffraganeorum ſubditis, quos citari perſonaliter mandavimus, diſpenſare poſſitis ex cauſa legitima, ut dictis diebus & loco comparere valeant per procuratorem ſufficienter inſtructum, prout ſuperius eſt expreſſum, cauſam diſpenſationis veſtris conſcientiis relinquentes. Inceſſus autem veſtros vos & alii ſic maturare curetis, quod dicta die dominica de præmiſſis negotiis ad expeditionem ſubditorum celerem aliquid inchoare poſſimus. Datum apud ſanctum Andoenum die ſabbathi poſt octavas feſti B. Mariæ Magdalenæ anno Dom. MCCXCIV. ſeptima indictione.

## PROTESTATIONES QUORUMDAM.

Nos officialis Bituricenſis gerens vices reverendi in Christo patris domini S. Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopi Aquitaniæque primatis in congregatione apud Aureliacum Claromontenſis diœceſis habita ob neceſſitatem regni Franciæ, & ad requiſitionem domini regis Franciæ datam dominica poſt feſtum B. Matthæi apoſtoli ac diebus ſequentibus continuatis. Notum facimus univerſis quod cum idem dominus archiepiſcopus mandaverit evocari ſubditos ſuffraganeorum ſuorum ad dictam congregationem, ſcilicet decanos &c. ſub forma quæ ſequitur, &c. Simon &c. dictique decani, præpoſiti, & abbates ſæculares, archipresbyteri, priores ſimplices non collegiati, decani rurales, capellani, rectores eccleſiarum perpetuique vicarii, abbates & priores religioſi, & conventus, ceterique clerici beneficiati, cujuſcumque ordinis ſive ſtatus, vel procurator ipſorum conquererentur & dicerent prædictum mandatum factum in eorum præjudicium & gravamen, & contra antiquam obſervantiam & canonicas ſanctiones, cum idem dominus archiepiſcopus in ipſos nullam poteſtatem vel juriſdictionem habeat in hoc caſu, & peterent ac requirerent inſtanter mandatum hujuſmodi, quatinus contra eos de facto proceſſerat revocari, & penitus annullari, nos habito & obtento conſilio ac conſenſu reverendorum patrum, A. Claromontenſis, & S. Caturcenſis, R. Ruthenenſis, B. Albienſis, Guillelmi Mimatenſis Dei gratia epiſcoporum in ipſa convocatione præſentium. Volentes prædictis conquerentibus eſſe prompti & benevoli in juſtitia facienda, nolumus nec intendimus quod per mandatum hujuſmodi factum dictis conquerentibus vel aliis quibuſcumque aliquod præjudicium generetur, nec alicui ſententiæ vel proceſſui eos ſubjacere volumus contra non venientes ad novum præjudicium pararetur. Volentes inſuper & expreſſum dantes aſſenſum una cum prædictis dominis epiſcopis, quod ex dicto mandato vel aliquo ex eo vel ob id facto, aliquod jus in proprietate & poſſeſſione vel quaſi accreſcat vel decreſcat de novo eidem domino archiepiſcopo vel eccleſiæ ſuæ Bituricenſi ſeu etiam acquiratur. Datum & actum apud Aureliacum tertio cal. octobris anno Domini MCCXCIV.

ANNO CHRISTI 1294.

## CONCILIUM DECIMAS PER DUOS ANNOS CEDIT.

NOtum ſit omnibus præſentis ſcripturæ ſeriem inſpecturis quod nos miſeratione divina infra ſcripti epiſcopi & Magiſter Jo. de Veſſia officiarius Bituricenſis & gerens vices R. P. D. Simonis Dei gratia Bituricenſis archiepiſcopi Aquitaniæque primatis in remotis agentis, necnon & capitulorum cathedralium & aliarum collegiatarum eccleſiarum procuratores, decani, abbates quoque, & priores conventuales, non exempti, & totum concilium provinciæ Bituricenſis ad vocationem R. P. D. Archiepiſcopi ſupradicti apud Aureliacum Claromontenſis diœceſis ad tractandum ibidem ſuper neceſſitatibus & utilitatibus eccleſiarum, & eccleſiaſticarum perſonarum ipſius provinciæ, & inſuper ſuper pacifico & tranquillo ſtatu totius regni Franciæ conſtituti, ſedula meditatione penſantes, quod nonnulli principes & magnates regnum ipſum invadere & a diverſis ejus lateribus illud hoſtiliter impugnare, Dei timore poſtpoſito moliuntur, Idcirco dignum ducimus eidem domino regi in tantæ neceſſitatis articulo aſſiſtere, eique prout ad præſens eſt poſſibile ſubvenire. Diligenti igitur tractatu & deliberatione præhabitis, unanimiter concedimus & promittimus eidem domino regi dare pro tuitione & defenſione regni ſui decimam omnium proventuum eccleſiaſticorum totius Bituricenſis provinciæ per duos annos ab hac die continue computandos, ſub modo tamen & temperamentis ac conditionibus infra ſcriptis.

Volumus enim & ordinamus quod terminus primæ ſolutionis faciendæ primi anni ſit in inſtanti carniprivio; terminus vero ſecundæ ſolutionis primi anni ſit in feſto omnium Sanctorum ex tunc proxime ſubſequenti; ſolutiones vero anni ſecundi fiant anno revoluto eiſdem temporibus.

Hoc autem facimus, & concedimus, ſalvo in his domini noſtri ſummi pontificis beneplacito voluntario, niſi forte tanta & tam evidens regni ejuſdem immineret neceſſitas, quod abſque grandi ipſius periculo non poſſet voluntas ipſius ſummi pontificis expectari.

Sed & ſi infra memoratos faciendarum ſolutionum terminos, pacem vel treugam fieri contigerit, vel alias regni periculum ceſſaverit, conceſſio & promiſſio hujuſmodi pro tempore tunc futuro omnino ceſſent, & pro infectis habeantur, vel propter treugam quantum treuga duraverit prolongentur.

Ad hæc ſi interim onus ſimile vel æquipollens in quotitate vel quantitate quacumque per alium quemcumque imponi eccleſiæ Gallicanæ vel jam impoſitum exigi contingeret, cui impoſitioni vel exactioni prælati cum juſtitia reſiſtere nequirent; hoc quidem caſu dictum ſubſidium volumus ſimiliter omnino ceſſare.

Volumus inſuper & ordinamus quod decima ſeu ſubſidium hujuſmodi levetur per dominum Bituricenſem,



ANNO CHRISTI 1294.

& per epiſcopos ejus ſuffraganeos in ſuis diœceſibus, ſeu per ſubſtitutos ab eis de beneficiis & a perſonis ſolvere decimam ſolitis, juxta ordinationes & declarationes Romanorum pontificum & legatorum apoſtolicæ ſedis olim editas ſuper ſolutione decimæ aliis ex cauſis præteritis temporibus perſolutæ; niſi forte in juris ſubſidium manus regia per eoſdem ſpecialiter fuerit requiſita; quodque ipſi poteſtatem habeant, videlicet quilibet in ſua civitate & diœceſi quoſlibet ad ſolutionem dictæ decimæ ſeu ſubſidii per cenſuram eccleſiaſticam compellendi, & excommunicatos, interdictos, propter hoc vel ſuſpenſos a ſententiis hujuſmodi abſolvendi.

Volumus etiam ad tollenda multa incommoda atque damna, quod hujus decimæ ſeu ſubſidii ſolutio fiat de pecunia communiter currente in loco, de quo pecuniam ipſam levari continget.

Rurſus intelligimus & hoc a regia majeſtate humiliter poſtulamus, quod nullus prælatus, nullaque eccleſiaſtica perſona in hoc ſubſidio contribuens, ad cavalcatas, ſeu alia armorum ſubſidia, vel ad alia etiam hac occaſione onera inſolita & indebita interim compellatur, aut ſuper his moleſtetur.

Quodque idem dominus rex non ſinat aliud exigi ſubſidium ab eccleſiis ſeu eccleſiaſticis perſonis, aut aliud onus inſolitum eis imponi, occaſione hujuſmodi guerræ, per comites, vicecomites, barones, vel alias quaſcumque ſæculares perſonas in terris eorum: quodque ipſe dominus rex debeat concedere ſuas patentes litteras reverendo patri domino Bituricenſi archiepiſcopo & omnibus ſuffraganeis ſuis pro ſe & eorum ſubditis, continentes, quod ipſe ſubſidium hujuſmodi ex ſola gratia & mera liberalitate recipit, quodque per hoc nullum impoſterum eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis memoratæ provinciæ præjudicium quomodolibet generetur. In quorum omnium teſtimonium nos A. Claromontenſis, S. Caturcenſis, R. Ruthenenſis, B. Albienſis & G. Mimatenſis miſeratione divina epiſcopi, & magiſter Io de Geſſia officiarius Bituricenſis ſigillorum noſtrorum impreſſiones huic ſcripturæ duximus appendendas. Datum & actum apud Aureliacum tertio calendas octobris anno Domini M. CC. XCIV.

## PHILIPPI REGIS LITTERÆ

Quibus decimas ex mera gratia ſibi conceſſas agnoſcit.

ANNO CHRISTI 1294.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex univerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem.

Notum faciamus quod cum dilecti & fideles noſtri archiepiſcopus Bituricenſis, per officialem ſuum gerentemque ad hæc vices ipſius archiepiſcopi nunc in remotis agentis, & omnes ſuffraganei Bituricenſis eccleſiæ, nec non & capitulorum cathedralium & aliarum eccleſiarum collegiatarum procuratores, decani, abbates, priores conventuales non exemti, & totum concilium provinciæ Bituricenſis nuper ad vocationem prædicti archiepiſcopi apud Aureliacum Claromontenſis diœceſis conſtituti ad pertractandum ibidem ſuper pacifico & tranquillo ſtatu totius regni noſtri, ſedula meditatione penſantes, quod nonnulli principes & magnates regnum noſtrum invadere, & a diverſis ejus lateribus ibidem hoſtiliter impugnare, Dei timore poſtpoſito, moliuntur: & idcirco ducentes nobis aſſiſtere in tanto neceſſitatis articulo, & prout ad præſens eſt poſſibile ſubvenire, diligenti tractatu & deliberatione præhabitis, unanimiter & concorditer nobis dare promiſerint & conceſſerint pro tuitione & defenſione regni noſtri decimam omnium proventuum eccleſiaſticorum totius Bituricenſis provinciæ per duos annos, a tempore conceſſionis hujuſmodi computandos, ſub quibuſdam temperamentis adjectis appoſitis & contentis in litteris prælatorum prædictorum, quas vidimus, confectis ſuper conceſſione decimæ prædictæ. Nos modos & conditiones contentos in dictis litteris hujuſmodi confectis volumus, concedimus, ac etiam approbamus, & inhibemus diſtricte omnibus ſubditis noſtris, ne contraveniant, & ne contrarium quomodolibet attentare præſumant: & profitemur quod prædicti prælati ex ſola gratia & mera liberalitate prædictum ſubſidium nobis faciunt, & illud ab eiſdem ex mera gratia recipimus, nec volumus quod per hæc ipſis prælatis, eccleſiis, & eccleſiaſticis perſonis ipſius provinciæ Bituricenſis inpoſterum aliquod præjudicium generetur. In quorum teſtimonium præſentibus litteris ſigillum noſtrum duximus apponendum. Actum Pariſius die Jovis poſt octavam purificationis B. Mariæ Virginis anno Domini M. CC. XCIV.

# v. ** CONCILIUM SALMURIENSE,

Jam editum in metropoli Turonenſi, & nunc collatum cum Mſſ.

Concilium apud Salmurum celebratum die Dominica poſt feſtum S. Michaelis in Monte Gargano, anno Domin. MCCLXXXXIV.

### TITULI CANONUM.


1. *Contra veſtium ſuperfluitatem.*
2. *De abſolutione ab excommunicatione in morte.*
3. *Contra redimentes peccata per pecunias.*
4. *De confeſſionibus audiendis contrahentium.*
5. *De decimis.*


### PRÆFATIO.

AD honorem Dei, & eccleſiarum utilitatem provinciæ Turonenſis, cui authore Domino præſidemus, necnon pro corrigendis exceſſibus ſubditorum, & moribus reformandis: vocatis venerabilibus fratribus ſuffraganeis noſtris, capitulis, abbatibus, & aliis qui fuerant evocandi, concilium provinciale apud Salmurum, Andegavenſis diœceſis, die Dominica poſt feſtum beati Michaelis in monte Gargano, cum diebus Lunæ & Martis ſequentibus, duximus celebrandum: in quo, de prædictorum fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ordinavimus capitula quæ ſequuntur.

### CANONES.

I. *Contra veſtium ſuperfluitatem.*

SIcut in Carthaginenſi concilio legitur, & habetur, clericus profeſſionem ſuam habi- Carthag. IV. c. 45.

Anno Christi 1294.

habitu & inceſſu probet: & ideo nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat. Miramur ſane quoſdam monachos, abbates, priores, & alios etiam religioſos, qui ſecundum ſuorum inſtituta majorum, cappas clauſas, & de panno nigro deferre tenentur, transfigurato habitu honcias & clochas, nec de pannis nigris, ſed coloratis, fulgidis & pretioſis, deferre præſumunt, non abſque gravi ſcandalo, & regularis diſciplinæ & Divinæ majeſtatis offenſa. Quapropter talia de cetero fieri prohibemus; contrarium vero facientes gravi animadverſione per locorum ordinarios mulctari præcipimus & puniri.

II. *De abſolutione ab excommunicatione in morte.*

Cum excommunicatis in mortis periculo conſtitutis abſolutionis beneficium, ſecundum formam canonum, non debeat denegari; quia tamen circa eorum abſolutionem, propter ſacerdotum ſimplicitatem & imperitiam, frequenter errari contingit: ut ſaluti morientium, & utilitati ſuperſtitum ſalubriter conſulatur, formam juri conſonam circa talium obſervationem præcipimus obſervari: ſcilicet, ut ſi pro judicato, vel manifeſta offenſa, petens abſolvi, excommunicatus fuerit, ſi de illis poteſt ſatisfacere in præſenti, non aliter relaxetur ſententia, niſi prius de judicato vel offenſa fuerit ſatisfactum. Si vero non poſſit ſatisfacere in præſenti, recepta cautione idonea, pignorum ſcilicet, vel fidejuſſorum de ſatisfaciendo de judicato vel offenſa, ſententia relaxetur. Si vero offenſa dubia fuerit, recepta cautione idonea de ſatisfaciendo, ſi eam apparuerit eſſe manifeſtam: pro ſimplici vero contumacia, recepta cautione juratoria de parendo juri, ſententia relaxetur. Ubi tamen cautionem idoneam exigi ſupra præcepimus: juratoriam, ſi alia præſtari non poſſit, in hoc caſu ſufficere declaramus. Qui vero forma præſcripta non obſervata, excommunicatum pro judicato vel offenſa abſolverit: ei pro quo lata erat ſententia, de ſuo ſatisfacere, authoritate præſentis concilii, teneatur.

III. *Contra redimentes peccata per pecunias.*

Ex cupiditate, quæ omnium malorum radix eſt, procedit quod plerique archidiaconi, decani, & archipresbyteri provinciæ Turonenſis, eccleſiaſtica juriſdictione utentes, & quod eſt verius, abutentes: pro corrigendis exceſſibus, & criminibus puniendis, videlicet adulterio, fornicatione, inceſtu, & aliis exceſſibus, in quibus maxime iidem archidiaconi & alii inferiores diſpenſare non poſſunt, a clericis & laicis pœnam pecuniariam contra canonum prohibitionem exigunt & extorquent. Quæ de cetero fieri prohibemus, ſtatuentes, ut ad juſſum diœceſani ſic exacta reſtituere teneantur: ſalvo tamen eis, ſi quid circa correctionem talium exceſſuum eiſdem competat de conſuetudine approbata.

IV. *De confeſſionibus audiendis contrahentium.*

Prohibemus etiam ne archidiaconi, decani, & archipresbyteri juriſdictionem eccleſiaſticam exercentes, clericos curſores, & quaſi exploratores, ad audiendas confeſſiones contrahentium, per archidiaconatus, decanatus, archipresbyteratus ſuos, de cetero teneant: nec ad relationem eorum, litteras ſigillent, ac ſi in eorum præſentia factæ fuiſſent: decernentes, ſi aliter factum fuerit, tales proceſſus & litteras nullius eſſe momenti.

V. *De decimis.*

Grave gerimus & moleſtum, quod plerique barones & alii nobiles, & ignobiles etiam, necnon baillivi, ſeneſchalli, & alii ſæcularem juſtitiam exercentes, ad decimas quas in ſignum univerſalis dominii univerſorum dominus ſibi retinuit, eaſdem deputans Levitis & miniſtris in templo ſuo deſervientibus, jure hæreditario poſſidendas ad manus ſuas ſaiſinant; & impedimenta varia, non ſine Divinæ majeſtatis offenſa, & in perſonarum eccleſiaſticarum grave præjudicium, apponere non verentur. Quapropter authoritate præſentis concilii monemus omnes & ſingulos temporalem juriſdictionem exercentes, ut perſonas eccleſiaſticas ſuper decimis, de quibus ut de ſuis in poſſeſſione pacifica nomine beneficiorum ſuorum per annum extiterint, de cetero aliquatenus ſine authoritate judicis eccleſiaſtici non moleſtent, nec impedimentum apponant, occupando, ſaiſiendo, manum apponendo, vel alias inhibendo ſubditis ſuis ne recipiant ad firmam, vel alias impediendo quo minus decimas tales & earum fructus percipiant, donent, vel tradant ad firmam, vel vendant, ſecundum quod eiſdem perſonis eccleſiaſticis videbitur expedire. Qui vero poſt menſem a tempore publicationis præſentis concilii contrarium fecerint, ipſo facto excommunicationis ſententiam ſe noverint incurſuros.

Datum apud Salmurum, die Martis poſt feſtum beati Michaelis in Monte Gargano, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto.

STA-



Anno Christi 1294. Anno Christi 1294.

Ex Batavia ſacra pag. 166.

# STATUTA SYNODALIA TRAJECTENSIS *DIOEÇESIS.*

EPISTOLA PRIMA

## DOMINI JOHANNIS DE ZYRICH,

*Epiſcopi Trajectenſis.*

JOhannes Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Trajectenſis, univerſis & ſingulis tam clericis quam laicis noſtræ civitatis & diœceſis ſalutem in Domino, & mandata noſtra ſalubriter obſervare.

Cum ſicut fama referente didicimus, plures & diverſi exceſſus graves & enormes & intollerabiles, quod dolenter referimus, in noſtra civitate & diœceſi tam a clericis, quam a laicis perpetrati ſint frequenter, & adhuc perpetrentur ſepius; Nos ex noſtro officio paſtorali aliquibus eorum aliquali remedio volentes obviare, ne impunitatem eorum delictorum homines conſuetudini potius quam emendationi valeant imputare. In primo excommunicamus omnes & ſingulos clericos & laicos, cujuſcumque conditionis exiſtant, aut ſtatus noſtræ civitatis & diœceſis, juriſdictionem eccleſiaſticam de cetero impedientes ſeu perturbantes qualitercumque, ſeu litteras rumpendo aut rapiendo, ſeu nuncios & portatores earum deludendo, capiendo, detinendo, ſeu damna, injurias, moleſtiaſque eis inferendo, vel quoquo modo alio dictam juriſdictionem eccleſiaſticam perturbando. Item excommunicamus omnes & ſingulos fautores & complices eorum, nec non dantes auxilium & conſilium, qualecumque, qualitercumque, publice vel occulte, ut juriſdictio eccleſiaſtica perturbetur, impediatur, ſeu etiam moleſtetur. Præcipimus etiam omnibus, & ſingulis, & presbyteris Eccleſiarum, ut quandocumque aliquis caſus prædictorum emerſerit, ceſſetur a Divinis in loco, in quo tale impedimentum ſeu perturbatio, ſeu moleſtia facta fuerit, etiam ubi dictos malefactores moram facere contigerit, & in prædictis locis & aliis vicinis eccleſiaſticis a rectoribus & presbyteris earundem, eidem malefactores tamdiu excommunicati denuncientur publice, quouſque Deo & nobis, ac paſſis injuriam condignam emendam præſtiterint, & ab hujuſmodi ſententia, ſive ſententiis, a nobis beneficium abſolutionis meruerint obtinere. Item excommunicamus auctoritate apoſtolica nobis in hac parte commiſſa, atque noſtra manifeſtos occupatores bonorum ad nos, & Eccleſiam noſtram Trajectenſem, Canonicos, Capellanos ac Clericos, ipſius eccleſiæ communiter vel diviſim ſpectantium, & notorios malefactores noſtros & excommunicatos publice nunciari volumus, & mandamus ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, niſi infra menſem a die notificationis hujuſmodi noſtri proceſſus eis factæ, bona occupata hujuſmodi reſtituant, & damno illato ſatisfecerint competenter. Præcipimuſque in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis Decanis ruralibus, & proviſoribus omnibus & ſingulis, ut nomina dictorum occupatorum, aut injuriam noſtrorum detentorum manifeſtorum, quos præſciverint, & quando ſciunt, infra unius ſpatium menſis a die ſcientiæ eorum, nobis indicent perſonaliter per litteras, aut per nuncios, & revelent. Item excommunicamus & excommunicatos denunciamus, & denunciari volumus & mandamus, tam auctoritate noſtra quam etiam virtute conſtitutionis felicis recordationis domini Petri, ſancti Georgii ad velum aureum quondam Diaconi Cardinalis, tunc temporis in partibus inf. Germ. Legati omnes & ſingulos Presbyteros & Clericos, noſtræ civitatis & diœceſis cohabitatores, & concubinarios manifeſtos, quouſque deſtiterint, & de hujuſmodi ſententiis beneficia abſolutionum meruerint obtinere. Item cum propter continuationes delictorum neceſſum ſit augeri pœnas in exemplum, diſtricte præcipimus & mandamus omnes excommunicatos ab homine vel a canone, ſuſpenſos, aut irregulares ex quacumque cauſa effectos, de quibus talia publica ſunt, & notoria, a cunctis fidelibus Chriſti vitari. Et ſi laici per plebanos & presbyteros eorum in ipſorum eccleſiis, & ſi presbyteri, aut clerici extiterint per Decanos, qui eis præſunt in eorum capitulis tales quales fuerint publice nunciari, alias contra eos temporaliter gravius proceſſuri, prout eorum pertinacitas exegerit, aut juris ratio ſuadebit, quouſque ſuper prædictis abſolutiones & diſpenſationes meruerint obtinere. Item præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis Decanis & presbyteris eccleſiarum parochialium, & ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam in eos, & ſingulos eorum ferimus in his ſcriptis, niſi fecerint quod mandamus, quibus nomina beneficiorum quæcumq; vacant, aut vacabunt per noſtram diœceſim infra tempus, nec non & nomina beneficiorum eccleſiaſticorum, quę tanto tempore in noſtra diœceſi vacaverint, quod eorum collatio ad nos ſeu ad Sedem Apoſtolicam, juxta Latranenſis ſtatuta concilii devoluta eſt, nobis ſeu procuratoribus noſtris, ad hoc deputatis ſeu etiam deputandis, aut nobis infra unius menſis ſpatium a tempore ſcientiæ eorundem perſonaliter, per litteras aut per nuncios ſtudeant intimare. Item præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, quod nullus plebanos, Paſtores & Curatos Vicarios, quocumque nomine cenſeantur, ad eccleſias aliquas noſtræ civitatis & diœceſis inſtitutos, deſtituat motu propriæ voluntatis ſine juſta & rationabili cauſa, cum non expediat eccleſiis & Parochianis eorum Curatos ſeu Vicarios temporales habere. Item præcipimus & mandamus Decanis ruralibus & proviſoribus, quocumque nomine noſtræ civitatis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam in eos & quemlibet eorum ferimus in his ſcriptis, niſi fecerint quod mandamus, ut quilibet eorum ſingulas Abbatias, prioratus, cœnobia, eccleſias collegiatas, conventuales & parochiales, ac capellas ſeu decanatus nobis det in ſcriptis nominatim, vel infra unius menſis ſpatium, & eorum nomina, & numerum integraliter nobis remittat. Item inhibemus omnibus & ſingulis Decanis ruralibus, proviſoribus noſtræ diœceſis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam in eos & quemlibet eorum

feri-

ANNO CHRISTI 1294.

ferimus in his ſcriptis, ſi contra præſentem inhibitionem venerint quoquo-modo, quatenus nullus eorum intromittat de decimis aut quibusl. ad noſtram juriſdictionem & cognitionem ſpectantibus, ſine noſtra licentia ſpeciali: quod ſi fecerint, ſuſpenſionis ſententiam ipſo facto incurrant, & proceſſus eorum nullius penitus ſit momenti. Revocamus etiam quaſcumque commiſſiones, ab officio noſtro Curiæ Trajectenſis, ſeu quibuſcumque aliis in prædictis factas hucuſque, caſſantes, & irritantes, & irritos nunciantes omnes, & ſingulos proceſſus de cetero habendos, a quibuſcumque virtute commiſſionum hujuſmodi in prædictis, ut præmiſſum eſt conceſſarum. Præſentem autem proceſſum noſtrum hic & in veſtra præſentia tam patenter publicatum, & lectum per omnes & ſingulos Decanos, & proviſores noſtræ civitatis, & diœceſis in ſingulis eorum capitulis, convocatis ad hoc ſpecialiter confratribus presbyteris eorundem, publicari volumus, ac ipſius copias proceſſus omnes rectores, & presbyteros, & vicarios noſtræ civitatis, & diœceſis recipere præcipimus & mandamus, ut ipſum proceſſum in eorum eccleſiis diebus dominicis & feſtivis ſolemniter, coram omni populo prædicent & diligenter exponant. Et ut nullus imposterum ipſius proceſſus ignorantiam prætendat, cum non ſit veriſimile remanere incognitum, quod tam ſolemniter, & tam publice omnibus propalatur. Ad certitudinem præſentis, munimen huic modo proceſſui, ſigillum noſtrum duximus apponendum. Actum & datum Trajecti, anno Domini M.CC. XCI. feria ſexta, poſt feſtum beatæ Agnetis martyris & virginis.

## JOHANNIS DE ZYRICH,

*Epiſtola ſecunda.*

JOhannes Dei & Apoſtolicę Sedis gratia Epiſcopus Trajectenſis Univerſis, &c. Cum ad honorem & laudem omnipotentis Dei, & ſalutem animarum, & ſubditorum noſtrorum, & libertatem eccleſiæ, & eccleſiaſticarum perſonarum vobis tenore præſentis quædam ſtatuta jure duximus publicanda, & ſtatuere & addere aliqua, quæ ad horum fiant ſtatum, & commodum ſubditorum; eadem vobis tenore præſentis intimamus, & per vos volumus ſubditis noſtris ſolemniter intimari, & ſicuti intimata fuerint, mandamus, & præcipimus inviolabiliter obſervari. Et in primo ſtatuimus, ut mores clericorum, & maxime ſacerdotum in melius reformentur, continenter & caſte vivere ſtudeant univerſi, quatenus in conſpectu Dei puro corde, & mundo corpore valeant celebrare. Item a crapula & ebrietate omnes abſtineant diligenter; abuſum quorundam clericorum penitus decernimus abolendum, quod in quibuſdam partibus ad potus æquales ſe obligant potatores, ut & ille judicio plus laudatur, qui plures inebriat, & fecundiores calices exhaurit. Item clerici & maxime ſacerdotes officia, vel commercia ſecularia, & maxime inhoneſta non ſtudeant exercere, ſimoniæ vitium & ſpecie uſurarum diſtrictius fugientes. Item ne arma portent illicita, diſtrictius inhibemus. Item ne ſacerdotes ultra tres compatres ad puerum de ſacro fonte levandum admittant, diſtrictius inhibemus. Item ſtatuimus quod caput ter in aqua ponatur, niſi fuerit debilis, vel infirmus, vel frigidum tempus, tunc aqua per manum ſacerdotis ſuper caput pueri profundatur, ne propter ſubmerſionem vel frigiditatem, ſeu debilitatem puer extinguatur, & moriatur. Item frequentem uſum tabernarum ſacerdotibus inhibemus. Item inhibemus, ne aliquis ſacerdos miſſam celebret, niſi prius de horis canonicis, matutinas, & primam dixerit. Item presbyter lapſus in mortali peccato, non celebret miſſam, niſi ante confeſſus fuerit. Item ſacerdotes veſtes portent nimia brevitate, vel longitudine non notandas. Item ludos theatrales, ſpectacula, & larvarum oſtenſiones in eccleſiis & cimeteriis fieri prohibemus. Item presbyter duas miſſas nullus celebrare præſumat in die, niſi neceſſitas jure permiſſa permittat, & tunc in priori miſſa ablutiones non ſumat poſt ſanguinem. Item presbyteri parochiales ſæpe populum ſuum habeant commonitum, ut ſi aliquis infirmetur, citius pro ſacerdote mittat, ut confiteatur, & ſacramenta eccleſiæ percipiat, quæ ſine pecuniæ exactione præcipimus exhiberi. Item inhibemus, ne quis chriſma, vel oleum ſacrum ab aliquo epiſcopo accipiat, quam a nobis. Item prohibeant presbyteri ſubditis ſuis, ne pueri baptizandi diu teneantur. Item nullus pater vel mater proprium infantem de ſacro fonte præſumat levare. Item prohibemus, ne ſacerdotes, & procuratores eccleſiarum calices, & ſacra vaſa, libros, & ornamenta apud cauwertinos, vel alios pignori exponant. Item prohibemus, ne aliquis contrahat matrimonium temporibus prohibitis, & clandeſtinum ſub pœna excommunicationis, & ne aliquis interſit eiſdem, ſub pœna in jure expreſſa. Item cuſtodes portent tonſuram clericalem, & prohibemus bigamis etiam, ut non recipiant cuſtodias regendas, quia ſunt privilegio clericali penitus exuti, niſi ſint adeo tenues & exiles, quod clerici non poſſint ſuſtentari, & hoc noſtro arbitrio, vel noſtri Officialis relinquitur ordinandum. Item prohibemus, ne aliqui, qui mortem ſibi conſtruxerunt ſtipulis, laqueo ſuſpendendo; vel qui ſuſpenſi, decollati, rotati, vel alias propter ſuum ſcelus, interfecti, in eccleſiis, vel cimiteriis non ſepeliantur, niſi de noſtra vel noſtri Officialis fuerit licentia ſpeciali. Item prohibemus, per pœnam excommunicationis latæ ſententiæ in his ſcriptis, ne aliquis decanus, vel proviſor de cauſis matrimonialibus ſe aliquatenus intromittat, ſed ad civitatem Trajectenſem tranſmittant, ibi eſt copia peritorum. Item prohibemus, ne laici ſe intromittant de decimis novalium, ſed ad alios perveniant, ad quos de jure pertinere noſcuntur. Item ſtatuimus ſi clericus vel presbyter capitur, illa parochia ſit ipſo facto interdicta; ſi deducitur extra illam parochiam captivus, parochia illa in qua detinetur, ſit ſimiliter interdicta, quouſque vinculis abſolvatur, & nobis, & captivo, plenarie fuerit ſatisfactum. Si vero interficiatur vel mergatur, quod abſit, ille decanatus in quo tale delictum eſt perpetratum, maneat totaliter interdictus. Item præcipimus ſub pœna excommunicationis, cauwertinos & alios alienigenas fœnus publice exercentes, & publice uſurarios, & hæreticos, & ſtatuarios contra libertatem, & juriſdictionem eccleſiaſticam, & falſarios noſtræ monetæ, vel ſigillorum, vel noſtri officii, niſi ad gremium matris eccleſiæ revertantur & abſolvantur, bis in anno auctoritate noſtra denunciari, publice excommunicatos, videlicet, prima dominica adventus Domini, & dominica poſt cineres, videlicet, *Invocavit me*. Nec ab eiſdem oblationes recipiant, nec eiſdem eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrentur, & ad ſepulturam eccleſiaſticam minime admittantur. Item inhibemus laicis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ in his ſcriptis, ne clericos cogant ſtare jure coram eis, vel arreſtent bona eorum, nec ſe de reconciliatione cimiteriorum, vel eccleſiarum aliquatenus intromittant. Item ne aliqui clerici vel laici eccleſias deſtructas per deluvium, vel per in-

cen-



ANNO CHRISTI 1294.

cendium, vel alias quocumque modo ad alia loca transferant, ſine noſtra licentia ſpeciali, penitus inhibemus. Et ſi quæ facta fuerint per tranſlationem, monemus ſub pœna excommunicationis ſententiæ latæ in his ſcriptis, ut infra menſem a tempore nobis ſatisfaciant de præmiſſis. Item præcipimus orationes fieri pro pace, & ſtatu eccleſiæ. Trajectenſis reformando, videlicet VII. pſ. VI. feriis per ſingulos. Item prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne aliqui excommunicatos ſepeliant, vel aliquos non excommunicatos in eccleſiis recipiant, & cimiteriis violatis, & interdictis. Item præcipimus, ut quilibet Curatus habeat verſus de caſibus Epiſcopalibus, de quibus ſoli ipſi & ſuperiores habent abſolvere, ſeu illi qui ab eiſdem habent poteſtatem, & primo caſus legantur in Latina, & poſtea lingua materna populo exponantur iſti verſus.

*Qui facit inceſtum, deflorans, aut homicida,*
*Sacrilegus, patrum percuſſor vel ſodomita,*
*Tranſgreſſor voti, perjurus, ſortilegusque,*
*Et mentita fides, faciens incendia, prolis*
*Oppreſſor, blaſphemus, hæreticus: omnis adulfus*
*Pontificem ſuper his ſemper devotus adibit.*

Item præcipimus, quod Curati habeant decretalem, qui eſt in *Rubrica* de ſententia excommunicationis, & eſt Domini Innocentii quarti, & legatur populo, & exponatur lingua materna, ut ſciat populus, quomodo vitari debeant excommunicati ab Epiſcopo. Item habeant decretalem de pœnis, quę incipit, *Licet qui loquitur de avaritia archidiaconi*, & illam ſimiliter exponant laicis lingua materna. Item præcipimus, ne aliquis de antiquo chriſmate baptizet, nec de aliquo quam de illo novo, quod de noſtra largitione, vel noſtra conceſſione acceperit baptizare, niſi præoccupante morte: & qui contrarium fecerint, noverint ſe damnationis ſententiam pertuliſſe manifeſtam.

Hæc ſtatuta præcipimus inviolabiliter obſervari, & in qualibet eccleſia parochiali per ſacerdotes quater in anno, diebus feriatis & feſtivis publicari, & exponi populo diligenter: videlicet in feſto Pentecoſtes, in feſto Michaelis, & in feſto Circumciſionis, & in Dominica poſt cineres, ſcilicet, *Invocavit me*. Actum & datum anno Domini MCCXC. tertio, proxima feria tertia poſt Tyburcii & ſociorum ejus.

*De captivatione vel interfectione*

## CLERICORUM.

Joannes Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Trajectenſis, dilectis nobis in Chriſto univerſis & ſingulis eccleſiarum Prælatis, Præpoſitis, Archidiaconis, Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, Prioriſſis, Proviſoribus & Decanis, Plebanis & Rectoribus, Cappellanis, Presbyteris, ac ceteris tam Clericis, quam laicis noſtræ civitatis & diœceſis, in verbo ſalutari ſalutem.

Cum ad honorem Dei, & Eccleſiæ Trajectenſis prædictæ ſtatum pacificum, ac ſubditorum noſtrorum ſalutem alias ſicut ſcitis, quædam ſtatuta promulgaverimus utilia & honeſta; Quia tamen ex illis quædam, videlicet de captivatione, & interfectione clericorum, ruptura litterarum eccleſiaſticarum, judicum & aliorum perturbatione, & impedimento multiplici eccleſiaſticæ juriſdictionis, licet æquitate ſuadente, propter delictorum immanitatem ſatis forent tolleranda, aliquibus nobilibus, & aliis juriſdictioni præeſſentibus dura nimium videbantur. Et ob hoc ea per nos mitigari, magna & frequenti inſtantia poſtularint, nos ut ipſi per ſe & ſuos juſtitiarios ad obviandum hujuſmodi delictis & injuriis, ne fiant, & perpetrata vel perpetratæ ſi fuerint, quod abſit, procurandum, quod ſceleris & debita emenda præſtetur, eo promptiores ſe exhibeant, quo nos proclivores in condeſcendendo eorum petitionibus inveniunt; prædicta ſtatuta, aliis in ſuo robore duratoris, in hunc modum, qui ſequitur, duximus mitiganda. In primis ſtatuentes, ſi presbyter vel clericus capiatur, parochia in qua captus fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Et ſi ex illa in aliam transferatur, illam ſimiliter interdicimus, quamdiu in illa detinebitur, una cum illa in qua captor morabitur. Si vero occidatur, quod abſit, ſimiliter parochia illa, in qua tantus exceſſus perpetratus extiterit, & etiam illa, ſeu illæ in qua, vel quibus dicti malefactores ſe receptaverint, eccleſiaſtico ſubjacent interdicto. Et nihilominus malefactor ſeu malefactores hujuſmodi cum complicibus, & receptatoribus eorundem, ac opem & operam ipſis præſtantibus, quos & in his ſcriptis excommunicamus, atque excommunicati tam auctoritate Canonis, quam noſtra tamdiu publice nuncientur, quouſque Deo, nobis, & eccleſiæ, ac paſſis injuriam, condigna præſtetur emenda; & nihilominus abſolutionis debitum beneficium meruerint obtinere. Statutum inſuper noſtrum, alias per nos factum, contra impedientes eccleſiaſticam juriſdictionem, ſeu perturbantes de cetero qualitercumque, ſive litteras rumpendo, ſive rapiendo, ſeu nuncios aut portitores eorum lædendo, capiendo, detinendo, ſeu damna, injurias & moleſtias inferendo, & prout in dicto ſtatuto plenius continentur, in hoc articulo mitigamus; videlicet quod parochia, in qua hujuſmodi violentia, injuria, ſeu perturbatio facta fuerit, vel ubi dictos malefactores morari contigerit, eccleſiaſtico non ſubjaceat interdicto.

Item cum eccleſiæ ſint tutela refugii, & in eis homines peccatorum veniam conſueverint & debeant poſtulare, præſenti decreto declaramus, eccleſias, & earum cimiteria gaudere immunitate, & ad eas confugientes ab illis violenter extrahi non debere; niſi in eccleſiis, ſeu cimeteriis prædictis, ſeu contra ea deliquerint. Quare tunc fruſtra legis auxilium invocarent, qui committerent contra eandem. Vel niſi publici latrones, vel nocturni populatores agrorum fuerint, qui in ſtratis publicis faciunt, comburunt, & deſtruunt agros eorum, qui eis non ſerviunt. Alias enim delinquentes, & ad eccleſias confugientes gaudere debent emunitate earundem; ſc. ſuper eo quod inique fecerint, ſc. circa mortem, & membrorum mutilationem; alias legitime puniendi. Item præcipimus ſub pœna excommunicationis clericis quibuſcumque noſtræ civitatis & diœceſis, ut tonſuram deferant clericalem, & veſtibus non virgulatis, parvis, ſed clericalibus utantur honeſtis, ac habitu & tonſura, ut a laicis poſſit diſtingui. Item inhibemus ſub pœna excommunicationis, quod nullus clericus noſtræ civitatis & diœceſis audeat arma portare prohibita. Item prohibemus ne aliqui nuptias celebrent temporibus prohibitis, videlicet a prima die adventus Domini, uſque ad octavam Epiphaniæ. Et a LXX. uſque ad octavam Paſchæ, & a dominica ante aſcenſionem Domini, uſque ad dominicam Trinitatis, in omnibus illis incluſive: nec clandeſtina matrimonia contrahant, ſub pœna excommunicationis, & ne aliquis interſit eiſdem, ſub pœna in jure expreſſa. Similiter prohibemus clandeſtina matrimonia; quæ appellamus, quæ ſine de-

nun-

Anno Christi 1287.

nunciatione ſeu bannis in parochiis contrahentium, per presbyteros eorum publice præmiſſis contrahunt. Item præcipimus & expreſſe inhibemus, quod nullus clericus aut presbyter copulet aliquos extraneos, nec nuptiis eorum interſit, niſi per literas patentes, aut per teſtes idoneos ſufficienter conſtiterit contrahere volentem, aut volentes, alicubi non contraxiſſe, vel aliud impedimentum legitimum non habere. Item inhibemus expreſſe, quod clerici peregrini & incogniti, tam noſtræ civitatis & diœceſis, quam alienæ ſe presbyteros aſſerentes, nullatenus in noſtra civitate & diœceſi admittantur ad celebrandum divina, niſi legitime oſtenderint ſe promotos. Item præcipimus diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ Rectoribus & Presbyteris univerſis & ſingulis, ut in eorum Parochiis, Pater noſter, & Credo, præter articulos fidei qualibet die dominica, nec non decem præcepta, & ſeptem Sacramenta Eccleſiæ ſemel in menſe, vel ſaltem ter, aut quater in anno populo, intelligibiliter & lingua materna exponant. Decem præcepta, prout in exodo continentur, ſunt iſta; *Non habebis Deos alienos. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. Memento ut diem ſabbati ſanctifices. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Non concupiſces domum proximi tui. Nec deſiderabis uxorem proximi tui, &c.* De Sacramentis vero eccleſiaſticis, quinque dicuntur neceſſaria, & duo voluntaria Sacramenta. Neceſſaria ſunt iſta, *Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Corpus Chriſti, & extrema unctio.* Sacramenta voluntaria ſunt, *Ordines, Matrimonium.* Sine Sacramentis autem neceſſariis homo ſalvari non poteſt, ſi ex contemptu obmittantur. Item publicationem illius Decretalis extr. de pœnis. Lic. quam alias fieri mandavimus, præſentibus revocamus. Item ſtatutum noſtrum alias publicatum, videlicet, quod nullus presbyter duas in die miſſas audeat celebrare, niſi neceſſitas in jure permiſſa permittat, &c. taliter intelligimus, videlicet, excepto die nativitatis Domini, & cum funus ſupervenerit, vel aliqua perſona potens advenerit, propter quod, & quam oportet celebrare. Hæc ſtatuta noſtra una cum antiquis a nobis alias promulgatis inviolabiliter obſervari, & in qualibet eccleſia parochiali haberi, & ſub pœna excommunicationis, per ſingulos Rectores ſeu Vicarios in eccleſiis reſidentes, quater in anno prout opportunum fuerit, publicari volumus, exponi populo diligenter. Datum Trajecto anno Domini M. CC. XCIV. feria quinta poſt feſtum beati Andreæ Apoſtoli.

# VITA ET EPISTOLÆ BONIFACII PAPÆ VII. VULGO VIII.

Bonifacius VIII. patria Anagninus, antea Benedictus Cajetanus vocatus, Neapoli ipſa vigilia Nativitatis, vir doctrina quidem inſignis, & rerum experientia laudabilis, verum ſupra modum ambitioſus & arrogans, in locum Cœleſtini ſeſe pontificatu abdicantis ſubrogatus eſt anno Chriſti 1294. tempore Adolphi & Alberti imperatorum. Nactus pontificatum, indulta & favores per prædeceſſores ſuos Celeſtinum (quem metu futuri ſchiſmatis, teſte Eberhardo, recludi mandavit) & Nicolaum conceſſa, abrogavit. Gibellinos perſecutus, contra Columnenſes implacabile odium concepit: ex quorum familia duo cardinales ſchiſmatici per ipſum denunciati ſunt, & omnibus theſauris ſpoliati. Præneſte obſidione cingit, ac diripit; idem quoque ad Zagalorum & Columna fecit. Sciarra Gibellinorum patronus, pontificis furorem declinans, in piratas incidit. Omnium apoſtolorum & evangeliſtarum, item quatuor doctorum eccleſiæ, feſta ſub duplici officio celebrari inſtituit. Sextum librum decretalium compilari juſſit. Eugubium, quæ Gibellinorum auſpiciis ab eccleſia defecerat, recuperavit. Alberto Auſtriæ duci imperii confirmationem bis terque petenti denegavit. Reate exiſtens, cum vehementi terræmotu multa ædificia ruinam paſſa fuiſſent, ipſe ſibi in medio prati domum ligneam conſtrui juſſit. Aliquot cardinales creavit. Anno 1300. menſe Decembri annum Jubilæum inſtituit, quem annum ſanctum vocant, ut centeſimo quoque anno celebraretur. Hæreſin Fraticellorum, ſacramenta & poteſtatem eccleſiaſticam contemnentium, promiſcuos concubitus exercentium, animarum purgatarum beatitudinem ad extremum judicii diem uſque differri docentium, condemnavit. Corpus cujuſdam Hermanni, qui, ut ſcribunt Platina & Sanderus, Fraticellorum dux erat, Ferrariæ exhumari & cremari juſſit, licet pro ſancto coleretur. Patrimonii S. Petri adminiſtrationem Carolo Valeſio comiti concredidit. Philippum IV. cognomine Pulcrum, Franciæ regem, ob violatum jus gentium juſte excommunicavit. Nam cum Apamenſem epiſcopum ſedis apoſtolicæ legatum ideo in carcerem conjeciſſet, quod eum ad expeditionem Hieroſolymitanam additis quibuſdam minis exhortatus fuiſſet, monituſque à Bonifacio, ut ſub pœna depoſitionis legatum dimitteret: rex, teſte Antonino, non modo non paruit, ſed etiam vias inter Franciam & pontificem interclusit. Convocatis prælatis & nobilibus Francorum rex cum abbate Ciſtercienſe a ſententia pontificis appellavit: ſed abbas interpoſitam appellationem non acceptavit. Conducit ergo, injuriam ſibi illatam ulturus, Sciarram Columnenſem e manibus piratarum a ſe redemptum, eumque cum Nogaretio Gallo equite Romam mittit: qui noctu Anagniam ingreſſus, pontificem nihil metuentem & pontificalibus indutum inveniens; Domino diſponente, ob dignitatem ſedis apoſtolicæ non eſt auſus mittere in eum manus, ſed prædę cum ſuis triduo vacans, papam cuſtodię commiſit. Liberatus autem poſt triduum à civibus, Romam rediit, ubi confectus tædio & mœrore trigeſimoquinto die poſt moritur, anno Domini 1303. v. Idus Octobris: cum ſediſſet annos 8. menſes 9. & dies 17. in S. Petro ſepultus eſt, in ſacello quod ipſe extruxerat. Pulpitum ipſe quoque erigi in Laterano pro-

*Errat Bo-sius. [illegible] Philippum ipſe [illegible] anno 1301.*



procurarat, ex quo excommunicationes die Jovis ſancto publicabantur: ubi etiam Philippus & Columnenſes anathemate notati fuerant. Et, ut ait Panuinus, decretum Gregorii X. de creatione pontificis approbavit: id quod etiam Cæleſtinus fecerat.

## I. AD ROBERTUM ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM,

Ut præſentet regi litteras quas ſibi mittit pro Scotis.

*Bonifacius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri archiepiſcopo Cantuarienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Frequens & inculcata fide dignorum aſſertio, ac famæ divulgantis eloquium, noſtro patefecerunt auditui exceſſus, moleſtias, turbationem, damna, injurias & jacturas, per cariſſimum in Chriſto filio Eadwardum regem Angliæ illuſtrem, & officiales, ac gentes ipſius, contra regnum Scotiæ ac prælatos, & clericos, & perſonas eccleſiaſticas, religioſas & ſæculares, nec non eccleſias, monaſteria, & alia religioſa loca, & habitatores & incolas dicti regni, & bona eorum etiam, attentata. Noſque nolentes, ſicut nec debemus, talia ſub diſſimulatione tranſire, regem ipſum per litteras noſtras, quas tibi mittimus per te præſentandas eidem, ſerioſas, hortamur, ut epiſcopos, clericos, & perſonas eccleſiaſticas dicti regni, quos adhuc tenere dicitur captivatos, reſtitui faciat priſtinæ libertati, & officiales revocet, quos in eodem regno aſſeritur poſuiſſe, atque ad præſentiam noſtram ſuos mittat procuratores & nuncios, cum omnibus juribus & munimentis ſuis, ſi crediderit in præfato regno, vel aliqua ejus parte, jus aliquod ſe habere. Nihilo minus lites, quæſtiones, & controverſias quaſlibet, inter ipſum regem & prælibatum regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos, & perſonas ſæculares ejuſdem regni ſubortas, & quæ poſſunt in poſterum ex quibuſcumque cauſis præteritis exoriri, totumque negotium ad deciſionem & determinationem ſedis apoſtolicæ, per dictas noſtras reducimus litteras, & etiam reſervamus: ac decernimus irritum & inane, ſi ſecus ſcienter vel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attentari. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus præfatas litteras noſtras eidem regi, ſublato dilationis obſtaculo, repræſentes: ac ipſum ad ea quæ ſibi ſcribimus, ut in exhortationibus acquieſcat, efficaciter animes & inducas. Diem quoque, quo ſibi prædictas præſentaveris litteras, & quidquid feceris, quidve ipſe reſponderit & fecerit in hac parte, nobis per tuas litteras patentes, harum ſeriem continentes, fideliter & ſerioſius intimare procures.

Datum Anagniæ quarto Kalendas Julii, pontificatus noſtri anno quinto.

## II. AD EADVVARDUM I. ANGLIÆ REGEM.

Quod regnum Scotiæ pertineat ad eccleſiam Romanam.

*Bonifacius epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Eadvvardo regi Angliæ illuſtri, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Scimus, fili, & longo jam temporis ſpatio magiſtra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam matrem eccleſiam, quæ te gerit in viſceribus caritatis, regiæ devotionis affectus exuberat, reverentiæ zelus viget, quodque promptus ſedis ejus verbis obtemperas, & beneplacitis acquieſcis. Quamobrem firmam ſpem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quod regalis ſublimitas verba noſtra benigne recipiat, diligenter intelligat, efficaciter proſequatur. Sane ad celſitudinem regiam potuit perveniſſe, & in tuo libro memorię nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus regnum Scotiæ pleno jure pertinuit & adhuc pertinere dignoſcitur ad eccleſiam ſupradictam: quodque illud, ſicut accepimus, progenitoribus tuis regni Angliæ regibus, ſive tibi, feudale non extitit, nec exiſtit. Qualiter etiam claræ memoriæ Henricus rex Anglię, pater tuus, tempore diſcordię ſive belli inter ipſum & quemdam Simonem de Monteforti ſuoſque fautores & complices ſuſcitatę, a recolendę memorię Alexandro ejuſdem Scotię rege, ac ipſius Henrici genero, auxilium ſibi petiit exhiberi. Et ne hujuſmodi auxilium jure cujuſlibet ſubjectionis aut debiti petitum ſeu pręſtitum notaretur: pręfatus Henricus eidem regi Scotię ſuas patentes duxit litteras concedendas, per eos firmiter recognoſcens pręedictum auxilium recepiſſe, vel ſe recepturum, dumtaxat de gratia ſpeciali. Pręterea cum ſucceſſu temporis, pręfati regis Scotię, tui ſororii, tunc viventis, in tuę coronationis ſolenniis habere pręſentiam affectares: ſibi per tuas patentes tenere litteras curaſti, quod in ipſis ſolenniis ejus habere præſentiam non ex debito, ſed tantum de gratia intendebas. Et cum etiam rex ipſe pro Tindalię ac de Poynerre terris, in regno Anglię politis, ſe ad tuam pręſentiam perſonaliter contuliſſet, tibi fidelitatem ſolitam impenſurus: idem in pręſtatione fidelitatis hujuſmodi, multis tunc pręſentibus, vivę vocis oraculo publice declaravit, quod pro terris eiſdem, ſitis tantum in Anglia, non ut rex Scotię, neque pro Scotię regno, fidelitatem exhibebat eamdem; quinimmo palam extitit proteſtatus, quod pro regno ipſo tibi fidelitatem pręſtare ſeu facere aliquatenus non debebat, utpote tibi penitus non ſubjecto. Tuque ſic oblatam fidelitatem hujuſmodi admiſiſti. Et tua quoque non creditur excidiſſe memoria, qualiter eodem rege Scotiæ de medio quondam ſublato, Margareta puella, nepte tua, tunc minoris ætatis, hærede ſibi relicta, non ad te velut ad dominum pervenit cuſtodia regni memorati: ſed certi ejuſdem regni proceres ad ejus cuſtodiam extiterunt electi. Quodque poſtmodum diſpenſatione ab apoſtolica ſede obtenta, ſuper matrimonio contrahendo inter dilectum filium nobilem virum Eadwardum natum tuum, & Margaretam prædictam, dum viveret, ſi ad id procerum dicti regni accederet vel haberetur aſſenſus: tu eiſdem proceribus per tua ſcripta caviſſe dignoſceris, priuſquam vellent hujuſmodi matrimonio conſentire, quod regnum ipſum penitus liberum, nullique ſubjectum, ſeu quovis modo ſubmiſſum, in perpetuum remaneret, quodq; in priſtinum ſeu talem ipſius ſtatum reſtitueretur omnino, ſi ex hujuſmodi matrimonio contrahendo liberos non extare contingeret, ac nomen & honorem ut prius pariter retineret, tam in ſuis ſibi ſervandis legibus, & præficiendis officialibus dicti regni, quam parlamentis tenendis, tractandis cauſis in ipſo, & nullis ejus incolis extra illud ad judicium evocandis. Et quod in tuis patentibus litteris inde confectis hæc plenius & ſerioſius contineri noſcuntur. Præfata inſuper Margareta de præſenti luce ſubtracta, & tandē ſuper ſucceſſione dicti regni Scotiæ ſuborta diſſenſionis materia inter partes, ipſius regni proce-

res, metuentes ſibi dictoque regno poſſe occaſione hujuſmodi præjudicium generari, non aliter ad tuam præſentiam extra ipſius accedere limites voluerunt, niſi per te patenti ſcripto caveretur eiſdem, quod id non fiebat ex debito, ſed ex gratia ſpeciali: quodque nullum exinde ipſius regni libertatibus poſſet diſpendium imminere. Et licet (ut dicitur) ſuper ſtatu ejuſdem regni Scotiæ, ac ejus prius habita libertate, regno ipſo tunc carente præſidio defenſoris, per ipſius regni proceres, tunc velut acephalos, & duos vel aurigæ ſuffragium non habentes, ſive per illum, cui præfati regni regimen, licet indebite, diceris commiſiſſe, contra morem ſolitum aliqua fuerint hactenus innovata: ea tamen, utpote per vim & metum quæ cadere poterant in conſtantem elicita, nequaquam debent de jure ſubſiſtere, aut in ejuſdem regni præjudicium redundare. Ceterum nobis nullatenus venit in dubium, quin potius certi ſumus, quod cum apoſtolicæ ſedis præcellens authoritas per ſuas litteras in Angliæ & Scotiæ regnis ſimul alicui legationis committit officium exequendum, vel pro quavis cauſa, quam rationabilem reputat, decimæ ſolutionem indicit, hujuſmodi apoſtolicæ litteræ ad præfatum Scotiæ regnum ſe aliquatenus non extendunt, ſpeciali prædictæ ſedis privilegio Scotis indulto penitus obſiſtente, prout tempore felicis recordationis Hadriani papæ prædeceſſoris noſtri, tunc S. Hadriani diaconi cardinalis, & per ipſius ſedis litteras ſimul in regnis ipſis legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter. Nam legatus ipſe ad præfatum regnum Scotiæ aliquatenus admiſſus non extitit, donec per litteras ſpeciales apoſtolicas ſibi legationis fuit commiſſum officium in eodem. Præterea noſcere poteſt regia celſitudo, qualiter regnum ipſum per beati Andreæ apoſtoli venerandas reliquias, non ſine ſuperni numinis grandi dono, acquiſitum & converſum extitit ad fidei catholicæ unitatem: qualiter etiam antiquis temporibus Eboracenſis archiepiſcopus, qui tunc erat, mota per eum ſuper jure metropolitico adverſus prælatos Scotiæ quæſtione, in qua dictum antiquitus fuiſſe commemorat, Memento quod ſumus tui, ut cetera quæ inde ſequuntur ſilentio relinquamus, pro ſe ſententiam obtinere nequivit: quamvis alia plura & varia, quæ in hac parte rationabiliter proponenda ſe offerunt, ex quibus ad hæc tibi ſcribenda movemur, prætereat calamus, ne inde forſitan ſenſibus regiis tædium generetur. Hæc profecto, fili cariſſime, infra clauſtra pectoris ſolicite conſiderare te convenit, & attendere diligenter, ex quibus nulli in dubium veniat, regnum Scotiæ prælibatum ad præfatam Romanam eccleſiam pertinere, quod tibi nec licet, nec licuit, in ipſius eccleſiæ ac multorum præjudicium, per violentiam ſubjugare, tuæque ſubjicere ditioni. Cum autem, ſicut habet fide digna & noſtris jam pluries auribus inculcata relatio, famæque præcurrentis afflatibus divulgatur, tu præmiſſa, ut debueras, non attendens, neque debita conſideratione diſcutiens, & ad occupandum, & ſubjugandum ditioni regiæ regnum ipſum, tunc regis auxilio deſtitutum, vehementer aſpirans, & tandem ad id exercens potentiæ tuæ vires, venerabilibus fratribus noſtris Roberto Glaſcuenſi, & Marco Sodorenſi epiſcopis, & nonnullis clericis, & aliis perſonis eccleſiaſticis dicti regni, ut dicitur, captis, & carceralibus vinculis traditis, quorum aliquos, ſicut aſſeritur, ſqualor carceris violentus extinxit: ac etiam occupatis caſtris, & (prout fertur) monaſteriis, aliiſque religioſis locis quamplurimis dirutis, ſeu deſtructis, ac damnis gravibus ejuſdem regni habitatoribus irrogatis, in ejuſdem regni partibus officiales regios poſuiſti, qui prælatos, ceteros clericos, & eccleſiaſticas ac etiam ſæculares dicti regni perſonas, multimodis perturbare moleſtiis & afflictionibus variis, & diverſis impetere non verentur, in Divinæ majeſtatis offenſam, ſedis memoratæ contemptum, regiæ ſalutis & famæ diſpendium, juris injuriam, & grave ſcandalum fidelium plurimorum. Regalem itaque magnificentiam rogamus & hortamur attente, ac obſecramus in eo qui eſt omnium vera ſalus, quatenus ſolerter attendens, quod ex debito paſtoralis officii noſtris humeris incumbentis, ad conſervanda & gubernanda ſolicite bona juraque omnia eccleſiæ ſupra dictæ tenemur, quodque homini pluſquam Deo deferre non poſſumus nec debemus, prædictos epiſcopos, clericos, & perſonas eccleſiaſticas, quos adhuc carcer regius tenet incluſos, pro Divinæ & apoſtolicæ ſedis ac noſtra reverentia (ſublato difficultatis & dilationis objectu) benigne reſtitui facias priſtinæ libertati, dictoſque officiales de regno Scotiæ revoces memorato. Sic te in his prout ſperamus & cupimus, promptis & efficacibus ſtudiis habiturum ut apud celeſtem regem, pro minimis grandia rependentem, non immerito reddaris acceptior, gratior habearis, & præter laudis humanæ præconium tibi proinde proventurum, apoſtolicæ ſedis favorem & gratiam poſſis uberius promereri. Si vero in eodem regno Scotiæ, vel aliqua ejus parte, jus aliquod habere te aſſeris: volumus quod tuos procuratores & nuncios ad hoc ſpecialiter conſtitutos, cum omnibus juribus & munimentis tuis, hujuſmodi negotium contingentibus, infra ſex menſes a receptione præſentium numerandos, ad noſtram præſentiam mittere non omittas: cum parati ſimus tibi tanquam dilecto filio plene ſuper præmiſſis exhibere juſtitiæ complementum, & jura (ſi qua habes) inviolabiliter obſervare. Nos enim nihilo minus ex tunc lites, quæſtiones, & controverſias quaſlibet, inter te denique & regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos & perſonas ſæculares ejuſdem, ſubortas, & quæ poſſunt in poſterum ex quibuſdam cauſis prædictis exoriri, totumque negotium prædicta contingens, aut aliquid eorumdem, ad cognitionem & determinationem ſedis ejuſdem, præſentium tenore reducimus, & etiam reſervamus: decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſcienter vel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attentari. Datum Anagniæ v. Kalendas Julii, pontificatus noſtri anno quinto.

EPISTOLA
ROBERTI ARCHIEPISCOPI
CANTUARIENSIS
AD BONIFACIUM PAPAM VIII.

Certificatio archiepiſcopi domino papæ miſſa ſuper negotiis Scotiæ.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri, & domino ſuo reverendo, ſi placet, domino Bonifacio Divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, ſuus filius devotus Robertus, permiſſione Divina Cantuarienſis eccleſiæ miniſter humilis, pedum oſcula beatorum, cum promptitudine juxta poſſe parendi mandatis papalibus ac præceptis.*

MAndatum ſanctæ & reverendæ paternitatis veſtræ ſub bulla plumbea nuper recepi, tenorem continens infra ſcriptum: Bonifacius epiſcopus, *&c.* Frequens & inculcata fide dignorum, *&c. De verbo ad verbum recitando totam bullam proxime præcedentem.* Cujus delator quaſdam alias litteras apoſtolicas nobili principi domino Eadwardo Dei gratia regi Angliæ illuſtri directas, & per me ex injuncto paternitatis veſtræ præſentandas, incontinenti exhibuit, quaſi ſub eodem contextu. Quo quidem mandato veſtro una cum litteris ſupra ſcriptis reverenter admiſſo, ac ſtatim coram me recitato, præparavi ſarcinunculas, vecturas, & ſumptus, ex tunc de die in diem, & familiam ordinavi ad veniendum pro expoſitione & expeditione eorum quæ mihi per vos mandabantur ad ipſum dominum regem, qui tunc agebat in remotioribus partibus regni ſui, verſus Scotiam, diſtantibus a loco ubi mandatum veſtrum receperam per viginti vel circiter moderatas dietas. Et antequam venirem continuatis dietis cum omni feſtinatione ad civitatem Carleolum, quæ eſt in marchia Scotiæ, ingreſſus fuit idem rex cum exercitu ſuo patrem regni Scotiæ, quæ vocatur Galvedia. Cumque diligenter explorando recepiſſem a viris fide dignis ſæcularibus & religioſis, ipſius patriæ notitiam habentibus, quod ad regem, uſque ad Kriandbright in arctiſſimis locis Galvediæ progreſſum, mihi tutus non patebat acceſſus, tamen propter Scotos ſine capitis regimine exiſtentes, & alios latrunculos prædas & ſanguinem Anglorum ſitientes, qui cum duce exercitus eorumdem occupaverant media loca inter Carleolum & ipſum dominum regem, diſtantem ab eadem civitate fere per quadraginta milliaria, cum propter victus & hoſpitii defectum, qui in itinere medio, vaſtata tota patria, reperiri, vel per eam aſportari nequibant: ego per obedientiæ neceſſitatem ex parte una, & per tanta pericula in tam longinquis partibus de mea diœceſi & provincia, quæ ex altera nimium nos urgebant, arctatus, maxime non invento inter ſæculares vel religioſos quoquam qui adventus mei cauſam ipſis Scotis verbo tenus, vel per litteras meas, propter mortis periculum, auderet deferre, & mihi ſecurum conductum petere ab eiſdem: aliud remedium, prout potui, exquirens; direxi duos ex familiaribus meis ad dominum regem prædictum, cum litteris meis, navigio per quoſdam periculoſos tranſitus maris; ſignificans ſibi per eaſdem adventum meum & ejus cauſam, & petens quod propter reverentiam ſedis apoſtolicæ, cujus eram nuncius, ſibi ſignificaret; ubi, qualiter, & quando, ad eum tute accedere poſſam propter viarum diſcrimina, quæ ſibi per eaſdem meas litteras nunciavi. Cujus reſponſio ab eiſdem nunciis, non minima pericula in mari & itinere eundo & redeundo evaſis, per litteras regias mihi delato, quibus continebatur, quod ipſe dominus rex nihil ſecuri pro me ſcivit ad vitanda dicta pericula, quam quod cum domina regina uxore ſua, pro qua miſerat, venirem ad partes Gerewikes, ad locum ubi diſpoſuit eidem domine obviare, deficiente navigio, quo una cum equis & familiaribus meis neceſſariis vehi poſſem per mare. Quod dum nuncii mei tranſierunt tam periculoſe verſus regem, ventis etiam quaſi continue validis & contrariis exiſtentibus, morabar in confiniis Scotiæ, quærendo de loco in locum victus ſufficientiam potius quam abundantiam, circa ſex ſeptimanas ſecurioris progreſſus ad regem opportunitatem non tam diſpendioſe quam anxie expectando. Denique cum audirem diligentius explorando, quod idem dominus rex cum exercitu ſuo in redeundo verſus caſtrum de Caerlandrok, quod prius ceperat, in Scotia fixiſſet tentoria, juxta novam abbatiam Duzquer in Galvedia, malens periculo me meos ac mea exponere, quam in tam longinquis partibus, quodammodo vacuis, extra meam diœceſim & provinciam diutius ſic languere: latitans in quibuſdam locis ſecretis juxta mare, quod dividit Angliam & Galvediam, captata temporis opportunitate, in refluxu maris, ductus ab his quos non oportebat viæ tranſitus ignoraſſe, tranſivi per quatuor meatus aquarum maritimos cum equis & phaleris, nomine magis (ratione profunditatis aquarum) quam litoris & vivorum ſabulorum introitu & exitu periculoſos, & quaſi inopinate veni die Veneris proximo poſt feſtum ſancti Bartholomæi apoſtoli ultimo jam tranſacto ad dictum dominum regem, in medio exercitu ſuo, tunc in prandio exiſtentem: & quia non potuit, ut dicebat, eo die vacare, mandavit mihi illo die in ſero per duos de majoribus comitibus, qui tunc aſſiſtebant ei, quod in craſtino, videlicet ſabbato ſequente, audiret me benigne. Adveniente igitur ipſo die ſabbati, coram devotiſſimo juvene domino Eadwardo filio dicti regis, comitibus, baronibus & aliis militibus ſui exercitus, in magna multitudine confluentibus, ac dicto domino regi aſſiſtentibus, recitato mandato veſtro prædicto mihi tranſmiſſo, litteras ſanctæ paternitatis veſtræ præfato domino regi directas, auctoritate ejuſdem mandati præſentavi eidem: quas ipſe dominus rex reverenter recipiens, eas publice legi coram omnibus, & in Gallica lingua fecerat patenter exponi. Quibus auditis patienter a ſingulis, animavi ipſum, & induxi modis quibus potui & ſcivi, quod veſtris exhortationibus, quoad ea quæ in dictis litteris exponebantur, pareret in omnibus reverenter. Poſtmodum me ſecedente ab eo cum clericis meis ad mandatum ſuum, dum deliberaret ſuper his cum dictis proceribus ſuis, ac demum revocato reſpondit mihi coram eiſdem per interpoſitam perſonam ſub hac forma:

*Reſponſio archiepiſcopo Cantuarienſi ad litteras apoſtolicas.*

Domine archiepiſcope, feciſtis ex parte ſuperioris Reverendi patris domini papæ quamdam monitionem, contingentem ſtatum & jus regni Scotiæ. Verum quia conſuetudo eſt regni Angliæ quod in negotiis contingentibus ſtatum ejuſdem regni requiratur conſilium omnium quos res tangit, ac inſtans negotium regni Scotiæ tangit ſtatum & jus regni Angliæ, plureſque ſunt prælati, comites, barones, & alii regni Angliæ proceres abſentes, qui non ſunt nec fuerunt in iſto exercitu, quos dictum contingit negotium, quibus etiam inconſultis reſpondere non poterit dicto ſummo patri noſtro, aut vobis finaliter: in hac parte intendit dominus noſter rex ſuper contentis in litteris dicti patris, quam citius poterit commode, eoſdem abſentes, & nunc præſentes, ſimul conſulere, & cum eiſdem deliberatius tractare, ac per nuncios proprios eidem ſummo pontifici ſuper his de communi eorum conſilio reſpondere.

Quod quidem reſponſum idem dominus rex ſic in ſua præſentia nomine ſuo factum ratificavit, ac etiam expreſſe approbavit. Dum igitur cum tali reſponſo, coram tanta multitudine magnatum & aliorum fide dignorum mihi facto, licentiatus divertiſſem ab eo, & verſus propria revertiſſem, audivi quod idem dominus rex, ſtatim infra quatriduum poſt receſſum meum, rediit cum exercitu ſuo ad partes Angliæ: & ſingulis quaſi de exercitu ſuo ad propria cum equis & armis remeantibus, idem dominus rex exercitu ſic diſperſo, paucis cum comitantibus, & ſecum retentis, perendinare diſpoſuit, ut dicebatur communiter, apud quam-

dam abbatiam, quæ vocatur Holmcoltran, in confiniis Scotiæ ſuper mare. Et ſic mandatum veſtrum cum omni qua potui diligentia ſum reverenter in omnibus executus. Valeat ſemper & creſcat in Domino ad ſuæ eccleſiæ regimen apoſtolica celſitudo veſtra.

Datum apud Ottefort, octavo Idus Octobris, anno Domini milleſimo trecenteſimo.

## EPISTOLA
## EADUUARDI REGIS ANGLIÆ
### AD BONIFACIUM PAPAM VIII.

Reſpondet Bonifacio ſuper Scotiæ negotiis.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri domino Bonifacio, Divina, &c. Eaduuardus, &c. infra ſcripta, non in forma nec in figura judicii, ſed omnia extra judicium, pro ſervanda ſanctæ paternitatis veſtræ conſtantia, vobis tranſmittimus exhibenda.*

ALtiſſimus inſpector cordium veſtræ ſcrinio memoriæ indelebili ſtylo novit inſcribi, quod anteceſſores & progenitores noſtri reges Angliæ, jure ſuperioris & directi dominii, ab antiquiſſimis retro temporibus, regno Scotiæ, & omnibus ipſius regibus & temporibus annexis, præfuerunt, & ab eiſdem pro regno Scotiæ, & ejuſdem proceribus, a quibus habere volebant, legalia homagia receperunt, & fidelitatis debita juramenta receperunt. Nos juris & dominii poſſeſſionem continuantes hujuſmodi, pro tempore noſtro, eadem juramenta recepimus tam a rege Scotiæ, quam ipſius regni proceribus. Quinimmo tanti juris & dominii prærogativa ſuper regnum Scotiæ & ejuſdem reges gaudebant, quod regnum ipſum fidelibus ſuis conferebant. Reges etiam ex juſtis cauſis amovebant, & conſtituerunt ſub ſe loco ipſorum alios regnaturos. Quæ proculdubio ab antiquo notoria fuiſſe & eſſe creduntur apud omnes, licet aliud forſan paternis veſtris auribus per pacis æmulos, & rebellionis filios, falſa inſinuatione ſuggeſtum fuerit: a quorum machinoſis & imaginatiis figmentis, ut veſtræ ſanctitatis oculus avertatur, ſuppliciter quæſumus, & paternam clementiam & excellentiam devotis affectibus exoramus. Ut brevitatis cauſa, geſtis antiquorum temporum ſalvis, quiddam exempli cauſa tangamus: ſub temporibus itaque Heli & Samuelis prophetarum vir quidam ſtrenuus & inſignis, Brutus nomine, de genere Trojanorum, poſt excidium urbis Trojanæ cum multis nobilibus Trojanorum applicuit in quamdam inſulam tunc Albion vocatam, a gigantibus inhabitatam, quibus ſua & ſuorum seductis potentia, & occiſis, eam nomine ſuo Britanniam, ſocioſque ſuos Britannos appellavit, & ædificavit civitatem, quam Trinovantum nuncupavit, quæ modo Londinum nuncupatur. Et poſtea regnum ſuum tribus filiis ſuis dimiſit, ſcilicet Locrino primogenito illam Britanniæ partem, quæ nunc Anglia dicitur; & Albanacto filio ſecundo nato illam partem, quæ tunc Albanea a nomine Albanacti, nunc vero Scotia nuncupatur; & Cambro filio juniori partem illam nomine ſuo tunc Cambriam vocatam, quæ nunc Wallia vocitatur, reſervata Locrino regia dignitate. Itaque biennio poſt mortem Bruti applicuit in Albania quidam rex Hunorum, nomine Humber, & Albanactum fratrem Locrini occidit. Quo audito Locrinus rex Britonum perſecutus eſt eum. Qui fugiens ſubmerſus eſt in flumine, quod de nomine ſuo Humbrus vocatur: & ſic Albania revertitur ad illum Locrinum. Item Dunwallio rex Britonum, Scatarum regem Scotiæ ſibi rebellem occidit, & terram ejus in deditionem recepit. Item duo filii Dunwallionis, ſcilicet Belinus & Brennius, inter ſe regnum patris ſui diviſerunt: ita quod Belinus ſenior diadema inſulæ cum Britannia, Wallia, & Cornubia, poſſederit; Brennius vero ſub eo regnaturus, Scotiam acciperet. Petebat enim Trojana conſuetudo, quod dignitas hæreditatis primogenito perveniret. Item Arthurus rex Britonum famoſiſſimus Scotiam ſibi rebellem ſubjecit, & pene totam gentem delevit. Et poſtea quemdam nomine Anſelmum regem Scotiæ præfecit. Et cum poſtea idem rex Arthurus apud civitatem Legionum feſtum faceret celeberrimum, interfuerunt ibi omnes reges ſibi ſubjecti: inter quos Anſelmus rex Scotiæ, ſervitium pro regno Scotiæ exhibens debitum, gladium regis Arthuri detulit ante ipſum. Et ſucceſſive omnes reges Scotiæ omnibus regibus Britonum fuerunt ſubjecti; ſuccedentibus autem regibus Angliæ in prædicta inſula, & ipſius monarchiam & dominium obtinentibus ſubſequenter.

ANNO CHRISTI 1295.

## *** STATUTA ET ORDINATIONES
### ROBERTI DE UUINCHELSE CANTUAR. ARCHIEPISCOPI,

Pro meliori curæ ſuæ Cantuarienſis regimine.

Edidit collector Anglicanus Tomo II. ex MS. Bibliothecæ Cotton.

TITULI CAPITULORUM.


1. *Forma juramenti judicum.*
2. *Forma juramenti examinatorum & clericorum.*
3. *Forma juramenti advocatorum & procuratorum.*
4. *De præſentia officialis, & quod ſe diutius non abſentet.*
5. *De præſentia officialis in conſiſtorio.*
6. *Quantum debet recipi pro ſigillo, & a clericis pro ſcriptura.*
7. *De ſalario examinatoris.*
8. *De numero advocatorum & procuratorum, ac etiam de ſtatu & conditionibus eorundem.*
9. *De locis & ſedibus.*
10. *De pœna eorum qui falſum committunt, vel teſtes aut inſtrumenta ſubtrahunt, aut corrumpunt vel occultant, ſeu procuratoria revocari procurant.*
11. *Ne quis alium in officio ſuo ſupplantet.*
12. *De puniendo advocatos & procuratores garrulos.*
13. *Quod advocati aut procuratores ſe a conſiſtorio non abſentent. Et quod regiſtrum ſuo ordine primitus expediatur.*
14. *Quod procuratores ſine advocatis cauſas non aſſumant: & quod tam advocati, quam procuratores, & ceteri miniſtri, in cauſis pauperum, officium ſuum gratis impendant.*
15. *De pœna advocatorum & procuratorum, procurantium dilationes frivolas.*




ANNO CHRISTI 1295.


16. *Ne miniſtri conſiſtorii tabernas exerceant.*
17. *De ſuſpectis aſſeſſoribus, & advocatis clandeſtine procuratis.*
18. *Quot advocatos aut procuratores una pars habere valeat, & de dando advocatum aut procuratorem parti non habenti, & præcipue in cauſis tangentibus miniſtros curiæ.*
19. *Ut originalia inſtrumenta partibus retradantur.*
20. *Quod non reſcribatur in correctionibus a denegatione articuli vel libelli.*
21. *Quando & qualiter debeat, vel quando non debeat de ſubditorum negligentia ad querelas reſcribi.*
22. *Ut in correctionibus non appelletur regulariter ad tuitionem, niſi a diffinitiva.*
23. *De impetrantibus bis tuitorie vel directe ſuper eodem gravamine.*
24. *Ut ſuggerens contra partem, eam citari procuret.*
25. *Ne ad gravamina generalia tuitorie de facili reſcribatur.*
26. *Qualiter examinatores ſe habere debeant in poſitionibus audiendis, & teſtibus examinandis.*
27. *De protocollo a clerico regiſtri primitus faciendo.*
28. *De modo procedendi in contemptibus tam contra ſuffraganeos quam ceteros.*
29. *De mittendo ad perſonas egregias vel alias, & de tempore hoc petendi.*
30. *De tempore proponendi juſtificationes, & modo probandi eaſdem.*
31. *Ne advocatus vel procurator in cauſis, teſtificet in eiſdem.*
32. *De tempore conteſtandi, & juſtificandi conteſtationem.*
33. *De querelis ſuper excommunicatione injuſta.*
34. *De appellationibus tuitoriis, a gravamine partis, & modo probandi eaſdem.*
35. *De tuitoriis contra epiſcopos, & eorum officiales ſuggeſtis, & juſtificationibus ſuper eis proponendis, & modo probandi eaſdem.*
36. *De abſolutione ad cautelam.*
37. *Quando ſit pro proceſſu mittendum, & quando non.*
38. *De continuando proceſſum proceſſui, vel noviter inchoando.*
39. *Si pars utraque ab eodem appellet, qua pars alteri præferatur.*
40. *Ut dimiſſus, iterato ſuper eodem vel alio gravamine prius illato ſuggerens, repellatur.*
41. *De eo qui appellationem directam in qua ſibi datur tuitio, non proſequitur infra tempus.*
42. *De eodem.*
43. *Qualiter ſit in appellationibus a decano vel alio commiſſario ad officialem interpoſitis procedendum.*
44. *De Miſſis in eccleſia de Arcubus in principio & in fine terminorum in miniſtrorum curiæ ſupradictæ præſentia ſolemniter celebrandis. Et ut iidem miniſtri interſint exequiis, & Miſſæ pro defunctis ipſius curiæ miniſtris tempore ſepulturæ.*
45. *Ne judices aut ceteri curiæ ſupradicti miniſtri, dona vel xenia contra juris prohibitionem recipiant, aut quæ ſcandalum generent quoquo modo.*
46. *De conſuetudinibus obſervandis una cum ſtatutis prædictis, & de pœna non obſervantium iſta ſtatuta.*
47. *Terminatio & finalis concluſio ſtatutorum.*


## PRÆFATIO.

*Robertus permiſſione Divina Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Angliæ primas, ad æternam rei memoriam.*

AD viam noſtri regiminis planius ordinandam, opportunum eſſe conſpicimus, ab his quæ nobis incumbunt primitus inchoare: ut trabe deſidiæ vel torporis ab oculis noſtris ejecta, exceſſuum & negligentiarum feſtucas ejiciamus uberius ab oculis ſubditorum, & delictorum materia, quam a ceteris conamur excutere, a miniſterialibus & locis noſtræ ſolitudinis primitus evellatur. In cujus viæ excogitato progreſſu, curiæ noſtræ Cantuarienſi, ad quam pro habenda juſtitia ſpecie [a] fiduciali recurritur, maculas & defectus, tam in perſonis, quam in rebus, cauſarum ſeu negotiorum proceſſibus, & corruptelis habitis circa ea, extirpare proponimus: ut pura & incontaminata juſtitia, ac æquitatis congrua manſuetudo, exinde ſcaturiens per cetera loca provinciæ, abundantibus rivulis diffundatur. Cum igitur ipſius curiæ fama celebris, infamiæ nota reſpergi poterit, & fulgor ejus irradians obfuſcari, niſi debitus rigor juſtitiæ inibi conſervetur: ſumptuoſa cupiditas, & in adeundo gravida difficultas, ac etiam dilationes ſuperfluæ congruis mediis amputentur, quæ mercalem reddunt juſtitiam, & lites faciunt immortales. Nos ad ea cautius experienda, quæ continentur inferius deliberato conſilio duximus ſtatuenda: quibus etiam univerſa ſerioſius enucleata perſtringimus, quæ prædeceſſores noſtri [a] tam celebris curiæ, pro reformatione temporum labentium curriculis ſucceſſivis, frequentibus ſtudiis, variiſque laboribus ſalubriter ordinarunt: ut ad ipſam curiam in ſuis neceſſitatibus confluentes, exploſis ac ſemotis ambagibus & obſtaculis prælibatis, juxta naturam & qualitatem negotiorum & cauſarum, celerem juſtitiam cum fiducia valeant reportare.

[a] ſpeciali fiducia

[a] Forte, pro reformatione [illegible] celebris curiæ, tempori[illegible] &c. H.



## CAPITULA.

### I. *Forma juramenti judicum.*

A Perſonis itaque primitus inchoantes, ſtatuimus, ut tam officialis dictæ curiæ, quam decanus de Arcubus, ſuus commiſſarius generalis, in initio adminiſtrationis ſuſceptæ, corporalo præſtent ad ſancta evangelia juramentum, quod in officiis ipſis, pro ſuis vicibus, diligenter & fideliter ſe habebunt, ac favoris, odii, & cupidinis cujuſcumque tramitibus, depulſis penitus & omiſſis, juſtitiam facient plenam & puram in ſingulis, quatenus humana fragilitas patitur, juxta poſſe. Jura vero & laudabiles conſuetudines & ordinationes ſcriptas, una cum ſtatutis ejuſdem curiæ novis & antiquis, quatenus antiqua novis non obviant, quatenus ad eos pertinent, obſervabunt, & ab aliis miniſtris ejuſdem curiæ quibuſcumque diligenter & fideliter facient obſervari. Simile quoque juramentum commiſſariis ipſius officialis, in ſui & dicti decani abſentia conſtitutis, ſimiliter ſubeatur.

### II. *Forma juramenti examinatorum & clericorum.*

Examinatores quoque ipſius conſiſtorii de Arcubus, quos duos dumtaxat, ut conſuetum eſt, fore cenſemus, & clerici ad regiſtrum & faciendas copias, ac etiam ad ſcribendum reſponſiones partium & dicta teſtium, deputati, juramento ſimili, quatenus ad eos pertinet, ſe adſtringant, de faciendo & exequendo videlicet diligenter & fideliter, ſine favore cujuſcumque, vel odio aut materia cujuſquam inordinatæ cupidinis, quod eorum incumbit officio, & de conſuetudinibus ac ſtatutis, ut præmittitur, obſervandis, ac etiam de faciendo [b] ...... in iis eſt, eadem obſervari; quod-

[b] quantum in iis eſt,

ANNO CHRISTI 1295.

„ quodque non erunt in adeundo difficiles, nec in ſumptibus indebite oneroſi. Verba judicis. In officio tuo, pro viribus tuis, diligenter & fideliter te habebis, ac curiæ Cantuarienſis ordinationes ſcriptas, una cum ſtatutis ejuſdem curiæ, novis & antiquis, quatenus antiqua novis non obviant, obſervabis.

III. *Forma juramenti advocatorum & procuratorum.*

Advocati etiam & procuratores prædicti conſiſtorii generales, jurent ſimiliter formam ſcriptam ibidem: hoc addito, ſi non continetur in ea, quod conſuetudines & ſtatuta prædicta, quatenus ad eos pertinent, obſervabunt, & quod factum in judicio non proponent, niſi quod verum & juſtum, prout informabuntur a partibus, eſſe credunt. Quodque in informationibus recipiendis a partibus, veritatem facti ab eiſdem cum omni qua poterunt cautela elicient, & pericula eis inde per viam judicii affutura, quatenus id ſciunt, partibus ipſis patenter exponent, deſperata negotia ſcienter nullatenus aſſumentes: ſed cum eis cauſas ſeu negotia injuſta eſſe conſtiterit, prout tenentur de jure, totaliter derelinquent.

IV. *De præſentia officialis, & quod ſe diutius non abſentet.*

Inſuper ſtatuendo decernimus, ut officialis Cantuarienſis, cujus damnoſa ſæpius reputatur abſentia, longe a civitate London. ſe abſque cauſa rationabili vel legitima diutius non divertens, in reſcribendo ſe facilem & benignum, ac etiam ſine moroſa * protractatione petentium expeditum exhibeat, & ad juſtas petitiones receptas cito & ſine difficultate reſcribat, & citius ubi in mora periculum viderit imminere; videlicet in teſtamentariis, matrimonialibus, alimentorum & beneficiorum cauſis & negotiis, ubi de violenta intruſione, ſeu ſpoliatione, aut declaratione vacationis eccleſiæ, ſeu de providendo eccleſiæ vacanti, ſuggeritur: in quibus mora trahit periculum corporum, & etiam animarum.

* Forte, protractione. Hard.

V. *De præſentia officialis in conſiſtorio.*

Item quod officialis in ſingulis ſeſſionibus per aliquot dies, quando opportunum eſſe conſpexerit, ſuam ſi poſſit præſentiam exhibeat perſonalem, & appellationes a decano de Arcubus ſuo commiſſario, vel alio commiſſario ſuo, in ipſius & decani ſupradicti abſentia, a gravamine interjectas, de plano proceſſus examinans, ſtatim terminet & decidat. Si vero a diffinitivis ipſorum ſententiis fuerit appellatum, tunc appellationum hujuſmodi merita, conſueta indagine dirimantur.

VI. *Quantum debet recipi pro ſigillo, & a clericis pro ſcriptura.*

Item quod pro ſuggeſtionibus, ac executionibus, ſeu aliis quibuſcumque litteris ſigillandis, pro quibus pecunia recipi conſuevit, amplius quam ſex denarii pro ſigillo quolibet non ſolvantur: & pro ſcriptura earum ſecundum quantitatem ejuſdem recipiatur pecunia, officialis vel decani arbitrio, ſi neceſſe fuerit, moderanda. Sed in originalium atteſtationum ſcriptura, decem pollices in longitudine lineæ continente, pro duodecim lineis unus denarius, in atteſtationum autem hujuſmodi vel proceſſuum copiis, pro viginti quatuor lineis ejuſdem longitudinis unus denarius tantum recipiatur. Quæ omnia in apta & legibili littera, cum congruo interlineari ſpatio conſcribantur: de qua copia ſtatim fiat collatio per juratos examinatores vel clericos conſiſtorii antedicti.

VII. *De ſalario examinatoris.*

Item examinator, pro examinatione cujuſlibet teſtis tantum recipiat, & non amplius, quantum recipitur pro ſcriptura atteſtationum originalium teſtis primi. Ad cujus examinatoris ſalarium, ſi pars adverſa contra quam producitur, interrogatoria ſua tradiderit, pro interrogatoriis ejuſdem contribuat, quantum examinator, in virtute ſui ſacramenti in aſſumptione ſui officii præſtiti, vel judex in ejus defectum, duxerit moderandum. Si vero examinator pro ampliori lucro captando, impertinenti verborum confuſione, atteſtationes conſcripſerit vel conſcribi fecerit primi teſtis: cum de hoc convictus fuerit, ab officio ſuo perpetuo deponatur, majori acrimonia, ſi res exegerit, puniendus, ad arbitrium prædicti conſiſtorii præſidentis.

VIII. *De numero advocatorum & procuratorum; ac etiam de ſtatu & conditionibus eorundem.*

Statuimus inſuper, ut ſexdecim advocati & decem procuratores dumtaxat, in conſiſtorio ipſo jurati exiſtant, eidem conſiſtorio totaliter intendentes, qui nec alia conſiſtoria poſtulando, ſeu procuratoris officium exercendo, ſine præſidentis ejuſdem conſiſtorii licentia ſpeciali, eis ex cauſa dumtaxat legitima concedenda, frequentent; illis videlicet horis, quibus cauſæ & negotia ſolent in eodem conſiſtorio ventilari. Nec alicujus ſervitio tanquam familiares ſpecialiter aſtringantur: nec etiam ſacerdotes, advocati vel procuratores de numero prædictorum, ut ſupra jurati, in conſiſtorio prænotato exiſtant: nec presbyteri, ſi in eodem conſiſtorio quandoque poſtulare voluerint, vel etiam procurare, niſi pro ſeipſis, aut in cauſis eccleſiarum ſuarum, vel pro ſuis dominis, quorum ſunt familiares & domeſtici, aut pro miſerabilibus perſonis, & hoc gratis ſine ſalario & dono quocumque, in prædicto conſiſtorio publice poſtulent, vel officium procuratorum aſſumant. Nec quiſquam in dictorum advocatorum numero, niſi qui jura civilia & canonica per quinquennium, vel quadriennium ad minus, in ſcholis alicujus univerſitatis vel municipii publice prius audierit, & per unum annum ad minus in eodem conſiſtorio ſteterit, admittatur.

IX. *De locis & ſedibus.*

Antiquiores etiam advocati in ſedibus ex oppoſito judicis collocentur: ceteris ab utroque latere, prout ſunt priores vel poſteriores in tempore, propius & remotius collocatis. Quod & in procuratoribus volumus obſervari.

X. *De pœna eorum qui falſum committunt, vel teſtes aut inſtrumenta ſubtrahunt aut corrumpunt vel occultant, ſeu procuratoria revocari procurant.*

Decernimus etiam ſtatuendo, quod ſi quis examinator, clericus, advocatus, vel procurator conſiſtorii prædicti, falſum in officio ſuo committat, vel probationes partis alicujus malitioſe ſubtrahat,

aut



ANNO CHRISTI 1295.

aut impediat ſeu impedire procuret; vel falſis inſtrumentis & præcipue procuratoriis tempore limitatis, poſt tempus hujuſmodi, vel aliter revocatis tacite vel expreſſe, ſcienter utatur, aut vera inſtrumenta ſupprimat vel corrumpat, ſeu teſtes ſubornet, vel ſubornari & corrumpi procuret, aut falſas cauſas ſeu negotia, de conſuetudine ſcienter aſſumat, vel falſum factum ſcienter proponat vel proponi faciat, aut prohibitiones regias in caſibus in quibus locum non habent, impetrari, ſeu exhiberi procuret, ſeu hujuſmodi prohibitionum impetrationi aut uſui conſentiat tacite vel expreſſe, aut præſidenti dictæ curiæ mandata quæcumque porrigi, eis præjudicativa ſeu impeditiva proceſſuum eorumdem, falſo & malitioſe (quos non ambigitur in majoris excommunicationis ſententiam, latam contra violatores ſeu turbatores jurium & libertatum eccleſiæ, incidiſſe) ſi de his vel eorum aliquo convictus extiterit, a conſiſtorio perpetuo ſuſpendatur: de quibus omnibus, officialis vel decanus de Arcubus, vigilanter inquirat, quoties fuerit opportunum. Si vero de præmiſſis convinci non potuerint, ſed de his aut eorum aliquo fuerint publice diffamati, vel certa ratione ſuſpecti: donec legitime ſe purgaverint, ab officio ſuſpendantur. Ad quam purgationem præſtandam, ſi purgandi protervia, vel magnitudo delicti, aut diffamationis ſeu ſuſpicionis hujuſmodi id exigat, idem purgandus ad audientiam archiepiſcopi Cantuarienſis, qui erit pro tempore, per præſidentem dicti conſiſtorii, ſi expediens eſſe viderit, remittatur. Hoc idem de procuratoribus, illicite attachiamenta per laicalem potentiam fieri de judice vel de parte procurantibus, aut de procuratione hujuſmodi diffamatis & ſuſpectis, præcipimus obſervari. Occultantes inſuper procuratoria, quibus ſunt uſi, & procurantes per malitiam ipſa procuratoria revocari, ſi id cauſæ diſpendium, aut adverſario præjudicium afferat, ſtatim graviter puniantur: & incorrigibiles, perpetuo ſuſpendantur. De his etiam violenta præſumptione ſuſpecti, legitime & incontinenti ſe purgent: aut, ut præmittitur, ſuſpendantur.

XI. *Ne quis alium in officio ſuo ſupplantet.*

Prohibemus etiam, ne quis alium in officio aliquo ſupradicti conſiſtorii inſidioſe ſupplantet: & ſi de hoc convictus extiterit, ab officio, quouſque hoc emendabitur, ſuſpendatur.

XII. *De puniendo advocatos & procuratores garrulos.*

Item judex advocatos & procuratores garruloſos & tumultuoſos, ac etiam convicіantes coerceat: unoque electo negotio ceteri ſileant, quouſque inchoatum expediatur negotium ea vice; ac etiam curialiter & modeſte ſe habeant, & proponenda proponant. Et qui contra fecerit, arbitrio judicis puniatur: & ſi ſuper hoc incorrigibilis maneat, a conſiſtorio perpetuo ſuſpendatur.

XIII. *Quod advocati aut procuratores ſe a conſiſtorio non abſentent. Et quod regiſtrum ſuo ordine primitus expediatur.*

Item, quia advocatorum & procuratorum abſentia, negotiorum celerem expeditionem impedire, & ordinem debitum perturbare regiſtri frequentius conſuevit: caveant advocati & procuratores conſiſtorii, ne dum cauſas in eo tractandas habuerint, ſine licentia judicis ſe abſentent, quin ſocium habeant, per quem cauſa poſſit opportune, & ſine moroſa dilatione tractari: & quod tempeſtive veniant omni die, uſque ad ſolutum judicium eo die, ſine licentia judicis nullatenus recedentes, pœna eis ſtatim imponenda, ſi contra fecerint: & ſi incorrigibiles ſuper hoc fuerint, ſuſpendantur. Regiſtrum etiam, ne ejus ordo turbetur, expediatur primitus ſuo die, ſi fieri poterit: alioquin die ſequente, ordine ipſius regiſtri modis omnibus obſervato, niſi forte inſtans productio teſtium, quæ ſine diſpendio differri non poterit, hujuſmodi ordinem ex æquitate quandoque poſtulet interverti.

XIV. *Quod procuratores ſine advocatis cauſas non aſſumant: & quod tam advocati, quam procuratores, & ceteri miniſtri, in cauſis pauperum, officium ſuum gratis impendant.*

Item procuratores ſine advocatis cauſas vel negotia non aſſumant, nec etiam proſequantur: ſed ſui officii finibus ſint contenti. Cauſas etiam pauperum judex certis advocatis & procuratoribus gratis ſuſcipiendas aſſignet: & tam examinatores, quam clerici jurati de conſiſtorio, eiſdem pauperibus officium ſuum caritative & gratis impendant. Quas cauſas judex præ ceteris citius, ſi fieri poterit, expedire conetur, nihil pro examinatione proceſſuum, aut ſententiarum litteris executoriis a perſonis hujuſmodi exigendo.

XV. *De pœna advocatorum & procuratorum, procurantium dilationes frivolas.*

Item advocatus vel procurator, qui per notorie falſas, ſeu fruſtratorias appellationes, a gravamine, vel a diffinitivis ſententiis interjectas, proceſſus decani de Arcubus, vel etiam officialis curiæ noſtræ, aut commiſſarii ipſorum cujuſcumque, executionesve ſuarum ſententiarum, malitioſe retardaverit, aut retardari procuraverit impudenter; cum de hoc convictus fuerit, locum ſuum amittat, & ab officio poſtulandi ſeu procurandi, per præſidentem curiæ ſuſpendatur perpetuo, vel ad tempus, prout qualitas negotii & delinquentis exceſſus hoc exigit & requirit.

XVI. *Ne miniſtri conſiſtorii tabernas exerceant.*

Ad hæc, cum ſicut profecto didicimus, in caupona ſeu taberna, ubi vinum intemperantiæ miniſtratur, machinationes variæ ad ſubverſionem juſtitiæ, præſertim inter nonnullos procuratores conſiſtorii noſtri prædicti, & partes de ſua juſtitia diffidentes conſueverint intervenire: volentes morbo hujuſmodi, qui jam invaluit, temperantiæ fracto fræno, remedio occurrere ſalutari, ſtatuimus, ne de cetero advocatus vel procurator a dicti conſiſtorii miniſtri, cujuſcumque gradus exiſtant, publice vel occulte, præſertim frequenter & de conſuetudine, tabernarius eſſe præſumat, aut tabernas ingrediatur, niſi neceſſitas ipſum ad hoc urgeat, quod non creditur poſſe frequenter & de facili evenire. Quod ſi ſecus factum fuerit, & ſuper hoc legitime convictus extiterit: ad arbitrium officialis noſtri vel decani de Arcubus acriter puniatur: & ſi pertinacia ſua hoc exegerit, a conſiſtorio totaliter ſuſpendatur. Iſtud etiam ſtatutum, ad concubinarios, & adulteros, errones nocturnos, & publica frequentantes ſpectacula, necnon ceteros notorie criminoſos, extendi volumus in futurum: ut illi quos facinora hujuſmodi coinquinant & æquant, pœna ſimili percellantur.

a Deeſt forte, & alii. H.

XVII.

XVII. *De ſuſpectis aſſeſſoribus, & advocatis clandeſtine procuratis.*

Quia excreſcentes induſtriæ machinoſæ, juſtitiam puram & debitam frequenter impediunt & pervertunt, & in eo præcipue, quod aſſeſſores & advocati, qui palam pro parte non poſtulant, ad quorum, tanquam non ſuſpectorum, conſilium in interloquutoriis, & ſententiis in conſiſtorio prænotato ferendis, de conſuetudine curiæ ſupradictæ, a judice ſeu præſidente recurritur bona fide, per partem alterutram clandeſtine procurati, & ad id quandoque conducti, a principio forte indifferentes ſe ſimulant, & finaliter judicem ad injuſtitiam faciendam ſolicitant & inducunt: firmiter inhibemus, & inhibendo ſtatuimus, ne id de cetero committatur, ſeu etiam procuretur, ſub pœna excommunicationis majoris, quam contravenientes ſe noverint incurſuros: eo ſalvo, quod partes, viros ſapientes, providos, & fideles, non tamen advocatos curiæ vel miniſtros, procurare valeant, ut gratis & ſine aliquo, ea ratione, dato primitus vel promiſſo quandoque aſſideant, judicii ſanum conſilium, juſtum & fidele daturi, cum a judice fuerint requiſiti. Advocati vero ceterique miniſtri curiæ, qui alterutrius partis conſilio aut parti alteri adverſantes qualitercumque prius extiterint, vel exiſtunt, ſeu etiam parti alicui juſta ratione ſuſpecti, ſe in interloquutoriis vel ſententiis ipſis non ingerant, ſed recedant ſub pœna ſuperius adnotata: quod etiam in virtute ſui ſacramenti præſtiti, ab eiſdem præcipimus obſervari. Si ſecus fecerint, & de hoc convicti extiterint, tanquam perjuri, ut præmittitur, & excommunicati graviter puniantur: & ſi ad id aſſueti extiterint, a conſiſtorio perpetuo ſuſpendantur.

XVIII. *Quot advocatos aut procuratores una pars habere valeat, & de dando advocatum aut procuratorem parti non habenti, & præcipue in cauſis tangentibus miniſtros curiæ.*

Sæpe contingit in conſiſtorio ſupradicto, quod pars una potentior, vel in malitia excogitanda ſagacior, tot advocatos aut procuratores aſſumit, quod pars altera propter advocatorum vel procuratorum defectum remanet indefenſa, ſeu opportuno præſidio deſtituta. Frequenter etiam evenire didicimus, quod ſi cauſa vel negotium in dicto conſiſtorio agitatum, aliquem advocatum, procuratorem, vel miniſtrum curiæ memoratæ contingat, pars altera advocatum vel procuratorem pro ſe habere non poterit quoquo modo. Volentes igitur ſuper his congruum adhibere remedium, ſtatuimus, & in poſterum obſervari præcipimus, ut pars una ſex advocatis ad plus, duobuſque procuratoribus, de dicto numero ſit contenta, aliumque vel alios nullo modo ſolicitet aut ſolicitari procuret, ut parti ſuæ ſe applicent, aut ab adverſa parte ſe ſubtrahant quoquo modo, ſub pœna amiſſionis cauſæ, aut mulctæ ſibi, ſi contrarium fecerit, per judicem indicendæ. In ſecundo vero caſu præcipimus, ut judex advocatos & procuratores parti non habenti, ſtatim, ſi hoc petatur, aſſignet, ſuum hujuſmodi poſtulationis ſeu procurationis officium, pro juſto, &, ſi neceſſe fuerit, per judicem ſtatuendo ſalario, fideliter impenſuros. Ad hoc advocati & procuratores hujuſmodi, niſi evidentem & ſufficientem cauſam ſuæ recuſationis ſtatim oſtenderint, per judicem efficaciter compellantur.

XIX. *Ut originalia inſtrumenta partibus retradantur.*

Originalia ſiquidem inſtrumenta cauſarum ſeu negotiorum, videlicet bullæ, commiſſiones, procuratoria, ſeraria, & ſimilia, quæ ſunt a ſubſtantiali parte proceſſus, in conſiſtorio ſupradicto examinata, factis exinde copiis his, quibus ſunt de jure vel conſuetudine faciendæ, & tranſcriptis etiam eorumdem penes clericum conſiſtorii retentis, ſi id videatur expediens, parti prius hujuſmodi inſtrumenta exhibenti, illico ſine difficultate reddantur, in ſuo proceſſu, prout jus exigit, collocanda.

XX. *Quod non reſcribatur in correctionibus a denegatione articuli vel libelli.*

Item in correctionibus ex vero officio faciendis, ubi duntaxat ſunt reo exponenda, ſeu edenda capitula, non a denegatione libelli vel articuli, ſed a denegatione editionis ſeu expoſitionis capitulorum, ut præmittitur, tantummodo reſcribatur. Hoc tamen ſtatutum ad beneficia non extendimus, circa quæ ſecundum qualitatem facti eſt aliquando procedendum.

XXI. *Quando & qualiter debeat, vel quando non debeat, de ſubditorum negligentia ad querelas reſcribi.*

In dicta etiam curia, ut dicitur, corruptela noviter inolevit: videlicet, quod in cauſis & negotiis coram epiſcopis ſuiſve officialibus agitatis, quæ judiciarium ordinem, & longum quandoque proceſſum, de ſui natura requirunt, ſuggeſto dictæ curiæ per partem alterutram, quod judex ipſe cauſam eamdem negligenter & plus debito detinet in ſuſpenſo, mandatur eidem judici per officialem curiæ noſtræ ſupradictæ, quod infra unum vel duos menſes ad plus, terminet cauſam ipſam: alioquin ad certum diem citet partem adverſam, ut in cauſa eadem, in curia prænotata procedat. Quo caſu, ex ſolo curſu temporis hujuſmodi, infra quod cauſa terminari aliquando non poteſt, judex negligens reputatur, & pro hoc cauſa dicitur ad dictam curiam devoluta, non obſtante ſi diligentia judicis allegetur ibidem per judicem vel per partem. Volentes igitur in cauſis præcipue inchoatis juriſdictionem unicuique obſervare, ne ad impoſſibile, ut prænotatur, arctatus, ſuam juriſdictionem amittat: ſtatuimus, ut quando de negligentia inferioris judicis querelatur in cauſis vel negotiis coram eo primitus inchoatis, per officialem Cantuarienſem in forma debita reſcribatur. Quo caſu judex querelatus, aut etiam pars adverſa, ſuas juſtificationes habeat, quoad excuſandum negligentiam antedictam; & tunc ſuper hoc fiat ulterius quod eſt juſtum.

XXII. *Ut in correctionibus non appelletur regulariter ad tuitionem, niſi a diffinitiva.*

Statuimus quoque futuris temporibus obſervandum, quod ſi qualitercumque in correctionum negotiis, ubi de beneficii privatione, vel vacationis ipſius declaratione, ratione alicujus criminis vel defectus non agitur, ex officio procedatur ad curiam Cantuarienſem; pro tuitione nullatenus appelletur, niſi a deciſione finali, ſeu diffinitiva ſententia, pars duxerit appellandum: & ſi de facto appellatum fuerit, per officialem Cantuarienſem ad appellationem hujuſmodi minime reſcribatur. Idem volumus & ſtatuimus obſervandum, quando de privatione beneficii, vel ipſius vacationis declaratione, aut de illis, quæ teſtamenta vel proviſionem vacanti eccleſiæ faciendam, ſeu alimenta præſtanda, vel intruſionem in beneficiis eccleſiaſticis factam, ſeu violentam rerum eccleſiaſticarum ſpoliationem aut invaſionem, vel jurium & libertatum eccleſiæ læſionem reſpiciunt, ex officio agitur per ordinarium quemcumque vel alium, a quo poteſt directe ad curiam Cantuarienſem appellari. Cum autem in præmiſſis caſibus, vel eorum aliquo, licite & ſecundum normam præſentis ſtatuti, pro tuitione fuerit appellatum: liceat parti appellatæ, propter periculum evidens animarum, factum contrarium & excluſorium proponere & probare, quamvis factum tetigerit principale.





XXIII. *De impetrantibus bis tuitorie vel directe ſuper eodem gravamine.*

Diligenti etiam ſtudio in eadem curia providere præcipimus, ut bis pro eodem gravamine numero tuitorie, vel bis directe, vel forſan ſemel directe, & ſemel ad eandem curiam tuitorie, appellantes, ab ultima repellantur omnino. Et pro variatione hujuſmodi, in expenſis & intereſſe partis adverſæ, ſi quod damnum pendente inhibitione incurrerit, ſtatim declarandis, ſummarie condemnetur: & nihilo minus pro juris offenſa canonice illico puniatur.

XXIV. *Ut ſuggerens contra partem, eam citari procuret.*

Item quando ad inſtantiam partis proceditur, & ſic alius quam ipſe cui ſcribitur eſt citandus: impetrantes probent in curia ſupradicta, una cum traditione litteræ citatoriæ, ſuam diligentiam in procurando partem adverſam citari. Alioquin is cui ſcribitur, de contemptu nullatenus puniatur.

XXV. *Ne ad gravamina generalia tuitorie de facili reſcribatur.*

Ad gravamina quoque generalia, videlicet a denegatione copiæ, vel conſignationis inſtrumentorum, vel actorum judicialium, niſi expreſſa fiat inſtrumentorum, aut actorum hujuſmodi ſpecificatio, nullatenus tuitorie, & præcipue ubi directe ad curiam Cantuarienſem appellari poterat, reſcribatur.

XXVI. *Qualiter examinatores ſe habere debeant in poſitionibus audiendis, & teſtibus examinandis.*

Examinatores quoque dicti conſiſtorii diligenter obſervent, ut ad poſitiones & interrogationes, claras & ſufficientes reſponſiones a partibus, in advocatorum & procuratorum, ubi partes principales reſpondent, abſentia faciendas, ſi poſſint eliciant: ad quas poſitiones & interrogationes non in ſcriptis, ſed partes ipſæ reſpondeant viva voce. Et in examinationibus teſtium, ſingula quæ ad veritatem, quoad partem utramque eliciendam juvare poterunt, de circumſtantiis quibuſcumque, & de ſcientiæ cauſa in ſingulis vigilanter interrogent, & exquirant, ac de interrogatoriis pertinentibus, quantum eſt poſſibile, ſolum quærant. Et teſtes eo ordine quo producuntur, pro ſuis viribus in examinando expediant ſine mora: nec aliquos clericos, ad ſcribendum reſponſiones partium, aut teſtium depoſitiones, recipiat clericus conſiſtorii præmemorati, niſi quos æſtimet ſuo periculo, ad id idoneos & fideles, qui dicta teſtium fideliter ſcribant, eaque aut publicationem ipſorum, nec verbo, nec facto, vel nutu aut ſigno revelent aut detegant, ſeu in notitiam alicujus devenire faciant aut permittant. De quibus omnibus præſtent, ut ſupra ſtatuimus, ante omnia juramentum.

XXVII. *De protocollo a clerico regiſtri primitus faciendo.*

Faciat etiam clericus regiſtri, in quo acta judicialia reſcribuntur diebus ſingulis, in ſchedula primitus, prout factum concepit, protocollum. Et ſi ſit in eo aliqua extra communem curſum dubietas, in regiſtro non inſerat, quouſque judex hoc corrigat & reformet: hoc etiam partibus, ſi voluerit, oſtendatur.

XXVIII. *De modo procedendi in contemptibus tam contra ſuffraganeos quam ceteros.*

Item ſtatuimus, ut in contemptibus dictæ curiæ puniendis, judex ſtatim ex officio, una citatione vel monitione præmiſſa, juratis de veritate dicenda partibus, per interrogationes & reſponſiones ad eas, ſi poſſit, eliciat veritatem, aut ſtatim probationes admittat. Et ſi quis advocatorum aut procuratorum, contra aliquod iſtorum, ſe ſine cauſa juſta & evidenti oppoſuerit, ab officio, quouſque ſuper hoc emendatus fuerit, ſuſpendatur. Circa vero dicti conſiſtorii contemptores, cum multiplex ſit contemptus, videlicet in non parendo mandatis, in impediendo quo minus ad mandatorium tempore competenti perveniatur, in vituperiis factis partibus vel nunciis mandatoris, & in faciendo directe contra mandata: ſtatuimus, ut probatione, ut moris eſt, ſummarie habita de contemptu, & contemptore perſonaliter, ſi ſit inferior epiſcopo, ſtatim ſuper hoc, ad judicium evocato, ac de veritate dicenda per eundem præſtito juramento, factiſque ſibi interrogationibus & reſponſionibus ſubſequenter ad eas, ſi per confeſſionem ſuam, aut probationes coram eo illico miniſtrandas, convictus extiterit, aut etiam in purgatione legitime ſibi indicta defecerit, parti per hoc læſæ, ad ſuum intereſſe, & damna, ac etiam ad ſumptus promotionis ipſius officii, taxandas ſeu taxanda, per partem eamdem juranda, protinus condemnet. Et nihilo minus pro deluſione juris & judicis, ſeu curiæ antedictæ, mulctetur; eaque ſtatim per ſequeſtrationem bonorum eccleſiaſticorum, ſi ea contemptor habeat, ſeu ſi neceſſe fuerit, per interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, executioni mandentur; aut ſi contemptor ad præmiſſa ſolvendo non fuerit, pœna ſibi canonica juxta qualitatem exceſſus per judicem imponatur. De epiſcopo vero pro contemptu citando, volumus ut per procuratorem ad id ſufficientem, in curia prænotata compareat: & juramento a procuratore eodem in animam domini ſui ut ſupra præſtito, habitiſque, ut præmittitur, per eundem ad interrogata reſponſionibus convictus, ut prætangitur, damna, intereſſe, & ſumptus parti perſolvat ut ſupra. De offenſis vero juris & judicis ſeu curiæ antedictæ, quoad ea punienda, poſt pronunciationem in dicto conſiſtorio ſuper hoc factam, ob epiſcopalis reverentiam dignitatis, archiepiſcopo Can-

ANNO CHRISTI 1295.

Cantuarienſi, qui pro tempore fuerit, ipſa pœnæ ſeu mulctæ impoſitio ſeu taxatio reſervetur. Et dictæ curiæ præſidens, contemptores quoſcumque convictos jurare faciat, ſub certa pœna, quod dictam curiam ſcienter de cetero non offendant. Si vero de contemptu evocatus, ſuper hoc innocens detegatur: pars hujuſmodi fatigationem procurans, ad arbitrium præſidentis, ſi manifeſtum invenerit, in talem promovente calumniam puniatur. Præcipientes, & in virtute obedientiæ injungentes, omnibus & ſingulis, tam epiſcopis, quam ceteris noſtræ diœceſanæ vel metropolitanæ juriſdictioni ſubjectis, ut ad dictam curiam appellare volentes, vel mandata curiæ adhibere, ad eos accedere ſine impedimento permittant, ipſoſque audiant patienter, & mandata ipſius curiæ eis directa, acceſſu libero conceſſo portantibus, devote ſuſcipiant, & eis reverenter pareant, ut tenentur. Nullumque impedimentum aut obſtaculum interponi ſeu fieri quantum in eis eſt, patiantur, quin præmiſſa fiant libere ſine mora: & hoc etiam efficaciter familiaribus ſuis, quos gubernare, inſtruere, & caſtigare tenentur, injungant. Et ſi ſcienter contra factum fuerit, cum de hoc ſufficienter conſtiterit: ipſi quibus mandata diriguntur hujuſmodi; eo ipſo contemptores dictæ curiæ reputentur.

XXIX. *De mittendo ad perſonas egregias vel alias, & de tempore hoc petendi.*

Statuimus quoque, ut ſi ad perſonas egregias, aut teſtes ſenes, vel valetudinarios, pro recipiendo teſtimonio ſit mittendum, illud in prima vel ſecunda productione, ante tertiam productionem omnino fieri poſtuletur. Quod ſi uſque ad tertiam productionem malitioſe, quod eo ipſo præſumitur, omiſſum fuerit: volens ulterius ad producendum ipſos admitti, nullatenus audiatur, niſi fidem fecerit, corporali præſtito juramento, quod de novo pervenit ad ejus notitiam, teſtium hujuſmodi teſtimonium in cauſa ſua ſeu negotio, utile eſſe vel neceſſarium, aut eos ſenes, aut valetudinarios extitiſſe: (tu neque per te, neque per alium teſtificata ſubtraxiſti, vel tuiſti percontatus, nec per dolum nec artem aliquam, quartam productionem expoſcis; ſed quia teſtes quos deſideras de novo producere, prius habere nequiviſti) ſolennitate juris, quæ in quarta productione requiritur, in ſuis caſibus nihilo minus obſervata.

XXX. *De tempore proponendi juſtificationes, & modo probandi eaſdem.*

Statuimus inſuper, ut ſi quando juſtificationem directe contrariam intentioni, vel replicationem directe contrariam exceptioni, aut duplicationem replicationi, ſeu deinceps, proponi contigerit: hoc ſtatim fiat quoad juſtificationem, poſt litis conteſtationem, & poſt exceptiones vel replicationes, & deinceps, quarum probationes de jure concurrere debent, propoſitas: aut ſaltem intra triduum a tempore propoſitionis & admiſſionis canonicæ earumdem, ut ſic probationes concurrere valeant ſuper eis.

XXXI. *Ne advocatus vel procurator in caſibus teſtificet in eiſdem.*

Ad hæc procurator, qui in publici cauſa ſeu negotio occupavit, & advocatus qui publica poſtulavit, & de hoc ſtatim conſtare poterit, in tuitoriis negotiis teſtes nullatenus admittantur. Et ſi (A) procurator in tuitorio conſtitutus aliqualiter occupaverit, poſtea non ſubſtituet, ut in eodem teſtimonium prohibeat, ſicut aliquando fieri conſuevit.

ANNO CHRISTI 1295.

XXXII. *De tempore conteſtandi, & juſtificandi conteſtationem.*

Statuimus inſuper & inviolabiliter volumus futuris temporibus obſervari, in omnibus cauſis & negotiis, in quibus litis conteſtatio requiritur, quæ ad curiam Cantuarienſem quomodolibet devolvuntur, & in conſiſtorio prædicto de Arcubus ventilantur, quod die data ad præciſe & peremptorie conteſtandum, eadem die plene conteſtetur. Et ſi litem " ſuum adjiciendo videlicet aut etiam (B) declarando, ſeu quicquam aliud proponendo, quod juxta conteſtationem adjici aut declarari, de jure, vel dicti conſiſtorii conſuetudine poterit, vel proponi: illud incontinenti poſt conteſtationem faciat ipſo die: alioquin volens poſtea dictæ diei ſoluto judicio juſtificare, ut præmittitur, nullatenus audiatur. Sed ſalva ſit ſibi materia, quantum ſapit exceptiones peremptorias, per viam peremptoriarum in ingreſſu litis ſuo tempore proponenda: & ſtatim juxta qualitatem & naturam cauſæ ſeu negotii, de calumnia, ſeu de veritate dicenda, juretur hinc inde: nec detur dilatio ad jurandum, niſi evidens cauſa hoc ſuadeat, quod judicis ſeu præſidentis ſoli committimus arbitrio, ſicut hactenus paſſim fere, & ſine delectu cauſarum (C) & negotiorum, novimus in præfato conſiſtorio minus provide obſervatum.

" Locum mo. dosi.

XXXIII. *De querelis ſuper excommunicatione injuſta.*

Querelis etiam de injuſta excommunicatione ſuggeſtis, in quibus per ſuperiorem abſolutio petitur, ad abſolutionem impendendam non aliter procedatur, niſi excommunicatoris negligentia ſuper hoc quantum jura exigunt detegatur: & tunc ſuas excuſationes ante abſolutionem per dictam curiam impendendam habeat querelatus, dum tamen excuſationes ſuas incontinenti probare legitime ſit paratus.

(D)

XXXIV. *De appellationibus tuitoriis, a gravamine partis, & modo probandi eaſdem.*

In appellationibus quoque tuitoriis, & gravamine partis, prout eſt conſuetum, ſuggeſtis, quando de poſſeſſione, vel "quaſi rerum ſpiritualium agitur, vel ſpiritualibus annexorum, in quibus nimium eſt periculoſa poſſeſſio vitioſa, ne taliter appellantes vitioſum ingreſſum per ſummarias probationes contineant vel procurent: ſtatuimus, ut teſtes appellantis, tam de poſſeſſione de qua ſuggerit, quam de ipſius qualitate, videlicet utrum juſta fuerit vel injuſta, necnon de cauſa ſcientiæ, & aliis circumſtantiis, ſufficienter & ſigilla- (E) tim in ſingulis requirantur; & pars appellata, pro poſſeſſione ſua, vel contra poſſeſſionem appellantis, in facto contrario ſeu excluſorio, legitimas defenſiones volens proponere, audiatur, ad tuitionis beneficium excludendum, quamvis ſic propoſitum factum tetigerit principale. Et qui potior in poſſeſſione legitima, videlicet non clandeſtina, precaria, vel violenta, per probationes idoneas inventus extiterit, obtineat per decretum: proviſo modis omnibus, ut per viam revocationis gravaminum, aut aliis excogitatis induſtriis, vitioſus non continuetur nec conſtituatur poſſeſſor, nec canonice poſſidens expellatur: & taliter ſuggerens ſi luc-

" f rerum ſpiritualium, vel quaſi ſpiritualium.



ANNO CHRISTI 1295.

ſi ſuccumbat, ad omne intereſſe partis adverſæ, ea ratione illico condemnetur. Et nihilo minus ſic intruſus, ſeu ſibi violentam poſſeſſionem uſurpans, pœnas de intruſis, ſeu de hujuſmodi violenta poſſeſſione ſtatutas, ſibi per competentem judicem infligendas".

" Deeſt novetis.

XXXV. *De tuitoriis contra epiſcopos & eorum officiales ſuggeſtis, & juſtificationibus ſuper eis proponendis, & modo probandi eaſdem.*

In appellationibus etiam tuitoriis quibuſcumq; ab epiſcopis vel eorum officialibus, a quibus ad curiam Cantuarienſem directe poterat appellari, ſalubriter duximus ſtatuendum: ut juſtificationes eorumdem epiſcoporum, ſuorumve officialium, etiamſi factum principale contingant, ad tuitionis dumtaxat effectum impediendum, ut ſuperius tangitur, admittantur; & nec in tuitionum articulis, nec in contrariis aut excluſoriis factis, ſeu juſtificationibus quibuſcumque, admittantur teſtes notorie excommunicati, infames, vel perjuri: dum tamen impedimenta hujuſmodi die productionis partis appellantis in ipſo negotio proponantur, & eadem die vel in craſtino, indubitatis probationibus detegantur. Teſtes etiam in ipſis tuitoriis, a quacumque parte producti, de cauſa ſcientiæ ſigillata, in ſingulis, & de circumſtantiis magis idoneis, diligentius requirantur, quam hactenus extitit obſervatum: & hoc præſertim ubi agitur de reſtitutione rerum corporalium, vel incorporalium facienda, & in eventu revocationis gravaminum, probata dumtaxat ſpecialiter non generaliter revocentur: ita quod revocationis executio, tuitionis limites non excedat, qui limites ſunt, ut in ſtatum debitum reducatur appellans, & tueatur in eo per tempus debitum, ne in rebus capiatur interim aut perſona.

XXXVI. *De abſolutione ad cautelam.*

Item abſolutio ad cautelam, vel ante omnia quæ in eadem curia ad ſolam ſuggeſtionem impenditur, non niſi ſummaria probatione præhabita, quæ de jure requiritur, impendatur.

XXXVII. *Quando ſit pro proceſſu mittendum, & quando non.* (D)

Item in cauſis ad dictam curiam per appellationem, conſenſum partium, vel alio modo legitime devolutis, pronunciato pro juriſdictione curiæ antedictæ, ſi pars utraque totum proceſſum ſuper hoc prius habitum, ſigillo judicis a quo ſic appellabatur, in promptu habeat ſigillatum, pro proceſſu eodem ad judicem mittere non oportet: de quo an ita ſit, partes eædem, ſi neceſſe fuerit, in virtute juramenti præſtiti requirantur, & veritatem agnoſcere teneantur. Sed collatione proceſſus hujuſmodi hinc inde habita, negotium ipſum, ſeu cauſa ipſa, quam citius fieri poterit, in ſtatu debito reſumatur: alioquin ſi propter defectum pro- (E) ceſſus hujuſmodi, ad primum judicem ſit mittendum: eodem proceſſu tranſmiſſo, ſi pars alterutra proceſſum eumdem ut ſupra ſigillatum exhibeat, ſtatim fiat exinde collatio: & facta copia ejus, quod defuit de proceſſu eodem, cauſa ſeu negotium reſumatur ut ſupra. Si a gravamine fuerit appellatum, aut etiam principaliter querelatum, vel ſi a diffinitiva ſententia ſic appellatum extiterit: tunc facta collatione hujuſmodi, tempus idoneum ad proponendum iniquitates proceſſus, & ſententiæ, parti appellanti, ut moris eſt, aſſignetur, prætermiſſis penitus dilationum ambagibus, quæ circa (A) proceſſus ſic tranſmiſſos dari ſolebant in conſiſtorio prænotato: nec pars aliqua, niſi in forma prædicta, proceſſus ſic tranſmiſſi copiam redimere compellatur.

ANNO CHRISTI 1295.

XXXVIII. *De continuando proceſſum proceſſui, vel noviter inchoando.*

In cauſis etiam & negotiis quibuſcumque ad curiam Cantuarienſem per conſenſum partium, vel alio modo legitimo devolutis, & præcipue in favorabilibus antedictis, liceat parti originaliter actori (ad arbitrium tamen judicis præſidentis) primum continuare ſeu juſtificare proceſſum, vel cauſam ſeu negotium ipſum in curia Cantuarienſi, ſine partis adverſæ quoad priſtinam fatigationem (B) diſpendio, noviter inchoare, ſubductis proceſſibus prius habitis in eadem.

XXXIX. *Si pars utraque ab eodem appellet, quæ pars alteri præferatur.*

Item ſi quando in eadem cauſa, a facto judicis, per utramque partem pro tuitione fuerit appellatum, & per appellationem hujuſmodi, ac de conſenſu partium, principale negotium ad curiam Cantuarienſem, ſicut conſuevit fieri, fuerit devolutum: juxta formam ſuggeſtionis, illius introducatur cauſa, qui in curia Cantuarienſi ſuper appellatione hujuſmodi primitus impetravit.

(C) XL. *Ut dimiſſus iterato ſuper eodem, vel alio gravamine prius illato ſuggerens, repellatur.*

Præterea, ſi quando partem appellatam in tuitoriis negotiis, ab examine curiæ Cantuarienſis dimitti contigerit, quia pars appellans quod intenderat non probavit, aut quia non proſequebatur, ~~ut debuit,~~ appellationem tuitoriam quam ſuggeſſit: ſuper eiſdem gravaminibus, vel aliis eidem tunc aut prius illatis per taliter ſuggerentem, ut ſuper illis noviter impetret tacitis & omiſſis, ceſſante legitimo impedimento, de novo ſuggerens, nullatenus audiatur: niſi prius refuſis expenſis, quas pars appellata, prætextu primæ appellationis fruſtratoriæ, ſummaria probatione docuerit per ſe feciſſe. Idem vero volumus in omnibus obſervari, ſi a diffinitiva ſententia tuitorie fuerit appellatum.

XLI. *De eo qui appellationem directam, in qua ſibi datur tuitio, non proſequitur infra tempus.*

Item ſi pars appellans, cui tuitionis beneficium eſt conceſſum, infra tempora fatalia directam appellationem ſuam, ceſſante legitimo impedimento, prout de jure tenetur, non fuerit proſequuta: in eadem cauſa iterum pro tuitione appellans auctoritate curiæ Cantuarienſis minime tueatur, niſi a diffinitiva ſententia duxerit appellandum.

XLII. *De eodem.*

(E) Item ſi pars appellans, cui tuitionis beneficium eſt conceſſum, ut prius ſuam appellationem directam non fuerit proſequuta: judex appellatus poſt anni lapſum, in cauſa principali procedat intrepide, ac ſi nunquam fuiſſet in cauſa ſeu negotio hujuſmodi appellatum, non expectata a curia Cantuarienſi ulterius licentia procedendi: niſi ex cauſa infra annum appellationis proſequendæ, auctoritate dictæ curiæ, tuitionis beneficium fuerit prorogatum, & de hoc judici appellato, legitimis conſtiterit documentis; & niſi forte infra annum, hujuſmodi auctoritate ſedis apoſtolicæ fuerit inhibitum

ANNO CHRISTI 1295.

bitum per judices, in cauſa appellationis directæ a dicta ſede in forma debita impetratos.

XLIII. *Qualiter ſit in appellationibus a decano vel alio commiſſario ad officialem interpoſitis procedendum.*

Appellationis quoq; a diffinitiva ſententia, per decanum de Arcubus lata, officiali curiæ Cantuarienſis ſuggeſtis, per officialem ſicut in ceteris ſimilibus reſcribatur. Sed dato in cauſa ipſa libello, procedatur in eo de plano, omnibus declarationibus, quatenus eſt poſſibile, amputatis, uſque ad finalem deciſionem ejuſdem, præcipue cum proceſſus cauſarum ipſarum, in ipſa curia ſit paratus. Et qui inventus fuerit fruſtratorię taliter appellaſſe, gravius quam ceteri ab aliis appellantes, propter eluſionem ipſius curiæ, puniatur.

XLIV. *De Miſſis in eccleſia de Arcubus in principio & in fine terminorum in miniſtrorum curiæ ſupradictæ præſentia ſolemniter celebrandis. Et ut iidem miniſtri interſint exequiis, & Miſſæ pro defunctis ipſius curiæ miniſtris tempore ſepulturæ.*

Ut autem in eccleſiaſticæ notionis exordiis, Divinæ clementiæ poſtulato præſidio, piiſq; poſtmodum actibus ſubſequentibus, proceſſus ſalubrior habeatur, præmiſſis adjiciendo ſtatuimus: ut in cujuſlibet termini primę ſeſſionis initio, Miſſa de Spiritu ſancto in eccleſia B. Marię de Arcubus London. ſolenniter celebretur, cui miniſtri ſinguli curiæ memoratæ in civitate prædicta, vel ejus ſuburbio tunc præſentes interſint, niſi legitime fuerint impediti: quodq; defuncto in eadem civitate, vel ejus ſuburbio, quocumq; curiæ ſupradictæ miniſtro, videlicet judice, advocato, aut examinatore, vel procuratore, vel clerico de ſuperius numeratis, ipſiſque curiæ per juramentum, ut prænotatur, aſtrictis, in primis exequiis, pro defuncto eodem ſolemniter faciendis, & in Miſſa ſolemni die ſepulturæ ejuſdem; omnes ſupradicti miniſtri ut præſentes (ceſſante, ut præmittitur, impedimento) interſint. Ac etiam in fine ultimæ ſeſſionis cujuſlibet termini, Miſſa pro defunctis curiæ ſupradictæ, in miniſtrorum ipſius præſentia, prout ſuperius tangitur, cum commode fieri poterit, ſolemniter decantetur.

XLV. *Ne judices aut ceteri curiæ ſupradicti miniſtri, dona vel xenia contra juris prohibitionem recipiant, aut quæ ſcandalum generent quoquo modo.*

Licet quoque remedia ad noſtræ curiæ Cantuarienſis regimen opportunum, ut ſupra, proviſa, magna parte ſufficere videantur: judicum tamen, ac ceterorum ipſius curiæ miniſtrorum inordinata cupiditas, ſi ſubeſſet, debitam exhibitionem juſtitiæ ſub quæſitis coloribus, prout eſt viſum hactenus, ſæpius impediret. Ut igitur in excogitatis ad præmiſſa remediis, cautius ac ſufficientius finaliter concludamus: ſtatuendo decernimus, & inviolabiliter obſervari præcipimus in futurum, ut judices ſeu miniſtri quicumque curiæ ſupradictæ, a donariis quibuſque ſeu xeniis ad munerum qualitatem, juſta præſumptione trahendis, ſive a partibus in eadem curia litigantibus, ſeu promoventibus litigare, vel pro eiſdem partibus, aut earum nomine ab aliis offerendis, ſub debito juramento miniſtrorum eorumdem, ſe prorſus abſtineant, exceptis dumtaxat donariis vel xeniis, quæ nec juris prohibitionem offendant, nec ſcandalum generent quoquo modo.

XLVI. *De conſuetudinibus obſervandis una cum ſtatutis prædictis: & de pœna non obſervantium iſta ſtatuta.*

ANNO CHRISTI 1295.

Laudabiles vero conſuetudines curiæ ſupradictæ, quæ præmiſſis ſtatutis non obviant, inviolabiliter obſerventur. Nam eas cum juribus & ſtatutis ejuſdem, tam a conſtitutionibus prædeceſſorum noſtrorum elicitis, quam ex cauſis legitimis noviter adinventis, ad regimen dicti conſiſtorii, futuris temporibus ſufficere credimus. Salvis tamen additionibus, correctionibus, & interpretationibus, ac declarationibus dubiorum, ſi qua in præmiſſis emerſerint, per nos aut ſucceſſores noſtros in poſterum quoties opus fuerit faciendis. Quæ omnia & ſingula, ut in ſuis articulis inconcuſſe ſerventur, ſingulis judicibus, examinatoribus, advocatis, procuratoribus, & clericis curiæ ſupradictæ, tam exiſtentibus in præſenti, quam etiam loco ipſorum & eorum cujuſlibet ſubrogandis, quatenus ad eos diviſim vel communiter pertinent; in virtute præſtiti vel præſtandi ab eiſdem, ut præmittitur, juramenti, ſub quo dictas conſuetudines & ſtatuta includimus, firmiter & inviolabiliter obſerventur. Et ne ignorantia ſtatutorum ipſorum a miniſtris eiſdem in poſterum prætendatur: præcipimus ac eis injungimus, ut iidem miniſtri omnes & ſinguli, qui tempore publicationis præſentium, de conſiſtorio memorato conſiſtunt, infra menſem poſt publicationem eorumdem, ceteri vero loco miniſtrorum ipſorum futuris temporibus ſubrogandi, infra quindenam poſt ſuum ſuſceptum officium, ſtatutorum præſentium copiam ſibi fieri faciant ſeu procurent; & ea tam ſedulo, quam ſtudioſe reſpiciant, ac ſæpius repetendo revolvant, ut ſufficienter in eis, excluſis ambiguis, ſint inſtructi. Quotiens autem decurſis temporum prædictorum curriculis, a miniſtris eiſdem vel eorum aliquo, ſtatuta prędicta, ſeu eorum aliquod, ſcienter amitti aut violari contigerit: niſi intra octo dierum ſpatium, poſtmodum ad terminum competentem, correxerint contemptores ac violatores eoſdem, cum convicti fuerint, tanquam perjuros perpetua comitetur infamia, cinguloq; militiæ ſuorum officiorum privati, ſpē conſimilis promotionis amittant, ſuiſq; beneficiis eccleſiaſticis, ſi qua habuerint, tanquam perjuri priventur per judicem competentem.

XLVII. *Terminatio & finalis concluſio ſtatutorum.*

Fulgeat igitur & clareſcat latius ex præmiſſis, tam celebris curiæ merito commendanda juſtitia, & judices noſtræ juriſdictioni metropolitanæ ſubjecti, ſuam juriſdictionem in nullo contaminatam, aut uſurpatam agnoſcant: & tam ipſi quam ceteri prædicti, juris remedia, a dicta curia, quatenus ad eam pertinent, hauriant affluenter, dum ab eadem ejuſque miniſtris, cupidinis inordinatæ rubigine, & cujuſcumque difficultatis indebitæ, ſeu favoris aut odii, metuenda malitia, eliminatis penitus & depulſis, ac ſufficientibus & expeditis remediis, quoad ſingula in curia prænotata tractanda, proviſis, nihil offenſivum in ea reperient; ſed potius viam ingredi poterunt ordinatam ad juſtitiam opportunam & celerem conſequendam. Has vero conſtitutiones futuris temporibus, ſemel ad minus in anno, in conſiſtorio ſupradicto, videlicet in primæ vel ſecundæ ſeſſionis initio anni ejuſdem, palam præcipimus recitari.

Has vero conſtitutiones in eccleſia B. Mariæ de Arcubus Lond. v. Id. Novemb. ann. MCCXCV. conſecrationis noſtræ ſecundo, coram clero & populo, ſolemniter fecimus publicari, ut extunc in forma quæ præmittitur, robur firmitatis obtineant.

CON-



ANNO CHRISTI 1296.

Ex Veneta Ughelli Italiæ ſacræ Editione tom. 5. pag. 1139.

# CONCILIUM GRADENSE

In quo plura tum ad diſciplinam Eccleſiaſticam, cum ad divinorum officiorum ritus, Clerive mores pertinentia ſancita ſunt; &

# SYNODUS TORCELLANA

In qua prædicti Gradenſis Concilii Conſtitutiones promulgatæ ſunt.

AIron Dei, & Apoſtolica gratia Epiſcopus Torcellanus dilectis in Chriſto filijs plebano S. Mariæ, ejuſque collegio, ſeu capitulo, plebano S. Stephani, & collegio, plebano S. Salvatoris Vicario, ſeu rectori, ſuoque Capitulo, necnon plebano Vicario, ſeu rectori S. Martini, & ipſius Capitulo Eccleſiarum de Muriano diœceſis Torcellanæ noſtræ ditioni ſubjectis ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Veſtra novit dilecta charitas præſenter quod nuper videlicet de menſe Julio proxime præterito in craſtinum feſti Beatorum martyrum Hermacoræ, & Fortunati currente anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto Indictione nona die Veneris tertiodecimo intrante menſe præſcripto, convocato provinciali Concilio apud Gradum per venerabilem Patrem D. Fratrem Ægidium Dei, & Apoſtolica gratia Patriarcham Gradenſem, Dalmatiæque Primatem inter cetera, quę ad utilitatem animarum, & bonum ſtatum clericorum, & Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum provinciarum Gradenſis, & Jadrenſis ordinata, ſtabilita, & ſervari mandata fuerunt, quæ omnia, & ſingula vobis curavimus publicare, & exponere, convocato per noſtras literas ſpeciales toto clero noſtræ civitatis, & diœceſis Torcellanæ ad hoc ſpecialiter in noſtra Cathedrali Eccleſia Torcellana anno Domini ſupraſcripto die Lunæ XII. exeunte Auguſto, ſtabilita, ordinata, & mandata ſpecialiter fuerunt quædam, quæ vos, veſtras Eccleſias, ſeu plebes, & alios noſtræ civitatis, & diœceſis Torcellanæ clericos ſęculares tangere ſpecialiter dignoſcuntur: quæ quidem mandavimus, & mandamus diſtincte per vos, & alios aliarum Eccleſiarum prædictæ noſtræ civitatis, & diœceſis clericos, & prælatos hinc ad proximum feſtum Beati Michaelis nunc venturum in ſcriptis, & ſub noſtro haberi ſigillo; & eadem inviolabiliter obſervari una cum noſtris conſtitutionibus ſynodalibus, & aliis per nos alias diverſis locis, & temporibus publicatis, quas etiam per hæc ſcripta innovamus, approbamus, & ratificamus. Conſtitutionum autem dicti concilii vos, veſtras Eccleſias, & alios tum prælatos, & ſubjectos tangentium tenor dignoſcitur eſſe talis.

Multis undique natura novitatibus utens, ſic dictum eſt in legibus jam hoc ſæpe proemium, dicitur autem & iterum, donec illa, quæ ſua ſunt, operatur, ad opus multarum nos pertrahit legum. Noſtræ itaque intentionis ſollicitudo remediis invigilans ſubjectorum non ceſſat inquirere, ſi quid ſit in noſtra juriſdictione corrigendum. Et ob id nos Frater Ægidius Dei, & Apoſtolica gratia S. Gradenſis Eccleſiæ Patriarcha, Dalmatiæque Primas una cum venerabilibus fratribus, & ſuffraganeis noſtris, videlicet Dominis. A. civitatis novæ, N. Caprulano, A Torcellano, H. Clugienſi, B. Caſtellano eadem dei gratia Epiſcopis, M. Abbate S. Mariæ de Barbanno Gradenſis diœceſis, Petro Nicolao Clerico de Vicentia procuratore Ven. patris D. fratris J. Jadrenſis Archiepiſcopi, & Vicario Epiſcopi Abſerenſis, & Marino Piloſo plebano S. Stephani de Jadra procuratore Capitulorum Jadrenſis, & Abſerenſis, & Petro Archidiacono Veglenſi, & Vicario Epiſcopi Veglenſis, presbytero de Segna plebano S. Thomæ de Arbo procuratore D. Epiſcopi Arbenſis, & totius Capituli, & Eccleſiarum Arbenſium, & Petro Bonſemblante S. Sylveſtri de Venetiis procuratore D. Epiſcopi Equilini ad hoc ſpecialiter convocatis, reformationibus, informationibus, & correctionibus tam clericorum, quam religioſorum, & aliarum ſæcularium perſonarum provinciarum Gradenſis, & Jadrenſis in provinciali Concilio apud Gradum in noſtra Metropolitana Eccleſia congregato ſalubriter intendentes, prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta juſſimus recitari, ex quibus pluribus confirmatis, revocatis aliquibus & quibuſdam in melius reformatis nonnulla auctoritate Concilii duximus adjungenda.

I. Sancimus, ut Sacerdos, qui corporali impedimento ceſſanter, vel ſui officii . . . . . matutinis non interfuerit in Eccleſia celebrandis, miſſam non celebret ea die. Sed & ſi tali fuerit impedimento detentus, miſſam dicere non præſumat, niſi ſaltem per ſe dixerit Matutinas. Transgreſſores autem hujus conſtitutionis quilibet de Eccleſia, vel unus aliorum nomine teneatur Epiſcopo propalare, ut modo culpæ debite puniantur. Ab hoc vero plebanos excipimus, quibus propter prælaturam duximus deferendum, ut non teneantur matutinis quotidie intereſſe, qui tamen propter curam animarum ratione prælaturæ ad ſervitium Dei magis ſe noverint obligatos.

II. In Choro omnes Clerici ſilentium teneant, maxime cum pſalmi dicuntur, aut miſſæ officium celebratur, niſi propter neceſſitatem eos loqui oporteat; vel utilitatem. Trangreſſor vero a ſuo Prælato corripiatur, & ſicut juſtum fuerit, puniatur.

III. Laici autem tam mares, quam fœminæ admonitia Prælato, & Eccleſiarum presbyteris ſimiliter ſilentium teneant. Tranſgreſſores autem inprimis a ſacerdotibus acerrime corripiantur. Pueri, qui divinum officium ſuo tumultu, & rumore impediunt, & perturbant, a parentibus, vel eorum magiſtris, ut taceant, caſtigentur. Negligentes vero parentes, & magiſtri in correctione, & pœnitentiis a ſuis confeſſoribus puniantur.

IV. Statuimus, ut in ferialibus diebus, quando plures miſſæ cantantur, ſimul tantum una miſſa in Eccleſia alta voce cantetur. Aliæ vero ſic



dimiſſa

dimiſſa voce cantentur, quod nullus ſonus non ſit, vel modice audiatur. Et nemo Sacerdos ante ante evangelium communis miſſæ celebrare præſumat. In feſtivis autem diebus antequam ſanctus dicatur in miſſa ſolemni, nullus ſacerdos derelinquat chorum pro miſſa cantanda; & qui ſerio, & ſtudioſe contraiverit in prædictis, pœna ſex denariorum mulctetur in fabrica Eccleſiæ convertenda.

V. Quia in toto Patriarchatu noſtro Regem alium, vel Principem non habemus, pro cujus incolumitate, ac felici proſperitate, quod eſt noſtræ patriæ, ad Dominum pias preces fundere valeamus, niſi inclitum Ducem noſtrum Venetiarum, ſtatuimus ut in loco Canonis miſſæ in ſecreta, ubi dicitur, *Una cum Papa noſtro, & Epiſcopo noſtro &c.* immediate jungatur, *& Duce noſtro*, expreſſo nomine, *& pro bono ſtatu Venetiarum &c.* quæ ibidem ſequuntur.

VI. Nullus in ambone, ſeu pulpito in lectorio, aut ante altare, ſive ſacerdos fuerit, ſive cujuſcumque alterius ordinis clericus legere, vel cantare capite velato præſumat, neque in choro dicendo orationes, vel antiphonas, aut verſum reſponſorii in eo officio inchoando. Zupellos quoque, cum ante altare legit, vel cantat, omnino deponat; qui vero contrafacerent, a ſuis prælatis inferioribus corripiantur; & ſi fuerint incorrigibiles, a ſuis Epiſcopis puniantur.

VII. Ne melodiæ, ſeu cantilinæ in Epiſtolis, Evangeliis, & præfationibus, dum cantantur, intellectum audientium impediant, vel perturbent, & propter hoc in mentibus fidelium devotio minuatur, auctoritate ſacri Concilii duximus ſtatuendum, ut Epiſtolæ, & Evangelia, & præfationes in miſſis exceptis, Liber generationis, & factum eſt autem, & primis Evangeliis Diaconorum cum melodiis præter Epiſcopi licentiam nullatenus decantentur: tranſgreſſores autem per ſeptimanam ab officio, & beneficio ſint ſuſpenſi. Eadem pœna duximus puniendos Sacerdotes, qui publice in exequiis mortuorum de cetero dixerint abſolutionem illam, quæ incipit: *In ea poteſtate &c.* cum ſolum ad Epiſcopos pertinere noſcatur.

VIII. Ordinamus, atque ſtatuimus ad honorem BB. Martyrum Hermacoræ, & Fortunati, ut de ipſis fiat memoria in ferialibus diebus tam in matutinis, quam in Veſperis, & idem fiat de B. Marco.

IX. Statuit præſens Concilium, ut omnes Sacerdotes alicujus Eccleſiæ ſive ſani fuerint, ſive infirmi, vel ſenio confecti in beneficio votivarum miſſarum ſocietatem habeant.

X. Abſentes extra civitatem ſive cum licentia, ſive ſine, de obligationibus votivarum miſſarum ſuum.... percipiant, ſicut plebani...., ſacerdotibus voluerint ordinare. Clerici tranſlati de una Eccleſiam ad aliam ſive in decimis, quæ ceciderint, ſive in obligationibus aliis nihil commune habeant cum priori, ſalvo qui plebanatum alicujus Eccleſiæ, & Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis, aut S. Marci de Venetiis poteſt interveniente canonica diſpenſatione ſimul recipere, & tenere. Illos, qui tranſlati ſunt ſine Prælatorum ſuorum licentia, vel deinceps transferrentur ad partes alias ibidem beneficia conſequentes, ſi non redierint infra annum in toto noſtro Patriarchatu cum beneficio Eccleſiaſtico privamus, ſive prælaturam habeant, ſive non. In taſagio exiſtentes nullum beneficium percipiant, & de decimis illorum, qui moriuntur, ſi tempore ſolutionis præſentes fuerint, in quocumque ordine recipiant partem ſuam, ſive antea mortui fuerint, ſive poſt. Hoc autem intelligimus generaliter de omnibus Clericis, ut tempore ſolutionis in quocumque ordine inveniantur, ſive in parte, ſive in toto decimæ perſolvantur, ſive ſecuritates de toto, vel de parte factæ fuerint, ſive non, recipiant partem ſuam.

XI. Volentes animarum periculum obviare, rationabili providentia duximus ſtatuendum, ut ad ſolutionem decimarum prædialium omnes univerſaliter teneantur, ſive clerici ſint, ſive laici, aut monachi, aut etiam Regulares, niſi compoſitione legitima muniti fuerint, vel privilegio ſpeciali, quoniam ipſas ſibi Dominus in ſignum univerſalis dominii reſervavit; & hoc tantum obtineat, ubi ſolvantur decimæ prædiales. Mixtas etiam, quæ loco prædialium, & realium alicubi ſucceſſerunt, ſolvi præcipimus, cum de jure, & approbata conſuetudine fuerint ſolvendæ. Omnes autem qui prædictas decimas prædiales, aut mixtas admoniti non perſolverint, aut fraudem ſcienter commiſerint in ſolvendo, ſacro approbante Concilio, excommunicationis vinculo innodamus.

XII. Ne propter locorum diſtantiam Eccleſiæ debitis clericorum miniſteriis defraudentur, ſtatutum eſt, & in præſenti Concilio approbatum, ut omnes clerici in ſacris ordinibus conſtituti, atque cuſtodes, quorum Eccleſiæ domos habent commodas, clericis deputatas, exceptis cellis dominicalibus plebanorum, in eis cellis debeant de nocte dormire, niſi infirmitate, vel alio impedimento legitimo ſint detenti, quæ domus inter eos rationabiliter dividantur.

XIII. Plebanis autem omnibus diſtincte duximus inhibendum, ne cellæ dominicales perſonis laicis maxime conjugatis ſine Epiſcoporum ſuorum licentia concedere audeant, vel locare, & ſi in ſcolis fuerint, aut plures habuerint plebanias....... ne liceat Clericis, aut perſonis literatis, aut etiam laicis abſolutis, dummodo ibi mulieres non habitent, concedere, vel locare pro ſuæ libito voluntatis. Qui ſecus fecerint, a ſuis Epiſcopis acrius puniantur. Eis autem, qui ante præſens Concilium perſonis hic prohibitis locare, & eas juxta formam predictam expediri faciant, duorum menſium ſpatium aſſignamus.

XIV. Liceat autem illis, quorum eccleſiæ proprias domos non habent, in ſuis, vel conductis domibus habitare cum matribus, neptibus, vel cognatis.

XV. Quia Presbyterorum mores, & actus in quantum poſſumus, cum Dei adjutorio cupimus in melius reformare, auctoritate præſentis Concilii ſalubriter duximus ſtatuendum tam de Sacerdotibus plebanis, & ceteris habitantibus, quam de quibuſlibet in ſacris ordinationibus conſtitutis.... Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ne eis liceat in propriis domibus, vel conductis, mercenarias, vel ancillas ſuſpectas filias, aut filios cum uxoribus, & amicis, quæ tum proceſſerunt in diebus, ſeu etiam quaſlibet concubinas publice ſecum in domo, vel alibi publice retinere. Quas etiam concubinas notorias ſi poſt tertiam admonitionem breviſſime ſibi factam a ſe non dimiſerint, & ab earum communione ſe non adverterint, excommunicationis vinculo innodamus..... ſi poſt menſem eas a ſe non dimiſerint, auctoritate præſentis Concilii quouſque....ab omni officio, & beneficio...... ſuſpenſi præſumpſerint celebrare per annum irremediabiliter ab omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico ſint privati.

XVI. . . . . . . . . . . . . . . & ab omnibus obſerventur, præcipimus, & mandamus omnibus habentibus perſonatum, plebanis, Canonicis, & aliis in ſacris ordinibus conſtitutis, ut honeſta, & clauſa deſuper deferant indumenta nimia brevitate, vel longitudine non notanda



tanda . . . ſericis viridibus exterius, & glaucis interius, & exterius non utantur. Zupellos mora . . . . vel alios . . manicas conſub. . . annulos, botonos de quacunque materia ex . . . vel de quocumque metallo, laicales mantellos .
. . . . . . . . . . . . .
inſulas, vel almutias in publico portari penitus prohibemus . . . . publice, ad choreas mulierum publice aſſiſtere ſibi prohibemus. Tranſgreſſores autem ſi ſe non correxerint, ad arbitrium Prælatorum acrius puniantur.

XVIII. Statuimus etiam, & mandamus, ut clerici omnes, maxime qui ſunt in ſacris, tonſuram, & coronam deferant congruentem ſecundum formam a ſuo Epiſcopo ſibi dandam, & templanis non utantur. Tranſgreſſores autem a ſuis Epiſcopis graviter puniantur.

XIX. Ne per quorumdam Clericorum inſolentiam cleri decor, & honeſtas eccleſiæ infametur, auctoritate ſacri concilii prohibemus clericis publice ludere ad taxillos, & cauſa ludendi, vel bibendi tabernas intrare, ſeu circa tabernas in publico bibere, niſi forſitan extra ſuam civitatem ſint in itinere conſtituti. Tranſgreſſorum autem pervicacia taliter a ſuis Epiſcopis compeſcatur, ut tranſeat aliis in exemplum.

XX. Malitiis hominum, atque laſciviis, præſertim ex quibus ſcandalum, atque periculum ſolet oriri, obviare volentes, omnes clericos, & perſonas eccleſiaſticas abſque ſui Epiſcopi licentia arma portantes, niſi ſint in itinere conſtituti, aut per conſpirationem, vel ſocietatem aliquam in detrimentum, & præjudicium alicujus juramento, vel quacumque alia firmitate ſe ad invicem colligantes, auctoritate ſacri Concilii excommunicationis vinculo innodamus.

XXI. Præſentis auctoritate Concilii ſancimus, ut ſi aliquis Clericus contra laicum extraxerit gladium, aut ipſum quocumque modo percuſſerit, vel alias intulerit ei atroces injurias, ea pœna pecuniaria a ſuo mulctetur Epiſcopo, qua laicus contra Clericum committens ſimilia a ſæculari judice puniretur; ut ſi certa fuerit, & ſtatuta apud Laicos parva, vel magna, ſimilis in eccleſiaſtico foro ſervetur, ſi arbitraria, & incerta, hoc idem Epiſcopi arbitrio relinquatur. Si vero inter Clericum, & Clericum prædicta, vel ſimilia committantur, ab Epiſcopo arbitrarie puniatur, qui utrobique pro qualitate delicti puniantur delinquentes.

XXII. Univerſaliter omnibus Clericis prohibemus, ne publica, & per ſe negotiationes exercere præſumant. Tranſgreſſores autem a ſuis Epiſcopis pœna Canonum puniantur.

XXIII. Ad hæc pro ſalute animarum omnibus conjugatis tam maribus, quam feminis ſub anathemate prohibemus, ne prætextu captandi, vel obſervandi amoris quæcunque maleficia facere præſumant. Generaliter autem omnes ſortilegos, & herbarios, ac maleficos excommunicamus, & qui prædicta maleficia fieri faciunt, ſeu qui ad eos accedunt. Eos etiam, qui cum chartis paccatis alios fraudolenter placitant, eadem excommunicationis ſententia duximus innodandos. Et ne per vitium falſitatis innocentes contra juſtitiam opprimantur, falſa inſtrumenta publica componentes, & conſulentes, ſeu fieri facientes, vel ipſis inſtrumentis falſis in judicium ſcienter utentes, aut aliena inſtrumenta ad ſe non pertinentia in fraudem vendentes, vel ementes, aut penes ſe doloſe retinentes, & eos, qui in læſionem proximi falſum teſtificantur teſtimonium coram Judice Eccleſiaſtico vel civili, & alios inducunt, vel inſtruunt ad falſum teſtimonium proferendum.

XXIV. Viros etiam omnes, qui relinquunt uxores legitimas temeritate propria aliis ſuperductis de facto; vel e converſo mulieres, quæ derelinquunt viros legitimos de facto cum aliis contrahentes, ſeu qui ſcienter contrahunt in gradibus prohibitis contra canonica ſtatuta: Executores inſuper teſtamentorum, qui relicta ad pias cauſas in totum, vel in partem prout melius poſſunt uſque ad annum negligunt, & recuſant exequi: Laicos etiam, qui temeritate propria eccleſias tenent clauſas, clericos de ipſis eccleſiis expellentes: illos etiam clericos, vel laicos, qui vacantibus Eccleſiis Cathedralibus bona Eccleſiæ, & prælati defuncti ad eccleſiam pertinentia diſtrahere, vel invadere præſumpſerunt, aut per modum aliquem in fraudem, vel detrimentum eccleſiæ occupant, niſi ſecundum tenorem conſtitutionis editæ ſuper hæc ſacro approbante concilio excommunicationis vinculo innodamus; *cum ſecundum ſacrorum canonum* . . . . totas ad cathedrales eccleſias.

XXV. Quoniam laicis quamvis religioſis de rebus eccleſiaſticis diſponendis nulla legitur attributa facultas, ſub anathemate tam laicis, quam clericis prohibemus, ne vacantibus eccleſiis paſtore juramenta, vel pacta faciant de eligendo paſtore. Sub anathemate etiam inhibemus, ne laicis, exceptis Procuratoribus S. Marci, procurationes ſuper bonis eccleſiarum adminiſtrandis ullatenus intromittant, niſi ſuper recipienda, & diſponenda quarta decimæ fabricæ deputata, aut oblationes votorum, vel legatorum nominatim per fabricam dimiſſorum, & utenſilibus, reformationes domorum eccleſiarum, atque theſauris eccleſiarum, & veſtibus conſervandis, quæ pro ſæculari cuſtodia conſueverunt laicis aſſignari. Sed hæc ad Cathedrales Eccleſias extendi nolumus, niſi quantum de Prælatorum proceſſerit voluntate. Diſpenſatio autem, & adminiſtratio promiſſa fiat cum omni conſilio Prælati, & majoris partis Capituli. Quod ſi diſſenſio orta fuerit inter Prælatum, & Clericos, vel inter Prælatos, aut Clericum ex una parte, & procuratores ex altera, ad Epiſcopum recurratur. Teneantur autem procuratores hujuſmodi, & qui bona Monaſteriorum quomodolibet adminiſtrant annis ſingulis de perceptis, & expenſatis Prælatis, & capitulo reddere rationem. Quod ſi non fecerint poſt lapſum prædicti temporis infra menſem excommunicationi ſubjaceant, & procurationis officio de cetero non utantur.

XXVI. Speciali decreto ſtabilimus, ne in Dalmatiæ partibus..... hec totaliter ad eccleſias, & monaſteria, quæ poſſeſſiones habent, vel illis partibus Dalmatiæ . . . . .

XXVII. Firmiter inhibemus, quod nullus Clericus de quæſtione perſonali, vel criminali debeat coram ſæculari judice reſpondere: ſed nec in reaſi, etiamſi conſuetudo, imo corruptela verius ſuper hoc allegetur.

XXVIII. Laici autem, qui temeritate propria detinent, vel invadunt poſſeſſiones, & redditus ad Eccleſias, Capellas, & Monaſteria pertinentes, ſeu juriſdictiones earum, & privilegia ſibi conceſſa diminuunt. Illi etiam, qui deſtruunt vineas illarum, partes, vel totaliter deſtruendo, aut ſegetes fraudolenter, oves, boves, equos, & cetera animalia magna interficiunt, vel lethaliter vulnerant, ſive ledunt tanquam ſacrilegi, & invaſores bonorum Eccleſiaſticorum, excommunicationis vinculo ſint ſubjecti.

ANNO CHRISTI 1296.

XXIX. Volentes pravorum fraudolentiæ quantum poſſumus obviare, ſtatuimus, ut nullus forinſecus, & ignotus ad partes noſtras accedens uxorem accipiat, niſi habuerit literas ſui Epiſcopi teſtimonium perhibentis, quod ſint ſoluti, aut ſaltem denunciatio trina ad arbitrium Epiſcopi in eccleſiis publice permittatur, ut infra datum terminum qui voluerit, & valuerit, legitimum matrimonium opponat, & ipſi presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam, contrahendus contractus contradicatur expreſſe, donec quod fieri debeat, ſuper eo manifeſtis conſtiterit documentis. Alias autem miſſa nuptialis a Sacerdotibus non cantetur, niſi annulus benedicatur. Si qui autem Sacerdotum ſecus fecerit, per menſem ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendatur.

XXX. Quia in celebrandis nuptiis, & conviviis nuptialibus, atque traducendis ſponſis in diebus prohibitis a ſanctis Patribus, præcipue a die Dominico Adventus Domini incluſive uſque poſt Epiphaniam, & a die Dominico ſeptuageſimæ incluſive uſque ad octavam Reſurrectionis Domini contra Dei legem, a qua pluribus ſubjectorum noſtrorum delinquebatur aliquando, ſub interminatione anathematis prohibemus, ne de cetero diebus prædictis benedicantur annuli nuptiales. Miſſa ſpecialis novitiæ celebretur, aut ſponſa etiam traducatur. Tranſgreſſores autem a ſuis Epiſcopis, vel Prælatis graviter puniantur.

XXXI. Statuentes præcipimus, ut in cœna Domini una Miſſa tantum illius diei propria clerici ſint contenti. In Paraſceve vero, & ſabbato Sancto exceptis religioſis, & Eccleſiis Cathedralibus, & Baptiſmalibus, & Eccleſia S. Joannis de Rivoalto, quæ ſuper hoc privilegium obtinet ſpeciale, nullus ſacerdos Miſſam votivam, vel aliam celebare præſumat. Tranſgreſſor autem ſi quis fuerit uſque ad octavam Paſchæ illius tantum anni ab officio, & beneficio ſuſpendatur, aut alias arbitrio ſui Epiſcopi gravius puniatur. Et ſi contingat, quod illis diebus aliquod funus ſepeliendum ad eccleſiam, vel monaſterium deferatur, fiat exequiarum officium conſuetum abſque miſſa ſubmiſſa voce legendo potius quam cantando, & ſine pulſatione campanarum, pœna ſimili tranſgreſſoribus imponenda.

XXXII. Poſtremo providendo ſtatuimus, ut omnes pecuniariæ pœnæ pro clericorum exceſſibus exigendæ per Epiſcopos, aut alios de ipſorum ſpeciali mandato a delinquentibus exigantur, & pro ipſorum arbitrio diſpenſentur, quibus etiam Epiſcopis abſolutiones incidentium in ſpirituales pœnas, & qui hactenus inciderint, & relaxationes earum præſenti auctoritate reſervantur.

XXXIII. Antiquatis igitur omnibus, quæ a prædeceſſoribus noſtris diverſis ſunt ſtatuta temporibus, prædicta, quomodo ſanctum ordinavit Concilium, & mandavit, præcipimus inviolabiliter obſervari.

Actum eſt hoc apud Gradum in majori Eccleſia Gradenſi anno MCCXCVI. in die nona die Veneris XIII. intrante menſe Julio, præſentibus diſcretis viris Adam, & Adamero Canonicis Gradenſibus, Jo: Archidiacono, & Marco Cornelia Canonico Caſtellano, Matthæo procuratore Capituli Caſtellani, Facio Canonico Clugienſi, Jacobo Morango Canonico Caprulano, & aliis teſtibus rogatis. In cujus rei teſtimonium, & evidentiam pleniorem præfatus D. Patriarcha huic præſenti Concilio, ſive publico inſtrumento juſſit ſuum ſigillum in appenſione apponi. Et ego Vambolinus Parmenſis publicus Imperiali auctoritate notarius, & vice prædicti D. Patriarchæ ſcriba, prædictis ſtatutis, & conſtitutionibus univerſis omnibus præſens interfui, & ea omnia de mandato dicti D. Patriarchæ, & dictorum ſuorum ſuffraganeorum . . . . . . . . . .

Publicatæ, & expoſitæ fuerunt ſupraſcriptæ conſtitutiones dicti Gradenſis Concilii celebrati in provinciali Concilio Gradenſi in ſupraſcripto Patriarchatu per venerabiles Patres Dominos Dei gratia Patriarcham Gradenſem, & ejus ſuffraganeos apud Gradum per vener. patrem D. Aironem Dei, & Apoſtolica gratia Epiſcopum Torcellanum ſupraſcriptum anno domini ſupraſcripto, & Indictione in dicta Cathedrali Eccleſia Torcellana die vero XII. exeuntis Auguſti . . . . . præſentibus diſcretis viris Rev. patre D. . . . . . Biſontio Dei gratia Abbate Monaſterii S. Thomæ de Torcello Ciſtercien. ordinis, & Rinaldo ejuſdem Monaſterii Monacho, diſcretis viris presbytero . . . . . . & presb. Dominico Grauſo de Torcello . . . . . . convocato, ut ſupra ſcriptum eſt de hoc ſpecialiter in dicta eccleſia Torcelli. Univerſis Clericis civitatis, & diœceſis Torcellanæ per ejuſdem domini Epiſcopi literas ſpeciales. In cujus rei teſtimonium, idem D. Epiſcopus præſentibus ſuis ſigillum apponi juſſit, & appendi.

Ego Stephanus Novellus filius Vecceloti Novelli . . . . de Torcello Imperiali auctoritate Notarius & prædicti domini Epiſcopi Torcellani Notarius præſentes conſtitutiones . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

ANNO CHRISTI 1297.

## ** CONCILIUM LONDINENSE,

### XXVI. Mart. anno Dom. MCCXCVII. præſidente Roberto archiepiſcopo Cantuar. cum ſuffraganeis celebratum.

Ex Matthæo Weſtmonaſter.

ANno gratiæ MCCXCVII. congregatis archipræſule Cantuarienſi, & quibuſdam aliis coepiſcopis ſuffraganeis ſuis, apud ſanctum Paulum, Londini XXVI. die Martii, iterum pro ſtatu eccleſiæ conſulturis: inſurgentes protinus duo cauſidici, & duo de ordine Prædicatorum fratres, regalem & temporalem favorem aucupantes, conati ſunt argumentis probare clerum ipſi regi, in tempore belli, nonobſtante prohibitione apoſtolica, de ſuis facultatibus poſſe licite ſubvenire. Inſuper, prohibito ſub pœna incarcerationis, ne quis contra ipſum regem, & eos qui jampridem ſuam protectionem quæſierant, excommunicationis ſententiam promulgaret: provocatione facta pro ſe ad Romanam curiam, & pro ipſis. Receſſerunt igitur omnes, oneratis ſuis conſcientiis per archiepiſcopum, ſic dicentem: Salvet ſuam animam unuſquiſque.

Sen-



ANNO CHRISTI 1297.

** Sententia excommunicationis per Robertum Cantuar. archiepiſc. ex ſynodali decreto lata contra occupatores bonorum eccleſiaſticorum, & infringentes articulos chartarum; ſcilicet magnæ Chartæ, & chartæ de foreſta: nec non contra detentores, & incarcerantes clericos.

Ex vet. codice MS. bibl. Cotton.

ROBERTUS permiſſione Divina Londonienſis epiſcopus, dilectis in Chriſto filiis decano & capitulo eccleſiæ noſtræ S. Pauli London. ſalutem, gratiam & benedictionem. Litteras reverendi patris domini R. Dei gratia Cantuarienſis archiepiſcopi totius Angliæ primatis recepimus, formam, quæ ſequitur, continentes. » ROBERTUS permiſſione Divina Cantuarienſis archiepiſcopus totius Angliæ primas, venerabili fratri domino R. Dei gratia epiſcopo Londonienſi ſalutem & fraternam in Domino caritatem. Frequenter exigit repentina neceſſitas, & congrua futurorum cautela, ut & præordinata pro periculis evitandis remedia, ſed forſan negligenter omiſſa, vivacius iterentur, & nova ſuperaddatur in hujuſmodi executione medela, in iis præcipue quæ ſanctorum patrum jamdudum ſanxit authoritas, & quæ non poſſunt a nobis epiſcopis, qui eorum ſtatuta ſervare tenemur, abſque periculo noſtræ profeſſionis omitti. Nuper ſiquidem in quadam convocatione prælatorum & cleri London. celebrata poſt feſtum S. Hilarii, anno Domini MCCXCVI. per nos & coepiſcopos noſtros communi extitit ordinatione condictum, & eis per nos in virtute obedientiæ ad quorumdam eorum excitationem injunctum, ut in cathedralibus eccleſiis & ceteris locis inſignibus per epiſcopos ipſos, in aliis vero eccleſiis ſingularum diœceſum per alios viros idoneos, ad diœceſanorum mandatum denunciarentur publice & in genere majoris excommunicationis ſententia innodati, omnes qui eccleſiaſtica bona, ſine grata permiſſione dominorum eorumdem vel ballivorum ſuorum, diriperent, vel a domibus aut aliis locis eccleſiarum per violentiam amoverent. Sed ut ex poſt facto didicimus, & graviter exinde dolemus: executiones hujuſmodi, non abſque multorum periculo, & eorum præcipue, qui ad id ex obedientiæ debito tenebantur, ab aliquibus coepiſcopis noſtris in toto, ab aliis autem in parte, hactenus ſunt omiſſæ; per quod quamplures malevoli quandoque ſumpſerunt, & impoſterum forſitan ſument, majorem audaciam taliter delinquendi.

In ultima etiam innovatione magnarum chartarum de libertatibus & foreſtæ antiquitus conceſſarum, per principem nuper facta, dominus rex innovans ordinavit & ſtatuit: quod eædem chartæ ad cathedrales eccleſias, per totum regnum Angliæ mitterentur, & remanerent ibidem, quodque legerentur coram populo bis in anno; & quod archiepiſcopi & epiſcopi regni Angliæ ferrent majoris excommunicationis ſententias in omnes illos, qui contra dictas chartas venirent, facto, auxilio, vel conſilio, aut in quocumque puncto infringerent chartas ipſas; quodque eidem epiſcopi eaſdem ſententias publicarent, vel facerent publicari in ſuis cathedralibus eccleſiis bis in anno; & quod epiſcopi ſuper facienda publicatione hujuſmodi negligentes, per Cantuarienſem & Eboracenſem archiepiſcopos, qui pro tempore fuerint, reprehenderentur; & ad denunciationes hujuſmodi faciendas per eoſdem archiepiſcopos arcerentur.

Nos etiam & noſtri coepiſcopi tunc præſentes, ac nobis in pontificalibus, aſſiſtentes apud Weſtmonaſterium, etiam de conſenſu conſilii domini regis tunc in partibus tranſmarinis agentis, dictam excommunicationis ſententiam ſolemniter tulimus & publicavimus in vulgari. Ut igitur tam ſalubriter ordinata, & pro tam grandi communi utilitate proviſa per diſſimulationem non tranſeant ſine fructu: jam in ultima congregatione prælatorum & cleri, poſt feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ apud novum templum London. per nos, noſtroſque coepiſcopos, & prælatos ac clerum noſtræ Cantuarienſis provinciæ, proviſum extitit & condictum, ut dictæ excommunicationum ſententiæ contra violatores chartarum, bis in anno, ut ſupra, videlicet in feſtis omnium Sanctorum, & Dominicæ in Ramis Palmarum, in cathedralibus eccleſiis per epiſcopos, ſi fieri poſſit, alioquin eorum authoritate per alios, ſolemniter publicentur.

Quia inſuper dominus rex in innovatione prædicta prælatis & toti communitati regni promiſerat, quod pro nullo negotio quicquam nomine ipſius domini regis de bonis alicujus caperetur, ſine totius communi aſſenſu regni: & ſi contingat (quod abſit) aliquos malefactores de domibus, grangiis, aut aliis locis eccleſiaſticis, bona eccleſiaſticarum perſonarum auferre, abducere, vel aliqualiter aſportare, ſine grata permiſſione dominorum bonorum hujuſmodi, vel bailivorum ſuorum (quod ut præmittitur de voluntate domini regis nullo modo procedere præſumatur) difficile erit & ſæpe damnoſum perſonis ſic ſpoliatis, aut læſis, ad ſuos epiſcopos ſemper habere recurſum: tam nobis noſtriſque coepiſcopis & prælatis & clero prædictis videbatur expediens, & per eos in eadem congregatione conſenſum extitit & condictum; ut ſingulis inferioribus prelatis, rectoribus, etiam vicariis parochialium eccleſiarum, detur per ſuos diœceſanos expreſſa poteſtas denunciandi publice, & ſolemniter, malefactores hujuſmodi, qui per facti evidentiam notorie & manifeſte maleficium hujuſmodi perpetrare præſument, una cum eorum complicibus dicta excommunicationis ſententia innodatos. Quocirca fraternitati veſtræ in virtute obedientiæ, firmiter injungendo mandamus, quatenus dictam ſententiam contra occupatores bonorum eccleſiaſticorum, prout in prima dictarum congregationum, ut ſupra ordinatum extiterat, in ſingulis eccleſiis veſtræ diœceſis, juxta ordinationem eandem; memoratam vero ſententiam contra infringentes articulos dictarum chartarum, per nos & noſtros coepiſcopos, ut ſupra, conſenſu regio interveniente prolatam, ſecundum formam, in præfata ultima congregatione proviſam, dictis diebus & locis, ſcilicet, bis in anno, in feſtivitatibus ſupraſcriptis, faciatis in forma, quæ ſuperius tangitur, publicari; & in Anglico ſeriatim in omnibus; ac patenter exponi, pulſatis campanis, & candelis accenſis, ut propter ſolemnitatem hujuſmodi (quam laici magis quam effectum hujuſmodi ſententiarum attendunt) amplius timeatur. Detur etiam per vos, ſicut in dicta ordinatione ultima concorditer extitit ordinatum, inferioribus prælatis, & rectoribus ac vicariis, ac etiam capellanis parochialibus, plena & expreſſa poteſtas denunciandi publice, & nominatim, cum dicta ſolenitate, malefactores prędictos; ſcilicet, occupatores & invaſores bonorum eccleſiaſticorum, ſi qui in hujuſmodi prelatorum locis, aut rectorum ſeu vicariorum parochiis,

rochiis, in futurum bona hujuſmodi invaſerint, occupaverint, aut amoverint, ſeu ſic invadi, occupari, aut amoveri fecerint, in notoria evidentia ipſius maleficii, majoris excommunicationis ſententia innodatos. Proviſo tamen, quod non niſi in facto notorio & evidenti, ac etiam ſub teſtimonio ſufficienti, per eoſdem rectores, vicarios, & preſbyteros taliter procedatur: ut inſuper, cumulatis ad ſupradictam cautelis, amplius arceatur ac reprimatur perverſorum iniquitas, in hujuſmodi malefactorum nominatim, ut prætangitur, denunciatorum præſentia, ceſſetur ubilibet a celebratione Miſſarum; & ſic excommunicati per ſingulos dies Dominicos & feſtivos denuncientur ſolemniter; ſubtracta etiam eis, per inhibitionem ſuper hoc faciendam, communione fidelium; quouſque ſic ablata reſtituant, & exinde idonea ſatisfactione præmiſſa, ab eadem ſententia congrue fuerint abſoluti. Et cum de hujuſmodi maleficio perpetrato vobis per aliquem ſubditorum veſtrorum denunciatum extiterit, vel ad vos exinde publica fama pervenerit: plenam cum celeritate juſtitiam fieri faciatis, malefactores hujuſmodi ac etiam fautores & complices eorundem, nec non ſcienter communicantes eiſdem, poſtquam id competenter inhibitum fuerit, per coerciones canonicas diligenter & acriter puniendo.

Similem etiam excommunicationis ſententiam in omnes illos, qui manus in clericos temere violentas injecerint, faciatis in ſolemnitate eadem publicari. Si vero in tantum aliquorum ſe extendit iniquitas, prout forſan evenire poſſe timetur, quod prælati, ſeu eccleſiarum rectores aut vicarii, ſive presbyteri, vel alii eccleſiaſtici viri quicumque, occaſione præmiſſorum, vel alicujus eorum, per laicalem potentiam capiantur, ſeu detineantur in carcere aut in cuſtodia quoquomodo: vobis injungimus in virtute obedientiæ, prout etiam in dicta ultima congregatione per prælatos & clerum ordinatum extiterat, ut loca, in quibus ſic capti detinebuntur, & quatuor eccleſias proximo vicinas, quatenus ſub diſtrictu veſtro, extiterint, interdicto eccleſiaſtico protinus ſupponatis; & ſic interdicta remaneant, quamdiu taliter capti detinentur ibidem. Et nihilo minus captores ac detentores hujuſmodi, & authoritatem ſuper hoc præbentes eiſdem, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis poſt ſcelus hujuſmodi perpetratum, in omnibus eccleſiis veſtræ diœceſis inter Miſſarum ſolemnia coram clero & populo, pulſatis campanis, & candelis accenſis, ut magis timeatur ſolemnitas, denuncientur ſolemniter majoris excommunicationis ſententia innodati. Et ut hoc ad notitiam ſingulorum perveniat, in Anglico exponatur: donec ſic excommunicati, congrua ſatisfactione præmiſſa, in forma eccleſiæ, ab eadem ſententia per competentem judicem fuerint abſoluti.

Quia inſuper proceſſiones ſolemnes, & orationum ſuffragia, quæ pro ſtatu terræ ſanctæ, & pace, ac etiam tranquillitate & proſperitate eccleſiæ, regis & regni, dudum ſalubriter ordinavimus ac mandavimus per diœceſes ſingulas facienda, negligenter in multis & non abſque multorum periculo hactenus, ut audivimus, ſunt omiſſa, de quibus, ſi fierent, fructus maximus merito ſperaretur: ac etiam dominus rex nuper in ultima congregatione prædicta per nuncios ſuos rogaverit, ut pro eo & ſuis in expeditione præſenti, quam contra hoſtes ipſius & regni nuper aſſumpſit, orationes & ſuffragia hujuſmodi fieri, necnon Scotos & eorum complices, qui eccleſias regni Angliæ & loca eccleſiaſtica violenter invadere, comburere, ac bonis eccleſiaſticis auſu ſacrilego ſpoliare, pacemque regni & eccleſiæ patenter infringere ac perturbare præſumpſerant & præſumunt, ut dicitur, excommunicatos publice per noſtram denunciari provinciam faceremus: vobis, ut ſupra, mandamus & injungimus, quatenus dictas proceſſiones, & orationum ſuffragia, tam pro ſtatu terræ ſanctæ, & pace regni & eccleſiæ Anglicanæ, quam etiam pro domino rege & ſibi adhærentibus in ſua expeditione præſenti ſpecialiter, necnon denunciationes excommunicationum prædictas, per totam veſtram diœceſim ſingulis diebus & locis, quibus id expedire videritis, ſolemniter per vos, quatenus ad vos attinet, & ulterius per alios, fieri faciatis: hæc omnia tam vigilanter & ſolicite proſequentes, ut ex hoc ſtatus eccleſiæ reformetur in melius, & veſtrorum augeatur cumulus meritorum. Vos etiam temporibus opportunis per totam veſtram diœceſim faciatis inquiri, an præmiſſa per veſtros ſubditos, quatenus ad vos pertinet, fuerint, ut ſuperius tangitur, obſervata. Et nos ſuper his tam de facto veſtro, quam ſubditorum veſtrorum certificetis idonee, ſaltem ſemel in anno, per veſtras litteras patentes harum ſeriem continentes. Datæ apud Octeford. VI. Idus Julii, an. Dom. MCCXCVII. conſecrationis noſtræ IV.

Sententias igitur contra invaſores & occupatores bonorum eccleſiaſticorum, necnon contra infringentes articulos dictarum chartarum, tam in genere, quam in ſpecie, ſecundum formam quæ ſupra traditur, diebus ad hoc ſtatutis, cum ſolemnitate præmiſſa, in præbendis & eccleſiis veſtræ juriſdictioni ſubjectis, ac etiam contra injicientes manus violentas in clericum, lingua omnibus intelligibili faciatis tam per vos, quam per veſtros ſubditos publicari. Hæc autem & alia, quæ in hoc exprimuntur mandato, vobis & ceteris plenam & liberam poteſtatem committimus exequendi. In noſtra vero eccleſia ſancti Pauli, nos ipſi, comite ſanitate, ac impedimento ceſſante, exequemur præmiſſa, diebus, ut ſupra fit mentio, præſtitutis. Proceſſiones inſuper, & orationum ſuffragia, ut in præſenti continetur mandato, in eccleſia noſtra prædicta, cum devotione, more ſolito, fieri faciatis. Sententiam etiam excommunicationis, quam Scoti & eorum complices, ob cauſas in hoc mandato expreſſas, quas in promulgatione hujuſmodi ſententiæ volumus patefieri, incurriſſe noſcuntur, quantocius fieri poterit, in locis in quibus expedire videritis, faciatis ſolemniter publicari. Nos poſtea ſuper præmiſſis omnibus opportuno tempore certificantes, per litteras veſtras patentes harum ſeriem continentes.

Datum apud Orſeth VIII. Kalend. Auguſti, anno Domini ſupradicto.







Ex Batavia ſacra pag. 171.

# SYNODUS TRAJECTENSIS

## A VVILHELMO EPISCOPO

### Anno Domini MCCXCVII. celebrata.

VVilhelmus Dei gratia epiſcopus Trajectenſis univerſis & ſingulis noſtrum proceſſum inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam, viris venerabilibus in Chriſto, nobis dilectis Decano & Capitulo noſtræ eccleſiæ Trajectenſis. Propter quorumdam canonicorum duritiam, pertinaciam, diſcordiaſque nobis ad Capitulum per eoſdem vocatis ad dictorum duritiam, & pertinaciam per nos tanquam ad ſuperiorem compeſcendum, & ipſo in Capitulo exiſtentibus, de ipſorum conſilio, & conſenſu ſuper vita, moribus, ac ſtatu Eccleſiæ, ac perſonarum, per inquiſitionem ſedata per nos prius, quæ fuit inter ipſos, diſcordia, quoſdam in ipſa eccleſia defectum in natalibus patientes, in fine diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ contra juſtitiam, in honorem Eccleſiæ ad ſacros ordines promotos, & alios illegitimos ſimplice a ſede diſpenſationem habentes, ut poſſint ad ſacros promoveri: unde beneficium eccleſiaſticum ſine cura obtinere invenimus, canonicatus ac præbendas occupari minus juſte, alios etiam plura beneficia contra ſtatuta ſynodalia in ipſa Eccleſia obtinere.

Conſiderantes itaque noſtra intereſſe, hujuſmodi nefandas tolerantias abolere, & ab ipſa eccleſia penitus extirpare, communicato & deliberato conſilio & conſenſu Decani & Capituli antedictorum, ſtatuimus & ordinamus, & ſub pœnis ſententiæ expenſis, & excommunicationis latæ in his præcipimus, ne de cetero aliqui, defectum in natalibus patientes, diſpenſationem tantum ſuper defectum natalium habentes, niſi in diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ ſibi facta continentur expreſſe, quod poſſint & debeant, per hujuſmodi diſpenſationem in eccleſia cathedrali in Canonicos recipi & admitti, recipiantur in Canonicos in eccleſia prædicta, maxime cum non ſit intentionis Domini Papæ, aliquem in Cathedrali Eccleſia debere & poſſe Canonicatum & præbendam obtinere, quin poſſit in Decanum, Archidiaconum, & Epiſcopum eligi & admitti. Ceterum omnibus dictum defectum patientibus præcipimus, & peremptorie monemus, ut infra biennium, a data præſentium numerandum, ſe per ſedem Apoſtolicam habilitari procurent, ut poſſint dictos Canonicatus, & præbendas obtinere, alioquin ex tunc eoſdem vacare decernimus aliis deferendos.

Inſuper inhibemus ſub pœnis antedictis, ne aliquis in aliqua una Eccleſiarum noſtræ civitatis & diœceſis duo beneficia habeat, niſi præbendis theſauraria, ſcholaſticaria, ſeu alia officia de conſuetudine ſint annexa. In omnes & ſingulos contrarium facientes tam conferentes, quam detinentes, ſententias ſuſpenſionis & excommunicationis ferimus, in his ſcriptis. Et præcipimus ſub pœna excommunicationis ſententiæ latæ in his ſcriptis, eaſdem ſententias per Decanum, ſive per Hebdomadarium, aut ſeniorem de capitulo, qui pro tempore fuerit, publicari. In ejus proceſſus teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Actum & datum anno Domini 1297. die Jovis poſt Dominicam *Miſericordias Domini* &c.

# CONCILIUM LUGDUNENSE

### Quo inhibetur principibus ne ſacerdotibus vectigalia imponant, habitum anno Dom. MCCXCVII. tempore Bonifacii papæ VIII.

HÆc ſynodus, *inquit Genebrardus libro quarto chronici*, celebrata fuit præſide Bonifacio pontifice, qui animadvertens, quotidie principes nova vectigalia ſacerdotibus imponere, interdum ſine juſta cauſa, interdixit in eo concilio, ne poſthac id facerent, neve ſacerdotes injuſſu Romani pontificis illa impoſita conferrent. *Hæc ex Polydoro libro decimoſeptimo Anglicæ hiſtoriæ Genebrardus.*

NOTA GABR. COSSARTII S. J.

Expungendum hoc concilium fuiſſet, niſi Binium integrum repræſentandum ſuſcepiſſemus. Fictitium enim eſſe conſtat: cum neque hoc anno Bonifacius, nec omnino ex quo pontifex eſt factus, Gallias attigerit. Edidit quidem de hoc ipſo argumento conſtitutionem, ſed Anagniæ, XV. Kal. Septemb. anno pontificatus ſui ſecundo, qui annus eſt Chriſti MCCXCVI. Quæ hujus de Lugdunenſi concilio erroris origo fuerit, indicaturum ſe Labbeus ſpoponderat. Quantum autem aſſequi conjiciendo poſſum, aliam nullam probabilem potuiſſet, niſi quam Spondanus jam aperuerat: ex eo nimirum id ortum eſſe, quod in vetuſtioribus editionibus libri ſexti decretalium inſcriptum eſſet huic conſtitutioni: *Bonifacius VIII. in concilio Lugdunenſi.* Quod mendum in poſterioribus editionibus ſublatum eſt. Qui autem ſit factum, ut eo irrepſerit Lugdunenſis concilii mentio, non eſt conjectura difficilis. Inſcriptum erat ſcilicet conſtitutioni proxime ſuperiori, *Gregorius X. in concilio Lugdunenſi*; tres poſteriores voculas Bonifacii quoque decreto oſcitans librarius inſcripſit.

Anno Christi 1298.

# ** SYNODUS SANTONENSIS,

Ex codice conſtitutionum ſynodalium Santonenſis eccleſiæ.

Conſtitutiones domini Guidonis epiſc. Santonenſis promulgatæ in ſynodo hiemali celebrata anno Domini MCCXCVIII.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *De vita & honeſtate curatorum ſacerdotum.*
2. *De iis qui eccleſias dant ad firmam.*
3. *Ut eccleſiarum rectores in iis reſideant.*
4. *Ut religioſi deferant habitum ſuum.*
5. *De iis qui in alienis parochiis decimas novalium percipiunt.*
6. *De excommunicatis ratione teſtamentorum.*
7. *De invaſoribus bonorum & jurium eccleſiaſticorum.*

## CAPITULA.

### I. *De vita & honeſtate curatorum ſacerdotum.*

CUrati ſacerdotes, ſotulares conſutitios, & manicas, ſub pœna excommunicationis ulterius portare non præſumant. Conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum, & provinciales, etiam ſub pœnis ibi inſertis, præcipimus obſervari.

### II. *De iis qui eccleſias dant ad firmam.*

Item denunciamus excommunicatos illos omnes, qui ſine noſtra licentia eccleſias ſuas dederunt ad firmam.

### III. *Ut eccleſiarum rectores in iis reſideant.*

Item monemus omnes eccleſiarum rectores, ut in eccleſiis ſuis perſonaliter reſideant. Quod niſi fecerint, pœnam conſtitutionis ſuper hoc editæ eos incurrere volumus ipſo facto: illis dumtaxat exceptis, qui a nobis licentiam obtinuerunt gratia ſtudiorum. Quos etiam, ſi laſcivam vitam ducant in ſtudiis, revocamus: & etiam illos, qui ſubrepta a nobis licentia ob cauſam ignominioſam receſſiſſe dicuntur, ſuper criminibus diffamati.

### IV. *Ut religioſi deferant habitum ſuum.*

Monemus omnes religioſos, ut tam in domibus, quam extra, deferant habitum ſuum. Qui contrarium fecerint, niſi ex cauſa legitima valeant excuſari, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

### V. *De iis qui in alienis parochiis decimas novalium percipiunt.*

Item monemus omnes illos, qui in alienis parochiis decimas novalium, ſine conſenſu noſtro & rectorum eccleſiarum, in quarum parochiis ipſa conſiſtunt novalia, percipiunt, ut a modo non percipiant: & ſi contrarium fecerint, noverint ſe excommunicationis vinculo innodatos.

### VI. *De excommunicatis ratione teſtamentorum.*

Denunciamus item excommunicatos omnes illos, qui apud nos ratione teſtamentorum excommunicati fuerint: & denunciari mandamus, niſi infra viginti dies de abſolutione doceant coram nobis.

### VII. *De invaſoribus bonorum & jurium eccleſiaſticorum.*

Statuimus, quod quicumque bona clericorum eccleſiarum, ſeu eccleſiaſticarum perſonarum, injuſte invaſerint, ceperint, occupaverint, rapuerint, detinuerint; invadi, occupari, capi, percipi, rapi, detineri fecerint, mandaverint, procuraverint; vel nomine ſuo invaſum, occupatum, captum, raptum, detentum, ratum habuerint; & quicumque juriſdictionem eccleſiaſticam, jura, conſuetudines laudabiles eccleſiarum hactenus obſervata, impediverint, turbaverint, vel oppreſſerint ſcienter: ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant. Et hæc diebus Dominicis, & aliis ſolemnitatibus, in eccleſiis, & aliis locis eccleſiaſticis, mandamus nunciari.

Anno Christi 1299.

# ** CONCILIUM ROTOMAGENSE.

Editum a Ludov. Bail in ſumma, nunc autem cum MS. collatum.

Conſtitutiones factæ in eccleſia [a] B. Mariæ de Prato, juxta Rotomagum, per reverendos patres ac dominos, archiepiſcopum Rotomagenſem & ejus ſuffraganeos, anno Dom. MCCXCIX. die Jovis poſt octavas Pentecoſtes.

[a] Noſtre Dame de BonneNouvelle.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *De vita & honeſtate clericorum beneficiatorum.*
2. *Ut placita diebus feſtis non teneantur.*
3. *Ut clerici, in factis perſonalibus juſtitiæ ſæculari ſe non ſubjiciant.*
4. *Ne judices ſæculares coram ſe reſpondere compellant clericos, vel laicos occaſione factorum a clericis commiſſorum.*
5. *De iis qui juriſdictionem eccleſiaſticam impediunt.*
6. *De abſolvendi poteſtate, quæ religioſis conceditur ab epiſcopis.*
7. *Ut his ſtatutis ab omnibus pareatur.*



Anno Christi 1299.

## CAPITULA.

### I. *De vita & honeſtate clericorum beneficiatorum.*

QUoniam, ſicut ipſa facti evidentia quotidiana docente cognovimus, ſacerdotes quidam curati, atque alii beneficiati clerici, cucufati, ſotularibus conſutis laqueis calciati, enſibus accincti ſeu gladiis, quorum uſus eis interdicitur, ſuper veſtem, ad modum militum, impudenter accedunt in locis publicis, veſtimenta nimia brevitate notanda minuſque congruentem tonſuram publice deferentes, focarias ſeu concubinas, aut alias mulieres quarum converſatio cum eiſdem clericis eſt ſuſpecta, in ſuis habent domibus, atque nonnumquam in alienis confovent & frequentant; ac nonnulli juſtitiæ ſæcularis officium, audiendo cauſas, examinando proceſſus ut judices, in curia ſæculari exercent: & quidam fœneratitiis aliiſque contractibus illicitis contra* ſe immiſcent, vitam ſuam alias in luxuriis, ebrietatibus, commeſſationibus deducentes, ſupplicium quærunt ſibi perpetuum, ſeminantes in carne, corruptionem meſſuri, perenniter miniſterium ſuum vituperant, proximos ſcandalizant, atque ſubjectos, & alios populos, quibus bene vivendi lumen & ſpeculum ſine ruga debent per opera ſancta prætendere, in ſcipſis apoſtatare faciunt & errare in invio: ac ex ſuis reprobis actibus & exemplis illos in puteum interitus ſecum trahunt. Quin obliti penitus Dei ſui, atque homines ſine lege, officii ſui immemores, qui ſunt in ſanctificatione electi, præcepta ſpernunt canonica atque Divina, [a] prædicatores effecti, proh pudor! ſuæ legis. Nos tantis obviare periculis, & quos timor Divinus a malo non revocat, etiam naturalis ratio non redarguit, & mundana verecundia non refrænat, ſuis dicentes in cordibus, ſicut factis exterioribus prædicant, Ubi eſt Deus? pœnarum frænis temporalium quas formidant, perſtringere cupientes: ſtatuimus, antiquorum patrum ſalubria ſtatuta recenſentes, ut ſi clericus beneficiatus quilibet, poſt generalem admonitionem de abſtinendo penitus a præmiſſis & quolibet eorumdem, & de vivendo pie, decenter, atque juſte ſecundum canonicas ſanctiones, aliquem de prædictis exceſſibus præſumpſerit attentare: amiſſionis pœna omnium fructuum beneficii ſui, ſeu beneficiorum, ſi plura forſitan obtineat, per annum unum abſque miſericordia percellatur. Contra ipſum ad privationem beneficii ipſius ſeu beneficiorum, ſi per annum pertinax in eadem malitia perſeveret, nihilo minus procedatur.

* f. contra canones

[a] Forte, prævaricatores. al.

### II. *Ut placita diebus feſtis non teneantur.*

Statuimus ut baillivi, præpoſiti, majores, atque alii judices ſæculares, quocumque nomine cenſeantur, aſſiſias atque placita diebus Dominicis atque feſtis Virginis glorioſæ, ſanctorum Joannis Baptiſtæ, Michaelis Archangeli, ſanctorumque apoſtolorum & evangeliſtarum, ac aliis qui cum clero & populo in eccleſiis celebrantur, in quibus, ſolum Divinis eſt laudibus, non terrenis negotiis inſiſtendum, tenere atque exercere deſiſtant, penituſque quieſcant, generaliter moneantur. Qui ſi parere contempſerint, temere forſan contrarium attentando: incurrant excommunicationis ſententiam ipſo facto.

### III. *Ut clerici in factis perſonalibus juſtitiæ ſæculari ſe non ſubiiciant.*

Pœna feriri ſimili ipſo facto authoritate prædicti concilii ſtatuentes, clericos, qui ſuper factis perſonalibus, atque ſpecialiter de clamore de haro, ubi de facto perſonæ quæritur, ſe ſupponunt juſtitiæ ſæculari, ſeu ipſi juſtitiæ, ſub prætextu factorum hujuſmodi, exhibent emendas, poſt monitionem de contrario generalem.

### IV. *Ne judices ſæculares coram ſe reſpondere compellant clericos, vel laicos occaſione factorum a clericis commiſſorum.*

Porro quorundam judicum ſæcularium inconſulta conamina, quibus matris ſuæ, videlicet eccleſiæ, libertates atque jura multifaria moliuntur infringere, memorati authoritate concilii reprimere cupientes: ſtatuimus inhibendo, ne quoſcumque clericorum eorum, aliaſve perſonas, occaſione factorum a clericis commiſſorum, ſuper delictis atque factis perſonalibus quibuſcumque commiſſis, atque ſpecialiter in clamore de haro, nec de crimine uſurario a clerico perpetrato, coram ſe, vivente eodem clerico vel defuncto, reſpondere compellant, ſeu cognitionem factorum hujuſmodi in ſe ſumant. Quod ſi generaliter contra fecerint: authoritate prædicta, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto.

### V. *De iis qui juriſdictionem eccleſiaſticam impediunt.*

Adhuc noſtrum pulſat animum, ut adverſus varia juſtitiæ ſæcularis officia tenentium inſenſatam malitiam occurramus: qui quod ſibi ſacræ ſcripturæ præconium comminatur, ignorant, qui pro temporalibus mo-

ANNO CHRISTI 1299.

moleſtiis, quas, cum præſunt, pauperibus ingerunt, atque qui armis bellicis non utuntur, per quos miniſtri eccleſiæ deſignantur, æterno incendio cremabuntur: quodque ſi pax augeatur & diſciplina eccleſiæ per infideles principes eorumque miniſtros quoslibet, aut ſolvatur, ille tamen exiget ab eis rationem, qui ſuam illorum tradidit eccleſiam poteſtati: contra matrem eccleſiam manum ſuam erectis cornibus aggravantes, ipſius juriſdictionem & libertatem ſuis fallaciis uſurpare nituntur, ac judices eccleſiaſticos in caſibus, in quibus de jure vel antiqua & approbata conſuetudine ad eoſdem cauſarum cognitio noſcitur pertinere, quo minus de ipſis cognoſcere valeant, impediunt atque perturbant: eiſdem cedulas inhibitorias dirigentes, quæ brevia nuncupantur, in caſibus in quibus de ſui natura brevia nulla cadunt; propter quæ novellæ conſtitutionis domini Bonifacii PP. VIII. authoritate in excommunicationis ſententiam incidunt ipſo facto. Deliberatione habita ſuper hoc diligenti, ſtatuimus ordinantes, ut nulla hæc brevia per eccleſiaſticos judices admittantur, nec eis in aliquo pareant. Quod ſi in hac ſumpta occaſione, ballivi, præpoſiti, vicecomites, aliive judices ſæculares, in perſonarum vel bonorum captionem procedant, directe vel indirecte partem ad deſiſtendum vel judicem compellendo; monitione legitima præcedente, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto, a qua per prælatos, non niſi parti & judici congrue ſatisfacto, ac ſibi pœna ſuper tanto exceſſu indicta legitima, quæ timorem ceteris incutiat attentandi ſimilia, quomodolibet abſolvantur: nolentes, ut per officialem aut pœnitentiarios prælatorum, niſi eis ex ſpeciali commiſſione liceat, hujuſmodi ſententiæ relaxentur. Sententiamque excommunicationis latam ab uno judice eccleſiaſtico, præmiſſorum occaſione ac ſimilium, alii in ſuarum juriſdictionum diſtrictibus exequantur.

*VI. De abſolvendi poteſtate, quæ religioſis conceditur ab epiſcopis.*

Ceterum animarum ſaluti conſulere, ac earum periculo obviare volentes, ſtatuimus quod prælati, fratribus Prædicatoribus, aut Minoribus, aliiſve religioſis quibuslibet, poteſtatem abſolvendi ſubditos à peccatis ſuis de cetero non committant in caſibus, qui de jure vel conſuetudine reſervantur eiſdem, niſi certis perſonis & notis dumtaxat, quarum prælati induſtriam duxerint eligendam in certis caſibus, qui in conceſſione vel commiſſione eis facta ſpecialiter inſerantur: quodque ipſa commiſſio ad caſus, in quibus tenetur catholicus quilibet confiteri ſemel in anno peccata ſua proprio ſacerdoti, nullatenus extendatur, niſi ipſius ſacerdotis habita ſuper hoc voluntate.

*VII. Ut his ſtatutis ab omnibus pareatur.*

Vobis itaque univerſis Chriſti fidelibus in civitate & diœceſi Lexovienſi [a] conſtitutis, atque veſtrum cuilibet, in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter injungimus atque mandamus, quatenus ſupradicta ſalubria & ordinationes, ſecundum tenorem præmiſſum, quantum in vobis conſiſtit, fideliter obſervetis, & eis humiliter pareatis. Statuta ſunt hæc & unanimiter ordinata die, loco, & concilio memoratis, ann. Dom. MCCXCIX.

[a] Lexovien[illegible] Lexovienſis eccleſiæ.

## [b] ** CONCILIUM BITERRENSE,

### IV. Kal. Novembr. an. Domini MCCXCIX. celebratum.

Hujus concilii nihil ſupereſt præter editam a S. Baluzio V. Cl. ſynodicam, quam hic repræſento.

*Litteræ epiſcoporum ac prælatorum qui concilio Biterrenſi interfuerunt, ad Philippum IV. Francorum regem, pro archiepiſcopo Narbonenſi, adverſus vicecomitem ejuſdem urbis.*

EXcellentiſſimo principi domino ſuo, domino Philippo Dei gratia regi Francorum illuſtri, miſeratione Divina [a] B. Biterrenſis, [b] B. Nemauſenſis, [c] G. Magalonenſis, [d] R. Elnenſis, [e] B. Apamienſis, [f] R. Agathenſis, & [g] I. Lodovenſis, epiſcopi; A. Craſſenſis, R. ſancti Poncii Thomeriarum, G. ſancti Guillelmi de Deſerto, G. Jucellenſis, & ceteri abbates, aliique prælati; & epiſcoporum ac prælatorum abſentium & capitulorum provinciæ Narbonenſis procuratores, in provinciali concilio congregati Biterris, ſui humiles & devoti, cum ſalute proſpera vitam longam.

[a] Berengarius. [b] Bertrandus. [c] Gaucelinus. [d] Raymundus. [e] Bernardus. [f] Raymundus. [g] Itherius.

Cum capite langueſcente membra dolore non immerito compellantur: matri noſtræ eccleſiæ Narbonenſi cogimur condolere, & in ejuſdem infirmitatibus infirmari. Sane cum vicecomites Narbonenſes longiſſimis temporibus tenuerint ab archiepiſcopo Narbonenſi, quidquid in burgo & in media parte civitatis Narbonenſis & eorum pertinentiis obtinebant; & pater vicecomitis qui nunc eſt, ipſo præſente atque ſciente, homagium fecerit & fidelitatem archiepiſcopo tunc præſenti, prædeceſſoreſque ſui prædeceſſoribus archiepiſcopi memorati continue & ſucceſſive, fere etiam centum annis, ſicut notorium fore dinoſcitur



ANNO CHRISTI 1299.

tur apud omnes regiones iſtius, extantibus de iis ſufficientibus documentis, & quod plus eſt, prædeceſſorum veſtrorum privilegiis; & vicecomes qui nunc eſt, non bono ductus ſpiritu, feudum dictum, ut audivimus, veſtræ regiæ recognoverit majeſtati, temere veniens contra fidelitatem & juramenta prædeceſſorum ſuorum, ad quorum obſervationem poteſt & debet per eccleſiam coarctari, & contra confeſſionem propriam in veſtra curia regiſtratam; ac iis etiam non contentus, benignitatem regiam ſeducendo, de facto procuraverit veſtras litteras regias ſibi dari, per quas peccandi datur ſibi immunitas, & ſine pœna deadvocandi facultas feudum ſupradictum, quod tolerabile non exiſtit; per quas etiam, in veſtri præjudicium, diſſolvere eſt conatus conventiones dudum contractas inter prædeceſſores veſtros & archiepiſcopi memorati, ſuper commiſſione dicti feudi inter reges Franciæ & Narbonenſem eccleſiam certis portionibus [a] dividenda, & per conſequens a fidelitate quam vobis præſtitit, ſubtrahere eccleſiam Narbonenſem: nos omnes & ſinguli, qui patimur in paſſione, & anxiamur in doloribus, & damnificamur in damnis dictæ eccleſiæ matris noſtræ, ad vos ſicut ad noſtrum pium & juſtum principem recurrentes, ſolemnes nuncios noſtros venerabilem in Chriſto patrem B. Dei gratia epiſcopum Biterrenſem, & religioſos viros B. abbatem ſancti Papuli, & I. canonicum ac veſtiarium Magalonenſem, ad veſtræ celſitudinis præſentiam mittimus pro præmiſſis: ſuppliciter implorantes, ut eiſdem, vel illi ex ipſis qui præſens fuerit coram vobis, audientiam benignam fidemque indubitatam præbere dignemini, eoſdem, ſi placet, immo verius nos in perſonis eorum ad exauditionis gratiam admittentes.

[a] Forte, dividendi. H.

Moveant vos, Rex clementiſſime, ad præmiſſa, fidelitas, quam dicta mater noſtra, & omnes eccleſiæ provinciæ Narbonenſis, ſemper ad domum regiam habuerunt: labores & ſumptus, quos ſuſtinuerunt pro ea; & fructus uberes, qui ex dictis laboribus percipiuntur quotidie, ac percipientur in ævum Domino concedente. Ut, qualiter aliqui regionum noſtrarum ad dictam domum regiam, & ad totius eccleſias provinciæ Narbonenſis, ſe habuerint temporibus retroactis, taceamus ad præſens: cum hæc credamus regiam magnificentiam non latere.

Adaugeat, ut oramus quotidie, dominus Jeſus Chriſtus vobis, conſorti veſtræ, & liberis, ſalutem & vitam: & proſperum faciat ſtatum regni. Datum Biterris in dicto concilio, IV. Kal. Novembris, anno Dom. MCCXCIX.

G.C. Hic adnotavit Baluzius, antiquam controverſiam fuiſſe, an Narbonenſibus archiepiſcopis ſubjecti Vicecomites eſſent; expoſtulatum fuiſſe de Amalrici Vicecomitis injuria, non tantum apud Regem a ſynodo, ſed etiam ab archiepiſcopo ipſo apud Pontificem Bonifacium VIII. ut apparet ex Pontificis ad Philippum Regem litteris apud Odoricum Raynaldum exſtantibus: ex quibus etiam intelligimus, Vicecomitem a Pontifice Romam vocatum fuiſſe. Addit ex Raynaldo eodem, compoſitam eſſe controverſiam a Benedicto XI. qui Bonifacio ſucceſſit; & Vicecomitem archiepiſcopo, archiepiſcopum Regi clientelam juraſſe. Docet in hac quoque ſynodo, factum eſſe decretum de celebrando ſancti Ludovici Regis Francorum feſto; idque probat ex conſtitutionibus ſynodalibus Joannis epiſcopi Carcaſſonenſis, editis hoc ipſo anno MCCXCIX. die Jovis ante feſtum beati Andreæ: quarum hoc capitulum profert: *Item præcipimus obſervari ſtatuta ſive conſilia de novo edita in concilio Biterrenſi, & ſpecialiter illud in quo continetur de feſto duplici beati Ludovici, die ſtatuto in ſingulis eccleſiis celebrando.* Hæc ſummatim ex prolixioribus viri eruditiſſimi notis excerpſimus.

☞ *Acta hujus Concilii ex archivis Civitatis Carcaſſonenſis edidit Martene in Theſauro Anecdotorum Tom. 4. p. 225. & ſeq. & hæc ſunt.*

Ex Martene Theſ. Anecd. tom. 4. pag. 225.

### I.

*Excommunicati ab uno ſuffraganeo, ab aliis ſuffraganeis denunciandi excommunicati.*

NOs Ægidius miſeratione divina ſanctæ Narbonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, in noſtro provinciali concilio conſtitutus, præſentibus venerabilibus fratribus ſuffraganeis noſtris, Toloſæ, Carcaſſonæ, & Uticenſi, abſentibus duntaxat exceptis, procuratoribus tamen ſeu eorum vicariis pro epiſcopis comparentibus, multis etiam Abbatibus & prioribus conventualibus, nec non procuratoribus cathedralium eccleſiarum noſtræ provinciæ exiſtentibus in concilio memorato prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ſacro approbante Concilio, duximus ſtatuendum, quod quotiens aliquis ſuffraganeorum noſtrorum & ſuorum officialium aliquem ſubditum ſuum auctoritate ordinaria excommunicatum per ſuam dioceſim per menſem fecerit nunciari, ad requiſitionem præfati ſuffraganei, dictus excommunicatus, ut citius veniat ad emendam, per totam Narbonenſem provinciam excommunicatus publice nuncietur, & per alios ſuffraganeos noſtros in earum civitatibus & dioceſibus vel eorum officiales nunciari mandetur.

### II.

*De Clericis artes viles exercentibus.*

Ad hoc, eodem approbante Concilio, ſtatutum per bonæ memoriæ dominum P. immediatum prædeceſſorem noſtrum in quodam ſuo provinciali Concilio, de clericis, qui carnifices, pelliparii, ſotures, ſotularium curaterii ſeu aluderii, ſive fabri communiter publici ac manifeſti exiſtunt, vel alia mechanica viliora communiter & publice exercere noſcuntur, auctoritate præſentis concilii innovamus ac præcipimus firmiter obſervari.

### III.

*Contra receptatores hæreticorum.*

Quoniam in provincialibus Conciliis ſpecialiter eſt tractandum ſuper his, quæ obſervantiam reſpiciunt fidei orthodoxæ, noſtraque & fratrum noſtrorum ſollicitudo circa hoc propenſius invigilare tenetur: cum ad notitiam noſtram venerit per confeſſiones quorundam receptatorum & fautorum hæreticorum recenter in judicio factas, hæreticos perfectos, qui vulgariter veſtiti dicuntur, & qui credentes fideliter articulos fidei Chriſtianæ pervertere moliuntur, ac ſe faciunt adorari, Narbonenſem provinciam olim hujuſmodi morbo peſtifero præſertim in quibuſdam ſuis partibus graviter ſauciatam, licet multis vigiliis & laboribus ab hujuſmodi peſtilentia, ut à pluribus dicebatur, purgatam, ſubintraſſe de novo, ſeminaſſe, in pluribuſque ejuſdem provinciæ partibus mala ſemina ſuorum dogmatum perverſorum pullulare; volentes his gravibus periculis obviare, ſacri approbatione concilii, ordinamus quod quilibet ſuffraganeorum noſtrorum in ſuis civitatibus & dioceſibus, per ſe, & officiales ſuos & perſonas alias, ſi opus fuerit, ad hoc ſpecialiter ſtatuendas, & nos pa-

ANNO CHRISTI 1299.

pariter in civitate & dioceſi propriis, inquiramus ſapienter & caute contra fautores & receptatores perſonarum peſtiferarum hujuſmodi, cum ſine receptatore diu latere non poſſint, & nihilominus contra præfatos omnes, & alios quoſcumque hæreticos, diligentius inquirentes, & contra præfatos omnes in omnibus obſervantes, quæ civilia & canonica jura, præſertim conſtitutiones per dominum noſtrum D. divina providentia ſummum Pontificem promulgare ſatagerunt. Præcipimus injungi ſingulis archipresbyteris, & Eccleſiarum rectoribus noſtræ provinciæ, & aliis, de quibus ſingulis dioceſanis in eorum dioceſibus videbitur expedire, quod omnem diligentiam, quam poterunt, ſolerter adhibeant in præmiſſis, & ſuſpectas ſibi perſonas de fide, fautoria, vel receptatione, prædictis ſuis dioceſanis vicariis vel eorum officialibus deferre ſecreto quam citius poterunt non omittant. Qui in his ſic ſe habeant diligenter, quod pro negligentia vel defectu argui nequeant vel puniri.

## IV.

*Contra Beguinos & Beguinas.*

Cum per experientiam ſæpius ſit expertum, quod ſub ſpecie boni in eccleſia Dei mala ſubintrant interdum, nec ſine cauſa prohibuerunt ſancti Patres varietatem ordinum, vel habituum religioſis deputandorum, qui non ſunt per ſedem apoſtolicam approbati, ad noſtramque notitiam ſit delatum, quod ad ſuggeſtionem quorumdam; inter quos nonnulli fuerint qui dicebantur plurimi litterati, quorum aliqui fore noſcebantur de religione laudabili, non immerito inter religiones ceteras approbata, ponentium os in cœlum, & manus ad vota extendentium, prædicantium multis finem mundi inſtare, & jam adeſſe vel quaſi tempora Antichriſti, novoſque pœnitentiæ modos & abſtinentias veſtiumque colores utriuſque ſexus perſonis ſuggerentium, & nihilominus virginitatis ac caſtitatis vota recipientium a pluribus ex eiſdem, ad hoc ſuis exhortationibus prius tractis, quæ vota a pluribus violata fuiſſe noſcuntur: quam plures utriuſque ſexus ad novæ ſuperſtitionis cultum pertracti fuerunt, Beguini, ſeu Beguinæ vulgariter appellati, qui conventualia prohibita facientes, & frequentes de nocte officium prædicationis verbi Dei temere uſurparunt, in ſuam excuſationem fictitie prætendentes; quod non prædicant, ſed loquuntur de Deo, ſe invicem conſolantes, & quaſdam novas obſervantias cuſtodire conantur, a communi ritu ceterorumque fidelium diſcrepantes, e quibus nonnulla ſcandala ſunt ſuborta; & non modica pericula huic provinciæ, quam hæreticos olim publice frequentaſſe eſt certum, nec dubium eſt, licet clam adhuc ab aliquibus frequentari imminere noſcuntur. Sacro igitur approbante Concilio prohibemus cultum ſuperſtitionis præfatæ, quatenus eſt ſacris canonibus inimicus, ulterius obſervari; nihilominus ſtatuentes per ſingulos dioceſanos noſtræ provinciæ illum, ut præmittitur, prohiberi, & tam per ipſos, quam eorum officiales contra perſonas ſibi ſubjectas, vel alias contra quas id jure permittente poſſent facere, ſolerter inquiri, ſi quid in præmiſſis commiſſum fuerit contra fidem & canonicas ſanctiones. Quod ſi repertum fuerit, illud auctoritate præſentis concilii præcipimus diſtrictius debita caſtigatione puniri.

## V.

*De ſervandis quibuſdam conſtitutionibus.*

Cum parum proficeret jura condi, niſi condita firmiter ſervarentur: conſtitutiones ſanctiſſimi patris domini noſtri B. divina providente clementia ſummi pontificis, præſertim illam per quam ſtatuit moniales includi; nec non illam Conſtitutionem, etiam Clementinam, quæ præcepit perpetuos vicarios in eccleſiis certis præſertim religioſorum inſtitui, ab ipſo Domino innovatam; inſuper conſtitutionem ejuſdem domini, ſtatuentem de omnibus apoſtolis, & evangeliſtis & quatuor doctoribus principalibus ſanctæ Eccleſiæ feſtum duplex anno quolibet celebrari, & omnes alias per ipſum editas in ſexto libro Decretalium contentas, præcipimus firmiter obſervari.

## VI.

*De Feſto S. Ludovici.*

Item juxta dicti domini noſtri ordinationis præceptum ſtatuimus, quod de beato Ludovico in ejuſdem feſto, quod in craſtino beati Bartholomæi apoſtoli per dictum Dominum noſtrum præceptum eſt annis ſingulis celebrari, in omnibus Eccleſiis Narbonenſis provinciæ ſicut de confeſſore cantetur: & quod in eccleſiis cathedralibus & collegiatis, Monaſteriis, & prioratibus conventualibus celebretur de eo annis ſingulis duplex feſtum, niſi impediti ex cauſa dicta die dictum feſtum celebrare non poſſent, proximiori qua poſſent, quo caſu die dictum feſtum celebrare, ut præmittitur, teneantur.

## VII.

*De feſtis patronorum cathedralis Eccleſiæ.*

Adjicientes, quod cauſa in prædictis cathedralibus & collegiatis Eccleſiis, monaſteriis, & prioratibus, ac ceteris eccleſiis totius noſtræ provinciæ, de quolibet ſancto & ſancta patrono alicujus cathedralis eccleſiæ dictæ provinciæ, feſtum ad minus novem lectionum annis ſingulis celebretur.

## VIII.

*De ſervandis Bonifacii Conſtitutionibus.*

Prædicta autem ſtatuta noſtra omnia, & inſuper omnes prædictas conſtitutiones dicti domini noſtri, quæ pœnales exiſtunt, & conſtitutiones ipſius ſuperius expreſſatas, & ſpecialiter conſtitutiones editas per eumdem ſuper facto hæreticæ pravitatis, & contra vilipendentes ſententiam excommunicationis, & eam certo tempore ſuſtinentes, præcipimus in ſingulis ſynodis, & nihilominus per ſingulos rectores in ſuis Eccleſiis noſtræ Narbonenſis provinciæ publicari, & eas ab omnibus firmiter obſervari. Actum & datum in prædicto Concilio Biterris tertio Cal. Novembris anno Domini MCCXCIX.





ANNO CHRISTI 1300.

# ** CONCILIUM MELEDUNENSE,

## Pro reformanda eccleſiaſtica diſciplina celebratum a Stephano Senonenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis, XII. Kal. Febr. anno Dom. MCCC. celebratum.

Nunc primum prodit ex apographo R. P. Jac. Sirm. S. J.

IN nomine Domini, amen. Nos Stephanus miſeratione Divina Senonenſis archiepiſcopus, una cum ſuffraganeis noſtræ Senonenſis provinciæ, in provinciali concilio apud Meledunum celebrato, anno Domini MCCC. die Jovis ante feſtum B. Vincentii, continuata de die in diem a die Lunæ præcedenti, congregatis, una cum aliis perſonis eccleſiaſticis dictæ provinciæ, ad ordinandum, ſtatuendum, & reformandum ea quæ fuerint ordinanda & reformanda: eodem approbante concilio ordinamus & præcipimus, quod quædam conſtitutiones domini Bonifacii VIII. papæ, in præſenti concilio, ac noſtris & ſuffraganeorum noſtrorum ſynodis publicentur, & cuilibet preſbytero parochiali copia liberetur, & quilibet eorum habere & commendare debite memoriæ de cetero teneatur.

Adhuc numerabatur in Gallia annus 1299. cum initium anni a Paſchate duceretur. *E.*

*Primo ſequitur conſtitutio in titulo de reſcriptis. Statutum quod circa judices a ſede apoſtolica deputandos &c.*

Sancimus igitur, ut nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu eccleſiarum cathedralium canonicis, cauſæ, auctoritate litterarum ſedis apoſtolicæ, vel legatorum ejuſdem, de cetero committantur, nec audiantur alibi quam in civitatibus vel locis inſignibus, ubi poſſit commode copia peritorum haberi. Cum vero ejuſdem civitatis ſeu diœceſis fuerint actor & reus: extra ipſos cauſa non committatur, nec conveniatur aliquis eorum: niſi ab epiſcopo contra aliquem de ſua diœceſi, vel ab aliquo contra eum, aut ejus capitulum, ſeu contra univerſitatem civitatis, villæ, vel caſtri, fuerit actio dirigenda: vel niſi actor eamdem civitatem, ſeu diœceſim intrare non audiens, aut ſui adverſarii merito potentiam perhorreſcens, eum infra ipſas nequeat convenire ſecure. In his quippe caſibus, extra dictas civitatem & diœceſim poſſit contra prædictos cauſa committi. Nullus tamen eorum ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis valeat conveniri. Sed & in duobus ultimis caſibus, niſi impetrans de dicta perhorreſcentia (quam in litteris apoſtolicis exprimere teneatur) primo fidem judici faciat, ſaltem per proprium juramentum: judex ipſe nullatenus in cauſa procedat, ſed partes a ſua juriſdictione dimittens, impetrantem eumdem in expenſis legitimis alteri parti condemnet. Cum autem actor & reus civitatis & diœceſis fuerint diverſarum: ſi actor in civitate vel diœceſi rei judicem habere recuſet, ipſum non in ſua ſcilicet actoris, ſed in alia civitate vel diœceſi habere impetrare valeat, reumque trahere ad eamdem: dummodo locus ad quem eum traxerit, ultra unam diætam, ſicut in alio caſu præmittitur, minime ſit remotus. In nullo quoque caſuum prædictorum, judex extra civitatem vel diœceſim in quibus deputatus fuerit citet partes, nec de cauſa ſibi commiſſa cognoſcat (niſi ad hoc expreſſus acceſſerit partium earumdem aſſenſus) nec alibi quam infra illas civitatem ſeu diœceſim, & perſonis dumtaxat ſuperius deſignatis, committat quomodolibet vices ſuas. Quicquid autem contra præmiſſa, vel aliquid eorum contigerit attentari, ſit ipſo jure irritum & inane.

Secundo contra illos qui litteras citatorias vel excommunicatorias delegatorum ſedis apoſtolicæ deferunt, nec bullam presbyteris oſtendere volunt. In antiqua [a] compilatione, in titulo de officio & poteſtate judicis delegati: Cum in jure penitus &c.

[a] ſcilicet Gregoriana

Præterea quæſiviſti, cum tibi ab aliquo ſub hac forma mandatur, auctoritate qua fungor, ini ut talem denuncies excommunicationis ſententiæ ſubjacere; ac tibi ſuper mandato apoſtolico hæſitanti, ab aliquo non ſit facta fides: an mandatum hujuſmodi exequi tenearis. Super quo, hujuſmodi tibi damus reſponſum: quod niſi mandato ſedis apoſtolicæ certus extiteris exequi non cogeris quod mandatur.

Tertio contra illos, qui juriſdictionem ad forum eccleſiæ de jure vel conſuetudine pertinentem impediunt vel perturbant.

*In titulo de immunitat. eccleſ.*

Quoniam, ut intelleximus, quorumdam juſticiariorum, ballivorum, judicumve ſæcularium & temporalium dominorum, in quibuſdam partibus præſumptuoſa temeritas ſic excrevit, ut in terris eorum ſeu diſtrictibus litteras apoſtolicas impetrantes, vel ad judices ordinarios eccleſiaſticos recurrentes ſuper cauſis, negotiis, ſeu quæſtionibus, quæ de jure vel antiqua conſuetudine ad forum eccleſiæ pertinent, obtinere non poſſint in eis per eoſdem ordinarios judices vel apoſtolicas litteras juſtitiæ complementum; quin potius ſuper illis recurrere ad judicium ſæculare, vel a lite, cauſa, ſeu quæſtione deſiſtere compellantur: nos juſtitiam noſtram & eccleſiæ ſponſæ noſtræ nolentes negligere, qui alios in ſua juſtitia confovemus, ſtatuimus ne quis impetratores litterarum noſtrarum, vel alios ad forum eccleſiæ recurrentes ſuper cauſis, quæ ad idem forum de jure vel antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, per ſe vel

per alium, ad deſiſtendum, vel in foro ſæculari de quæſtionibus hujuſmodi litigandum, per ipſorum judicum eccleſiaſticorum, vel imperrantium, vel litigantium ſeu volentium litigare, & aut propinquorum ipſorum ſeu rerum illorum aut eccleſiarum ſuarum etiam captionem, modiſve aliis quibuſcumque, compellat, ſeu compelli faciat vel procuret: nec per ſe alioſve impediat, quo minus coram judicibus eccleſiaſticis, delegatis ſeu ordinariis, querelantes de cauſis, quæ, ut præmiſſum eſt, ad cognitionem pertinent eorumdem, poſſint libere juſtitiam obtinere: nec ad præmiſſa facienda det conſilium, auxilium vel favorem. Si quis vero contra præſumpſerit, excommunicationi ſe ipſo facto noverit ſubjacere: a qua, niſi tam judici cujus cognitio fuerit impedita vel juriſdictio uſurpata, quam parti quæ turbata in proſecutione fuerit ſui juris, de injuriis, damnis, expenſis, & intereſſe, prius per eumdem fuerit integre ſatisfactum, nullatenus abſolvatur.

Quarto contra illos, qui ut ſuſpecti de hæreſi, vocati ut de fide reſpondeant*, aut coram ordinariis ſuis non comparent, ſed ſe excommunicari permittunt, & in excommunicatione hujuſmodi ſtant per annum. In titulo de hæreticis libro VI.

* Deeſt, eorum inquiſitoribus.

Cum contumacia, in cauſa præſertim fidei, ſuſpicioni præſumptionem adjiciat vehementem, ſi ſuſpectus de hæreſi vocatus a vobis ut de fide reſpondeat, excommunicationis vinculo, pro eo quod parere ſubterfugit, aut contumaciter, ſe abſentat, per vos fuerit innodatus, quam per annum animo ſuſtinuerit pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.

Quinto contra regulares & ſæculares admittentes publice excommunicatos & interdictos ad eccleſiaſtica ſacramenta, & ad eccleſiaſticam ſepulturam. In titulo de privilegiis libro VI.

Epiſcoporum & aliorum prælatorum querelis frequentibus & queruloſis clamoribus excitati, præſenti decreto duximus ſtatuendum; ne aliqui ſæculares aut regulares, quantumcumque exemptionis ſeu libertatis ſedis apoſtolicæ privilegiis communiti, cujuſcumque ordinis, religionis, ſtatus, vel conditionis exiſtant, ſcienter celebrent vel faciant celebrari Divina in civitatibus, caſtris, villis, niſi quatenus eis a jure conceditur, ſeu locis aliis interdictis ab ordinariis ſive delegatis judicibus, aut a jure; ſive excommunicatos publice, vel interdictos ad Divina officia ſeu eccleſiaſtica ſacramenta, ſive ad eccleſiaſticam ſepulturam admittant. Qui vero contra præſumpſerint, præter alias pœnas a jure ſtatutas, ingreſſum eccleſiæ ſibi noverit interdictum: donec de tranſgreſſione hujuſmodi, ad arbitrium ejus, cujus ſententiam contempſerit, ſatisfecerit competenter.

Sexto. Conſtitutio facta in concilio Bituricenſi a domino Simone apoſtolicæ ſedis legato. In titulo de pœnis.

Cum juris utilitas tot & tantis excogitata vigiliis, ſufficienter nequeat proſperari, ſi proceſſus miniſtrorum juſtitiæ contingat iniquorum machinationibus impediri: ut illorum audaciam quos amor Divinus a malo non revocat, ſaltem rigor eccleſiaſticæ coerceat diſciplinæ, ſacri proviſione concilii duximus ſtatuendum: quod ſi quis, cujuſcumque dignitatis aut conditionis exiſtat, nuncios aut executores eccleſiaſticorum judicum, aut alias litteras eorumdem actave judiciaria deferentes, hac occaſione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, mutilare, aut quod gravius eſt cenſendum, interficere, litteras vel acta prædicta perſonis memoratis auferre, ſeu ea rumpere, cancellare, aut alias deſtruere quoquomodo, vel ſic ablata celare præſumpſerit, aut ut iſta fiant procuraverit, vel facientibus conſilium vel opem duxerit adhibendam, excommunicationis ſententiæ, quam ex nunc proferimus, ſubjaceat ipſo facto: a qua, niſi prius tam judici, cujus auctoritatem contempſerit, quam paſſo injuriam, & ceteris quorum intererit, prout exceſſus poſtulabit atrocitas, ſatisfecerit competenter, nullatenus abſolvatur.



# ** CONCILIUM MERTONENSE,

Editum ex MS. bibliothecæ Cotton. Tomo. II. Anglicanæ collectionis.

## Conſtitutiones provinciales domini Roberti de Vvynchelſe, Cantuarienſis archiepiſcopi, apud Merton editæ.

### I. *De decimis, & nutrimentis animalium.*

Quoniam, propter diverſas conſuetudines in petendo decimas, per diverſas eccleſias, inter rectores eccleſiarum, & parochianos ſuos, rixæ, contentiones, & ſcandala, & odia permaxima oriuntur: volumus, quod in cunctis eccleſiis per archiepiſcopatum noſtrum conſtitutis, uniformis ſit petitio decimarum, & proventuum eccleſiarum.

Imprimis, volumus, quod decimæ, de fructibus, ſeu de frugibus, non deductis expenſis, integræ, & ſine aliqua diminutione perſolvantur; & de fructibus arborum, & ſeminibus omnibus, & herbis hortorum: niſi parochiani pro talibus decimis competentem fecerint redemptionem. Volumus etiam, quod decimæ de fœnis, ubicumque creſcant, ſive in magnis pratis, ſive in parvis, ſive...... aliter in communibus viis exigantur.



De nutrimentis animalium, ſcilicet de agnis, ſtatuimus, quod pro ſex agnis, & infra, ſex oboli dentur pro decima: ſi ſeptem ſint agni in numero, ſeptimus agnus detur rectori pro decima; ita tamen, quod rector eccleſiæ, qui ſeptimum agnum recipit, tres obolos in redemptionem ſolvat parochiano, a quo decimam illam receperit. Qui octavum recipit, det denarium; qui vero nonum, det obolum, vel expectet rector uſque ad alium annum, donec plenarie poſſit alium recipere, ſi maluerit: & qui ita expectabit, ſecundum meliorem, vel tertium ad minus, de agnis ſecundi anni ſemper exiget, & hoc pro expectatione primi anni. Et ſimiliter, qui ſeptimum ſic dedit ad decimam, non det pejorem, ſed meliorem. Et ita intelligendum eſt de decima lanæ, Si oves alibi in hieme, alibi in æſtate nutritæ fuerint, decima eſt dividenda. Similiter, ſi quis in medio tempore emerit, vel vendiderit oves, & certum ſit a qua parochia oves illæ venerunt: dividenda eſt decima, ſicut de re, quæ ſequitur duo domicilia. Si autem incertum fuerit, habeat illa eccleſia, infra cujus limites, tempore tonſionis, oves inveniuntur.

De lacte autem volumus, quod decima ſolvatur, dum durat: videlicet de caſeo tempore ſuo, & de lacte in autumno, & hieme: niſi parochiani competentem pro talibus decimis voluerint facere redemptionem, & hoc ad commodum eccleſiæ. De proventibus autem molendinorum, volumus quod decimæ exigantur & ſolvantur: ¶ ad valorem proventuum plenam faciant redemptionem. De paſturis autem, & paſcuis, tam communibus, quam non communibus, ſtatuimus, quod decimæ fideliter perſolvantur: & hoc per numerum animalium & dierum, ſi expedit eccleſiæ. De piſcationibus etiam, & apibus, ſicut & de omnibus aliis bonis juſte quæſitis, quæ renovantur per annum, ſtatuimus, quod decimæ ſolvantur debito modo.

¶ Deeſt niſi

Statuimus etiam, quod decimæ ſolvantur de artificibus, pandoxatricibus, & de lucro negotiationis per mercatores, & quoſcumque alios: & ſimiliter de carpentariis, fabris, mercatoribus, ſutoribus, ſive ſint pelliparii, & omnibus ſtipendiariis & operariis: videlicet dent decimas de ſtipendiis, niſi ipſi ſtipendiarii aliquid certum velint dare ad opus, vel ad lumen eccleſiæ: & hoc, ſi hujuſmodi placuerit rectori. In penſione autem principalis legati, alias mortuarii, volumus, quod conſuetudo provinciæ cum poſſeſſione eccleſiæ obſervetur: ita quod rector eccleſiæ in petitione ſua, ſive vicarius, vel capellanus, Dominum habeat præ oculis. Sed quoniam multi inveniuntur, ſponte decimas dare nolentes: ſtatuimus, quod parochiani moneantur primo, ſecundo, & tertio, ut decimas Deo & eccleſiæ fideliter ſolvant: & ſi ſe non emendaverint, primo ab eccleſia ſuſpendantur, ſcilicet ab ingreſſu eccleſiæ; & ſic demum, ad ſolutionem decimarum, per cenſuram eccleſiaſticam, ſi neceſſe fuerit, compellantur. Si tamen ſuſpenſionis relaxationem vel abſolutionem petierint, ad ordinarium loci mittantur abſolvendi, vel debito modo puniendi. Rectores vero eccleſiarum, ſeu vicarii, vel capellani, qui prædictas decimas annuas dicto modo, propter formidinem hominum, ſeu favorem, Dei timore poſtpoſito, officium ſuum non fecerint, decimas, ut prædictum eſt, non petendo: pœna ſuſpenſionis innodentur, donec dimidiam marcam argenti archidiacono loci perſolverint.

### II. *De decimis, & nutrimentis animalium.*

Quoniam, ut audivimus, ſuper decimis & nutrimentis animalium, inter eccleſiarum rectores, propter amotiones pecorum ad diverſas parochiarum paſturas, diverſis anni temporibus, contentiones multimodæ oriuntur: nos viam pacis præparare volentes, ſtatuendo diffinimus, & diffiniendo ſtatuimus, quod ad eccleſias, in quarum parochia oves, a tempore tonſionis, uſque ad feſtum S. Martini, continue paſcuntur & cubant, decima lanæ, & caſei, & lactis, ejuſdem temporibus, licet poſtmodum amoti fuerint a parochia illa, & alibi tondeantur, integre perſolvatur. Et, ne fraus fiat in caſu præmiſſo: præcipimus, quod antequam oves amoveantur a paſturis, vel etiam diſtrahantur, eccleſiarum rectoribus ſufficienter de ſolvenda decima caveatur. Quod ſi, infra prædictum, ad diverſarum parochiarum paſcua & paſturas transferantur: quælibet eccleſia, pro rata temporis portione, decimam percipiet earumdem minori xxx. dierum ſpatio, in rata temporis portione, minime computando. Si vero, per totum tempus prædictum cubant in una parochia, continue depaſcantur in alia: rector, in cujus parochia cubant, licet ibidem caſeus fiat, decimam caſei vel lactis dumtaxat percipiet, cum aliam non modicam meliorationem ſentiet, & percipiet utilitatem. Quod ſi poſt feſtum S. Martini, ducantur ad paſcua aliena, & uſque ad tonſionem, in una vel in diverſis parochiis, ſive in propriis paſcuis dominorum ſuorum, ſive alterius cujuſcumque paſcantur habitatione: ad numerum ovium paſcua æſtimentur, ut ſecundum æſtimationem paſcuorum, ab eorum dominis exigatur decima caſei & lactis.

De vaccis & capris decima proveniens, ubi cubant & paſcuntur, ibidem ſolvatur: alioquin, ſi cubant in una parochia, & paſcantur in alia, decima inter rectores dividatur omnino. Agni vero, vituli, & pulli, & alii fœtus decimales, habita ratione ad diverſa, ubi gignuntur, oriuntur, & nutriuntur, & ad moram quam traxerint in eiſdem, particulariter decimentur. Item præcipimus, quod ſi quis, poſt feſtum S. Martini, oves occiderit, vel ſi oves quovis caſu moriantur fortuito, decimam inde legitimam parochiali eccleſiæ ſolvere non poſtponat. Et ſi oves extraneæ in alicujus parochia tondeantur, decima lanæ ibidem tradetur rectori eccleſiæ, pro ſe fideliter conſervanda: niſi ſufficienter doceri poſſit, quod pro decima ſit alibi ſatisfactum, ut ſolutionem ibidem faciendam modo legitimo valeat impedire.

### III. *De Mortuariis.*

Quia inter rectores eccleſiarum & parochianos ſuos, lites cupimus extinguere, quæ frequenter oriuntur: ſtatuimus, quod decedens tria ad minus habens, vel plura, cujuſcumque generis in bonis ſuis animalia, optimo, cui de jure fuerit debitum, reſervato, eccleſiæ ſuæ, a qua recepit ſacramenta dum viveret, ſine dolo, & fraude, & contradictione qualibet, pro decimarum, tam temporalium, quam perſonalium, necnon oblationis, ſubtractionis compenſatione, ad deliberationem animæ ſuæ, melius poſt optimum eccleſiæ reſervatur.

### IV. *Quæ debent parochiani invenire, & quæ rector.*

Ut ſciant parochiani defectus eccleſiarum ipſos contingentes, præſentium tenore, innoteſcimus uni-

ANNO CHRISTI circiter 1300.

verſis parochianis, per totam noſtram Cantuarienſem provinciam conſtitutis, compelli, res & ornamenta omnia infraſcripta invenire: ſcilicet miſſale, calicem, veſtimentum principale, caſulam, albam, amictum, ſtolam, manipulum, zonam, cum duabus tuellis benedictis, & omnibus ſuis appendiciis. Item crucem proceſſionalem, & aliam crucem pro mortuis, turibulum cum navi & ture, lucernam cum tintinnabulo, velum quadrageſimale, vexilla, campanas manuales pro mortuis, feretrum, vas ad aquam benedictam, tabulas pacis, candelabrum ad cereum Paſchalem, campanile cum campanis & chordis, fontem cum ſeruris, reparationem navis eccleſiæ interius & exterius, tam de jure, quam de conſuetudine, tam in imaginibus, & præcipue in imagine principali in cancello, quam in altaribus & feneſtris vitreis. Item clauſuram cœmeterii, tam de jure, quam de conſuetudine. Volumus etiam in poſterum ad eoſdem parochianos prædicta ſingula pertinere. Item, compellendi ſunt parochiani ad inveniendum iſta ſubſcripta: videlicet legendam, antiphonare, graduale, pſalterium, troparium, ordinale, manuale, cappam pro choro, cum omnibus ſuis appendiciis, frontale ad magnum altare, tria ſuperpellicia, unum rochetum, pyxidem pro corpore Chriſti honeſtam, reparationem librorum & veſtimentorum, quandocumque contigerit eadem reparatione indigere. Cetera autem, tam in reparatione cancelli interius & exterius, quam hic non expreſſis, juxta conſtitutiones & ordinationes approbatas, rectoribus, vel vicariis incumbit reparare. *Quare iſtam conſtitutionem in meliori forma poſterius in conſtitutione Vvynchesd.*

## CONSTITUTIO DOMIN.

Roberti de Wynchelſe & W. Archiepiſc. Cantuar. Quid parochiani invenire debent, & quid rectores.

Ex eadem Anglicana collectione.

UT parachiani eccleſiarum ſingulorum archidiaconatuum Cantuarienſis provinciæ, ſint de cetero certiores de defectibus ipſos contingentibus, ac inter rectores & ipſos ambiguitas pro temporibus ſucceſſivis ...: volumus de cetero & præcipimus, quod parochiani teneantur invenire omnia inferius annotata: videlicet legendam, antiphonare, graduale, pſalterium, troparium, ordinale, miſſale, manuale, calicem, veſtimentum principale, cum caſula, dalmatica, tunica, & cum cappa de choro, cum omnibus ſuis appendiciis; frontale ad magnum altare, cum tribus tuellis, tria ſuperpellicia, unum rochetum, crucem proceſſionalem, crucem pro mortuis, turibulum, lucernam, tintinnabulum ad deferendum coram corpore Chriſti in viſitatione infirmorum, pyxidem pro corpore Chriſti, honeſtum velum Quadrageſimale, vexilla pro Rogationibus, campanas cum chordis, feretrum pro defunctis, vas pro aqua benedicta, oſculatorium, candelabrum pro cereo Paſchali, fontem cum ſerura, imagines in eccleſia, imaginem principalem in cancello, clauſuram cœmeterii, reparationem navis eccleſiæ, interius & exterius, tam in imaginibus quam in feneſtris; reparationem librorum & veſtimentorum, quandocumque contigerit eadem reparationibus indigere. Cetera autem omnia, tam in reparatione cancelli, quam in aliis, hic, ſecundum diverſas ordinationes & conſuetudines approbatas, a locorum rectoribus & vicariis debent in omnibus reparari, ſumptibus eorum.

A

## DE ORNAMENTIS ECCLESIÆ,

Quæ pertinent rectoribus, & quæ parochianis, in provincia Cantuarienſi.

ANNO CHRISTI circiter 1300.

Ex eadem Anglicana collectione.

DEcretum venerabilis magiſtri Roberti de Wynchelſe, miſeratione divina Cantuarienſis archiepiſcopi, ſuam provinciam viſitando, ſuper variis defectibus inter rectores vicarios, & eorum parochianos ſæpius, de diverſis rebus ad eccleſiam pertinentibus, & eorum ornamentis, ſic datum eſt, ut patet inferius, ad doctrinam præſentium, & memoriam futurorum.

B Cum plerumque altercatio fuerit inter rectores eccleſiarum, in provincia Cantuarienſi conſtitutos, & eorum parochianos, ſuper variis ornamentis, rebuſque eccleſiaſticis; quæ, quanta, & quomodo ad rectores pertineant infraſcripta; quæ autem ad eorum parochianos, quæ ſequuntur teneas pro doctrina. Ut autem parochiani in ſingulis ſubſequentibus certiores fiant, intelligant ſinguli, & obſervent univerſi, quod calix, miſſale, principale veſtimentum eccleſiæ; videlicet caſula, alba, amicta, ſtola, manipulum, cum duabus towellis altaris, crux proceſſionalis, & alia crux minor pro mortuis, turibulum, lucerna, cum tintinnabulis; velum quadrageſimale, vexillum, campanæ manuales, feretrum pro mortuis, vas ad aquam benedictam, oſculare, C candelabrum ad cereum Paſchale, magnæ campanæ, campanile, & chordæ ad eaſdem, fons ſacer cum ſerura & apparatu ad eumdem, reparatio eccleſiæ interius & exterius, tam altaris quam in imaginibus, feneſtris vitreis; pyxis ad hoſtiam conſervandam, chriſmatorium, clauſura cœmeterii circumquaque: ad parochianos pertinent ſupradicta. Cetera omnia autem, tam in reparationibus cancelli interius & exterius, quam in libris & ceteris ornamentis ejuſdem, ſecundum diverſas ordinationes & conſtitutiones approbatas, habeant a locorum rectoribus ſeu vicariis reparari.

D

## ALIA CONSTITUTIO

Rob. de Winchelſe, archiepiſc. Cantuar. pro bono regimine curiæ ſuæ Cantuarienſis: ſcilicet ſuper duobus ſtatutis, quæ inter ſe contraria videbantur.

Ex eadem Anglicana collectione.

RObertus permiſſione Divina Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Angliæ primas, dilectis filiis, officiali curiæ Cantuarienſis, & decano eccleſiæ beatæ Mariæ de Arcubus London. ejuſdem officialis commiſſario generali, ſalutem, gratiam, & benedictionem. Veſtra nos olim duxit diſcretio conſulendos, an ſtatutum quod in E eadem curia invenimur edidiſſe, quo cavetur, ut ſi quando juſtificationem directe contrariam intentioni, vel replicationem directe contrariam exceptioni, aut duplicationem replicationi, ſeu deinceps, proponi contigerit, ſtatim hoc fiat, quoad juſtificationem .... & poſt exceptiones vel replicationes, & deinceps, quarum probationes de jure concurrere debent, propoſitas, aut ſaltem infra triduum, a tempore propoſitionis & admiſſionis canonicæ earumdem, ut ſic probationes concurrere valeant, ſuper eis in cauſis & negotiis extra eamdem curiam inchoatis, in quibus uſque ad litis conteſtationem & ulterius



ANNO CHRISTI circiter 1300.

rius eſt proceſſum, ſibi locum valeat vendicare, conſultationi veſtræ, prout alias fecimus, reſpondemus: quod cum propter curſum probationum hinc & inde, ut ſic dilationum materia amputetur, ſtatutum ediderimus ſupradictum, & in litibus ac negotiis extra eamdem curiam inchoatis, quibus uſque ad litis conteſtationem & ultra, citra tamen publicationem teſtium eſt proceſſum, ſi in ipſis idem ſtatutum minime ſervaretur, poſſent eædem lites & negotia contra noſtram intentionem nimium protelari, propter ſimilitudinem & identitatem expreſſam, prælibatum ſtatutum noſtrum de univerſis litibus & negotiis, ad eamdem curiam devolutis, in quibus circa publicationem teſtium in principali negotio eſt proceſ- A ſum, poſt reſumptionem negotii principalis intelligendum fore & ſervandum, cum idem judicium de ſimilibus ſit habendum, auctoritate metropolitica declaramus; reſponſiones noſtras ad quaſcumque conſultationes ſuper antea vobis factas totaliter revocantes: mandantes, declarationem & interpretationem eamdem, & quicquid ſecundum eam eſt in eadem curia in quibuſlibet negotiis hactenus attentatum, futuris temporibus firmiter obſervari, & ſub iſto tenore vel alio ad perpetuam rei memoriam inter ſtatuta ejuſdem curiæ regiſtrari. Datæ apud Wrotam XVI. Kalendas Julii, anno Domini MCCC. & conſecrationis noſtræ decimoquinto.

ANNO CHRISTI circiter 1300.

## SYNODUS COLONIENSIS

### A VVichboldo archiepiſcopo celebrata, circa ann. Dom. MCCC.

Ex collectione ſtatutorum, ſive Decretorum provincialium &c. Eccleſiæ Colonienſis, edita anno 1554. H.

### TITULI CAPITULORUM.

1. *De ætate & qualitate præficiendorum eccleſiis parochialibus.*
2. *De nominibus paſtorum non reſidentium & non ordinatorum, tradendis per decanos.*
3. *De apoſtatis, diſcurſoribus, & vagis clericis.*
4. *De illis qui plura beneficia acceptant, & habent in una eademque eccleſia.*
5. *De teſtamentis clericorum.*
6. *De teſtamentis laicorum, & quorum debeant admoneri per ſacerdotes.*
7. *De legatis fabricæ eccleſiæ Colonienſis, & de pœna celantium legata.*
8. *Quod quilibet poteſt in lecto infirmitatis condere teſtamentum, & legare proprietatem, retento uſufructu, non obſtante quocumque ſtatuto.*
9. *Pœna contra contrarium ſtatuentes.*
10. *De inventario faciendo per manufideles, & quando liceat apprehendere bona, inventario non confecto.*
11. *De bonis clericorum decedentium, & de hujuſmodi bonis ſe intromittentibus.*
12. *De manifeſtis uſurariis.*
13. *Ne quæſtus fiat in eccleſia vel via publica per concionatores quæſtuarios.*
14. *Ne aliquis detineat legata fabricæ majoris eccleſiæ Colonienſis.*
15. *Ut unuſquiſque promoveat fabricam majoris eccleſiæ Colonienſis.*
16. *De laicis proviſoribus ſtructurarum eccleſiaſticarum.*
17. *Ne campanarii ſint illiterati.*
18. *Contra falſarios monetarum, & eorum receptores*
19. *Ne aliquis exequatur mandata indebite, ſeu de reſcriptis.*
20. *Contra ſuſpendentes cedas vel litteras comminatorias ad portas ſeu fores.*
21. *Contra detentores cerocenſus.*
22. *Quibus horum ſtatutorum copia neceſſario habenda.*

### STATUTA DOM. VVICHBOLDI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS,

VVichboldus Dei gratia ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus, ſacri imperii per Italiam archicancellarius, univerſis prælatis, capitulis, conventibus, collegiis, eccleſiarum rectoribus, totique univerſitati cleri & populi ſuæ B civitatis & diœceſis Colonienſis, ſalutem, & infra ſcriptorum memoriam perpetuam obſervandam.

I. *De ætate & qualitate præficiendorum eccleſiis parochialibus.*

Licet ſacris canonibus ſit inſtitutum, ne aliquis, ad regimen parochialis eccleſiæ aſſumatur, niſi qui jam XXV. annum ætatis attigerit, & ſcientia & moribus commendatus exiſtat: plures tamen hujus ſalubris ſtatuti invenimus trangreſſores. Volentes igitur periculis animarum proſpicere, inhibemus univerſis archidiaconis, ac aliis qui de conſuetudine inveſtire habere dinoſcuntur, C ne deinceps aliquem puerum vel aliquem alium, qui viceſimum quintum ætatis annum non attigerit, ſibi præſentatum, de hujuſmodi parochialibus eccleſiis inveſtiant vel admittant. Contrarium facientes, non ſolum ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendimus in his ſcriptis, verum etiam ipſam inveſtituram decernimus non tenere.

II. *De nominibus paſtorum non reſidentium & non ordinatorum, tradendis per decanos.*

Item cum ſecundum jus quilibet, qui ad curam animarum regendarum aſſumitur, ut gregis ſibi crediti diligentius gerere curam poſſit in parochiali eccleſia, cujus rector extiterit, reſidere per- D ſonaliter, & ad eam promoveri teneatur; alioqui, etiam nulla monitione præmiſſa, ipſa eccleſia ſit privatus: vobis decanis Chriſtianitatum committimus & mandamus, quatenus nomina illorum qui in veſtris decanatibus hujuſmodi eccleſias, ut pote minores annis, occupant, & nomina paſtorum non reſidentium perſonaliter, in his ſcriptis nobis intra menſem poſt præſentem diem tradatis, ut hujuſmodi negligentiam & defectum de prælatorum noſtrorum conſilio reformemus. Alioqui in vos extunc ſententiam excommunicationis ferimus in his ſcriptis, & id ipſum in qualibet ſynodo volumus obſervari in forma ſupradicta.

E

III. *De apoſtatis, diſcurſoribus, & vagis clericis.*

Quia vero, ut intelleximus, aliqui clerici, ut pote apoſtatæ, diſcurſores, & vagi de aliis provinciis & diœceſibus ad diœceſim noſtram Colonienſem venientes, regimen animarum & officiationem eccleſiarum ſibi aſſumunt, qui ab aliis diœceſibus tan-

ANNO CHRISTI circiter 1300.

tanquam irregulares & indigni, pro eorum culpis & exceſſibus ſunt remoti: ſtatuimus, ut nullus deinceps presbyter alienus ad regimen & ad curam animarum, loco coadjutoris vel vicarii aut ſocii, per paſtores eccleſiarum, vel capellanum, aut altarium rectores, aſſumatur abſque litteris teſtimonialibus proprii epiſcopi, profitentis talem rite ſecundum claves eccleſiæ ordinatum eſſe, & executionem ſui officii habere: ita quod per decanos Chriſtianitatum, in quorum decanatibus aſſumi deſiderant, examinati tunc demum admittantur tales, cum in his inventi fuerint idonei, ut dictum eſt. Paſtores vero & capellani, ac altarium rectores noſtræ diœceſis, qui his ſpretis, aliquem clericum ignotum, dicentem ſe presbyterum, aſſumpſerint, excommunicationis ſententiam, niſi intra ſex dies a ſe talem amoverint, ſe extunc hoc ipſo facto noverint incurſuros, & alias pro modo culpæ, canonice puniendos.

### IV. *De illis qui plura beneficia acceptant & habent in una eademque eccleſia.*

Cum item ſanctiſſimus pater dominus Bonifacius octavus ſummus pontifex, inter cetera ſtatuerit, ne aliquis deinceps, niſi unicum perſonatum, dignitatem, præpoſituram, adminiſtrationem, vel officia perpetua, quocumque nomine cenſeatur, cum præbenda inſimul, abſque diſpenſatione ſedis apoſtolicæ in eadem eccleſia obtinere, vel jam obtenta tenere valeat: & ſi a quocumque ſecus præſumptum fuerit, illud irritum ſit omnino: nos quia nonnulli in obſervatione hujuſmodi ſtatuti ſe exhibent negligentes, in ipſorum negligentiam ſupplere cupientes, mandamus vobis univerſis, ad quos talium ordinatio ſeu collatio ſpectare dinoſcitur, ne deinceps talia faciant & attentent, ſed ea perſonis intra tempus legitimum habilibus conferant. Alioqui nos eadem conferemus.

### V. *De teſtamentis clericorum.*

Præcipimus ut ſacerdotes denuncient ſuis ſubditis, quod omnes quibus a jure inhibitum non eſt, liberam teſtamenti condendi habeant facultatem. Et clerici bona, maxime immobilia, & quæ per eccleſiam ſunt adepti, ſive per modum teſtamenti, ſive alias, non transferant ad filios vel nepotes, aut ad alios ſuos conſanguineos, ſed relinquant ea eccleſiæ, a qua ſunt profecta. Sed intuitu eleemoſynæ, pauperibus, religioſis & piis locis, & illis qui ipſis ſervierunt, ſive conſanguinei ſint, ſive alii, aliqua juxta ſervitii meritum de mobilibus dare poſſunt. De aliis vero bonis, quæ ex hæreditate, artificio, vel doctrina, vel alias non ex bonis eccleſiaſticis ad clericos pervenerint, clerici poſſunt diſponere pro ſuo arbitrio. Excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes clericos, qui bona mobilia eccleſiarum, filiis ſuis, nepotibus, vel conſanguineis, ſeu aliis conferunt, vel in ipſos transferunt, & ab eccleſia alienant ſua propria voluntate, & ſine conſenſu noſtro.

### VI. *De teſtamentis laicorum, & quorum debeant admoneri per ſacerdotes.*

Præcipimus & monemus ut laici in præſentia ſui ſacerdotis teſtamenta ſua faciant, niſi improviſa neceſſitas emerſerit. Item omnibus ſacerdotibus præcipimus, quod hortentur omnes clericos & laicos teſtamenta ſua facere, & quod non differant uſque ad anguſtiam mortis, ſed ea faciant, dum adhuc compotes ſunt ſuæ mentis & corporis.

A Et in teſtamentis faciendis conſulant ſacerdotes ſuis ſubditis, quod declarent ſua debita & forefacta, & quod ex primo reſtitui faciant ſeu præcipiant de bonis ſuis: & quod poſtmodum legent aliqua fabricæ eccleſiæ: totius civitatis & diœceſis Colonienſis, & ſuæ parochiali eccleſiæ: & etiam religioſis & piis locis, & pauperibus aliis ſecundum arbitrium teſtantis.

### VII. *De legatis fabricæ eccleſiæ Colonienſis, & de pœna celantium legata.*

Si quis vero fabricæ eccleſiæ S. Petri, & parochiali eccleſiæ ſuæ aliquid legaverit in ſuo teſtamento, eidem viginti dies de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus. B Et fiant teſtamenta parochianorum publice & coram diſcretis perſonis. Et cum aliqua eccleſiæ S. Petri leguntur, hoc presbyter ſignificet Coloniæ procuratori fabricæ, & nomina eorum qui prædictæ fabricæ legata fecerint, intra menſem. Suſpendimus autem, & ſuſpenſos denunciamus omnes presbyteros, qui celant legata fabricæ prædictæ, niſi ea procuratori ejus denuncient intra duos menſes a tempore ſcientiæ: excommunicamus etiam omnes laicos qui celaverint prædicta legata.

### VIII. *Quod quilibet poteſt in lecto infirmitatis condere teſtamentum, & legare proprietatem, retento uſufructu, non obſtante quocumque ſtatuto.*

C Quoniam autem in aliquibus locis noſtræ diœceſis quædam conſuetudo inolevit, quæ dicenda potius eſt corruptela, cum ſit contraria rationi, & contra jura canonica & civilia, videlicet quod judices & ſcabini & conſiliarii quorumdam oppidorum, dicunt, ſtatuunt, vel judicant & faciunt obſervari, & per conſuetudines tenent, quod nullum teſtamentum, donatio, vel legatum teneat ſuper immobilibus, vel quæ a decumbentibus in lecto, in pios uſus, vel alias perſonas, fuerit factum vel facta; nec etiam quod vel quæ fiunt ab aliquo per applicationem proprietatis in pia loca vel alias perſonas, retento a donatore ſeu a teſtatore uſufructu, niſi ab eodem uſuſfructus cum proprietate D transferatur & deferatur: nos huic manifeſto errori obviare volentes, conſuetudines prædictas ſeu ſtatutum, reprobatas, ſeu reprobatum, penitus reprobamus: ſtatuentes etiam, quod quilibet tam ſanus, quam infirmus, qui liberam habet a jure teſtamenti factionem, & compos mentis extiterit, libere poſſit condere teſtamentum, & donare & legare, tam proprietates, quam uſumfructum, vel proprietates, retento ſibi uſufructu; & etiam utrumque tam proprietates, quam uſumfructum: & ſecundum ejus voluntatem & diſpoſitionem procedant univerſa præmiſſa, cum ultima voluntas libera eſſe debeat, & liberum, quod non redeat, arbitrium.

### IX. *Pœna contra contrarium ſtatuentes.*

E Præcipientes diſtrictius, quod ſi in aliqua parochia aliquando judices, ſcabini, vel conſiliarii, ſecundum dictas conſuetudines ſeu ſtatutum, reprobatas, ſeu reprobatum, judicaverint & fecerint obſervari, denuncientur officiali noſtro, & ipſe officialis contra prædictos tam ſcabinos quam conſiliarios & partem ad hoc inſtantem nominatim procedat.

### X. *De inventario faciendo per manufideles, & quando liceat apprehendere bona, inventario non confecto.*

Verum quia executores ſeu manufideles teſtamentorum



ANNO CHRISTI circiter 1300.

nonnunquam in executionibus teſtamentorum perperam procedentes, bona ad executiones teſtamenti pertinentia, clam ſurripiunt & celant, & poſtmodum rationem executionis ſuæ facere debent, negant ſe habere bona quanta receperunt, furtum & rapinam committentes & ultimam voluntatem defuncti minime exequentes: nos malitiis talium obviare volentes, ſtatuimus & ordinamus, quod nullus executorum ſeu manufidelium, bona teſtatoris ad executionem ſuam pertinentia invadat vel recipiat, vel de eiſdem aliquatenus ſe intromittat, niſi facto prius inventario: id eſt quadam ſcriptura, in qua contineantur, quæ & qualia bona teſtator poſt ſe reliquerit, ad executionem prædictam pertinentia, quæ ipſe executor, ſeu manufidelis recipiet, & levabit, & debita, forefacta, & legata ipſius teſtatoris reſtituens, adimplebit. Et illud inventarium fiet per probos viros & idoneos, videlicet per presbyterum, & duos ſcabinos loci, vel ſynodales non ſuſpectos, & ſigillabit ſub ſigillo presbyteri vel alicujus authenticæ perſonæ, unde executores petant a teſtatore, ſi poterit fieri, quod ipſos de bonis ſuis, & de debitis ſuis certificet. Nam in hoc ſtabitur aſſertioni teſtatoris. Et nos excommunicamus & excommunicatos denunciamus omnes executores ſeu manufideles, qui bona decedentium, quorum ſunt executores, prius non facto modo prædicto inventario, invadunt & recipiunt, & levant. Et nihilo minus ipſi executores & manufideles, ſi bona prædicta non facto inventario levaverint, dum a creditoribus ſeu a legatariis defuncti, ratione dictæ executionis conveniuntur, in ſolidum tenebuntur & condemnabuntur: exceptis rebus, quæ ſervari non poſſunt, quas res, ſi neceſſitas exegerit, executores alienare poterunt, non facto inventario in præſentia ſacerdotis loci, vel duorum vel trium ſcabinorum, vel ſynodaſium vel fide dignorum: & pecuniam de dicta receptione ipſi executores deponant in certo loco, nec ea utantur, niſi dicto inventario facto. Alioqui dictas excommunicationis ſententias incurrant. Et ſi defunctus aliquod debitum ſub pœna ad uſuras, ſeu ad alia pericula, vel ad alia damna debeat: poterunt executores ſeu manufideles de bonis defuncti ſolvere debitum, pœnam, uſuras, & alia pericula & damna extinguendo, non facto etiam inventario, ſi ipſum inventarium commode fieri non poteſt. Et ſi debitum, pœna, uſura, ſeu aliis impedimentis inſtantibus, ſunt * augmentanda, vel etiam exequiæ dicti defuncti fuerint faciendæ: hoc tamen fiat in præſentia presbyteri, duorum vel trium ſcabinorum, ſynodalium, vel aliorum proborum: alioqui dicta excommunicationis ſententia ligentur. Si vero presbyter loci fuerit executor, tunc faciat fieri inventarium ipſum in præſentia decani loci, vel alterius authenticæ perſonæ, duorum vel trium ſcabinorum, ſynodalium, & aliorum proborum. Præcipimus etiam ſacerdotibus loci & ipſis executoribus ſeu manufidelibus, quod copiam inventarii prædicti referant nobis intra duos menſes, ſi intra diœceſim noſtram fuerimus: alias noſtro officiali, a tempore quo factum fuerit. Et præcipimus hoc per noſtrum officialem regiſtrari, nec aliquid recipiatur pro ſigillo. Cum autem teſtator deceſſerit, ipſi executores ſeu manufideles, facto inventario, bona ad executionem pertinentia apprehendant, & exequantur ultimam voluntatem dicti defuncti, faciendo proclamari in loco, in quo morabatur defunctus, & plures eſſe & converſari conſuevit, ut & omnes creditores ipſius defuncti, & a quibus aliqua extorſerat, compareant certa die ſua debita

* Al. augmentandum

A oſtenſuri: & tunc ipſi executores ſeu manufideles, primo creditoribus a quibus quid injuſte extorſerat, ſatisfaciant: & de reſiduo ſatisfaciant legatariis, cuilibet pro rata bonorum defuncti: & officialis noſter per cenſuram eccleſiaſticam compellat executores & hæredes defuncti, ad implendam & exequendam ultimam defuncti voluntatem.

### XI. *De bonis clericorum decedentium, & de hujuſmodi bonis ſe intromittentibus.*

Sed quia nonnulli terrarum domini, judices, & alii officiarii laici, bona clericorum noſtræ diœceſis decedentium ex teſtamento, vel ab inteſtato, B authoritate propria & violenter rapiunt, occupant, & arreſtant, in præjudicium eccleſiaſticæ libertatis; quo minus decedentium ultima voluntas pro ſalute animarum eorumdem decedentium valeat adimpleri: nos tam præſumptuoſos exceſſus corrigere volentes, monemus omnes nobiles, judices terræ, advocatos, terrarum dominos, & laicos quoſcumque, ne deinceps talia attentare præſumant. Contrarium facientes (quos ipſo facto ex tunc in his ſcriptis excommunicamus) excommunicatos in eccleſiis veſtris, & præcipue in parochiis in quibus talia perpetrantur, & in quibus tales morantur, vos univerſi rectores eccleſiarum publice nuncietis. Quam excommunicationis ſententiam, ſi per quindenam, poſt hujuſmodi delictum perpetratum, animo ſuſtinuerint C indurato, diſtrictum ſive terram, ſi dominus terræ eſt, alioqui locum ubi talia perpetrata noſcuntur, ubi forefactores tales manſerint, eccleſiaſtico ſupponimus interdicto.

### XII. *De manifeſtis uſurariis.*

Excommunicamus, & excommunicatos denunciamus, omnes uſurarios manifeſtos: & ſingulis diebus Dominicis & feſtivis a quolibet ſacerdote, denuncientur excommunicati. Nullus ſacerdos oblationes manifeſtorum uſurariorum recipiat, nec ad communionem eos admittat: niſi ſatisfaciant de uſuris ſecundum conſtitutionem felicis recordaD tionis domini Gregorii papæ decimi, quæ incipit: Quamquam uſurarii. Nullus teſtamentis manifeſti uſurarii interſit, nec ad pœnitentiam & communionem eos admittat: niſi de uſuris ſatisfecerint, ſecundum formam conſtitutionis dicti domini papæ. Et teſtamenta manifeſtorum uſurariorum, qui ſecundum formam dictæ conſtitutionis non ſatisfecerint de uſuris, nulla ſint ipſo jure. Dum autem manifeſti uſurarii ſecundum formam dictæ conſuetudinis ſatisfecerint, ad ſacramenta eccleſiaſtica * admittantur. Manifeſtos autem uſurarios dicimus, de quibus per ſententiam vel per confeſſionem factam in jure, aut evidentiam quæ aliqua tergiverſatione non poteſt ceE lari, conſtiterit evidenter. Et illos etiam, qui ſuper uſuris diffamati, intra tempus ſtatuendum ab eo qui ſuper hoc habet poteſtatem, ſe non purgaverint, reputamus pro manifeſtis uſurariis puniendos. Præcipimus etiam ſingulis ſacerdotibus parochialibus, quod moneant in parochiis ſuis frequenter in generali & in ſpeciali, de quibus conſtiterit, uſurarios & infamatos publice de uſuris, ac contractus illicitos præemptionum exercentes, ut ab uſuris & talibus contractibus deſiſtant intra ſeptem dies a tempore dictæ monitionis. Alioqui ipſi ex tunc dicti uſurarii & præemptores, excommunicentur in ſpeciali, de quibus conſtiterit;

In concil. Lugdun. c. 27.

* Deeſt non

Anno Christi circiter 1300.

rit; & de quibus non conſtiterit, in generali: & diffamati, ſi ſe non expurgaverint, pro convictis habeantur. Et ſi taliter moniti & excommunicati, deſiſtere noluerint, nominatim excommunicentur, & nomina eorumdem noſtro officiali referantur, ſalvo jure noſtro & archidiaconi in præmiſſis. Præcipimus etiam conſtitutiones dicti Domini papæ, contra uſurarios alienigenas editas, firmiter obſervari. Sacerdotes non permittant quæſtionarios Goliardos, vel quoſcumque alios ignotos, intra parochiam ſuam in eccleſia, vel in via, vel in platea, vel in quibuſcumque locis parochiæ ſuæ prædicare, vel oſtiatim deferre indulgentias pro quæſtu faciendo. Sed tales & omnes qui eis aſſiſtunt, presbyter loci excommunicet, & ad removendum ipſos invocet auxilium brachii ſæcularis, ſi neceſſe fuerit.

XIII. *Ne quæſtus fiat in eccleſia, vel via publica, per concionatores quæſtuarios.*

Sacerdotes non permittant prædicatores quæſtionarios celebrare ſuper arcas, vel pulſare campanulas manuales per vicos, neque in eccleſia: & ipſi presbyteri ſingulis diebus Dominicis & feſtivis moneant parochianos ſuos, & etiam ſub pœna excommunicationis inhibeant eiſdem, ne tales audiant, propter pericula hæreſum & errorum, quos ſæpius ſeminant. Et ſi quis tales viderit, denunciet presbytero: & presbyter faciat eos teneri per juſtitiam ſæcularem, & nobis remitti. Præcipimus etiam, quod eccleſiæ interdictæ a nobis, noſtro capitulo, archidiacono loci vel officiali, ſeu quocumque judice ordinario, nullatenus aperiantur, nec quacumque auctoritate, pro quocumque quæſtu faciendo, niſi de ſpeciali mandato noſtro.

XIV. *Ne aliquis detineat legata fabricæ majoris eccleſiæ Colonienſis.*

Monemus item omnes ſacerdotes & alios quoſcumque noſtræ diœceſis, qui eleemoſynas fidelium ad opus fabricæ eccleſiæ majoris Colonienſis collatas detinent, quod intra menſem ſatisfaciant de eiſdem procuratori ſeu procuratoribus dictæ fabricæ. Alioqui ipſos ſuſpendimus: & ſi per octo dies dictam ſuſpenſionem ſuſtinuerint, ipſos excommunicamus, & etiam omnes illos qui dictas eleemoſynas ſurripuerunt, celaverunt, & diſtraxerunt, ſurripiunt, celant, & diſtrahunt, in fraudem dictæ fabricæ Colonienſis.

XV. *Ut unuſquiſque promoveat fabricam majoris eccleſiæ Colonienſis.*

Item præcipimus & injungimus univerſis presbyteris Colonienſis diœceſis, ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, quatenus dictum negotium fabricæ apud ſuos ſubditos promoveant diligenter & fideliter in eccleſiis, teſtamentis, & confeſſionibus. Et ſi qui pro hujuſmodi negotiis ſuſpenſi vel excommunicati fuerint, non abſolvantur, niſi per nos ſeu noſtrum officialem.

XVI. *De laicis proviſoribus ſtructurarum eccleſiaſticarum.*

Item ſtatuimus, quod laici proviſores parochialium eccleſiarum, qui pro conſervatione ſtructurarum, luminarium, & comparatione ornamentorum inſtituuntur, certis ad hoc vel non certis redditibus deputatis, nihil ordinent vel diſponant abſque conſilio plebanorum: quod bis in anno videlicet in craſtino beatæ Margaretæ, & beati Petri ad cathedram, de adminiſtratione ejus commiſſa plebanis ſuis teneantur reddere rationem: ut ſi quid inordinate egerint, per ipſos plebanos pro utilitate eccleſiarum ſuarum, prout ſecundum Deum & ſuas conſcientias expedire viderint, corrigant & reforment.

XVII. *Ne campanarii ſint illiterati.*

Prohibemus item ne deinceps campanarii in villis & eccleſiis parochialibus ibidem aſſumantur, niſi litterati, qui in defectu reſpondentis ad altare, cum camiſiis lineis, aſſiſtant, in miſſis deſervientes presbytero, ne miniſtrator careat ſocio ſibi reſpondente.

XVIII. *Contra falſarios monetarum, & eorum receptores.*

Quia nonnulli in diverſis partibus noſtræ diœceſis falſas ſeu adulterinas monetas cudunt, & cudi faciunt, propter quod reſpublica læditur, & damna plurima ſubjectis noſtris & toti provinciæ inferuntur: unde in hac noſtra ſynodo ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis præcipimus, ut ubicumque tales falſarii reperti fuerint, tam ipſi falſarii, quam receptores eorumdem, cujuſcumque ſint ſtatus, vel gradus, aut dignitatis, per plebanos locorum moneantur, ut a talibus prorſus deſiſtant, & indilate. Ipſique qui in ſuis diſtrictibus eoſdem falſarios recipiunt, & *tuentur, eos falſarios removeant, nullatenus reverſuros: alioqui ipſi falſarii & eorumdem receptores, quos poſt triduum ab hujuſmodi monitione numerandum, in his ſcriptis excommunicamus, excommunicati publice nuncientur: & ceſſari in locis, ubi talia committuntur, quamdiu falſarii ibi ſteterint, præcipimus a Divinis.

* al. tenent

XIX. *Ne aliquis exequatur mandata indebite: ſeu de reſcriptis.*

Quamvis reſcripta ſtricti juris ſint, nec ad alias perſonas, quam quæ eiſdem continentur expreſſe, aliquatenus extendantur: nonnulli tamen hujuſmodi reſcriptis in caſibus a jure non conceſſis abutuntur, & ſua mandata dirigunt, & ſententias de facto fulminant contra aliquos, ad quos eorumdem juriſdictio nullatenus ſe extendit. Volentes igitur talibus nefandis auſibus obviare, ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ in his ſcriptis firmiter prohibemus, ne aliquis deinceps ſubditorum noſtrorum, cujuſcumque ſtatus ſeu conditionis, aliqua mandata alicujus judicis delegati contra perſonas in authentico non expreſſas, recipiat aut executioni demandet, etiamſi narretur in mandato caſus a jure conceſſus, niſi ſuper hoc prius a nobis, vel officiali noſtro, habita & obtenta licentia ſpeciali: cum talia mandata contra alias perſonas plerumque ex malitia & odii fomite procedere videantur. Illum autem, quod hujuſmodi mandata contra alias perſonas emiſerit in caſu a jure non conceſſo, aut per nos non admiſſo, vel per officialem noſtrum non approbato, propter hoc excommunicationis ſententiæ, quam in his ſcriptis ferimus, decernimus ſubjacere.

XX. *Contra ſuſpendentes tedas vel litteras comminatorias ad portas ſeu fores.*

Quia vero nonnulli, ut intelleximus, tedas & litte-



litteras annexas ante portas, & januas aliquorum religioſorum, & granges eorum, ſuſpendere non formidant, in quibus incendia, homicidia, & alia damna & maleficia ſe illaturos eis ante quorum ædificia dictas litteras & tedas ſuſpendunt, inferre publice comminantur, niſi intra certum terminum eiſdem malefactoribus aliqua pecuniæ ſumma pro ipſorum arbitrio perſolvatur: nos talibus maleficiis, quantum poſſumus, obviare volentes, præcipimus univerſis eccleſiarum rectoribus, quod ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, hujuſmodi malefactores & dictarum litterarum ſcriptores, fautoreſque, opem & operam dictis malefactoribus præſtantes, & omnes, qui præmiſſa ſciverint, vel conſcii fuerint (niſi nobis vel pœnitentiario noſtro revelent intra octo dies, poſtquam talia intellexerint) quos in his ſcriptis excommunicamus, excommunicati publice denuncient, & præcipiant ab omnibus arctius evitari & revelari eoſdem.

XXI. *Contra detentores cerocenſus.*

Item præcipimus ut univerſi eccleſiarum rectores moneant omnes cerocenſuales eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum, quocumque nomine cenſeantur, qui cerocenſum debitum ſubtrahunt & non ſolvunt, & qui dictum cerocenſum hactenus non ſolverunt: quod de ſubtractis ſatisfaciant intra menſem; & deinceps debitis temporibus & ſtatutis perſolvant dictum cerocenſum, ut tenentur. Alioqui dictos ſubtrahentes & non ſolventes, quos excommunicamus in his ſcriptis, excommunicatos publice nuncient ſingulis diebus Dominicis & feſtivis.

XXII. *Quibus horum ſtatutorum copia neceſſario habenda.*

Præcipimus etiam omnibus decanis Chriſtianitatum & plebanis locorum, ut præmiſſorum omnium copiam a ſigillifero curiæ noſtræ Colonienſis intra quindenam recipiant, & ſibi fieri procurent ſub correctione debita: alioqui contrarium facientes, quos ex nunc prout ex tunc excommunicamus in his ſcriptis, excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere. Item decani Chriſtianitatum, nomina plebanorum ſui decanatus ad præſens abſentium, nobis vel officiali noſtro dent in ſcriptis ſub pœna prædicta.

Ex Beſſin Concil. Rotomag.

# SYNODALIA PRÆCEPTA CONSTANTIENSIS ECCLESIÆ,

## A Reverendiſſimis Epiſcopis ejuſdem Eccleſiæ variis Synodis in lucem emiſſa; Sacerdotibus honeſte vivere deſiderantibus apprime utilia.

*Et a Vicariis prædictorum Epiſcoporum ſumma diligentia caſtigata atque emendata, recenter excuſa anno* 1538.

## ADMONITIO PRÆVIA.

Horumce Statutorum priorem partem edidit Collect. nov. pag. 251. D. Edm. *Martene*, ex apographo amici, qui ea deſcripſerat ex codice Eccleſiæ B. M. de Guencampo Trecorenſis Diœceſis in inferiore Armorica, ipſorum uſibus jam diu aptata. Nos vero ſincera, nec aucta, nec detruncata, ex genuino codice Conſtantienſi, modo repræſentamus, pluribus inſuper ſubſequentibus Synodis adaucta, ab anno videlicet 294. & deinceps.

Vix aliud ſupereſt obſervandum, præterquam pro Concilio anni 1231. cui cap. 4. inſigne teſtimonium, etiam ex codice Guencampenſi, perhibetur: illuſtrius vero Præceptis antiquis, e quibus multo plura, velut ex nativo & provinciali penu, deſlorata paſſim cernuntur.

## INCIPIUNT PRÆCEPTA SYNODALIA DIOECESIS CONSTANTIENSIS.

I. *De Presbyteris qualiter ſe debent habere venientes ad Synodum & redeuntes ab ea.*

QUoniam propter indevotiones, ut non dicamus deriſiones quorumdam ad Synodum venientium, novimus in populo retroactis ſæpe temporibus ſcandala ſuborta fuiſſe: ut propter caſus conſimiles miniſterium noſtrum, qui quaſi ſignum ad ſagittam poſiti ſumus, inter laicos non vileſcat: jubemus ut Sacerdotes & Clerici eundo & redeundo, cum devotione & humilitate, in geſtu & habitu exhibeant ſe modeſtos. Jejuni, ſtatim poſt pulſationem groſſæ campanæ, intrent Synodum, in ſuperliciis * Presbyteri & Beneficiati; Abbates autem & Priores cum cappis ſericeis, juxta ſuum ordinem incedendo, ſint induti.

* Alii. cum [illegible]

II. *Ne Clerici, vel Monachi recedant a Diœceſi noſtra ſine licentia.*

Præcipimus diſtricte, ne aliqui recedant a noſtra Diœceſi cauſa commorandi vel peregrinandi, ſine noſtra licentia, ſive ſint Abbates, ſive Priores, ſive alii. Et ſi majores eos ad ſe vocaverint, non recedant ſine auctoritate noſtra, alioquin revertentes non admittemus.

III. *Ut bona Prioratuum ibidem, & in pios uſus expendantur.*

Quoniam vero Prioratibus quidam deputati, non eis quæ Dei ſunt intendentes, nec bona Prioratuum prout debent expendentes; ſed avaritiæ & cupiditati potius intendunt. Præcipimus diſtricte ſub pena excommunicationis, ut bona Prioratibus collata, in ipſis Prioratibus expendant; hoſpitalitatem, prout facultates locorum poterunt facientes, & in pias eleemoſynas erogantes, ut devotio populorum erga domos Religioſas augeatur: alioquin ipſos ab adminiſtrationibus ſibi collatis expoliabimus.

IV. *Vicario quoquo modo conſtituto XV. libræ aſſignentur.*

Vicarias ſufficientes jamdudum eſt præcipimus aſſignari, videlicet quindecim libr. Turon. Licet aut perpetui Vicarii non conſtituantur poſt Concilium *, ſed pro tempore conſtituantur; videl. quia Rectoribus damus licentiam in ſcholis morandi, vel peregrinandi, vel impotentes ſunt ad ſerviendum.

* ſcil. anni 1231.

Anno Christi 1300.

dum. *Volumus tamen ut Vicariis Vicaria quindecim librarum Turon. aſſignetur:* & hoc noſtra auctoritate, ne Eccleſiæ fiant quaſi venales. Ita quod ſi reverſus de ſcholis, vel peregrinatione ſua, voluerit in propria perſona deſervire, pro tempore ſubſtituto ſatisfaciat competenter.

V. *De Vicariis aſſignatis.*

Vicarias vero a nobis aſſignatas nullus auctoritate ſua audeat diminuere; & qui ſine auctoritate noſtra eas diminuunt, vel inſtitutos a nobis, in fraudem noſtræ aſſignationis, vel inſtitutionis Concilii, auctoritate quarumcumque litterarum eos moleſtaverint; alios excommunicabimus, & excommunicatos denunciabimus, etiam occaſione penſionis antiquitus ibi perceptæ.

VI. *De Eccleſiis & Locis Religioſis, qualiter debentur appropriatis.*

Quia vero obtentu libertatis a nobis, vel ab Eccleſia noſtra, Abbatiis, vel locis religioſis factæ, non debent Eccleſiæ, vel Capellæ ſine ſervitio remanere: præcipimus, ut abſque moleſtia & contradictione ſuper Eccleſiis, vel Capellis, victum Presbyteris ſecundum formam prætaxatam aſſignent. Nec nos, nec ipſos auctoritate D. Papæ, vel alterius permittant moleſtari: alioquin, propter ingratitudinem de bonis ſibi collatis, meritis ſuis exigentibus, eos privabimus; non obſtante ſi dicant quod omnes redditus ad Eccleſias ſibi pertinentes vel capellas, ſint eis ab antiquo appropriati.

VII. *De non appropriandis Eccleſiis, ſive Capellis.*

In Concilio * fuit ſtatutum ut nullus Epiſcopus Eccleſiam de cetero appropriet loco religioſo ſine conſilio ſui Capituli, & aſſenſu; & quicquid ſuper hoc factum fuerit aliter, decrevit Concilium non tenere. Proinde jubemus, ut qui Eccleſias ſine conſilio & aſſenſu Capituli Conſtantienſis in ipſa Diœceſi ut appropriatas tenent vel decimas, nobis perſonas idoneas ad eas repræſentent; vel inſtrumenta, ſi quæ habeant, ſuper his nobis ſtudeant exhibere: alioquin nos, tam noſtra auctoritate ordinaria, quam Apoſtolica, dictas Eccleſias, vel decimas perſonis idoneis conferemus.

* l. Claromont.

VIII. *De juramento, vel pactione non exigendis a Præſentato vel Præſentando.*

Diſtricte præcipimus, ne Abbates, vel Perſonæ juramenta exigant a Clericis, antequam eos præſentent, nec de augmentando penſionibus, nec quod contenti erunt eo ad quod præſentat eos. Similiter nec Clerici eis juramenta faciant ad * præſentationem ſub anathemate prohibemus, & qui exegerint, & qui præſtiterint, excommunicatos reputamus.

* al. ante

Item præcipimus, ne reſignent in manibus Patronorum, vel perſonarum privatarum.

IX. *De Monachis & Canon. Regul.*

Item prohibemus, ut Monachi non pauciores tribus alicubi morentur: & ad Regulares hoc extendi Canonicos declaramus, ubi ſufficiunt facultates.

X. *De eleemoſynis Eccleſiarum.*

Similiter prohibemus, ne aliqui eleemoſynas Eccleſiarum auctoritate ſua occupent; aut eas ad laicalem feudum extra jus Eccleſiæ convertant; vel eleemoſynas Eccleſiæ, quæ dicuntur ad unum uſum collatæ, ſcilicet ad luminare, vel Presbyterum, ſine auctoritate noſtra non audeant ad alium uſum convertere. Si quis autem Presbyter cupiditate ductus, ſcilicet pro pecunia, vel pro filiis, vel nepotibus, ut inde feodentur, illud facere auſus fuerit, beneficio ſe noverit cariturum.

XI. *De Leproſis, Religioſis, & Infirmis.*

Præcipimus ut quælibet Abbatia intra muros ſuos domum habeat ad Leproſum ibi ponendum, ſi forte ita contigerit; non extra, niſi in loco religioſo: quia etiam domus inde vileſcit, & per hoc mutua fraternitas amittitur erga ipſum. Præterea circa curam infirmantium & debilium, operam debitam adhibeant diligenter; ita quod ſecundum loci facultatem, juxta cujuſlibet debilitatem vel infirmitatem omnia eis neceſſaria miniſtrentur.

XII. *De penſionibus injuſte non percipiendis.*

Quoniam vero *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, & tempus non minuit peccatum, ſed auget: excommunicamus omnes Religioſos, qui ſcienter ſine auctoritate hujus Eccleſiæ penſiones in Eccleſiis percipiunt, licet eas perceperint ab antiquo.

XIII. *Ne Clerici, vel Monachi placita laicorum ſectentur.*

Item diſtricte præcipimus, ne Presbyteri, vel Clerici, vel Monachi, placita laicorum pertractent, vel firmas illorum teneant; nec in rebus eorum procuratores exiſtant: & ne aſſiſias ſectentur, niſi propter domorum ſuarum emergentes neceſſitates: Sacris enim Dei Sacerdotes oportet vacare aſſidue. Quod ſi contra fecerint, & propter hoc moleſtiam perpeſſi fuerint, ſive de patrimonio, ſive de rebus ſuis, ab Eccleſia non ſubvenietur: cum ſit indignum eis ab Eccleſia ſubveniri, per quos conſtat in Eccleſia ſcandalum generari.

XIV. *Ne Patronis decimæ ad firmam tradantur.*

Prohibemus diſtricte, ne Abbates, vel Monachi, vel Canonici Regulares, accipiant ad firmam decimas, quarum ſunt Patroni, ſive ad unum annum, ſive ad duos annos, ſive ad vitam illius qui decimas habet.

Prohibemus ſub pœna excommunicationis ne decimæ laicis Patronis, vel alicui de eorum familia tradantur; vel eis qui impoſterum Eccleſiam poſſint moleſtare occaſione hujuſmodi. Similiter nec præpoſitis eorum, vel aliquibus extra juriſdictionem noſtram commorantibus. Similiter nec laicis, maxime ballivium habentibus.

XV. *De oneribus Eccleſiarum.*

Item ſtatuimus, ut Religioſi, & alii, qui in Eccleſiis aliquid percipiunt, pro rata quam ibi percipiunt, onera Epiſcopalia & Archidiaconalia ſuſtineant, & ad ædificationem Eccleſiarum ſecundum ordinationem noſtram & Archidiaconorum ſubminiſtrent; non obſtante ſi dicant, quod nunquam aliquid ad hoc poſuerunt.

XVI. *De compoto domorum Religioſarum reddendo.*

Quia vero utilitatibus & neceſſitatibus domorum Religioſarum providere cupimus & debemus; & ne bona earum prodige, & in pravos uſus expendantur; & murmurationes de clauſtris removere. Statuimus ut in qualibet Abbatia Abbas, & Ballivus quater in anno compotum de redditibus & expenſis eorum Conventui terminis aſſignatis reddant: ita quod ſumma redditum & expenſarum in ſcriptis redigatur, & in quolibet termino ſcriptum de expenſis anni habeat tam Abbas, quam Conventus, ſigillo Abbatis & ſigillo Conventus ſigillatum, ac nobis in fine anni, vel atornatis a nobis, tam de expenſis quam de redditibus reſpondeant competenter. Idem dicimus de Prioratibus, qui de redditibus ſibi deputatis & de expenſis quater in anno coram fratribus, ſi ibi fuerint, & coram atornato a nobis computent, & in fine anni coram nobis reſpondeant: maxime ubi timetur de dilapidatione, vel quod Priores bona non in bonos uſus, vel non in ipſis locis expendant.

XVII. *Ne in Prioratibus numerus deficiat.*

Item cum temporibus noſtris divinus cultus non debeat diminui, ſed potius augeri: prohibemus, ne in Prioratibus numerus Monachorum, qui ibi deſervire debent, diminuatur, nec annihiletur, cum facultates Eccleſiæ non ſint diminutæ: alioquin



Anno Christi 1300.

quin bona Prioratuum in manu noſtra retinemus. Et inſuper præcipimus Archidiaconis quod in his curam adhibeant diligentem.

Similiter præcipimus quod Abbates Prioribus ſuis ſocios dent competentes, qui ſint bonæ vitæ, & converſationis honeſtæ; & per quos divinum Officium celebrari poſſit. Et licet omnes Sacerdotes ad Horas Canonicas decantandas ſingulis diebus teneantur; præcipue tamen Monachi, & alii Regulares, qui arctiori Regulæ & Voto tenentur aſtricti. Provide jubemus ut Monachi, ſeu alii Regulares in Eccleſiis parochialibus commorantes, ſingulis diebus divinum Officium decantent in eis, aut parochialis interſint Officio Sacerdotis. Quod ſi non fecerint, per Sacerdotem loci vel Decanum nobis præcipimus intimari.

XVIII. *De Confeſſoribus Abbatum, Priorum, & Sacerdotum.*

Præcipimus ut Abbates & Priores a nobis conſtituti, nobis confiteantur, vel de licentia noſtra ſibi virum providum & diſcretum eligant Confeſſorem: ita Dominus Papa conſtituit. Similiter Presbyteri Confeſſoribus a nobis atornatis, ſaltem ſemel in anno confiteantur.

## HIC STATUENDUM VIDETUR

### INITIUM ALTERIUS SYNODI.

I. *Quomodo Presbyteri debent ad Synodum venire.*

QUando vos Presbyteri ad Synodum venire debetis, die Dominica præcedenti publice inquiratis in parochia veſtra ſi qui ſint infirmi, & eos eodem die, vel ſequenti feria, vel antequam iter arripiatis, etiam non requiſiti viſitetis, & quicquid fuerit neceſſarium ad ſalutem animæ faciatis, dummodo prius confeſſi fuerint: non tamen omittentes proviſionem, quam per vicinos Sacerdotes facere conſueviſtis, in vicinis parochiis remanentes. Et hoc dicimus de illis qui ſecum non habent Presbyteros, cum nullus poſſit alicui curam animarum committere, niſi Epiſcopus, vel qui fungitur vice ejus: unde non poſſunt abſolvere, nec pœnitentiam injungere. Concedimus & damus poteſtatem eis Presbyteris, qui ſunt cum aliis qui curam animarum habent, dummodo ſint bonæ vitæ & converſationis honeſtæ, & notum ſit de ordinatione ipſorum, quod loco ipſorum, cum neceſſitas fuerit, parochianos abſolvant, & eis injungant pœnitentiam, ne poſſit dici de illis: *Curabant contritionem populi mei dicentes, Pax, pax, pax; & non erat pax*: & inde poſſint culpabiles inveniri. Præcipimus, ut eos quos ſecum habent, vel habebunt, loco, vel tempore competenti nobis manifeſtare procurent.

II. *De habitu Presbyterorum.*

Præcipimus vobis, ut eundo, morando, & parochias circumeundo, habitum tam in Tonſura quam veſte habeatis, ne ſtatus veſter vertatur in opprobrium populo, prout de veſtimentorum habitu in Concilio Lateranenſi determinatur: videlicet ut clauſa deſuper habeatis indumenta, nimia brevitate, vel nimia longitudine non notanda, & maxime coram nobis, ne de hoc reprehendi poſſitis. Unde reprehendemus Presbyteros qui per parochias ſuas vadunt in ſupertunicalibus apertis nimia brevitate notandis, & in hergandis, & in tali habitu venire coram nobis non formidant: in quo habitu videntur potius pugiles, quam Clerici, vel Presbyteri. Si tamen oporteat eos equitare, poſſunt ſupertunicalia ſub cappa clauſa habere aperta, ſed in aperto clauſa deferant. Qui autem de cetero tranſgreſſor erit hujuſmodi conſtitutionibus; veſtis aperta publice pauperibus erogetur: & hoc præcipimus executioni mandari. Idem de hergandis præcipimus.

III. *De habitu Leproſorum.*

Præcipimus de Leproſis ut cappas clauſas deſuper deferant, ut a ſanis poſſint diſcerni, ne ſe commiſceant ſanorum communioni, & ut omnis occaſio commorandi diutius inter ſanos Leproſis tollatur. Moneat Sacerdos quilibet parochianos ſuos, & ſi neceſſe fuerit, per ſuperiorem compelli faciat, ut ipſis, ſecundum quod conſuetum eſt, in neceſſariis provideant, ut non habeant victus quærendi neceſſitatem; mercata, vel loca populoſa ingredi, vel fœdare non audeant: quæ ſi poſtea intraverint, ipſis quicquid habent in ſua parochia, ſubtrahatur. Porcos vero, quos in ſuis Leproſariis nutriunt, ſanis vendere non præſumant: & ſi contra fecerint, vendentes & ementes ad boni viri arbitrium puniantur.

IV. *De Clericis tabernariis.*

Præcipimus ut abſtineatis a tabernariis. Et omnes Clerici ſcituri, quod ſi in taberna eis facta fuerit injuria, eos ſuper hoc non audiemus.

V. *De Sanctis Sacramentis.*

Vobis præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut debitam reverentiam ſingulis Sacramentis Sanctæ Eccleſiæ exhibeatis; ut laici ad exhibendum ſimiliter ex veſtra devotione excitentur. Quæ ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Matrimonium, Ordo, Pœnitentia, & Extrema-unctio.

VI. *De forma baptiſandi.*

Baptiſmus cum omni reverentia & honore celebretur, & cum magna cautela, maxime in diſtinctione verborum & in prolatione, in quibus tota virtus conſiſtit, ſcilicet, *Ego baptiſo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, amen.* Et in Prono doceant laicos ſub hac forma debere baptiſare pueros, etiam patrem & matrem in ſumma neceſſitate. Cum autem puer in neceſſitate baptiſatus fuerit a laico, & eum inveneritis diſcreto modo & debito baptiſaſſe; ſi ſupervixerit puer, afferatur ad Eccleſiam, & quod deeſt, ſuppleatur, non quantum ad ſalutem, ſed quoad augmentum virtutum: ſcilicet ad fores Eccleſiæ pabulum ſalis, quod eſt primum donum in Baptiſmo; aurium, & narium de ſputo linitio, quod eſt ſecundum; ſed exorciſmi non dicantur; & ſuper fontes omnia fiant ſine intermiſſione; ſanctæ Crucis ſignatio; in pectore, & inter ſcapulas olei ſacri in prædictis inunctio; in vertice, Chriſmatis inunctio. Et quia tota virtus Baptiſmi in diſtinctione & prolatione verborum conſiſtit; ab eo qui baptiſat integre & ordinarie ſine intermiſſione aliquali proferantur. Si autem dubium fuerit ſub qua forma puer baptiſatus fuerit a laico; tunc Sacerdos omnia faciat. Et ſimiliter de pueris qui inveniuntur expoſiti, de quibus dubium eſt utrum ſint baptiſati. Et immergens dicat, *Si tu non es baptiſatus, ego te baptiſo, &c.* Ad levandum puerum de ſacro fonte, unus ſit aut duo ad plus, niſi fuerit vir & uxor ſua, qui pro uno reputantur; vel niſi fuerint de proxima cognatione ejus. Tres tantum recipiantur pro charitate ſervanda.

Sacerdos qui baptiſat puerum, fit ejus pater ſpiritualis: unde filius ejuſdem Presbyteri naturalis non debet, nec poteſt matrimonium contrahere cum fœmina, quam idem Presbyter baptiſavit; nec ſimiliter filia naturalis Presbyteri cum filio ſpirituali. Et ſi forte fuerint matrimonialiter perſonæ hujuſmodi copulatæ, debent ab invicem ſeparari.

Jubemus propter ſcandala, imo ſortilegia, ut ſunt

ANNO CHRISTI 1300.

ſint fontes firmati, & Oleum, Chriſma, & Euchariſtia ſub ſera ponantur, ne temeraria manus ad ea poſſit extendi. Qui vero ea incaute non firmata reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur: & ſi per ejus incuriam aliquid nefandum contigerit, gravius puniatur.

Item præcipimus ut fontes mundos cuſtodiant, & ne aquam ibi diutius remanere patiantur.

VII. *De Confirmatione.*

Sacerdos frequenter moneat populum ad Confirmationem, quæ ab Epiſcopo eſt tantum facienda. Poſt Baptiſmum enim debet ſuſcipi Sacramentum Confirmationis: quod Sacramentum præſtat augmentum ad gratiam; per quod Spiritus Sanctus infunditur in baptiſato; quo Sacramento armatur Chriſtianus, & inſtruitur ad agones hujus mundi, & contra diabolum.

Quod ſi confirmandus adultus fuerit, ſcilicet XIV. annorum vel plurium, confiteatur prius, & poſtea confirmetur. Et jejuni veniant ad Confirmationem qui ſunt perfectæ ætatis: latos bendellos & mundos gerentes in manibus. Cum autem puer inungitur Chriſmate ab Epiſcopo, pater vel mater ipſum non teneat neque liget.

VIII. *De Officio Sacerdotum.*

Præcipimus, ſicut præceptum eſt in Concilio Lateranenſi, ut Sacerdotum Officium tam diurnum quam nocturnum, diſtincte & aperte, & non ſincopando, quantum Deus dederit, celebrent, & devote; & hoc in Eccleſiis ad hoc deputatis, niſi propter neceſſitatem.

Nullus etiam audeat aliquo caſu celebrare, donec Matutinas Canonicas, & Primam cantaverit, & quolibet die horas Canonicas dicant.

IX. *De Corporalibus.*

Corporalia munda cuſtodiantur, & abluat ea ſæpe Sacerdos, ſive Diaconus ſuperpellicio indutus, & in vaſe ſpecialiter ad hoc deputato, & ablutiones in piſcina ponantur. Similiter linteamina Altaris, & indumenta Sacerdotalia, quando opus fuerit, ab honeſta perſona abluantur ſine appoſitione aliorum pannorum, ita ut munda & nitida conſerventur: quia nimis eſt abſurdum ſordes negligere in ſacris, quæ dedecent in profanis.

X. *De Cimiteriis.*

Et Cimiteria munda cuſtodiant; & quæ poterunt claudi claudantur, propter reverentiam fidelium ibidem jacentium. Et ne choreas in Cimiteriis duci permittant, jubemus. Et ne ſinant venditiones ibidem fieri donec Miſſa celebretur.

Nullus in Cimiterio ſine noſtra licentia ædificare permittatur. Aliter ſi quis ædificaverit, juris eſſe Eccleſiæ cenſemus ædificium, quod in Cimiterio illius conſtitutum eſt. Nec Abbates, nec alii, qui ibi ædificaverint, in illis audeant aliquid reclamare.

XI. *Ne res Presbyteri ponantur in eccleſiis.*

In Concilio firmiter inhibetur, ne ſupellectilia Sacerdotis propria, ſeu aliena, in Eccleſiis admittantur, niſi propter incurſus hoſtiles, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, ut ad eas oporteat habere refugium: ſic tamen ut neceſſitate ceſſante, in loco priſtino reportentur.

XII. *De Sacramentis renovandis.*

Sacerdotes die octavo ſemper renovent Sacramenta, ut Euchariſtiam, & fontem benedictum; ne ſui vetuſtate aliqui ad indevotionem moveri valeant aut errorem.

XIII. *Ne Curati recipiant ignotos Presbyteros.*

Præcipimus diſtricte ut non recipiant Sacerdotes in Eccleſiis ſuis ad celebrandum, niſi notum ſit de Ordinatione eorum.

Librum habeant, qui dicitur Manuale, ſinguli parochiales; ubi continetur ordo Servitii, Extremæ unctionis, Cathecumeni, Baptiſmi, & hujuſmodi.

XIV. *De redditibus & poſſeſſionibus Eccleſiarum.*

Præcipimus diſtricte Sacerdotibus, ut omnes redditus Eccleſiæ & poſſeſſiones ſcribant in Miſſalibus ſuis. Et prohibemus penitus Presbyteris & parochianis, ne de his quæ ſunt Eccleſiæ, ipſi aut Presbyteri alienent ab Eccleſia, niſi de conſilio Epiſcopi, aut Archidiaconi. Si quis autem contra hoc fecerit, præcipimus ut emendet: & irritum decernimus & inane.

Præcipimus ut Perſonæ & Vicarii, qui grangias, & alias domos in eleemoſynis ſuis conſtructas habent, eaſdem devaſtare non permittantur; vel ſi de eleemoſynis ſuis abſtulerint, eas reædificent, & dictis eleemoſynis reponant: & ſuper his Archidiaconus diligenter curam adhibeat. Quia vero de bonis eccleſiaſticis in privato ædificare, alienationes rerum eccleſiaſticarum, quæ ſacris Canonibus ſunt interdictæ, cum ædificium cadat ſub ſoli ſpecie, non eſt dubium continere. Prohibemus ne Rectores Eccleſiarum, vel aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi ſolum eleemoſinatum habeant ad Eccleſiam, de bonis eccleſiaſticis ædificent in privato.

XV. *De excommunicatis.*

Nullus excommunicatus a Superiore, pro abſoluto habeatur, niſi conſtet de ipſius ſpeciali mandato.

Præcipimus ut nullus Presbyter excommunicatos a Nobis, vel Archidiacono, vel Decano, pro abſolutis habeat, vel in Eccleſia recipiat, etiamſi de ſe conquerenti ſatisfecerit, & ei conſtiterit, donec a Nobis, vel ejus excommunicatore, de ejus abſolutione ei conſtiterit evidenter.

Ut autem excommunicationis vitetur periculum, & excommunicati rubore ſuffuſi ad reconciliationis gratiam citius redire compellantur, jubemus, ſub pœna excommunicationis injungentes, ut quilibet Sacerdos ſchedulam habeat vel chartam ubi nomina excommunicatorum parochiæ ſuæ ſcribat, & ex quibus cauſis, & quot, & ad quorum inſtantiam, necnon cujus auctoritate ſinguli ſint excommunicati; & ſingulis diebus ſic eos excommunicatos denunciet, licet a nemine requiſitus.

Qui ſic per viginti dies in excommunicatione permanſerint, aggraventur: & ſi nec ſic abſolutionem impetraverint, Sacerdos hoc excommunicatori denunciet, ut poſſint coerceri per brachium ſeculare, ut quos Dei timor non revocat a malo, ſaltem ſeveritas eccleſiaſticæ coerceat diſciplinæ.

Similiter inhibemus, ne aliquis pro debito eorum, coram eis recognito, excommunicare audeat, nec pro debitis ſuis, niſi in generali pro jure ſuo, niſi parochianus jus Presbytero debitum publice fateatur. Licet enim de malefactore vel raptore Sacerdoti conſtiterit per confeſſionem, & conquerens juſtitiam eccleſiaſticam poſtulet exhiberi; Presbyter indubitanter juſtitiam exerceat, licet in conſpectu ſuo eum videat, & certus ſit de ejus reatu: quia ea quæ per confeſſionem novit, neſcit ut homo, ſed ut Deus.

XVI. *De eleemoſynis Eccleſiarum.*

Præcipimus ut Presbyteris eleemoſynas non habentibus, in quibus poſſint manere, eleemoſynæ a Perſonis Eccleſiæ, vel a Patronis, ſi eas habuerint, eis aſſignentur, in quibus domos ædificent, ne bona Eccleſiæ in alios uſus convertantur.

XVII. *De filiis Presbyterorum.*

Prohibemus etiam ne Sacerdotes habeant filios ſuos ſecum illegitime natos, propter ſcandalum: & ne eis miniſtrent in Altari, cum ſit indecorum ut in Altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret, in quo unigenitus Dei Filius pro ſalute humani generis æterno Patri victimatur.

XVIII. *De Quæſtoribus.*

Præcipimus ut nullus in Eccleſia recipiatur ad quærendas eleemoſynas ſine noſtris litteris, niſi parochianus Eccleſiæ vel de vicinia notus ſit. Nec ad prædicandum, niſi fuerit perſona a nobis deſtinata: cum nulli liceat tranſgredi fines a ſanctis Patribus conſtitutos, nec honorem aſſumere, niſi fuerit canonice evocatus. Jubemus ne aliquis extraneus ad prædicandum, vel audiendum, * cum non poſſit ſolvere vel ligare, in Eccleſia alterius admittatur, niſi fuerit a nobis ſpecialiter deſtinatus, vel ab ipſo Presbytero parochiali vocatus, ſi viderit utile, vel neceſſe. Quæſtores quoque eleemoſynarum ea dicant populo tantum, quæ in litteris Domini Papæ, vel in noſtris continentur.

* *ſuppl. confeſſiones.*

XIX. *De reliquiis.*

Præcipimus ut Statutum in Concilio Lateranenſi quod antiquæ Reliquiæ amodo extra capſam nullatenus oſtendantur, nec venales exponantur. Inventas autem de novo nemo publice venerari præſumat, niſi prius auctoritate Domini Papæ fuerint approbatæ. Similiter prohibemus ne laici Reliquias tractent, nec de Eccleſiis auctoritate ſua auferant; nec Altaria, vel ſimile Altaris, occaſione Reliquiarum ſuarum erigant in Eccleſiis, ut inde oblationes recipiant ad opus Eccleſiæ ſuæ. Qui contra hoc fecerit, excommunicetur.

XX. *De Bonis Eccleſiarum.*

Præcipimus ut bona Eccleſiarum in bonos uſus convertantur; non luxurioſe vivendo, vel prodige: ſcientes quod ſi inde culpabiles inventi fuerint, eos beneficiis ſpoliabimus; cum per abuſionem talium ſacrilegium incurrant, & judicium ſibi manducent & bibant. Inhoneſtas vero negotiationes, ſive ſuo nomine, ſive alieno, non exerceant. Negotiationem vero inhoneſtam Clericis dicimus; ſi emant ultra victum & veſtitum, vinum, bladum, & carnes ut carius vendant; vel in æſtate, ſi minus juſto pretio emant ea quæ debent ſequenti Septembri recipere; vel ſi tradant uſque ad nundinas Montis-Martini ſupra mare, vel blada, vel res ſuas, ut tunc exigant ex conventione majus pretium quam habuerint ante terminum.

XXI. *De his qui circa Altare debent eſſe.*

Nullus permittatur deſervire Altari, vel Epiſtolam legere, niſi in ſuperpelicio, vel cappa clauſa. Item quilibet Presbyter habeat Clericum.

XXII. *De Altari.*

Præcipitur etiam quod ſi in Altari mota tabula fuerit, vel enormiter fracta, ſacerdos non celebret, donec Altare conſolidetur, & iterum conſecretur. Et ne ſuper lapidem ſine capſa celebretur. Et ampullæ vini & aquæ in miniſterio Altaris ſint mundæ & integræ, vitreæ, ſeu ſtanneæ: ad ablutionem vero manuum, vas grandius deputetur.

XXIII. *De Euchariſtia.*

Sacerdotes miniſtrantes diligenter attendant quod hoſtia ſit integra, alba, de frumento cum manu electo & quod integrum habeat circulum; & quod vinum non ſit acetoſum; & aquam non omittant.

XXIV. *Ne quis in die bis celebret.*

Præcipimus ut nullus audeat bis in die celebrare Miſſam, aut cum duplici Introitu, niſi in magna neceſſitate, ſcilicet humano corpore præſente; vel in die ſolemni; vel quadrageſimali, quando non poteſt Divinum Officium omitti, & in die Paſchæ & Nativitatis Domini. Quando celebraturus eſt ſecundam Miſſam & tertiam, vinum ſuperfuſionis ſuper digitos non ſumat, ſed miniſtro habenti bonam conſcientiam conferat.

XXV. *De Præfationibus.*

Quoniam in pleriſque libris plures Præfationes inveniuntur, quæ ſunt ſuperfluæ: tantum decem invenimus in ſacro catalogo recipiendas. Scilicet unam in Paſcha, quæ incipit, *Te quidem omni tempore.* Secundam in Aſcenſione Domini, *Qui poſt reſurrectionem.* Tertiam in Pentecoſte, *Qui aſcendens ſuper omnes cœlos.* Quartam de Sancta Trinitate, *Qui cum unigenito.* Quintam de S. Maria, *Et te in veneratione.* Sextam in feſtis S. Crucis, *Qui ſalutem humani generis.* Septimam de Apoſtolis, *Te Domine ſuppliciter exorare.* Octavam de Nativitate Domini. *Quia per incarnati Verbi.* Nonam de Epiphania, *Quia cum unigenitus.* Decimam in Quadrageſima, *Qui corporali jejunio.*

XXVI. *De ornamentis Eccleſiaſticis.*

Præcipimus quod Sacerdotes piſcinas juxta Altaria habeant decentes, mundas, ablutionibus liberum curſum exhibentes, nec ſine tegmine relinquant. Juxta Altare tria manutergia ad minus habeantur: unum ad primam ablutionem; ſecundum poſt Evangelium; tertium poſt Sacramenti perceptionem. Aliud ſit pendens juxta Miſſale, ad tergendum os & nares Sacerdotis, ſi opus ſit.

Diſtricte inhibemus, ne ornamenta Eccleſiæ pignori obligentur, niſi pro neceſſitate Eccleſiæ, & cum conſilio parochianorum. Quia vero terreni negotii nihil Divino Officio debet anteponi: prohibeant Sacerdotes in villis mediocribus, dum Miſſa celebratur diebus Dominicis ac Feſtivis, in Cimiteriis Eccleſiarum panes, piſces, vel etiam carnes vendi; ne forte occaſione prædicta quidam minus devoti non exauditis divinis præceptis & eloquiis, majoris indevotionis occaſionem ſumant, & devotorum fidelium foris Eccleſiam vendentibus adſtantium ex longa conſuetudine charitas refrigeſcat.

XXVII. *De Clericis Beneficiatis.*

Præcipimus omnibus Clericis habentibus Eccleſias ut ad ſingula tempora Ordinum ſe offerant ordinandos: & qui ordinati ſunt, in Eccleſiis reſideant; niſi aliter de licentia noſtra facere permittantur.

XXVIII. *De effuſione vini conſecrati.*

Si quid ceciderit de Sanguine Chriſti, id eſt, de Sacramento Sanguinis ſuper corporalia: illa pars eſt ſugenda, & ipſum corporale de panno aliquo mundiſſimo involvendum, pro reliquiis eſt ſervandum. Vel Sacerdos abluat illud tribus vicibus in calice ſubterpoſito, & aqua ablutionis ab ipſo Sacerdote ſumatur, vel ſaltem primæ duæ ablutiones; & tertia in ſacrario reponatur.

Si autem ſuper pallam Altaris, vel aliud ſacrum indumentum ceciderit: de parte intincta ſimiliter Sacerdos faciat. Si ſuper aliud Eccleſiæ veſtimentum ceciderit: pars intincta ſugatur, & poſt ſcindatur, & comburatur, & cinis in ſacrario ponatur. Si autem ſuper lapidem, vel terram, aut lignum ceciderit: lingendus, radendus, & tergendus eſt locus, & pulvis in ſacrario reponendus. Si autem per negligentiam Sacerdotis illud evenerit, ad Epiſcopum debet mitti.

Calix poſt Miſſam mundiſſimo panno involvatur; nec miniſtri eo intus tergant calicem, ſed alio ad hoc deputato; qui dum ſatis decens non fuerit, vel vetuſtate attritus, in ſacrario comburatur.

Corporalia vetuſtate attrita, vel non ſatis decentia, quæ non poſſunt fieri decentia, in ſacrario comburantur, ne manus laica ad ea poſſit extendi. Et de illis poteſt ſumi pannus de quo calix intus tergatur: prohibentes ne laici ad illum manus extendant, ſed a ſacerdote tantum tractetur.

XXIX. *De vetuſtate Imaginum.*

Imagines vetuſtate deformatæ, & linteamina ſacra vetuſtate attrita, ſacris uſibus inutilia, comburantur, & mundo loco intra parietem Eccleſiæ pulvis in ſacrario reponatur; quia poſſent intuentes inducere in errorem.

XXX. *De communione infirmorum.*

Item ſinguli ſacerdotes habeant ſingulos calices, in quibus communicentur infirmi, qui decori ſint & mundi, ut in eis devotio infirmorum excitetur.

Nec permittant, Diaconos deferre infirmis ſanctum Corpus Chriſti, niſi in neceſſitate, quando Presbyter fuerit abſens. Sed ſemper cum magna reverentia & maturitate illud deferant in pixide idonea: & ſit bene clauſa propter caſum in eundo ad infirmum & redeundo. Si tanta fuerit via, Pſalmos pœnitentiales dicant cum Letania.

Cum autem ſacerdos ad infirmum venerit, & ei Corpus Chriſti dederit; ſi quid de Corpore Chriſti in ore infirmi remanſerit, vel inde exierit quod ab eo non poſſit recipi, aliquam formam habens; ab ipſo ſacerdote convenienter debet ſumi, vel commixtum in calice cum modico vini, vel aqua benedicta, alicui habenti bonam conſcientiam dari.

Si autem infirmus adeo fuerit arctatus, quod ſub magna forma Corpus Chriſti recipere non poſſit; ſub minima debet ei dari in calice commixtum, & cum modico vino, ſeu aqua benedicta, in ore infirmi inſtilletur: & maxime ſi ſine ſcandalo aliter fieri non poſſit, ne infirmus ſine viatico obire videatur.

XXXI. *De Confeſſione infirmorum.*

Ab infirmis in periculo mortis conſtitutis, ex Theodoro Cantuar. pura eſt inquirenda peccatorum confeſſio. Non pœnitentia injungenda eſt, ſed tamen eis intimandum ut doleant, & conterantur de peccatis ſuis univerſis & ſingulis; non tamen timore pœnæ, quam peccando meruerunt, ſed qui Deum Patrem ſuum & Creatorem & Redemptorem ſuum offendere præſumpſerunt, acerbitates ægritudinis quaſi flagella patris quamdiu ei placuerit, cum gaudio ſuſtinentes. Si autem convaluerint; ſtatim ad ſacerdotem accedere debent, & tunc pœnitentia competens eis injungatur.

XXXII. *Quilibet Sacerdos poteſt abſolvere in articulo mortis.*

Poteſt autem ſacerdos abſolvere in articulo mortis quemlibet excommunicatum a quolibet, etiam a Domino Papa; prius juramento ab eo recepto, ſi inciderit in canone latæ ſententiæ, quod ſanitate recuperata, & opportunitate conceſſa, Romanam Eccleſiam viſitabit, vel eum adibit qui ſuper hoc poteſtatem a ſede Apoſtolica habeat.

Si autem pro re judicata fuerit excommunicatus: primo ſatisfaciet, ſi ſuper hoc habuerit facultatem: & ſic eum abſolvat, receptus juramento quod quam cito potuerit, excommunicatoris ſui præſentiam adibit, mandatum ipſius prius periturus. Idem faciat, ſi per * offenſam manifeſtam fuerit excommunicatus infirmus; videlicet quod prius emendet.

* *propter.*

Si autem emendandi, vel ſolvendi non habuerit facultatem: juret quod poſſe ſuum faciet, cum ad fortunam venerit pinguiorem. Si autem in tali articulo deceſſerit, hæres ſuus ad hoc faciendum teneatur pro ipſo; & hoc debet Sacerdos ei intimare; nec tamen per ipſum eſt compellendus.

Cum autem infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem ſanaverat: *Vade, & noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat*, præſenti ſcripto ſtatuimus.

Diſtricte præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia, id eſt, antequam ægrotum recipiant in curam, moneant, & indicant quod medicos advocent animarum: ut poſtquam ægro fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur; cum, cauſa ceſſante, ceſſet effectus. Hoc inter alia cauſam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis ſuadetur, poſtquam eos in curam ſumſerunt, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt: credunt enim ægri, quod medicus de eorum ſalute deſperet. Ceterum cum anima multo ſit pretioſior corpore; ſub intimatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur.

XXXIII. *Quod omnes debent confiteri ſemel in anno.*

Doceatur a Sacerdotibus, maxime ante Quadrageſimam, quod omnes fideles utriuſque ſexus, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnia peccata ſua confiteantur, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeant pro viribus ſuis adimplere. Suſcipientes ad minus in Paſcha reverenter Euchariſtiæ Sacramentum: niſi de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerint abſtinendum. Alioquin & viventes ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & morientes Chriſtiana careant ſepultura. Unde hoc ſalutare Statutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat.

Si quis alieno Sacerdoti juſta de cauſa voluerit confiteri peccata ſua, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio ſacerdote; cum aliter non poſſit abſolvere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus: ut more periti medici ſuperinfundat oleum & vinum vulneribus ſauciati; diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, per quas prudenter intelligat quale illi debeat Presbyter præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrum.

XXXIV. *De Confeſſione.*

Caveat autem omnino, ne verbo, ſigno, aut quovis alio modo, prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiori indigeat conſilio, illud abſque expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumſerit revelare, non ſolum a ſacerdotis officio deponendum eſſe decrevimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in aliquo Monaſterio detrudendum.

Ad audiendam confeſſionem, eminentem ſibi locum



cum eligant Sacerdotes, ut communiter poſſint videri; & in locis abditis extra Eccleſiam nullus recipiat confeſſionem, niſi in neceſſitate.

In confeſſione habeat Sacerdos vultum humilem, & oculos in terram, ne indiſcrete & frequentius faciem reſpiciat confitentis, & maxime mulieris, & patienter voluntatem ejus inquirat: qui enim operam medicantis expectat, oportet ut vulnus detegat. *

* *Faſus apud Marten. pag. 270. 271. novæ Collect.*

XXXV. *De effectu confeſſionis.*

Debet etiam Sacerdos peccatori cum accedit ad confeſſionem effectum confeſſionis declarare: videlicet quod ſine illa non eſt ſalus, & in confeſſione omnia mundantur, & per confeſſionem peccator Deo reconciliatur, & ad Deum reducitur, ut Deus in ipſo habitet, & de poſſeſſione diaboli ad Dei poſſeſſionem convertatur; & confeſſio hominem ſanctificat, ſicut ſcriptum eſt: *In exitu Iſrael de Ægypto*, id eſt de peccato, *Facta eſt Judæa*, id eſt confeſſio, *ſanctificatio ejus*. Et Deus nullum approbat, niſi illum confeſſio cuſtodiat; & magnam partem tollit erubeſcentia habita in confeſſione: vult enim Deus ut homo confiteatur, ut habeat juſtam cauſam ignoſcendi, quia ſcriptum eſt: *Confitemini Domino quoniam bonus*. Non dicit: quoniam juſtus, In quantum enim eſt bonus, abſolvit peccatorem; in quantum juſtus, condemnat.

XXXVI. *De circumſtantiis inquirendis a Sacerdotibus.*

In confeſſione caveat Sacerdos ne inquirat nomina perſonarum cum quibus peccaverunt confitentes, ſed circumſtantias ſecundum quantitatem criminis. Primo inquirat, vid. de loco, de tempore, de perſeverantia, de varietate perſonæ, & qualiter hoc fecit, de tentationis tempore, & de ipſius vitii multiplici executione, & modo operis, ut in fornicante, vel adulterante poteſt perpendi: Debet inquirere Sacerdos a fornicante ſi ſit Clericus, vel laicus; utrum ſolutus, vel gingatus, quando turpitudinem ſuam peregit. Et ſimiliter cum qua: utrum cum conjugata, vel cum ſoluta; cum meretrice publica, vel alia; ſi cum virgine; ſi cum ſanctimoniali, vel voto aſtricta; ſi cum affini, vel conſanguinea; ſi cum filia Domini ſui, vel cum ancilla; cujus ætatis; & ſi ſapiens fuerit. Si Clericus: utrum in ſacris Ordinibus conſtitutus; vel in quibus; & qualiter turpitudinem ſuam peregit; utrum ordinarie, vel inordinarie. Verumtamen ſi quærat confitens, quomodo extraordinarie? non reſpondeat Sacerdos. Si in loco ſacro, aut in loco cui debuit reverentiam, ut ſunt domus Dominorum, & aliorum multorum. Si in tempore orationis conſtituto; ut ſunt feſtivitates Sanctorum, & tempora jejunii. Inquirat autem quantum perſeveravit: nam perſeverantia auget delictum. Et quando tentationem ſuſtinuit: ſunt enim quidam qui non expectant tentationem, ſed præveniunt, & ultro ſe peccato offerunt. Inquirat etiam de multiplici executione vitii. Hæc enim tenetur pœnitens omnia confiteri, quando præſumitur: & judicat Eccleſia peccatum majus, vel minus ratione harum circumſtantiarum. Inquirat etiam, utrum publice peccaverit, vel occulte; ut ſic extiterit exemplum mali aliis. Similiter circa alia vitia capitalia debet Sacerdos inquirere.

XXXVII. *De ſeptem vitiis capitalibus.*

Sunt autem ſeptem principalia vitia: quorum duo ſunt carnalia, ſcil. guloſitas, & luxuria: & quinque ſpiritualia, ſcil. avaritia, triſtitia ſive accidia, ira ſive odium, invidia, & inanis gloria ſive ſuperbia.

XXXVIII. *De Guloſitate.*

Conſiſtit autem vitium guloſitatis in crapula & ebrietate, id eſt in exceſſu contra potum & cibum. A crapula & ebrietate omnes diligenter abſtineant, maxime Clerici, vinumque ſibi temperent, & ſe vino. Nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cum ebrietas & mentis exilium inducat, & libidinis provocet incentivum. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi commonitus a Superiore ſatisfecerit competenter, puniatur, & ab officio & beneficio ſuſpendatur.

Inquirat etiam, cum debuit jejunare, utrum nimio ardore comedendi cibum ſumpſerit, utrum immoderate, & alia quæ notantur his verſibus.

Quinque gulæ vitia rumpunt jejunia pura.
Hora, libido, modus, pretioſa cibaria, cura.

Si quis vero ea die qua Euchariſtiam ſumpſerit, per voracitatem vel ebrietatem vomuerit, graviter eſt puniendus.

Si quis autem alium ſcienter inebriat, & hoc ex conſuetudine fecerit: gravior eſt pœnitentia injungenda.

XXXIX. *Qualiter pœnitentia ſit injungenda.*

Quoniam defectus noſtri corporis tantam cenſuram manere non patitur, quantam canones præcipiunt: in injungendis pœnitentiarum ſummis ſibi caveant Sacerdotes; quia ſecundum quantitatem culpæ, & poſſibilitatem pœnitentis, debet eſſe quantitas pœnitentiæ. In arbitrio enim Sacerdotum eſt pœnitentiam debitam temperare; in orationibus, eleemoſynis, & aliis ſatisfactionibus prout noverit expedire, & maxime contra peccatum luxuriæ: & ſecundum quod ſæpius & negligentius penitens commiſerit tale peccatum, & tempus addatur & modus pœnitentiæ.

Notandum quod Confeſſores quedam injungunt confitentibus ad fundamentum confeſſionis, ut abſtinere a peccato, & reſtituere ablatum; ſine quibus non poteſt eſſe ſatisfactio: quædam ad impedimentum; ut ſunt vitare loca ſuſpecta, juxta illud.

Loca ſola nocent, loca ſola caveto.
Mala conſortia: quia
Corrumpunt mores bonos conſortia prava.

Et Loth præcipit, *Noli reſpicere poſt tergum tuum, nec ſtes in omni circa regione*. Quædam ad præſervationem; ut alium abſtinere a carnibus, a forti vino. Quædam ad exemplum proximorum. Quædam ad ſubſtantiam ſatisfactionis; ut ſunt jejunium, oratio, eleemoſyna: his enim tribus deponitur triplex modus peccati. Jejunium contra luxuriam injungatur: eleemoſynarum largitio contra avaritiam: orationis humilitas contra pondus ſuperbiæ. Hæc enim tria detinent hominem ligatum, & faciunt manere in terra: quia *quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis; aut eſt concupiſcentia oculorum; aut ſuperbia vitæ*: ſicut dicit Johannes in Canonica ſua.

Valet autem ſatisfactio ad conſervationem, & augmentum gratiæ; & tollit pœnam peccati; & debilitat fomitem peccati, id eſt, pravitatem peccati: quia *omnis ætas ab adoleſcentia ſua prona eſt ad malum*. Item conſervat a recidivando. Quæ notantur his verſibus.

Servatur per opus; accreſcit gratia pœna;
Solvitur atque fomes, languet, fugitur recidivum.

In hoc etiam debet Sacerdos eſſe ſolicitus, ut pœnitenti pondus importabile non imponat, licet recipere ſit paratus: ſed ſic pœnitentiam temperet injungendam, ut a ſtudio non cogatur ceſſare ſcholaris, vel ab officio ſuo faber, vel agricola, vel alius laborioſus, ut domui ſuæ pro-

videre non poſſit. Et ne pro peccato occulto pœnitentiam publicam injungat. Provideat autem diligenter ut peccantes publice faciat in aliquo publice pœnitere. Si quis autem ad proſtantes acceſſerit, maxime ignotas; quaſi pro adulterio ei pœnitentia injungatur.

Si quis autem conjugatus ſolutam cognoverit, ſeptem annos ſecundum rigorem canonum debet pœnitere; ſcil. ſecunda feria, quarta, & ſexta, in pane & aqua jejunando, quia fœdus conjugii violavit: ſed ſecundum quod Sacerdos viderit expedire, poterit pœnitentiam temperare.

XL. *De Luxuria.*

Defloratores virginum, & inceſtuoſi, qui cum ſanctimonialibus peccaverunt, vel cum voto aſtrictis; & qui contra naturam; homicidæ; perjurus; ſacrilegus; incendiarius, ſunt mittendi ad Epiſcopum. Verſus.

Qui facit inceſtum, deflorans, aut homicida.
Sacrilegus, patrum percuſſor, vel ſodomita.
Fractor votorum, perjurus, ſortilegusque.
Pontificem quærant, necnon qui miſerit ignem.
Si percuſſiſti Clerum, Simonve fuiſti.
Si male de Bulla Papæ tractaveris ulla.

Si autem in ſolemnitatibus præcipuis fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit: non inhoneſtum videretur ut in vigiliis Feſtorum quæ violavit, in pane & aqua jejunaret, vel competenter redimeret.

Contra omnia peccata carnis ſolent ſic pœnitentes muniri: cavere malam ſocietatem, & opportunitatem peccandi; & debet vitare loca & perſonas cum quibus, vel per quas peccare poteſt.

XLI. *De nocturna pollutione.*

Quæratur utrum ei dormiendo contigerit aliquando pollutio. Quod ſi ex ebrietate, vel præcedenti cogitatione hoc evenerit, magis eſt timendum. Quæratur utrum ei aliter contigerit quam dormiendo. Quæratur utrum intus munditiam ſervaverit caſtitatis, quia, *qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, &c.* Et utrum mulierem alienam ſollicitaverit, laſcive aſpexerit, concupierit, & eam oſculatus fuerit; quia licet ad actum non pervenerit, forſitan illa conſenſit, & ille nihilominus mortaliter peccavit, dummodo curioſitatem & operam quam potuit exhibuit, & in animo ſuo affectum retinuit. Similiter inquiret de illis qui conſilia & auxilia pro talibus criminibus perpetrandis, & curam impendunt & imponunt.

Audita confeſſione ſemper Sacerdos interroget confitentem ſi velit a peccatis abſtinere. Si enim dixerit ſe non poſſe abſtinere, vel non velle; dicat quod pœnitentia nihil ei valet quantum ad vitam æternam. Et tamen ei declaret quantam pœnitentiam debet ſuſtinere, & eum admoneat ut iterum agat quicquid boni operis potuerit, ut Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam; quia valent ad multa, bona facta in mortali peccato.

XLII. *Ad quid valent bona facta in peccato mortali.*

Valent enim ad temporalium bonorum multiplicationem: unde Eſaias: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Sicut legitur alibi: *Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.* Item ad pœnæ temporalis dilationem, vel diminutionem; ſicut legitur: *Quia humiliatus eſt populus, non inducam malum in diebus ejus.* Item ad gratiæ habitationem: unde ſalvata eſt Raab, quia recepit nuncios Joſue. Unde Joſue: *Ingredimini in domum meretricis, & producite eam, & omnia quæ ejus ſunt.* Item ad aſſuefactionem bene operandi, quia: *Bonum eſt homini cum portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua.* Facile enim eſt ei quod aliis difficile videtur. Item: *Adoleſcens juxta viam ſuam vadit; & cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Item ad reſiſtendum aliis peccatis: quia peccatum unum pondere ſuo hominem ad aliud trahit, ſicut dicit Gregorius. Sed per bona quæ facit, multotiens cuſtoditur. Et: *Sicut aqua extinguit ignem ardentem, ita eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Et licet bona facta extra charitatem nullius ſint præmii meritoria; ea tamen Dominus ex ſua liberalitate remunerat: in tantum enim diligit bonum, & odit malum, quod nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum eſſe patitur. Item ſi decederet in tali ſtatu, non tantum puniretur in inferno, quantum ſi non feciſſet iſta opera; quia ſi iſta non feciſſet bona, magis puniretur.



Debet etiam Sacerdos docere, & ipſum monere ut de omnibus peccatis confiteatur: quia falſa eſt pœnitentia, cum ſpretis pluribus criminibus, de uno ſolo agitur pœnitentia; & cum ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio. Unde ſcriptum eſt: *Qui totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Scilicet quantum ad vitam æternam, id eſt, nullum meritorie adimplet. Quid enim prodeſt ſi tota civitas cuſtodiatur, & unum foramen, per quod hoſtes intrent, relinquatur. Qui enim operam medicantis expectat, oportet ut vulnus detegat. *f. alia.*

Similiter falſa eſt pœnitentia, cum pœnitens, forte verecundia ductus, apud ſe dividit confeſſionem, ut quædam crimina uni Presbytero dicat, & ei alia celet, & alii Sacerdoti ea revelet; quod eſt ſemper carere venia. In dubiis autem conſulet ſemper Sacerdos Epiſcopum, aut viros ſapientes, quorum conſilio certificatus, ſolvat ſecurus, & liget.

XLIII. *De avaritia & cupiditate.*

Quæratur utrum confitens habuerit rem alienam injuſte, ſcilicet per fraudem, uſuram, rapinam, & furtum. In furto, uſura, rapina, & fraude valde ſibi caveant Sacerdotes, ne alias pœnitentias injungant, ſcilicet Miſſarum, eleemoſynarum, & hujuſmodi, priuſquam reddiderint: non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Non ſufficit tantum ſola reſtitutio; ſed cum reſtitutione debet condigna pœnitentia injungi pro peccato.

XLIV. *Cui ſit reſtitutio facienda.*

Eſt autem reſtitutio ei facienda a quo habuit, ſi poſſit inveniri; illo autem mortuo, vel non invento, reſtituendum eſt proximioribus perſonis, & uxori ejus quod juſtum fuerit pro parte ſua. Si autem incertum eſt a quo habuit, vel non poſſit ille inveniri; tunc ad conſilium eccleſiæ debet pauperibus erogando fieri reſtitutio. Injungendum eſt læſori, ut ei quem læſit, vel a quo rem alienam habuit injuſte, ſi poteſt ſatisfaciat immediate, ſi velit & audeat ſeſe revelare; ſin autem, mediante Sacerdote, vel alio bono viro, nemine nominato, compenſet læſor per ſervitia quæ poterit animo reſtituendi.

Si vero grave damnum eſt, & læſor non poſſit ſolvere; debet petere veniam perſonaliter a damnificato, ſi audeat revelare: alioquin hoc faciat alicui bono viro, nemine nominato, medianti, & ipſe ſatisfaciat jejuniis, orationibus, & corporalibus diſciplinis, habens in propoſito ſuo quod omnia reſtituet, ſi ad fortunam venerit meliorem. Quæratur, utrum aliquando pro cupiditate rei alienæ ſe perjuraverit, vel fidem violaverit, vel Eccleſiam, vel cimiterium; & tales debent mitti ad Epiſcopum.

XLV.





XLV. *Qui ad Epiſcopum ſunt mittendi.*

Sacerdotes in confeſſione majora majoribus reſervent; & mittant ad Epiſcopum homicidas, perjuros, injectores manuum in parentes vel Clericos & in quoſcumque Religioſos; incendiarios, ſimoniacos, falſarios, hæreticos, ſchiſmaticos, ſortilegos, & qui de Sacramento Eccleſiæ ſortilegium commiſerunt, vel ad hoc auxilium præſtiterunt; & qui abortivum facere præſumſerunt, & qui ad hoc auxilium vel conſilium impenderunt. Item Clerici qui furtum commiſerunt; & qui irregulares facti ſunt quoquomodo; & qui bis permittunt ſe baptizari, & qui ſine prima tonſura aliquem Ordinem ſuſceperint; & qui in ſuſceptis Ordinibus ſaltum fecerint; qui per ſe, vel per alium homicidium perpetraverint, vel judicio ſanguinis interfuerint. Item qui auctoritatem, vel conſilium, ſive auxilium vel conſenſum in aliquo impenderint, unde mors hominis, vel mutilatio membrorum eſt ſecuta; vel ſi cauſa fuerit, vel occaſio; vel ſi litteras dictaverit, vel ſcripſerit, vel legerit; vel ſi aliquod adminiculum ad hoc præſtiterit, ut aliquis mutiletur vel occidatur; & qui in ſuſpenſione vel excommunicatione promoti ſunt, vel divina celebrarunt, ad Epiſcopum ſunt mittendi.

XLVI. *De reſtitutione rerum.*

Diligenter attendat Sacerdos cujus officii, vel cujus ordinis ſint confitentes. Nam ſi mercator eſt, emens vel vendens ad menſuram; prohibendum eſt ne habeat falſum pondus vel menſuram falſam. Si habuerit falſam menſuram, vel falſo menſuraverit; tenetur reſtituere, ſi ſciat quibus, ſatisfaciat Eccleſiæ vel Eccleſiis, quarum credit illos parochianos eſſe, vel pauperibus, tamen ad conſilium Eccleſiæ.

Item quæratur utrum cauſa ſtupri aliquid habuerit a gingata*: ſi hoc; marito ſuo reddat. Si autem ab ancilla vel a filia de rebus Domini ſui; ipſi Domino eſt reddendum, vel patri. Similiter ſi a Religioſa perſona, Eccleſiæ ſuæ reddat.

* L. conjugata.

XLVII. *De damnis & furtis.*

Quæratur etiam utrum quis alieno damno conſenſerit. Quod ſi fecerit, manifeſtandum eſt ei quod ſi conſenſerit de ſimplicitate, vel negligentia, non impediens læſorem cum poſſet, vel lædendum non præmuniens: non videtur ipſe ſolum teneri ad reſtitutionem damni, ſed ad ſatisfactionem pœnitentiæ pro negligentia: inducat tamen læſorem ad ſatisfaciendum læſo. Si vero præbuit conſilium, vel auxilium, vel favorem in damnum alterius, vel partem habuerit damni, tenetur in ſolidum, niſi inquantum noverit ab aliis eſſe ſolutio.

Injungendum etiam hæredibus raptorum & læſorum quod debent reddere damnificatis, prout poſſunt, damna illis a parentibus ſuis illata, vel ab illis quorum habent hæreditates, etiam de proprio ſuo, inquantum ad eos pervenerit hæreditas.

XLVIII. *De ira & odio.*

Item quæratur utrum pœnitens ex ira alicui conviciatus fuerit, vel enormiter Deum juraverit, vel ſanctam Mariam; vel aliquem occiderit; vel cauſam alicui fecerit; vel in triſtitiam mentis inciderit, quæ mortem operatur æternam, vel aliquem odio habuerit. Quod ſi fecerit, moneat eum Sacerdos diligenter ut deponat iram, rancorem, & odium omnino: ſed emendam non tenetur remittere, ſed placato animo poteſt coram judice petere.

XLIX. *Contra invidiam.*

Quæratur utrum per invidiam doleat vel doluerit de utilitate proximi, vel de ejus infortunio lætus fuerit. Item quæratur utrum per invidiam alicui detraxerit, & maxime ei qui præeſt. De quo Baſilius. *Si quis detraxerit illi qui præeſt, ſeptem dies pœnitere debet.* Eſt enim invidia dolor ex alterius felicitate naſcens & animum torquens: invidus enim dicitur qui ex alterius felicitate torquetur. Et inde provenit detractio, quod eſt alicujus bonum denigrare: *Detractores Deo ſunt odibiles.* Et inde provenit ſuſurratio; ex qua diſcordia inter comites ſeminatur. Et inde depravatio; quod eſt bona ejus evertere, vel mala memorari. Et exinde etiam provenit ingratitudo, quod eſt pro bonis perceptis gratias non referre. Et inde compreſſio boni; quod eſt alterius bonum tacere. Et inventio mali; quod eſt ei cui invidet novum genus peccati imponere.

Ei vero qui invidus fuerit injungatur quod de cetero gaudeat de utilitate proximi ſui, de qua doluit, & bonum quod in eo novit publice extollat, ac in gemitibus & orationibus culpam deflere ſtudeat.

L. *Contra ſuperbiam.*

Quæratur utrum per ſuperbiam ſuper alios mente & corpore ſe levaverit, cum dicat Evangelium: *Qui major eſt veſtrum, fiat minor*: &, *quanto major es, humilia te in omnibus.* Verſus.

Quanto dignior es, aut per genus, aut per honores;
Tanto ſunt in te vitioſæ res graviores.

Quatuor autem modis dignoſcitur tumor arrogantium ſeu ſuperborum. Prima ſpecies eſt cum quis bonum quod habet, a ſe æſtimat habere: quia ſimilis eſt Nabuchodonoſor, de quo in Daniele quia bonum quod habuit ſibi attribuens ait: *Nonne hæc eſt Babylon magna quam ædificavi in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei? Et cum adhuc ſermo eſſet ex ore regis, ecce vox clamavit dicens: Cum feris & beſtiis erit habitatio tua: fœnum quaſi bos comedes.* Bruto enim ſimilis efficitur, qui ex alieno ſuum credit eſſe & decipitur.

Secunda cum quis quod habet, a Deo ſe habere credit, ſed pro meritis ſuis. Contra quod dicit Apoſtolus: *Gratia Dei ſum id quod ſum.*

Tertia cum quis ſe jactat habere quod non habet; quod eſt vitium hypocritarum. Et hæc jactantia eſt rapina. Unde Job 26. *Quæ eſt enim ſpes hypocritæ ſi quis avare rapiat.* Qui enim eſt avidus opinionem ſibi rapit ſanctitatis.

Quarta eſt, cum deſpectis ceteris, appetit quis ſingulariter videri habere quod habet; ſicut dictum eſt de Phariſæo in Evangelio: *Domine tibi gratias ago quia non ſum ſicut ceteri hominum.* Qui autem ſuperbus fuerit, de cetero ſit humilis, & recolat unde venerit, quid ſit, & quid futurus ſit, & qualiter dies ſui tranſeunt; quia *vita hominis vapor eſt ad modicum parens*, ut dicit Jacobus Apoſtolus.

LI. *De accidia.*

Quæratur utrum accidioſus fuerit in his quæ pertinent ad ſalutem, id eſt, negligens & indevotus. Et talis timeat: quia *Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter.* Eſt autem accidia torpor animi, quo quis aut bona negligit inchoare, aut inchoata faſtidit perficere. Ex qua ſurgit deſidia, puſillanimitas, negligentia, & alia multa.

Qui autem ſic accidioſus fuerit, injungat quod ſit aſſiduus in Pſalmis & Pſalteriis, & ſacris lectionibus: quia per horum aſſiduitatem ab homine diabolus elongatur.

Sciendum eſt autem quod omnibus qui ex juſta cau-

ANNO CHRISTI 1300.

cauſa videntur non poſſe ſine magno gravamine frequenter in aliqua die jejunare, poſſunt in redemtiones, recompenſationes adhiberi competentes; ſcilicet per orationes, eleemoſynas, per abſtinentiam a carnibus, vel a piſcibus, vel hujuſmodi ſecundum ſtatum perſonarum, vel a vino, in quadrageſimalibus cibis. Propter autem viam peregrinationis facilius eſt quam propter aliud relaxatio indulgenda, vel commutatio. Similiter etiam propter ſocietatem, non quamlibet, ſed ſi accedat ad menſam alienam, vel alius ad ſuam, cui ſe debeat conformare; & hæc ſi ſine gravi damno vel ſcandalo nequiverit evitare; vel etiam pro ſolemnitate, ſi interfuerit divinis.

### LII. *De Feriis.*

Intimandum eſt laicis ut ſciant tempora feriandi per annum, id eſt, omnem Dominicam a Veſpera uſque ad Veſperam. Feriandi vero per annum ſunt iſti dies. In Nativitate Domini; S. Stephani, & ejus Inventionis; S. Joannis Evangeliſtæ, Innocentium; S. Thomæ Martyris; S. Silveſtri; Octava Domini; Epiphania; Nativitas B. Mariæ; Aſſumptio, Purificatio, Annunciatio, Conceptio in partibus iſtis; Inventio S. Crucis, & Exaltatio; Sanctum Paſcha cum tribus diebus ſequentibus ad minus; Aſcenſio Domini; Sancti dies Pentecoſtes; Nativitas, & Decollatio S. Johannis Baptiſtæ; duodecim Apoſtolorum; & maxime Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Thomæ, Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, qui ſua prædicatione illuminaverunt mundum; S. Marci; Lucæ Evangeliſtæ; S. Laurentii; Vincentii, Clementis; Dionyſii mart. Michaelis Archangeli; & Dedicationis Oratorii; Omnium Sanctorum; S. Martini; S. Nicolai; S. Mariæ Magdalenæ; S. Catharinæ; & illæ Feſtivitates quas ſinguli Presbyteri in ſuis parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, quæ vicinis tantum circum morantibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus. Feſtum vero Reliquiarum matris Eccleſiæ Conſtantienſis omnes celebrent in craſtino S. Michaelis in Monte Gargano. Reliquas vero Feſtivitates per annum monendi ſunt ut juxta morem antiquum obſervent. Quoniam vero, ut dicit Auguſtinus, *Melius eſt diebus Dominicis & Feſtivis arare vel fodere, quam choreas ducere*, jubemus ut Sacerdotes choreas, præcipue in Cimeteriis Eccleſiarum omnino duci prohibeant, & ne ducant eas etiam alibi. Et ut ab omni malo peccato mortali, præcipue diebus Feſtivis abſtineant, ſubditos ſuos juxta datam ſibi a Domino prudentiam moneant diligenter.

### LIII. *De Jejuniis obſervandis.*

Sacerdotes præcipiant omnibus, ætatem habentibus adultam, inſtituta jejunia obſervare; ut jejunium Quadrageſimale, Quatuor Temporum, Vigiliarum, ſcilicet Natalis Domini, Aſſumptionis B. Mariæ, S. Johannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, Matthæi, Simonis & Judæ, Andreæ, Laurentii mart. Omnium Sanctorum, jejunium in Feſto S. Marci Evang. quando major Letania cantatur, & in tribus diebus Rogationum. Si qua autem de Vigiliis prætactis die Dominica evenerit, indicendum eſt jejunium die Sabbati præcedenti.

### LIV. *De pœnitentiis contra vitia ſpiritualia.*

Contra eum qui ſuper alios ſe levavit mente & corpore, injungat Presbyter quod frequenter in Eccleſia vel alias ſuo Domino multotiens genua flectat, pectus ſæpius tangendo, & orationem dicat; pauperum manus abluat, pedes lavet. Injungatur enim * ei ne malum de proximo ſuo dicat; ne bonum alterius diminuat; ſed ſi ſcit bonum in altero, pro poſſe ſuo extollat.

Si ſuperbus fuerit in veſtibus, pauperibus elargiatur. Si ſuperbus, quia multos ad ſui gloriam ad prandia vocabat, multos pauperes recipiat, vel in elargitione eleemoſynarum ſit largus.

Ei autem qui in ſuperbiæ vitium inciderit, quia credit aliquod bonum quod habet, a ſe habere, vel meritis ſuis accepiſſe; injungenda eſt pœnitentia in maceratione carnis, videlicet in diſciplinis, & recordatione fragilitatis ſuæ, ut diſcat quia *omnis caro fœnum, & ſicut flos agri decidet*.

Eis vero qui ſuper alios per ſuperbiam ſe extulerunt, injungat ut alios pro poſſe ſuo promovere procurent, ut in bono promoveantur, & ſuper poſſe * habuerint, & conſilium & auxilium impendant ad alterius bonum promovendum: nihilominus tamen doleat de eo quod egit, & de eo pœnitentiam agat.

Ei vero qui accidioſus fuerit, injungatur quod ſit aſſiduus in pſalmis, & pſalteriis, & ſacris lectionibus, quia per aſſiduitatem elongatur diabolus ab homine.

Ei vero qui invidus fuerit, injungatur quod de cetero gaudeat de utilitate proximi ſui, de qua doluit aliquando; quod in eo publicet bonum & extollat; gemitibus & orationibus culpam defleat.

Ei autem qui iracundus fuit, vel odio habuit aliquem, injungatur quod de cetero pœnitens ſit, & ſalutem illius quem odio habuit exoptet; & ei, quem propter iram vel odium in aliquo læſerit in dicto vel in facto, ſatisfaciat competenter.

* f. iſtam.

* f. & ſuper poſſe.

### LV. *De ſponſalibus & matrimoniis.*

Inſinuent frequenter laicis Sacerdotes ne dent ſibi mutuo fidem de contrahendo, niſi coram Sacerdote, vel coram pluribus fide dignis, & non ſuſpectis, per quos fides data poſſit probari; alioquin eos ſuper fide data, niſi utrique coram nobis voluerint confiteri, non audiemus. Sunt autem perſonæ ſuſpectæ, pater, mater, ſoror, & frater; quia tales videntur diligere & affectare incrementum filii vel filiæ, fratris vel ſororis.

Non fiant ſponſalia vel firmalia cum repentaliis *; quia libera debent eſſe matrimonia nec pœna aſtringi.

Fiant autem firmalia per verba de futuro; ita quod unus dicat alteri, *Ego te accipiam in meam*: & illa illi; *Ego te accipiam in meum*, ſi Eccleſia poterit ſuſtinere. Et poteſt juramentum apponi, vel fides ex utraque parte præſtari.

Inhibeatur etiam ne ſeſe carnaliter cognoſcant, donec inter eos ſit matrimonium celebratum: quia ſi inde convicti fuerint, graviter punientur.

Doceant autem illos Presbyteri, qui matrimonialiter conſentiunt, quod tali conſenſu continentur quatuor: ſcilicet conſenſus ad cohabitandum, conſenſus ad carnalem copulam, conſenſus ad mutuum obſequium, & conſenſus ad mutuam proprii corporis poteſtatem: ſed tamen quis quandoque peccat exigendo ultra debitum. Verſus.

*Feſta, locus ſacer, jejunia, menſtrua, partus.*
*Si petis his, peccas; reddis quandoque licenter.*

Eos autem qui fidem de matrimonio contrahendo dederunt invicem, & poſtea confitentur in jure carnalem copulam interveniſſe, ad matrimonium in facie Eccleſiæ ſolemnizandum ſunt compellendi, niſi canonicum impedimentum apponatur; ſive

* [illegible]



ANNO CHRISTI 1300.

ſive fides data fuerit coram pluribus, ſive clam: nonobſtante ſi dicat quod non habuit animum conſentiendi in illam, & hoc etiam velit jurare: quia in hoc caſu præſumit Eccleſia matrimonium contractum; contra quam præſumtionem non admittatur probatio.

Ab illis enim qui dant fidem in occulto de contrahendo, & poſt dictam * carnalis copula ſequitur, ſed in jure negant, & poſtea cum aliis contrahunt: * ad confeſſionem veniunt, & de fide quam dederunt confitentur in foro pœnitentiali. Quærendum eſt utrum quando fidem dederunt, animum habuerunt conſentiendi matrimonialiter, vel tantum extorquendi carnaliter copulam. In primo caſu dicatur eis quod non eſt matrimonium cum illis cum quibus contraxerunt poſtea, nec cum eis poſſunt ſine adulterio commiſceri. In ſecundo autem, ſcilicet quando fidem ſolum dedit ut carnalem copulam extorqueret, non animo conſentiendi: injungenda eſt ei pœnitentia de fide mentita, & ſecure cum uxore, quam poſtea deſponſavit, poteſt carnaliter commiſceri.

* f. datam

* f. add. ſi,

In hoc autem caſu ſolum ex parte ſua affuit fraus, & defuit omnis conſenſus facti, ſine quo cetera fœdus non poſſunt perficere conjugale; quoniam conſenſus ex utraque parte neceſſarius eſt: aliter non eſt matrimonium judicandum.

Antequam matrimonium celebretur, per tres dies Dominicos fiant denunciationes in Eccleſia: in qua Presbyter a populo perquirat, ſub pœna excommunicationis, de lateritate ſponſi & ſponſæ qui debent conjungi; utrum valens impedimentum obſiſtat; utrum inter eos ſit conſanguinitas vel affinitas, quorum prohibitio quartum gradum conſanguinitatis & affinitatis non excedit. Utrum conſanguineam illius quam vult accipere, in terno vel in quarto gradu ante deſponſaverit per verba de futuro: ſponſam enim alterius nullus conſanguineorum ſibi aliquando matrimonio copulare poteſt; & hoc propter honeſtatem Eccleſiæ, ſive publicæ honeſtatis juſtitiam, quod idem eſt: quia ipſa quam primo deſponſavit, conjunx ipſius fuiſſe dicitur. Et utrum ſint in ætate legitima; utrum alter eorum ſit voto aſtrictus; vel Ordo impediat. Utrum ſit inter eos cognatio ſpiritualis ſive compaternitas; quæ contrahitur per ſuſceptionem alicujus de Baptiſmo, vel de ſacro fonte; ex qua ſuſceptione ſpiritualitas triplex ſurgit. Una, quæ eſt inter illum qui ſuſcipit puerum, & matrem pueri, quæ mater * ejus eſt, vel patrem carnalem pueri, quia compatres ſunt. Et hoc impedit matrimonium contrahendum inter compatrem & commatrem, & dirimit contractum.

* f. quia [illegible]

Alia ſurgit ſpiritualitas inter illum qui ſuſcipit & illum qui ſuſcipitur, ſcilicet filiolum vel filiolam.

Et hoc ſimiliter impedit matrimonium inter illos, quia patrinus non poteſt habere filiolam ſuam in uxorem.

Tertia ſurgit, ſpiritualiter inter ſuſceptam ab aliquo de ſacro fonte, & filium ejus carnalem; & ſimiliter impedit matrimonium inter illos: quia filius meus carnalis nullo modo poteſt copulari matrimonialiter cum ipſa quam de ſacro fonte ſuſcepi.

Filii autem duorum compatrum, ſive ante compaternitatem ſint geniti, ſive poſt, legitime poſſunt copulari, excepta illa perſona, qua mediante contracta eſt compaternitas. Inter alias perſonas non impedit ſpiritualis cognatio ſive compaternitas: unde compater alicujus licite poteſt accipere in uxorem filiam ſui compatris vel commatris, dummodo non ſit illa, per quam contracta eſt compaternitas.

Nullus Sacerdos audeat in caſu dubio matrimonium celebrare: nec Decani purgationes recipiant ſuper matrimoniis; nec de cauſis matrimonialibus cognoſcant; ſed omnes matrimonii dubitationes ad Nos referant.

### LVI. *De Decanis.*

Quoniam autem breviores lites, in quibus moderatorem Provinciæ expectare non oportet, ſine ſcripturæ ſolemnitate debent procedere: ſtatuimus ut Decani Rurales, qui negotia diſceptant humiliora, ſine ſcriptura cognoſcant: & citationes eorum & mandata eorum per ſe, vel per nuncium ſub impreſſione ſigillorum ſuorum exequantur, & executioni demandent. Ut autem ſollicitudo ipſorum & cura plurimum reſcindatur in cauſis arduis, & gens ſub majori judice conſtituta providentiam ſentiat grandiorem: duximus ſtatuendum Decanis ut de cauſis ſummam decem ſolidorum Turonenſium excedentibus non cognoſcant, nec pœnas ultra prænominatam exigant quantitatem. Si vero coram ipſis pœnam ulterioris quantitatis imponi contigerit, quam committi poſtmodum crediderint, ſuperiori denuncient, ut per ipſum quod juſtum fuerit inde ſtatuatur: ſed nec emendas percipiendi pecuniarias ultra duos ſolidos Turonenſes de cetero habeant poteſtatem.

Præcipimus etiam quod Presbyteri parochiales, qui legitimam excuſationem non habuerint, ad loca & dies pro audiendis cauſis ſtatutos a Decanis ſuis conveniant, & ea quæ in parochiis ſuis emendanda fuerint eis inſinuent, ut in eorum præſentia prout juſtum fuerit habeatur contractus. Et ea quæ in conſiſtorio Decanorum fient, juxta ipſorum teſtimonium obtineant firmitatem.

Semper in nuptiis prohibeantur ſortilega fieri. Celebretur autem matrimonium cum reverentia & honore, & in facie Eccleſiæ, non cum riſu, ne contemnatur.

Si autem mulier quæ deſponſatur, alium virum habuerit, ſuper eam non debet dici benedictio vel oratio, ſcilicet, *Propitiare Domine*, quæ dici debet ſuper eas quæ non habuerunt virum, antequam pax detur. Et hoc eſt quod dicitur quod ſecundæ nuptiæ non debent benedici; & hoc ad exhortationem continentiæ.

Sciat autem Presbyter qui hujuſmodi benedictionem fecerit ſupra mulierem ad ſecunda vota ſeu nuptias convolantem, cum alias benedicta fuerit: & iterum non debeat benedici; ſe ipſo facto & beneficio ſuſpenſum, & ad Apoſtolicam ſedem mittendum eſſe, ut in cap. 1. E. *De ſecundis nuptiis*,

*Nubentes caveas iterato ne benedicas.*
*Ne ſis ſuſpenſus per Papam reſtituendus.*

### LVII. *De Extrema-unctione.*

Ad Sacramentum Extremæ-unctionis moneant ſæpe Sacerdotes populum, non tantum divites, ſed etiam pauperes, maxime a quatuordecim annis & ſupra: ut omnes communiter, cum fuerit neceſſe, exhibeant ſe paratos ſuſcipere Sacerdotes Sanctum Oleum ad eos cum magna reverentia deferentes & honore.

Doceant Sacerdotes ſæpe populum hoc Sacramentum licite poſſe iterari, & ſæpe in qualibet infirmitate magna recipi, unde mortis eſt metus: quia per eam, ſicut dicit B. Jacobus, venialia dimittuntur; & quandoque alleviatur infirmus; & quandoque ad veram contritionem,

Anno Christi 1300.

nem, & æterni gaudii conſiderationem per eam incitatur.

LVIII. *Sacramenta gratis conferantur.*

Pro prædictis autem Sacramentis conferendis, videlicet pro Baptiſmo, & benedictionibus nubentium, pro exequiis defunctorum, & aliis Sacramentis, nihil exigant, ſed gratis Sacramenta eccleſiaſtica conferantur.

Unde nullus ante collationem Sacramentorum pecuniam extorquere præſumat, aut plegios exigat, aut propter hoc impedimenta ficta fraudulenter opponat, ſicut ſtatutum eſt in Concilio Lateranenſi.

Debent tamen a parochianis, quibus expenſa ſunt Sacramenta, piæ conſuetudines obſervari: & ſunt per Epiſcopum compellendi qui nituntur laudabilem conſuetudinem immutare. Et ideo inhibemus ne Sacerdos aliquis in hujuſmodi caſibus audeat jus dicere, ſed apud ſuperiorem querelam deponat.

LIX. *De Sacramento Ordinis.*

Quia vero Sacerdotes ex ſuſceptione Ordinis poteſtatem conficiendi, ligandi, atque ſolvendi, & ſupradicta Sacramenta miniſtrandi ſuſcipiunt: reſtat videre quomodo ſe debeant in ſuſceptione Ordinis habere, & alii Clerici; & quando in ſuſceptione executionem Ordinis ſuſcipiunt; & quomodo Ordinem ſuſceptum debent obſervare; & quando poſt executionem Ordinis ſuſceptam, eam amittant.

Item quod accedentes ad Sacros Ordines promovendi habeant Breviarium proprium, non accommodatum, una cum libro qui dicitur Manipulus Curatorum.

Item quod ipſi ſic promovendi habeant beneficium, ſeu patrimonium, vel titulum verum, & non fictum, a parentibus & propinquis, aut aliis ſuis amicis ſine fraude ſeu quittancia de non aliquid petendo, præcedente ſeu ſubſecuta.

LX. *Qui ſunt irregulares.*

Imprimis igitur inhibemus, ne Clerici vel Preſbyteri irregulariter ordinentur: & antequam ordinentur, confiteantur diſcretis Pœnitentiariis.

Sunt autem irregulares, qui non debent ad ſacros Ordines promoveri; bigami, ſcilicet, viduarum mariti, vel corruptarum; qui caſtitatem vovit, & qui promiſſum violavit, matrimonialiter contrahendo; qui duas uxores ſimul, vel diverſis temporibus habuit; qui cognovit uxorem ſuam poſtquam ſcivit eam adulteram; qui de jure unam uxorem habuit, & aliam de facto, quæ in veritate uxor non fuit. Item qui homicidæ: qui aut facto, aut præcepto, aut auxilio, vel concilio, aut adminiculum aliquod præſtando, homicidii conſcii fuerint: & qui ſe defendendo, vel aliter, homicidium fecerit. Si tales ordinantur, executionem Ordinis non recipiunt, nec cum talibus diſpenſatur.

Item excommunicati vel ſuſpenſi, irregulariter ordinantur: & tales cum ordinantur, aut ſciunt ſe excommunicatos; & hi in perpetuum debent abſque diſpenſatione aliqua deponi: vel non recolunt factum propter quod ſunt excommunicati, ſed juris ignari non ſe credunt excommunicatos propter tale factum: & iſti irregulariter ordinantur, nec cum talibus, ſi ſunt excommunicati qui inciderunt in canone latæ ſententiæ, vel alio modo, poteſt diſpenſari, niſi de mandato ſedis Apoſtolicæ ſpeciali.

Item qui contra prohibitionem ſub excommunicatione factam ad Ordinem ſe ingerunt, irregulariter ordinantur; nec cum eis, niſi per ſedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.

Item qui furtive ſuſcipit Ordinem, etiam ſine prohibitione excommunicationis, executionem non recipit; quia tenetur renunciare Ordini: quia *non dimittitur peccatum, &c.* Et fur eſt ſemper in mora reddendi.

Item illegitime nati, ſine diſpenſatione Domini Papæ, irregulariter ordinantur. Et qui indignus quantum ad Ordinem reputatur, quantum ad beneficium etiam eccleſiaſticum debet indignus reputari: unde beneficia quæ ſuſpenſi, vel in excommunicatione politi, ſunt adepti, non poſſunt aliquatenus retinere.

Item, qui ſaltum fecerit in promotione, ſuſpenſus eſt quantum ad executionem Ordinis quem ſuſcepit, donec Ordinem quem prætermiſit fuerit aſſecutus.

Item, qui ſunt in enormibus peccatis, ſive illa peccata ſint occulta, ſive manifeſta, ad Ordines non debent accedere, nec in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare: ut ſunt peccantes contra naturam, inceſtuoſi, perjuri, fures, & conſimiles.

Item qui ſortilegia de Sacramentis eccleſiaſticis fecerint, irregulariter ordinantur: quia in eo debet quis puniri quo deliquit.

Item qui ſimoniace ordinantur, irregulariter ordinantur: quorum diſtinctio eſt tripartita. Alii ſunt ſimoniace, & a ſimoniacis ordinati; & iſti in perpetuum debent deponi. Alii ſimoniace ordinantur, ſed non a ſimoniacis: ut illi qui collateralibus Epiſcoporum dant munera pro Ordinibus habendis, vel aliis quos credunt pro ſe poſſe intercedere: & iſti executionem non habent, ſed debent deponi. Alii ſimoniace ordinantur, ſed ipſis ignorantibus: ut illi quorum parentes dant munera Epiſcopis, vel collateralibus Epiſcoporum pro Ordinibus ſuis habendis, ipſis ignorantibus. Illi autem in ſuis Ordinibus ex diſpenſatione poſſunt remanere, quia ſimoniaci non ſunt. Et cum talibus videtur quod Epiſcopus poſſit diſpenſare ut executionem Ordinum ſuorum poſſint habere: & ſimiliter qui per talem ſimoniam, de qua non fuerunt conſcii, beneficium obtinent, ex diſpenſatione Epiſcopi illud poſſunt retinere.

Item qui promiſſionem vel juramentum faciunt Ordinatoribus, vel præſentatoribus eorum antequam ordinentur, quod eos ſuper proviſione ſua non inquietabunt, irregulares ſunt & ſuſpenſi, donec diſpenſationem ſuper hoc per ſedem Apoſtolicam meruerint obtinere.

Item beneficiati Clerici, vel in ſacris Ordinibus conſtituti, ſi poſt ſententiam Galonis, ſcilicet poſt admonitionem eis factam a Prælatis ſuis, concubinas in domibus ſuis tenuerint, vel alias unde ſcandalum ortum fuerit habuerint, ſententias excommunicationis incurrunt: & tales ſunt excommunicati, nec debent ordinari, nec executionem Ordinis recipiunt, niſi prius fuerint abſoluti. Et ſi in Ordinibus ante receptis in hoc caſu miniſtraverint; antequam ad ſuperiores promoveantur, oportet quod cum eis ſuper irregularitate primitus fuerit diſpenſatum. Quod eſt obſervandum in Preſbyteris jam promotis; videlicet quod non debent celebrare, niſi prius fuerint abſoluti ſuper reſidentia: & ſi ante celebraverint, irregularitatem incurrunt, nec poſſunt diſpenſationem habere niſi a Domino Papa; ſed ab Epiſcopo non poſſunt abſolvi, niſi Epiſcopus ſpeciale privilegium habuerit. Tales enim quod ſic in fornicatione prolapſi ſunt, ſuſpenſi ſunt quoad ſe, & quoad alios, dummodo peccatum eorum notum fuerit per ſententiam, vel per confeſſionem in jure factam, vel evidentiam rei, quæ nulla tergiverſatione poſſit celari. Unde nec talium eſt officium audiendum;



Anno Christi 1300.

cum ſit ſtatutum ſub excommunicatione ut nullus audiat Miſſam Sacerdotis quem ſciat concubinam indubitanter habere.

LXI. *De Ordinatis.*

Reſtat videre quomodo debeant Ordinem ſuſceptum obſervare; & qualiter ratione beneficii quod adepti ſunt ſe debeant cuſtodire & alios ratione Ordinis, ut mundi & ſancti ſint: quia ſcriptum eſt, *Sancti eſtote quia ego ſanctus ſum.* Et, *Mundamini qui fertis vaſa Domini.* Ut videlicet caſtitatem ſervent coram Domino in corde, & coram hominibus in corpore: nihil enim valet incorruptio corporis, niſi ſit integritas mentis: nihil valet eſſe mundum in corpore, qui pollutus eſt in mente. Maxime enim Sacerdotes a parochianis ſuis, & eis quæ peccata ſua confeſſæ fuerint; vel quas baptiſaverint, vel de ſacro fonte levaverint, abſtineant. Dicit enim Canon: *Si quis Sacerdos cum filia ſpirituali fornicatus fuerit, ſciat ſe grave adulterium commiſiſſe: & quia malum exemplum dedit omnibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando quindecim annis pœniteat: poſtea vero ad Monaſterium vadat, & ibidem cunctis diebus vitæ ſuæ Deo ſerviat.*

Item in ratione Ordinis præbeant ſe exemplum fidelibus in converſatione ſancta: ut ſobrietatem in ſeipſis cuſtodiant; Deo pietatem, & proximis juſtitiam exhibeant, & exemplum præbeant fidelibus converſatione, & etiam in ſermone: ut ſermo eorum non ſit fatuus, ſed ſale conditus; ut attendant quid dicant, & quando, & cui, & qualiter.

Item in charitate, ut Deum tota mente diligant, & proximum ſicut ſeipſos. Hoc eſt quod dicit Apoſtolus ad Timotheum: *Exemplum eſto fidelium in verbo, & in converſatione, in fide, & charitate, & caſtitate.* Et ad Titum: *In omnibus præbe exemplum bonorum operum in doctrina recta*, ſcilicet, in integritate vitæ, in corporis gravitate, ne levis ſis, ſed fidem rectam cuſtodias apud Deum & homines.

Item ut Divinum Officium, tam diurnum quam nocturnum, Deo ſine intermiſſione perſolvant, licet non habeant curam animarum. Ratione autem beneficii quod adepti ſunt, cui eſt cura animarum annexa, attendant quid ſuſceperint; quia curam ſubditorum ſuorum: & cui rationem reddituri ſunt; quia Deo in die judicii: timentes ne perditione ipſorum, ſi negligentes & incurioſi extiterint; incuria ipſorum poſſit accuſari, & iidem condemnari. Et attendant quia paſtores ſunt eorum: unde eos debent paſcere, ſicut dicit Apoſtolus in Actibus Apoſt. *Attendite vobis & univerſo gregi vobis commiſſo, in quo poſuit Chriſtus vos regere Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Et Petrus: *Paſcite eum qui in vobis eſt gregem Domini: providentes non coacte ſed ſpontanee; ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia; neque ut dominantes in Clero, ſed forma gregis facti ex animo*: ut ſcilicet per vos grex Domini invitetur ad humilitatem, memores ejus quod ſcriptum eſt: *Rectorem te poſuit? Eſto in illis quaſi unus ex illis.* Quod dicit autem, *Non turpis lucri gratia*: quia non debet primo & principaliter officium exequi propter pecuniam, vel propter lucrum temporale; ſed principaliter ſpe æternorum. Si tamen poſtea & ſecundario pro ſuſtentatione ſua aliquid expectat, non peccat, quia *dignus eſt operarius mercede ſua*, &, *qui Altari ſervit, de Altario vivat.* Caveant autem omnes qui divina celebrant, vel pſalteria legunt propter pecuniam, ne finem ſuum in ſpe pecuniæ habendæ ponant, ſed tantum ſpe æternorum hæc faciant: ſecundario tamen ad ſuſtentamentum ſui aliquod lucrum temporale poſſunt expectare, & de jure accipere.

LXII. *De Teſtamentis agendis.*

Moneant & doceant Presbyteri parochianos ſuos, ne teſtamenta ſua faciant ſine ipſorum præſentia, dum tamen commode poſſint intereſſe: quia voluntates defunctorum debet executioni per Eccleſiam demandari.

Unde præcipimus ut Presbyteri ſe exhibeant ad hoc pro nobis, & ne fraudulenter ſe ſubtrahant vel abſentent, quando parochiani ſui debent condere teſtamenta ſua: nec ea occaſione qua non interfuerunt, dicant teſtamenta non valere, nec occaſione ejus præſumant pecuniam extorquere.

Similiter prohibemus ne propter cupiditatem audeant teſtamenta impedire, dicentes. Non bene ordinavit: nimium dedit: parum ſibi retinuit: & hujuſmodi ficta impedimenta, ut aſſolent, apponere, quoadusque eorum cupiditati fuerit ſatisfactum.

Prohibemus ne executores teſtamentorum, ſive ſint Religioſi, ſive Clerici ſæculares, ſive laici, pecuniam & alia bona quæ per manus ipſorum de teſtamentis decedentium debent in uſus pios expendi, in aliis uſibus applicent, vel ſibi audeant retinere; ſed ipſa bona fideliter & plenarie in uſus pios convertant, juxta defuncti voluntatem.

Similiter autem quod reſiduum fuerit ultra ea quæ in teſtamento fuerint nominata, in pios uſus expendant, dummodo eorum diſpoſitioni commiſerint hoc teſtantes. Reſiduum autem bonorum ſuorum certis perſonis, vel incertis de certis locis, vel hoſpitali, vel certis Eccleſiis erogare ſtudeant: alioquin ad nos totum reſiduum deferatur.

Licet autem de benignitate canonica qui extremam voluntatem in alterius diſponere* committit, non videatur decedere inteſtatus: ſed in omnibus piis voluntatibus defunctorum ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut univerſa recte procedant: licet a teſtatoribus id contigerit interdici: volumus & præcipimus ut is in cujus diſpoſitione voluntatem ſuam teſtator committit, coram nobis de bonis illis ordinet, ut ſciamus in quos uſus bona defuncti convertantur; & ne illum, cujus fidei eſt commiſſum, contingat diffamari, ſi diceretur quod de bonis teſtatorum magnam partem ſibi retinuit, vel alias ſuam fecerit voluntatem. Idem dicimus de illius quorum fidei committitur, ut de reſiduo bonorum teſtatoris diſponant, ut ſi quid ultra quindecim libras reſiduum fuerit, coram nobis de dictis bonis ſtudeant ordinare. Hoc autem præcipue intelligimus de illis, de quibus ſiniſtra poſſet ſuſpicio ſuboriri.

* *l. diſpoſitione.*

LXIII. *De bonis inteſtatorum.*

Bona vero inteſtatorum ad nos deferri jubemus. Inteſtatos autem dicimus, qui omnino nullum teſtamentum fecerunt; aut ſi fecerint, poſtea irritum factum eſt per contrariam voluntatem, nec poſtea aliud fecerunt, aut non jure fecerunt; ut ſunt illi qui ſatis minus ſua parte ſumſerunt, vel qui fere totum ſuis relinquunt, vel perſonis non capacibus.

Inhibemus nihilominus ne Clerici teſtamenta ſua per manum laicalem tantum diſponant, quia ſolent laici de rebus Clericorum maxime cauſari. Et licet de rebus ſuis mobilibus rationabile poſſint facere teſtamentum; utputa, legando pauperibus, locis religioſis, & eis qui ipſis viventibus ſervierunt, ſive conſanguinei ſint, ſive alii: tamen mobilia ipſius Eccleſiæ, vel de bonis Eccleſiæ acquiſita, de jure non poſſunt in alios uſus transferre; & ſi forte tranſtulerint, ab Eccleſia poterunt vindicari.

Cum autem leges humanæ teſtatoris extremum quod

Anno Christi 1300.

quod non redit arbitrium tanquam legem jubeant obſervari; ſtatuimus ut infra octo dies poſt obitum teſtatoris: ſi Clericus beneficiatus teſtator fuerit; ad Nos: ſi laicus; ad Nos, vel Decanum, vel Officialem, hi per quos teſtator voluntatem ſuam executioni voluerit demandari, veniant, ipſum teſtamentum, ſi ſcriptum fuerit, deferentes, ut rite ſub ſigillo autentico, ne fraudi locus forſitan relinquatur, valeat publicari. Si nuncupativum: per teſtes rite probetur, & in formam autenticam redigatur: & ex tunc infra annum executioni modis omnibus ſi poſſit fieri demandetur.

Nullus vero ad impediendum malitioſe judicium teſtatoris bona defuncti in noſtra manu arreſtare præſumat. Quod ſi quis Presbyter vel Decanus ex juſta cauſa fecerit: nobis denunciare ſic bona eſſe arreſtata, & ex qua cauſa, quantocius poterit non omittat, ne contra ipſum quod hoc malitioſe fecerit præſumamus.

LXIV. *De præceptis Synodalibus ſcribendis.*

Quia vero nihil aut parum prodeſt audire, niſi teneatur in mente: nec ſcire ſufficit, niſi comprobetur effectu. Jubemus in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, firmiter injungendo ut omnes Sacerdotes hæc ſtatuta, ſive præcepta, necnon & documenta Synodalia diligenter audiant & attendant. Et ut poſſint facilius memoriæ commendare, ſcribant ea, ſeu ſcribi faciant: & ut in eis diligenter ſtudeant, & ad ſequentes Synodos ea in manibus afferentes, cum fuerint interrogati ſuper capitulis ſingulis, ſciant legere, & nobis etiam reſpondere; & juxta ea viventes, ſuos ſubditos verbo pariter & exemplo ſic inſtruant, ut in diſtricto examine poſſint villicationis ſuæ ſic dignam reddere rationem. Amen.

Martenii Collectio duo conſequenter ſuperaddit Capitula, ſcil. de uſuris, & de reverentia Eccleſiis & cœmeteriis debita pag. 292. & ſeqq. Verum certo ſunt eorum qui ſibi aſſumſerunt additamenta, cum in genuino codice Conſtantienſi prorſus deſint.

*STATUTA SYNODALIA D. CONSTANtienſis Epiſcopi, facta & lecta publice in Eccleſia Conſtantienſi. Anno D. MCCXCIV. die Martis poſt Feſtum S. Marci Evangeliſtæ.*

IMprimis ſtatutum eſſe noſcatur quod vendentes & ementes in Eccleſia, omnino expellantur.

Confratrum comeſtiones, choreas, cantilenas, actus judiciales ſeculares, & alia inhoneſta, in Eccleſia fieri prohibemus.

Quod deferentes Chriſma jurent, quod eo nullatenus abutentur.

Teſtamenta poſt mortem, defunctorum facta, vel eis viventibus, ſed mentis non compotibus, vel etiam ignorantibus, nullius ſint momenti; ſed factores & conſiliatores acerrime puniantur.

Decani infra triduum a tempore ſcientæ* computandum, Nobis, vel Officiariis noſtris, vel noſtras vices gerentibus, inteſtata denuncient fideliter & complete.

* l. [illegible]

Executores quorumcumque teſtamentorum, poſt annum a tempore mortis teſtantium computandum, Nobis, ſeu Officiariis noſtris, vel vices gerentibus, teneantur reddere rationem.

Statuimus quod infra octo dies a tempore datæ computando, excommunicationes per Presbyteros parochiales excommunicatorum executioni mandentur, & etiam ſigillentur: alioquin impetrantes ad expenſas excommunicati teneantur; nec Sacerdos poſtmodum exequatur, quouſque Officiali exhibuerit eaſdem.

Præcipimus quod Presbyteri parochiales qualibet die Dominica, vel ſaltem ſemel in menſe quadam die Dominica denuncient excommunicatos in regiſtris contentos: & quod, cum divina celebrantur, excommunicati ab Eccleſia expellantur.

Omnes de civitate vel Diœceſi Conſtantienſi excommunicati, qui excommunicationem per annum ſuſtinuerint, publice in Eccleſia, & nominatim moneantur, ut infra menſem ſub pœna excommunicationis & emendæ ſe abſolvi faciant & procurent: alioquin ſuper articulis fidei examinabuntur, & contra eos tanquam ſuſpectos de hæreſi procedemus, & eos faciemus per juſtitiam ſecularem juſtitiari. Quos ſic excommunicatos Presbyteri parochiales Nobis, vel Officiariis noſtris ſignificent puniendos: & ipſis Presbyteris gratis priſiæ concedentur.

Statuimus ut impedientes juriſdictionem eccleſiaſticam denuncientur excommunicati ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis: quibus denuncient Sacerdotes eorum parochiales ut procurent ſe abſolvi a ſententia excommunicationis, quam ob hoc incurrunt auctoritate Concilii Lugdunenſis, infra duos menſes; alias per nos abſolvi non poterunt, ſed erunt ad Sedem Apoſtolicam remittendi.

In grande obſequium fidei præcipimus de cætero non admitti ad prædicandum verbum ad populum regulares vel ſeculares abſque noſtris, ſeu Vicarii noſtri litteris.

Diebus Dominicis & Feſtivis judices ſeculares placita ſua non teneant: alias quod per ipſos factum fuerit, nullius ſit momenti.

Præcipimus quod Clerici ſuper factis perſonalibus non litigent coram judicibus ſecularibus, nec ab eiſdem judicibus reſpondere compellantur: alias utroſque canonice puniemus.

Diſtricte præcipimus ut Presbyteri parochiales diligenter memoriæ commendent quæ in iſtis verſibus continentur.

CASUS RESERVATI EPISCOPO:

*QUi facit inceſtum, deflorans, aut homicida.*
*Sacrilegus, patrum percuſſor, vel ſodomita.*
*Fractor votorum, perjurus, ſortileguſque.*
*Pontificem quærat, necnon qui miſerit ignem.*
*Ad Papam feriens Clerum, falſarius, urens.*
*Percutiens Clerum Romam petat: excipiatur*
*Neſciens, erudiens, leviter jocans, minor ætas.*
*Janitor officii prætextu, vimque repellens.*

Præcipimus ut Presbyteri & Decani falſarios, & de falſitate ſuſpectos, Nobis, vel noſtris ſine mora denuncient.

Jubemus ut in nomine Jeſu ſinguli, præcipue dum aguntur Miſſarum ſacra myſteria, glorioſum nomen illud quoties recolitur, flectant genua, cordis quoque vel pectoris percuſſione, vel capitis inclinatione teſtentur.

Diſtricte præcipimus, ut alias, quod quilibet Presbyter omnia præcepta Synodalia penes ſe habeat complete, & ea per ſingulos menſes perlegat, & ſecum ad quamlibet Synodum afferat bene ſcripta. Alioquin qui contra fecerit, in decem ſolidis punietur, & per menſem, juxta Statuta Provincialis Concilii, a Divinis Officiis ſuſpendetur.

Et eſt notandum quod hæc ſcripta cum præceptis vel factis debent inſeri, & obſervari per quemlibet Sacerdotem.





Anno Christi 1300.

*Anno Domini MCCXCIV. die Martis poſt Exaltationem ſanctæ Crucis, in Synodo Conſtantienſi, quæ fuit dicta die.*

PRæceptum fuit quod ſi per negligentiam Sacerdotis evenerit quod peracta conſecratione Corporis Chriſti non fuerit vinum & aqua in calice: ſuppleat Sacerdos quod deeſt, & appoſito in calice vino & aqua ſine ſcandalo, compleat Sacerdos ſacrificium dicens: *Simili modo, &c.*

SYNODUS CONSTANTIENSIS MCCC.

*Anno Domini MCCC. die Martis poſt* Quaſimodo *ſtatuta & lecta in Synodo quæ ſequuntur fuerunt.*

LIcet canone ſit ſalubriter inhærendo ſtatutum, ne quis Sacerdos intereſſe matrimoniis clandeſtinis præſumat, per triennium, ſi contra fecerit, ſuſpenſionis ſententiam incurſuros; & taliter contrahentes arbitrarie ſint puniendi: quia tamen in hujuſmodi canonis obſervatione quamplurimos vidimus ſæpius negligentes, immo verius tranſgreſſores, pœnas non timentes prædictas, viaſque exquirentes & modo per quos oſtenſa ſibi impedimenta devitent, quandoque ad partes ſe transferunt alienas, ubi dicti impedimenti notitia non habetur, & ibidem matrimonia damnabiliter ſolemniſari procurant; nonnunquam de alienis partibus ignotos Presbyteros, qui dicta celebrant matrimonia ad iſtas partes adducunt; ut ſic ſuas voluntates improbas conſequantur, & illudere quantum in eis eſt valeant canoni memorato; ex quibus animarum pericula provenerunt, & in Eccleſia Dei grave ſcandalum eſt ortum.

Nos autem hujuſmodi exceſſum, & abuſum deteſtandum, propter excreſcentem malitiam delinquentium, volentes ut dignum eſt, & ad noſtrum ſpectat officium, pœna graviori punire: jurium inhærentes veſtigiis, addendo ſtatuimus, ut nulla perſona eccleſiaſtica, vel ſæcularis, cujuſcumque conditionis vel ſtatus exiſtat, de cetero matrimonia clandeſtina in civitate iſta vel Diœceſi, bannis nondum factis per tres dies Dominicos, ut antiquitus eſt ſtatutum, niſi de licentia noſtra, aut Officiariorum noſtrorum, quibus damus poteſtatem diſpenſandi ſuper hoc aliud concedatur, audeat ſolemniſare in facie Eccleſiæ, celebrare, vel eiſdem intereſſe ſcienter; de iſtis partibus, prædictis matrimoniis ſolemniſandis, nec ad alias ſe tranſferre; perſonas extraneas occaſione hujuſmodi ad iſtas civitatem & Diœceſim adducere; aut in præmiſſis, vel præmiſſorum quolibet opem, favorem, conſilium ſcienter & doloſe impertiri, quomodolibet præſumat. Quod ſi quis deinceps attentare præſumpſerit, & omnes & ſingulos taliter, ut præmittitur, delinquentes, ipſo facto ſuſpenſionis in Presbyteros, & excommunicationis in ceteros, extunc prout exnunc proferimus in his ſcriptis: injungentes Decanis & Presbyteris ut Nobis vel Officiariis noſtris infra quindenam a tempore notitiæ revelent quicquid ſciverint de prædictis; alias pœna ſimili vel graviori eoſdem puniemus.

*De falſariis.*

Præterea quia vitium falſitatis his diebus multipliciter, proh dolor! inolevit: nam quidam ſe falſis nominibus nuncupantes, inſtrumenta, memorialia, & mandata impetrant contra alios, & tranſire faciunt fraudulenter. Quandoque alii falſa fabricantes ſigilla, eis conſignant litteras, per quas de facto excommunicant, & abſolvunt, per hæc decipientes alios, & ſemetipſos. Alii diverſos alios modos excogitant, & faciunt falſitates.

Nos tam peſtilenti morbo remediare prout poſſumus cupientes: ſtatuimus ut nullus Eccleſiaſticus vel ſæcularis, cujuſcumque conditionis aut ſtatus, impoſterum hujuſmodi falſitatis vitia, aut alia quæcumque committere fraudulenter aut doloſe audeat vel præſumat; aut opem, conſilium, vel favorem ſcienter committentibus impartiri. Quod ſi ſecus deinceps attentatum fuerit a quolibet vel præſumtum: in agentes, & conſentientes, auxiliatores, conſiliatores, fautores, fraudulentos, ipſo facto excommunicationis ſententiam extunc & exnunc proferimus in his ſcriptis: Decanis noſtris, & Prebyteris injungentes, &c. *ut ſupra.*

Quia accepimus quod in Eccleſiis & Capellis, ubi ad honorem Dei & Sanctorum a Chriſti fidelibus pro ſalute ſua vigiliæ celebrantur, nonnulli ſæpe veniunt, ſub ovis ſpecie lupum in mente gerentes, ſollicitantes mulieres, eas rapere & corrumpere ſatagentes, quanquam ante faciem Crucifixi, quod graviter eſt ferendum, quantum in eis eſt, ſuam exequi libidinem non verentes: per quod non ſolum Deum & Eccleſiam vilipendunt, & etiam ſcandaliſant populum, fideles a ſancto propoſito retrahentes, & etiam ſibi ipſis ingerentes damnationem æternam. Quocirca hac Synodali monitione pro omnibus, & ex cauſa monemus omnes & ſingulos, tam Clericos quam laicos, ut tam flagitioſum delictum in locis prædictis noſtrarum civitatis vel etiam Diœceſis committere non audeant in futurum, nec committentibus conſentire ſcienter, vel eis fraudulenter impartiri opem, conſilium, vel favorem: alioquin rapientes deinceps de dictis locis violenter mulieres jam dictas, & cum mulieribus ſic raptis ſe etiam turpiter commiſcentes, ipſo facto in prædictis caſibus extunc & exnunc ſententiam excommunicationis proferimus in his ſcriptis, injungentes Decanis, &c.

Item volumus & præcipimus præcepta noſtra per quamlibet parochiam ſæpius & ſolemniter publicari; ne quis excuſationis vel ignorantiæ poſſit habere velamen.

*Expliciunt præcepta Synodalia nova & vetera de Diœceſi Conſtantienſi.*

Anno Christi circiter 1300.

# **Synodus Baiocenſis,

## Circa annum Domini MCCC,

Ex codice Victorino a R. P. Jac. Sirmondo deſcripta.

### Tituli Capitulorum.


1. *Quomodo perſonæ eccleſiaſticæ ante ſynodum debeant ſibi providere?*
2. *Quod omnes curam animarum habentes veniant ad ſynodum.*
3. *Ut jejuni intrent ſynodum.*
4. *De baptiſmo & ejus forma, & qualiter debeat fieri.*
5. *De confirmatione.*
6. *De ſacramento altaris & ejus circumſtantiis, ſcilicet vini & hoſtiæ electione, & quid agendum ſit, ſi aliquid omiſſum fuerit.*
7. *Quod nec panis nec vinum remaneant ſuper altare.*
8. *Ne elevent hoſtiam donec dixerint, Hoc eſt corpus meum.*
9. *De ſanguine Chriſti cadente ſuper corporale, vel pallam, vel aliud indumentum, quid agendum ſit.*
10. *Ut duabus mulieribus tantum tradatur marmor ſive liber deoſculandus.*
11. *De muſca vel aliqua alia re cadente in calicem, quid faciendum ſit.*
12. *Ut die octavo renovetur euchariſtia, & aqua benedicta.*
13. *Ne celebrent donec horas canonicas & Primam dixerint.*
14. *Ut calix poſt Miſſam a ſacerdote vel a diacono panno mundiſſimo involvatur.*
15. *Ne aliquis bis eodem die celebret.*
16. *Ne detur euchariſtia pueris infra ſeptem annos.*
17. *De clericis in miniſterio altaris.*
18. *Quot præfationes debent dicere ſacerdotes.*
19. *Ut Divinum officium diſtincte celebrent & devote.*
20. *Ne celebrent ſuper tabulam motam vel fractam, donec conſolidetur & conſecretur, nec ſuper lapidem portabilem ſine capſa: & de ampullis.*
21. *De piſcinis & manutergiis.*
22. *Ut ſacerdos ſive diaconus corporalia ſæpe abluat.*
23. *Ut chriſma & euchariſtia ſub clavibus, & fideli cuſtodia conſerventur.*
24. *Ne in eccleſiis ſupellectilia ſacerdotis vel clerici alterius conſerventur, niſi in caſibus conceſſis.*
25. *Ut quilibet ſacerdos librum habeat, manuale.*
26. *De libris & ornamentis eccleſiæ neceſſariis habendis.*
27. *Ut reditus eccleſiæ & presbyterii in Miſſalibus ſcribantur, & ex eis nihil alienetur.*
28. *Ne fiant picturæ inhoneſtæ in ſacro loco, vel in domibus clericorum.*
29. *Ut firmentur eccleſiæ poſt Divinum officium celebratum.*
30. *Ne ædificent in cœmeteriis.*
31. *Ne choreæ in eccleſiis vel cœmeteriis fiant.*
32. *De vita & honeſtate clericorum, & ne commercia vel officia ſæcularia exerceant.*
33. *Ut clauſa deſuper habeant indumenta, & ut cappis clauſis utantur communiter univerſi.*
34. *Ne aliquis clericus dictet, ſcribat, aut proferat litteras pro vindicta ſanguinis.*
35. *Ne beneficiati ſint advocati pro pretio: & ne loco laicorum curiam teneant: & ne ſint chirurgici.*
36. *Quibus temporibus vel diebus non liceat jurare ſuper ſacroſancta evangelia.*
37. *Item de vita & honeſtate clericorum, & ne habeant concubinas.*
38. *Ne filii ſacerdotum ipſi miniſtrent in eccleſia circa altare, & ne in eorum domibus commorentur.*
39. *Ne laici publice teneant concubinas.*
40. *Ne antiquæ reliquiæ extra capſam exponantur venales.*
41. *Ut nullus recipiatur ad prædicandum ſine litteris epiſcopi.*
42. *Item ut nullus recipiatur ad quærendas eleemoſynas ſine litteris epiſcopi.*
43. *Ut nullus faciat patronis juramentum antequam ſit receptus ab epiſcopo.*
44. *De reſignationibus, ne fiant niſi in manu epiſcopi.*
45. *Ne ornamenta eccleſiæ pignori obligentur.*
46. *Ut laici filios ſuos inſtrui faciant.*
47. *Ne eccleſia patrono ſervagium faciat.*
48. *De firmatione eccleſiarum.*
49. *Item de eadem.*
50. *Item ut non recipiant eccleſiam ad firmam, niſi habeant perpetuum vicarium.*
51. *De liberatione perſonarum & rerum eccleſiaſticarum.*
52. *Ut condonati ſignum portent apertum.*
53. *Ut nullus de manu laicali decimam recipiat.*
54. *Ne quis intret poſſeſſionem decimæ ſibi collatæ a laico.*
55. *Ut nullus portet magnum cultellum cum cuſpide.*
56. *Ne laici faciant teſtamenta in abſentia ſacerdotis.*
57. *De morte inteſtatorum, ut ſtatim nuncietur epiſcopo, officiali, vel decano.*
58. *Ut immobilia de bonis eccleſiæ acquiſita, illis eccleſiis legentur.*
59. *De citationibus & excommunicationibus faciendis.*
60. *De officio decanorum.*
61. *Qualiter abſolvendi ſunt excommunicati.*
62. *Qui ſint ex facto excommunicati.*
63. *Quod excommunicentur ſortilegia facientes.*
64. *Quod excommunicati a domino Papa, a quolibet ſacerdote in neceſſitate poſſunt abſolvi.*
65. *Ut de omnibus in extremis abſolvatur.*
66. *De obſervantia jejuniorum.*
67. *De ſolemnitatibus faciendis.*
68. *In quo gradu poſſunt matrimonia copulari.*
69. *Quomodo fiant ſponſalia.*
70. *De termino nuptiarum, ad inquirendum de conſanguinitate & affinitate.*
71. *De prohibitione clandeſtini conjugii, & de pœna eorumdem.*
72. *Ut in nuptiis ſortilegi excommunicentur.*
73. *Ne alter conjugum tranſeat ad religionem, niſi per epiſcopum.*
74. *Ut moneatur populus inungi quotiens neceſſe fuerit.*
75. *Ut medici primo faciant advocari medicos animarum.*
76. *Ut ſinguli ſacerdotes habeant calices in quibus communicent infirmi.*
77. *Quomodo exhibendum ſit corpus Chriſti infirmis debilitatis.*
78. *Ne infirmis pœnitentia injungatur, ſed quando convaluerit.*
79. *Ut eccleſiaſtica ſacramenta libere exhibeantur.*




Anno Christi circiter 1300.


80. *Quod ſacerdotes eligant ſibi locum eminentem ad audiendam confeſſionem.*
81. *De loco & modo confeſſoris confeſſiones audientis.*
82. *Ne inquirant nomina perſonarum, ſed tantum circumſtantias.*
83. *Ne ſacerdotes injungant Miſſas confitentibus.*
84. *De inveſtigatione peccatorum, & quæ pœnitentia injungenda.*
85. *Ut omnes a crapula & ebrietate ſe abſtineant.*
86. *Ut præcipiant tabernariis, ne in locis circumjacentibus congregentur.*
87. *Qui mittendi ſunt ad papam, & qui ad epiſcopum.*
88. *Ne Prior ultra ſummam centum ſolidorum mutuo recipiat.*
89. *De computatione obedientiariorum.*
90. *Ne abbas mutuo accipiat pecuniam ultra ſummam ſibi taxatam.*
91. *Ut ſtatuta ſerventur, & ut nullus religioſus fidejubeat ultra ſummam x. librarum.*
92. *De ſtatutis monialium.*
93. *De reſtauratione prioratuum, & ne qui cenſum vel penſionem exigant.*
94. *Ne fiant excommunicationes generales.*
95. *Ne decanus cognoſcat cauſas matrimoniales.*
96. *Ne perſonæ eccleſiaſticæ de rebus eccleſiaſticis litigent coram judice ſæculari.*
97. *Ne emendæ propter concordiam ſumantur.*
98. *Ne decanatus tradatur in firmam.*
99. *Ut curati ſtudeant in theologia.*
100. *Ne cauſæ eccleſiæ tractentur in modum curiæ ſæcularis.*
101. *Ut mortuo vicario vicaria perſonatui accreſcat.*
102. *Ut perſonæ domos ædificent in ſolo eccleſiæ.*
103. *De rebus epiſcopalibus non celandis vel retinendis.*
104. *De officio advocatorum.*
105. *Ne clerici vel monachi ſint negotiatores.*
106. *Ne permittantur cauſæ ſæculares in loco ſancto tractari.*
107. *Ut de vacatione eccleſiarum certificetur epiſcopus.*
108. *Ut ſacerdotes epiſcopo vel pœnitentiali ſuo ſemel in anno confiteantur.*
109. *Ut ad ordines ſucceſſive accedant.*
110. *Ut die ante ordines veniant.*
111. *Ne ab alio quam a proprio epiſcopo ſe faciant clerici ordinari.*
112. *De ſententia domni Gallonis.*
113. *Item de eadem.*


## CAPITULA.

### I. *Quomodo perſona eccleſiaſtica ante ſynodum & in ſynodo debeant ſibi providere.*

Die Dominica vel ſabbato præcedente ſynodum, ſacerdotes qui capellanos non habent in ſuis parochiis, diligenter inquirant in eccleſia publice, ſi qui ſint infirmi in parochia: & antequam iter arripiant, eos viſitent etiam non requiſiti, & faciant quicquid neceſſe fuerit ad ſalutem animarum. Nihilo minus procurantes proviſionem eorum, quam ſolent facere, per capellanos in aliis eccleſiis remanentes.

### II. *Quod omnes curam animarum habentes veniant ad ſynodum.*

Præcipitur ut omnes veniant ad ſynodum, maxime curam animarum habentes: & ſi inevitabili neceſſitate detenti fuerint, mittant capellanum ſuum, aut clericum loco ſui. Et in eundo & redeundo honeſte ambulent, & honeſta quærant hoſpitia, & in eis circumſpecte ſe habeant, ne ſtatus clericorum vertatur populo in opprobrium & con-



temptum. Et qui ex cauſa remanſerit, cum decano, & decanus epiſcopo ſtudeant nunciare.

### III. *Ut jejuni intrent ſynodum.*

Præcipitur ſacerdotibus, ut jejuni, & induti ſuperpeliciis & ſtolis mane intrent ſynodum: ceteri autem, perſonatus ſeu vicarias eccleſiarum habentes, ſuperpeliciis tantum. Abbates autem cappis ſericis ſint induti. Omnes autem a tempore pulſationis ſynodi, omni occaſione poſtpoſita, majorem eccleſiam intrare feſtinent.

### IV. *De baptiſmo, & ejus forma, & qualiter debeat fieri.*

Baptiſmus cum ſummo honore & reverentia, & cum magna cautela celebretur, maxime in diſtinctione & prolatione verborum, in quibus tota virtus ſacramenti conſiſtit, ſcilicet: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Et in Romano doceant laicos ſacerdotes ſub hac forma debere frequenter pueros, etiam patrem & matrem pueri, in ſumma neceſſitate baptizare: & dicant laicis, quod nomen puero non imponant. Forma autem verborum prædicta, ab eo qui baptizat, integre, nude, ordinate, continue, ſine interpoſitione aliqua proferatur. Interrogetur autem laicus, qui ſic puerum baptizavit, diligenter a ſacerdote, quid dixerit, & quid fecerit. Et ſi invenerit cum diſcreto modo & debito baptizaſſe, allato puero ante fores eccleſiæ, ſuppleatur quod deeſt: ſcilicet pabulum ſalis, aurium linitio cum ſaliva: exorciſmi tamen non dicantur, & ſuper fontes, ſine immerſione tantum, omnia fiant quæ ſolent fieri. Si vero dubium fuerit in qua forma verborum puer baptizatus fuerit, tunc ſacerdos omnia faciat, & immergens dicat: Si tu non es baptizatus, ego baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Ad elevandum puerum de ſacro fonte tres tantum recipiantur.

### V. *De confirmatione.*

Sacerdotes ſcientes adventum epiſcopi ad prædicandum in aliquo certo loco, moneant populum diligenter, prout melius potuerint, circa duas leucas vel tres, ut omnes qui commode poterunt, conveniant coram epiſcopo ad audiendum ſermonem, maxime qui conſilio epiſcopi indigent: & ipſi cum populo veniant cruce præcedente. Adulti autem qui debent confiteri, & qui confirmandi fuerint, prius confiteantur, ſi tempus habent confitendi, & deferant ſecum bendellos latos, mundos, & ſatis longos. Jejuni etiam, ſi fieri poteſt, hoc recipiant ſacramentum, & ea die non celebrent ſacerdotes, niſi celebrent ſummo mane.

### VI. *De ſacramento altaris & ejus circumſtantiis, ſcilicet vini & hoſtiæ electione, & quod agendum ſit, ſi aliquid omiſſum fuerit.*

Sacerdos miniſtrans diligenter attendat quod hoſtia ſit integra, non mucida, non perforata, & quod ſit frangibilis, & integram habeat circulum. Et quod vinum non ſit acetoſum: & aquam non omittat. Si autem aquam omiſerit, cum averterit* ſe, apponat aquam, ſi fieri poteſt ſine ſcandalo. Si vero per negligentiam evenerit, quod perlecto canone & peracta conſecratione, nec vinum, nec aqua reperiantur in calice: ſtatim debet infundi utrumque, & hoſtia ſic conſecrata ſeorſum reverenter obſer-

* adverterit

obſervetur. Hoſtia autem nova, ſicut fieri ſolet, ante calicem apponatur, & reincipiatur canon Miſſæ, ſcilicet, Te igitur. Poſt communionem vero, prior hoſtia ab ipſo ſacerdote ſumatur.

VII. *Quod nec panis nec vinum remaneant ſuper altare.*

Caveant ſacerdotes ne panis vel vinum remaneat ſupra altare infra Miſſam, præter illa quæ ab ipſis ſunt conſecranda. Si quid autem forte remanſerit, ab ipſo ſacerdote, vel ab alio mundam habente conſcientiam, cum reverentia ſumatur. Unde non eſt tutum, hoſtiam erigere ſuper pallam, quia poſſet ibi aliqua fractio remanere.

VIII. *Ne elevent hoſtiam donec dixerint, Hoc eſt corpus meum.*

Præcipitur ſacerdotibus, ut quando inceperint in canone Miſſæ, Qui pridie, tenentes hoſtiam, non elevent ſtatim eam, ſed ante pectus ſuum detineant donec dixerint, Hoc eſt corpus meum: & tunc elevent eam decenter, ita quod poſſit videri ab adſtantibus. Et poſt totalem corporis & ſanguinis Dominici ſumptionem, aliquantum ab ſpuendo abſtineant: & ſi abſtinere non poſſunt, ſaltem in loco mundo hoc faciant, qui conculcari non poſſit.

IX. *De ſanguine Chriſti cadente ſuper corporale, vel pallam, vel aliud indumentum, quid agendum ſit.*

Si quid de ſanguine Chriſti ceciderit ſuper corporale, ſugenda eſt pars intincta: & ipſum corporale aliquo panno mundiſſimo involutum pro reliquiis eſt ſervandum. Si vero ſuper pallam vel ſuper aliquod aliud ſacrum indumentum ceciderit; pars intincta prius ſugatur, & poſtea ſcindatur, conſuta panno mundo ſervetur pro reliquiis: ita tamen, quod ſuper pannum ſcedula conſuatur continens: Linteamen ſuper quod ſtilla cecidit ſacramenti. Si autem ſuper aliud commune veſtimentum ceciderit, pars intincta prius ſugatur, & poſtea ſcindatur & comburatur, & cinis in ſacrario reponatur. Si autem ſuper lapidem, lignum, terram ceciderit, lingendus, tergendus, radendus eſt locus ille, & pulvis in ſacrario reponendus. Si autem de corpore Chriſti ſuper pallam vel quodlibet aliud ornamentum ceciderit, abluatur & ablutio a ſacerdote ſumatur, vel ab alio mundæ conſcientiæ. Si vero ſuper lapidem, lignum, terram ceciderit: locus radatur, & pulvis in ſacrario reponatur. Sacerdos ſeu miniſter, cujus negligentia iſtud acciderit, ad epiſcopum debet mitti.

X. *Ut duabus mulieribus tantum tradatur marmor ſive liber deoſculandus.*

Inhibemus firmiter & diſtricte, ne pace recepta a presbytero in altari, pluribus quam duabus mulieribus marmor tradatur deoſculandum.

XI. *De muſca vel aliqua alia re cadente in calicem, quid faciendum ſit.*

Si muſca vel aranea, vel aliquid tale, in ſacramentum ceciderit, quod vix ſine vomitu, aliquando non ſine periculo corporis ſumi poteſt: ſanguis ſumatur, & ſuperfuſo vino ipſum quod ceciderit abluatur, & ablutio a ſacerdote ſumatur, vel ab alio mundæ conſcientiæ, & poſtea in ſacrario comburatur. Quod ſi fides ipſa quempiam hoc quod ceciderit ſumere fecerit, Deo gratias.

XII. *Ut die octavo renovetur euchariſtia, & aqua benedicta.*

Sacerdotes die octavo ſemper renovent ſacramenta, & euchariſtiam, & aquam benedictam: ne ſui vetuſtate aliquam indevotionem movere valeant, aut horrorem.

XIII. *Ne celebrent donec horas canonicas & Primam dixerint.*

Nullus antequam matutinas canonicas & Primam dixerit, Miſſam celebrare aliqua neceſſitate præſumat.

XIV. *Ut calix poſt Miſſam a ſacerdote vel a diacono panno mundiſſimo involvatur.*

Calix poſt Miſſam panno mundiſſimo involvatur, nec miniſtri eo calicem intus tergant, ſed alio ad hoc ſpecialiter deputato. Qui dum non ſatis decens fuerit, vel vetuſtate attritus, in ſacrario comburatur.

XV. *Ne aliquis bis eodem die celebret.*

Nullus audeat bis in uno die Miſſam celebrare, niſi in Natali Domini, aut cum duplici introitu, niſi in magna neceſſitate, ſcilicet corpore defuncti præſente, vel in die ſolemni, vel Quadrageſimali, vel etiam in die Paſchæ. Celebraturus quoque ſecundam Miſſam, vinum ſuperfuſionis non ſumat, ſed miniſtro habenti bonam conſcientiam conferat.

XVI. *Ne detur euchariſtia pueris infra ſeptem annos.*

Inhibemus presbyteris ne hoſtias ſacras dent pueris ullo modo infra ſeptennium conſtitutis.

XVII. *De clericis in miniſterio altaris.*

Nullus uxoratus permittatur deſervire altari, vel epiſtolam legere: nec alius, niſi in ſuperpellicio, vel cappa clauſa.

XVIII. *Quot præfationes debent dicere ſacerdotes.*

Invenimus novem ſequentes præfationes in ſacro catalogo tantummodo recipiendas. Unam in Paſcha, quæ ſic incipit, Te quidem. Aliam in Aſcenſione, ſcilicet, Qui poſt reſurrectionem. Tertiam in Pentecoſte, Qui aſcendens. Quartam in feſtis beatæ Mariæ, ſcilicet, Et te in veneratione. Quintam in feſtis S. Crucis, Qui ſalutem humani generis. Sextam de apoſtolis, ſcilicet, Te Domine ſuppliciter exorare. Septimam in Natali, Quia per incarnati Verbi. Octavam in Epiphania, ſcilicet, Quia cum unigenitus. Nonam in Quadrageſima, ſcilicet, Qui corporali jejunio.

XIX. *Ut Divinum Officium diſtincte celebrent & devote.*

Diſtricte præcipitur, ut ſacerdotes Divinum officium nocturnum pariter & diurnum diſtincte & aperte, quantum Deus dederit, celebrent & devote.

XX. *Ne celebrent ſuper tabulam motam vel fractam, donec conſolidetur & conſecretur, nec ſuper lapidem portabilem ſine capſa: & de ampullis.*

Præcipitur quod in altari, in quo tabula mota fuerit, vel enormiter fracta, ſacerdos non celebret,



donec altare conſolidetur, & iterum conſecretur. Nec ſuper lapidem portabilem ſine capſa celebretur. Ampullæ vini & aquæ in miniſterio altaris ſint mundæ, integræ, vitreæ, ſtanneæ ſive argenteæ. Ad ablutionem manuum vas grandius deputetur.

XXI. *De piſcinis & manutergiis.*

Provideant ſacerdotes, quod habeant piſcinas juxta altaria decentes & mundas, ablutionibus manuum liberum curſum exhibentes: nec ſine coopertorio relinquantur. Fontes etiam honeſte obturent, & eos tegi honeſte faciant, & ſub ſeris, clavibus adhibitis, cuſtodiri. Juxta etiam altare ad minus tria manutergia habeantur: unum ad primam ablutionem, ſecundum poſt Evangelium, tertium poſt ſacramenti ſuſceptionem. Aliud ſit pendens circa Miſſale ad tergendum os & nares, ſi opus fuerit, ſacerdotis.

XXII. *Ut ſacerdos ſive diaconus corporalia ſæpe abluat.*

Sacerdos ſeu diaconus ſæpe abluat corporalia, indutus ſuperpelicio, in vaſe mundo ad hoc ſpecialiter deputato: & omnes ablutiones, ſi fieri poteſt, in piſcina reponantur, vel ſaltem prima: ceteræ autem in baptiſterio. Linteamina altaris, & cetera indumenta ſacerdotalia, non niſi a ſacerdote vel diacono, vel aliqua matrona honeſta vel virgine, ſine appoſitione aliorum pannorum, quando opus fuerit, convenienter abluantur, ita ut munda & nitida conſerventur: quia ſicut continetur in concilio, nimis abſurdum videtur in ſacris ſordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis.

XXIII. *Ut chriſma & euchariſtia ſub clavibus, & fideli cuſtodia conſerventur.*

Statuitur, ut per omnes eccleſias chriſma & euchariſtia, ſub fideli cuſtodia, clavibus adhibitis, conſerventur: ut non poſſit ad illa temeraria manus extendi. Si vero is ad quem ſpectat cuſtodia, ea incaute reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur: & ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde evenerit, gravius puniatur.

XXIV. *Ne in eccleſiis ſupellectilia ſacerdotis vel clerici alterius conſerventur, niſi in caſibus conceſſis.*

In concilio firmiter inhibetur, ne ſupellectilia ſacerdotis propria, ſive aliena, in eccleſiis admittantur: niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes, propter quas ad eas oporteat habere refugium. Ita tamen, ut neceſſitate ceſſante in loca priſtina reportentur.

XXV. *Ut quilibet ſacerdos librum habeat manuale.*

Librum qui dicitur manuale, habeant ſinguli presbyteri parochiales, ubi ordo ſervitii contineatur. Scilicet baptiſmi, catechiſmi, extremæ unctionis, & hujuſmodi, & alios libros, in quibus poſſit competenter Divinum tam nocturnum quam diurnum officium celebrari.

XXVI. *De libris & ornamentis eccleſiis neceſſariis habendis.*

Sacerdotes ſervientes eccleſiis procurent, ut ſibi ſint libri neceſſarii, & alia ornamenta. Ita quod ad hæc emenda parochialis presbyter ac perſona, & alii qui ibi ſibi forte aliquos percipiunt reditus



vel decimas, pro modulo portionum ſuarum, ſi opus fuerit, ſolvere compellantur.

XXVII. *Ut reditus eccleſiæ & presbyterii in Miſſalibus ſcribantur, & ex eis nihil alienetur.*

Præcipitur ſacerdotibus, ut omnes reditus eccleſiæ vel presbyterii ſcribantur in Miſſalibus ſuis, & de rebus eccleſiæ vel presbyterii nihil alienetur, niſi per epiſcopum.

XXVIII. *Ne fiant picturæ inhoneſtæ in ſacro loco, vel in domibus clericorum.*

Imagines vetuſtate deformatæ, & linteamina ſacra vetuſtate attrita ſacris uſibus inutilia, in loco mundo comburantur, & pulvis juxta parietem eccleſiæ recondatur: quia poſſent intuentes ducere in horrorem. Etiam picturæ in monaſteriis depictæ, ſive aliis ſacris locis, aut in domibus clericorum inſculptæ, quæ poſſunt ad laſciviam incitare, ſine mora penitus deleantur. Sed & ne talia de cetero præſumantur, firmiter inhibemus.

XXIX. *Ut firmentur eccleſiæ poſt Divinum officium celebratum.*

Præcipitur ſacerdotibus, ut Divino officio celebrato, & populo regreſſo ad propria, eccleſias firmare ſtudeant diligenter.

XXX. *Ne ædificent in cœmeteriis.*

Nullus de novo ædificare in cœmeterio permittatur, nec domum aliquam, ſi diruta fuerit, durante per annum ruina, ibi reædificet, niſi de licentia epiſcopi ſpeciali. Nec fimus vel immunditiæ in cœmeteriis adunentur.

XXXI. *Ne choreæ in eccleſiis vel cœmeteriis fiant.*

Prohibeant ſacerdotes ſub pœna excommunicationis choreas in eccleſiis vel cœmeteriis duci. Moneant etiam & ne alibi fiant, quia ut dicit Auguſtinus: Melius eſt feſtivis diebus fodere vel arare, quam choreas ducere. Quam grave ſit peccatum choreas & ballationes in ſacro loco ducere, perpendi poteſt ex pœnitentia ſecundum rigorem canonum talibus injungenda. Si quis ballationes ante eccleſias ſanctorum fecerit, emendatione pollicita tribus annis pœniteat.

XXXII. *De vita & honeſtate clericorum, & ne commercia vel officia ſæcularia exerceant.*

Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant, maxime inhoneſta. Mimis & hiſtrionibus & joculatoribus non intendant, & tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Coronam & tonſuram habeant congruentem, & ſe in eccleſiaſticis officiis, & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter.

XXXIII. *Ut clauſa deſuper habeant indumenta, & ut cappis clauſis utantur communiter univerſi.*

Clerici beneficiati, & in ſacris ordinibus conſtituti clauſa deſuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Si quis autem poſt ſtatutum hujuſmodi, ejuſdem tranſ-

ANNO CHRISTI circiter 1300.

greſſor extiterit, per ſuperiorem ſuum puniatur: & veſtis aperta portata in publico pauperibus erogetur. Præcipimus etiam, ut univerſi presbyteri cappis clauſis communiter utantur, alioquin graviſſime puniantur, & eis agentibus ſuper hoc exceptio propoſita admittatur. Pannis rubeis vel viridibus, necnon manicis, aut ſotularibus conſutitiis aut roſtratis, ſellis, frænis, pectoralibus & calcaribus deauratis, non utantur. In ſacerdotio vel in perſonatibus conſtituti, cappas manicatas non gerant, nec corrigias auri vel argenti ornatum habentes, nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Nec ad partes longinquas aliqua ratione ſecedant, etiam cauſa peregrinationis, vel ſtudendi, niſi de noſtra licentia ſpeciali.

### XXXIV. *Ne aliquis clericus dictet, ſcribat, aut proferat litteras pro vindicta ſanguinis.*

Nullus clericus ſententiam ſanguinis dictet aut proferat, aut vindictam ſanguinis exerceat, aut ubi exerceatur interſit. Nec quiſquam clericus litteras dictet aut ſcribat pro vindicta ſanguinis deſtinandas.

### XXXV. *Ne beneficiati ſint advocati pro pretio: & ne loco laicorum curiam teneant: & ne ſint chirurgici.*

Clerici ſeu beneficiati, ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, non ſint advocati pro pretio ſeu in fraude pretii in curia laicali, nec loco laicorum curiam teneant, niſi de conſenſu epiſcopi, nec balliviis eorum licitis præficiantur, nec ullam partem chirurgiæ ſubdiaconus, diaconus, ſacerdos exerceant, quæ aduſtionem inducit vel inciſionem: nec quiſquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, ſeu ferri candentis, ritum cujuſlibet benedictionis aut conſecrationis impendat.

### XXXVI. *Quibus temporibus vel diebus non liceat jurare ſuper ſacroſancta evangelia.*

Decrevit ſancta ſynodus, ut a Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ, & ab Adventu uſque ad octavas Epiphaniæ, necnon & in jejuniis quatuor temporum, vigiliis & Litaniis majoribus, & in diebus Dominicis & in diebus Rogationum, niſi de concordia & pacificatione, nullus ſuper ſancta evangelia jurare præſumat. Et in his diebus non debent ſacerdotes laicis reliquias exhibere.

### XXXVII. *Item de vita & honeſtate clericorum, & ne habeant concubinas.*

Continenter & caſte vivere ſtudeant univerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti, ab omni vitio libidinis præcaventes, maxime ab illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, ut in conſpectu Dei puro corde", & mundo corde valeant miniſtrare. Quocirca diſtrictius inhibemus, ut nullus in ſacris ordinibus conſtitutus, aliqua occaſione teneat in domo ſua vel alibi mulierem, vel perſonam aliquam, de qua mala ſuſpicio poſſit oriri, unde populus ſcandalizetur. Qui autem poſt ſententiam domini Gallonis inde latam, & admonitionem legitimam, focarias, vel mulieres alias cum ſcandalo tenuerit, ſciat ſe ſententia excommunicationis ligatum. Et qui in excommunicatione illa præſumpſerit celebrare Divina, irregularis effectus, non ſine diſpenſatione poteſt amodo celebrare.

(margin: al. ſ. corpore)

### XXXVIII. *Ne filii ſacerdotum ipſis miniſtrent in eccleſia circa altare, & ne in eorum domibus commorentur.*

ANNO CHRISTI circiter 1300.

Prohibetur ſacerdotibus, ne proles eorum, quam in ſacro ordine genuerint, propter ſcandalum, eis in eccleſiaſticis officiis aſſiſtat vel miniſtret, vel ne in eorum domibus commorentur. Et ne in domibus ſuis habeant alcas vel decios prohibemus.

### XXXIX. *Ne laici publice teneant concubinas.*

Prohibeant ſacerdotes, ne laici publice teneant concubinas, & qui poſt admonitionem tertiam tenuerit, tam ipſe quam ipſa ab ingreſſu eccleſiæ arceantur: & ſi perſeveraverint, gravius ſunt puniendi.

### XL. *Ne antiquæ reliquiæ extra capſam exponantur venales.*

Item in concilio eſt ſtatutum, quod antiquæ reliquiæ amodo extra capſam nullatenus oſtendantur, nec venales exponantur. Inventas autem de novo nemo publice venerari præſumat, niſi prius authoritate Romani pontificis fuerint approbatæ.

(margin: Later. IV. c. 61.)

### XLI. *Ut nullus recipiatur ad prædicandum ſine litteris epiſcopi.*

Nullus recipiatur ad prædicandum, niſi fuerit ad hoc ab epiſcopo deſtinatus. Quæſtores quoque eleemoſynarum tantum ea dicant populo, quæ in litteris domini Papæ vel epiſcopi continentur. Qui ſi alia propoſuerint, ſtatim a ſacerdotibus eis ſilentium imponatur. Sacerdos tamen loci populum ſibi commiſſum diligenter inducat ad erogandas eleemoſynas, pietatis intuitu, non animo extorquendi.

### XLII. *Item ne nullus recipiatur ad quærendas eleemoſynas ſine litteris epiſcopi.*

Nullus recipiatur ad quærendas eleemoſynas in eccleſia ſine litteris epiſcopi, vel ejus certo mandato: niſi fuerit parochianus eccleſiæ, vel de vicinia notus.

### XLIII. *Ut nullus faciat patronis juramentum, antequam ſit receptus ab epiſcopo.*

Nullus clericus patronis faciat juramentum, antequam epiſcopo ſit præſentatus & receptus. Epiſcopus autem receptum faciat jurare, quod ad patronos accedet, ut debitum faciat juramentum.

### XLIV. *De reſignationibus, ne fiant niſi in manu epiſcopi.*

Sed ne reſignationes fiant in manus abbatum, vel quorumlibet patronorum, ſed in manus epiſcopi tantum, diſtrictius inhibetur. Omnia beneficia collata ſede vacante Bajocenſi, & poſt promotionem noſtram, ſi nobis non fuerint præſentata, in manu noſtra capimus, & per manus decanorum volumus & præcipimus detineri.

### XLV. *Ne ornamenta eccleſiæ pignori obligentur.*

Statuitur quod ornamenta eccleſiæ non obligentur, niſi de conſenſu epiſcopi".

(margin: " Additum alia manu: & conſilio parochi.)

### XLVI. *Ut laici filios ſuos inſtrui faciant.*

Sacerdotes frequenter moneant parochianos ſuos,



ANNO CHRISTI circiter 1300.

ſuos, ut filios ſuos clericos faciant diligenter inſtrui, & attentius ſcholas frequentare: quia illiterati non ſunt ad eccleſiaſtica beneficia admittendi.

### XLVII. *Ne eccleſia patrono ſervagium faciat.*

Prohibetur diſtricte, ne aliqua eccleſia ſervagium " domino terræ, vel aliquid tale conferre præſumat, donec habeat ſui epiſcopi ſuper hoc conſilium, ut ejus authoritate fiat quod fuerit faciendum.

(margin: " al. corvagiu)

### XLVIII. *De firmatione eccleſiarum.*

Nullus ad firmam tradat eccleſiam ſuam aliquo modo alicui, ſed nec ullus recipere præſumat ſine noſtra licentia vel mandato, diſtrictius inhibemus.

### XLIX. *Item de eadem.*

Nullus ad firmam recipiat vel tradat alicui eccleſiam ſuam ad deſerviendam pro ſe, niſi licentia epiſcopi ſpeciali. Et nullus habere præſumat capellanum ad deſerviendum ſecum in eccleſia ſua, qui non fuerit de ordinatione eccleſiæ Bajocenſis, niſi de licentia epiſcopi ſpeciali.

### L. *Item ut non recipiant eccleſiam ad firmam, niſi habeant perpetuam vicariam.*

Nullus ſacerdos curam animarum habens, eccleſiam ad firmam recipiat, niſi in eccleſia ſua perpetuum vicarium habeat. Et tunc illam non recipiat ſine licentia noſtra ſpeciali. Ceteris autem curam animarum habentibus hoc firmiter prohibemus.

### LI. *De liberatione perſonarum & rerum eccleſiaſticarum.*

Præcipitur ſacerdotibus, ut cum homo vel res eccleſiæ detinetur, moneant detentorem ut reddat vel recredat: & ſacerdos vel decanus cautionem recipiat, non detentor, & coram epiſcopo vel officiali partibus aſſignet terminum competentem. Si autem reddere, vel recredere noluerit, & de detentione conſtiterit, competenti monitione præmiſſa, excommunicetur detentor: locum autem in quo res eccleſiæ detinentur, interdicto ſupponat, ſi locus eſt de dominio detentoris.

### LII. *Ut condonati ſignum portent apertum.*

Statuitur quod condonati cujuſlibet domus religioſæ aliquod ſignum in eminenti loco portent ad arbitrium epiſcopi, & religioni congruentia indumenta, ut per hæc diſtinguatur ab aliis, & ſicut religioſi ab eccleſia defendantur: & ad hoc faciendum per ſuos presbyteros compellantur.

### LIII. *Ut nullus de manu laicali decimam recipiat.*

Nullus laicus, vel clericus, vel religioſa perſona, recipiat decimam de manu laicali, niſi per epiſcopum.

### LIV. *Ne quis intret poſſeſſionem decimæ ſibi collatæ a laico.*

Nullus clericus vel religioſus intret poſſeſſionem decimæ ſibi collatæ a laico, vel eccleſiæ occaſione juris patronatus ſibi a laico collati, vel aliter acquiſiti.



### LV. *Ut nullus portet magnum cultellum cum cuſpide.*

ANNO CHRISTI circiter 1300.

Diſtricte præcipitur ne ſacerdotes magnum cultellum portent cum cuſpide, nec clerici, ſacerdotes, vel alii in ſacris ordinibus conſtituti, niſi juſti cauſa timoris.

### LVI. *Ne laici faciant teſtamenta in abſentia ſacerdotis.*

Sacerdotes frequenter prohibeant laicis, ne teſtamenta ſua faciant ſine præſentia ſacerdotis, niſi in neceſſitate.

### LVII. *De morte inteſtatorum, ut ſtatim nuncietur epiſcopo, officiali, vel decano.*

Volumus & præcipimus, quod ſi aliquis ſacerdos aliquem mori novit inteſtatum, quod hoc ſtatim quam cito poterit, nobis, vel officiali noſtro, vel ſaltem decano loci, nunciare procuret; & hoc ſub pœna ſuſpenſionis dignum duximus omnibus intimandum.

### LVIII. *Ut immobilia de bonis eccleſiæ acquiſita, illis eccleſiis legentur.*

Præcipitur ſacerdotibus ut immobilia de bonis eccleſiæ acquiſita, tantummodo ſuis legent eccleſiis, de jure enim aliud facere non poſſunt: de mobilibus autem ſacerdotes rationabile poſſunt facere teſtamentum. Domus autem utenſilia ſucceſſoribus ſuis relinquantur, ſaltem quod eis ſufficiat competenter.

### LIX. *De citationibus & excommunicationibus faciendis.*

Super citationibus factis à curia noſtra, & excommunicationibus ferendis vel abſolutionibus faciendis, non credatur ſine litteris epiſcopi. Quin presbyteri ſententias audacter denuncient, latas diſtricte ſervent, nec amore parcentes alicui, nec timore. Nullus, quacumque ex cauſa excommunicatus, etiamſi cum adverſario compoſuerit, pro abſoluto habeatur; niſi per litteras excommunicatoris vel ſuperioris.

### LX. *De officio decanorum.*

Cum aliquid mandabitur decanis, ſi alias commode certificare curiam non poterunt, apponant ſigilla ſua litteris curiæ, in ſignum quod mandatum curiæ executioni demandarunt.

### LXI. *Qualiter abſolvendi ſunt excommunicati.*

Quando aliquis eſt excommunicatus, abſolvendus eſt ſolenniter cum pſalmo pœnitentiali, ſcilicet Miſerere mei Deus, & cum oratione devota, & cum gravitate eſt abſolutio impendenda. Et tunc ſuper hæc pars adverſa certificetur.

### LXII. *Qui ſint ex facto excommunicati.*

Sciendum etiam, quod excommunicati ſunt ipſo facto qui in clericos, vel quoſcumque religioſos, injiciunt manus violentas, & incendiarii cœmeteriorum eccleſiarum, & qui litteras domini Papæ falſat, vel ad hoc aliquod adminiculum præſtat, vel etiam falſatas penes ſe ultra quindecim dies ſervat, vel etiam falſis utitur etiam ignoranter, ſi craſſa ſit ejus ignorantia & ſupina.

### LXIII. *Quod excommunicentur ſortilegia facientes.*

Excommunicamus ſortilegia de ſacramentis eccleſiæ facientes: & qui malitioſe procuraverunt

ANNO CHRISTI circiter 1300.

abortivum, ex quo ſententiam excommunicationis propter hoc latam audierint: & qui ad conjungendum vel disjungendum falſa matrimonia, vel ad exeredendum aliquem, ſcienter deponent teſtimonium falſitatis. Et tales ſunt per epiſcopum, vel ejus pœnitentiarium abſolvendi. Has autem ſententias in ſuis eccleſiis frequenter denuncient ſacerdotes.

LXIV. *Quod excommunicati a domino Papa, a quolibet ſacerdote in neceſſitate poſſunt abſolvi.*

Sciendum quod excommunicatus a domino Papa, a quolibet ſacerdote abſolvi poteſt in articulo mortis: ſatisfactione præmiſſa, ſi pro oſtenſa vel pro ſoluto prius judicato, ſi pro re judicata excommunicatione fuerit innodatus (ſi tamen de hoc habuit facultatem) recepto prius juramento, quod quam cito habuerit opportunitatem, excommunicatoris ſui adibit præſentiam, mandato ipſius pariturus. Si autem infirmus vel offenſam emendare non poterit, vel ſolvere judicatum: inducendus eſt hæres ut hoc faciat, non tamen eſt per pœnitentiarium compellendus.

LXV. *Ut de omnibus in extremis abſolvatur.*

Pium videtur & tutum, ut quilibet ſacerdos infirmum in extremis laborantem abſolvat de omnibus, de quibus abſolvere eum poteſt.

LXVI. *De obſervantia jejuniorum.*

Sacerdotes præcipiant omnibus ætatem habentibus inſtituta jejunia obſervare, ut jejunium Quadrageſimale, quatuor temporum, vigiliis Natalis Domini, & Aſſumptionis B. Mariæ, beati Joannis Baptiſtæ, apoſtolorum Petri & Pauli, beati Matthæi, Simonis & Judæ, beati Andreæ, beati Laurentii martyris, omnium Sanctorum. Jejunium in majori Litania, ſcilicet in feſto beati Marci evangeliſtæ, in diebus Rogationum. Si qua de vigiliis prætaxatis die Dominica evenerit, indicendum eſt jejunium ſabbato præcedente.

LXVII. *De ſolemnitatibus faciendis.*

Pronunciandum eſt laicis, ut ſciant feriandam per annum omnem Dominicam. Feriandi autem per annum iſti ſunt dies, Natale Domini, * S. Joannis evangeliſtæ, Innocentium, S. Silveſtri, octavæ Domini, Epiphania, Nativitas S. Mariæ, Annunciatio, Purificatio, & Aſſumptio ipſius, & Conceptio, dies Paraſceve cum omni reverentia & honore, ſanctum Paſcha, cum duobus diebus ſequentibus ad minus, Aſcenſio Domini, Inventio ſanctæ Crucis, ſancti dies Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſtæ Nativitas & Decollatio, duodecim Apoſtolorum, & maxime Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Philippi & Jacobi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, qui ſua prædicatione Mundum illuminaverunt, S. Laurentii, S. Michaelis archangeli, Dedicatio cujuſlibet oratorii, & omnium Sanctorum, & S. Martini, & S. Mariæ Magdalenæ. Et illæ feſtivitates, quas ſinguli presbyteri in ſuis parochiis ab antiquo collaudaverunt cum populo, quæ vicinis tantum commorantibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus. Reliquas autem feſtivitates per annum cogendi non ſunt ad feriandum, ſed monendi ut morem antiquorum obſervent.

* Deeſt S. Stephani.

LXVIII. *In quo gradu poſſunt matrimonia copulari.*

Sciendum eſt quod in quinto gradu conſanguinitatis & affinitatis, & ſupra, poſſunt modo licite matrimonia copulari.

LXIX. *Quomodo fiant ſponſalia.*

Prohibemus ſub pœna excommunicationis & magnæ emendæ, ne aliquæ perſonæ conſentiant matrimonialiter per verba de præſenti, donec ſint ante fores eccleſiæ, quando nuptialis benedictio debet celebrari: poſſunt tamen fidem dare inter ſe matrimonio contrahendo, ſi ſancta eccleſia id poterit ſuſtinere. Et hoc tamen non fiat ſine præſentia ſacerdotis, vel alicujus clerici ad hoc ſpecialiter ab ipſo miſſi.

LXX. *De termino nuptiarum, ad inquirendum de conſanguinitate & affinitate.*

Volumus autem quod terminus nuptiarum prætaxatus tantum contineat temporis intervallum, quod intra ſe habeat tres dies Dominicos, vel feſtivos & ſolemnes a ſe invicem diſtantes, in quibus, quaſi tribus edictis perquirant ſacerdotes, & populo ſub pœna excommunicationis de legitimitate ſponſi & ſponſæ, qui debent conjungi, utrum ſit inter eos conſanguinitas vel affinitas, vel aliud impedimentum matrimonii. Quod ſi fuerit propoſitum, ad epiſcopum vel officialem quæſtio referatur.

LXXI. *De prohibitione clandeſtini conjugii, & de pœna eorumdem.*

Clandeſtina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne aliquis ſacerdos talibus intereſſe præſumat: ſtatuentes, ut cum matrimonia contrahenda fuerint in eccleſiis, presbyteri publice proponant competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, legitimum impedimentum apponat. Et etiam tunc ipſi presbyteri nihilominus inveſtigent utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus impediatur expreſſe, donec, quid fieri debeat ſuper eo, manifeſtis conſtiterit documentis. Si quis vero hujuſmodi clandeſtina conjugia inire præſumpſerit in gradu prohibito, etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta, illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium. Cum autem taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores videantur, pari modo proles illegitima cenſeatur. Si vero ambo parentes legitimum impedimentum ſcientes, præter omne interdictum in conſpectu eccleſiæ etiam contrahere præſumpſerint: ſane parochialis ſacerdos qui tales conjunctiones prohibere contempſerit; aut quilibet alius etiam regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur, gravius puniendus, ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Sed & huic qui taliter copulari præſumpſerit, etiam in gradu conceſſo, cum * digna pœnitentia conjungatur. Si quis ad impediendam legitimam copulam malitioſum impedimentum objecerit, eccleſiaſticam non effugiet ultionem.

* Corr. non digna pœnit. injungatur.

LXXII. *Ut in nuptiis ſortilegi excommunicentur.*

Semper prohibeantur ſub pœna excommunicationis in nuptiis ſortilegia fieri. Si autem in computationem graduum aliqua dubitatio emerſerit, in hoc definitio epiſcopi requiratur. Nec aliquis ſacerdos in caſu dubio audeat perficere matrimonium epiſcopo inconſulto: ſed ad epiſcopum referat quæcumque emerſerit ſuper matrimoniis quæſtiones.

LXXIII.



ANNO CHRISTI circiter 1300.

LXXIII. *Ne alter conjugum tranſeat ad religionem, niſi per epiſcopum.*

Prohibeant ſacerdotes ſub excommunicatione publice in eccleſia, ne alter conjugum ad religionem tranſeat aut recipiatur, niſi per epiſcopum.

LXXIV. *Ut moneatur populus inungi quotiens neceſſe fuerit.*

Ad ſacramentum extremæ unctionis moneant ſæpe ſacerdotes populum, non tantum divites, ſed etiam pauperes, & omnes, maxime a XVI. annis & ſupra. Et omnibus communiter, cum fuerit neceſſe, exhibeant ſe paratos, ſanctum oleum ad eos cum magna reverentia & honore deferentes. Doceant ſæpe ſacerdotes populum, hoc ſacramentum licite poſſe iterari, & ſæpe recipi in qualibet magna infirmitate, unde mortis eſt metus, & poſt receptum reverti licite ad opus conjugale.

LXXV. *Ut medici primo faciant advocari medicos animarum.*

Can. IV. c. 22.

Statutum eſt in concilio & diſtricte injunctum medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, ut medicos advocent animarum: ut poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur. Ceterum autem cum anima multo ſit pretioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibetur, ne quis medicorum pro corporali ſalute, aliquid ægro ſuadeat, quod in periculum animæ illius convertatur.

LXXVI. *Ut ſinguli ſacerdotes habeant calices in quibus communicent infirmi.*

Singuli ſacerdotes ſingulos habeant calices, in quibus communicent infirmi, qui decori ſint & mundi, ut in eis infirmorum devotio excitetur. Nec permittantur diaconi deferre infirmis ſanctum corpus Dei, niſi in neceſſitate, cum ſacerdos fuerit abſens, vel infirmus: ſed ſemper cum magna reverentia & maturitate idem deferat in pyxide idonea bene clauſa, propter caſum, & in eundo ad infirmum & redeundo, ſi tanta fuerit via, pſalmos pœnitentiales dicat, & litaniam. Frequenter moneantur laici, & etiam pueri, ut ſi viderint deferri ſanctum corpus Chriſti, ſtatim flectant genua ſua Domino & creatori ſuo, & junctis manibus, quouſque tranſierit, orent.

LXXVII. *Quomodo exhibendum ſit corpus Chriſti infirmis debilitatis.*

Si quid de corpore Chriſti in ore infirmi remanſerit, vel inde exierit, quod ab eo recipi non poſſit, aliquam formam habens: ab ipſo ſacerdote convenienter debet ſumi; vel comminutum in calice cum modico vini, alicui habenti bonam conſcientiam dari. Si autem infirmus adeo fuerit arctatus, quod ſub magna forma corpus Domini recipere non poſſit, ſub minima ei detur in calice comminutum, & cum modico vini in ore infirmi inſtilletur: & maxime ſi ſine ſcandalo aliter fieri non poſſit, ne infirmus abire ſine viatico videatur.

LXXVIII. *Ne infirmis pœnitentia injungatur, ſed quando convaluerint.*

Ab infirmis & in mortis periculo conſtitutis pura eſt inquerenda peccatorum confeſſio, non pœnitentia injungenda. Eis tamen eſt intimandum, ut conterantur & doleant de peccatis ſuis univerſis & ſingulis, non tantum timore pœnæ quam peccando meruerunt, ſed quia Deum patrem & redemptorem ſuum offendere præſumpſerint, acerbitates ægritudinis quaſi flagella pii patris, quamdiu placuerit, cum gaudio ſuſtinentes. Si autem convaluerint, ſtatim ad ſacerdotem accedere debent, & tunc eis pœnitentia competens injungatur.

LXXIX. *Ut eccleſiaſtica ſacramenta libere exhibeantur.*

In concilio prohibetur, ne quis ſacerdos pro benedictionibus nubentium, exequiis mortuorum, & aliis ſacramentis, pecuniam extorquere præſumat, aut plegios exigat, aut propter hoc fictitia impedimenta opponat. Debent tamen a parochianis quibus impenſa ſunt ſacramenta piæ conſuetudines obſervari, & libere ſacramenta eccleſiaſtica conferri. Et ſunt per epiſcopum compeſcendi, qui laudabilem conſuetudinem malitioſe nituntur immutare. Et ideo inhibetur, ne ſacerdos aliis in caſibus, hujuſmodi audeat jus ſibi dicere, ſed apud ſuperiorem querelam deponat.

Can. III. c. 7.

LXXX. *De confeſſione ſemel in anno facienda.*

Doceatur maxime ante Quadrageſimam omnis utriuſque ſexus fidelis, quod poſtquam ad annos diſcretionis venerit, omnia ſua fideliter confiteatur peccata, ſaltem ſemel in anno, proprio ſacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſuis ſtudeat adimplere. Diligenter autem & attente moneantur non minus univerſi, ut quotiens crediderint ſe incidiſſe in mortale, totiens confiteantur ſine mora. Si quis autem alieno ſacerdoti juſta de cauſa voluerit ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio ſacerdote, cum aliter illum non poſſit ſolvere vel ligare. Sacerdos autem ſit cautus & diſcretus, ut more periti medici ſuperfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati. Caveat autem ſacerdos omnino, ne verbo, aut ſigno, aut aliquo modo quovis, prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione caute requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum revelare præſumpſerit, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decrevimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.

LXXXI. *De loco & modo confeſſoris confeſſiones audientis.*

Ad audiendam confeſſionem, eminentem locum ſibi eligant ſacerdotes, ut communiter poſſit videri: & in locis abditis extra eccleſiam nullus recipiat confeſſionem, niſi in neceſſitate. In confeſſione habeat ſacerdos vultum humilem & oculos in terram, nec indiſcrete vel frequentius faciem reſpiciat confitentis, maxime mulieris; & patienter audiat quæ dixerit, in ſpiritu lenitatis, & ei pro poſſe ſuo pluribus modis perſuadeat ut confiteatur integre, nude, vere, aliter dicat ei non valere.

LXXXII. *Ne inquirant nomina perſonarum, ſed tantum circumſtantias.*

In confeſſione ſibi caveant ſacerdotes ne inquirant nomina perſonarum, cum quibus peccaverunt con-

confitentes, ſed circumſtantias tantum quæ poſſunt aggravare peccatum.

LXXXIII. *Ne ſacerdotes injungant Miſſas confitentibus.*

Conſulimus & monemus, ne ſacerdos injungat Miſſas confitentibus, ſed ut cupiditatis vitium fugiat in hac parte, fructum qui ex tali injunctione ſolet ſacerdotibus convenire, cenſeant pauperibus erogari. Et ſi forte aliquando injunxerint, non recipiant ipſi denarios: ſed pœnitentibus injungant, ut ſacerdotibus diſtribuant quibus viderint expedire.

LXXXIV. *De inveſtigatione peccatorum, & quæ pœnitentia injungenda.*

Quia per experientiam certam didicimus, pro fornicatione, vel etiam peccatis majoribus, fore nullam, vel minimam pœnitentiam pœnitentibus injungi a ſacerdotibus ignorantibus, ſeu negligentibus canonica inſtituta: præcipimus, quod ſacerdotes ſtudeant inquirere diligenter & peccata uſitata, & uſitatas circumſtantias peccatorum, maxime gulæ, luxuriæ, & cupiditatis, quibus genus humanum corrumpitur & fœdatur. Vitium autem gulæ in exceſſu circa potum & cibum oſtenditur, quod maxime fit in quinque. Inquiratur igitur pœnitens, utrum aliquando exceſſum fecerit, quærendo cibos nimis ſumptuoſos, & nimium delicatos: ſicut dives in evangelio, qui epulabatur quotidie ſplendide, & Judæi qui carnes in deſerto cupierunt. Item utrum peccaverit in nimia ciborum etiam vilium ſumptione, ſicut Sodomitæ, quorum peccatum fuit abundantia panis. Item utrum peccaverit ſumendo cibum cum nimia aviditate, ſicut Eſau; vel cum nimio apparatu, ſicut filii Heli; ſive ante horam, ut Jonathas. Quod qui fecerit, moneatur a talibus abſtinere, & curare contraria contrariis ſtudeat diligenter. Hi ſiquidem ſunt ſatellites Nabuzardan, qui interpretatur princeps coquorum, qui Hieruſalem, id eſt fidelem animam, funditus deſtruxerunt.

LXXXV. *Ut omnes a crapula & ebrietate ſe abſtineant.*

A crapula & ebrietate omnes, clerici maxime, diligenter abſtineant, & vinum ſibi temperent & ſe vino: nec ab bibendum quempiam incitent; nec quiſquam ſe obliget ad potus æquales: cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi commonitus a ſuperiore ſatisfecerit competenter, a beneficio vel officio ſuſpendatur.

LXXXVI. *Ut præcipiant tabernariis, ne in locis circumjacentibus congregentur.*

Ex hoc idem præcipiant populo ſacerdotes, firmiter injungentes dominis tabernarum vel cuſtodientibus tabernas, ne in domibus ſuis vel in locis circumadjacentibus, cum parochianis ſuis cauſa potationis ſuſtineant conventicula congregari: oſtendentes eis quod talis potatio innumerabilium eſt occaſio peccatorum. Si autem tertio admoniti, huic ſalubri ſtatuto acquieſcere noluerint: tam ipſe quam familia ejus, ab ingreſſu eccleſiæ arceantur.

LXXXVII. *Qui mittendi ſint ad papam, & qui ad epiſcopum.*

Inceſtum faciens, corrumpens, aut homicida,
Sacrilegus, patrum percuſſor, cum ſodomita,
Clerum percutiens, Romam petit. Excipiuntur
Neſcius, erudiens, leviterque jocans, minor ætas,
Janitor officii prætextu forte repellens,
Adjunctus cum perſonis feriens coeuntes.
Femineus ſexus, clauſtralis, & ægra ſenectus;
Pontificem quæras: papam, ſi miſeris ignem,
Si percuſſiſti clerum, ſimonita fuiſti,
Si male de bulla papæ tractaveris ulla.

LXXXVIII. *Ne Prior ultra ſummam centum ſolidorum mutuo recipiat.*

Statuimus & præcipimus ut prior non conventualis, ultra ſummam centum ſolidorum Turonenſium, ab aliquo, ſine licentia abbatis ſui, vel noſtra, ſi remotus fuerit abbas, mutuo pecuniam non accipiat. Quod ſi forte fecerit, abjiciatur a prioratu, nec prioratum denuo valeat adipiſci, quouſque per nos vel per provinciale concilium fuerit reſtitutus: niſi forte prioratus ita abundet in redditibus, quod priori ultra dictam ſummam pecuniæ accipere mutuo ſit neceſſe. Et ex tunc ultra ſummam centum ſolidorum Turonenſium accipere non præſumat. Eidem pœnæ ſubjaceat prior, qui quantulamcumque ſummam pecuniæ mutuo acceperit a Judæo. Abbas autem qui ſine licentia noſtra a Judeo pecuniam mutuo acceperit, ſuſpendatur.

LXXXIX. *De computatione obedientiariorum.*

Statuimus ut abbates, priores, & alii obedientiarii, de ſingulis proventibus & redditibus & expenſis, ſingulis annis diligenter computent in capitulo ter vel quater in anno ad minus, ut ſtatus tam abbatiarum, quam prioratuum, a clauſtralibus cognoſcatur. Et compotus redigatur in ſcriptis; ita quod conventus penes ſe retineat unum, & abbas unum, & ballivus domus tertium.

XC. *Ne abbas mutuo accipiat pecuniam ultra ſummam ſibi taxatam.*

Nullus abbas mutuo accipiat pecuniam, ſine capituli ſui vel majoris & ſanioris partis licentia, ultra ſummam a nobis taxatam & expreſſam in ordinatione, quam tradidimus cuilibet monaſterio in noſtra diœceſi conſtituto.

XCI. *Ut ſtatuta ſerventur, & ut nullus religioſus fidejubeat ultra ſummam x. librarum.*

Præter hæc diſtricte præcipimus, quod omnia ſtatuta quæ in ordinatione ſummi pontificis de ſtatu regularium edita continentur, diligentius obſerventur. Qui vero contra hoc feciſſe, tempore viſitationis epiſcopi, invenietur, ſciat ſe graviſſime puniendum. Item ſtatuimus quod nullus abbas, prior, vel monachus, fidejubeat ultra ſummam decem librarum Turonenſium, ſine mea licentia ſpeciali.

XCII. *De ſtatutis monialium.*

Propter ſcandala quæ ex monialium converſatione proveniunt, ſtatuimus de monialibus nigris, ne aliquod depoſitum recipiant in domibus ſuis, maxime arcas clericorum, vel etiam laicorum, vel cauſa cuſtodiæ apud ſe minime deponi præſumant.

Pueri



Pueri & puellæ qui ibidem ſolent nutriri & inſtrui, penitus expellantur. Et omnes ſimul comedant in refectorio, & in dormitorio ſolitarie dormiant, & omnes ſimul comedant. Cameræ autem monialium omnes deſtruantur, niſi aliqua per inſpectionem noſtram neceſſaria retineatur, ad infirmariam faciendam, vel alia de cauſa, quæ nobis juſta & neceſſaria videatur. Item moniales nullatenus exire permittantur, & extra pernoctare, niſi forte ex cauſa magna & raro. Et abbatiſſis injungimus, ne aliter permittant egredi moniales. Et ſi aliquando abbatiſſa ex juſta cauſa aliter permittat, eidem injungat quod ſine mora revertatur, & det ei ſociam, non ad voluntatem ſuam, ſed quam viderit expedire. Item oſtia ſuſpecta & ſuperflua obſtruantur. Circa hæc autem diligentiam adhibeant & curam, per ſe & per miniſtros ſuos, & vitas & converſationes ipſarum taliter reſtringant, quod per earum diligentiam ſcandala quæ de eis juſte proveniunt, ſopiantur.

XCIII. *De reſtauratione prioratuum, & ne qui cenſum vel penſionem exigant.*

Statuimus ut in locis ſive prioratibus, ubi congregatio conventualis ſolet eſſe, ſi facultates ipſius eccleſiæ ſuppetant, conventus reſtauretur ibidem. Et monemus abbates & priores conventuales, quod tot ſervitores in abbatiis & prioratibus ſibi ſubditis inſtituant (ſi ad hoc facultates locorum ſufficiant) quot ibi ſolent deſervire. Statuimus & ne qui penſionem vel cenſum exigant, niſi quam exigere ſolent & recipere ab antiquo: niſi forte alicui ex juſta cauſa permittatur. Nemo privatas vel adulterinas penſiones de eccleſiis vel eccleſiaſticis beneficiis ſolvere deinceps vel recipere præſumat. Quod qui fecerit, omni eccleſiaſtico beneficio privatus, excommunicationi ſubjacebit.

XCIV. *Ne fiant excommunicationes generales.*

Statuimus ut omnes nobis ſubjecti, tam ordinarii, quam ab ordinario delegati, temperent ſe & refrænent a generalibus excommunicationibus: ne in generali participantes excommunicent, niſi communicaverint in crimine delinquendo.

XCV. *Ne decanus cognoſcat cauſas matrimoniales.*

Prohibemus diſtricte, ne decanus ſive monachus, vel quicumque alius, cognoſcat de cauſis matrimonialibus: donec ſuper his privilegium ſedis apoſtolicæ, vel auctoritatem ſe habere probaverit, quod ab antiquo ſic fuerit conſuetum. Sed cum in eorum auditorio talis quæſtio devenerit: eam nobis vel officiali noſtro ſine moræ diſpendio ſtudeant nunciare, ad noſtrum examen partes in competenti termino remittentes.

XCVI. *Ne perſonæ eccleſiaſticæ de rebus eccleſiaſticis litigent coram judice ſæculari.*

Inhibemus ne monachi, vel aliæ perſonæ eccleſiaſticæ, de cauſis quæ tantum in foro eccleſiaſtico tractari conſueverunt & deberent, deponant querimoniam coram judice ſæculari: niſi a nobis habuerint ſuper hoc licentiam ſpecialem.

XCVII. *Ne emendæ propter concordiam ſumantur.*

Firmiter præcipimus, ſi partes litigantes coram nobis ſeu archidiaconis vel decanis ruralibus ſine licentia eorum componant, neutra pars prætextu alicujus conſuetudinis emendam propter hoc judici ſolvere teneatur.

XCVIII. *Ne decanatus tradatur in firmam.*

Statuimus ut decanatus ab archidiacono non vendatur, ſeu ad firmam tradatur, ſed gratis concedatur: nec hoc licebit fieri, licet gratis detur, ſine noſtra licentia ſpeciali: ita tamen quod de emendis jurati ſuperioribus reſpondebunt.

XCIX. *Ut curati ſtudeant in theologia.*

Præcipimus ut curati clerici qui habent vicarias perpetuas in ſuis eccleſiis, ſi ſint docibiles, ſtudeant principaliter in theologia, niſi juſta, & rationabili cauſa cum eis aliter duxerimus diſpenſandum: & niſi ſint in ſacris ordinibus conſtituti, ad ſacros ordines promoveantur, & in ſuis eccleſiis deſerviant in ordine ſacerdotali, ſi de eorum & vicariorum exiſterit voluntate, vel alibi in eodem ordine de noſtra licentia Domino ſtudeant deſervire.

C. *Ne cauſæ eccleſiæ tractentur in modum curiæ ſæcularis.*

Item præcipientes inhibemus ne cauſæ eccleſiaſticæ coram decanis ruralibus, vel quocumque judice, tractentur per modum curiæ ſæcularis.

CI. *Ut mortuo vicario vicaria perſonatui accreſcat.*

Statuimus quod vicario perpetuo cedente vicaria accreſcat perſonatui: & ex tunc perſonæ illius eccleſiæ non per vicarium, ſed per ſe ipſum ibi deſerviat in ordine quem ipſius eccleſiæ cura requirit.

CII. *Ut perſonæ domos ædificent in ſolo eccleſiæ.*

Præcipimus quod perſonæ eccleſiarum parochialium, qui habent redditus abundantes, domos in ſolo eccleſiæ ſtudeant ædificare competentes. Vicarii vero perpetui, quibus ad hoc omnino non ſuppetunt facultates, pro poſſe ſuo ad hoc laborent, ut a perſonis ſuis juventur, ſecundum portionem quam in eiſdem percipiunt annuatim.

CIII. *De rebus epiſcopalibus non celandis vel retinendis.*

Prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne quis de jure epiſcopali eccleſiæ Bajocenſis aliquid retinere, vel celare præſumat: & quicumque de jure epiſcopali aliquid imminuerit, vel retinuerit, vel celaverit ſcienter, ſi infra octo dies a tempore ſcientiæ hoc quod detinet nobis non reſtituerit, vel de eo non ſatisfecerit, vel nobis non revelaverit jus epiſcopale imminutum ſive retentum, ex tunc ab officio noverit ſe ſuſpenſum.

CIV. *De officio advocatorum.*

Item ſtatuimus, quod unuſquiſque advocatus juret ſe fideliter officium ſuum facturum, & quod injuſtas cauſas ſive deſperatas non ſuſtinebit, nec inſtrumenta partis adverſæ ſubtrahet, vel ſubtrahi

hi

ANNO CHRISTI circiter 1300.

bi faciet, nec exceptionibus falſis, ſeu per malitiam excogitatis, quod ſciat, utetur, nec procurabit quod falſi teſtes vel ſubornati, ſeu falſa inſtrumenta, in ſua cauſa producantur. Et quod clienticuli ſui cauſam, niſi in quantum credet quod faciat ad utilitatem clienticuli ſui, non prorogabit: & quod de his quæ in curia facta fuerint, de quibus a judice inquiſitus, veritatem non celabit ſecundum credulitatem ſuam: & quod ſi non crediderit ſe ſufficienter * defenſioni cauſæ ſuæ, cum peritioribus conſilium habebit, & libellum & acta in cauſis ſuſceptis fideliter pro poſſe ſuo conficiet manu propria, vel ea, ſi ſcribere neſcierit, vel noluerit, ſcribi faciet.

* f. ſufficientem

### CV. *Ne clerici vel monachi ſint negotiatores.*

Item ſtatuimus, ne monachi vel clerici aliqui aliquam negotiationem exerceant cauſa lucri, vel irreverenter ſe immiſceant contractibus laicorum: monachos autem eccleſias vel beneficia ad firmam retinere omnibus modis prohibemus.

### CVI. *Ne permittantur cauſæ ſeculares in loco ſancto tractari.*

Item firmiter prohibemus, ne rectores eccleſiarum permittant judices in eccleſia vel in cœmeterio cauſas illas tractare, quæ pœnam ſanguinis, vel alias corporalem inducunt, & ne ſubmonitiones vel banna laicalia ſuſtineant fieri in eiſdem.

### CVII. *Ut de vacatione eccleſiarum certificetur epiſcopus.*

Item præcipimus omnibus decanis & presbyteris nobis ſubditis, quod cum eccleſia aliqua ex ipſorum vicinia fuerit viduata rectore, vacationem, & ad quem jus pertinet patronatus, & numerum parochianorum, atque valorem eccleſiæ, quam cito hoc ſciverint, nobis ſignificare procurent, vel ſaltem propinquiori decano, & decanus hoc nobis ſtudeat nunciare.

### CVIII. *Ut ſacerdotes epiſcopo vel pœnitentiali ſuo ſemel in anno confiteantur.*

Diſtricte præcipimus, quod quilibet ſacerdos, maxime curam animarum habens, capellanus, ſeu vicarius perpetuus temporalis, nobis, vel pœnitentiariis noſtris, ſaltem ſemel in anno, ſua fideliter confiteatur peccata: cum ab alieno ſacerdote, qui curam animarum non habet, abſolvi non poſſint, & abſolutio * facta alii quam ſuo prælato, nullius noſcatur eſſe momenti. In neceſſitate tamen aliis litteratis ſacerdotibus poterunt confiteri: ſed propter hoc non omittant, quin ad nos vel penitentiarios noſtros veniant ſaltem ſemel in anno.

* Coïr. confeſſio

### CIX. *Ut ad ordines ſucceſſive accedant.*

Præcipimus omnibus clericis habentibus eccleſias, perſonatus, vicarias, ut ad ſingula tempora ordinum ſe ordinandos offerant, & in eccleſiis ſuis reſideant, niſi eis aliter facere permittatur de noſtra licentia: qui vero ab eccleſia ſua per menſem abeſſe præſumpſerit, & in ea non reſederit ut tenetur, ſciat ſe auctoritate Lateranenſis concilii eccleſia ſua privatum, & auctoritate noſtra prædictum mandatum executioni mandandum.

Later. III. c. 13.

### CX. *Ut die ante ordines veniant.*

Volumus inſuper, quod die Veneris ordines præcedente, ad nos, vel ad mandatum noſtrum accedant, ut examinari valeant & ſcribi nomina eorum; & antequam ordines recipiant, nobis vel pœnitenciario noſtro confiteantur: quia ſæpe contingit, quod pro ſimplicitate confeſſoris plures irregulares irregulariter ordinati ſunt.

### CXI. *Ne ab alio quam a proprio epiſcopo ſe faciant clerici ordinari.*

Prohibemus ne aliquis clericus diœceſis noſtræ ab alio ſe faciat ordinari, niſi licentiam a nobis ſuper hoc obtinuerit ſpecialem, nec taliter ordinati in ordine ſic ſuſcepto miniſtrare præſumant, ſine noſtra licentia vel ſententia ſpeciali.

### CXII. *De ſententia domni Galonis.*

In nomine Domini: Nos Galo miſeratione Divina ſanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, excommunicamus omnes ſacerdotes & clericos quoſcumque, qui poſt legitimam commonitionem focarias vel mulieres alias, de quibus mala ſuſpicio poſſit ſuboriri, in domibus ſuis, vel alibi, unde populus ſcandalizetur, duxerint retinendas: niſi ſint clerici, qui in minoribus ordinibus contraxiſſe probentur, qui tamen cum uxoribus non debent eccleſiaſtica beneficia retinere. Moneantur autem ne matres aut ſorores, aliaſve perſonas conjunctas ſecum habeant, cum quibus etſi nihil ſævi criminis naturale fœdus exiſtimari permittat, frequenter tamen ſuggerente diabolo noſcitur ſæpe facinus perpetratum fuiſſe.

### CXIII. *Item de eadem.*

Prohibemus etiam ſub eadem excommunicatione, ne ſacerdotes vel clerici, occaſione alicujus conſuetudinis, pro baptiſmo, ſepultura, benedictione, aliiſve ſacramentis eccleſiaſticis, aliquid exigere vel extorquere præſumant: ſed ea fideliter, & ſine difficultate ſtudeant canonice miniſtrare. Moneantur tamen laici diligenter, ne hoc quod pro reverentia ſacramentorum devotio introduxit, velint ex avaritia aliquatenus revocare. Item ne ſacerdotes de cetero utantur cappis manicatis, & ne in ſacris ordinibus conſtituti manicas conſutitias vel ſotulares roſtratos, veſteſque rubei coloris habeant, conſimili diſtrictione prohibemus*. Decanis quoque & archidiaconis, ne veſtes rubei coloris vel viridis habere præſumant, & ſpecialiter archidiaconis & præpoſitis, qui habent curam animarum, ne cappas foratas habeant manicatas; monachis etiam, ut cappis ſumptuoſis & niſi nigris de cetero non utantur, ſub eadem pœna duximus inhibendum. Inhibemus etiam omnibus tam monachis quam clericis ſub excommunicationis vinculo, ne fenus exerceant: & ne aliquam negotiationem exerceant inhoneſtam prohibeantur diſtricte. Ut autem ab omnibus in tonſura, & habitu, & converſatione, honeſtas eccleſiaſtica obſervetur: diſtricte præcipimus univerſis prælatis ſub atteſtatione Divini judicii firmiter injungentes, ut omnia prædicta obſervent, & quantum in ipſis erit, faciant monitione præmiſſa a ſubditis per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter obſervari.





ANNO CHRISTI 1300.

## DE SYNODIS DIOECESANIS

Deinceps non edendis

ADMONITIO GAB. COSSARTII.

Hactenus ſynodalia, quæ occurrerunt, ſingularium diœceſeon ſtatuta edidimus: cum & minus multa reperirentur, & ex iis mores ac diſciplinam obſcuriorum temporum intelligere liceret. Nunc ab iis ut abſtineamus, contrariæ prorſus rationes faciunt. Et vero nimia eorum eſſet moles, fructus exiguus. Hanc ipſam Bajocenſem ſynodum prope omittendam ducebam, niſi & eam a Sirmondo noſtro laudatam intellexiſſem, & tanquam exemplar ceterarum proponere viſum eſſet. Nam ceteræ, non res tantum eaſdem, ſed eadem prope habent verba. Quod ſi quid forte ſit in iis, quod ſcire ſit operæ pretium: e provincialibus, quas non negligimus, petitum eſt.

# ** CONCILIUM AUSCITANUM,

Anno Domini MCCC. celebratum.

Nunc primum prodit ex codice MS. illuſtriſſimi archiepiſcopi Remenſis coadjutoris Mauritii Caroli Tellerii.

Incipiunt conſtitutiones provinciales Auſcitaniæ provinciæ editæ ſub anno MCCC.

## TITULI CAPITULORUM.


1. *De libertate electionum.*
2. *Contra illos qui occupant bona defunctorum.*
3. *De bonis vacantium eccleſiarum.*
4. *De intruſis in beneficia curata.*
5. *De intruſis in alia beneficia.*
6. *Ut nullus patronus a præſentato per ipſum aliquid extorqueat.*
7. *Ut præſentato congrua portio aſſignetur.*
8. *De iis qui impediunt poſſeſſionem pacificam curati beneficii.*
9. *Quod ſeptennium ad ſtudia ſemel in vita concedatur eidem perſonæ in uno vel pluribus beneficiis inſtitutæ.*
10. *Ut nullus parochialem recipiat eccleſiam, non intendens ordinari.*
11. *Quod unus non occupet niſi unum officium.*
12. *De temporibus ordinandi.*
13. *De ætate requiſita in curato.*


## CAPITULA.

### I. *De libertate electionum.*

Publicamus & præcipimus obſervari, ut quicumque electionem, poſtulationem, proviſionem canonicam, beneficiorum, dignitatum, adminiſtrationum eccleſiaſticarum, impediverint patenter vel clam; ut cuncti qui per ſe vel alios gravare præſumpſerint electores in perſonis beneficiariis, vel aliis bonis ſuis eccleſiaſticis * movet ceteraque loca pia conſanguineorum, vel bona prædictorum, pro eo quod rogati, ſeu alias inducti, eum pro quo rogabantur, ſeu inducebantur, eligere ſeu præſentare noluerint, ſint ipſo facto excommunicationis vinculo innodati. Et ultra hoc, clerici vel regulares, privati omnibus eccleſiaſticis beneficiis, dignitatibus, adminiſtrationibus, ſeu prioratibus, quæ obtinent; & indigni ac inhabiles ad quævis beneficia miniſtrationes, vel honores eccleſiaſticos ulterius aſſequendos. Si laici fuerint, præter dictam excommunicationis ſententiam, ipſorum familiæ interdicto eccleſiaſtico ſint ſubjectæ: nullaque eorum poſteritas, uſque ad quartam incluſive progeniem, quodcumque beneficium eccleſiaſticum valeat obtinere. Quæ ſententiæ relaxari non poſſunt, præterquam in articulo mortis, niſi auctoritate ſedis apoſtolicæ ſpeciali. Inſuper laicorum prædictorum poſteritas uſque ad quartum gradum, ad beneficia eccleſiaſtica quælibet aſſequenda in eccleſiis civitatis diœceſis, in quibus talia perpetrarunt, ſit inhabilis & indigna.

### II. *Contra illos qui occupant bona defunctorum.*

Quæcumque capitula, conventus, collegia, & ſingulares perſonæ, eccleſiarum cathedralium, regularium, & collegiatarum vacantium, bona ipſarum occupaverint in earum diſpendium & jacturam: eo ipſo ſint & tamdiu maneant ab officio, & beneficiis quibuſcumque ſuſpenſi, donec plene reſtituerint id quod de bonis acceperint ſupradictis.

### III. *De bonis vacantium eccleſiarum.*

Epiſcopi, abbates, vel alii quicumque regulares, ſæculares prælati, ſeu perſonæ eccleſiaſticæ, qui vel quæ bona dignitatum, prioratuum, vel eccleſiarum quarumcumque vacantium, ſibi ſubjectarum, ſeu ad collationem, præſentationem, ordinationem, vel cuſtodiam particularem, quæ morientibus earum rectoribus vel miniſtris, in ipſis inventa, ſeu vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem earumdem expendi, vel futuris debent ſucceſſoribus reſervari, occupare, in ſuos uſus convertere quoquo modo præſumpſerint: ipſi epiſcopi ab ingreſſu eccleſiæ, ceteri vero ab officio & beneficio eo ipſo tamdiu ſint ſuſpenſi, donec reſtitutionem fecerint de prædictis: niſi ex cauſa rationabili hoc competere dignoſcatur: quo caſu de illis bonis intelligitur, quæ deductis debitis ac aliis oneribus ipſarum eccleſiarum, & pro ſervitoribus uſque ad novos redditus ſupportandis, ex ipſis reperta fuerint ſupereſſe.

ANNO CHRISTI 1300.

### IV. *De intruſis in beneficia curata.*

Conc. Vauren. an. 1368. c. 17.

Si quis beneficium cui cura imminet animarum vi occupaverit, ſeu ſcienter intruſerit in eodem: ipſo jure privatus exiſtat beneficio, quod cura ſimili primitus obtinebat.

### V. *De intruſis in alia beneficia.*

Alteram partem ejuſdem canonis. Vaurenſis.

Item ſi quis authoritate propria violenter dignitates præfatas, aut quæcumque alia beneficia eccleſiaſtica, occupare præſumpſerit: eo ipſo privatus exiſtat jure, ſi quod ſibi competebat primitus in iiſdem.

### VI. *Ut nullus patronus a præſentato per ipſum aliquid extorqueat.*

Quia horribile nimis eſt, ut ad noſtrum pervenit auditum, quod in quibuſdam eccleſiis noſtræ provinciæ, (in quibus complures laici in jure patronatus per eccleſiam tolerantur) dum vacatur, venalitas vendicat ſibi locum, nolentes patroni hujuſmodi, ad vacantes eccleſias quempiam præſentare, niſi ab illo quem præſentare voluerint, vel amicis ipſius, prævia ex pacto extorqueant aliquam pecuniæ quantitatem, vel emolumentum aliquod conſequantur; nos volentes ſimoniacam peſtem & vitium hujuſmodi a noſtra extirpare provincia, & ut tenemur animarum providere ſaluti, ſtatuimus, ut nullus patronus aliquem præſentet ad regimen animarum aliquo dato promiſſo, remiſſo, vel retento; vel inſtituens, eumdem ſic præſentatum ſcienter admittat, & niſi fuerit ſufficiens, & ſcientia, & moribus, & ætate & de legitimo matrimonio procreatus; vel ſecum ſuper his fuerit legitime diſpenſatum. Alioquin præſentans, cujuſcumque gradus ſeu conditionis exiſtat, ipſo facto illa vice ſit jure præſentandi privatus, & nihilominus, ſi laicus fuerit, excommunicationis vinculo irretitus. Clerici vero & religioſi patroni, præter hoc quod illa vice ſint poteſtate præſentandi privati, ſibi noverint ingreſſum eccleſiæ interdictum. A quibus ſententiis abſolvi & liberari nequeant, præterquam in mortis articulo, niſi de noſtra licentia ſpeciali, vel ſuffraganeorum noſtrorum. Præſentati vero ſic, ſcientes & conſentientes, ſint inhabiles ipſo facto ad quodlibet beneficium eccleſiaſticum obtinendum: niſi cum eiſdem per ſuperiorem ſuum fuerit miſericorditer diſpenſatum. Si vero ignoranter præſentati conſtiterint, confeſtim tamen ſciverint, beneficio obtento renuncient: cum aliter nequeant agere pœnitentiam ſalutarem. Inſtituens autem inſtitutionem, ſuper præmiſſis inquirat ſolicite veritatem. Quod ſi invenerit, prædictas ſententias, ut dictum eſt, contra delinquentes faciat publicari: & eccleſiam illa vice de perſona idonea non differat ordinare. Alioquin ſi ſuper præmiſſis repertus fuerit culpabilis vel remiſſus, in conferendis beneficiis ſuſpendetur ad tempus ſuperioris arbitrio ſtatuendum.

### VII. *Ut præſentato congrua portio aſſignetur.*

Item quod nullum præſentatum " regimen animarum per clericos, religioſos, exemptos vel non exemptos, aut laicos, admittant; niſi tantum coram eis eidem præſentato de proventibus ipſius eccleſiæ fuerit aſſignatum, unde jura epiſcopalia poſſit ſolvere, & congruam ſuſtentationem habere, ac alia incumbentia onera ſupportare, conſuetudine contraria non obſtante.

" Deeſt ad

### VIII. *De iis qui impediunt poſſeſſionem pacificam curati beneficii.*

Conc. Vaurenſ. 1368. [illegible]

Statuimus quod quicumque procurat impedimentum ſuper poſſeſſione pacifica beneficii obtinendi curati, ſive collati, vel impedimentum appoſitum repellere deſinit negligenter: ultra pœnas a jure ſcriptas, excommunicationis ſententia ſit ligatus.

### IX. *Quod ſeptennium ad ſtudia ſemel in vita concedatur eidem perſonæ in uno vel pluribus beneficiis inſtitutæ.*

Statuimus quod ſeptennium vivendo " ſolum intelligatur ab omnibus eidem poſſe concedi uni perſonæ in uno vel pluribus beneficiis per mutationem vel alias tranſmitti, niſi aliter per ſedem apoſtolicam ordinetur. Quod quidem ſeptennium intelligi volumus in hoc canone, de quo habetur mentio in conſtitutione domini Bonifacii papæ, cap. *Cum ex eo*, de electione, in libro ſexto.

" ſ. ſtudendo litteris.

### X. *Quod nullus parochialem recipiat eccleſiam, non intendens ordinari.*

Obſervari præcipimus, quod nullus parochialem recipiat eccleſiam, non intendens ad ſacerdotium promoveri, ut " & fructus ex ea percipiat per annum, quia in voluntate mutata promotus extitit, ad reſtitutionem eorumdem tenebitur. Et nihilo minus conferens, qui ipſum non credebat ad ſacerdotium promovendum, præter Divinam quam inde incurrit offenſam, remaneat ad ſervandam indemnem eccleſiam obligatus.

" ſ. quod ſi fructus ex ea perc. per ann. [illegible]

### XI. *Quod unus non occupet niſi unum officium.*

Cum ſingula officia ſingulis ſint committenda



ANNO CHRISTI 1300.

tenda perſonis, & unum officium vix valeat aliquis adimplere: obſervari præcipimus, ut nullus cujuſcumque eccleſiæ canonicus, regularis vel ſæcularis, duos perſonatus, vel duas dignitates, vel præpoſituras, ſeu adminiſtrationes, aut duo beneficia, aut unum alterum " cum reliquo inſimul & præbendam in eadem obtineat, vel jam obtentum retinere præſumat; conſuetudine aliqua, etiam juramento vallata, contraria non obſtante, cum dicenda ſit potius corruptela. Si aliqui monachi, vel religioſi alii, pluribus prioratibus, vel beneficiis eccleſiaſticis curam animarum habentibus (etiamſi cura eadem non per ipſos, ſed per presbyteros ad eorum præſentationem per epiſcopos inſtitutos ") præeſſe præſumat, abſque diſpenſatione ſedis apoſtolicæ ſpeciali; niſi forte unus ex eis ab alio dependeat, vel ad invicem ſint adnexi. Si ſecus factum eſt, ſit irritum ipſo jure: & tranſgreſſores, ſint eo ipſo ineligibiles, & tanquam ambitioſi ab utroque penitus repellantur.

" Mendoſus textus.

" Deeſt adminiſtretur.

### XII. *De temporibus ordinandi.*

Obſervari præcipimus, ut nullus epiſcopus, vel quivis alius, infanti, vel conjugato, niſi religionem intrantibus, ſeu illiterato, aut homini diœceſis alienæ, tonſuram conferat clericalem, nec ad ſacros ordines promoveat abſque eorumdem ſuperioris licentia ſpeciali. Superiorem hoc caſu intelligimus epiſcopum, de cujus diœceſi eſt oriundus tonſurandus hujuſmodi, vel etiam promovendus; vel habet, licet alibi natus fuerit, domicilium; ſeu ibi cujus diœceſis beneficium eccleſiaſticum obtinet. Tranſgreſſores hujuſmodi punientur, prout ſacris canonibus definitur.

### XIII. *De ætate requiſita in curato.*

Obſervari præcipimus, ut nullus epiſcopus minori viginti quinque annis beneficium eccleſiaſticum cum cura animarum conferat, nec ad obtinendum ipſum cum eodem diſpenſet de facto: nec etiam diſpenſet, quod qui vigeſimum annum ", dignitatem vel prioratus, quibus animarum cura imminet, valeat obtinere. Si ſecus factum fuerit, ſit irritum ipſo jure.

" Deeſt tantum habet.

G. C. De hujus concilii loco nihil comperi: de tempore difficultatem movit Labbeus noſter, aitque rejiciendum eſſe ad annum 1330. Hoc illi concedo, in eccleſia B. Mariæ de Marchiaco diœceſis Auſcitanæ, celebratum eſſe provinciale concilium, die S. Nicolai hiemalis, præſide Guillelmo archiepiſcopo: cujus titulus cum falſo præferat annum 1300. emendatius in calce legitur adſcriptus annus 1330. Sed præter iſtud concilium, hoc reperio plane diverſum, anno 1300 aſſignatum.

ANNO CHRISTI 1301.

## CONCILIUM COMPENDIENSE.

Ex MS. codice S. Genovefæ Pariſienſis.

Statuta concilii Remenſis provinciæ, anno Dom. MCCCI. facta die Mercurii ante feſtum B. Clementis.

### TITULI CAPITULORUM.


1. *Si clericus detineatur per laicalem juſtitiam.*
2. *Si clericus capiatur per laicalem juſtitiam, & extrahatur.*
3. *Ne pro exceſſibus clericorum laicalis juſtitia aliquid levet.*
4. *De conſpiratoribus quod ſi aliquis conveniatur in foro eccleſiaſtico defendent eum.*
5. *De dominis temporalibus inhibentibus, ne quis de ſuis ſubditis allum trahat in foro eccleſiaſtico.*
6. *De abbatibus.*
7. *De excomunicatis per biennium.*


## CAPITULA.

### I. *Si clericus detineatur per laicalem juſtitiam.*

IN primis igitur ſtatuimus & decernimus authoritate concilii, quod ſi in aliqua civitate, vel in aliquo loco noſtræ Remenſis provinciæ contingat quandoque clericum detineri per laicalem juſtitiam, poſtquam dictus clericus fuerit ab epiſcopo loci illius, vel ab officiali, vel decano rurali, ſeu ex parte alicujus eorum, legitime requiſitus: ceſſetur a Divinis in loco captionis & detentionis, quouſque fuerit competenter reſtitutus.

### II. *Si clericus capiatur per laicalem juſtitiam & extrahatur.*

Item ſi clericus per juſtitiam ſæcularem laicalem capiatur in aliqua diœceſi, & extrahatur ab ea, & ad aliam deducatur: ceſſetur ſimiliter a Divinis in loco ubi fuit captus, & in locis ipſius capientis per quem fuit deductus, quouſque ad dictam diœceſim fuerit readductus & ſufficienter reſtitutus.

*III. Ne pro exceſſibus clericorum laicalis juſtitia aliquid levet.*

Item cum per juſtitiam laicalem non debeant puniri exceſſus clericorum, nec ab eis levari emenda de eiſdem, cum hæc ad ſolos judices eccleſiaſticos, non ſæculares, pertinere dinoſcantur: monemus authoritate prædicta omnes & ſingulos noſtræ provinciæ, ne pro prædictis, ſeu occaſione eorumdem, levent aliquid, recipiant, vel exigant quoquo modo. Alioquin contra facientes excommunicationis ſententia authoritate prædicta innodamus.

*IV. De conſpiratoribus, quod ſi aliquis conveniatur foro eccleſiaſtico defendent eum.*

Item cum nonnulli ſcabini, rectores, gubernatores, judicatores, communitatis, locorum, ſeu territoriorum noſtræ Remenſis provinciæ, prout intelleximus, conſpirationem ſeu conjurationem fecerint, aut facere nitantur, quod ſi aliquis de ſua communitate, vel de ſuis ſubditis, ſeu de ſuo territorio, conveniatur in foro eccleſiaſtico, aut contra eum procedatur in caſu in quo poteſt de jure, ſeu de conſuetudine ibidem conveniri, quod eum ad ſumptus communes defendent, propter quod dictam juriſdictionem eccleſiaſticam non eſt dubium impediri: monemus illos omnes & ſingulos noſtræ jam dictæ provinciæ, quod ſi talia fecerint, ea revocent infra menſem, & quod de cetero a talibus ſe abſtineant, nec talia committant, & talibus non utantur: alioquin excommunicationi ſubjaceant ipſo facto.

*V. De dominis temporalibus inhibentibus ne quis de ſuis ſubditis alium trahat in foro eccleſiaſtico.*

Item cum nonnulli temporales domini, ſuis inhibeant ſubditis, ne quis eorum alium trahat in foro eccleſiaſtico, in cauſis alias a jure ſeu conſuetudine permiſſis, quinimmo quia ſic trahentes * procedunt frequenter ad contemptionem trahentis & bonorum ejuſdem amicorum trahentis, & bonorum ipſorum: nos ne talia fiant prohibentes, contra facientes excommunicationis vinculo innodamus, & denunciamus a canonibus excommunicatos.

*VI. De abbatibus qui conſpirant quod ſe communibus expenſis defendent contra epiſcopos.*

Item cum nonnulli abbates hujus provinciæ inter ſe ordinaverint, & conſpirationem fecerint, quod ſi contingat aliquem epiſcopum contra abbatem alicujus villæ procedere ſibi ſubditum, pro ſuis exceſſibus vel aliter puniendum, quod ad defenſionem ejuſdem contribuent, & ad ſumptus communes eum defendent, quod non eſt dubium fore in præjudicium juriſdictionis epiſcopi ſui, & contra juramentum ſuæ profeſſionis, per quam ſuo epiſcopo eſt aſtrictus, & contra eccleſiaſticam libertatem: monemus tales, quod hoc revocent infra menſem, & a talibus ſe abſtineant: alioquin excommunicationi ſubjaceant ipſo facto.

*VII. De excommunicatis per biennium.*

Item quod ſi excommunicati publice ſententia excommunicationis, per biennium & amplius animo perſtiterint indurato, vocentur ad proximum concilium, tanquam ſuſpecti de hæreſi: & in eodem concilio contra tales, ut juſtum fuerit, procedatur.

Quæ omnia fecimus in ſcriptura redigi, & in ipſo concilio ſolemniter promulgari: præcipientes diſtrictius, & mandantes authoritate prædicti concilii, univerſis & ſingulis provinciæ Remenſis, quatenus quæ taliter pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ, & ipſarum eccelſiarum ſtatu pacifico, duximus ordinanda, ſervent & teneant illibata.

NOTA G. COSS. S. J.

Liber MS. ex quo deſcripti ſunt hi canones, Remenſis provinciæ concilium appellat, non deſignato concilii loco: quem docemur a Meyero lib. x. annal. Flandr. ad hunc annum. *Menſe*, inquit, *Novembri, die Mercurii ante feriam divi Clementis, vacante adhuc ſede Morinenſi, coacta apud Compendium ſynodus provincialis per archiepiſcopum Remorum. Hic excommunicati abbates, quicumque conſpiraverant in ſuos epiſcopos. Fulminati item magiſtratus laici, qui non patiebantur, ut laici in foro eccleſiaſtico convenirentur. Decretum quoque, ut ubicumque a judice temporali capiatur clericus, a Divinis ceſſetur officiis.* Quæ omnia huic concilio convenire, manifeſtum eſt.



# * ** CONVENTUS PARISIENSIS

## In æde B. Mariæ, die Martis, X. Aprilis, ann. MCCCII. ſuper diſſidiis inter Bonifacium VIII. & Philippum Franc. Regem exortis.

*Ex litteris epiſcoporum ac totius cleri Galliæ ad Bonifacium pontificem, quæ in regio tabulario ſervantur, diſcimus, Philippi regis juſſu, prælatos regni, barones, abbates, ceteroſque honore aliquo eccleſiaſtico inſignes, necnon eccleſiarum urbiumque œconomos, ſyndicos, ac procuratores, Lutetiæ in æde B. Mariæ, die Martis,* 10. *Aprilis conveniſſe. Hic multis conqueſtum eſſe regem de pontifice, qui regem in temporalibus ſibi ſubjectum vellet, de regni prælatis omnibus, magiſtris in theologia, & profeſſoribus utriuſque juris, Romam evocatis, multiſque aliis, quæ a ſe minime tolerari poſſent, utpote regni ſui libertati contraria, profitebatur. Quæ cum eſſent a rege propoſita: barones, ſimul cum ſyndicis, & procuratoribus regis laudaverunt conſilium.* Itaque a nobis, *inquiunt epiſcoporum litteræ*, ſubſequenter reſponſione petita, licet longiores deliberationis inducias poſtulantes, ipſum dominum regem, & majores ea baronibus memoratis (quod non ea intentione ad eundem dominum regem apoſtolicę litterę proceſſiſſent, ut veſtrę voluntatis exiſteret in regni prędicti libertatē impingere, vel quidquam honori regio contrarium in hac parte quomodolibet innovare, multa lenitate verborum, perſuaſionibus ſtudioſis, & multiplicatis excuſationum præſidiis) niſi fuimus informare, ac ipſum ad ſervandum vinculum unionis, quod inter ſanctam Romanam eccleſiam, & prædeceſſores ſuos & ipſum, uſque ad hæc tempora viguiſſe dignoſcitur, multiplici indictione. Ulteriori tamen dilatione negata, ac prædicto patenter & publice univerſis, quod ſi quis contrariæ voluntatis appareret, ex tunc pro inimico regis, & regni; notorie habebatur: conſultius attendentes & conſpicientes apertius, quod niſi dominus rex, & barones prædicti, ex noſtra forent reſponſione contenti, præter alia pericula, & graviora ſcandala, quorum non eſſet numerus, neque finis, tam Romanæ quam Gallicanæ eccleſiæ devotio, & obedientia omnimoda laicorum, & totius populi, ex tunc irreparabiliter tollebatur: non ſine multæ perplexitatis anguſtia, ſic duximus reſpondendum: Quod ipſi domino noſtro regi in conſervatione perſonæ ſuæ, ſuorumque, & honorum, ac libertatis, & jurium dicti regni, prout quidam noſtrum qui ducatus, comitatus, baronias, feoda, & alia membra nobilia dicti regni teneamus ex forma juramenti, & ceteri, qui omni debito ſibi ſumus fidelitatis adſtricti, adeſſemus eidem debitis conſiliis, & auxiliis opportunis: eidem domino noſtro regi humiliter ſupplicantes, ut cum apoſtolicæ ſanctitati ad obedientiam teneamur, ad beatitudinis veſtræ tenorem, permitteret nos transferre. Ex parte cujus, & baronum, eſt ſecuta reſponſio: quod nos nullo modo abire permitterent: regnum ſic periculoſe, ſic deformiter, ſic irreparabiliter vacuari, quin potius exhauriri totaliter, nullatenus ſuſtinerent. Conſiderantes igitur tam vehementem commotionem, & turbationem tam periculoſam, & gravem, immo graviſſimam, regis, baronum, & aliorum laicorum regni prædicti; & jam cognoſcentes apertius, quod antiqui hoſtis pacis æmuli, zizaniæque ſatoris, qui a ſuæ ruinæ principio conatur, ut eccleſiæ unitatem pacis turbatione reſcindat, caritatem vulneret, ſanctorum dulcedinem operum invidię veneno fellis inficiat, humanumque genus evertat modis omnibus, & perturbet, faciente nequitia, amabilis fœderis unitatis, & amicitiæ ſingularis, quæ inter ſæpe dictam Romanam eccleſiam, ac præfatum dominum noſtrum regem, ac prædeceſſores ejus, & regnum, ad laudem Altiſſimi, fidei Chriſtianæ profectum, & tam eccleſiæ, quam regis, & regni, exaltationis monimenta felicia, hactenus viguerunt, diſſolutioni & ſeparationi lugubri & flebili, proh dolor! porta patet, & inſurgunt undique frementia ſcandala, excreſcunt anguſtiæ, eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis, expoliationis, ac rerum & bonorum direptionis, pericula intentantur: cum jam abhorreant laici, & prorſus effugiant conſortia clericorum, eos a ſuis omnino conſiliis & allocutionibus abdicando, ac ſi contra eos proditoriæ factionis conſcii, vel participes extitiſſent, & ad contemnendam eccleſiaſticam cenſuram, & proceſſus, ſi quavis authoritate forſan fierent contra eos, jam ſe parant & muniunt in grave periculum animarum, & alia varia & diverſa pericula, quæ nec lingua referre ſufficeret, nec poſſet ſcriptura diſſerere. Hinc in promptu ad ſanctitatis veſtræ providentiam circumſpectam in hoc ſummæ neceſſitatis articulo duximus recurrendum flebilibus vocibus, & lacrymoſis ſingultibus, paternam clementiam implorantes, vel ſupplicantes humiliter, quod ſalubre remedium in præmiſſis, per quod firmata longi decurſu temporis inter eccleſiam, regem, & regnum, fructuoſæ unionis & mutuæ dilectionis integritas, in antiquæ caritatis dulcedine conſervetur, ſtatus eccleſiæ Gallicanæ in pulchritudine pacis & quietis optatæ remaneat, proſpiciatur nobis, noſtriſque ſtatibus, revocando veſtræ vocationis edictum, ac prædictis periculis & ſcandalis obvietur, Apoſtolicæ providentiæ ſtudio, ac paternæ officio pietatis, dignemini providere. Conſervet Altiſſimus B. V. Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora longiora. Datum Pariſiis, die Martis prædicta.



# CONCILIUM ROMANUM

## Habitum anno Domini MCCCII. tempore Bonifacii papæ VIII.

*Occaſionem, & cauſam & acta habiti concilii Conradus Vecerius in vita Henrici ſeptimi imperatoris his verbis deſcribit:* Anno a Chriſto ſalvatore genito milleſimo trecenteſimo ſecundo, Francorum rex Philippus, cognomento pulcer, grave adverſum pontificem maximum Bonifacium octavum conceperat odium, tum Gibelinæ factionis ſtudioſiorem exiſtimans, tum quod fidem temere prævaricatum contenderet. Promiſiſſe enim ſibi paucis ante annis, cum alia quædam, tum de ſumma Romani imperii poteſtate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeo Carolum fratrem diſerte fuiſſe in conventis nominatum, cui id decus primum aſſignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidiſſe ad nihilum, Alberto Auſtrino Teutonico principe palam nuper decretis ejus comprobato.

Eas rex cauſas gravius ſecum conſiderans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via Bonifacii irritandi inventa. Columna gens Romæ opibus & clientelis inſignis, Octavo inter comitiorum arcana, ſuffragii jure ne eligeretur, obſtiterat. Itaque eis quoque Bonifacius per ſpeciem expilati theſauri eccleſiæ, effecerat ut ædes & ſuburbana familiæ publice diruerentur, & qui eorum cardinales jam eſſent, venerando collegio excederent. Interea Stephanus ex ea gente profugus, in Gallia agitans, idoneus Philippo viſus eſt, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter humaneque haberi, liberaliuſque quam fortuna exulantium eſt. Ad hoc Philippus, ne quid impotentiæ prætermitteret, ſacerdotales Galliarum titulos, a pontificibus antea pro decretis proque more ſanctæ matris eccleſiæ componi ſolitos, ipſe ordinare citra conſenſum præſulis Romani ſtatuit.

Quæ ubi ſummus antiſtes intelligit, graviſſime tulit injuriam, peſſimi exempli, id quod erat, exiſtimans, ſi vel anteceſſorum recte conſtituta temere reſcinderentur, vel authoritatem pontificiam laicus princeps profanaſſet. *Et paulo poſt hæc de indicta ſynodo ſubjungens ait:* Itaque quo partes ſuæ juſtiores vulgo noſcerentur, lege potius agere quam armis inſtituit. Prælatos Gallicos majores convenire Romam univerſos jubet, ad publicam ſynodum celebrandam. Hi, ne regno decederent, Philippi prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad octa-

Anno Christi 1302.

octavum Bonifacium delatis, increpatur rex primum per litteras, deinde, cum castigationem contumaciæ parvipenderet, sacrorum participatione arcetur. Neque eo minus, prælatis regni ipse Lutetiam accersitis causam quoque suam approbare nititur. *Hæc de Philippi regis excommunicatione Vetterius.*

NOTA G. COSS. S. J.

Hæc Binius e lutulento fonte sibi a Veterio propinata, imprudenter hausit. Nam sacris interdictum non esse Philippo regi in hoc concilio, docet author vitæ Bonifacii, Romæ in Vallicellana bibliotheca extans. Cujus hæc verba describit Odor. Raynald. *Anno Domini M.CCC.II, tertio Kal. Novemb. Romæ Bonifacius papa celebravit concilium . . . . contra Philippum regem Franciæ: coruscationibus multis prævisis contra regem, nulla pluvia apparuit subsecuta.* Idem habet diserte Bernardus Guidonis in Chronico, his verbis: *Anno Domini M. CCC. II, III. Kalendas Novembris, Bonifacius papa VIII. pontificatus sui anno VII. Romæ concilium celebravit, convocatis prælatis totius regni Franciæ, omnibusque doctoribus ejusdem regni, tam in theologia, quam in utroque jure, canonico & civili, contra regem Franciæ Philippum. In quo concilio verba quidem fuerunt & transierunt: sed nihil aliud notabile gestum apparuit in effectu,* Immo & id constat &c. *ut ibidem.*

# CONCILIUM APUD PENNAM FIDELEM.[a]

a Pennafiel.

## A Toletanæ provinciæ præsulibus celebratum Anno Domini M. CCC. II.

Ex Cossartii Append. Tom. XI.

Ex codice Ms. bibliothecæ Vallicellanæ.[1]

### TITULI CAPITULORUM.

1. *Quod quilibet clericus recitet horas canonicas.*
2. *Quod nullus clericus teneat concubinam publice.*
3. *Quod migrantibus . . . . .*
4. *Quod nullus sacerdos suo parochiano tradat corpus Christi, donec . . . . . .*
5. *Quod qui revelat sigillum Confessionis . . . . .*
6. *Quod quilibet episcopus provinciæ Toletanæ publicet . . . . . . clericis.*
7. *Quod decimæ solvantur de omnibus.*
8. *Quod sacerdotes, vel per se, vel per idoneos ministros, faciant hostias de farina triticea.*
9. *De usuris.*
10. *De Baptismo.*
11. *De festo sancti Ildephonsi colendo.*
12. *De salve Regina cantanda.*
13. *De immunitate ecclesiarum.*
14. *De captione ecclesiarum.*
15. *De non emendis possessionibus ecclesiasticis per certas personas.*

Concilium Domini Ægidii[a] Apud Pennam Fidelem.

a Cons. Gundisalvi Ximenii in Ms. ubi que Ægidius legitur, in jure Hardu[inus].

### PRÆFATIO.

Cum testante Isidoro, pastorale officium, subditorum curam[2] regens, eorum mores, velut speculator, prospicere debeat, atque[3] vitam: proinde nos Ægidius[b] miseratione divina Toletanæ sedis archiepiscopus, Hispaniarum primas, ac regni Castellæ cancellarius, Alvarus Palentinus, Bernardus Segobiensis, Simon Seguntinus, Joannes Oxomensis, Paschasius Conchensis, episcopi, licet immeriti ad ejusmodi assumpti officium, una cum nostrorum capitulorum procuratoribus, apud Pennam Fidelem congregati, pro subditorum commodo, animarumque salute, morum reformatione, & ecclesiarum nostrarum, inde de communi consensu salubriter duximus statuendum.

b Cons. Gundisalvus.

In primis, quia ministri Christi fulgent in ecclesia sancta Dei velut stellæ in firmamento, & in vita debent laici[c] speculari.

c fi laicis prælucere.

### CAPITULA.

#### I. *Quod quilibet clericus recitet horas canonicas.*

Statuimus & ordinamus, ut quilibet clericus in sacris ordinibus constitutus, vel alias beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, obtinens, legitimo impedimento cessante, quotidie horas canonicas recitet, ut tenetur. Si quis autem in eis negligens inventus fuerit, & monitus a suo prælato canonice, se non correxerit, per[a] subtractionem fructuum beneficii, ad tempus, prout culpæ qualitas exegerit, arceatur. Quod si beneficio caruerit, in sacris ordinibus constitutus, per suspensionis sententiam puniatur.

a C. M. sibi [illegible]

#### II. *Quod nullus clericus teneat concubinam publice.*

Item quia quorum vita despicitur, restat, ut eorum prædicatio contemnatur; non solum verbo, sed exemplo tenentur ministri Christi suos subditos informare, qui dixit: *Exemplum do vobis, ut quemadmodum ego facio, & vos faciatis:* statuimus & ordinamus, ne subditorum animas pernicioso perdamus exemplo, ut nullus clericus teneat publice concubinam in domo propria, vel etiam aliena. Si quis autem suæ salutis immemor, hujus nostræ constitutionis transgressor extiterit, & monitus a suo superiore canonice, se non correxerit: ad tempus, per subtractionem fructuum sui beneficii arceatur. Quod si indurato animo in crimine perseveraverit, beneficio perpetuo spolietur. Ceterum si in

Joan. 13.

1 Hoc Concilium edidit Card. de Aguirre ad fidem Codicis Mondexarensis, cujus proinde variantes hic apposuimus. 2 C. M. gerens. 3 C. M. atque vitam proinde; nos &c.



Anno Christi 1302.

sacris constitutus, beneficiatus non fuerit, & in hoc crimine reus extiterit, & monitus a suo superiore canonice, se non correxerit, ab officiis suspendatur. Quam sententiam si indurato animo sustinuerit, acrius, juxta sui superioris arbitrium, puniatur.

#### III. *Quod migrantibus . . . .*

Item quia dominus noster Jesus Christus corpus suum discipulis tradidit manducandum, cum dixit: *Accipite, & manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum:* cujus exemplum secuta mater ecclesia pie statuit, & provide ordinavit, ut vere pœnitentibus & confessis, corpus Domini humiliter postulantibus, potissime ad patriam ab hoc sæculo migrantibus, tanquam viaticum præbeatur, & nonnulli, quibus animarum cura est commissa, in suæ animæ periculum, in officio sibi commisso adeo negligentes existunt, quod morientes, propter eorum culpam & negligentiam, sine pœnitentia & eucharistia recedunt (quod dolentes referimus) ab hac vita: statuimus & mandamus, ut quicumque reus in hoc inventus fuerit, suo beneficio perpetuo priventur.

Matth. 26.

#### IV. *Quod nullus sacerdos suo parochiano tradat corpus Christi, donec . . .*

Item quia scriptum est secundum Apostolum, *probet se unusquisque, & sic de pane illo edat:* ex quo manifeste docemur, quod nullus corpus Domini debet suscipere, nisi fuerit per cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem, probatus, alias autem suscipiens judicium sibi manducat; & nonnulli verentes ruborem sacerdotis, potius quam Dei timorem, sua occultant scelera & peccata propriis sacerdotibus, dicentes cum non . . . . . . . . . apud fratres vel alios se confessos, & sic corpus Domini indigne suscipiunt, fallentes semetipsos, cum sacerdotes decipiunt, qui in die judicii de eis tenentur reddere rationem: statuimus, & mandamus, ne aliqui sacerdotes corpus Domini suis parochianis præbeant, immo in eorum ruborem & verecundiam expresse denegent, donec de eorum confessione sibi fuerit . . . . ut quos Dei timor a malo non revocat, eos rubor coerceat disciplinæ.

I. Cor. 11.

#### V. *Quod qui revelat sigillum confessionis, . . .*

Item quia juxta verbum Jacobi, qui ait, *Confitemini alterutrum peccata vestra,* quilibet Christianus tenetur confiteri proprio sacerdoti, quæ confessio lapsis post baptismum tanquam secunda tabula conceditur in subsidium animarum; & nonnulli sacerdotes suæ salutis immemores, & suscepti officii ignari, peccata . . . . non ut hominibus, sed ut locum Dei tenentibus, confessa, quæ juxta verbum Augustini dicentis, Nihil in hoc mundo minus scio, quam id, quod in confessione scio, tanquam scita, cum vere juxta Domini verbum debeant dici non scita, propalant, & revelant: ne excessus tanti criminis transeat impunitus, statuimus &[a] mandamus, quod, si qui tam nefandi criminis rei inventi fuerint, tanquam deportati, & in metallum damnati, perpetuo carceri mancipentur, pane & aqua pro vitæ sustentatione solummodo reservatis.

Jacob. 5.

a C. M. ordinamus.

#### VI. *Quod quilibet episcopus provinciæ Toletanæ publicet . . . . . . clericis.*

Item cum sanctissimus papa dominus Bonifacius octavus, cupiens laicorum coercere audaciam, & nocendi facultatem refrenare, constitutionem ediderit,[a] quam contra laicos clericis oppido infestos tradidit antiquitas, per quam ecclesiasticis personis, & eorum bonis salubriter providetur, & parum esset jura condere, nisi essent personæ, quæ ea studiosius exequantur: statuimus & mandamus, ut quilibet episcopus Toletanæ provinciæ, teneatur in sua diœcesi eamdem constitutionem facere divulgare, ne quis crassam & supinam ignorantiam prætendere valeat, in animæ suæ periculum & jacturam.

Cap. clericis de immun. Eccl. in 6.

a Cons. quæ incipit, Clericis laicos oppido infestos esse, antiquitas, per quam &c.

#### VII. *Quod decimæ solvantur de omnibus.*

Item quia *Domini est terra, & plenitudo ejus,* in cujus dominii recognitionem, decimam partem, tanquam portionem Dominicam, omnium, tam frugum, quam fructuum ex terra, cultura hominum vel sine cultura nascentium, creator hominum sibi dari instituit, necnon & de omnibus aliis licite acquisitis; & nonnulli timorem Dei præ oculis non habentes, sed sui[b] dominii recognitionem subtrahentes, hanc decimam minime dare ministris Christi satagunt, in grave sui dispendium, & periculum animarum: proinde qui in[c] partem solicitudinis vocati sumus, saluti animarum providere volentes, statuimus & ordinamus, ut omnes parochiani, de suis prædiis & prædiorum cultis, ac arborum[d] fructibus, hortis, & de aliis natura vel cultura humana ex terra nascentibus, necnon & de animalibus, insuper & de omnibus utilitatibus, utpote caseo, lana, cera, melle, & aliis inde provenientibus, & de omnibus aliis licite acqui-

Ps. 23.

b C. M. Domini.

c C. M. parte.

d C. M. fructibus, & de aliis &c.

ANNO CHRISTI 1302.

acquiſitis, decimam, tanquam portionem [a] Dominicam, miniſtris Chriſti ſine qualibet diminutione perſolvant. Si qui vero Deí timore poſtpoſito, a miniſtris eccleſiæ canonice moniti, Dominicam decimam integre dare renuerint: excommunicationis vinculo innodentur, & niſi ſatisfecerint, eccleſiaſtica ſepultura careant, etſi excommunicati non fuerint nominatim.

a C. M. Domini, cum.

*VIII. Quod ſacerdotes, vel per ſe, vel per idoneos miniſtros, faciant hoſtias de farina triticea.*

Item quia dominus noſter Jeſus Chriſtus, *qui eſt panis vivus, qui de cælo deſcendit*, grano frumenti ſe comparavit, cum dixit: *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*: ideo tradunt ſanctorum patrum decreta, quod panis, cui conſecrandus [b] eſt, non fiat niſi ex farina [a] alias & ex granis frumenti, id eſt tritici, elicita, & ex qua pura & limpida aſperſa. Verum quia propter ſimplicitatem hominum, & juris ignorantiam, conficiendo maſſam ex qua fit Deus panis, poſſet periculum imminere: ſtatuimus & ordinamus, ut ſacerdotes per ſe, ſi commode [c] poſſint, vel ſaltem per alios idoneos miniſtros eccleſiæ, ipſis tamen præſentibus, maſſam ex farina triticea tantum, & aqua pura [b] . . . . . fermenti, vel alicujus alterius rei appoſitione, conficiant, & inde hoſtiam faciant, quæ debeat in corpus Domini conſecrari.

Joan. 6.
Joan. 12.
b C. M. eſt in altari
a f. farina alba.
c C. M. poſſit.
b Deeſt ſine ſic ulla.

*IX. De uſuris.*

Item qui ad [d] compeſcendum uſurarum voraginem, quæ animas devorat, & facultates exhaurit, Lateranenſe [a] & Lugdunenſe concilia, ſalubria ſtatuunt: tam contra manifeſtos uſurarios, quam contra domos eis locantes, cujuſcumque dignitatis, conditionis, aut ſtatus exiſtant, pœnas debitas inſtigendo: ne nos, qui executores dictorum conciliorum ſumus in Toletana provincia, favente Domino, deputati, poſſimus de negligentia reprehendi: ſtatuimus & ordinamus, ut quilibet epiſcopus in ſua diœceſi, per ſuas [b] publice pecuniam, atque [e] ei domos ad [c] domos exercendum, locantes puniat, prout dicta concilia ſtatuunt, atque damnant.

d C. M. compeſandam.
a Later. III. cap. 25. Lugdun. cap. 26.
b f. perſonas.
e C. M. eis.
c f. atque domos ad fœnus.

*X. De Baptiſmo.*

Item quia nonnulli, tam Judæi, quam Agareni, cæcitatem ſui erroris attendentes, ad fidem converti deſiderant orthodoxam [a] ſcilicet, mundus eos . . . . . bona timentes quæ habent perdere univerſa; ne propter hoc hoſtis antiquus animas perdere cupiens, bonum propoſitum revocet, quod Dei ſpiritus inſpiravit: ſtatuimus & mandamus, ut quicumque Judæus, vel Agarenus, baptizari voluerit, propter baptiſmi ſacramentum bona, quæ ante habuit, ut jura præcipiunt, non amittat.

a f. orthodoxam, ſed mundus eos ferocat, bona &c.

ANNO CHRISTI 1302.

*XI. De feſto ſancti Ildephonſi colendo.*

Item quia mater Verbi & ſalvatoris noſtri, domini Jeſu Chriſti, glorioſa ac ſemper virgo Maria, capellanum ac ſuæ virginitatis ſpecialem præconem, beatum Ildephonſum, patriarchalis Toletanæ eccleſiæ præſulem ac rectorem, poſt ſui aſſumptionem deſcendens de cœlo empyreo, corporaliter viſitavit, ac donis & muneribus [f] ſpecialibus decoravit, in ſignum [g] ſpecialis dilectionis & amoris, [h] & quos mater Dei diligit & honorat, nos teneamur diligere ac etiam honorare: ſtatuimus & ordinamus, ut per totam Toletanam provinciam, ejus feſtivitas, tanquam præcipuæ, ſeu duplici officio ſolemniter celebretur.

f C. M. ſp. . . .
g C. M. ſpiritualis.
h C. M. ut quos.

*XII. De Salve Regina cantanda.*

Item cum humana fragilitas propter ſui corruptionem vivere nequeat abſque culpa, & teſtante Hieronymo, res contra naturam pene ſit, ut ſine peccato aliquis vivat, & lapſi per peccatum, ſolum, poſt [i] Dominum, recurſum habeant ad vitæ dulcedinem ſanctam Virginem glorioſam, quam tenemur omnes requirere tanquam matrem miſericordiæ, cum hymnis & canticis glorioſis: ideo inde ſuæ laudis præconium duximus taliter ordinandum, ut ſingulis diebus poſt completorium cantetur *Salve Regina* in qualibet eccleſia, alta voce, cum verſu, *Ora pro nobis*, & orationibus, *Concede nos famulos tuos*; item, *Eccleſiæ tuæ*; & pro ſummo pontifice oratio, *Deus omnium fidelium*; & pro Rege noſtro oratio, *Quæſumus omnipotens Deus*.

i C. M. Domini.

*XIII. De immunitate eccleſiarum.*

Item, cum ea, quæ Divini juris, ſæculari non ſubjaceant poteſtati, & nonnulli potentes, neſcimus quo ducti ſpiritu, vel odii fomite, vel cupiditatis radice, eccleſias infringere, & earum libertatem & privilegia imminuere moliuntur, eis exactiones indebitas & onera gravia imponendo: proinde nos, qui ex officii noſtri debito, tanquam murum pro domo Iſrael opponere nos debemus hujuſmodi exceſſibus, quantum cum Deo



ANNO CHRISTI 1302.

Deo poſſumus, reſiſtere cupientes, ſtatuimus & ordinamus, ut ſi Regina fuerit quæ hoc facere acceptaverit, vel prandia indebite exegerit, vel filii regum, epiſcopus in cujus diœceſi attentari, vel etiam perpetrari contigerit, eis penitus denunciet, ut ſatisfaciant de commiſſo; & ſi requiſiti ſatisfacere noluerint infra menſem, juxta modum & qualitatem culpæ, vel damni dati, cujus æſtimatio diœceſani arbitrio relinquatur, prout viderit expedire, terra eorum, ſi qua in ſua diœceſi habuerint, eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Quod interdictum ponere ceteri epiſcopi in terris, quas in ſuis diœceſibus habuerint, poſtquam eis denunciatum fuerit, teneantur.

Verum quia domini Henrici, filii illuſtriſſimi domini Ferdinandi quondam regis Caſtellæ & Legionis (qui ab eccleſia Toletana [b] Ponadicilam, & ab eccleſia Segovienſi, Riacan. aldeas, indebite detinet occupatas, necnon & epiſcopo Seguntenſi quædam mobilia, poſtquam fuit de eo proviſum Seguntenſi eccleſiæ, uſurpavit) exceſſus eſt notorius: ſtatuimus & ordinamus, ut nominatim requiratur, quod prædicta loca reſtituat, Seguntino epiſcopo ſatisfaciat de ablatis. Idem penitus ſtatuentes de infantiſſa Portugalliæ, ſuper reſtitutione pœnarum de Viana, Conchenſi eccleſiæ facienda. Ceterum ſi alii potentes a prænominatis, in præmiſſis deliquerint: ſecundum canonicas ſanctiones, terræ eorum, quas habent in eorum diœceſi, ſupponantur eccleſiaſtico interdicto. Et præter hoc, ſi moniti, uſque ad menſem non ſatisfecerint, ab eiſdem excommunicationis vinculo innodentur, temperantes, ſi ſibi videbitur expedire. Quam excommunicationem archiepiſcopo, & ceteris ſuffraganeis denuncient, ut & ipſi à ſuis ſubditis eos tanquam excommunicatos faciant evitari. Quod ſi in diœceſibus, in quibus deliquerint, terras non habuerint, ſi [a] in aliis diœceſibus provinciæ Toletanæ: illi epiſcopi ubi deliquerint, eos excommunicent, ſed alii epiſcopi ubi terras habuerint, teneantur, poſtquam ad eos pervenerint, & eos excommunicatos facere in ſuis diœceſibus denunciari, & terras eorum ſupponere interdicto. Verum ſi in diœceſi archiepiſcopi aliquod commiſſum fuerit de prædictis: teneatur idem facere, quod epiſcopis eſt ſuperius ordinatum. Simile penitus ſtatuentes, ſi delinquentes, tale delictum commiſerint, propter quod incurrant excommunicationis ſententiam ipſo facto.

Scilicet Ferdinandi III.
b C. M. Poſſadicilam.
a Cor. ſed

Quod ſi religioſæ militares perſonæ fuerint, qui talia perpetraverint: contra tales duximus taliter procedendum; ut ſi fuerit magiſter alicujus ordinis, vel magnus commendator, vel prior Hoſpitalis S. Joannis, ab epiſcopo in cujus diœceſi deliquerit, per ſe, vel per alium moneatur, ut ſatisfaciat ſecundum quod jura præcipiunt de commiſſo. Quod ſi hoc facere [c] renuerit, ille epiſcopus in cujus diœceſi delictum commiſerit, ejus terras ſubjiciat eccleſiaſtico interdicto; quod ſi terras in ejus diœceſi non habuerit, fiat, ut præcedenti paragrapho eſt notatum. Sed ſi inferiores a prænominatis fuerint, [d] ut ſimplices commendatores, & deliquerint in loco vel in re non exemptis: per epiſcopum in cujus diœceſi talia perpetraverint, ſi moniti non ſatisfecerint, & excommunicentur, & nihilo minus eorum commendæ ſupponantur eccleſiaſtico interdicto, & ſi in ſua perfidia perſeveraverint, denuncientur ſuo majori: & ſi ipſe non correxerit, & ſatisfacere noluerit, vel corrigi & ſatisfieri non fecerit, a die requiſitionis infra menſem, omnes eccleſiæ & villæ ſui dominii ſimiliter eccleſiaſtico ſubjiciantur interdicto, in [e] quacumque fuerit diœceſi Toletanæ provinciæ, eo modo, quo ſuperius eſt expreſſum. Si vero ſimplex frater ſine commenda aliqua, deliquerit in loco & re (ut præmiſſum eſt) non exemptis, & monitus non ſatisfecerit: per diœceſanum excommunicetur, ubi delictum fuerit perpetratum. Et ſi indurato animo in rebellione perſeveraverit, ſuo commendatori denuncietur. Quod ſi nec ille commendator correxerit, & [f] emendare non fecerit: procedatur, ut ſuperius eſt notatum.

ANNO CHRISTI 1302.
c C. M. noluerit.
d C. M. ut ſicut.
e C. M. quarum.
f C. M. emendari.

Item ſi ſimiles, vel quævis alia perſona, in aliquo deliquerit, epiſcopus in cujus diœceſi deliquerit, eum excommunicet, & excommunicatum denunciet domino archiepiſcopo, ut eum faciat ab omnibus ſuffraganeis evitari: & nihilo minus ſi terram in aliqua parte provinciæ habuerit, epiſcopus in cujus diœceſi fuerit, eam ſubjiciat eccleſiaſtico interdicto. Hæc conſtitutio, quantum ad hujuſmodi perſonas, juxta arbitrium epiſcopi ad [g] præterita extendatur.

g C. M. prædicta.

Item ſi communitas aliqua vel concilium deliquerit: epiſcopus diœceſis locum ſubjiciat interdicto. Et nihilo minus officiales aliquos de majoribus nominatim excommunicent; excommunicatos, archiepiſcopo denuncient, ut ſuperius.

Item ſi Alcales, vel Majorini, vel alii rectores civitatum, vel aliorum locorum, deliquerint: per diœceſanum excommunicentur, & excommunicati denuncientur domino archiepiſcopo, ut ſuperius. Et ſi univerſitas vel concilium loci ubi hoc acciderit, in hoc inventa fuerit culpabilis: locus ſupponatur eccleſiaſtico interdicto.

*XIV. De captione eccleſiarum.*

Item cum rex pacificus Chriſtus Jeſus, qui pacem venit docere in mundum, eccleſiam

Anno Christi 1303.

ſiam ſuam in petra fidei ſolidatam, pacis vinculo firmavit, & in ea epiſcopos vel prælatos, & alias perſonas, quas inſtituit, & ſuam pacem dedit, atque reliquit, quorum anima, ſecundum Ambroſium, ſunt fletus & lacrymæ, & pro Dei populo noſcuntur ſolum orationi & jejunio deputati; & nonnulli de ſua potentia confiſi, inſtigante diabolo, in Dei opprobrium & contemptum, jam dictos prælatos & Chriſti miniſtros non ſolum injuriis afficere ...., eſt tanquam * jus mortis, [i] diffidare in perſonis propriis non verentur; [k] nos attendentes quam ignominioſum eis exiſtat, ſi bene adverterent, arma contra tales aſſumere, quibus armis uti, veritate eis in perſona ... prohibente, cum dixit: *Converte gladium tuum in locum ſuum*, & alibi: *Mihi vindictam, & ego retribuam*. Ideo nos tranquillitatem & pacem in eccleſia Dei ſervare volentes, ne concuſſis columnis ædificium corruere cenſeatur: ſtatuimus, & mandamus, quod ſi aliquis, cujuſcumque dignitatis, conditionis, vel ſtatus exiſtat, diffidaverit, vel diffidatum tenet vel tenuerit, epiſcopum præſentem, vel canonicum eccleſiæ cathedralis, aut ſocium, & admonitus diffidationem non revocaverit, excommunicetur, & denuncietur domino archiepiſcopo, ut ſupra. Et nihilo minus terra ejus, ubicumque eam habuerit in provincia Toletana, per diœceſanum loci ſubjiciatur eccleſiaſtico interdicto.

h C. M. & quæ.
Locus mendoſus.
i C. M. diffidere.
k C. M. non;
Matth. 26.
Rom. 12.

Item quia nonnulli eccleſiarum vaſſalli, terras ex munificentia regum vel principum largitate eccleſiis acquiſitas, vel quovis alio juſto titulo obtentas & poſſeſſas, calliditate propria, vel alterius fallacia decepti, in potentes & duros adverſarios, venditionis alteriusve alienationis titulo, transferre nituntur, unde eccleſiæ in rebus & juribus damnificantur, & earum miniſtri rixas incurrunt [l] & odia graviora: ideo nos .... eccleſiarum providere, & miniſtrorum quietudinem fovere prout cum Deo poſſumus cupientes.

l C. M. qui.

*XV. De non emendis poſſeſſionibus eccleſiaſticis per certas perſonas.*

Statuimus & mandamus, quod ſi aliqui milites, vel alii privilegiati, domos vel poſſeſſiones [m] emerint, vel emerunt, in dominio eccleſiæ, & eas moniti infra duos menſes dimittere noluerint, vel vendere [n] perſonis non privilegiatis minime curaverint, per diœceſanum, in cujus diœceſi ſunt, excommunicentur; & nihilo minus, ſi terras habuerint, ſubjiciantur eccleſiaſtico interdicto. De qua ſententia debet facere fidem archiepiſcopo, ut ipſe contra eum procedat eo modo, quo ſuperius eſt notatum. Statuentes nihilo minus, ut hæc conſtitutio ad præterita extendatur.

m C. Mons. emerint in dominio &c.
n C. M. perſonis privilegiatis &c.

Ego Petrus, .... de Cailla, notarius curiæ domini archiepiſcopi Toletani, [o] præſens interfui, quando ſupradicti reverendi patres & domini, videlicet archiepiſcopus Toletanus, & ceteri epiſcopi, & procuratores ſuarum eccleſiarum, & alii canonici cathedralium eccleſiarum, fuerunt congregati apud Pennam Fidelem, & ipſi omnes ſupraſcriptas conſtitutiones, quas ibidem compoſuerant, & ordinaverant, fecerunt in mei præſentia legi, mandantes inſuper mihi, ut eas manu propria ſcriberem, & in publicam formam redigerem, atque earum tranſumpta ſupradictis dominis, vel procuratoribus ſuarum eccleſiarum, qui in prædicta congregatione cum eis interfuerant, exhiberem, cum ab eis fuero requiſitus.

o C. M. præſens fui.

Actum eſt apud Pennam Fidelem, tertio Idus Maii, anno Domini MCCCII. præſentibus ſupradictis dominis. Et ego ad mandatum eorum hoc tranſlumptum ex prædictis conſtitutionibus propria manu ſcripſi, & in earum fine appoſui hoc meum aſſuetum ſignum.

Ordinatio epiſcoporum in concilio Toletano diſponitur iſto modo.

| *Ex parte dextera.* | *Ex parte ſiniſtra.* |
|---|---|
| Epiſcopus Palentinus. | Epiſcopus Segovienſis. |
| Epiſcopus Oxomenſis. | Epiſcopus Seguntinus. |
| Epiſcopus Cordubenſis. | Epiſcopus Conchenſis. |

## G. COSS. OBSERVATIO.

Concilium hoc Ægidio archiepiſcopo tribuitur in eo quo ſumus uſi Mſ. cum tamen certo conſtet eſſe Gundiſalvi III. qui prius Conchenſis epiſcopus fuerat. Id autem conſtat ex anno quo eſt habitum: tunc enim non Ægidium, ſed Gundiſalvum, Toletanæ eccleſiæ præfuiſſe, ex rerum Hiſpanicarum ſcriptoribus, & antiſtitum illius eccleſiæ catalogis, diſcimus. Conſtat id quoque ex cap. 2. concilii Complutenſis, anni MCCCXXVI. in quo Joannes Toletanus archiepiſcopus ait, a Gundiſalvo prædeceſſore ſuo concilium apud Pennam Fidelem eſſe celebratum, ejuſque citat conſtitutionem, quæ incipit: *Item cum ea quæ Divini juris*: quam conſtitutionem in hoc noſtro concilio legimus, cap. 13. Satis igitur mirari non poſſum hiſtoricorum aliquot incogitantiam, qui concilium hoc ab Ægidio Albornotio celebratum dixerunt: qui ſedere cœpit, anno MCCCXXXVII. totis nimirum 35. annis poſt concilii hujus noſtri tempus; annis vero XI. poſtquam ejus eſt facta mentio in concilio Complutenſi. Errorem hunc puta Hiſpanis librariis tribuendum, qui cum reperiſſent ſcriptum *G. archiepiſcopi*, prima tantum expreſſa nominis littera (quod in actis hujuſmodi fieri ſolitum eſſe nôrunt eruditi) putarunt deſignari Ægidium qui Hiſpanico vocabulo *Gil* vocatur: præſertim cum celebritas illius nominis faceret, ut de hoc potius Toletano archiepiſcopo cogitarent, quam de aliis, quorum fortaſſe ne nomina quidem ſciebant. Utut eſt, multos in errorem prava eorum ſcriptura impulit; at non Marianam noſtrum, qui libro hiſtoriæ ſuæ XV. cap. V. diſerte ait, Gundiſalvum huic concilio præfuiſſe.





Anno Christi 1302.

# VITA BENEDICTI PAPÆ X. VULGO XI.

Benedictus hujus nominis decimus (qui enim opinione vulgi decimus numeratur, ſchiſmaticus & antipapa fuit, ut videre eſt in vita Stephani decimi & Nicolai ſecundi) patria Tarviſinus, ſancti Dominici ordinis generalis, Nicolaus antea vocatus, propter raram & ſingularem doctrinam, Oſtienſis cardinalis a Bonifacio creatus, eidem in ſede pontificali ſucceſſit, XI. Kalendas Novembris anno Domini 1303. Alberto imperante. Sciarram cum ſectatoribus in judicium vocavit: venire recuſantem de integro excommunicavit. Cognita vero Philippi regis cauſa, eumdem abſolvit; cardinalibus Columnenſibus eumdem favorem impertiit, ſed ad breve tempus tamen uti pileo rubeo prohibuit. Cardinalibus aliquot creatis, res Italiæ componere ſtuduit, ut, iis ſedatis, Chriſtianis in Syria laborantibus auxilium ferre poſſet. Verum in ea deliberatione Peruſium profectus, ibidem mortuus eſt ipſis Nonis Julii anno 1304. cum ſediſſet menſes octo, & dies ſeptemdecim. In eccleſia fratrum Prædicatorum ſepultus eſt. Miracula ab ipſo edita ſanctitatis ejus ſunt evidentiſſima ſigna: nam ægrotos ſanavit, & dæmoniacos liberavit. Poſt ejus mortem, ſedes tredecim menſes & duos dies vacavit.

Anno Christi 1303.

# **CONCILIUM NUGAROLIENSE,

Ab Auſcitanæ provinciæ epiſcopis præſide Amaneo archiepiſcopo celebratum IV. Non. Decemb. anno Dom. MCCCIII.

[1] Ex Severtii Summa omnium excommunicationum edidit Ludovicus Bail in Summa ſua conciliorum.

## TITULI CANONUM.


1. *Ut clerici peregrini non recipiantur ſine litteris ſui epiſcopi.*
2. *Ut qui eos ad efficienda ſacramenta recipiunt, ſint excommunicati.*
3. *Ut prælatorum & inquiſitorum officium nemo turbet.*
4. *Ut nuncii ab epiſcopis miſſi, a nemine prohibeantur fungi officio ſuo.*
5. *Ut domini & judices temporales de cauſis eccleſiaſticis ſe non intromittant.*
6. *Ut fugientibus ad eccleſiarum tutelam, injuria non fiat.*
7. *De perjuris.*
8. *Ut laici non ſepeliantur intra eccleſias.*
9. *De iis qui extra parochiam ſuam eligunt ſepulturam.*
10. *De detentoribus decimarum.*
11. *Ut archidiaconus viſitans nihil muneris recipiat, nec quiſquam ſuorum.*
12. *De eccleſia nondum conſecrata, ſi polluatur.*
13. *Ut cauſæ ſæculares, maxime ſanguinis, in eccleſiis non tractentur.*
14. *De concubinariis, uſurariis, adulteris.*
15. *De iis qui retinent inſtrumentum ſoluti debiti.*
16. *De rapinis & detentionibus rerum & perſonarum eccleſiaſticarum.*
17. *De iis qui talliant recluſos leproſos.*
18. *Ut perſonæ eccleſiaſticæ & earum bona non pignorentur.*
19. *Ut bona eccleſiaſtica in ædibus ſacris depoſita non occupentur.*
20. *Confirmatio prædictorum.*


## CANONES.

*I. Ut clerici peregrini non recipiantur ſine litteris ſui epiſcopi.*

Statuimus quod nullus in eccleſia ſua recipiat clericum peregrinum ad officiandum, ſine litteris commendatoriis ordinarii ſui, & licentia ſui epiſcopi. Alioqui clericus peregrinus ſententiam excommunicationis incurrat.

*II. Ut qui eos ad efficienda ſacramenta recipiunt, ſint excommunicati.*

Irrefragabili conſtitutione ſancimus, quod rectores eccleſiarum, & ſubcapellani eorum, recipientes peregrinos ignotos presbyteros abſque ſuorum diœceſanorum litteris recommendatoriis, ad efficiendum eccle-

cleſiaſtica ſacramenta, ipſo facto ſint excommunicationis ſententia innodati.

*III. Ut prælatorum, & inquiſitorum officium nemo turbet.*

Ut prælatorum judicum, inquiſitorum & viſitatorum officium eo fructuoſius, quo liberius, valeat exerceri: præſenti ſtatuto univerſis & ſingulis tam religioſis, quam clericis ac laicis, duximus inhibendum, ne ipſos impedire vel turbare præſumant, quo minus in ipſis locis religioſis, regularibus, vel aliis eiſdem ſubjectis, liberum officii ſui debitum exequantur. Alioqui ſi laici fuerint, excommunicationis, ſi religioſi & clerici, interdicti ipſo facto incurrant ſententias.

*IV. Ut nuncii ab epiſcopis miſſi, a nemine prohibeantur fungi officio ſuo.*

Si quis nuncios noſtros, ſuffraganeorum noſtrorum, ſeu judicum noſtrorum ſuorumque, miſſos per nos vel eos, pro convocandis conciliis, ſynodis, citationibus vel executionibus faciendis, per ſe, vel per alium vel alios, clam vel palam impediverit, litteras eiſdem abſtulerit, fregerit, deleverit vel occultaverit, percuſſerit, vel in præmiſſis, vel ad aliquod præmiſſorum dederit conſilium, auxilium vel favorem, eo ipſo ſit excommunicationis vinculo irretitus.

*V. Ut domini & judices temporales de cauſis eccleſiaſticis ſe non intromittant.*

De excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiis, ſcilicet an juſte latæ fuerint, vel injuſte, vel de aliis cauſis ſpecialibus, vel eccleſiaſticis, ſeu alias ad forum eccleſiæ, de jure, vel de antiqua conſuetudine ſpectantibus, ſe nullatenus intromittant domini vel judices temporales: nec judices eccleſiaſticos, nec ſuper ipſis recurrentes ad ipſos, in hujuſmodi quomodolibet impediant, vel prædictis dent conſilium, auxilium vel favorem. Aliter prædictæ excommunicationis ſententia ſint ligati: quæ, niſi ſatisfactio facta prius fuerit, minime relaxetur.

*VI. Ut fugientibus ad eccleſiarum tutelam, injuria non fiat.*

Quicumque fugientes ad eccleſiarum tutelam ibidem vulneraverit, mutilaverit, interfecerit, victualia ſubtraxerit, vel ne habere, aut dare eis valeant impediverit per ſe, vel per alium, ſeu alios, aut cuſtodes, ne exinde exire poſſint, quoquomodo poſuerit, incenderit, inde extraxerit violenter, aut aliquid prædictorum fieri præceperit vel procuraverit, ſeu conſilium vel opem adhibuerit, excommunicationis ſententiæ ſubjicitur ipſo facto, præterquam in caſibus a canonibus permiſſis.

*VII. De perjuris.*

Statuimus ut quicumque in tranſgreſſione juramenti manifeſte fuerint deprehenſi, ad mandatum noſtrum, ſuffraganeorum, vel officialium noſtrorum, in eccleſia eorumdem publice denuncientur perjuri: qui ſi admoniti, ſatisfacere noluerint, extunc excommunicentur candelis extinctis, & denuncientur inteſtabiles ac infames: nec ad teſtimonium vel actus legitimos admittantur: nec in foro pœnitentiæ, præterquam in mortis articulo, ſolvi valeant, &c. Et hoc frequenter in eccleſiis cathedralibus & parochialibus præcipimus publicari. Officiarii autem qui in obſervatione prædicti ſtatuti, negligenter ſcientes extiterint, ipſo facto ingreſſum eccleſiæ uſque ad menſem ſibi noverint interdictum.

*VIII. Ut laici non ſepeliantur intra eccleſias.*

Corpora laicorum non ſepeliantur intra eccleſias ſine licentia prælati & rectoris, quamvis ab antiquo haberent ſepulturas: alioqui eoſdem (ſepelientes) excommunicationis ſententiæ volumus ſubjacere.

*IX. De iis qui extra parochiam ſuam eligunt ſepulturam.*

Quicumque extra ſuam parochialem eccleſiam in qua deceſſit, elegerit ſepulturam, matrici eccleſiæ ſolemniter præſentetur, & eidem reddatur de funeralibus debitum, prout de jure, vel in parochia fieri conſuetum eſt: & contrarium facientes ipſo facto ſubjaceant eccleſiaſtico interdicto.

X. *De detentoribus decimarum.*

Tam detentores decimarum ante ipſarum reſtitutionem, quam eorum filii, uxores, & familiæ, ſepultura careant Chriſtiana: nec ipſi, nec eorum filii uſque ad quartam generationem incluſive ad tonſuram clericalem, ceteros ordines, vel eccleſiaſtica beneficia aliqua admittantur. Sed eorum beneficia aliis libere conferantur. Si noſtri ordinarii prædictis hæc contulerint, ab illorum collatione eo ipſo ſe noverint ſuſpenſos: & loca ubi ſepulti fuerint, per annum eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.



*XI. Ut archidiaconus viſitans nihil muneris recipiat, nec quiſquam ſuorum.*

Archidiaconus viſitare volens, in principio ſuæ viſitationis omnes quos ſecum ducere voluerit, ſic informet, quod nec ipſe, nec quiſquam ſuorum aliquid muneris, qualitercumque offeratur, recipiat. Alioqui percipientes, uſque ad reſtitutionem dupli illius quod receperint, eccleſiæ vel rectori a quo receperint, faciendam teneantur, & excommunicationis ſententiæ ipſo facto ſe noverint ſubjacere. Archidiaconus autem contra præſentem conſtitutionem in aliquo veniens, tamdiu ab officio ipſo ſe noverit ſuſpenſum, quouſque de duplo hujus, ſi receperit, & ultra, per ipſum fuerit plenarie ſatisfactum: nulla eis in hoc remiſſione, libertate ſeu gratia valitura.

*XII. De eccleſia nondum conſecrata, ſi polluatur.*

Eccleſia nondum conſecrata, attamen Divino cultui dedicata, ſi polluatur ſeminis aut ſanguinis effuſione hominis violenta, vel ſepultura excommunicatorum, interdictorum, hæreticorum, ſchiſmaticorum, paganorum ſeu Judæorum, nec oſſa diſcerni & exhumari poſſint; per epiſcopum tantum aſperſione aquæ benedicatur; ſi vero inferior ipſo eccleſiam aut cœmeterium hujuſmodi, vel etiam conſecratam, reconciliare præſumpſerit, eo ipſo eccleſiaſtico ſupponatur interdicto.

*XIII. Ut cauſæ regulares, maxime ſanguinis, in eccleſiis non tractentur.*

Judices ſæculares, cujuſcumque conditionis, ſi ſuas cauſas, maxime de ſanguinis effuſione & corporali pœna, in eccleſiis vel cœmeteriis audeant agitare, ſtatuta, aut parlamenta facere, niſi ad pietatem ſuadeant: per publicationem præſentis edicti, excommunicationis ſententiæ ipſo facto volumus ſubjacere: proceſſus eorum nihilo minus careant roboris firmitate.

*XIV. De concubinariis, uſurariis, adulteris.*

Excommunicamus & mandamus denunciari excommunicatos publice omnes concubinarios, uſurarios, adulteros manifeſtos.

*XV. De iis qui retinent inſtrumentum ſoluti debiti.*

Excommunicamus & excommunicatos provinciæ denunciari præcipimus creditores, qui inſtrumentum ſoluti debiti detinent, niſi infra quindecim dies, ſi commode fieri poterit, reſtituerint ipſum inſtrumentum debitori, vel alii legitimo pro eodem, vel ſaltem ipſum cancellaverint ac fregerint inſtrumentum infra dictum terminum.

*XVI. De rapinis & detentoribus rerum & perſonarum eccleſiaſticarum.*

Supponimus eccleſiaſtico interdicto omnem locum provinciæ Auxitanæ, ubi manifeſta rapina eccleſiarum, religioſorum, clericorum, vel perſonarum eccleſiaſticarum reponitur, quamdiu dicta rapina ibi fuerit, vel clericus, aut perſona eccleſiaſtica contra voluntatem ſui prælati inibi capta a quocumque detinetur: & ſi de loco in locum mutata fuerit, primus locus, & alia unde & ubi mutatur, uſque ad dignam ſatisfactionem, eo ipſo, eccleſiaſtico remaneant interdicto. Et ſi de prædictis quiſpiam conſenſerit ſcienter, ipſo facto pœna conſimili ſit ligatus.

*XVII. De iis qui talliant recluſos leproſos.*

Excommunicamus & excommunicatos provinciæ denunciari præcipimus barones, conſules, bajulos, & alios quoſcumque qui recluſos leproſos, ratione perſonarum vel patrimonii, auſi fuerint talliare, vel aliquid pro tallia exigere ab eiſdem: niſi ſic exacta infra 15. dies plenos reſtituerint requiſiti.

*XVIII. Ut perſonæ eccleſiaſticæ & earum bona non pignorentur.*

Perſonæ eccleſiaſticæ vel earum bona pro aliis non pignorentur: contrarium facientes, niſi de præmiſſis ſatisfecerint, infra menſem ipſo facto ſint excommunicationis vinculo innodati; univerſitates locorum, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.

*XIX. Ut bona eccleſiaſtica in ædibus ſacris depoſita non occupentur.*

Denunciari præcipimus publice excommunicatos, univerſos & ſingulos qui apud ædes ſacras depoſita eccleſiarum, vel eccleſiaſticarum perſonarum, arreſtaverint vel occupaverint, & arreſtari vel occupari mandaverint: & qui talia occupata receperint, quique in prædictis ſcienter dederint publice vel occulte conſilium, auxilium vel favorem.

ANNO CHRISTI 1304.

*Confirmatio prædictorum ſtatutorum.*

Publicatæ fuerunt prædictæ conſtitutiones apud Nugarolum, die Lunæ poſt feſtum B. Andreæ apoſtoli, in concilio provinciali celebrato per reverendum in Chriſto patrem D. Amaneum Divina miſeratione archiepiſcopum Auxitanum: præſentibus & aſſiſtentibus ſibi venerabilibus, Tarbienſi, Convenenſi, Condomenſi, Lectorenſi, Vaſatenſi, Aquenſi, Olorenſi, Laſcurienſi, Adurenſi, epiſcopis, [a] B. Coſeranenſi electo & confirmato, & domino electo concorditer Bajonenſi, & quampluribus abbatibus, Prioribus, & aliis ſubditis provinciæ Auxitanæ, ſub anno Dom. MCCCIII.

a Bernardo.

NOTA GABR. COSSARTII S. J.

Horum capitulorum poſtremum, quo ipſorum promulgatio facta dicitur anno MCCCIII. reperio in MS. codice illuſtriſſimi archiepiſcopi, Remenſi coadjutoris Tellerii: ſed ad calcem concilii alterius Auſcitani apud Marciacum celebrati, cujus fronti annus adſcriptus eſt MCCCXXVI. certiſſimo charactere, ut ſuo loco dicam, deſignatus. Cujus concilii cum pars ſint omnia hæc capitula, partim integra, partim interpolata: valde ſuſpecta mihi eſt eorum ſub hunc annum collectio. Quia tamen ſuſpecta tantum eſt, cum eædem conſtitutiones in diverſis conciliis ſæpe iiſdem verbis repetantur, eam hic deſiderari nolui. Lectoris eſto judicium. Profuit concilium illud anni 1226. ad horum capitulorum menda quædam tollenda.

# CONCILIUM COMPENDIENSE,

A Roberto de Courtenay Remenſi archiepiſcopo, cum ſuffraganeis celebratum pridie Non. Januar. anno Dom. MCCCIV.

Ex codice MS. ſynodalium Remenſis eccleſiæ.

Conſtitutio provincialis concilii facta apud Compendium anno Dom. MCCCIII. die Veneris poſt circumciſionem Domini.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut excommunicati, & qui clandeſtina matrimonia fecerint, procuraverint, iis interfuerint, ad Divina non admittantur, nec eorum corpora ad eccleſiaſticam ſepulturam.*
2. *Ut talliæ & collectæ non imponantur clericis, ſub prætextu quod ſint mercatores.*
3. *Ut qui excommunicationis ſententiam ſuſtinuerunt per biennium, niſi in extremis ſatisfecerint, careant eccleſiaſtica ſepultura.*
4. *Quod excommunicatis, qui vocati ad ſynodum, non comparuerunt, indicatur purgatio canonica, tanquam de hæreſi ſuſpectis.*
5. *Quod eccleſiaſtici contenti ſint juſculo & duobus ferculis, niſi ſuperveniant magnates.*

## PRÆFATIO.

AD perpetuam rei memoriam profuturam in perpetuum, & tenendam, Nos R. miſeratione Divina Remenſis archiepiſcopus in noſtro provinciali concilio, quod apud Compendium noſtræ Remenſis provinciæ, anno Domini milleſimo trecenteſimo tertio [b] die Veneris poſt feſtum Circumciſionis ejuſdem, univerſis ſuffraganeis noſtris ad hæc, ut moris eſt, convocatis, & præſentibus venerabilibus fratribus Guillelmo Sueſſionenſi, Guillelmo Laudunenſi, Joanne Belvacenſi, Guillelmo Atrebatenſi, Guillelmo Silvanectenſi, Guillelmo Ambianenſi, Joanne Morinenſi, & Guillelmo Cameracenſi, epiſcopis; necnon dilectis ſuis magiſtris, Guielchini, Novionenſis, & Joanne Tornacenſis, venerabilium fratrum epiſcoporum vicariis; & magiſtro Hugone procuratore venerabilis fratris noſtri Catalaunenſis epiſcopi, licet minus competenter inſtructo, tamen hac vice de gratia admiſſo, extitit celebratum: nonnullis eccleſiarum, & perſonarum ipſarum oppreſſionibus, injuriis, & offenſis, ad noſtram deductis notitiam, & eidem concilio reſeratis, deliberatione ſuper his in ipſo concilio habita pleniore, de totius concilii providentia unanimi & concordi, juxta negotiorum ingruentiam & temporis qualitatem, ſuper eiſdem injuriis pro defenſione libertatis eccleſiaſticæ adhibere curavimus opportuna remedia, quæ ſequuntur.

b [illegible] annus jam erat 1304. a Kal. Jan. ſed [illegible] in Galliis inchoabatur tantum a Paſchate.

## CAPITULA.

*I. Ut excommunicati, & qui clandeſtina matrimonia fecerint, procuraverint, iis interfuerint, ad Divina non admittantur, nec eorum corpora ad eccleſiaſticam ſepulturam.*

IN primis igitur ſtatuimus, & decernimus authoritate concilii ejuſdem, quod cum in canonibus tam antiquis, quam noviter editis, ſit ſtatutum, ne quævis ſæculares, religioſæ, exemptæ & non exemptæ perſonæ, excommunicatos & interdictos nominatim & publice, ad Divina; neve corpora defunctorum talium, ad eccleſiaſticam ſepulturam admittant: alioquin talibus ab ipſis canonibus eſt ingreſſus eccleſiæ interdictus: ut tam ſalubria ſtatuta publicentur frequenter. Adjicientes præſentis authoritate concilii, quod omnes & ſinguli, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, profeſſionis, aut conditionis exiſtant, qui talibus Divinis celebrandis & ſepulturis faciendis intereſſe præſumpſerint, & qui opem in his, auxilium præſtiterint, & favorem, poſt menſem a tempore publicationis præſentium in ſingulis diœceſibus Remenſis provinciæ faciendæ, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto. Simili ſententia percellentes omnes & ſingulos, qui matrimonia clandeſtina fecerint, ſeu contraxerint, aut procuraverint fieri, ſeu ipſis præſumpſerint intereſſe.



ANNO CHRISTI 1305.

*II. Ut talliæ & collectæ non imponantur clericis, ſub prætextu quod ſint mercatores.*

Item, quia nonnulli ſervientes temporalium dominorum, & juſtitiæ laicalis, aſſerentes pro ſuo debito, clericos tam non uxoratos quam uxoratos (qui tamen cum unica & virgine contraxerunt) eſſe publicos mercatores, tallias & collectas imponunt eiſdem, & extorquent ab eis invitis, quanquam clericaliter vivant, nullis ſe mercimoniis implicantes: ac moniti auctoritate ordinariorum locorum ut deſiſtant, recuſant parere, quamquam offeratur eiſdem, ut facta fide coram ipſis ordinariis, quod dicti clerici ſunt tales manifeſti mercatores, tallias & collectas hujuſmodi permittantur levare: ipſi tamen judicis & partis officio fungentes, cognitionem ſuper hoc ſibi vendicant & aſſumunt. Et quia de his, ut aſſerunt, ſibi conſtat: bona dictorum clericorum mobilia capiunt, vendunt, & diſtrahunt, in magnum præjudicium & gravamen ipſorum. Pro modo etiam omnium facultatum ipſorum clericorum, licet in minimo ſolum eos aſſerant mercatores, tallias & collectas imponunt, & extorquent ab eis. Nos attendentes, præmiſſa fieri contra libertatem & conſuetudines eccleſiaſticas notorias & antiquas, talia amodo fieri prohibemus: alioquin poſt menſem a tempore publicationis prædictæ, omnes illos & ſingulos qui talia amodo facere, procurare, mandare, aut facta ſuo nomine rata habere, auxilium, conſilium, opem, vel favorem, clam vel palam præſtare præſumpſerint, auctoritate ſupradicti concilii, monitione tamen competenti præmiſſa, excommunicamus in his ſcriptis.

*III. Ut qui excommunicationis ſententiam ſuſtinuerunt per biennium, niſi in extremis ſatisfecerint, careant eccleſiaſtica ſepultura.*

Item quia non caret nota hæreticæ pravitatis, in contemptum poteſtatis & clavium ſanctæ matris eccleſiæ, excommunicationis ſententiam, quamvis catholicam, in ſe latam ſuſtinere, præſertim biennium & amplius: volentes huic canceri vulneroſo, ne ſui contagione corrumpat alios, & pernicioſo ſeducat exemplo, ignitum, quod ſupereſt, injicere ferrum: ſtatuimus auctoritate præſentis concilii, ut tales, qui taliter excommunicationem in ſe latam ſuſtinuerint, eccleſiaſtica careant ſepultura, niſi ſaltem in extremis pœnituerint, & ad condignam venerint ſatisfectionem & emendam.

*IV. Quod excommmnicatis, qui vocati ad ſynodum, non comparuerunt, indicatur purgatio canonica, tanquam de hæreſi ſuſpectis.*

Item cum excommunicati per biennium & amplius, ad præſens concilium ſint vocati, peremptorie & perſonaliter reſponſuri ſuper tanto exceſſu, qui notam ſeu ſpeciem hæreſis non evadit: quia non venerunt nec comparuerunt per idoneos reſponſales, ipſos omnes & ſingulos reputamus contumaces, purgationem eis omnibus & ſingulis, quos ſuſpectos habemus de hæreſi, indicentes canonicam: ad quam præſtandam ſecundum juris formam, ipſos & ſingulos ipſorum coram ſingulis ſuis diœceſanis, termino ſuper hoc competenti præfigendo eiſdem ab ordinariis ſupradictis, decernimus detineri.

*V. Quod eccleſiaſtici contenti ſint juſculo & duobus ferculis, niſi ſuperveniant magnates.*

Item diligenti deliberatione præhabita, honeſtateque conſiderata, & ut a ſuperfluitatibus abſtineatur: ſtatuimus, ut omnes & ſingulæ perſonæ eccleſiaſticæ Remenſis provinciæ, in ſingulis conviviis ſint contentæ potagio & duobus ferculis, ſine fraude: niſi magnitudo perſonarum ſupervenientium aliud requirat. Et tunc cum prædictis poterunt uti aliquo intermedio ferculo: ita quod ſi in conviviis hujuſmodi reges, duces, comites, barones, aut alios excellentes contigerit intereſſe, præſenti ſtatuto minime ſint aſtrictæ. Si quis vero contra præmiſſa, vel aliquid de præmiſſis, attentare præſumpſerit, pœna punietur condigna.

Quæ omnia redigi fecimus in ſcripturam, & in ipſo concilio ſolemniter promulgari: præcipientes diſtrictius, & mandantes auctoritate prædicti concilii, univerſis & ſingulis provinciæ Remenſis, quatenus quæ taliter pro defenſione juriſdictionis eccleſiaſticæ, & ipſarum eccleſiarum ſtatu pacifico, duximus ordinanda, prout ſuperius continetur, ſervent & teneant illibata. In quorum teſtimonium & munimen, ſigillum noſtrum, una cum ſigillis dictorum præſentium ſuffraganeorum, præſentibus duximus apponendum. Et nos prædicti præſentes ſuffraganei, ſigilla noſtra una cum ſigillo prædicti reverendi patris, in præmiſſorum teſtimonium duximus apponenda. Datum anno & die Veneris ſupradictis.

ANNO CHRISTI 1305.

Ex Beſſin Concil. Rotom. Prov. p. 167.

# CONCILIUM PROVINCIALE

## Apud Pintarvillam Die Martis poſt feſtum beatæ Agathæ 1304. more Gallico.

*Dies & annus hujus concilii eruuntur ex proteſtatione Abbatis Fiſcanenſis. Nominantur ibi Guillelmus Rotomagenſis archiepiſcopus, Gaufridus Abrincenſis, Matthæus, & Philippus Sagienſes epiſcopi. Ex illius autem actis id unum ſupereſſe ſcimus, quod legitur ſub finem Rotomagenſis cujuſdam Synodi.*

Statuit Concilium omnes & ſingulos judices ſæculares clericos ratione facti vel obligationis perſonalis etiam habiti vel habitæ coram eis, ſi ipſorum judicium litteræ factæ ſuper hoc oſtendantur, qui tanquam non coram ſuo judice pro infectis habeantur; juſtitiantes per ſuorum captionem bonorum, & amicorum ſuorum, ſeu aliis quomodolibet directe vel indirecte; nec non omnes & ſingulos religioſos & ſæculares clericos, & laicos, cujuſcumque ſtatus, ordinis, officii, ſeu etiam dignitatis extiterint, hoc publice vel occulte fieri procurantes, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere.

# VITA CLEMENTIS PAPÆ V.

Clemens quintus Vaſco, Bertrandus Gotto ante nominatus, ex epiſcopo Burdegalenſi electus fuit ipſis Nonis Junii, anno 1305. tempore Alberti imperatoris. Hic Burdigala Lugdunum pertranſiens, eo omnes cardinales convocavit, curiamque Romanam in Gallias traduxit, ubi ſeptuaginta & amplius annis perſeveravit. Coronationi illius rex Franciæ, frater ejus, & dux Britanniæ interfuerunt. Sardiniam Friderico Siciliæ regi dono dedit, ea ſolum conditione, ut ex ea Saracenos abigeret. Sectam Fratricellorum hæreticorum, ordinemque Templariorum multis erroribus implicitorum, concilio Viennenſi exterminavit. Venetos, qui cum præjudicio eccleſiæ ad Ferrarienſem principatum aſpirabant, excommunicavit. Idem bis contra Florentinos & Lucenſes tentavit, quod ab armis contra Piſtorienſes ſumptis abſtinere nollent: abſolutionem tamen poſtea, quod in Ferraria recuperanda pontificem juviſſent, conſecuti ſunt. Robertum, patre ejus mortuo, regno Neapolitano inveſtivit. Henricum ducem Luxemburgenſem imperatorem electum confirmavit, ea conditione, ut poſt biennium coronam accepturus Romam veniret. Bonam pecuniæ ſummam ad Lateranum incendio abſumptum reſtaurandum miſit. Diverſis ordinationibus plures cardinales creavit. Columnenſes reſtituit: Nogaretium & Sciarram ad inſtantiam & petitionem regis Franciæ abſolvit. Verum Bonifacium, quod idem rex fieri importune ſolicitabat, damnare & improbare noluit. Cœleſtinum V. quem Petrum confeſſorem nominavit, inter ſanctos retulit. Ad extremum morbis exagitatus migravit e vita XII. Kalendas Maii, anno Chriſti 1314. cum ſediſſet annos octo, menſes decem, & dies ſexdecim. Sedes duobus annis, tribus menſibus, & ſeptemdecim diebus vacavit. Clemens majorum ſuorum ſecutus veſtigia, legem a Gregorio latam confirmavit, & ſecundum Panvinium aliquid ei adjecit.

## ** DECRETUM ELECTIONIS Clementis V. Romani Pontificis.

Ex MS. R. P. Jac. Sirmondi S. J. collato cum apographo authentici diplomatis, quod ſervatur in tabulario S. Andreæ Burdegal. metropoleos, cum ſigillis appenſis, & ſingulorum monogrammatis, communicato a Petro Louveto Bellovacenſi. Ediderat Raynaldus, ſed mutilum.

In nomine Domini, amen.

*Sanctiſſimo patri & domino, domino Bertrando archiepiſcopo Burdegalenſi, divina providentia in ſummum pontificem electo, Joannes Tuſculanus, Theodoricus Civitatis Papalis, Leonardus Albanenſis, Petrus Sabinenſis, fratres Joannes Portuenſis, Nicolaus Oſtienſis & Veletrenſis, epiſcopi, Joannes ſanctorum Petri & Marcellini, fratres Robertus S. Potentianæ, Gentilis S. Martini in Montibus, Galterus, S. R. E. presbyteri, Matthæus S. Mariæ in Porticu, Neapolio S. Hadriani, Landulphus S. Angeli, Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano, Franciſcus S. Luciæ in Silice, Jacobus S. Georgii ad Velum aureum, Franciſcus S. Mariæ in Coſmedin, Richardus S. Euſtachii, & Lucas S. Mariæ in Via lata, diaconi cardinales, pedum oſcula beatorum.*

Recordatus eſt Dominus miſericordiæ ſuæ, & plebem ſuam non deſpexit in finem: quia dum prolixæ vacationis Romanæ, & per conſequens quodammodo univerſalis eccleſiæ, reſpexiſſet incommoda, & longa illius ex variis cauſis ſuſpiria cognoviſſet: in tempore accepto exaudivit eam, & in die ſalutis miſertus eſt ejus. Sanavit quidem, quia commota erat, contritiones ipſius: & vidua, per electionem canonicam generoſo ſponſo oblata, ſponſa ſpecioſa facta eſt. Et ſicut crapulatus a vino, ac a ſomno dormiens, excitata ſurrexit: & ubi deſperabat magis, ut Lucifer eſt exorta. Unde ſerenus dies illuxit nobis Spiritus ſancti illuſtratus ardore: populis, qui orbati, pœne gradiebantur in tenebris, tanquam quoddam ſidus apparuit, quod fulgore proprio, velut ſtella matutina, coruſcans, cunctos fideles irradiat ſuæ lumine claritatis.

Dudum ſiquidem eadem Romana eccleſia per mortem ſanctæ memoriæ domini Benedicti papæ XI. paſtoris ſolatio deſtituta: nos Theodoricus civitatis Papalis, Leonardus Albanenſis, Petrus Sabinenſis, Joannes Portuenſis, Nicolaus Oſtienſis & Veletrenſis, epiſcopi; Joannes SS. Petri & Marcellini, Fratres Robertus S. Potentianæ, Gentilis S. Martini in montibus, titulorum, presbyteri; Neapolio S. Adriani, Landulfus S. Angeli, Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano, Franciſcus S. Luciæ in Silice, Jacobus S. Georgii ad Velum aureum, Franciſcus Cajetanus S. Mariæ in Coſmedin, & Lucas S. Mariæ in Via lata diaconi car-



ANNO CHRISTI 1305.

dinales; una cum venerabilibus patribus Joanne Tuſculano epiſcopo, Matthæo S. Mariæ in Porticu, & Richardo S. Euſtachii, diaconis cardinalibus, apud Peruſium ſumus, pro ſubſtituendo ſummo Pontifice, conclave palatii, in quo idem dominus Benedictus mortis ſuæ tempore morabatur, ingreſſi, & tandem dictis Tuſculano epiſcopo, Matthæo & Richardo diaconis cardinalibus, necnon fratre Galtero S. R. E. presbytero cardinale, qui abſens, poſtmodum ſupervenit, & prædictum intravit conclave, & ex manifeſtis infirmitatum cauſis, ut apparebat, idem conclave egreſſis, & tunc extra illud morantibus ceteris ex nobis, votorum noſtrorum ſcrutatoribus electis per viam ſcrutinii ad electionem de nobis: hac die ſabbati in vigilia Pentecoſtes proceſſimus in hunc modum.

Quia primo per deputatos inquiſitores ſcrutatorum ipſorum, deinde per ipſos ſcrutatores, ſingulorum noſtrorum votis inquiſitis ſecreto, & mox in communi etiam publicatis, compertum extitit, quod in univerſo eramus " quindecim cardinales in conclavi manentes, & qui depoſueramus in ſcrutinio vota noſtra, quodque nos Albanenſis, Sabinenſis, Portuenſis epiſcopi, Joannes, Fr. Robertus, presbyteri, Neapolio, Landulfus, Guillelmus, Franciſcus Cajetanus, diaconi cardinales prædicti, vos in eodem ſcrutinio in ſummum Pontificem nominaveramus & elegeramus. Quo comperto, nos Theodoricus Civitatis Papalis epiſcopus, frater Gentilis presbyter, Franciſcus, Jacobus, & Lucas, diaconi cardinales præfati, acceſſimus juxta morem, ac ſubſequenter de voluntate & ſpeciali mandato noſtro, venerabilis frater Franciſcus Cajetanus prædictus, ſuo nomine & omnium noſtrorum, forma ſubſcripta vos elegit " nihilo minus in Romanum pontificem & paſtorem.

" *Mſſ. 15. apud Raynaldum: ubi & ſequentia corrupta.*

" *apud Raynald. elegit & nominavit in*

" In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Ad honorem Dei, & B. Mariæ ſemper virginis matris ejus. Ego Franciſcus S. Mariæ in Coſmedin diaconus cardinalis, venerabilem patrem dominum Bertrandum archiepiſcopum Burdegalenſem nomine meo, & omnium qui eum in ſummum pontificem elegerunt & nominaverunt, conſenſerunt ac acceſſerunt, eligo in ſummum pontificem & paſtorem.

Quam electionem, cantico Divinæ laudis præcantato, fecimus juxta morem clero & populo ſolemniter publicari. Pie igitur pater, electioni hujuſmodi veſtrum digemini præbere aſſenſum. In prædictorum autem teſtimonium & irrefragabilem fidem, eam præſentis decreti ſcripturam redigi fecimus, & noſtris, necnon & dictorum Joannis epiſcopi Tuſculani, fratris Galteri ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyteri, Matthæi S. Mariæ in Porticu, & Richardi S. Euſtachii, diaconorum cardinalium, ſigillis & ſubſcriptionibus communiri. Actum & datum Peruſii, anno Dom. MCCCV. Indict. III. Nonis Junii.

Ego Joannes Tuſculanus epiſcopus electioni factæ de venerabili patre domino Bertrando Burdegalenſi archiepiſcopo, in ſummum pontificem electo, conſentio, & eam approbo, gratam habeo & acceptam: ipſumque, licet abſentem, in ſummum pontificem recipio, & recepi, necnon meum ſigillum huic decreto apponi feci & ſubſcripſi. *Additur apud Raynaldum*: Et ſic ſcribant ſe omnes qui interfuerunt.

" *apud Raynald. ante electionem communem ſubſecutam acceſſi.*

Ego Theodoricus Civitatis Papalis epiſcopus, poſt publicatum ſcrutinium " acceſſi, & electionem communem fieri volui de venerabili patre domino Bertrando archiepiſcopo Burdegalenſi in ſummum pontificem: & factæ electioni de eodem archiepiſcopo conſentio & conſenſi, ipſumque, licet abſentem, in ſummum pontificem recipio, & recepi, necnon ſigillum huic decreto apponi feci, & ſubſcripſi. *Additur apud Raynaldum*: Et ſic omnes qui acceſſerunt.

Ego Leonardus Albanenſis epiſcopus, venerabilem patrem dominum Bertrandum archiepiſcopum Burdegalenſem, in ſcrutinio nominavi & elegi in ſummum pontificem, & electioni de eo in ſummum pontificem factæ conſentio & conſenſi, & ipſum dominum Bertrandum electum recipio licet abſentem, & recepi, huicque decreto meum ſigillum apponi feci & ſubſcripſi. *Additur apud Raynaldum*. Et ſic omnes qui dederunt voces ſuas in ſcrutinio, ſe ſubſcribant.

Ego Joannes Portuenſis epiſcopus, venerabilem patrem, &c. *ut ſupra*.

Ego frater Nicolaus, Oſtienſis & Veletrenſis epiſcopus, venerabilem patrem, &c.

Ego Joannes tit. SS. Marcellini & Petri presbyter cardinalis, venerab. patr. &c.

Ego frater Robertus tit. S. Pudentianæ presbyter cardinalis, vener. patr. &c.

Ego frater Gentilis tit. S. Martini in Montibus presbyter card. poſt publicatum ſcrutinium, &c. *ut ſupra*.

Ego frater Gualterus S. R. E. presb. card. electioni factæ de venerabili patre dom. Bertrando, &c. *ut ſupra*.

Ego Neapolio S. Hadriani diacon. card. venebilem patrem, &c. *ut ſupra*.

Ego Landulfus S. Angeli diac. card. vener. patr. &c.

Ego Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano diac. card. venerabilem patrem, &c.

Ego Franciſcus S. Luciæ in Silice diac. cardin. poſt publicatum ſcrutinium, &c. *ut ſupra*.

Ego Jacobus S. Georgii ad Velum aureum diacon. cardin. poſt publicatum ſcrutinium, &c. *ut ſupra*.

Ego Franciſcus S. Mariæ in Coſmedin diac. cardin. venerabilem patrem, &c. *ut ſupra*.

Ego Richardus S. Euſtachii diac. card. elect. factæ, &c.

Ego Lucas S. Mariæ in Via lata card. poſt publicatum ſcrutinium acceſſi, &c. *ut ſupra*.

## " ** Eorumdem cardinalium epiſtolæ ad Bertrandum eumdem electum in Rom. pontificem.

*Sanctiſſimo patri ac domino, domino Bertrando archiepiſcopo Burdegalenſi, divina providentia in ſummum pontificem electo, miſeratione Divina epiſcopi, presbyteri, diac. S. R. E. cardin. pedum oſcula beatorum.*

Recordatus eſt Dominus, &c. *ut in ſuperiori eorum epiſtola*. Dudum ſiquidem eadem Romana eccleſia per mortem ſanctæ memoriæ domini Benedicti papæ XI. paſtoris ſolatio deſtituta, de vobis (ſicut per electionem ſeu decretum, quod ſanctiſſimæ paternitati veſtræ una cum præſentibus litteris, per providos & diſcretos viros, fratrem Guidonem abbatem monaſterii Belliloci Cluniacenſis ordinis, Virdunenſis diœceſis apoſtolicæ ſedis; magiſtrum Petrum de " Montechiello ſacriſtam eccleſiæ Narbonenſis, noſtris communibus, ac Andream de Eugubio canonicum " Carthalenſem, ejuſdem ſedis in Romana curia obſequiis inſiſtentes, noſtros ad id ſpeciales tranſmittimus nuncios, liquere poterit) eſt nunc in ſummum Pontificem electio celebrata. Pie igitur pater, vos ſuppliciter exoramus, ut ad locum prædictæ ſedis, & ad partes terrarum ipſius, exemplo felicis recordationis Cle-

" *de Monteciello, Raynald.* " *Catalaunenſem Raynald.*



mentis

ANNO CHRISTI 1305.

mentis PP. IV. & ſanctæ memoriæ Gregorii X, Romanorum pontificum, præſentia veſtra, ſicut noſter æternus medicus, qui præſens jacentem mundum erexit, & curavit infirmum, eccleſiæ laboribus conſulatis. Fluctuat itaque Petri navicula, ſagena rumpitur piſcatoris, pacis ſerenitas in nubilum verſa eſt, ac eccleſiæ Romanæ terras, & nonnullas adjacentes provincias, vaſtat bellorum calamitas, & in eis ſagittæ zizaniam ſeminantis ardentibus effectæ complentur, ex quibus propriarum rerum, quod gravius eſt, animarum, pericula ſubſequuntur. Soldanus inſuper Babylonicus hoſtis inſultat, & poſt clades miſerabiliter Chriſti fidelibus illarum partium inflictas, & urbium Chriſtianarum excidia, deteriora minatus, & reſiduum, quod ibi Chriſtiani poſſident, ut ſingularis ferus exterminare ſatagit, & hiatu terribili nititur devorare. Succurrite pie pater, & ſauciatorum vulnera præſentialiter purgate, vino & oleo confovere. Non dubium quippe, quod in ſede Petri reſidebitis fortior, lucebitis clarior, & in terra ejus vivetis quietior, & remotis regibus principibus atque populis admirabilior eritis, & ipſorum devotionem & obedientiam plenius acquiretis. In ſua namque domo eſt unuſquiſque * potentior, & in eccleſia propria quieſcit quis dulcius. Enſis juxta capulum minus, ejuſque pars quæ magis diſtat a capulo plus incidit, & viſa frequenter ſpernuntur, ſæpius ac facilius adita vel quæſita vileſcunt, Venite ergo, & quod noſtris in hac parte votis aſſentiat veſtra benignitas, quam bene diuque valere cupimus, iterum ſupplicamus. Datum Peruſii anno Dom. MCCCV, Indict. III. V, * Idus Junii.

* Raynald. unuſquiſque planeta potentior.

* Raynald. VI. Id. Jun.

"*" In MS. noſtro exemplari R. P. Jac. Sirmondi manu deſcripto, ſequitur hoc Clementis V. diploma.

*Clemens epiſcopus, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

MEruit cariſſimi filii noſtri Philippi regis Francorum illuſtris ſinceræ devotionis, ad nos & eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt, meruit inſuper fida regnicolarum pietas ac devotionis ſinceritas, ut tam regnum quam regem favore benevolo proſequamur. Hinc eſt quod nos dicto regi & regno, per diffinitionem ſeu declarationem bonæ memoriæ Bonifacii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Unam ſanctam*, nullum volumus vel intendimus præjudicium generari. Nec quod per illam, rex, regnum, regnicolæ prælibati amplius eccleſiæ ſint ſubjecti, quam antea exiſtebant. Sed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante diffinitionem præfatam, tam quantum ad eccleſiam, quam etiam quo ad regem & regnum ſuperius nominatos. Datum Lugduni Kalendis Februarii, pontificatus noſtri anno primo.

# CONCILIUM PROVINCIALE

## A Guillelmo de Flavacurla celebratum apud Pontem Audomari.

Ex Beſſin Concil. Rotom. Prov. pag. 168.

*Ex MS. Bigotiana a P. Beſſin primum editum.*

Plura iiſdem verbis repetit ex Concilio Pontis Audomari 1279. & Pratenſi 1299.

I.

*De Procurationibus.*

REnovantes ſtatuta Concilii, volumus, ut huic placet Concilio, quod circa procurationes ratione viſitationis debitas, accipiendas ab Archiepiſcopo et Epiſcopis, & circa gravamina non inferenda prætextu officiariorum ſuorum ſervientium, ſervetur quod ſtatutum eſt in Concilio & in conſtitutionibus novis. (Lateran. IV. can. 33.)

II.

*Ut edictum contra facientes colligationes in Eccleſia pronuncietur.*

Volumus, quod ſtatutum Concilii generalis [1] contra eos, qui faciunt colligationes & ſtatuta contra libertates eccleſiæ editum frequenter & ſolemniter in Synodis & parochialibus eccleſiis promulgetur, & tranſgreſſores canonice puniantur.

III.

*De ſæculari poteſtate Clericos capiente.*

Conc. an. 1279. c. 6. Statuimus, quod ſæculares poteſtates clericos capientes cum majori violentia, quam exigit rebellio defendentis, vel detinentes, eos ultra vel contra requiſitionem judicis eccleſiaſtici, denuncientur excommunicati a canone in generali; in ſpeciali vero poſtquam de his conſtiterit evidenter.

IV.

*Ne de cauſis eccleſiaſticis judex ſæcularis adeatur.*

Idem c. 7. Diſtrictius inhibemus, ne de cauſis ad eccleſiam pertinentibus a perſonis eccleſiaſticis judex ſæcularis, maxime ſuper actionibus perſonalibus, adeatur.

V.

*Ut percipientes majores decimas, teneantur &c.* (Idem c. 8.)

Statuimus, quod abbates, priores, & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ, quæ percipiunt majores decimas in eccleſiis parochialibus, compellantur ad reſtaurandum libros, fabricam, & ornamenta, pro rata quam percipiunt, in eiſdem, juxta conſuetudinem obſervatam.

VI.

*Ut litteræ citationum diligenter examinentur.*

Volumus, quod ſtatutum Synodale, ſcilicet quod perſonæ eccleſiaſticæ, ad quas veniunt mandata diverſorum judicum, delegatorum, conſervatorum ſeu executorum, diligenter videant nomina judicum, diœceſum, & locorum, ad quæ citatur: & non * citent, niſi videant authenticum, vel tranſcriptum ſub ſigillo authentico. (* F. exeq.)

VII.

*Ne vigiliæ, vel choreæ fiant in locis ſacris.*

Firmiter inhibemus ne vigiliæ, vel choreæ in cimiteriis & locis ſacris fiant: præcipientes, ut tranſgreſſores canonice puniantur. (Idem c. 10.)

VIII.

*Ut clerici tonſuram, & crucesignati crucem deferant.*

Moneantur ſolemniter in eccleſiis Clerici, maxime non uxorati, congruentem deferre coronam: Crucesignati vero crucem in aperto deferre cogantur. (Idem c. 20. & 21.)

1 Lugdunenſis, & Bituricenſis, quæ jubentur, in provincia Rotomagenſi obſervari, ut liquet ex Concilio Pontis Audomari 1279. c. 3.



ANNO CHRISTI 1305.

IX.

*De frænis, ſellis, & calcaribus.*

De ſellis, frænis, calcaribus, & pectoralibus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem habentibus, quibus Clericos uti prohibitum eſt, & de clauſis deſuper indumentis a Sacerdotibus deferendis, volumus obſervari ſtatutum Concilii generalis *. (* Later. IV. c. 16.)

X.

*Ne beneficiati ſint venatores.*

Conc. an. 1279. c. 11. Prohibemus ne clerici beneficiati, ſeu in ſacris ordinibus conſtituti, venationibus, aut aucupiis ſint intenti vel aſſueti.

XI.

*De numero Religioſorum reſtituendo.*

Idem c. 12. Statuimus quod in Abbatiis & prioratibus, in quibus facultates eccleſiæ non ſunt diminutæ, reintegretur numerus Religioſarum perſonarum, niſi forſitan ex ſuperiorum expreſſa licentia, & ex cauſa rationabili, ſuſtineatur ad tempus.

XII.

*Ne Monachus ſolus alicubi commoretur.*

Hoc, quod a jure ſtatutum eſt, ne Monachus ſolus alicubi commoretur, obſervari volumus, & mandamus.

XIII.

*Ut Monachi obſervent ſtatuta Gregorii Papæ.*

Idem c. 13. Moneantur Monachi commorantes in prioratibus non conventualibus cum comminatione excommunicationis & ſuſpenſionis, & prout expediens viſum fuerit, inducantur ut ſtatuta Gregorii Papæ quantum ad eſum carnium, * confeſſiones, & jejunia ſtudeant obſervare. *Vet. Edit. addunt.* Statuimus, quod Regulares non morentur cum ſæcularibus, niſi per diœceſani licentiam. (* al. comeſſationes.)

XIV.

*De non contrahendo cum Religioſis.*

Can. 15. Statutum factum de non contrahendo mutuo a Religioſis ultra certam quantitatem, niſi de licentia abbatis ſui, firmiter obſervetur.

XV.

*Ut Decani non ſuſpendant aut excommunicent.*

Can. 16. Præcipimus, quod Decani rurales, exercentes juriſdictionem, non ſupendant, vel excommunicent niſi in ſcriptis.

XVI.

*Ne deſiſtant a denunciatione excommunicationis.*

Can. 17. Præcipimus, quod Sacerdotes non deſiſtant a ſententiæ excommunicationis denunciatione, quantumcumque partes pacificent inter ſe, niſi ſibi legitime conſtiterit de excommunicatorum abſolutione.

XVII.

*De abſolutione qui fiat.*

Can. 17. Item volumus, quod abſolutio fiat cum debita ſolemnitate.

XVIII.

*Ne excommunicent in generali.*

Can. 18. Inhibemus ſacerdotibus ne præſumant excommunicare in generali, niſi pro furtis, vel pro deperditis, & competenti monitione præmiſſa.

XIX.

*De examinatione Capellanorum.*

Can. 19. Statuimus, ut Capellani, quibus Eccleſiæ committuntur ad tempus, ſuper literatura, converſatione, & ordinatione ſua, diligenter examinentur.

XX.

*Ne abutantur literis apoſtolicis.*

Can. 23. Præcipimus, ut per ſingulas eccleſias moneantur Clerici, & crucesignati tam clerici quam laici, ne litteris Apoſtolicis, ſeu Legatorum ſedis apoſtolicæ, aut aliis generaliter, aut alias quomodocumque abutantur: ſcientes quod ſollicitudine qua convenit ſi faciant, vigilabimus contra ipſos, ut exceſſus eorum non remaneant impuniti.

XXI.

*De Religioſis præſentatis ad curas eccleſiarum.*

Can. 14. Statuimus, quod Canonici regulares, qui ad curam eccleſiarum a ſuis prælatis Epiſcopis præſentantur, non recipiantur ad ipſas, niſi per inquiſitionem præhabitam conſtiterit omnino eſſe bonæ vitæ, honeſtæ converſationis, bonis imbutos moribus, de ſufficienti ſcientia eorum, & de natalibus eorumdem, & quod eorum prælati poſtquam a prælatis recepti fuerint ad curas animarum ſeu eccleſiarum, eos ſine licentia Epiſcoporum ab eiſdem non valeant amovere. Et quod niſi ſufficientes perſonas infra 40. dies a die vacationis eccleſiarum præſentaverint, per ipſos eccleſiis vacantibus provideatur, ponendo ibidem presbyteros ſæculares, ſi videatur expedire.

| | | |
|---|---|---|
| Septem Virtutes | Cardinales | Temperantia. Prudentia. Fortitudo. Juſtitia. |
| | Theologicæ | Fides. Spes. Charitas. |

Articuli fidei diſtinguuntur, vel numerantur ſecundum numerum credibilium. Sic ſunt quatuordecim: ſeptem pertinentes ad Divinitatem, & ſeptem pertinentes ad Humanitatem Chriſti, & ſic habentur in Symbolo, ſeu *Credo in Deum*.

VII. pertinentes ad Divinitatem:
( De Deo uno.
( De Perſona Patris.
( De Perſona Filii.
( De Perſona Spiritus ſancti.
( De remiſſione peccatorum.
( De reſurrectione mortuorum.
( De æterna vita Beatorum.

VII. pertinentes ad Humanitatem:
( De Conceptione, ſeu Incarnatione Chriſti.
( De Nativitate.
( De Paſſione.
( De deſcenſu ad Inferos.
( De Reſurrectione.
( De Aſcenſione.
( De Adventu ad Judicium.

Septem ſunt opera miſericordiæ, quæ habentur per hos verſus:

Veſtio, poto, cibo, tectum do, viſito, ſolvo.
Quo defunctus eget, non tua cura neget.

Septem dona S. Spiritus:
( Donum timoris, contra ſuperbiam.
( Donum pietatis, contra invidiam.
( Donum ſcientiæ, contra iram.
( Donum fortitudinis, contra acediam.
( Donum intellectus, contra gulam.
( Donum ſapientiæ, contra luxuriam.
( Donum conſilii, contra avaritiam.

Sumus per ſapientiam maturi, per intellectum providi, per conſilium cauti, per fortitudinem generoſi, per ſcientiam diſcreti, per pietatem miſericordes, per timorem humiles.

Expliciunt ſtatuta Synodalia ſecundum uſum Rotomagenſem.

## HÆC SUNT FESTA QUÆ GENERALITER SUNT INDICENDA.

*In menſe Januarii.*

Circumciſio Domini, Epiphania, Converſio S. Pauli.

*In menſe Februarii.*

Purificatio, Cathedra, & Mathias.

*In menſe Martii.*

A Annunciatio, dies Paraſceves uſque ad meridiem, dies Paſchæ cum tribus diebus, dies Aſcenſionis, dies Pentecoſtes cum tribus diebus, dies Euchariſtiæ.

*In menſe Aprilis.*

Dies ſancti Marci.

*In menſe Maii.*

Apoſtolorum Philippi & Jacobi, Inventio S. Crucis.

*In menſe Junii.*

Barnabæ, S. Joh. Bapt. Petri & Pauli.

*In menſe Julii.*

Mariæ Magdalenæ, Jacobi & Chriſtophori.

*In menſe Auguſti.*

B Transfiguratio, S. Laurentii, Aſſumptio B. Mariæ, S. Bartholomæi, Decollatio S. Joh. Bapt.

*In menſe Septembris.*

Nativitas B. Mariæ, Matthæi, S. Michaelis.

*In menſe Octobris.*

S. Lucæ, S. Romani, Simonis & Judæ.

*In menſe Novembri.*

Omnium Sanctorum, Commemoratio Defunctorum, S. Martini, S. Catharinæ, S. Andreæ.

*In menſe Decembris.*

S. Nicolai, Conceptio, S. Thomæ Apoſtoli, dies Natalis, S. Stephani, S. Johannis Evang. SS. Innocentium, S. Thomæ martyris.

## OBSERVATIO.

Concilii hujus locum, diem, annum, & cauſam deprehendimus ex archivio Beccenſi. Exinde quippe diſcitur, apud Pontem Audomari celebratum eſſe concilium die Lunæ ante feſtum B. Dionyſii an. 1305. contra perturbatores juriſdictionis eccleſiaſticæ, ac multiplicibus angariis bona & perſonas eccleſiaſticas aggravantes: quod ſane hujus ipſius concilii art. 2. haud obſcure innoteſcit. Ea etenim tempeſtate regii magiſtratus & judices quaſi uno animo conſpiraverant, ut eccleſiaſticam juriſdictionem labefactarent, & Cleri libertates qua poſſent arte vel vi prorſus infringerent.

Ceterum ad calcem extat Elenchus feſtorum, quæ generaliter ſunt indicenda. At poſterioris concilii eſſe ſuadent tum quod ipſi præmiſſum ſit: *Expliciunt ſtatuta Synodalia*: tum quod illis feſtis annumeretur Euchariſtiæ feſtivitas, quam certum eſt in eccleſia Rotomagenſi non fuiſſe inſtitutam ante annum 1317. ut legitur in majori chartario Archiepiſcopali folio 216.



# ACTA CONCILII SISENSIS ARMENI

## JUSSU [a] GREGORII PATRIARCHÆ, ET LEONIS ARMENIÆ REGIS,

### Ad uniendam Armenam Eccleſiam cum Romana, generaliter coacti, anno Domini MCCCVII. & Armeniorum DCCLVI.

[a] Hic obiit, antequam Concilium cogeretur.

Ex Galani Concil. Eccleſ. Armen. cum Rom. par. 1. c. 28.

STudioſiſſime quam ex animo poterat, Leo pientiſſimus, & invictiſſimus Armeniorum rex, ex ſacro ſancto Armeniæ Patriarcha Gregorio jam contenderat rem quidem cœleſtem, ac divinam; ut totus nimirum in Chriſtianæ reipublicæ unionem & concordiam procurandam, euſque incumbere, nihil præterea, deberet; quo Armenam Eccleſiam cum magna Romanorum, aliorumque Catholicorum Eccleſiis, in feſtis celebrandis, aliiſque conſtitutionibus, & traditionibus ſuſcipiendis, ad unionem & communionem perduceret: ne quid fortaſſe Eccleſiæ ſanctæ deficeret, quominus unum eſſet corpus indiviſum, ſub uno vero capite, Chriſto Domino, & Deo noſtro conſtitutum. Quod ſane ubi accepit Beatiſſimus pater noſter Gregorius, cognito, quod ejuſmodi poſtulatio fuerat in animo, & corde piiſſimi regis a ſancto ſpiritu inſita, nimium inde voluptatis, ac lætitiæ hauſit. Quapropter ſumma ipſius voluntate, & libentiſſime facinus hoc divinum aggrediens, rem totam diligentiſſime ratione, atque animo luſtrare cœpit. At quia præcipue compererat, aquæ commixtionem fore ſacrificio apprime neceſſariam, in Eccleſiam quoque noſtram nobis introducendam eſſe, adjudicavit; quemadmodum ea nunc pariter utitur ſancta, ac magna Romanorum Eccleſia, aliæque ceterorum Catholicorum: idque teſtimoniis ſacrorum librorum, ſanctorumque Patrum doctrinis nobis probatum reliquit; imo & firme ſtatuerat, opportuno tempore in Armenis Eccleſiis pleno etiam Concilio ſtabilire.

Præterea quoque tradidit, eſſe nobis recipiendas omnes ſeptem Synodos Generales; & quicquid in illis a Sanctis Patribus decretum fuit, præſertim circa duas naturas, voluntates, & operationes, quæ in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſecundum divinitatem & humanitatem perfecto, verificantur; eiſque velut ſanctis, ac divinis conciliis, ita nos Armenios cunctam exhibere reveren- C tiam, & honorem, ſicuti omnes aliæ ſolent Eccleſiæ, videlicet ſancta, ac magna Eccleſia Romana, Conſtantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, & Hieroſolymitana. Tum etiam demandavit, ut feſtivitates Dominicas uniformiter cum præfatis Eccleſiis Catholicis ſolemni ritu celebraremus: nempe feſtum Annunciationis 25. Martii, quacumque die contigerit, ſimiliter feſtum Nativitatis Domini 25. Decembris; ac feſtum Purificationis 2. Februarii; ceteras autem Sanctorum feſtivitates eo pacto, quo & alii Chriſtiani, ſuis certis diebus, in quibus incidunt, ageremus: porro illæ, quas peculiari noſtra traditione, Armena celebrare ſolet Eccleſia, eodem prorſus modo in poſterum, ſicuti nunc, obſerva- D rentur. Item Triſagium, *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis* (cui additum hoc loco fuerat, *qui crucifixus es pro nobis*) *miſerere noſtri* operæ pretium duxit, directum ſic in filium eſſe deinceps decantandum: *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis, Chriſte, qui crucifixus es pro nobis, miſerere noſtri.* Denique in vigiliis Dominicæ Nativitatis, Baptiſmi, ſeu Epiphaniæ, & Reſurrectionis, præcepit nobis, ut a cibis paſchalibus abſtinentes, piſcibus tantum, & oleo, ſicut Romana ſolet Eccleſia, inter alia quadrageſimalia obſonia, uti poſſemus.

Hæc itaque in ſua Epiſtola recollecta, & ſacrarum Scripturarum oraculis, ſanctorumque Patrum traditionibus confirmata, miſit ad piiſſimum Re- E gem [a] Leonem, ut illa tempore congruenti, ad tollendos Eccleſiæ Armenæ defectus, atque ad omnem æmulationis, & odii fomitem, qui in eam occaſione mali obrepſerat, reſtinguendum, pleno indicto Concilio, ſtabiliret. At vero cum ipſemet egregius Pater noſter Gregorius nequiviſſet ad hoc præclarum facinus, uti animo deliberaverat, concilii ope complendum, tantumque Eccleſiæ ſuæ beneficium conferendum, pervenire: quippe interitu præoccupatus, ex hac mortali vita ad Dominum,

[a] Seu potius ad Haytonem Leonis patrem, ut una cum rege filio eam aſperet provinciam.





A cui devotus maximopere vixerat, demigravit; propterea Leo magnus, ac pius Rex, ſanctiſſimi Patriarchæ mandatis obtemperare deſiderans, Concilium quam cito convocandum exiſtimavit, in quo ad præfatas traditiones decernendas interfuiſſent omnes Epiſcopi, Magiſtri, & Patres Armeni: idque mox præſtitit accuratiſſime, Generalem hanc Synodum congregans in Metropolitana Civitate Siſenſi, in magna Eccleſia S. Sophiæ; ubi pleniſſimo cœtu adfuimus infraſcripti Epiſcopi, Magiſtri, & Patres Cœnobiorum, aſtantibus plurimis ex Armeno populo Optimatibus, inter quos erat & ipſe Leo pientiſſimus Armeniorum Rex; Haytan pater Regis, ceterique Principes, & Magnates Armeniæ. Epiſcopi autem fuerunt

B Conſtantinus, magnus Archiepiſcopus Cæſareæ.
Joannes Archiepiſcopus Tarſi.
Stephanus Archiepiſcopus Sebaſtes.
Conſtantinus Archiepiſcopus Siſis civitatis Metropolitanæ.
Stephanus Epiſcopus a Deo conſecratæ civitatis Tarſoni.
Nierſes Epiſcopus Tyani.
Joannes Epiſcopus Anazarbi.
Joannes Epiſcopus Ajaſi.
Stephanus Epiſcopus Parzerperri.
Baſilius Epiſcopus provinciæ Ghaboenſis.
Gregorius Epiſcopus Marſciæ.
Tharaſius Epiſcopus Maſchievori.
C Jacobus nepos domni Gregorii Patriarchæ Epiſcopus N.
Heſychius Epiſcopus Stimbolæ.
Vartanus Epiſcopus Dochii.
Andreas Epiſcopus Harcani.
Simeon Epiſcopus Ghubitarri.
Leo Epiſcopus Zamentaui.
Joannes Epiſcopus Marantuniæ.
Stephanus Epiſcopus palatii Patriarchalis.
Georgius Epiſcopus N.
Hairabiet Epiſcopus Rorani.
Nicolaus Epiſcopus Cypri.
Præcurſor Epiſcopus Miezghierti.
Vartanus Epiſcopus Ani.
Philippus Epiſcopus Khuorzeni.

*Magiſtri & Patres Cœnobiorum fuerunt.*

D Joannes ſcriba Miezchieri.
Marcus Magiſter Schieverri.
Cyriacus Magiſter Eremita.
Gregorius Magiſter N.
Vartanus Magiſter Anazarbi.
Martyr Magiſter Palatii Patriarchalis.
Gregorius Magiſter Chiermaſperi.
Gregorius Magiſter Miezchierenſis.
Tharaſius Magiſter Gherachenſis.
Vartanus Magiſter Aghnieri.
Sergius Pater Monaſterii Aghnierenſis.
Gregorius Pater Monaſterii Thiurchtenſis.
E Baſilius Pater Monaſterii Khorinenſis.
Tharaſius Pater Monaſterii Miezcherenſis.
Præcurſor Pater Monaſterii Mouſiſoenſis.
Joſeph, Pater Monaſterii Chielegachenſis.
Tharaſius Philoſophus & Pater Monaſterii Zorenſis.

*Principes, qui una cum ipſo Rege Leone, & Haytone Patre Regis ſynodo adfuerunt.*

Fratres Regis Armeniæ, Oſcinus, Dominus Ghabri; & Alinahh Dominus Lamproni, & Tarſi.

A Oſcinus, Armeniorum Dux generalis, & Dominus Ghanciæ.
Sembat Maracciacht Dominus Aſghurri.
Raymundus Seneſcial, Dominus Miechalchui.
Vaſah Dominus Piertghani.
Sembat Dominus Sembataghelæ.
Oſcinus Dominus Ghubitarri.
Lichus Dominus Ghiſterrami.
Tharaſius, regiæ domus Præfectus.
Tharaſius Prachſimus, Dominus Gioſelchæ.
Lichus Chierraſcenens, aliique Principes, Procereſque Armeniæ.

Adfuit etiam Conſtantinus Capellanus Regius, cum magno Sacerdotum tum ſæcularium, tum regularium numero.

B Coram omnibus igitur nobis Rex epiſtolam Patriarchalem examinandam propoſuit; quam cum diligenter legiſſemus, veracem omnino comperimus, non ſecus ac ſi Apoſtolica lex, & conſtitutio fuiſſet. In ea namque beatiſſimus pater noſter Gregorius demandabat nobis, ut duas naturas voluntates, & operationes in unam Filii Dei hypoſtaſim referremus; ut in celebratione Dominicarum feſtivitatum, hoc eſt Annunciationis, Nativitatis, Baptiſmi, ſeu Epiphaniæ, & Purificationis, inveniremur ceteris Chriſtianis conformes: ut juxta Menologii diſpoſitionem feſtos ſanctorum martyrum dies ageremus, & Aſſumptionis ſanctiſſimæ Deiparæ 15. Auguſti, & Exaltationis S. Crucis 14. Septembris: ut in Eccleſia pro- C priis juxta uniuſcujuſque Ordinis diverſitatem ſacris veſtibus uteremur; atque inter altaris operimenta non defuiſſent corporalia: ut jejunium Nativitatis Domini 19. Decembris inchoaretur; & in vigiliis [a] piſcibus duntaxat, & oleo ex aliis cibis paſchalibus veſci, contenti eſſemus: utque demum in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento conficiendo, aquam vino miſceremus; quod pluribus quidem ſacræ Scripturæ teſtimoniis comprobans, nobis ſummopere neceſſarium eſſe oſtendit.

[a] In jejuniis a piſcibus etiam & oleo abſtinent Armeni. Sed in vigiliis non jejunant.

Et primo ex illo Joannis: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt: & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis; & hi tres unum ſunt.* (Joan. ep. 1. c. 5.) Tum apoſtolus Paulus D ſcribens ad Corinthios ait: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*; (1. Cor. 11.) ſicut & ipſe Dominus accepto calice dixit, *hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. 22.) Præterea calix non ſignificat vinum purum, ſed potius poculum, in quo aqua vino miſcetur: ut divinus etiam Salomon teſtatur dicens: *Miſcuit in cratera vinum ſuum*; & iterum; *bibite vinum, quod miſcui vobis*: (Prov. 9. in 70.) his patefaciens, calicem, ſeu craterem eſſe poculum, in quo vinum & aqua miſcentur. Tum quoque illud: *Calix aureus Babylon in manu Domini*, (Hierem. 51.) non denotat merum, ſed poculum aureum.

Ceterum quod talis in calice mixtio neceſſaria ſit, oſtendit itidem ex Sanctorum Patrum tradi- E tionibus hoc pacto: Magnus Chryſoſtomus in ſua Liturgia ait: *Accedens unus militum, lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis; hæc dicens, infundat vinum: & ſubdens, & aqua; infundat aquam*: ſic manifeſto declarans, aquæ mixtionem in ſacris eſſe myſteriis neceſſariam. Idem indicat D. Baſilius in ſua quoque Liturgia: *Accipiens*, inquit, *calicem, miſcens, benedicens* &c. Similiter & S. Athanaſius, in Tractatu de Baptiſmo circa finem ait: *Vides hanc menſam, in medio altaris appoſitam, & ad Eccleſiæ decorem afferendum inſtitutam?* & poſt alia ſubdit: *Hæc eſt cœnaculum, in quo cum Redemptore recumbis; ubi comedentibus illis, accipiens*

*Jeſus*

ANNO CHRISTI 1307.

*Jeſus panem, fregit, deditque diſcipulis, dicens: accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum: & accipiens calicem vini mixtum gratias egit, & dedit eis dicens: accipite, & bibite ex eo, hic eſt ſanguis meus; & biberunt.* Et iterum poſt alia ſequitur: *proponimus enim panem, & vinum ſuper hanc divinam menſam, in qua Sapientia mactavit victimas ſuas, & miſcuit in cratera vinum ſuum.* Et Gregorius Nyſſenus in Cantica Canticorum. *Pande os, ait, & bibe aquam ex latere, de quo lancea tibi ſcaturiginem aperuit.* Tum Chryſoſtomus in explanatione Evangelii expendens verba illa, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei*, inquit hoc dictum eſſe, *ut pernicioſiſſima eorum hæreſis, qui aqua in myſteriis utuntur, radicitus extirpetur.* Verum illi in myſteriis aqua dicuntur uti, qui myſterium mortis Chriſti aqua ſola conficiunt abſque vino. Hoc idem præterea injunxere Sancti Patres, qui in ſexta Synodo convenerunt tempore [a] Juſtiniani Imperatoris, ubi multa nobis de aquæ hujus neceſſitudine tradiderunt. Et hoc itidem ipſum decretum fuit a ſanctis Patribus in magna Synodo [b] Carthaginenſi temporibus piiſſimi Imperatoris Honorii celebrata: quæ ſi quis videre deſiderat, legat ſextum Concilium can. 32. & Concilium Carthaginenſe cap. [c] 37.

Chryſoſt. in Matth. c. 26.

Synod. Trullana can. 32.

a Juſtinian. II. ſub quo Canones ſextæ Synodi editi fuere: nam ipſa ſexta Synodus celebrata fuit ſub Conſtantino.

b Synod. Carthag. 3. can. 24.

c Canone 37. apud Armenos, ſed re vera, Can. 24.

Præterea quoque S. Alexander, ſeptimus poſt Petrum Apoſtolum in cathedra Romana Pontifex, de hoc ſacro myſterio ſcribens, admonuit id nobis a quocumque Pontifice poſtulandum, ut nimirum ſacramentalia eccleſiæ miniſteria alios recte edoceat, præſertim Baptiſmi, Matrimonii, & ſacrificii, quod in memoriam Dominicæ Paſſionis peragitur. Nam ſicut ipſe Dominus fuit in cruce immolatus ſecundum carnem; & ſanguis & aqua ex ejus latere profluxerunt; ita nos pariter debemus in ejuſdem myſterii commemorationem corpus ejus, & ſanguinem una cum aqua offerre ſuper altare. Hæc quidem tradidit magnus, & glorioſus martyr Alexander, qui omnes Eccleſiæ conſtitutiones, & canones plene ab ipſo hauſerat Petro; [d] præcepitque, *ut nec vinum ſolum, nec aqua ſola, ſed utrumque permixtum offeratur*; quod etiam didicimus ex Evangelio: cum enim Domini latus aperuerunt, non aqua ſolum effluxit, nec ſolus ſanguis, ſed utrumque ſimul. Et Julius Papa [e] hæc de tali myſterio faſſus eſt, dicens: *Non poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi miſceatur utrumque*, hoc eſt, vinum, & aqua: ac demum concluſit, quod ſi quis ſacrificium altero ſolo ſine altero perfecerit, *tamdiu ceſſare debeat a ſacrificando, quamdiu legitima pœnitentia ſatisfactione juxta ſacros Eccleſiæ canones correctus ſit.* Cyprianus item, martyr eximius, & Epiſcopus Carthaginenſis in Occidente, de calice Domini noſtri Jeſu Chriſti ſic habet: *Per Salomonem Spiritus Sanctus typum Dominici ſacrificii ante præmonſtrat, immolatæ hoſtiæ, & panis, & vini, ſed & altaris, & Apoſtolorum faciens mentionem: Sapientia, inquit, ædificavit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem, mactavit ſuas hoſtias, miſcuit in cratera vinum ſuum, & paravit menſam ſuam; & miſit ſervos ſuos, convocans cum excelſa prædicatione ad crateram, dicens: qui eſt inſipiens, declinet a me; & egentibus ſenſu dixit: venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Vinum miſtum declarat, ideſt calicem Domini, aqua & vino miſtum, prophetica voce prænunciat; ut appareat, in paſſione Dominica id eſſe geſtum, quod fuerat ante prædictum.* His igitur docet beatiſſimus Cyprianus, haud quaquam licere, aqua ſola, aut puro vino in myſteriis uti, ſed utroque ſimul,

d Alexand. I. in ep. 1.

e Julius I. apud Gratian. de conſecr. diſtinct. 2.

Lib. 2. ep. 3.

Prov. 9. ex po.

Præterea magnus Epiſcopus Mediolanenſis S. Ambroſius in ſuis ſcriptis commendatum reliquit, debere quemlibet ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ præſtare obedientiam; quippe quæ ab Apoſtolo Petro in orthodoxa fide firmata fuit. Nam ſicuti corporis eſt obedire capiti; ita debet ſimiliter univerſalis Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti, ei obtemperare, qui totius Eccleſiæ caput a Chriſto Domino fuit conſtitutus. Tum etiam idem Ambroſius [f] aquæ commixtionem ſacrificio neceſſariam eſſe oſtendit: eo quod actione illa miſtionem Verbi Dei, quæ nobiſcum facta eſt, ſignificamus, cum vere & proprie illa divinitatis, & humanitatis effecta ſit compoſitio, ſecundum quam vera membra veri capitis noſtri Chriſti vocati ſumus. Idcirco enim, dum eſſet ille in Cruce, ſanguinem emiſit & aquam; quod perfecte in ſacrificio Miſſæ completur, ut noſtra cum Deo oſtendatur communicatio.

f Lib. 4. de Sacram. c. 4. & l. 5. c. 1.

Eodem quoque intellectu S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de Paſchate mentionem faciens ſanguinis & aquæ, quæ de Domini noſtri Jeſu Chriſti latere profluxerunt, cum ſupra crucem pro redemptione Mundi immolabatur, affirmat egreſſum eſſe ſanguinem, ut indicaretur, quod Dominus noſter vivus ſecundum divinitatem remanſerat; & pariter aquam, quia ſecundum humanitatem, quam de noſtro aſſumpſerat, vere pro nobis mortuus erat. Quibus profecto videtur innuere, in ſancto reconciliationis ſacrificio, quod eſt exemplum Dominicæ paſſionis, aquæ vinique miſtionem neceſſariam eſſe: quandoquidem ſi, quod immolatum fuit, & in altari immolatur, eſt Chriſtus, idemque perfectus Deus & perfectus homo, opus eſt conſequenter, in hoc ſemper ſacrificio, in ſignum divinitatis & humanitatis ejus, aquam vino miſcere. Quamobrem quicumque hujus rei ſignificationem in altari plene conſummant, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, perfecto Deum, & hominem confitentur: quicunque vero aut ſolum vinum, aut ſolam aquam apponunt, ſi procuIdubio in confeſſione humanitatis aut divinitatis ejus deficientes inveniuntur; imo ipſorum quoque ſacrificium nullum fortaſſis erit, propter imperfectionem: quare taliter offerentes pœnis a ſanctis ac magnis conciliis præſcriptis merito ſubjacebunt. Præfata autem SS. Patrum & martyrum Jeſu Chriſti in idem coincidentia teſtimonia, videlicet SS. Alexandri, & Julii Romanorum Pontificum, atque SS. Cypriani, & Ambroſii Epiſcoporum in ſuis ipſorum operibus indubitanter invenies. Quod ſi in promptu, & ad manum ea velis, reperies in epiſtola, quam [g] Eugenius Romæ Papa miſit ad domnum [h] Gregorium Patriarcham, magni Nierſeſis Ghelajenſis, perilluſtris ac celeberrimi doctoris, fratrem.

g Eugenius III.

h Gregorius Armen. Patriarcha LXII.

Hanc etiam aquæ in ſacris myſteriis permiſcendæ neceſſitatem commendat ultro Apoſtolorum ſucceſſor [i] Irenæus in lib. 4. ſuarum lucubrationum adverſus hæreſes; ubi calicis memorat miſtionem, quem Dominus cum ſuis diſcipulis in Regno ſe bibiturum promiſit. Hoc ipſum denique [k] Beda venerabilis presbyter, aliique [l] Patres tradiderunt; quorum multi referuntur in memorata admirabilis patris noſtri Gregorii epiſtola; quæ quidem cumulata admodum erat ſacræ Scripturæ teſtimoniis, ſanctorumque Patrum, ac Doctorum ſententiis mirifice exornata; nec non conſentanea Canonibus, & decretis ſanctorum Conciliorum, nimirum ſextæ in magna urbe Conſtantinopoli coactæ Synodi, & Concilii Carthaginenſis; atque conformis conſuetudini, ritui que ſanctarum & orthodoxarum Chriſti Eccle- ſiarum,

i Iren. l. 4. c. 37. & l. 5. c. 1.

k Beda in Marc. c. 14.

l Alii Patres, qui hoc ipſum docent, ſunt S. Jacobus Apoſt. in ſua Liturgia, cujus meminit Concil. Trull. can. 32. S. Clement l. 8. Conſt. Apoſt. c. 17.



ANNO CHRISTI 1307.

ſiarum Romanæ, Conſtantinopolitanæ, & aliarum, quæ hactenus a ſanctis uſque Apoſtolis eandem jugiter ſervaverunt, atque ſervant conſuetudinem, & traditionem.

Theodoretus Dialog. 3. Euſeb. Emiſſ. ſer. 5. de Paſch. Juſtin. m. in 4. Apol. Hieron. in Marci c. 14. Auguſtin. in Tract. 120. in Jo. Proclus Ep. Cõſtant. in Tract. de traditione divinæ liturgiæ, Theophilactus in c. 19 Joan. ubi reprehendit Armenos, Damaſcenus l. 4. de fide c. 14.

Quapropter nos omnes, hic pleno Concilio congregati, Epiſcopi, Magiſtri, & Patres Cœnobiorum, adſtantibus piiſſimo rege noſtro Leone, ac religioſiſſimo Dominorum Domino magno Haytone, patre Regis cum fratribus ſuis, ceteriſque Armeniæ Principibus atque primatibus, & ſacro ſancto populo, una ſimul conſentientes, reverenter ſuſcipimus ejuſdem noſtri ſancti Patris mandata; epiſtolamque illius, tanquam veracem, & Apoſtolicum Canonem, atque legitimam Conſtitutionem, ab omnibus Armeniorum Eccleſiis recipi, & obſervari jubemus. Et quamvis hæ ſacræ traditiones, & diſpoſitiones Dominicarum feſtivitatum, quæ priſcis antea temporibus, a ſancto uſque illuminatore noſtro Gregorio in Eccleſiis Armenis extiterant, earumque obſervatio complures perduraverat annos, in nobis poſtea exoleverint ex culpa; eas nihilominus in præſentia miſericordia & gratia Dei, atque opera Patriarchæ Gregorii, piiſſimique Domini noſtri Leonis, denuo recipimus, & in priſtinum reſtituimus: ſumuſque modo, cum in feſtorum celebratione, tum in omnibus aliis rectis conſtitutionibus, omnino cum ſancta, & catholica Eccleſia magna Romana, aliiſque verum profitentibus, & orthodoxis Eccleſiis Jeſu Chriſti concordes.

Præſenti autem hujus ſanctæ Synodi decreto, atque mandato nemo audeat in poſterum adverſari, aut contrarius apparere, ne divinam indignationem incurrat, partemque cum hæreticis ſortiatur, iis maxime, qui pro frumentaceo pane, quo ad Chriſti corpus conficiendum ſancta utitur Eccleſia, panem hordeaceum: aut pro vino ad conficiendum ſanguinem Chriſti, aquam ſolam in myſteriis ſacris uſurpant. Utque magnum ſacræ hujus ſanctionis decretum firmum ſemper, atque immutabile perſeveret, fuit a cunctis, qui in hac ſancta Synodo convenimus, Epiſcopis, Magiſtris, & Patribus propria manu ſubſcriptum, præſertim a magno Rege noſtro Leone, atque a Domino Dominorum Haytone, & fratribus ſuis, ceteriſque Armeniæ Magnatibus. Editum vero fuit anno Armeniorum 756. [a] die 19. M. Martii in civitate [b] Sis Metropolitana, in magna Eccleſia S. Sophiæ.

a Anno Dom. 1307.

b Urbs hæc in Cilicia, vocatur a Latinis ipſomet Provinciæ nomine Cilicia, ſicut ab Armenis Sis eadem urbs, & provincia nuncupantur.

Conſtantinus [c] Epiſcopus Cæſareæ conſentiens ſubſcripſi.

Conſtantinus Epiſcopus Siſis Urbis Metropolitanæ.

Joannes Epiſcopus Tarſi.
Stephanus Epiſcopus Sebaſtes.
Stephanus Epiſcopus Parzerperti.
Sergius Epiſcopus Jeſenchi.
Joannes Epiſcopus Anazarbi.
Stephanus Epiſcopus Adani.
Nierſes Epiſcopus Tyani.
Baſilius Epiſcopus Ghubni.
Nierſes Epiſcopus Neocæſariæ.
Vartanus Epiſcopus Amaſiæ & Dochii.
Gregorius Epiſcopus Marſciæ.
Georgius Epiſcopus N.
Stephanus Epiſcopus Palatii Patriarchalis.
Joannes Epiſcopus Beri.
Andreas Epiſcopus Harcani.
Tharaſius Epiſcopus Maſchieuori.
Jacobus Epiſcopus N. nepos Domini Gregorii Patriarchæ.
Iſaac Epiſcopus Paperti.
Deodatus Epiſcopus Paſeni.
Nierſes Epiſc. Provinciæ Ghamkhi
Nuncius Epiſcopus Nepergherti.
Vartanus Epiſcopus Saſni.
Serſpe Epiſcopus Giubegheeri.
Philippus Epiſcopus Ghieghi.
Præcurſor Epiſcopus Miezghierti.
Gregorius Epiſcopus Vahanaſcini.
Heſychius Epiſcopus Stimbolæ Armeniæ.
Iſaias Epiſcopus Theſſalonicæ.
Hairabiet Epiſcopus Cemeſcazacuz.
Cyriacus Epiſcopus Miezchierti Taſctenſis.
Vartanus Epiſcopus Maſchiarti.
Simeon Epiſcopus Ghubitarri.
Martyr Epſcopus Urteli.
Simeon Epiſcopus Ozubi Provinciæ Sciahbunenſis.
Joannes Scriba Miezchieti.
Marcus Magiſter Schieverrenſis
Cyriacus Magiſter Eremita.
Gregorius Magiſter N.
Vartanus Magiſter Eccleſiæ Anarzabenſis.
Martyr Magiſter domus Patriarchalis.
Gregorius Magiſter Chiermaſperi.
Gregorius Magiſter Miezchierenſis.
Tharaſius Magiſter Ghierachenſis.
Vartanus Magiſter Aghnieri.
Sergius Pater Monaſterii Aghnierenſis.
Gregorius Pater Monaſterii Thiurchtenſis.
Baſilius Pater Monaſterii Khorinenſis.
Tharaſius Pater Monaſterii Miezchierenſis.
Præcurſor Pater Monaſterii Mouſiſnenſis.
Joſeph Pater Monaſterii Chielegachenſis.
Tharaſius Philoſophus & Pater Monaſterii Zorenſis.

c Hic Epiſcopus ab hac eadem Synodo creatus fuit Armeniorum Patriarcha.

# ** [a] CONCILIUM RAVENNENSE;

## ANNO DOMINI MCCCVII.

HUjus meminit Rubeus lib. VI. hiſtor. Ravennatis: *at nomine uno tenus, ſine ulla rerum in eo actarum decretarumve mentione.* Rainaldus, *inquit*, archiepiſcopus in die virtutibus ac religione proficiens, puriſſimum cultum Divini numinis, legibus perſancte editis, propagandum apud ſuum populum diligenter curavit. Quapropter provinciale concilium anno ab ortu Chriſti MCCCVII. Ravennæ celebravit. *Hoc tantum Rubeus.*

CON-

a Concilium Tarraconenſe anni 1307. habes in tomo ſequenti in Concilio Tarraconenſi anni 1329.

Anno Christi 1308.

# " ** CONCILIUM AUSCITANUM.

Ex MS. codice illuſtriſſimi archiepiſcopi, Remenſis coadjutoris, Mauritii Caroli Tellerii.

Conſtitutiones & ſtatuta in provinciali concilio Auſcis celebrato, edita per reverendum in Chriſto patrem Amaneum Dei gratia archiepiſcopum Auſcitanum, die VI. Kal. Dec. ann. Dom. MCCCVIII.

## TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut eccleſiaſtici beneficiorum & officiorum ſuorum jura viriliter defendant.*
2. *De celebratione Miſſarum.*
3. *De uſuris.*
4. *De monachis & regularibus.*
5. *De penſionibus religioſorum.*
6. *Renovatio & approbatio conſtitutionum.*

## CAPITULA.

### *I. Ut eccleſiaſtici beneficiorum & officiorum jura viriliter defendant.*

STatuimus quod quæcumque perſonæ juriſdictioni noſtræ ſubditæ, cujuſque conditionis, dignitatis, vel eminentiæ exiſtant in provincia Auſcitana, jura & deveria, quæcumque jure, uſibus vel conditionibus ipſarum, eccleſiis, beneficiis, abbatiis, perſonatibus, prioratibus, vel officiis debita, viriliter omnibus remediis quibus ſe juſte juvare poterunt acquirendo, retineant & acquirant: adeo quod non poſſint de negligentia per ſuperiores redargui vel puniri. Si dictæ perſonæ in prædictis negligentes fuerint, vel remiſſæ: earum ſuperiores poſſint earundem ſupplere defectum, exigere, acquirere eccleſiis & petere ante dicta.

### *II. De celebratione Miſſarum.*

Volentes Divinum officium amplius pro viribus ampliare, ſtatuimus quod quilibet reſidens intitulatus in eccleſia cathedrali vel collegiata, regulari vel ſæculari, habeat hebdomadam ſibi aſſignatam officiorum eccleſiæ in ordine, in quo fuerit conſtitutus: ſi presbyter, dicere Miſſam; diaconus, evangelium; & ſic de aliis: & prædicta habeant executioni demandari per deputatum vel deputandum per eorum ſuperiores, qui præſunt eccleſiis ſupradictis. Et ſi qui prædicti inferiores non obediunt prælatis ſuis, vel illis qui per eos fuerint deputati: per ſubtractionem præbendæ unius ſeptimanæ, ut ſuo prælato videbitur, puniatur: vel nihilo minus plus vel minus legitime puniendus, prout protervitas, ſeu inobedientia demeruerit delinquentium. Super prædictis vero conſcientiis ordinarii ........ quos diſpenſare valeant, ſi ipſis videbitur faciendum.

### *III. De uſuris.*

Ut animarum periculis ſalubrius obvietur, provide duximus ſtatuendum, ut decretalis *Uſurarum voraginem*, poſita in titulo de uſuris libro ſexto, provinciali concilio habeatur: & ſemper rectores parochialium eccleſiarum, plebibus indicant, ne quis per ignorantiam valeat ſe tueri. Verum quia juxta canonicas ſanctiones ille uſurarius eſt cenſendus, qui ex pacto pro mutuo recipit aliquid ultra ſortem; item cenſetur eodem modo juxta ſtatuta & privilegia, ſuper hoc & multis aliis articulis eccleſiæ utilitatem concernentibus, ſigillata in cera viridi in theſauro archiepiſcopi Auſcitanæ eccleſiæ.

### *IV. De monachis & regularibus.*

Edicto perpetuo inhibemus, ut abbates regulares, bona eis & ſuis monachis conventualibus communia nullatenus dividant: irritum decernentes, ſi contra hæc fuerit aliquid effectualiter attentatum. Pari prohibitione utiliter ſtatuentes, ne abbates regulares monachis ſimplicibus aliquas penſiones aſſignent ſtantes in pecuniis, bladis, vel rebus aliis quibuſcumque. Quod ſi contra fecerint abbates ſuperius nominati, penſionem aliqualiter aſſignando: penſiones prædictas infra annum repetant. Quod ſi prædictas penſiones infra annum prælati cum effectu non duxerint repetendas: ex tunc epiſcoporum quilibet, dictorum ſiquidem prælatorum, penſiones prædictas poſſit & valeat menſæ propriæ applicare: decernentes penſionis aſſignationem vel penſionum factam in contrarium, nullius exiſtere firmitatis. Statuendo nihilo minus, omnes monachos provinciæ Auſcitanæ debere comedere in uno refectorio, & in uno dormitorio pariter dormire, juxta B. Benedicti regulam & canonica inſtituta. Renovantes ſcienter pariter & expreſſe conſtitutionem ſuper his alias editam a noſtris prædeceſſoribus: ne quis ſuper his per non uſum ſe valeat aliqualiter excuſare: injungentes abbatibus, ut prædicta ſic obſervent & faciant obſervari, quod non poſſint a nobis vel a ſuis ordinariis de culpa vel negligentia reprehendi. Præſentem vero conſtitutionem non tantum ad futura extendi volumus, ſed etiam ad præterita & præſentia mandamus.



Anno Christi 1308.

### *V. De penſionibus religioſorum.*

Cum nonnulli mendicantes, tranſeuntes ad ordinem non mendicantium, ad ambitiones, ad honorum beneficia, vel penſiones, eo libentius optent ſic tranſire, quo facilius poſſint prædictorum aliquid obtinere: nolentes in ea vocatione in qua vocati ſunt juxta dictum apoſtoli permanere; hinc eſt quod nos ſpeciali conſtitutione duximus ſtatuendum, quod prædictis quondam mendicantibus in ordine non mendicantium perſiſtentibus penſiones aliquæ in pecuniis, bladis, vel rebus aliis quibuſcumque, a prælatis ipſorum nullatenus aſſignentur. Quod ſi factum fuerit in contrarium, nullum decernimus eſſe ipſo facto. Quod ſi contra fecerint prælati ſuperius nominati, penſionem aliqualiter aſſignando: " penſiones prædictas infra annum prælati prædicti cum effectu duxerint repetendas, ex tunc epiſcopi quilibet, dictorum ſiquidem prælatorum, penſiones prædictas poſſint & valeant menſæ ſuæ propriæ applicare. Præſentem vero conſtitutionem nedum ad futura extẽdi volumus, ſed etiam ad præterita & præſentia mandamus.

" Deeſt, MS.

### *VI. Renovatio & approbatio conſtitutionum.*

Cum multa ſit diligentia per noſtros prædeceſſores proviſum caſibus, qui ſolent in noſtris civitate & diœceſi ac provincia Auſcitana evenire, per conſtitutiones legitimas provinciales quæ ab aliquibus minus debite obſervantur: hinc eſt quod nos omnes conſtitutiones provinciales, alias per prædeceſſores noſtros & etiam per nos editas, renovamus, approbamus, eaſque de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu ex certa ſcientia confirmamus, ac ipſas inviolabiliter præcipimus obſervari.

Anno Christi 1309.

# " ** CONCILIUM LONDINENSE,

Celebratum in eccleſia S. Pauli, die Lunæ proxima poſt feſtum S. Edmundi regis & martyris, anno Domini MCCCIX. per Robertum de VVynchelſe, Cantuarienſem archiepiſcopum, cum ſuffraganeis, & aliis.

Ex tome II. collectionis conciliorum Anglicanæ.

Ex vet. cod. MS. in regiſtro principali archiepiſcopi Ca[illegible].

CElebrata primitus Miſſa de ſancto Spiritu, per Norwycenſem archiepiſcopum, & ceteris epiſcopis, pontificalibus indutis, poſt finitam Miſſam archiepiſcopus propoſuit verbum Dei in Latino, in quo reprehendit epiſcopus male per preces electos, vel ambitionem: necnon & eos, qui non ſtant pro jure eccleſiæ. Finito autem ſermone, dedit indulgentiam XL. dierum, omnibus qui eidem ſermoni interfuerant, confeſſis & contritis: & deinde expoſuit in genere occaſionem convocationis concilii quæ in certificatorio London. epiſcopi continetur. Et quia multum dies tranſivit, nihil plus actum fuit illo die. In craſtino autem comparuerunt omnes epiſcopi, non induti pontificalibus, ſed cappis ſuis clauſis; necnon & ceteræ perſonæ eccleſiaſticæ prædictæ in eodem loco. Et primo legebantur bullæ apoſtolicæ, propter quas fuit convocatum concilium: necnon & littera certificatoria Londonenſis, prout inferius deſcribitur. Bullæ autem ideo ante certificatorium legebantur: quia propter illarum primam, habuit archiepiſcopus auctoritatem vocandi exemptos populum non habentes. Et eſt ſciendum, quod Norwycenſis, qui celebravit Miſſam, dedit ſolemnem benedictionem in Miſſa, propter reverentiam corporis Chriſti, quod ante ſe habuit in altari; & orationes conſuetas eandem benedictionem præcedentes. Bulla convocationis ad concilium generale, hic proximo deſcribitur.

## Bulla ſuper convocatione ad Concilium generale.

Eadem, paucis immutatis, eſt initio concilii Viennenſis inſcripta Philippo Francorum regi.

*Clemens epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopo Cantuarienſi, & epiſcopis, ac dilectis filiis, electis abbatibus, prioribus, decanis, præpoſitis, archipresbyteris, archidiaconis, & aliis eccleſiarum prælatis, exemptis & non exemptis, ac eorum capitulis & conventibus, per Cantuarienſem provinciam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

REgnans in cœlis triumphans eccleſia, cujus paſtor eſt Pater æternus, cui ſanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam angelorum chori decantant: in terris, ad ſui ſimilitudinem & repræſentationem, conſtituit eccleſiam militantem, unigenito filio Dei vivi, domino Jeſu Chriſto, ineffabili commercio copulatam, in qua idem unigenitus Dei Filius a Patre progrediens, per illuſtrationem Paracleti procedentis pariter ab utroque, ſtatuit fidei fundamentum. Sane Romana eccleſia, mater alma fidelium, caput eſt, diſponente Domino, eccleſiarum aliarum omnium, & magiſtra: a qua, veluti a primitivo fonte, ad ſingulas alias ejuſdem fidei rivuli derivantur: ad cujus regimen, voluit Chriſti clementia Romanum pontificem vice ſui deputare miniſtrum, ut inſtructionem ac doctrinam ipſius eloquio veritatis evangelicæ traditam, cuncti renati fonte baptiſmatis teneant & conſervent: & qui ſub hac doctrina curſum vitæ recte peregerint, ſalvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condemnentur.

Ipſa nempe Romana mater eccleſia, juxta exigentiam poſſibilitatis ipſius, ad cunctas orbis provincias,

ANNO CHRISTI 1309.

vincias, in quibus Divinis nominis cultus viget, fideique catholicæ obſervantia rutilat, intuitum ſedulæ conſiderationis extendens, ac ſubjiciens ab olim ſuæ conſiderationis examini, diuturnæ calamitatis anguſtias illius ſpecialis hæreditatis Dominicæ, videlicet Terræ ſanctæ, ab infidelibus miſerabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filius, noſtræ carnis indumento contectus, ſalutem humani generis, pietate ineffabili extitit operatus, quamque ſua ipſe voluit corporali inſignire præſentia, & proprii aſperſione ſanguinis conſecrare, multa ſolicitudine ſtuduit eidem terræ, retroactis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperetur ab ipſis impiis, ſubvenire. Et quia inter ceteros, quos profeſſio Chriſtianæ religionis includit, milites & fratres domus militiæ Templi Jeroſolymitani, ſicut eſt toti orbi notorium, tanquam ſpeciales ejuſdem fidei pugiles, & jam dictæ terræ præcipui defenſores, ipſius terræ negotium principaliter gerere videbantur: ipſos & eorum ordinem præfata eccleſia ſpecialis favoris plenitudine proſequens, eos adverſus Chriſti hoſtes crucis armavit ſignaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus, ac diverſis libertatibus & privilegiis communivit.

Hi nimirum cum crederentur in Domini ſervitio, ſub regulari habitu, fideliter militare: ſibi quaſi cunctorum fidelium manus cum multiplici erogatione bonorum ſentiebant multiplicari, multiſque modis propterea adjutrices. Sed proh dolor! nova & calamitoſa vox de malignitatis fratrum ipſorum enormitate progrediens, noſtrum replevit, immo verius perturbavit auditum. Hæc enim vox nuncia lamentationis & gemitus, audientibus horrorem ingerit, commovet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Chriſtianæ cultoribus, novæ & ineffabilis amaritudinis calicem ſubminiſtrat: & dum facti ſeriem ejus neceſſitate poſcente, depromimus, noſter attenuatur præ anguſtia ſpiritus, & valetudinis fatigata confractibus, membra ſingula præ nimio dolore tabeſcunt.

Dudum ſiquidem, circa noſtræ promotionis ad apicem ſummi pontificis initium, etiam antequam Lugduni, ubi recepimus noſtræ coronationis inſignia, veniremus, & poſt, tam ibi quam alibi, ſecreta quorundam nobis inſinuatio intimavit: quod magiſter, præceptores, & alii fratres ordinis dictæ militiæ Templi, & etiam ipſe ordo, qui ad defenſionem patrimonii ipſius domini noſtri Jeſu Chriſti fuerant in tranſmarinis partibus deputati, contra ipſum Dominum in ſcelus apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreſes varias erant lapſi. Sed quia non erat veriſimile, nec credibile videbatur; quod viri tam religioſi, qui præcipue pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna, tam in Divinis officiis, quam in jejuniis, & aliis obſervantiis, devotionis ſigna frequentius prætendebant, ſuæ ſic eſſent ſalutis immemores, quod talia perpetrarent: hujuſmodi inſinuationi, ac delationi ipſorum, ejuſdem Domini noſtri exemplis, & canonicæ ſcripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde vero, cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus rex Francorum illuſtris, cui eadem fuerant facinora nunciata, non * typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil ſibi vendicare, vel appropriare intendat; immo ea nobis & eccleſiæ, per deputandos ſuper hoc a nobis adminiſtranda, gubernanda, conſervanda, & cuſtodienda, liberaliter ac devote in regno ſuo dimiſit, manum ſuam exinde totaliter amovendo: ſed fidei orthodoxæ fervore, ſuorum progenitorum veſtigia clara ſequens, accenſus de præmiſſis, quantum licite potuit, ſe informans, ad inſtruendum & informandum nos ſuper his, multas & magnas nobis informationes, per ſuos nuncios & litteras deſtinavit.

* Pro thypho. M.

Infamia vero contra Templarios ipſos increbreſcente validius ſuper ſceleribus antedictis; & quia etiam quidam miles ejuſdem ordinis, magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis ſecreto juratus depoſuit, quod in receptione fratrum dicti ordinis, hæc conſuetudo, vel verius corruptela ſervatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati ſuggeſtionem, qui recipitur Chriſtum Jeſum negat, & ſuper crucem ſibi oſtenſam ſpuit, in vituperium crucifixi; & quædam alia faciunt recipiens & receptus, quæ licita non ſunt, nec humanæ conveniunt honeſtati, prout ipſe tunc confeſſus extitit coram nobis: urgente nos ad id officii noſtri debito vitare nequivimus, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente, ac clamoſa inſinuatione dicti regis, necnon & ducum, comitum, & baronum, ac aliorum nobilium, cleri quoque & populi dicti regni Francorum, ad noſtram propter hoc, tam per ſe quam per procuratores & ſyndicos, præſentiam venientium, quod dolenter referimus, ad noſtram audientiam perveniſſet: quod magiſter, præceptores, & alii fratres dicti ordinis, & ipſe ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti, & præmiſſa per multas confeſſiones, atteſtationes, & depoſitiones præfati magiſtri, & plurium præceptorum, & fratrum ordinis prælibati, coram multis prælatis, & hæreticæ pravitatis inquiſitore, in regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam ſcripturam redactas, nobis quoque ac fratribus noſtris oſtenſas, probari quodammodo viderentur: ac nihilo minus fama & clamores prædicti in tantum invaluiſſent, & etiam aſcendiſſent, tam contra ipſum ordinem, quam contra ſingulares perſonas ejuſdem, quod ſine gravi ſcandalo præteriri non poterat, nec abſque imminenti periculo tolerari: nos illius cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, veſtigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione prima duximus procedendum: multoſque de præceptoribus, presbyteris, militibus, & aliis fratribus dicti ordinis, reputationis non modicæ, in noſtra præſentia conſtitutos, præſtito ab eis juramento, quod ſuper præmiſſis meram & plenam nobis dicerent veritatem, ſuper prædictis interrogavimus, & uſque ad numerum ſeptuaginta duorum examinavimus, multis ex fratribus noſtris nobis aſſiſtentibus diligenter, eorumque confeſſiones per publicas manus in authenticam ſcripturam redactas, illico in noſtra, & dictorum fratrum noſtrorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, in conſiſtorio legi fecimus coram ipſis, & illas in ſuo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perſeverantes in illis, eas expreſſe & ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt.

Poſt quæ, cum magiſtro & præceptoribus præfati ordinis, intendentes ſuper præmiſſis inquirere: per nos ipſos, ipſum magiſtrum, & Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ præceptores majores, nobis Pictaviæ exiſtentibus mandavimus præſentari: Sed quoniam quidam ex eis ſic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad noſtram præſentiam quoquomodo adduci: nos cum eis ſcire volentes de præmiſſis omnibus veritatem, & an vera eſſent quæ continebantur in eorum confeſſionibus; & depoſitionibus, quas coram inquiſitore pravitatis hæreticæ in regno Franciæ, præſentibus quibuſdam notariis publicis, & multis aliis bonis viris, dicebantur feciſſe, nobis, & fratribus noſtris, per ipſum inquiſitorem ſub manibus publicis exhibitis & oſtenſis, dilectis filiis noſtris Berengario titulo ſanctorum Nerei, & Achillei; & Stephano, titulo ſancti-Cyriaci in thermis, presbyteris, ac Landulpho ſancti Angeli diacono, cardinalibus (de quorum prudentia, experientia, & fidelitate, indubitatam fiduciam obtinemus) commiſimus & mandavimus, ut ipſi, cum præfatis magiſtro & præceptoribus inquirerent, tam contra ipſos, & alias ſingulares perſonas dicti ordinis generaliter, quam contra ipſum ordinem, ſuper præmiſſis, cum diligentia veritatem; & quicquid ſuper iis invenirent, nobis referre, ac eorum confeſſiones, & depoſitiones, per manum publicam in ſcriptis redactas, noſtro apoſtolatui deferre, ac præſentare curarent, eiſdem magiſtro & præceptoribus abſolutionis beneficium, a ſententia excommunicationis, quam pro præmiſſis, ſi vera eſſent, incurrerant, ſi abſolutionem humiliter & devote peterent ut debebant, juxta formam eccleſiæ impenſuri.



ANNO CHRISTI 1309.

Qui cardinales ad epiſcopos, magiſtrum, & præceptores, perſonaliter accedentes, eis ſui adventus cauſam expoſuerunt. Et quoniam tam perſonæ, quam res ipſorum, & aliorum Templariorum in dicto regno Franciæ conſiſtentium, in manibus noſtris erant: quod libere abſque metu cujuſquam plene ac pure ſuper præmiſſis, omnibus ipſis cardinalibus dicerent veritatem, eis authoritate apoſtolica injunxerunt. Qui magiſter & præceptores Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitannæ ac Pictaviæ, coram ipſis tribus cardinalibus, præſentibus quatuor tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris, ad ſancti Dei evangelia, ab eis corporaliter tacta, præſtito juramento, quod ſuper præmiſſis omnibus meram & plenam dicerent veritatem, coram ipſis ſingulariter, libere ac ſponte, abſque coactione qualibet & terrore, depoſuerunt, & confeſſi fuerunt inter cetera Chriſti abnegationem, & ſpuitionem ſuper crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt. Et quidam ex eis ſe ſub eadem forma, ſcilicet cum abnegatione Chriſti, & ſpuitione ſuper crucem, fratres milites recepiſſe. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhoneſta confeſſi: quæ, ut eorum ad præſens parcamus verecundiæ, ſubticemus.

Dixerunt præterea, & confeſſi fuerunt, eſſe vera quæ in eorum confeſſionibus & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerunt coram inquiſitore hæreticæ pravitatis. Quæ confeſſiones & depoſitiones dictorum magiſtri & præceptorum, in ſcripturam publicam, per quatuor tabelliones publicos redactæ, in ipſorum magiſtri & præceptorum, & quorundam bonorum aliorum virorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, coram ipſis eiſdem lectæ fuerunt, de mandato, & in præſentia cardinalium dictorum, in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorumdem. Qui perſeverantes in illis, eas expreſſe & ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Et poſt confeſſiones & depoſitiones hujuſmodi, ab ipſis cardinalibus ab excommunicatione quam pro præmiſſis incurrerant, abſolutionem flexis genibus, manibuſque copuloſis humiliter & devote, ac cum lacrimarum effuſione non modica, petierunt.

Ipſi vero cardinales, quia eccleſia non claudit gremium redeunti, ab eiſdem magiſtro & præceptoribus, hæreſi abjurata expreſſe, ipſis ſecundum formam eccleſiæ, authoritate noſtra abſolutionis beneficium impenderunt; ac deinde ad noſtram præſentiam redeuntes, confeſſiones & depoſitiones prælibatorum magiſtri & præceptorum, in ſcripturam publicam per manus publicas, ut eſt dictum, redactas, nobis præſentaverunt, & quæ cum dictis magiſtro & præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confeſſionibus & depoſitionibus, ac relatione, invenimus ſæpe fatos magiſtrum & fratres, in præmiſſis, & circa præmiſſa, licet quoſdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquiſſe. Attendentes autem quod ſcelera tam horrenda tranſire incorrecta, abſque Dei omnipotentis, & omnium catholicorum injuria, non poterant nec debebant: decrevimus de fratrum noſtrorum conſilio, per ordinarios locorum, ac per alios fideles & ſapientes viros, ad hoc deputandos a nobis, contra ſingulares perſonas ipſius ordinis, necnon & contra dictum ordinem, per certas diſcretas perſonas, quas ad hoc duximus deputandas, ſuper præmiſſis moribus & exceſſibus inquirendum.

His nempe, quæ magis flere cogimur quam narrare, cor noſtrum paſſione nimia cruciatur: & cum tanta provide nobis immineat gemendi materia, fletum non poſſumus declinare. Quiſnam catholicus hæc audiens, nimis non doleat & prorumpat in luctum? Quis fidelis, hujuſmodi ſiniſtrum eventum intelligens, amara non emittat ſuſpiria, verbaque lamentationis, & mœſtitudinis non eruptet; cum tota Chriſtianitas hujuſmodi doloris ſit particeps, & hic caſus fideles percutiat univerſos. Ex iis etiam, dum miniſterio debitæ conſiderationis noſtræ mentis præſentantur obtutibus, ignis in noſtris meditationibus exardeſcit, & ad tanta diſcrimina relevanda ſuſpirat affectus, zelus accenditur, & ſpiritus angitur. Ad quod cum nos ſufficere commode non poſſe ſciamus, levamus oculos noſtros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum provenire nobis auxilium, & humiliter petimus, & devote ſperamus. Et quia ſalubre in iis adhiberi remedium intereſt generaliter omnium: nos cum eiſdem fratribus noſtris aliiſque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tanta neceſſitas exigebat, de ipſorum fratrum conſilio, univerſale concilium, ſicut imitatione digna ſanctorum patrum conſuetudo laudabilis, longævæ obſervationis exemplo, nos inſtruit, a proximis Kalend. Octobris, ad duos annos immediate ſequentes, decrevimus congregandum: ut in eo, tam circa dictum ordinem & perſonas ſingulares, & bona ejuſdem, & alia quæ ſtatum tangunt fidei catholicæ, quam circa recuperationem & ſubſidium terræ ſanctæ, ac reparationem, ordinationem, & ſtabilitatem eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum ac libertatum earum, illa, Deo auſpice, communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione concilii roboretur: per cujus ſalutiferam executionem, virtus Altiſſimi, eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejuſdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibus quoque plantatis, correctis exceſſibus, moribus reformatis, repreſſis oppreſſionibus, libertate ſolida ſtabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejuſdem terræ ſtatu proſpero reparato, occupata reſtituat, vaſtata reſtauret, & reſtaurata conſervet, nobis quoque viam aperiat idem ipſe qui novit, & facultatem tribuat, ipſe qui poteſt: ut ſic in præmiſſis, juxta incenſum animi noſtri deſiderium, ſibi miniſtrare poſſimus ſalubriter, quod is verus ejuſdem univerſalis ſponſus eccleſiæ, ipſam dile-

ANNO CHRISTI 1309.

dilectam ſuam purgatam maculis, munitam virtutum monilibus ac ornatam, unam ſemper habeat & formoſam, ad ſui nominis laudem & gloriam, ad animarum profectum robor fidei, pacem & exaltationem populi Chriſtiani.

Quia vero proſecutio tanti propoſiti, tempore indiget, ut deductum maturius, facilius authore Domino effectum debitum ſortiatur: prædictum tempus ad idem duximus deputandum. Quocirca univerſitati veſtræ, per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus vos fratres... archiepiſcope &,.. London... Vvynton... Saresburi.:. Vvygorn. ac... Lincoln. epiſcopi, reliquis veſtrorum epiſcoporum in veſtra provincia remanentibus, ad ea quæ pontificale officium exigunt: tam in veſtris, quam illorum dictæ provinciæ qui ad hujuſmodi concilium univerſale acceſſerint, civitatibus & diœceſibus exercenda, omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, diſpoſitis & paratis, ſic medio tempore accingatis ad iter, quod in hujuſmodi decreto termino, quem vobis & aliis peremptorie aſſignamus, in Viennenſi civitate noſtra, vos archiepiſcope & epiſcopi ſuperius nominati, perſonaliter; vos vero alii remanentes, epiſcopi, clerici, abbates, priores, decani, præpoſiti, archipresbyteri, archidiaconi & prælati, capitula & conventus, per eoſdem archiepiſcopum & epiſcopos, ad prædictum concilium acceſſuros, quilibet ad omnia quæ in eodem concilio ſtatuentur, fient & ordinabuntur & fuerint opportuna, concedatis plenarie poteſtatem, de qua ſufficienter conſtet per publica documenta, noſtro vos conſpectui præſentetis. Quod ſi forſan ipſis archiep. & epiſc. acceſſuris, hujuſmodi nolueritis concedere poteſtatem, eo tamen venire, vel alios procurare idoneos, cum poteſtate ſimili ad idem concilium teneamini deſtinare. Non obſtantibus quibuſlibet privilegiis, ſeu indulgentiis, quibuſcumque perſonis, ordini, dignitati ſeu collegio, ſub quacumque verborum forma vel expreſſione, a præfata ſede conceſſis, per quæ poſſit effectus hujuſmodi mandati noſtri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari.

Interim quoque per vos & alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis omnia quæ correctionis & reformationis limam expoſcunt, inquirentes ſubtiliter & conſulentes fideliter, eadem ad ipſius concilii notitiam deferatis. Et nos nihilominus variis modis & viis ſolers ſtudium, & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen hujuſmodi deducta, concilii correctionem & directionem recipiant opportunam. Nullus, inobedientiæ notam, & canonicæ ultionis acrimoniam vitare deſiderans, fallacium executionum velamento ſe muniat, vel ex impedimentis itinerum, quæ Domino prava in directa & in vias planas aſpera ſua omnipotentia convertente ceſſabunt, frivolæ allegationis munimenta confingat, ut a tam ſancti operis proſecutione ſe ſubd*... ſed occurrant ſinguli voluntarii ad id quod & Divinæ congruit voluntati & ſaluti animarum, ac utilitatem reſpicit ſingulorum. Datæ Pictavis 2. Idus Auguſti, pontificatus noſtri anno tertio.

* f. ſubducat.

*Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiſcopo Cantuarienſi, & ſuis ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

FAciens miſericordiam cum ſervo ſuo Dei filius dominus Jeſus Chriſtus, ad hoc nos voluit in ſpecula eminenti apoſtolatus aſſumi, ut gerentes, licet immeriti, vices ejus in terris, in cunctis noſtris actibus & proceſſibus, ipſius veſtigia, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sane dudum circa noſtræ promotionis ad apicem ſummi pontificatus initium, etiam antequam Lugduni, ubi recepimus noſtræ coronationis inſignia, veniremus; & poſt etiam, tam ibi quam alibi, ſecreta quorundam nobis inſinuatio intimavit: quod magiſter, præceptores, & alii fratres ordinis militię Templi Jeroſolymitani, & etiam ipſe ordo, qui ad defenſionem patrimonii ejuſdem domini noſtri Jeſu Chriſti fuerant in tranſmarinis partibus deputati, contra ipſum Dominum in ſcelus apoſtaſię nefandum, deteſtabile idololatrię vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hęreſes varias, erant lapſi. Quia vero non erat veriſimile, nec credibile videbatur, quod viri tam religioſi, qui pręcipue pro Chriſti nomine ſuum ſępe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis frequenter exponere credebantur; quique multa & magna, tam in Divinis officiis quam in jejuniis & aliis obſervantiis, devotionis ſigna frequentius prętendebant, ſuę ſic eſſent ſalutis immemores, quod talia perpetrarent: hujuſmodi inſinuationi & delationi ipſorum, ejuſdem Domini noſtri exemplis, & canonicę ſcripturę doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare.

Deinde vero cariſſimus in Chriſto filius noſter, Philippus rex Francorum illuſtris, cui eadem fuerant facinora intimata; non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil ſibi vendicare, vel appropriare intendat, immo ea per deputandos a nobis generaliter, & per prælatos regni Franciæ ſpecialiter in ſuis diœceſibus adminiſtranda, in regno ſuo dimiſit, manum ſuam exinde totaliter amovendo; ſed fidei orthodoxæ fervore, ſuorum progenitorum veſtigia clara ſequens, accenſus, de præmiſſis quantum licite potuit ſe informans, ad inſtruendum & informandum nos ſuper iis, multas & magnas nobis informationes per ſuos nuncios & litteras deſtinavit. Infamia vero contra Templarios ipſos increbreſcente validius, ſuper ſceleribus antedictis; & quia etiam quidam miles ejuſdem ordinis, magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis ſecreto juratus, depoſuit, quod in receptione fratrum præfati ordinis, hæc conſuetudo vel potius corruptela ſervatur; quod ad recipientis, vel ab eo deputati ſuggeſtionem qui recipitur, Jeſum Chriſtum negat, & ſuper crucem ſibi oſtenſam ſpuit, in vituperium crucifixi; & quædam alia faciunt, recipiens & receptus, quæ licita non ſunt, nec humanæ conveniunt honeſtati, prout ipſe tunc confeſſus extitit coram nobis: vitare nequivimus, urgente nos ad id officii noſtri debito, quin tot tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente, ac clamoſa inſinuatione dicti regis, necnon & ducum, comitum, & baronum, ac aliorum nobilium, cleri quoque & populi dicti regni Franciæ, ad noſtram propter hoc tam per ſe, quam per procuratores & ſyndicos, præſentiam venientium, quod dolenter referimus, ad noſtram audientiam perveniſſet; quod magiſter, præceptores, & alii fratres dicti ordinis, & ipſe ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti, & præmiſſa per multas confeſſiones, atteſtationes, & depoſitiones præfati magiſtri, & plurium præceptorum & fratrum ordinis prælibati, coram multis prælatis, & hæreticæ pravitatis inquiſitore in regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam ſcripturam redactas, nobiſque ac fratribus noſtris oſtenſas, probari



ANNO CHRISTI 1309.

bari quodammodo viderentur; ac nihilo minus fama & clamores prædicti, in tantum invaluiſſent & etiam aſcendiſſent, tam contra ipſum ordinem, quam contra perſonas ſingulares ejuſdem, quod ſine gravi ſcandalo præteriri non poterat, nec abſque imminenti periculo tolerari. Nos illius, cujus vices licet immeriti in terris gerimus, veſtigiis inhęrentes, ad inquirendum de prædictis ratione prima duximus procedendum, multoſque de præceptoribus, presbyteris, militibus, & aliis fratribus dicti ordinis, reputationis non modicæ, in noſtra præſentia conſtitutos, præſtito ab eis juramento, quod ſuper præmiſſis meram & plenam nobis dicerent veritatem, ſuper prædictis interrogavimus & examinavimus uſque ad numerum ſeptuaginta duorum, multis ex fratribus noſtris nobis aſſiſtentibus diligenter, eorumque confeſſiones per publicas manus in authenticam ſcripturam redactas, illico in noſtra, & dictorum fratrum noſtrorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, in conſiſtorio legi fecimus coram ipſis, & illas in ſuo vulgari cuilibet eorum exponi, qui perſeverantes in illis, eas expreſſe & ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt.

Poſt quæ coram magiſtro & præceptoribus præcipuis præfati ordinis, intendentes ſuper præmiſſis inquirere per nos ipſos, ipſum magiſtrum, & Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, præceptores majores, nobis Pictavis exiſtentibus mandavimus præſentari. Sed quoniam quidam ex eis ſic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad noſtram præſentiam quoquomodo adduci: nos cum eis ſcire volentes de premiſſis omnibus veritatem, & ſi vera eſſent quæ continebantur in eorum confeſſionibus, & depoſitionibus, quas coram inquiſitore pravitatis hæreticæ in regno Franciæ, præſentibus quibuſdam notariis publicis, & multis aliis bonis viris, dicebantur feciſſe, nobis & fratribus noſtris per ipſum inquiſitorem, ſub manibus publicis exhibitis & oſtenſis, dilectis filiis noſtris Berengario, titulo ſanctorum Nerei & Achillei, & Stephano, titulo ſancti Cyriaci in Thermis, presbyteris, ac Landulpho S. Angeli diacono, cardinalibus, de quorum providentia, experientia, & fidelitate, indubitatam fiduciam obtinemus, commiſimus & mandavimus, ut ipſi cum præfatis magiſtro & præceptoribus inquirerent, tam contra ipſos & alias ſingulares perſonas dicti ordinis generaliter, quam contra ipſum ordinem, ſuper præmiſſis cum diligentia veritatem, & quicquid ſuper his invenirent, nobis referre, ac eorum confeſſiones & depoſitiones, per manum publicam in ſcriptis redactas, noſtro apoſtolatui deferre, ac præſentare curarent, eiſdem magiſtro & præceptoribus abſolutionis beneficium, a ſententia excommunicationis, quam pro præmiſſis, ſi vera eſſent, incurrerant, ſi abſolutionem humiliter & devote peterent ut debebant, juxta formam eccleſiæ impenſuri. Qui cardinales ad ipſos magiſtrum & præceptores perſonaliter accedentes, eis ſui adventus cauſam expoſuerunt.

Et quoniam perſonæ ipſorum & aliorum Templariorum in regno Franciæ conſiſtentium, nobis traditæ fuerant: quod libere abſque metu cujuſquam, plene & pure ſuper præmiſſis omnibus, ipſis carnalibus dicerent veritatem, eis authoritate apoſtolica injunxerunt. Qui magiſter & præceptores Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, coram ipſis tribus cardinalibus, præſentibus quatuor tabellionibus publicis, & multis bonis aliis viris, ad ſancta Dei evangelia ab eis corporaliter tacta præſtito juramento, quod ſuper præmiſſis omnibus meram & plenam dicerent veritatem, coram ipſis ſingulariter, libere ac ſponte, abſque coactione qualibet & terrore, depoſuerunt, & confeſſi fuerunt, inter cetera, Chriſti abnegationem, & ſpuitionem ſuper crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis ſe ſub eadem forma, ſcilicet cum abnegatione Chriſti, & ſpuitione ſuper crucem, fratres milites recepiſſe. Sunt etiam quidam ex eis, quædam alia horribilia & inhoneſta confeſſi: quæ, ut eorum ad præſens parcamus verecundiæ, ſubticemus. Dixerunt præterea & confeſſi fuerunt, eſſe vera quæ in eorum confeſſionibus & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerant coram inquiſitore hæreticæ pravitatis. Quæ confeſſiones & depoſitiones dictorum magiſtri & præceptorum, in ſcripturam publicam per quatuor tabelliones publicos redactę, in ipſorum magiſtri & præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præſentia; ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, coram ipſis eiſdem lectæ fuerunt de mandato & in præſentia cardinalium prædictorum, & in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorumdem. Qui perſeverantes in illis, eas expreſſe ac ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Et poſt confeſſiones & depoſitiones hujuſmodi, ab ipſis cardinalibus, ab excommunicatione, quam pro præmiſſis incurrerant, abſolutionem flexis genibus, manibuſque copuloſis, humiliter & devote, ac cum lacrymarum effuſione non modica, petierunt.

Ipſi vero cardinales, quia eccleſia non claudit gremium redeunti, ab eiſdem magiſtro & præceptoribus hæreſi abjurata expreſſe, ipſis ſecundum formam eccleſiæ, authoritate noſtra abſolutionis beneficium impenderunt: ac deinde ad noſtram præſentiam redeuntes, confeſſiones & depoſitiones prelibatorum magiſtri & præceptorum, in ſcripturam publicam per manus publicas, ut dictum eſt, redactas, nobis præſentaverunt, & quæ cum dictis magiſtro & præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confeſſionibus & depoſitionibus, ac relatione, invenimus, ſæpe fatos magiſtrum & fratres, in præmiſſis, & circa præmiſſa, licet quoſdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquiſſe. Verum quia univerſis mundi partibus, per quas idem ordo diffunditur, ac fratres degunt ipſius, ſuper his non poſſumus inquirere per nos ipſos: fraternitati veſtræ de fratrum noſtrorum conſilio, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel quilibet veſtrum, videlicet in ſuis civitate & diœceſi, una cum venerabilibus noſtris patriarcha Jeroſolymitano, ac archiepiſcopo Eboracenſi, Lincolnienſi, Ciceſtrienſi, & Aurelianenſi epiſcopis, & dilectis filiis de Lotyngiaco Pariſienſis diœceſis, & S. Germani de pratis juxta Pariſios, monaſteriorum abbatibus, ac magiſtris Richardo de Vauro canonico Narbonenſi, capellano noſtro, noſtrique palatii auditore cauſarum, & Guidone de Vichio, rectore eccleſiæ de Hoshe Londonienſis diœceſis, vel octo, ſeptem, ſex, quinque, quatuor, tribus, duobus, aut uno ex eis ipſis, quos vobis in hac parte propter negotii magnitudinem duximus adjungendos, vocatis per publicum citationis edictum, per vos & ipſos adjunctos, vel eorum aliquos, ſeu aliquem, in locis de quibus vobis & eis videbitur faciendum, qui fuerint evocandi, contra ſingulares perſonas, & fratres dicti ordinis, in civitatibus & diœceſibus veſtris degentes, etiamſi aliunde venerint, vel illuc adducti forſan extiterint, ſuper articulis quos vobis ſub bulla incluſos tranſmittimus, & ſuper aliis de quibus prudentiæ veſtræ videbitur expedire, veritatem cum diligentia inquiratis.

Volumus inſuper quod inquiſitione, ſeu inquiſitionibus hujuſmodi factis, per provinciale concilium, contra ipſas ſingulares perſonas, & fratres qui in eadem provincia fuerint, ſeu pro eis ſuper his, de quibus contra eos inquiſitum extiterit, abſolutoria ſeu condemnatoria ſententia, juxta juris exigentiam proferatur: inquiſitore nihilo minus, ſeu inquiſitoribus ejuſdem pravitatis hæreticæ, in ipſa provincia per ſedem apoſtolicam deputatis, tam ad dictas inquiſitiones, quam ad hujuſmodi prolationem ſententiæ admiſſis, ſi ad eas vobiſcum voluerint intereſſe. Proviſo, quod de inquirendo, vel ſententiando contra magiſtrum, præceptorem dicti ordinis in regno Angliæ conſtitutum, contra quos per certas perſonas inquiri mandavimus, vos intromittere nullatenus præſumatis. Datæ Pictavis II. Idus Auguſti, pontificatus noſtri anno tertio.

*Certificatorium Londonenſis epiſcopi ſuper citatione concilii.*

REverendo in Chriſto patri domino Roberto Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo, totius Angliæ primati; Radulphus permiſſione Divina Londonienſis epiſcopus, ſalutem: cum omni obedientia, reverentia, & honore. Litteras veſtras recepimus, tenorem qui ſequitur continentes.

„ Robertus permiſſione Divina Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Angliæ primas, venerabili fratri R. Dei gratia Londonenſi epiſcopo ſalutem, & fraternam in Domino caritatem. Injunctum nobis, vobis, & aliis noſtræ Cantuarienſis provinciæ ſuffraganeis, necnon & ceteris prælatis eccleſiarum, tam exemptis, quam non exemptis noſtræ provinciæ, univerſis, mandatum apoſtolicum, ut circa ea, quæ in eccleſia Anglicana correctionis & reformationis limam expoſcunt, juxta apoſtolicarum, quarum vobis copiam alias tranſmiſimus, ſeriem litterarum, ſubtiliter inquiramus, & fideliter conſcribamus, ad generalis concilii notitiam deferenda, nos compellit provinciale concilium convocare; ut in eo, de eiſdem articulis, & aliis quibuſdam arduis negotiis, eccleſiam Anglicanam tangentibus, adinvicem pertractemus, faciamus & ordinemus, quod ad honorem Dei & ipſius eccleſiæ cedat, & ſaluti congruat animarum. In quo ſententiæ abſolutoriæ vel condemnatoriæ, contra ſingulares perſonas ordinis militiæ Templi, in noſtra provincia exiſtentes, juxta formam mandati apoſtolici, dante Domino proferentur. Fraternitati igitur veſtræ committimus, & firmiter injungendo mandamus, quatenus venerabiles fratres noſtros, epiſcopos, electos, confirmatos, abbates, priores electivos plenum conventum habentes, abbates ſupra ſe non habentes, decanos, præpoſitos, archipresbyteros, archidiaconos, & capitula, ac collegia univerſa, necnon & clerum cujuslibet diœceſis noſtræ Cantuarienſis provinciæ, tam exemptos, quam non exemptos, citetis ſeu citari faciatis peremptorie, quod iidem venerabiles fratres, epiſcopi, electi, abbates, priores, decani, præpoſiti, archipresbyteri, archidiaconi, perſonaliter, prædicta quoque capitula, collegia per unum, clerus quoque cujuslibet diœceſis per duos procuratores idoneos, comparea nt coram nobis, die Lunæ proximo poſt feſtum S. Edmundi regis, in eccleſia S. Pauli London. ſuper præmiſſis omnibus tractaturi: ſuum quoque ad ea, quæ, inſpirante Domino, providebuntur ibidem, pro ſeipſis & aliis a quibus mittuntur, plenum adhibituri conſenſum: ulterius quoque facturi & recepturi, cum continuatione & prorogatione dierum, uſque ad finem noſtri ejuſdem concilii, quod fuerit faciendum. Vos enim præmunimus, & ceteros citandos per vos præmuniri mandamus, quod abſentes in numero ſupradicto, niſi propter evidentes cauſas & rationabiles, de quibus fidem faciant, fuerint impediti, tanquam inobedientes & contumaces, juxta juris exigentiam puniemus. Vos etiam peremptorie citamus ad hoc idem, clerumque veſtræ diœceſis per vos citari mandamus in forma ſuperius annotata. Quid autem in præmiſſis feceritis, nos dictis die & loco certificare curetis per veſtras litteras patentes harum ſeriem continentes: & ceteris noſtris ſuffraganeis antedictis injungatis, ut nos ipſis die & loco certificent per ſuas patentes litteras, qualiter hoc præſens noſtrum mandatum fuerint executi. Datæ apud Wengham, VI. Non. Octobris, anno Dom. MCCCIX. conſecrationis noſtræ XVI. „



Volentes igitur huic mandato parere reverenter, venerabiles fratres veſtros epiſcopos, & tunc electos confirmatos veſtræ Cantuarienſis provinciæ, peremptorie citavimus, ac per ipſos . . . . . abbates, priores electivos plenum capitulum habentes, abbates ſupra ſe non habentes, decanos, præpoſitos, archipresbyteros, archidiaconos, & capitula ac collegia univerſa, necnon & clerum ſingularum diœceſum dictæ veſtræ Cantuarienſis provinciæ, tam exemptos quam non exemptos, peremptorie citari fecimus ſeu mandavimus, quod iidem epiſcopi, electi, abbates, priores, decani, præpoſiti, archipresbyteri, & archidiaconi perſonaliter, prædicta quoque capitula, collegia per unum, clerus quoque cujuslibet diœceſis per duos procuratores idoneos, coram vobis compareant die Lunæ proximo poſt feſtum S. Edmundi regis, in eccleſia S. Pauli London. ſuper iis quæ in præſcriptis litteris veſtris continentur tractaturi, ſuumque ad ea, quæ, inſpirante Domino providebuntur ibidem, pro ſeipſis & aliis a quibus mittentur, plenum conſenſum adhibituri, ulterius quoque facturi & recepturi cum continuatione & prorogatione dierum, uſque ad finem veſtri concilii, quod fuerit faciendum. Prædictos inſuper omnes & ſingulos præmuniri fecimus, quod abſentes in termino ſupradicto, niſi de evidenti impedimento & rationabili, in ea parte ſufficienter fecerint fidem, tanquam inobedientes & contumaces juxta juris exigentiam punietis. Nos vero ad diem ſupradictum, auxiliante Domino, comparebimus: clerum quoque noſtræ diœceſis, ad hoc idem citari fecimus, juxta formam in litteris veſtris ſuperius annotatam. Injunximus etiam ceteris ſuffraganeis veſtris antedictis, ut vos ſimiliter ipſis die & loco certificent per ſuas patentes litteras, qualiter dictum mandatum veſtrum fuerint executi. In cujus rei teſtimonium has litteras patentes, reverendæ paternitati veſtræ tranſmittimus, ſigillo noſtro ſignatas. Datæ apud Stebbenheth nono Kalend. Decembris, anno Dom. MCCCIX.







# CONCILIUM POSONIENSE

Ex Coſſartii Append. Tom. XI.

## IN HUNGARIA

### A Gentili Cardinale S. A. L. tempore Clementis PP. V. anno Dom. MCCCIX. celebratum. A Clemente VI. anno Dom. MCCCXLVI. confirmatum.

Edidit Odoric. Raynald. tomo XVI. Annal. Eccleſ. ad ann. 1346. num. 72.


1. *De non offendendis prælatis.*
2. *Ut nulla eccleſiaſtica perſona præbeat auxilium, conſilium, vel favorem alicui laico contra eccleſias eccleſiaſticaſque perſonas.*
3. *Ne quis recipiat eccleſiaſticum beneficium de manu laici.*
4. *De non occupandis & occupatis reſtituendis bonis eccleſiaſticis.*
5. *De pœna publicorum concubinariorum.*
6. *De prohibita deprædatione.*
7. *De his qui contumaciter ſuſtinent excommunicationem.*
8. *Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur.*
9. *De obſervantia mandatorum apoſtolicæ ſedis, & legatorum ipſius.*


PRÆFATIO.

In nomine Domini, amen.

ANno ejuſdem MCCCIX. Indictione VII. pontificatus domini Clementis papæ V. anno IV. Incipiunt conſtitutiones editæ per reverendum patrem, dominum Gentilem, Dei gratia tit. S. Martini in Montibus presbyterum cardinalem in regno Hungariæ, Poloniæ, ac partibus illis conterminis, apoſtolicæ ſedis legatum. Et primo prooemium ſuper ſtatu regni.

*Frater Gentilis miſeratione Divina tit. S. Martini in Montibus presbyter cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, ad futuram rei memoriam.*

VArietati morborum diverſa medici medicamenta propinant, & ipſorum morborum qualitatibus, ſecundum artis peritiam, efficacibus remediis exquiſitis, aliquibus gravioribus ferrum adhibent, quibuſdam ignem adjiciunt, aliis vero qui levi poſſunt fomento ſanitatem recipere, facilia medicamentorum antidota ſubminiſtrant. Sic & dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſub figura Samaritani, medici formam aſſumens, vulneribus infudit vinum, & oleum ſauciati. Nos itaque ad regnum Hungariæ, ab eo, qui pacifici regis & ſummi medici locum tenet in terris, cum pleno legationis officio, licet immeriti, deſtinati: attendentes, regnum ipſum infirmitatibus variis & gravibus laborare, ac præterea informati exemplo domini Jeſu medicorum præcipui, diverſitati infirmitatum hujuſmodi, etſi non omnibus, magis tamen letalibus, cupientes diverſas & congruas adhibere medelas: infra ſcriptas conſtitutiones de prælatorum dicti regni, ac per nos concilii congregati, conſilio & aſſenſu, authoritate qua fungimur, duximus promulgandas.



CAPUT PRIMUM.

*De non offendendis prælatis.*

CUm apoſtolicam ſedem, in qua Chriſtus catholicæ fidei poſuit fundamentum, Chriſtianorum matrem eſſe voluerit & magiſtram: non eſt dubium, quin Chriſtus ipſe graviter offendatur, ſi matrem filius, & magiſtram diſcipulus dehonorat. Quia igitur ipſi apoſtolicæ ſedi non eſt poſſibile, cunctos filios & devotos, materno affectu, & ſuo magiſterio præſentialiter confovere: debitum apoſtolicæ ſervitutis explere nititur, modo per epiſcopos, immo per archiepiſcopos, nonnunquam, & per legatos a latere ſuo miſſos; quos, quia ejus privilegio gaudent, cujus legatione funguntur, a cunctis Chriſti fidelibus tanquam apoſtolicam ſedem, immo Chriſtum qui in eis ſe recipi prædicat & audiri, honorari convenit & foveri. Verumtamen fuerunt & ſunt nonnulli, quos termini noſtræ legationis includunt, ſicut fide digna relatione percepimus, qui licet glorientur nomine Chriſtiano: ad ipſum tamen Chriſtum & apoſtolicam ſedem, debitam reverentiam non habentes, epiſcopos, archiepiſcopos, & legatos hujuſmodi, doctores catholicæ fidei & magiſtros, ipſius Chriſti veros vicarios & legatos, hoſtiliter inſequi, auſu ſacrilego capere, & percutere, quandoque nequiter carceri mancipare, nonnunquam inhumaniter perimere, non verentur. In quo quantum Chriſti fidei devotio minoratur, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Proinde nos qui ex injuncto nobis legationis officio ſedem apoſtolicam, licet immeriti, repræſentamus, cupientes omnes & ſingulos noſtræ legationi commiſſos de tam nefandis exceſſibus coercere, præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus de cetero in Dei offenſam, apoſtolicæ ſedis contemptum, & catholi-

ANNO CHRISTI 1309.

cæ fidei læſionem, præſumat tantum facinus attentare. Si quis autem propriæ inimicus ſalutis, reverentia religionis rejecta, Divinis & humanis legibus incivili damnatione calcatis, præmiſſum ſcelus exercere præſumpſerit, per ſe vel per alium, publice vel occulte: eum, excommunicatum & a totius Chriſtianitatis conſortio ſeparatum publice nunciantes, qua fungimur authoritate, privamus omnibus privilegiis, indulgentiis, feudis, gratiis, & beneficiis quibuſcumque, ei ab eccleſia quacumque conceſſis; omnibus ad quos pertinet eorum ordinatio, ſeu diſpoſitio, diſponendi poteſtatem liberam concedentes; terram ſuam nihilo minus, & quamlibet aliam quæ ſibi adhærere præſumpſerit, interdicto eccleſiaſtico ſupponentes. Et ne minus vindictæ quam exceſſus memoria prorogetur, decrevimus ut filii talium, in clericorum collegium nullatenus admittantur; nec in domibus regularibus, alicujus prælationis aſſequantur honorem; quod contra factum fuerit, irritum decernentes, niſi cum eis per ſedem apoſtolicam, vel legatum de latere, fuerit diſpenſatum. Et quia dignum eſt, ut is, qui tot præſumit offendere, pœna multiplici caſtigetur: omnes eorum vaſſallos, caſtellanos, comites, jobagiones, & officiales alios, quovis nomine cenſeantur, a fidelitate, homagio, & qualibet, alia præſtatione, qua eis tenebantur aſtricti, qua fungimur authoritate, abſolvimus: donec ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ humiliter redeuntes, abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Quod ſi eis in prædicta excommunicatione manentibus adhærere forte præſumpſerint: illos eadem cum ipſis pœna ſtatuimus excommunicationis involvi. Ceterum ut dictorum ſacrilegorum pœna, ſit aliorum cautela: inhibemus venerabilibus in Chriſto archiepiſcopis, & epiſcopis, & aliis eccleſiarum prælatis, eorumque vicem gerentibus, & eccleſiaſticis perſonis, ſæcularibus & religioſis, necnon eccleſiarum capitulis & conventibus exemptis & non exemptis, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, S. Benedicti, Minorum, Prædicatorum, ſancti Auguſtini, & aliorum ordinum, nec non magiſtris, præceptoribus, & fratribus militiæ Templi ſancti Joannis Jeroſolymitani hoſpitalis, & B. Mariæ Theutonicorum, ſub noſtra legatione manentibus, non obſtantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis, & litteris, eis vel eorum aliquibus, aut ipſorum ordinibus, a præfata ſede conceſſis, ne ipſi, vel aliorum aliquis, vel aliqui, corpora illorum, qui ſine digna & debita ſatisfactione deceſſerint, tumulare, aut tumulationi eorum quoquo modo intereſſe, præſumant. Si quis autem prædictorum, contra præmiſſam inhibitionem noſtram venire tentaverit: excommunicationis vinculo ſe noverit innodatum, majori pœna pro tanta inobedientia puniendum; & loca nihilo minus, in quibus talium corpora ſepulta fuerint, eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto. *Publicata Poſonii IV. Idus Novembris.*

*II. Ut nulla eccleſiaſtica perſona præbeat auxilium, conſilium, vel favorem, alicui laico contra eccleſias eccleſiaſticaſque perſonas.*

Illi procul dubio ſunt majori pœna plectendi, qui nituntur offendere, quod totis ſuis viribus defendere tenebantur. Cum igitur perſonæ eccleſiaſticæ ſingulariter teneantur tueri eccleſiam, a qua ſuam tuitionem recipiunt: præſenti decreto ſtatuimus, ut nulla eccleſiaſtica perſona, exempta vel non exempta, cujuſcumque præeminentię, ſtatus, aut dignitatis exiſtat, etiamſi pontificali fulgeat dignitate, præbeat alicui laico, cujuſcumque dignitatis aut conditionis exiſtat, contra eccleſias eccleſiaſticaſve perſonas, conſilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte. Si quis autem, eccleſiaſtico honore poſtpoſito, contra tam ſalubre ſtatutum venire præſumpſerit: ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Et nihilo minus ſi inferior epiſcopo fuerit, epiſcopus ſuus contra eum ad privationem eccleſiaſtici commodi & honoris procedere; ſi vero epiſcopus metropolitanus, ſui ſuffraganei exceſſum hujuſmodi teneantur, quam cito commode poterunt, ſedi apoſtolicæ nunciare. *Public. Poſonii* IV. *Id. Novemb.*

*III. Ne quis recipiat eccleſiaſticum beneficium de manu laici.*

Præſentis conſtitutionis authoritate, ſacro approbante concilio inhibemus, ne quis archiepiſcopatum, epiſcopatum, dignitatem aliquam inferiorem, perſonatum, parochialem eccleſiam, cum cura vel ſine cura, beneficium aliquod eccleſiaſticum, ſeu alicujus predictorum adminiſtrationem vel detentionem, de manu laicali recipere, vel jam recepta tenere, ſub quovis colore prę́ſumat. Si quis autem contra fecerit; vel ſic receptum beneficium, eo ipſo, & niſi locum, quem ſub crimine tantę inobedientię tantęque ambitionis taliter jam recepit, vel in futurum recipiet, reſipiſcendo deſeruerit liberaliter, infra duorum menſium ſpatium a publicatione conſtitutionis prę́ſentis quoad jam recepta, a receptionis vero tempore



ANNO CHRISTI 1309.

quoad ea quæ deinceps continget ſic recipi, numerandum: ad quolibet aliud inhabilis ipſo facto reddatur, ita ut ad dignitatem vel beneficium eccleſiaſticum nullo unquam tempore, abſque diſpenſatione apoſtolicæ ſedis vel noſtra, eligi valeat vel aſſumi. Inſuper, ut quantum exceſſerit, pœna docente recognoſcat; ſi quam dignitatem, perſonatum, vel beneficium aliquod cum cura vel ſine cura, ſic recipiens vel detinens, &, ut præmittitur, non dimittens, canonice forſan obtineat, ea vel eo ſit præſentis conſtitutionis vigore ipſo facto privatus. Indignum enim fore cenſemus, ut eccleſiaſtico beneficio gaudeant, qui eam tam nefandis auſibus deſpectui habuerunt. Injungimus quoque, ac in virtute ſanctæ obedientiæ, necnon ſub excommunicationis pœna, præcipiendo mandamus omnibus & ſingulis, tam clericis quam laicis, ruſticis, jobagionibus, vaſallis, caſtellanis, comitibus, & officialibus aliis, quocumque modo ſubjectionis aſtrictis dignitati, perſonatui, vel beneficio taliter occupatis, quod occupatori vel detentori prædictis in nullo pareant vel intendant. Qui vero temere contra fecerit, ſi univerſitas fuerit, interdicti; ſi autem ſingularis perſona, excommunicationis ſententiæ ſe noverit ſubjacere. *Publicata Poſonii IV. Id. Novembris.*

*IV. De non occupandis, & occupatis reſtituendis bonis eccleſiaſticis.*

Cum multa providentia fuerit olim a felicis recordationis Benedicto PP. XI. apoſtolicæ ſedis legato, dum in his partibus fungeretur legationis officio, conſtitutum, quod nullus invadere, occupare, illicite detinere præſumeret decimas, tributa, caſtra, villas, munitiones, poſſeſſiones, & bona ad eccleſias, & pia ac religioſa loca, & eccleſias ac perſonas eccleſiaſticas ſpectantia ac pertinentia quoquo modo, ſententia excommunicationis prolata in hujuſmodi invaſores, occupatores, & illicitos defenſores. Sed quia propter præſumptiones, & quorumdam cupiditates, nullus fructus hactenus aut rarus ex prædicta conſtitutione provenit: nos tantis animarum periculis præcavere volentes, ne tam ſalubre ſtatutum videatur in deſuetudinem abiiſſe, & ab hujuſmodi præſumptoribus ejus ignorantia prætendatur, prædictum ſtatutum duximus innovandum. Et ipſum in ſuo robore permanere, ac inviolabiliter obſervari volentes, adjicimus, ut quicumque propter invaſionem, occupationem, & illicitam detentionem dictarum rerum, excommunicatione authoritate prædicti ſtatuti ligatus, infra trium menſium ſpatium, invaſa, ſpoliata, occupata, & detenta hujuſmodi non reſtituerit ſpoliatis, omnes eorum vaſſalli, jobagiones, caſtellani, comites, & officiales alii, quocumque nomine cenſeantur, homagio & qualibet præſtatione qua eis juramento, pacto, conſuetudine, vel qualibet alia firmitate vallata, tenebantur aſtricti, ſint abſoluti & liberi, prę́ſentis authoritate decreti: donec ad cor humiliter redeuntes, ſatisfactionem debitam impenderint de præmiſſis. Quod ſi perſeverantibus in hujuſmodi contumacia & contemptu adhæſerint; qui eos in peccatis fovere ſatagunt, excommunicationis vinculo ſint ligati, & terra quæ eis medio tempore obediens fuerit, eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto: quod interdictum omnes & ſinguli archiepiſcopi & epiſcopi, & alii eccleſiarum prælati, capellæ & conventus, tam regulares quam ſæculares, exempti & non exempti, Ciſtercienſium, Præmonſtratenſium, ſancti Benedicti, ac Prædicatorum & Minorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, aliorumque approbatorum ordinum, necnon magiſter, & præceptores, milites Templi & hoſpitalis ſancti Joannis Jeroſolymitani, ac B. mariæ Theutonicorum, in virtute S. obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, ſervare inviolabiliter teneantur. Et nihilo minus ſi ſine debita ſatisfactione deceſſerint, prædictorum omnium corpora perpetuo eccleſiaſtica careant ſepultura. Non enim debet illi eccleſiæ beneficium ſubvenire, qui dum viveret, eccleſiam hoſtiliter impugnavit. *Publicata Poſonii IV. Id. Novembris.*

Conc. Bud. anno 1279. cap. 52. 54.

*V. De pœna publicorum concubinariorum.*

Almæ matris eccleſiæ, quæ plerumque rationabiliter ordinat & conſulte, quæ ſuadente ſubjectorum utilitate, poſtmodum conſultius ac rationabilius revocat aliquando, ſubtrahit, addit quandoque pariter & commutat in melius, imitantes exempla: conſtitutionem [a] bonæ memoriæ Philippi quondam Firmani epiſcopi, in regno Hungariæ ac partibus aliis noſtræ juriſdictioni ſubjectis apoſtolicæ ſedis legati, contra publicos concubinarios editam, a felicis recordationis Benedicto PP. XI. tunc in regno & partibus ſupradictis legato ſedis apoſtolicæ, confirmatam, quibuſdam additis & ſubtractis, juxta infra ſcriptam modificationem, in poſterum obſervari præcipimus. Ad ipſius quidem temperandum rigorem, animarum zelus, quas ex illius contemptu quaſi continuo, peccatorum ſordibus fœdari conſpicimus, nos inducit; ſpes recuperationis hortatur. Confidimus enim, quod

[a] Conc. Bud. anno 1279. cap. 47.

quod ſpirituali pœna, excommmunicationis videlicet, quæ quavis ſine comparatione periculoſior, minus tamen peccatis exigentibus formidatur, in temporalem mutata vindictam, ſubditorum mutabuntur & mores. Decreto igitur præſenti ſtatuimus, ut quicumque clericos contra ipſius conſtitutionis vigorem deinceps deliquerit, excommunicationis pœna in ea contenta, propter cauſas prædictas, ceſſante, quartæ partis reddituum beneficiorum ſuorum, præſentis conſtitutionis authoritate, damnationi ſubjaceat. Quia vero nihil prodeſſet jura condere, niſi foret qui ea executioni mandaret: omnibus epiſcopis, eorumque ſuperioribus, necnon ſingulis eccleſiarum prælatis, de jure vel antiqua conſuetudine juriſdictionem habentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna, quam, ſi ad hujuſmodi conſtitutionis obſervantiam negligentes fuerint vel remiſſi, ipſo facto incurrant, diſtricte præcipimus, quatenus a ſubditis ſuis, qui contra ipſam conſtitutionem exceſſerint, pœnam præfatam integraliter exigant: ipſius quidem parte dimidia in exigentis, reliqua vero parte in pauperum uſus, ſeu eccleſiæ exigenti commiſſæ commodum, convertenda. Prædicta autem condemnatio tandiu cum exactione debita repetatur: quouſque mores ſuos & vitam, quoad præmiſſa, curaverint emendare. Ad quod etiam corporalis pœna, ſi ſuperior ſuus expedire crediderit, indicatur. *Publicata Poſonii IV. Id. Novembris.*

### *VI. De prohibita deprædatione.*

Cum Chriſtus vera pax de ſummis cœlorum deſcenderit, ut quam mundus dare non poteſt, ſuis fidelibus pacem daret: profecto non eſt membrum Chriſti, nec ejus eccleſiæ, qui pacem ſuam non recipit, vel qui, ne alii recipiant, ſuis perverſis actibus cauſam præſtat. Cum itaque in regno Hungariæ olim in pulcritudine pacis æmulus, & diſcordiæ ſeminator, diu procuraverit optatæ pacis exilium, immittendo guerrarum diſcrimina, & deprædationes ſeu diſturbationes per perverſos homines membra ſua inhumaniter exercendo, propter quæ pax & concordia extra dicti regni terminos diu, quod dolenter referimus, exulavit: nos qui præfati regni & incolarum ejus ſpecialem curam ſuſcepimus, ipſorum pacifico ſtatui providere deſiderabiliter affectantes, ſtatuimus ſacro approbante concilio, ut omnes & ſinguli, cujuſque dignitatis, conditionis, aut ſtatus extiterint, qui in regno Hungariæ præfato deprædationes ſeu diſturbationes publicas, per quas pax & tranquillitas dicti regni ut plurimum impeditur, per ſe vel per alium publice exercere, vel qui aliter ipſius regni ſtatum pacificum impedire præſumpſerit; niſi per epiſcopum proprium monitus, ad quod ipſe epiſcopus in virtute obedientiæ teneatur, infra octo dies vitam ſuam melius conſulte correxerit, etſi clericus fuerit exemptus vel non exemptus, beneficiis privatus, ipſo facto excommunicatione, qua Deus iratus animas percutit, ſit ligatus. *Publ. Poſonii IV. Id. Novembris.*

### *VII. De his, qui contumaciter ſuſtinent excommunicationem.*

Cum peccata tanto gravius deprimant atque laborioſius extirpentur, quanto invaluerint conſuetudine longiori: præſenti conſtitutione, ſacro approbante concilio, duximus ſtatuendum, quod ſi quis clericus vel laicus, cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtat, aliquam de conſtitutionibus noſtris tranſgrediens, quas contra recuſantes dictum Carolum pro rege naturali Hungariæ recipere & habere, vel alium advocantes vel nominantes, ſeu recuſationi, advocationi, vel nominationi hujuſmodi conſentientes ſeu faventes; ac etiam contra occupatores regalium generalium, vel eccleſiaſticorum bonorum, contra eos quoque qui in regnum prædictum, archiepiſcopos, epiſcopos, vel legatos, manus injecerint violentas, necnon contra occupatores & detentores ſacræ coronæ, eorumque fautores, edidimus, majoris excommunicationis ſententiam, in præfatis conſtitutionibus, ſeu aliqua earum contentam, quod abſit, incurrerit, quam citius commode poterit, cum debita inſtantia, illius abſolutionem efficaciter obtinere procuret. Qui vero concepta malitia, ſive damnoſa negligentia, excommunicationem hujuſmodi per annum ſuſtinuerit animo indurato: contra eum, per prælatum ad quem de jure pertinere dignoſcitur, ſeu per inquiſitores hæreticæ pravitatis, bonis pro facto jure confiſcatis ipſius, tanquam contra hæreticum procedatur. *Publicata Poſonii IV. Id. Novembris.*

### *VIII. Ne aliqua fidelis alicui infideli matrimonialiter copuletur.*

Ut fides catholica, quæ ſciſſuram erroris cujuslibet aſpernatur, nullius ſchiſmatis, vel fermento pravitatis hæreticæ maculetur: de conſilio & aſſenſu præſentis concilii, perpetuo prohibemus edicto, ut nullus, noſtræ legationi ſubjectus, qui vult reputari & haberi catholicus, præſumat de cetero, hæretico, Patareno, Gazano, ſchiſmatico, vel alteri fidei Chriſtianæ contrario, maxime Ruthenis, Bulgaris, Raſciis, Lituanis, in errore manentibus) qui, ſicut fide dignorum teſtimonia præſtantur, in diminutionem catholicæ fidei, opprobrium Jeſu Chriſti, & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, quæ eſt veræ fidei fundamentum, non ſolum ſacri baptiſmatis reiterant ſacramentum, verum alia catholicæ eccleſiæ ſalutifera ſacramenta damnabiliter contemnentes, habent deſpectui, fidei veritatem, in qua fidelibus ſalus datur, abnegant, & eis, diverſis modis & variis injuriam irrogare conantur) filiam, neptem, conſanguineam ſuam connubio tradere, vel eas eis modo aliquo copulare, cum hoc ſit in prædictæ fidei Chriſtianæ detrimentum non modicum & jacturam. Nam ſicut didicimus ab experto, viri ab unitate fidei catholicæ ſeparati, uxores ſuas, quantumvis catholicas, inſtigante diabolo, ad infidelitatis errorem trahunt potius, quam trahantur. Qui vero contra inhibitionem præſentem, filiam, neptem, vel conſanguineam ſuam, prædictis peſtiferis hominibus, qui, quantum in eis eſt, catholicam fidem, ſine qua nullus omnino ſalvatur, nituntur confundere, dederit, aut danti conſenſerit, vel ex propoſito & ſcienter hujuſmodi ſceleſtis nuptiis aſtiterit, (mulier etiam data vel tradita, quæ eiſdem conſenſerit) cum per hoc in Chriſtiana religione ſciſſuram, & maculam ponere ſatagat, ac per hoc hæreticæ pravitati favere: eo ipſo excommunicationis mucrone percuſſum ſe noverit, & eccleſiaſtica ſepultura privatum. Volumus autem, & in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus archiepiſcopo vel epiſcopo, in cujus diœceſi contemptor hujuſmodi moram trahit, quod eum excommunicatum denunciet, & ab omnibus evitandum; & ſi infra menſem corde contrito & humiliato non redierit ad eccleſiæ unitatem, de tanta injuria irrogata nomini Chriſtiano & fidei orthodoxæ, condignam ſatisfactionem & debitam impenſurus, ex tunc contra eum, tanquam contra fautores hæreticorum & inimicos fidei Chriſtianæ, procedatur juxta ſanctiones canonicas & civiles. *Publicata Poſonii IV. Id. Novembris.*

### *IX. De obſervantia mandatorum apoſtolicæ ſedis, & legatorum ipſius.*

Cum apoſtolica ſedes ad obedientiam omnibus ſingulari privilegio proponatur: dolemus, quod quidam, quos termini noſtræ legationis includunt, bonum obedientiæ pervertentes, ipſius apoſtolicæ ſedis, vel etiam legatorum ejus, qui in decreta ſibi provincia ſecundum in obedientia & reverentia locum tenent, ipſius obedientiæ debito reverenter ſubtracto, mandatis, ſive in recipiendis canonicis, ſive in cuſtodiendis ſententiis, ſive in quibuſvis præceptionibus obſervandis, aliorum damnabiliter voluntatem præponunt: & non attendentes, quod *quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere*, pœnæ inobedientiæ debitæ ſe ſupponunt. (1. Reg. 15.) Quod in terra Poloniæ (maxime per nonnullos epiſcopos & capitula, quæ, præſertim pro aliquibus recipiendis canonicis, niſi de ſuorum ſuperiorum voluntate procedat, ab eadem ſede vel legato ipſius directis litteris obedire contemnunt (factum eſſe frequentius, noſtris auribus eſt relatum. Proinde noſtro commiſſos regimini in bono perfectæ obedientiæ, ſine qua infidelis quiſque convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur, obſervari ferventi deſiderio affectantes: monemus omnes & ſingulos, archiepiſcopum, epiſcopos, electos, abbates, priores, eccleſiarum quoque capitula prædictæ terræ Poloniæ, ut non obſtantes ſuorum ſuperiorum voluntate contraria, dictæ ſedis legatorumque ipſius mandata ſic reverenter recipiant, & obedientiæ non amittant: ſcituri, quod ſi mandata hujuſmodi per inobedientiæ vitium non duxerint adimplendum, eos taliter puniemus, quod pœna docente cognoſcent, quam grave ſit eorum juſſionibus contraire. *Publicata, ut ſupra.*

Dat. Poſonii IV. Idus Novembris Pont. domini Clementis PP. V. an. IV.

## EIUSDEM CONCILII CONFIRMATIO

Per Clementem VI. anno Domini M. CCC. XLVI.

PEtitio pro parte venerabilis fratris noſtri Apetaconis, epiſcopi Lubucenſis, nobis exhibita, continebat, quod dudum bonæ memoriæ Gentilis, tit. S. Martini in Montibus presbyter cardinalis, in regno Hungariæ, ac provincia Poloniæ, infra quam eccleſia Lubucenſis exiſtit, ac quibuſcunque aliis terris eidem regno adjacentibus, authoritate ſedis apoſtolicæ, plenæ legationis fungens officio, in concilio videlicet per eum, apud Poſonium Strigonienſis diœceſis, conſtitutum in dicto regno Hungariæ, celebrato, nonnullæ conſtitutiones pro libertate ac utilitate eccleſiarum, ac earum prælatorum, & aliarum perſonarum eccleſiaſticarum, infra fines legationis ſuæ conſidentium, edidit utiles & ſalubres, inhibitiones, prohibitiones, decreti interpoſitiones, ac excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, & nonnullas pœnas alias, continentes, prout in litteris præfati cardinalis inde confectis, ipſius ſigillo munitis (quarum quidem conſtitutionum certa capitula de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus) continetur. Quare pro parte dicti epi-

ANNO CHRISTI 1310.

epiſcopi nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut capitula prędicta, & omnia in eis contenta, cum prefatę litterę timeantur vetuſtate conſumi, fulcire apoſtolico munimine dignaremur.

Nos igitur eccleſias, & earum pręlatos, ac perſonas eccleſiaſticas prędictas, in ſuis libertatibus ac utilitatibus, quantum cum Deo poſſumus, confovere volentes, ipſius epiſcopi ſupplicationibus inclinati, capitula prędicta rata & grata habentes, illa authoritate apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus. Tenores autem dictorum capitulorum, tales ſunt.

In nomine Domini, amen. Anno ejuſdem M. CC. IX. &c. *ut ſupra*.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere &c. Datum Avinione IV. Non. Septemb. pontificatus noſtri anno V.

# CONCILIUM [1] SALTZBURGENSE I.

## Cauſa decimarum ſedi apoſtolicæ ſolvendarum, habitum an. Dom. MCCCX. tempore Clementis papæ V.

ANno Domini MCCCX. convocato provinciali concilio Saltzburgi, & propoſita ibidem petitione domini Clementis papę quinti, concordaverunt omnes in hoc, quod ſumma decimę duorum annorum, ſi qua fuerit, vel eſſe potuerit perſolvenda, ſolvi debeat ſummo pontifici in terminis infraſcriptis: ita dumtaxat quod primus terminus ſolutionis faciendæ de primo anno, qui incipiet in iſto proximo feſto ſancti Georgii, ſit in proximo futuro feſto beati Martini: & ſecundus terminus ſolutionis faciendæ ejuſdem anni, ſit in proximo ſubſequenti feſto S. Georgii: & primus terminus ſecundi anni, ſit in alio ſubſequenti feſto ſancti Martini: ſecundus vero terminus & ultimus, ſit poſt hoc in ſubſequenti feſto ſancti Georgii: & quod decimam dabit de omnibus poſſeſſionibus, bonis, & redditibus, & beneficiis eccleſiaſticis. Hæc de eis quæ beneficiorum intuitu poſſident, expenſis neceſſariis deductis. Neceſſarias vero expenſas eſſe dixerunt, quas ſtando, colendo, colligendo & conſervando impendant, ſine quibus res ſubſiſtere non poteſt. Et quod eccleſiæ, quarum redditus pro majori vel pro media parte in obligationibus, legatis & teſtatis conſiſtunt, de iiſdem obligationibus legatiæ ſeu teſtati decimam ſolvere teneantur. Item capitula, collegia, ſeu conventus, in communi de ſuis redditibus decimabunt. Item ſi quis ex uno beneficio ſex marcarum argenti ponderis * propriæ redditus dumtaxat, eos non decimabunt: ultra vero ſi habuerit, decimas inde ſolvet. Aut ſi plura beneficia habuit, quæ conjuncta prædictarum marcarum excedant numerum, de ambobus inſimul decimabunt. Hoſpitalis vero & domus leproſorum, cum annexis ſibi eccleſiis, ſuper quibus fundata ſunt, decimas non præſtabunt. De infirmariis, veſtiariis, ſacriſtiis, & hoſpitalibus religioſorum non decimabitur, niſi ſi ultra proviſiones neceſſarias de illis officiis exhibendas, eſſet exceſſus reddituum illorum officiorum: tunc de illo reſiduo fiet decimatio communi decimæ apponenda. Paſtores vero & vicarii inſimul, vel quilibet pro parte ſua, decimabunt: ita tamen, quod plene de omnibus redditibus eccleſiæ decima perſolvatur. Ordinarii perſonas providas deputabunt, qui eamdem decimam colligent & ſervabunt. Et ſi nuncius domini apoſtolici eiſdem unum aut plures voluerit adjungere, ſuæ relinquatur optioni. Præterea ſub juramento ſolventium decima perſolvatur. Item ordinarii ſubjectos ad ſolutionem decimæ iſtius per cenſuram eccleſiaſticam poterunt coarctare. Item decima fiat de bonis eccleſiarum, hac taxatione præmiſſa, ut tempus æſtimationis ſolvendæ decimæ bladi & vini, ſit inter feſtum ſancti Michaelis & ſancti Martini. De caſeis autem ſolvatur decima, ſicut prælati conſueverunt denaria ſuis ruſticis loco caſeorum recipere, in feſto S. Georgii ſecundum jus & terræ conſuetudinem.

* Locus mendoſus.

# [1] ** CONCILIUM [2] SALTZBUGENSE, II

## Quo ſtatuta quædam pœnalia declarantur, anno Domini MCCCX. celebratum tempore Clementis papæ V.

*Declarationes ſtatutorum in concilio provinciali domini Conradi archiepiſcopi Saltzburgenſis, anno* MCCCX.

### PRÆFATIO.

Ex editione Regia.

NOs Conradus Dei gratia ſanctæ Saltzburgenſis eccleſiæ archiepiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, Wernhardus Patavienſis, Joannes Brixinenſis, Henricus Gurcenſis, Albertus Chymenſis, Fridericus Secovenſis, Wernhardus Laventinenſis, eccleſiarum epiſcopi, in hoc ſacroſancto provinciali concilio Saltzburgenſi congregato *, de conſilio & conſenſu procuratorum venerabilium Friſingenſis & Ratiſponenſis epiſcoporum, plenum ad hoc mandatum habentium, ac aſſenſu prælatorum Saltzburgenſis provinciæ in hoc concilio aggregatorum, necnon procuratorum aſſenſu, hujus ſacri approbatione concilii, quædam ſtatuta pœnalia priorum provincialium conciliorum ex certis & legitimis cauſis, ut animarum periculum caveatur, taliter duximus moderanda.

* f. congregati.

CAPI-

1 Tempus Concilii, quod nec apud Caniſium, nec alibi in Vulgatis exprimitur, detegit codex Bibliothecæ Cęſareæ, in quo viſitur hic titulus: *Concilium Domini Conradi celebratum Salzburgi anno Domini MCCCX. in quadrageſima.* Ei vero interfuerunt Wernhardus Patavienſis, Joannes Brixinenſis, Hainricus Gurcenſis, Albertus Chyemenſis, Fridericus Seccovienſis, Wernhardus Laventinenſis Eccleſiarum Epiſcopi cum quibuſdam aliis Prælatis. Hoc vero Concilium geminandum non puto, cum & Chronographi Concilii dumtaxat unius faciant mentionem. *Hanſizius Germ. ſacr. tom. 2. pag. 442.* 2 Hoc idem cum ſuperiori.



ANNO CHRISTI 1310.

# CAPITULA.

### *I. De clericis tabernariis.*

* Concil. Saltzburg. anno 1274. c. 12.

PRimo ſtatutum de clericis tabernariis, quod incipit, * *Clericus non viator*, cum hoc moderamine declaramus, quod cauſę rationabiles & honeſtæ intelligi debeant iſtæ: quod ſi clericus non viator in ſacris conſtitutus, aut religioſus, tabernam intraverit ad honorandum quempiam amicum, dominum, aut quamcumque honorabilem perſonam, vel ſi impræmeditate intret, oblitus conſtitutionis, ſeu ex quacumque neceſſaria vel utili cauſa, non voluptuoſa, ibique biberit, vel comederit, pęna ſtatuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad luſores non extendatur.

### *II. De rationibus a prælato faciendis & audiendis.*

* Concil. Saltzburg. anno 1281. c. 2.

Item ſtatutum de rationibus faciendis, quod incipit, * *Item ne*, taliter mitigamus, quod revocata pęna ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſiæ, prælatus qui collegio aut tribus per collegium deputatis ſaltem ſemel in anno non fecerit rationem, & a clauſtri officialibus præſentibus aut vicinis clauſt. bis, & a remote diſtantibus ſemel in anno non audierit rationes, ab adminiſtratione temporalium ſit ſuſpenſus: quam ſuſpenſionem ſi per tres menſes poſt annum rationibus deputatum ſuſtinuerit animo indurato, extunc arbitrio ordinarii puniatur,

### *III. De clericis joculatoribus.*

Item juxta conſtitutionem domini Bonifacii, quæ eſt talis: Clerici qui clericali ordini non modicum detrahentes, ſe joculatores ſeu galiardos faciunt, aut buffones, ſi per annum artem illam ignominioſam exercuerint, ipſo jure; ſi autem tempore breviori, & tertio admoniti non reſipuerint, careant omni privilegio clericali: monemus hujus approbatione concilii, omnes & ſingulos tales, ut talem habitum & vitam non aſſumant, & aſſumptam deponant infra tres menſes, quorum unum pro primo, alterum pro ſecundo, & tertium pro tertio termino peremptorio aſſignamus: ſi pœnam prædictam, quam ipſo facto incidunt, voluerint evitare.

### *IV. De capitulis celebrandis a monachis S. Benedicti & S. Auguſtini.*

Item monemus abbates ordinis ſancti Benedicti, & præpoſitos & prælatos ſancti Auguſtini totius noſtræ provinciæ, ut provincialia capitula ſua, uſque ad feſtum Purificationis proxime futurum celebrent, juxta formam a ſacris canonibus eis datam, & deinde de triennio in triennium, juxta formam ſacrorum canonum jam prædictam.

### *Clementis V. conſtitutio, qua Bonifacii VIII. conſtitutionem* Clericis *mitigat.*

Clemens, &c. Paſtoralis cura ſolicitudinis nobis divinitus ſuper cunctas Chriſtiani populi nationes injuncta, nos vigilare, remediis, ſubjectorum eorumdem periculis obviare, ac ſcandala removere compellit. Sane quoniam ex conſtitutione fe. re. Bonifacii PP. VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: * *Clericis laicos:* & ex declaratione ſeu declarationibus ex illa poſtmodum ſubſecutis, nonnulla ſcandala, pericula magna, & incommoda gravia ſunt ſecuta, & ampliora ſequi, niſi celeri remedio ſuccurratur, præſumitur veriſimiliter in futurum: nos de conſilio fratrum noſtrorum, conſtitutionem & declarationem, ſeu declarationes prædictas, & quidquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus revocamus, & eas haberi volumus pro infectis: volentes & firmiter ſtatuentes, illud contra quoſcumque laicos exigentes ſeu extorquentes ab eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis, tallias ſeu collectas, aut exactiones quaſcumque, & contra dantes ad id faciendum auxilium, conſilium vel favorem, necnon circa præſtandas ſubventiones laicis ab eccleſiarum prælatis, & aliis viris eccleſiaſticis, inviolabiliter obſervari, quod ſuper his a prædeceſſoribus noſtris in Lateranenſi & generali concilio, quæ nos ſub obteſtatione Divini judicii præcipimus obſervari diſtricte, ſalubriter eſt proviſum.

* Clementin. cap. un. *Quoniam.* De immun. eccleſ.

Data * Lud. Kalendis Februarii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

* Lugduni.

### ADMONITIO G. COSS. S. J.

Conradi Saliſburgenſis epiſcopi conſtitutiones tres, & mitigationem primæ, quæ eſt de contractibus matrimoniorum, ediderat Binius in appendice tomi tertii: & conſtitutiones quidem attribuendas monuerat concilio Saliſburgenſi anni MCCXCI. Mitigationem vero huic, anni MCCCX. quod nos in hac editione ſervamus. Qui vero regiæ præfuit, ſive Binii mentem aſſecutus non eſt, ſive non eſt eidem obſecutus, in hunc eumdem annum, & Conſtitutiones & Mitigationem contulit. Quod falſi arguitur ex ipſis Mitigationis verbis; *Conſtitutionem inquit, de clandeſtinis matrimoniis dudum per nos editam, quæ incipit, Contractibus matrimoniorum.*

### MITIGATIO SEU MUTATIO POENÆ ſuper cap. *Contractibus* * *matrimoniorum.*

* Vide ſup. pag. 1095.

SAluti animarum paterna ſolicitudine cavere volentes, conſtitutionem de clandeſtinis matrimoniis

Hæc moderatio, ſeu miti-

ANNO CHRISTI 1310.

moniis dudum per nos editam, quæ incipit, *Contractibus matrimoniorum*, &c. taliter ex certis cauſis duximus moderandam.

Tollimus quidem, & ſublatam eſſe decernimus, pœnam excommunicationis, quoad omnes articulos conſtitutionis ejuſdem, & quod ſtatutum ipſum alias ſub vi præcepti maneat in vigore ſuo: abſolutionem autem illorum, qui ante ſublationem, hujuſmodi pœnam inciderunt, eamdem " committimus plebanis, ut eiſdem, & qui in poſterum contra conſtitutionem prædictam venerint, injungant ſtare ad modum pœnitentium ante fores eccleſiæ tribus diebus Dominicis, vel feſtivis, quando major adeſt populi multitudo, eoſque, qui in hoc contumaces extiterint vel rebelles, puniant ipſi plebani pro facultate cujuſlibet, in aliqua pœna pecuniaria competenti, cuſtodi ad fabricam noſtræ eccleſiæ cathedralis Saltzburgi ſub certo teſtimonio aſſignanda. Et quod circa eoſdem plebanos in ſingulis capitulis & ſynodis, tam noſtris, quam archidiaconorum noſtrorum, de hoc inquiſitio diligens habeatur: & ad noſtram notitiam perferatur plebanorum negligentia in hac parte.

[Margin: ...ratio non eſt in codice Caniſiano. — " Corr. eamdem.]

# " ** CONCILIUM COLONIENSE

## Ad Henrico archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno MCCCX.

[Margin: Ex ſtatutis ſeu decretis Synodorum eccleſiæ Colonienſis editis anno 1554. H.]

### TITULI STATUTORUM.


1. *De revocatione ſtatutorum, contra libertatem eccleſiaſticam factorum.*
2. *De occiſoribus, mutilatoribus, & captivatoribus clericorum.*
3. *Ne quis laicus exactiones eccleſiis imponat, ratione advocatiæ, quam ſuper bonis eccleſiaſticis habet.*
4. *De invaſoribus, occupatoribus, & detentoribus rerum & bonorum eccleſiaſticorum.*
5. *De occupantibus bona eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum, & legata fabricæ eccleſiæ Colonienſis.*
6. *De vita & honeſtate clericorum.*
7. *De vicariis, quoad verſus & lectiones in matutinis.*
8. *De ætate presbyterorum ordinandorum.*
9. *De concubinariis clericis.*
10. *Quod clericis publica emenda & pœnitentia non ſit imponenda.*
11. *Quod non niſi ordinati ad ſacros ordines, legant epiſtolas vel evangelia.*
12. *Quod non niſi ordinati ad ſacros ordines, legant epiſcopo vel archidiacono inſtituatur.*
13. *Quod proviſi de beneficiis authoritate apoſtolica, ſe faciant juxta formam proviſionis ordinari.*
14. *Quod fructus canonicorum ſuſpenſorum decedentium cedant eccleſiæ, & non ſucceſſoribus ſuſpenſorum.*
15. *Quod clericus non leget concubinis ſuis vel ſpuriis annum gratiæ ſuæ.*
16. *De campanariis, quod ſint litterati, & in albis miniſtrent.*
17. *Quod decani & plebani locorum examinent ornamenta eccleſiæ.*
18. *Quod fructus canonicorum ſuſpenſorum cedant capitulis, non ſingularibus de capitulo perſonis.*
19. *Quod eccleſia vel cœmeterium non conſecrentur, niſi de dotatione loci diœceſano conſtiterit.*
20. *Quod parochiani non niſi a ſuo plebano communionem recipiant.*
21. *Quod non fiant imprecationes, nec cantetur Media vita contra aliquas perſonas.*
22. *De matrimoniis clandeſtinis.*
23. *Quod annus Domini de cætero in nativitate Domini obſervetur & innovetur.*
24. *De tabellionibus.*
25. *De ſacramentis.*
26. *Quod plebanis non denegetur chriſma, vel oleum ſacrum.*
27. *De ſtatu religioſorum.*
28. *De monachis & monialibus.*
29. *Quibus ſtatuta iſta provincialia habitu & obſervantu neceſſaria.*


Statuta concilii provincialis domini Henrici, ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopi, ſacri imperii per Italiam archicancellarii, edita per eum anno Domini MCCCX.

### PRÆFATIO.

AD honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ac glorioſæ virginis Mariæ, atque S. Petri, ac omnium Sanctorum. Nos Henricus, Dei gratia archiepiſcopus Colonienſis, cupientes in hoc concilio noſtro provinciali, de mandato ſpeciali ſanctiſſimi in Chriſto patris ac domini noſtri Clementis, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummi pontificis, indicto, de capituli ac prælatorum noſtrorum conſilio & aſſenſu, per infra ſcripta ſtatuta noſtra omnibus paterna ſolicitudine providere; ut quies eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis procuretur, & pacis perturbatores a ſuis delictis pœnæ formidine arceantur, infra ſcriptas conſtitutiones obſervandas perpetuo, in præſentiarum duximus promulgandas.

### *I. De revocatione ſtatutorum contra libertatem eccleſiaſticam factorum.*

IN primis cum ad decus & decorem eccleſiæ nihil magis expediat, quam ut expurgatis erroribus, & ſtatutis iniquis ſublatis, ipſa plena quiete vigeat & ſecura gaudeat libertate: præcepta ſacrorum canonum imitantes, omnia ſtatuta, pacta, & ordinationes, contra libertatem eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum edita ſeu editas, damnamus, reprobamus, & caſſamus, & irrita ſeu irritas nunciamus: mandantes univerſis noſtræ diœceſis & provinciæ ſubditis, ut ea a locis ſuis intra menſem a notificatione præſentium faciant penitus aboleri: & locorum plebani moneant ſubditos diebus Dominicis & feſtivis, nominatim quos in his culpabiles ſciverint, " alios in genere, quatenus hujuſmodi de facto ſtatuta, de facto revocent: alias eos ad id per excommunicationis ſententiam volumus coarctari. Verum quia intelleximus, quod

[Margin: " a Forte; alias, H.]



ANNO CHRISTI 1310.

quod in nonnullis locis laici (qui non contenti de propria ipſorum impietate & malevolentia, etiam alios Chriſti fideles a ſua devotione & bonis operibus retrahere moliuntur) ſtatuerunt & ſtatuunt ſub certa conſpiratione & confœderatione, ne quis de cetero eccleſiis, eccleſiaſticis ſeu religioſis perſonis, bona, prædia, diſtrictus, jura & dominia aliqua, vendat, leget aut donet, vel quovis titulo in eos transferat, vel in nuptiis aut exequiis mortuorum, aut alias ſacerdotibus parochialium eccleſiarum & aliarum offerant, niſi ſub certo numero perſonarum & certo tempore Miſſæ, ſeu inter ſe taxant quid quilibet offerre debeat, contrarium facientibus pœnas pecuniarias infligendo: & quia hæc obviant directe eccleſiaſticæ libertati: conſpirationes, colligationes, & ordinationes hujuſmodi, ſeu fœdera, & facta, & deinceps, ſi contigerit, facienda, decernimus non tenere, nec aliquem fore vel eſſe debere ad eorumdem obſervantiam obligatum.

Item ſtatuta & conſuetudines a laicis, cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtant, introducta ſeu introductas, ſuper eo quod dicti laici, antiquarum decimarum occaſione, quas in aliquibus parochiis, vel largitione principum, aut donatione aliorum, ſeu alia de cauſa percipiunt, decimas novalium in terris propriis, quibuslibet parochiis obvenientes occupant, attrahunt, vel ſibi vendicant, revocamus & caſſamus: ſtatuentes & præcipientes, ut præfati laici & quicumque alii, ab occupatione, detentione, vel uſurpatione earumdem decimarum novalium, poſtquam ad agrum regium pervenerint, ſeu perveniunt, penitus deſiſtant, & de ablatis ſatisfaciant, tam nobis, quam eccleſiis eccleſiaſticiſque perſonis, quibus ipſæ decimæ novalium de jure competere dinoſcuntur: eaſdem decimas nobis, & eccleſiis ad quas pertinent, de cetero poſſidendas pacifice relinquentes.

### *II. De occiſoribus, mutilatoribus, & captivatoribus clericorum.*

Item ſtatutum " venerabilis quondam Engilberti Colonienſis archiepiſcopi prædeceſſoris noſtri, contra injectores manuum in clericos, eccleſiaſticaſve perſonas, olim per ipſum editum, cum pœnæ majoris adjectione contra captivatores clericorum, obſervari volentes: ſtatuimus, ut cum ſacrilegi, qui ſuadente diabolo, Dei timore poſtpoſito, manus injiciunt in clericum, vel alias perſonas eccleſiaſticas & religioſas, temere violentas, & ex hoc incidunt excommunicationis ſententiam canonis jam prolati; quod occiſores, mutilatores, & percuſſores atrociter clericorum & eccleſiaſticarum perſonarum, & clericos capientes & in captivitate detinentes, ſeu per captivitatem, aliquam pecuniam ab eis extorquentes, ſeu talium receptatores & defenſores, propter hoc auctoritate canonis latæ ſententiæ excommunicati, cum omnibus operam & conſilium ad præmiſſa adhibentibus, per omnes eccleſias diœceſis, in qua huiuſmodi perpetrantur, per decanos eccleſiarum, rectores & presbyteros, quamprimum ipſis hoc per famam publicam, vel rei evidentiam, vel per fidem duarum fide dignarum perſonarum ipſis faciendam, aut per mandatum ſeu ſententiam judicis conſtiterit, campanis pulſatis & candelis accenſis, nominatim, quorum nomina ſciri poterunt, alias in genere, excommunicati publice nuncientur, & arctius evitandi, donec ſatisfecerint de commiſſis, & debitæ abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Præterea in aggravationem pœnæ hujuſmodi malefactorum, ſtatuimus, ut omnis locus ad quem tales excommunicati venerint, vel ipſos clericos deduxerint, quamdiu ipſi captivatores & captivati ibidem fuerint, & poſt tres dies poſt eorum inde receſſum, necnon locus in quo talis violentia facta fuerit, quem quidem locum, ſeu eccleſiam, aut eccleſias, in his ſcriptis eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, & interdicti teneantur. Et ſi hujuſmodi ſacrilegi, " ſeu malefactores, principes, nobiles, ſeu barones fuerint, & terram, juriſdictiones, diſtrictum, munitiones, ſeu caſtra habuerint, & intra tres menſes a tempore perpetrati delicti, etiam captivatis dimiſſis, non ſatisfecerint de delicto, extunc tota terra & diſtrictus eorum, quos poſt lapſum dictorum trium menſium ſimili modo interdicimus, eccleſiaſtico, ipſo facto, ſit ſuppoſita interdicto. Si autem alii fuerint quam nobiles & terrarum domini: tunc ipſi domini terræ, in quorum diſtrictibus manent & domicilium habent ſacrilegi ante dicti, vel ubi tam enorme ſcelus commiſſum extiterit, intra quindecim dies poſtquam de delicto hujuſmodi conſtiterit per famam publicam, vel evidentiam facti, vel per denunciationem decani, ſeu presbyteri (quam ab ipſo decano, ſeu presbytero loci, fieri præcipimus ſub pœna excommunicationis, quam cito per famam, querimoniam alicujus, rei evidentiam, aut alio modo ipſis conſtiterit) præfatos ſacrilegos tales habeant per detentionem perſonarum ſuarum & privationem bonorum ſuorum, ut liberato captivo, Deo, eccleſiæ, & læſo emendam præſtent de commiſſis. Si vero dicti domini ter-

[Margin: " capit. vide ſup. ann. 1266.]

ANNO CHRISTI 1310.

terrarum, præfatos ſacrilegos habere nequiverint, nec bona ſub eis habuerint, ſed alias commanere in eorum diſtrictibus conſueverint: procedant per proſcriptionem contra eos, de terra ſua ipſos expellendo, & per juſtitiam ſeu judices ſuos id fieri mandent & procurent. Alioqui ſtatuimus, quod extunc ipſi domini terræ & eorum judices, & alii per quos regitur juriſdictio ſæcularis, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto: & ſi per quindenam dictam excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato, extunc tota terra eorum eccleſiaſtico ſit ſuppoſita interdicto. Præterea ne per mutationem locorum, præfati ſacrilegi hujuſmodi poſſint malitiam palliare: volumus quod ſi ipſi ſacrilegi, de una diœceſi ad aliam in noſtra provincia ſe transferant, vel captivos prædictos deduxerint, quod ad requiſitionem diœceſani, in cujus diœceſi hæc perpetrata ſunt, vel ejus officialis, ſeu amicorum captivatorum ſeu captivati, facta ordinario loci, ſeu diœceſano alterius, ad quem ſe ſic tranſtulerint, fide per mandatum ſeu juramentum de præmiſſis, ſtatuta eadem in omni forma, qua ſupra dicitur, inibi obſerventur. Si vero domini terrarum, vel alii nobiles, & juriſdictiones temporales habentes, fuerint malefactores ante dicti: capellani eorum, ſi quos habent, quamprimum ſciverint dominos ſuos clericum captivaſſe, detinere in munitionibus aut dominiis ſuis, vel capi mandaſſe, vel aliquid aliud de præmiſſis feciſſe, amodo coram ipſis non celebrent Divina: ſed ut de delicto commiſſo intra quindecim dies ſatisfaciant, ipſos admoneant diligenter. Alioqui extunc ab eis, & manſionibus eorum recedant, nec eis communicent. Contrarium facientes, quos in his ſcriptis extunc excommunicamus, excommunicatos volumus nunciari. Et ſi contra hæc Divinis ſe immiſcuerint, notam irregularitatis incidendo, & in ea permanſerint per annum unum animo indurato: ipſos extunc beneficiis eccleſiaſticis (quæ in diœceſibus in quibus manent, obtinent) ipſo facto decernimus privatos eſſe, & eoſdem ipſis beneficiis privamus per præſentes: injungentes beneficiorum patronis, quod extunc aliis perſonis idoneis beneficia hujuſmodi conferant, quibus iidem ſunt privati. Alioqui termino juris elapſo, poteſtas conferendi dicta beneficia ad ſuperiorem devolvatur. Si vero dicti irregulares beneficia non habent in diœceſibus, in quibus manent, ipſos ab eiſdem diœceſibus perpetuo eliminamus & amovemus: ipſos etiam, tametſi per importunitatem ſuam abſolutionem obtinuerint, de cetero ad aliqua officia, vel beneficia eccleſiaſtica, nullatenus admiſſuri.

Præterea ſi captivans clericum vel religioſum, vel detinens, ac ſacrilegus, hujuſmodi pœnis vilipenſis, congrua ſatisfactione neglecta, per annum unum in excommunicatione hujuſmodi perdurare animo præſumpſerit obſtinato: ſtatuimus, ut nulli de filiabus, filiis, fratribus & ſororibus, & eorum filiis & filiabus, uſque ad tertium gradum incluſive linea deſcendente, vel illi etiam, qui ad captivitatem hujuſmodi, opem vel operam impenderint, vel captivum clericum in ſuis vinculis detinuerint, ad ordines ſeu beneficia, aut etiam prælaturas, in noſtra diœceſi, ſeu alia in qua hæc fecerint, admittantur: cum ex delicto parentum, ipſo facto inhabiles reddantur ad hujuſmodi conſequenda. Statuentes & mandantes examinatoribus clericorum, capitulis, conventibus, patronis, & archidiaconis ac prælatis, ut nullum ex talibus ad ordines admittant: capitulum vero & conventus, nullum ex eis ad præbendas eligant; patroni nullum ex ipſis præſentent; archidiaconi & prælati tales non inveſtiant ullo modo. Alioqui capitula & conventus, patroni & archidiaconi ac prælati, ipſo facto jus ſuum amittant, & ea vice ad proximum ſuperiorem devolvatur. Et nihilo minus talium perſonarum receptio, inveſtitura, & admiſſio, ſit irrita ipſo facto, nec ipſis jus quæratur in beneficiis ſic adeptis. Feuda etiam, ſi qua prædicti ſacrilegi ab eccleſiis vel eccleſiaſticis perſonis tenuerint, poſt lapſum anni, per quem excommunicationem ſuſtinuerint, ad eccleſias & perſonas eccleſiaſticas libere revertantur: ita ut, ſi ipſi ſacrilegi ultra ſe de hujuſmodi feudis ingeſſerint, contra eos tanquam contra invaſores eccleſiæ, procedatur.

Verum cum futuris periculis ſit maturis remediis obviandum, ne poſt vulneratam cauſam ad remedium difficilius in bonis recurratur: de clericis clericos capientibus, aut capi mandantibus, aut adverſus eccleſiam ſe hoſtibus eccleſiæ aſſociantibus, eccleſiaſque invadentibus, ut contra ſacrilegos hujuſmodi, perfectius quo poterit, procedatur: ſtatuimus, ut ſi qui clerici & prælati beneficiati, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſtant, bono opere ſpirituali rejecto, in tam præſumptuoſam & deteſtabilem profunditatem malorum dilabuntur, quod clericos religioſaſve perſonas capiunt, vulnerant & detinent captivatos, aut contra eccleſias ſuas cathedrales, aut alias, quarum prælati, canonici, vel rectores exiſtunt, cum hoſtibus ipſarum eccleſiarum ſe confœderant, vel in acie hoſtium contra ſuos diœceſanos & eccleſias armati comparent, archiepiſcopos & epiſcopos, & eccle-



ANNO CHRISTI 1310.

eccleſias ſuas, & collegia, ſeu capitula vel bona earundem rapiunt, vel capi faciunt, aut mandant, detinent vel detineri mandant, ſeu arreſtari procurant, per abuſum & judicium potentiæ ſæcularis, dum hæc vel eorum aliquod, per evidentiam facti vel ſceleris perpetrati, aut per confeſſionem propriam coram duobus teſtibus fide dignis factam, aut judicis ſententiam, vel alio modo legitimo liquent, quos, ſalva pœna canonis, extunc, ut exnunc, abſque alterius mandati expectatione excommunicationis ſententiam, quam in his ſcriptis propter hoc tanquam delictum notorium in eos ferimus, incurrere volumus ipſo facto. In qua quidem ſententia ſi per annum unum perſeveraverint animo indurato, cum tanto gravius clerici, cujuſcumque ſtatus, dignitatis aut conditionis exiſtant, hujuſmodi committentes, ſint puniendi, quanto hæc ſunt in ipſis magis deteſtanda & tanquam * a ingrati. Cum autem eccleſias proprias invaſerint, dignitates, perſonatus & beneficia ſua admittere debeant, ſeu ea demeruerint, extunc poſt lapſum anni, abſque judicis ſententia, dignitatibus, beneficiis, perſonatibus, & omnibus quæ in diœceſi, in qua præmiſſa vel eorum aliquod commiſerint, habent & obtinent, virtute & authoritate præſentis concilii noſtri, ipſo facto ſint privati: quos etiam ex cauſis præmiſſis privamus eiſdem, abſque ſpe reſtitutionis ad ipſa, propter atrocitatem criminis in hoc caſu: mandantes, ut de ipſis dignitatibus, perſonatibus & beneficiis, per illos ad quos hoc ſpectat, extunc ordinetur, & conferantur perſonis aliis intra tempus juris: alioqui eorum collatio ad ſuperiorem devolvatur. Et ſi ante dicti clerici ſic privati, non obſtante quod forſan de facto dignitates & beneficia habent, adhuc detinent, & patroni de ipſis negligunt ordinare, poſt hæc ſe ingeſſerint dignitatibus, perſonatibus, & beneficiis eiſdem: fructus ſuos non faciant, nec actus eorum capitulares cuiquam ſuffragium præſtent vel afferant nocumentum. Clericos vero hujuſmodi committentes non beneficiatos, extunc ut exnunc excludi volumus & inhabiles exiſtere ad dignitates, perſonatus, officia & beneficia quælibet, in diœceſi, in qua talia perpetraverint.

a Forte, ingrati. II.

*III. Ne quis laicus exactiones eccleſiis imponat ratione advocatiæ quam ſuper bonis eccleſiaſticis habet.*

Monemus item omnes nobiles terrarum dominos, ſcabinos, conſules, judices ſæculares, & univerſitates, ac alios laicos, cujuſcumque ſtatus exiſtant, ne de cetero occaſione advocatiarum, quas quidam ex eis ſuper bona eccleſiaſtica habent, vel quocumque alio nomine vel colore ad hoc quæſito, tallias, collectas, exactiones, petitiones, aſſiſias, contributiones, ſervitia indebita, & ultra quam jus advocatiæ, juxta ſcabinorum ſententiam, ubi advocati ſunt, permittit, ipſis eccleſiis eccleſiaſticiſve perſonis, hominibus, mancipiis, & bonis earundem imponant, vel imponere, exigere, aut recipere præſumant, vel quo minus bona eccleſiaſtica colantur, & ipſæ eccleſiæ eiſdem pacifice fruantur, per arreſtationem vel prohibitionem aut alias prohibeant, ne bona eccleſiarum colant, vel homines ſuos dum in expeditionibus ſuis vadunt, vel alio modo procedunt, in grangiis & curtibus earumdem eccleſiarum & monaſteriorum ponant: alias contra ipſos volumus procedi per ſententiam excommunicationis, quouſque ſatisfaciant de commiſſis.

*IV. De invaſoribus & occupatoribus & detentoribus rerum & bonorum eccleſiaſticorum.*

Item ſtatutum prædeceſſoris noſtri Engilberti quondam Colonienſis archiepiſcopi, quod ſic incipit: Atque ad reprimendum importunam præſumptionem raptorum, prædonum & invaſorum bonorum & rerum eccleſiarum, &c. innovantes ex nunc de verbo ad verbum, prout in eodem continetur, volumus & præcipimus firmiter obſervari. Similiter & ſtatutum ejuſdem noſtri prædeceſſoris Engilberti, de effractoribus & incendiariis eccleſiarum, quod ſic incipit: Contra incendiarios autem & effractores eccleſiarum & monaſteriorum, cum ipſo facto ſint excommunicati, &c. prout in eodem ſtatuto continetur, innovantes, volumus & præcipimus obſervari.

cap. 14. Vide ſup. ad ann. 1266.

cap. 2. ibid.

*V. De occupantibus bona eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum, & legata fabricæ eccleſiæ Colonienſis.*

Cum nonnulli tam clerici quam laici utriuſque ſexus homines, bona mobilia vel immobilia, ad eccleſias, monaſteria vel alia pia loca, nec non ad dignitates, perſonatus & beneficia pertinentia, vel ad fabricam Colonienſem, & aliarum eccleſiarum legata, ſeu bona illicite acquiſita, ipſi fabricæ cedentia, tacite vel expreſſe occupent & detineant minus juſte, in fraudem eccleſiarum & monaſteriorum, ac aliorum prædictorum: nos eorum in hac parte fraudibus obviare volentes, ſtatuimus & præcipimus, ut quicumque, cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtant, in præſenti, vel pro tempore, hujuſmodi bona & legata, ac illicite acqui-

quiſita, eccleſiis, prælatis & clericis ſcientibus vel ignorantibus, ſub ſe habuerint, intra menſem a præſentis ſtatuti publicatione, ea, quæ ad præſens apud eos ſunt, & ſe habere ſciunt, vel quocumque tempore, dum innotuerit ipſis ſe bona conſimilia tenere vel occupare, ſimiliter intra menſem, eiſdem fabricæ noſtræ Colonienſi & eccleſiis, monaſteriis, prælatis, eccleſiarum rectoribus, aut aliis locis piis reſtituant atque reddant: alias ad id extunc per excommunicationis ſententiam compellantur.

*VI. De vita & honeſtate clericorum.*

Statuimus item bonæ memoriæ Sifridi quondam Colonienſis archiepiſcopi prædeceſſoris noſtri, inter alia ſtatuta ſua, de vita & honeſtate clericorum editum, quod ſic incipit, Ex concilio generali ſtatuimus & præcipimus, ut univerſi clerici continenter & caſte vivant, &c. innovantes præcipimus firmiter obſervari.

Vide pag. 579.

*VII. De vicariis, quod verſus & lectiones in matutinis.*

Intelleximus etiam, quod quamquam in quibuſdam eccleſiis vicarii aliqui adſtricti ſint ſuas ſeptimanas ſervare, celebrando Miſſas in principali ſeu ſummo altari, & ceteras horas quaſcumque, lectiones tamen in matutinis legere, vel verſus cantare in eiſdem eccleſiis de conſuetudine prohibentur. Propter quæ, occaſione canonicorum abſentium contingit interdum, in eiſdem eccleſiis negligentias fieri, & matutinas cum cantu penitus prætermitti. Attendentes igitur abſurdum eſſe, quod majora & ſolemniora, ut eſt dictum, ipſis vicariis permittantur, utpote Miſſarum celebratio in ſummo altari, & minima denegentur: ad tollendam negligentiam hujuſmodi, præcipimus decanis, ut ipſi vicariis eiſdem deinceps injungant verſus cantare & lectiones legere, prout viderint expedire: eos qui ipſis in hoc non paruerint, ſicut in ceteris, corrigendo: ſalva correctione contra canonicos, qui in præmiſſis fuerint negligentes.

*VIII. De ætate presbyterorum ordinandorum.*

Statuimus item, ut nullus clericus ſæcularis ad ſacerdotii gradum, niſi vigeſimum quintum annum ætatis ſuæ attigerit, aliaſque ad hoc idoneus extiterit, ordinetur: ut levitate juvenili, quæ prona eſt ad delictum, tranſcurſa, ſacerdotes in agendis diſcretionem habeant ſuo ſtatui congruentem.

*IX. De concubinariis clericis.*

Quamquam item plures canones & ſtatuta edita ſint ſuper continentia clericali: quia tamen natura prona eſt & labilis ad incontinentiam, idcirco ut quilibet clericus ſaltem pœnæ gravioris formidine ſtrictius ſe contineat; ſtatuimus, ut nullus clericus, & nullus omnino presbyter, concubinam vel in domo ſua, vel extra publice teneat aut habeat, cui neceſſaria adminiſtret. Alioqui a Divinis noverit ſe ſuſpenſum: & talibus ſuſpenſis celebrantibus, nullus Divina audiat, nec pro capellanis nec ſociis eos teneat; contrarium facientes, ut deſiſtant, per excommunicationis ſententiam arceantur: ſalvis pœnis per bonæ memoriæ Conradum archiepiſcopum Colonienſem prædeceſſorem noſtrum, contra concubinarios & concubinas hujuſmodi inſtitutis. Qui vero relaxatis voluntatum" habenis, in lacum miſeriæ & in lutum fæcis ſe immergunt, ut" ſalutis æternæ coronam & honeſtatis normam, & ſacrarum virginum pudicitiam violare præſumpſerint, cujuſcumque regulæ vel habitus monialium tales extiterint: propter tam flagitioſum crimen, ſi carnis commercium temerarium fuerit ſubſecutum, excommunicationis ſententia, quam in his ſcriptis ferimus, ſe noverint innodatos. Sanctimoniales vero, quæ hujuſmodi crimen flagitioſum perpetraverint, nullatenus deinceps ad officium aliquod in monaſterio admittantur: ſed in ſignum iniquitatis ſuæ (ſalvis pœnis contra tales ſanctimoniales editis, prout hæ in concilio venerabilis patris domini Conradi Portuenſis & S. Rufinæ epiſcopi, olim apoſtolicæ ſedis per Alemanniam legati, ſunt promulgatæ) taliter a ſuis ſuperioribus corrigantur, quod earum correctio aliis terrorem incutiat, ea amplius non committendi.

cap. 2. vide ad ann. 1225.

*X. Quod clericis publica emenda & pœnitentia non ſit imponenda.*

Item cum clericis publica actio pœnitentiæ ſit prohibita: ſtatuimus ut in nulla eccleſiarum noſtræ civitatis, diœceſis, & provinciæ, aliqua emenda ſeu pœnitentia publica ipſis imponatur, cum ex talibus infames reddantur, ſicut in aliquibus eccleſiis intelleximus obſervatum: videlicet quod canonici & clerici alii ante cruces in proceſſionibus & in choro, diebus quibus ceteris in albis procedunt, in nigris cappis circumeunt & incedunt in publico & in facie laicorum: quod de cetero in virtute ſanctæ obedientiæ fieri prohibemus. Sed ſuperiores eorum juxta qualitatem delicti, pœnitentias ipſis clericis imponant ſuo ordini congruentes. Si ſecus actum fuerit, decernimus ipſos clericos ad hujuſmodi emendas publicas non teneri.





*XI. Quod non niſi ordinati ad ſacros ordines, legant epiſtolas vel evangelia.*

Statuimus item, ut non niſi ordinati legitime ad ſacros ordines, epiſtolas vel evangelia legant, induti veſtimentis ſacris, cum id obviet canonicis inſtitutis. Contrarium facientes a ſuis decanis puniantur.

*XII. Quod nullus eccleſiam curatam teneat, niſi ab epiſcopo vel archidiacono inſtituatur.*

Item ſtatuimus, quod nullus eccleſiam curatam de cetero teneat, vel regendam ſuſcipiat, aut ſuſceptam tenere præſumat, niſi a nobis, vel archidiacono, & eorum vices gerentibus (quibus hoc de jure vel conſuetudine competere dinoſcitur) de eadem fuerit legitime inſtitutus: cum alias non habeat claves ligandi vel ſolvendi. Contrarium faciens, niſi dictam eccleſiam dimittat, monitione viginti dierum præmiſſa, ex nunc excommunicationis ſententiam, quam in ipſum in his ſcriptis ferimus, incidat ipſo facto, nec plebs ei obediat vel intendat.

*XIII. Quod proviſi de beneficiis authoritate apoſtolica, ſe faciant juxta formam proviſionis ordinari.*

Statuimus etiam, ut quibus in noſtra civitate eſt de beneficiis authoritate apoſtolica proviſum, ſic quod ad ea, prout onus beneficiorum eorundem requirit, promoveri teneantur, ſe faciant juxta formam proviſionis eorundem ad dicta beneficia promoveri; alioqui ea vacare decernimus, & eorundem collationem devolvi ad ſuperiorem, ut per ipſum intra tempus juris de perſonis aliis ordinetur. Et ſi contra hæc clerici hujuſmodi fructus eorundem beneficiorum perceperint: illos ſuos non faciant, nec ipſis miniſtrentur. Quod in virtute ſanctæ obedientiæ duximus injungendum.

*XIV. Quod fructus canonicorum ſuſpenſorum decedentium, cedant eccleſiæ, & non ſucceſſoribus ſuſpenſorum.*

Statuimus & hoc, ut ſi qui canonici ſuſpenſi deceſſerint, quod propter hoc, eccleſiæ, annis gratiæ, & eorum fructibus poſt obitum cujuslibet ex conſuetudine currentibus, non fraudentur: ſed ipſis eccleſiis, & non ſucceſſoribus ſuſpenſorum, cedant pro redditibus perpetuis comparandis ad communem utilitatem eccleſiarum: ne eccleſiæ ipſæ ex alieno delicto jacturam ſentiant in hoc caſu.

*XV. Quod clericus non leget concubinis ſuis vel ſpuriis annum gratiæ ſuæ.*

Nullus item annis gratiæ abutens, fructus annorum ſuorum ſpuriis vel concubinis ſuis leget aut donet. Contrarium faciens eccleſiaſtica careat ſepultura: & legatum hujuſmodi non teneat in hoc caſu, ſed cedat eccleſiæ a qua proceſſit. Item vicarii eccleſiarum collegiatarum, vel aliarum eccleſiarum, ad ordinem quem onus beneficiorum ſuorum requirit, a tempore ſuſceptorum beneficiorum promoveantur, & perſonaliter reſideant in eiſdem: alias eiſdem vicariis ſeu beneficiis, ſi non promoventur, nec perſonaliter eis deſervierint ipſo facto, poſt lapſum anni, juris impedimento ceſſante, ſint privati: & collatores earundem vicariarum ſeu capellaniarum de ipſis perſonis aliis, id facientibus, ſtudeant providere. Idem de vicariis jam exiſtentibus volumus obſervari: ne votum Chriſti fidelium qui hujuſmodi vicarias pro remedio animæ ſuæ, vel pro cultu Divino ampliando, inſtituerunt & dotaverunt eaſdem, per talium non promotorum & non deſervientium negligentiam defraudetur.

*XVI. De campanariis, quod ſint litterati, & in albis miniſtrent.*

Presbyteri item ſub albis camiſias habeant, & campanarii (quos litteratos ſemper aſſumi volumus, ut ſaltem in reſponſionibus communibus presbytero valeant reſpondere) ſimiliter tempore Divinorum camiſiis mundis & albis ſint induti, nec quotidianis veſtimentis ſuis in ſuo officio adminiſtrent indecenter: alias per locorum decanos & plebanos ad ſui officii exercitium nullatenus admittantur: quod ipſis decanis & plebanis in virtute ſanctæ obedientiæ duximus injungendum.

*XVII. Quod decani & plebani locorum, examinent ornamenta eccleſiæ.*

Decani item & plebani examinent libros & ornamenta neceſſaria ad Divinum cultum in eccleſiis ſibi ſubjectis: & ubi neceſſe fuerit, per conſervatores dictæ eccleſiæ, & parochianos, intra menſem poſt admonitionem eorundem, ſuppleri faciant: in rebelles excommunicationis ſententiam promulgando.

*XVIII. Quod fructus canonicorum ſuſpenſorum cedant capitulis, non ſingularibus de capitulo perſonis.*

Statuimus item, ut fructus canonicorum ſuſpenſorum, durante ſuſpenſione eorundem, cedant capitulis ad communes uſus eccleſiarum ſuarum, prout in eccleſia noſtra Colonienſi obſervatur, cui expedit in hoc caſu ceteras noſtræ diœceſis & provinciæ eccleſias conformari: ne ipſi canonici ſic ſuſpenſi, eoſdem fructus per aliquas alias

ANNO CHRISTI 1310.

perſonas ſingulares vendicantes ſibi ex aliqua conſuetudine, immo potius corruptela, ipſos competere, recuperent: & per conſequens ad frequentationem chori per ſuſpenſiones hujuſmodi nequeant coarctari: ſi tamen conſtet, ipſas perſonas ſingulares, per dictorum fructuum reſtitutionem, dare canonicis ſuſpenſis occaſionem ſuſpenſiones hujuſmodi non curandi.

*XIX. Quod eccleſia vel cœmeterium non conſecrentur, niſi de dotatione loci diœceſano conſtiterit.*

Inhibemus item, ne aliqua eccleſia vel cœmeterium, niſi dotatæ, de qua dotatione ante omnia nobis, ſeu loci diœceſano, fidei fieri volumus, amodo conſecrentur.

*XX. Quod parochiani non niſi a ſuo plebano communionem recipiant.*

Statuimus item, ut nullus parochianus ab alio quam a ſuo vero plebano, communionem recipiat: niſi de hoc privilegiis authenticis ſit munitus. Contrarium facientes a perceptione corporis Chriſti abſtineant, quouſque ipſi plebano ſatisfecerint de contemptu.

*XXI. Quod non fiant imprecationes, nec cantetur Media vita contra aliquas perſonas.*

Prohibemus item, ne in aliqua eccleſiarum nobis ſubjectarum, imprecationes fiant nec decantetur [a] *Media vita* contra aliquas perſonas, niſi de noſtra licentia ſpeciali: cum noſtra interſit diſcutere, quando ſint talia facienda.

[a] Extat hæc Antiphona apud Henr. Caniſ. tom. 5. Antiqu. Lect. p. 770. Vide Gloſſarium Du Cangii, verbo *Media vita*. Hard.

*XXII. De matrimoniis clandeſtinis.*

Prohibemus item, ne quis matrimoniis clandeſtinis interſit, & quod proclamationes fiant ubique de matrimoniis contrahendis: & ſi qui contrarium fecerint, & in excommunicationis ſententias inciderint, abſolutiones talium, nobis ſeu noſtro officiali ſpecialiter reſervamus.

*XXIII. Quod annus Domini de cetero in nativitate Domini obſervetur & innovetur.*

Statuimus etiam, ut ex nunc de cetero annus Domini obſervetur, & in nativitate Chriſti innovetur a quolibet anno, prout ſacroſancta Romana eccleſia id obſervat, quæ eſt omnium eccleſiarum caput & magiſtra: ut errores & difficultates, qui propter diverſitatem inceptionis anni nativitatis ejuſdem, multoties evenerunt, de cetero evitentur.

*XXIV. De tabellionibus.*

Statuimus item, ut tabelliones ſeu notarii publici, quoties alicui appellationi, proteſtationi, aut provocationi, aliive actui in publico faciendo interfuerint, provideant ſibi ut officiali noſtro ſeu judici, aut aliis coram quibus appellant, dent ſub eodem contextu copiam appellationis ſub expenſis appellantis: quas appellantibus ſeu provocantibus & proteſtantibus aliqua fieri volumus, ut judex, an deferat appellationi, necne, deliberare valeat: ne ipſis judicibus, qui limitatum terminum ſuper hoc a jure habent, currat tempus.

Item cum officium tabellionatus ſit publicum, præcipimus ut quilibet tabellio, inſtrumenti confecti per ipſum, intra ſex dies, poſtquam ex parte illius cujus intereſt, fuerit requiſitus, ſub expenſis partis hoc requirentis, quas per taxationem curiæ noſtræ, & diœceſani cujuslibet taxari volumus, copiam ſub ſigillo ſuo det & aſſignet.

In quibus duobus articulis ſi tabelliones negligentes fuerint, & de hoc conſtiterit per rei evidentiam, aut alio modo, ac ipſi appellantes ſeu proteſtantes hujuſmodi facere contempſerint; extunc in excommunicationis ſententiam incidant, cujus relaxationem nobis ſpecialiter reſervamus.

*XXV. De ſacramentis.*

Item ſtatutum piæ memoriæ Sifridi Colonienſis archiepiſcopi prædeceſſoris noſtri, de ſeptem ſacramentis, inter alia ſtatuta ſua editum, quod incipit, Statuimus ut baptiſmus honorabiliter celebretur, &c. in omni ſua forma pro inſtructione ſimplicium clericorum, qualiter in adminiſtratione eorundem ſacramentorum ſe habere debeant, volumus & præcipimus obſervari. (cap. 4. Vide pag. 683.)

*XXVI. Quod plebanis non denegetur chriſma vel oleum ſacrum.*

Statuimus etiam, ut nullis plebanis chriſma vel oleum ſacrum, ab his qui hæc adminiſtrare ſolent, occaſione cujuſvis petitionis cathedratici ſeu ſynodatici non ſoluti, denegetur vel ſubtrahatur: cum neceſſarium ſit in vigilia Paſchæ, & aliis temporibus, pro renovatione fontis baptiſmatis, hæc in eccleſiis haberi. Sed ad ſolutionem prædictorum, dicti plebani, ſi neceſſe fuerit, viis aliis compellantur: ne parochianis ex alieno delicto, ſacramenta prædicta, quæ gratis dari debent, indebite ſubtrahantur.

XXVII.



ANNO CHRISTI 1310.

*XXVII. De ſtatu religioſorum.*

Item ſtatuimus ut religioſi ordinis B. Benedicti abbatis, in craſtino Exaltationis ſanctæ crucis, omni anno celebrent concilia ſua in civitatibus cathedralibus, & in monaſteriis ſui ordinis, ſi qua ſunt in eiſdem: alias in vicino in aliqua eccleſia dictæ civitatis, quam ad hoc viderint ſibi aptam. Ad quod concilium abbates ſingulorum monaſteriorum, quilibet eorum cum duobus monachis, veniant, & habeant inter ſe duos ſuperiores abbates ordinis ſui dictæ diœceſis, qui procurent ibidem legi regulam B. Benedicti, & provinciale concilium bonæ memoriæ domini Conradi Colonienſis archiepiſcopi prædeceſſoris noſtri, ſuper ſtatu, & regulari diſciplina dicti ordinis, per ipſum olim obſervatum: quod quidem concilium, ſic incipit: (An. 1260.)
» In nomine Domini, Amen. Conradus Dei gratia ſanctæ
» Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopus. Salu-
» ti, & bono ſtatui omnium; cujuſcumque
» profeſſionis ſeu ordinis, ſed noſtrorum do-
» meſticorum maxime, debitores exiſtentes
» in Domino, ſicut in noſtra viſitatione nego-
» tium informationis & correctionis de cleri-
» cis per ſtatuta canonica expedivimus com-
» petenter: ita de monachis ſatagentes, id
» ipſum ſuo modo quo competens fuerit, ex-
» pediemus.
» In primis ſtatuimus, quod omnium mo-
» naſteriorum nigri habitus monachi ordinis
» S. Benedicti, Divinum officium in cantan-
» do & legendo, ſecundum quod regula ejuſ-
» dem S. Benedicti præcipit, exequantur.
» Et ſic finit: Datum & pronunciatum Coloniæ quarto Idus Martii anno Domini 1260.

Quæ etiam ſtatuta ſunt ab aliis prædeceſſoribus noſtris de obſervantia regulæ, ibidem legantur: & ſi qua pro monaſteriorum dicti ordinis ſtatu, & correctione fratrum rebellium, ac Divini cultus ordinatione, ordinanda ſunt, ordinentur: & quæ ibidem diffinita ſecundum eorum regulam fuerint, obſerventur. Si qui vero monachi rebelles fuerint, nec per abbates corrigi poſſint, illos nobis vel loci diœceſano volumus præſentari.

*XXVIII. Item de monachis & monialibus.*

Si qui etiam monachi vel ſanctimoniales, beatorum Benedicti & Auguſtini ordinum, præter ſuperioris licentiam, bona mobilia apud ſe, vel apud alios, in depoſito, negotiationis aut alia de cauſa, habuerint: illa ſuo ſuperiori & conventui reſignent, & eiſdem ad cautelam quolibet anno intra quindenam ante feſtum Paſchæ intiment, ſpecificent, revelent, & demonſtrent, & ad manus ejuſdem ſuperioris abbatis in præſentia conventus reſignent penitus atque tradant monachi & moniales ejuſdem. Contrarium facientes, ſeu qui bona hujuſmodi dolo deſierint poſſidere, excommunicentur, & puniantur ſecundum inde ſtatuta. Et quicumque alii utriuſque ſexus homines præfata bona ſub quovis nomine ſub ſe habuerint: tales, niſi eadem bona intra menſem ſimili modo ad manus ſuperioris ejuſdem monachi vel monialis reportent & reſignent, excommunicationis volumus ſententiam incurrere eo facto.

Item præcipimus & ſtatuimus, ut monachi & moniales in civitatibus atque villis, abſque religionis habitu non diſcurrant: nec ullus monachus ſeu monialis, in pluribus monaſteriis, quorum in uno dignitates, perſonatus, ſeu officia & præbendam obtineant: ſed recepta ſecunda dignitate, perſonatu, officio cum præbenda, collator primæ dignitatis, perſonatus, officii & præbendæ prioris, eam ſeu eas alii conferant intra tempus juris: nec monachi vel monialibus prædictis, tempore abſentiæ ſuæ, fructus cedant ſuarum præbendarum: quia ſic viderentur aliquid proprii poſſidere. Sed monachis ad ſtudendum aptis, de ſuorum ſuperiorum providentia poterit de neceſſitatibus provideri.

Item ſtatuendo prohibemus, ne in aliquo monaſterio monachorum vel monialium, cujuſcumque conditionis vel regulæ exiſtant, in receptione vel admiſſione monachi ſeu ſanctimonialis ad ipſum ordinem, pecunia exigatur, vel pro receptione talis perſonæ ad religionem, pacta, conditiones, aut conventiones de pecunia, vel alia re temporali, ipſi religioſi faciant, quovis nomine vel colore ad hoc quæſito: quod ipſis omnibus & ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ duximus injungendum. Sed id quod ex poſt facto parentes & amici perſonæ receptæ, pro eleemoſyna & devotionis cauſa, abſque pacto, libere contulerint, recipere valeant: dum tamen id fiat pure & ſimpliciter, ſine fraude.

Ceterum ſtatuimus ut moniales ipſæ ſub perpetua in ſuis monaſteriis clauſura maneant, ac nulli, niſi de illius ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia, ingreſſus vel acceſſus pateat ad eaſdem: ut ſic a publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ, Domino liberius ſervire valeant, ac laſciviendi opportunitate ſublata, ipſi domino Jeſu Chriſto cui integritatem ſuam ſpontanea voluntate devoverunt, corda & opera ſua in omni ſanctimonia cuſtodiant, juxta conſtitutionem D. Bonifacii papæ VIII. quæ incipit,

Peri-

Periculoſo & deteſtabili quarumdam monialium ſtatui, &c. Quam in præmiſſis & aliis in eadem conſtitutione contentis, volumus & præcipimus firmiter obſervari. Nulla etiam mulier ſolenne votum continentiæ emittat, quæ non elegerit ſub clauſura certa vel approbata alicujus ordinis remanere; ne propter levitatem ſexus, ſi in ſæculo remanſerit ſicut prius, continentiæ votum diſſolvens, gravius delinquat hoc caſu; niſi ad talem ætatem pervenerit, quod de incontinentiæ vitio amodo contra ipſam ſuſpicio non habeatur.

Quia vero per præſentia ſtatuta noſtra provincialia, communi utilitati eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum, pro conſervatione libertatis earumdem ac repreſſione ipſas infeſtantium, ut ſperamus, auctore Domino ſalubriter providetur: præcipimus & mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut ſtatuta noſtra ab omnibus eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis nobis ſubditis, & in hoc concilio noſtro congregatis, inviolabiliter, fraude & dolo ſecluſis, firmiterque obſerventur. Alias poſt tres menſes a publicatione præſenti ſtatutorum eorumdem, volumus, venientes contra ipſa extunc pœnas incurrere contentas in eiſdem.

Et ne quemquam ipſa ſtatuta lateant vel latere poſſint, ſtatuimus ut collegia, capitula, conventus, monaſteria, decani, eccleſiarum rectores, & ceteri quorum intereſt, intra dictos tres menſes a publicatione ſtatutorum ipſorum, copiam recipiant & ſibi procurent eorumdem: alioqui ipſos qui in hoc culpabiles extiterint, extunc ſuſpendi volumus ab officio Divinorum.

Actum & pronunciatum & datum in palatio noſtro Colonienſi, præſentibus venerabilibus patribus Guidone Trajectenſis, Engilberto Onaſburgenſis, Godefrido Mindenſis eccleſiarum epiſcopis; necnon nunciis ſolemnibus venerabilis Theobaldi Leodienſis epiſcopi, & capituli Monaſterienſis, ſede ipſa vacante; ac prælatis & clero noſtræ civitatis & diœceſis Colonienſis in dicto Concilio ſolenniter congregatis, in craſtino Dominicæ Invocavit, necnon feria III. & IV. ſequentibus concilio ipſo durante, anno Dom. MCCCX.

# CONCILIUM TREVIRENSE

## Anno M.CCCX. celebratum.

*Ex tribus MSS. codicibus, uno eccleſiæ Metenſis, altero collegii Societatis Jeſu Metenſis, & tertio conventus Cœleſtinorum Metenſis.*

IN nomine Domini, amen. Iſta ſunt ſtatuta ſalubria provincialis concilii Trevirenſis, edita per reverendum in Chriſto patrem & dominum, dominum *Balduinum*, Dei gratia ſanctæ Trevirenſis eccleſiæ archiepiſcopum, ſacri Imperii per regnum Arelatenſe archi-Cancellarium & publicata in eccleſia B. Petri Trevirenſis anno Domini M.CCCXXXVIIII. die menſis aprilis, ratificata & approbata concorditer per ipſum provinciale concilium. Inter quæ quam plures inſtructiones canonicæ ad laudem Dei & neceſſariæ ad utilem eruditionem perſonarum eccleſiaſticarum & ſæcularium Trevirenſis civitatis ac provinciæ continentur.

### I. *De exercenda juſtitia adverſus violentos eccleſiarum oppreſſores.*

Quoniam quidem eſſe omnium perfectiſſimam virtutum arbitrandum eſt hominibus, juſtitiam ſcilicet, quæ ſuum omnibus diſtribuit, conatus illicitos reprimens, & errata condemnans, quæ aliis augetur virtutibus & perficit virtuoſos; eo quod juſtitiam colere ſummum noſcitur eſſe bonum; quod & licet univerſis incumbat, ſpecialiter tamen in pontificali culmine conſtitutis, qui juris executores exiſtunt, tenentur juſtitiæ, eo quod reintegranda omnia ſunt ordinatione pontificum ipſorum ſecundum varietatem temporum, per quorumcumque violentiam, oppreſſiones & fraudes ab eccleſiis ſubtrahuntur, eccleſiaſticiſque perſonis ablata ſunt. Ad hoc enim Deus præordinavit epiſcopos, ut injuſtitias removeant, præſumptiones abſcindant, & Domino in ſuis ſervientibus, opem ferant. Quod maxime fieri convenit, cum illi graviter opprimunt, de quibus dictum eſt: Nolite tangere Chriſtos meos, per quos presbyteri & hi qui in ſortem Domini aſſumpti ſunt non abſque myſterio nuncupantur. Porro quantis oppreſſionibus & violentiis, injuriis, blaſphemiis & jacturis his diebus per hoſtis antiqui verſutias afficiantur, crucientur, lædantur, & opprimantur contra Juſtitiam in noſtra Trevirenſi provincia perſonæ eccleſiaſticæ & presbyteri, illi potiſſime, qui ferventiores in ſervitio Salvatoris exiſtunt, nullus eſt qui hæſitet. Ob quam rem & licet omnes humiliari oporteat ſub potenti manu Dei ut in tribulationis tempore liberentur, ex injuncto tamen nobis officio paſtorali hujuſmodi inſolentiis tenemur obſiſtere, ac per defenſionem juſtitiæ eos mucrone inexpugnabili conſtitutionum utilium confringere, ut reſiſtere valeant aſcendentibus ex adverſo. Cum itaque conſiderata locorum, hominum & temporum conditione, introducantur cauſæ ſcripturarum remedia, rationes & jura, quod in Apocalypſi competenter deſcribitur, dum Johannes ſeptem eccleſiis ſcribit, in unaquaque earum ſpecialia vitia comprehendens, quod ſecundum Apoſtolum evidentius declaratur, dum per ſingulas ſingulariter eccleſias diverſis remediis medetur illatis vulneribus. Ne per exhibitionem unius ſolius collyri ad inſtar periti medici per eum omnium oculi curarentur; pro communi omnium noſtrorum utilitate ſubditorum provida deliberatione ſtatuimus atq; percipimus incendiarios eccleſiarum, locorum religioſorum, ac eorum receptatores ſcienter, ſingulis diebus dominicis excommunicatos denunciari per omnes conventuales & parochiales eccleſias



& per omnia monaſteria tam monachorum quam monialium civitatis, diœceſis provinciæ Trevirenſis, decernentes ipſos ex tunc ab omnibus evitandos. Cum autem ipſi incendiarii poſt publicationem hujuſmodi excommunicationis abſolvi non poſſint, niſi a ſummo pontifice; nos ut iidem incendiarii & receptatores eorum ſuper hoc aliquam ignorantiam non prætendant, ſtatuimus ut hoc ipſis intimetur per parochiales prædictos ante denunciationem prædictam.

### II. *Contra prædones & violatores eccleſiarum.*

Item de violatoribus eccleſiarum & monaſteriorum, ſeu quorumcumque religioſorum & ſacrorum locorum fractoribus, ſtatuimus quatenus in loco ad quem prædam eccleſiarum & locorum ſeu perſonarum eccleſiaſticarum duxerint, quamdiu eſt & erit ibi præda vel ipſe prædo vel prædæ emptor, ceſſetur; videlicet in ejuſdem loci parochiali eccleſia penitus a divinis per earumdem eccleſiarum parochiales presbyteros, cujuſcumque ſuperioris judicis eccleſiaſtici Trevirenſis provinciæ mandato minime expectato: ita tamen quod iidem parochiales presbyteri cauſam ceſſationis hujuſmodi, contra quem & pro quo eadem fit ceſſatio, ſuis epiſcopis, ſeu officialibus eorum quam primum commode potuerint non differant intimare. Si autem in ipſa parochia conventus, ſeu collegium fuerit, januis clauſis ejuſdem parochiæ, parochianis excluſis, voce ſubmiſſa, ita quod foris audiri non valeant, divina celebrentur ibidem.

### III. *De parochianis qui ſine officio miſſæ ſepeliuntur.*

Si quis autem parochianorum prædictorum deceſſerit, ſine officio miſſæ cum ſolis commendationibus, ſepeliatur in atrio, excepto prædone, prædæ emptore, fautoribus, ſeu receptatoribus eorumdem. Præmiſſa vero ſerventur quam cito de præmiſſis conſtiterit per facti vel ſpolii evidentiam vel ſacramentum ſpoliati, ſi honeſta ſit perſona. Si quid autem circa præmiſſa & ceſſationes hujuſmodi dubitationis, ſeu quæſtionis emerſerit, judicio epiſcoporum & aliorum generalium officialium, quorum idem eſt auditorium relinquatur: per quos reſtituta præda, reſumptis organis, iidem violatores, fractores, prædones, fautores, & receptatores eorum damna & intereſſe ſpoliato parochialibus eccleſiis & presbyteris per cenſuram eccleſiaſticam reſtituere compellantur, quæ ratione ceſſationis hujuſmodi ſpoliatus, eædem eccleſiæ & presbyteri incurrerunt. Super quibus damnis credatur juramento ſpoliati & presbyteri, ſi honeſtæ ſunt perſonæ, & excommunicati nuncientur uſque ad ſatisfactionem condignam præmiſſorum.

### IV. *Contra raptores.*

His autem adjicientes decernimus, ut ſi raptores, violatores, ſeu prædones, quarumcumque rerum vel perſonarum eccleſiaſticarum infra menſem, a quo, ut prædicitur, ceſſari contigerit, contra eos prædam non reſtituerint, nec ſatisfecerint de præmiſſis, abſque alio mandato, auctoritate præſentis ſtatuti; per parochiales presbyteros excommunicentur, & excommunicati ipſo facto ſint, & etiam nuncientur, interdicta terra ſi quam eorumdem raptorum, violatorum & prædonum, habent; & ſi dominum ſuperiorem habeant temporalem, moneatur dominus, ut eos ad condignam ſatisfactionem compellat infra alium menſem a tempore monitionis ſibi factæ, quod ſi facere neglexerit, ex tunc terra ejuſdem temporalis domini ſub eccleſiaſtico ſit poſita interdicto. Quod autem dicimus de raptore, extendi volumus in eum qui rapinam fieri procuraret.

### V. *De captione clericorum.*

Statuimus ut captivatores clericorum abſque auctoritate ſuperioris eccleſiaſtici, qui hoc facere poſſit & debeat, de qua quidem auctoritate conſtet, adjutores & defenſores eorum: quamprimum de captivatione hujuſmodi conſtiterit, per evidentiam facti vel alias legitime per parochiales presbyteros excommunicati denuncientur. Si autem a die denunciationis clericum captivatum infra triduum non reſtituerint, terra ipſorum, ſi quam habent, eccleſiaſtico ſit ſuppoſita interdicto. Si vero a tempore interdicti hujuſmodi infra menſem non reſipuerint, eorum domini temporales a locorum ordinariis moneantur, ut captivatores & detentores clericorum ad eorum reſtitutionem compellant, alioquin ipſi domini per ordinarios excommunicentur, ac excommunicati denunciari mandentur. Quod ſi excommunicationis ſententia non proficit, contra eos terræ ipſorum, ſi quas habent, ex tunc eccleſiaſtico ſint ſuppoſitæ interdicto.

### VI. *Ut raptor denuncietur excommunicatus.*

Et quia ſuper conſtitutionum & ſententiarum executionibus eſt juris ſubſidium & ordinariorum judicum auxilium implorandum; ſtatuimus quod ſi raptores, captivator, prædo, excommunicati fuerint nunciati; vel terræ eorum, ſi quas habeant, interdicto ſint ſuppoſitæ a judice ordinario unius civitatis, vel diœceſis, provinciæ Trevirenſis; aliorum diœceſum ejuſdem provinciæ ordinarii, qui ſuper hoc ex parte ſpoliatorum ſeu captivorum ſuper hoc requiſiti fuerint, in ſuis civitatibus & diœceſibus eumdem raptorem ſeu captivatorem excommunicatum denuncient, ipſumque faciant ab omnibus evitari, terras ſi quas habeat ſub ſuis juriſdictionibus, eccleſiaſtico interdicto ſupponentes.

### VII. *Contra celebrantes in locis interdictis.*

Item, ſtatuimus, ſi presbyter vel clericus in ſacro ordine conſtitutus, in loco interdicto ſcienter celebraverit; vel ipſe presbyter, vel clericus interdictus ſuſpenſus, vel excommunicatus, maxime a judice, divina, ut prius, celebrare pertinaciter præſumpſerit; & a loci ordinario monitus non deſtiterit, ac infra competentem dilationem ſecum ſuper hoc canonice diſpenſari non obtinuerit, per ſuum epiſcopum & ad mandatum ſuum, ut ſit ceteris in exemplum, corporaliter capiatur, ut circumſtantiis provida deliberatione penſatis, in perpetuum vel ad tempus, prout epiſcopus expedire providerit, carceri mancipetur ad pœnitentiam peragendam.

### VIII. *Contra non recte tonſurantes.*

Item cum ante ſacramentale ſignum, quod per manus impoſitionem imprimitur & confertur, nullus ſecundum B. Iſidorum dici debeat de ſorte Domini, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter præcipiendo ſtatuimus, ut nullus de civi-

ANNO CHRISTI 1310.

civitate, diœceſi & provincia Trevirenſi ſignum clericale ſeu clericalem tonſuram per quam ſecundum veriorem ſententiam ordo clericalis confertur, deferat, ſeu ſibi radi faciat, acolytathus etiam ordinem non recipiat, antequam per eum qui poſſit & debeat, ſibi in collatione primæ clericalis tonſuræ manus impoſitio & benedictio ſacramentaliter imponatur.

IX. *Ne plures uno die recipiantur ordines.*

Item, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus ſubditis noſtræ civitatis, diœceſis & provinciæ Trevirenſis, propter multorum abuſum clandeſtinum, qui hactenus fieri conſuevit, inhibemus ne quiſquam eorum primam tonſuram cum aliis omnibus minoribus, ſeu acolytathum cum ſacro ſubdiaconatus ordine, maxime cum conſuetudo Trevirenſis provinciæ non repugnet, una & eadem die recipere præſumat. Quod ſi contra præſumtum fuerit, hujuſmodi ordines totaliter, jure reprobante, recipiens ab executione eorumdem ordinum ſit ſuſpenſus, cum receptio plurium ordinum una die ſit generaliter reprobata.

X. *Ne ſpiritualia vendantur ante receptionem.*

Item, cum ſpiritualia, nullo dato promiſſo, per quod privata utilitas ſeu laſcivia induci valeat, pure & ſimpliciter conferri debeant, prout in antiquis ſanctorum patrum ſanctionibus continetur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus perſonis eccleſiaſticis civitatis & Diœceſis provinciæ Trevirenſis firmiter inhibemus, ne quiſquam ante vel poſt receptionem in canonicum, in monachum, vel in fratrem, ſeu adoptionem cujuſcumque beneficii eccleſiaſtici, ratione hujuſmodi receptionis prandium ſeu convivium commune, prout hactenus in quibuſdam eccleſiis fieri conſuevit, ſeu eidem prandio, in quo non morum commendanda inſtructio, ſed reprobanda ventris repletio fieri conſuevit, interſit. Verum ut ad honorem Dei & eccleſiarum decus utilitas augeatur, præcipimus, quod in eccleſiis in quibus ſuper hujuſmodi conviviis tempore præſentis ſtatuti conſuetudo ſervabatur, loco convivii hujuſmodi poſt receptionem pure & ſimpliciter factam, præſtetur una cappa ad ornamentum eccleſiæ valoris centum groſſorum Turonenſium antiquorum, ubi alias cappa majoris vel minoris pretii minime ſolvebatur.

XI. *Ut nullus alium præſentet.*

Item, ſub pœna latæ ſententiæ omnibus perpetuis vicariis civitatis, diœceſis & provinciæ Trevirenſis inhibemus, ne quis alium vicarium ſeu perpetuum mercenarium ad titulos vicariarum ſuarum, prout hactenus factum fuiſſe comperimus, præſentare præſumat; nec admittatur ad eccleſiam taliter præſentatus, decernentes irritum & inane quidquid contra hoc fuerit attentatum.

XII. *De non reſidentibus.*

Item, ſub prædicta pœna firmiter præcipimus, ne quæcumque perſona eccleſiaſtica noſtræ civitatis & diœceſis provinciæ Trevirenſis groſſus fructus eccleſiaſtici beneficii percipiat, niſi in eodem beneficio reſidentiam fecerit, ut tenetur, & faciat perſonalem, niſi cum eo fuerit canonice diſpenſatum.

XIII. *Contra executores teſtamentorum.*

ANNO CHRISTI 1310.

Item, quia executores teſtamentorum ſeu ultimarum voluntatum decedentium plerumque in noſtra civitate, diœceſi & provincia Trevirenſi, executionem teſtamentorum hujuſmodi, etiam ſuper his quæ a teſtatoribus ad pias cauſas legata vel diſpoſita ſunt nondum infra annum, ſed plerumque biennium & tempus multo longius adimplere negligunt: quin immo plerique executores bona decedentium hujuſmodi ſibi appropriantes, dividentes inter ſe, præfatas ultimas voluntates & diſpoſitiones doloſe exequi totaliter prætermittunt: quamquam ſecundum civiles etiam ſanctiones extrema voluntas teſtatoris cujuſlibet infra annum debeat executioni demandari, alias eſt defunctorum piis voluntatibus per locorum epiſcopos providendum: innovando ſtatuimus, quatinus iidem executores per locorum ordinarios moneantur, ut facto primitus & quam cito fieri poterit ab eis inventario ſuper bonis receptis, infra annum a tempore obitus teſtatoris, & hujus executores receptas ultimas diſpoſitiones prædictas præcipue ad pias cauſas fideliter exequantur, ſuper quo locorum epiſcopis ſeu eorum vices gerentibus fidem faciant, alioquin executores prædicti bona executioni ſibi commiſſa epiſcopis deliberent anno lapſo, per manus epiſcoporum, ſecundum diſpoſitionem defuncti dividenda & ordinanda. Quod ſi executores ipſius facere contempſerint, ipſo facto, ſententiam excommunicationis incurrant: quam excommunicationis ſententiam, ſi per alium menſem indurato animo ſuſtinuerint, ex tunc ceſſetur in parochiis uſque ad ſatisfactionem condignam. Contra eos ſi epiſcopis expedire videbitur penitus ceſſetur a divinis.

XIV. *Contra gerentes cucuteras & rigatas.*

Item, cum prima facie quilibet præſumatur talis, qualis is eſſe, cujus habitum fert, comprobatur, & in noſtra civitate, diœceſi & provincia Trevirenſi quam plures presbyteri canonici & clerici rigatas & ſcacatas veſtes geſtantes, nec non mitras, ut vulgariter dicimus, ſeu cucuſas, coram epiſcopis & ordinariis, & etiam in eccleſiis, in quibus beneficia obtinent deferentes, venerabile ſignum clericale, per quod ipſi in ſortem domini ſunt, deferre præſumptuoſa ſuperbia vilipendunt, ut milites armatæ militiæ eſſe videantur, qui ſanctæ cœleſtis militiæ eſſe debent, & quibus non ſub terreſtri, ſed cœleſti militia ſtipendiis providetur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus presbyteris, canonicis & clericis in ſacris ordinibus conſtitutis, & beneficia eccleſiaſtica obtinentibus, firmiter inhibemus, ne deinceps hujuſmodi veſtes rigatas & ſcacatas in eccleſiis in quibus beneficiati exiſtunt, tempore quo celebrantur divina, de cetero deferre præſumant; ſed tonſuram clericalem convenientem deferant ſecundum qualitatem beneficii & conditionem perſonæ honeſte, geſtu, habitu & inceſſu taliter ſe habente, ut honeſte vivendo in converſatione laudabili ſint ceteris in exemplum.

XV. *Contra beneficiatos non tonſuratos per manus epiſcopi.*

Item, abuſum damnabilem, qui in noſtra civitate, diœceſi & provincia Trevirenſi inolevit, amoventes, omnibus perſonis nobis ſubditis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter inhibemus, ne quis antequam primam tonſuram per manus impoſitionem ſacramentalem receperit, ſibi de quocumque beneficio eccleſiaſtico provideri procuret. Si autem contrarium per quamvis perſonam factum eſt, illud extunc decernimus irritum & inane.



ANNO CHRISTI 1310.

XVI. *Contra presbyteros exigentes a parochianis pecuniam.*

Item, cum ſecundum canonicas ſanctiones nihil ſit pro ſacramentis eccleſiaſticis exigendum, ſed ſint gratis & ſine dilatione aliqua exhibenda, (quanquam piæ conſuetudines ſuper his erga ſanctam eccleſiam pia devotione a fidelibus introductæ debent obſervari) quamplures parochiales presbyteri noſtræ Trevirenſis provinciæ, prout didicimus, ubi conſuetudo non eſt ſuper certo eis dando, conſuetudinem prætendentes, pro ſepulturis, chriſmatis, & unctionis receptione & adminiſtratione immoderatos pecuniæ nummos & alias res extorquent ac exigunt ab invitis: ineffrenatam utique aviditatem eorum refrenare volentes, ſtatuimus ut prætextu conſuetudinis, quæ ſub certo eis ſolvendo notoria non fuerit ab antiquo, dicti presbyteri pro ſepulturis & exequiis mortuorum ultra duodecim ſolidos parvorum Turonenſium recipere, ſeu exigere non præſumant; ſed etiam minori ſumma ſint contenti, ſecundum morientium facultates: ſuper quibus eorum conſcientias oneramus. In locis vero & parochiis, in quibus ſuper receptione certi & determinati majoris vel minoris pretii eis ſolvendi, ſuper quo etiam contenti ſint, ſeu rei cujuſlibet alterius conſuetudo dubia non exiſtit, ſed a parochianis & aliis quorum intereſt recognoſcitur ita eſſe, nihil per hoc præſens ſtatutum volumus immutari: quin hujuſmodi pia conſuetudo notoria ſimpliciter obſervetur.

XVII. *Contra incorporationes eccleſiarum.*

Item, cum ceſſationes ſeu collationes eccleſiarum, quas incorporationes vocant, in quantum eccleſiis & monaſteriis non perſonis conferuntur, ad perpetuas alienationes pertineant, ſuper eiſdem eccleſiis incorporandis in noſtra civitate, diœceſi & provincia Trevirenſi per importunitatem potentium ab eccleſiarum prælatis & capitulis faciendis tantæ & totiens gratiæ factæ fuerunt & fieri ſperantur in poſterum, quod parochiales presbyteri vix jam habent & habere poſſe videntur; unde ſecundum ſtatum eorum commode ſuſtententur, ſed per incorporationes hujuſmodi, per quas redditus & decimæ a parochialibus eccleſiis ſubtrahuntur, licet de jure communi pertineant ad eaſdem, plurimis eiſdem parochialibus presbyteris pro hoſpitalitate tenenda, & epiſcopalibus juribus exſolvendis non ſuppetant facultates, ſicque quam pluribus presbyteris & rectoribus in eccleſiis deſervientibus ſpiritualia ſeminantibus, ipſi carnalia non metunt: vineam plantant & colunt, & de ejus fructu non edunt; extraneis in meſſes eorum falces mittentibus, contra Apoſtolum, ſecundum quem laborantem agricolam prius oportet ſuſcipere de fructibus ſuis, maxime cum ſerviens altario vivere debet de altari. Nos itaque ut militanti ſtipendia minime ſubtrahantur, ſtatuimus, ut deinceps in noſtra civitate, diœceſi & provincia Trevirenſi, hujuſmodi inſtitutiones ſeu incorporationes eccleſiarum non fiant in eccleſiis & monaſteriis, niſi ſubſit cauſa notoria & legitima, de qua conſtet; & niſi vocatis & præſentibus omnibus qui fuerint evocandi, ſolemnitates adhibeantur, quæ conſideratis circumſtantiis univerſis ſuper alienationibus rerum eccleſiarum adhiberi debent ſecundum canonicas ſanctiones: Ita quod incorporationes hujuſmodi ipſo facto non valeant niſi contractu præhabito inter epiſcopos & eccleſiarum cathedralium capitula cauſa rationabilis vel urgens neceſſitas, ſeu earumdem eccleſiarum evidens utilitas eoſdem epiſcopos & capitula communiter ad prædictas incorporationes de cetero faciendas inducat. Si qui vero aliquid contra fecerint ſeu procuraverint fieri, illud decernimus irritum & inane. Per hoc tamen præſens noſtrum ſtatutum in nullo derogavimus incorporationibus eccleſiarum hactenus rite factis.

XVIII. *Contra presbyteros, ſeu irreverenter habentes.*

Item, cum presbyteri & perſonæ eccleſiaſticæ, maxime in ſacris ordinibus conſtitutæ, in caſtris divinis ſub eccleſiaſticis ſtipendiis militare noſcuntur, ut eccleſiaſticum ordinem agnoſcentes, in aliud ſæcularis vitæ genus, eccleſiaſticæ diſciplinæ ſpreta reverentia, non tranſcendant, ſtatuimus, quin imo ſtatuta a ſanctis patribus innovamus, ne presbyteri ſeu clerici in ſacris ordinibus conſtituti, & maxime monachi ſæculares negotiationes exerceant, & præcipue tabernas non teneant, lucris turpibus non inſiſtant, munera injuſta non accipiant, juſtitiam non vendant pro ſæculari quæſtu, aliquem pretio non advocent, nec in plateis ſæcularibus orphanorum & viduarum & perſonarum miſerabilium defenſionem excepta, diſputare contendant, conductores aut procuratores in caſibus non permiſſis rerum ſæcularium non exiſtant, aleas non ſequantur, ſpectacula ſæcularia fugiant, ornamenta non ſtatuta & conditioni ſuæ minime convenientia neque deſiderent, neque geſtent, in deliciis ſuperfluis non vivant, gulam fugiant, & ſobrietatem ſectentur, pondera injuſta ſeu menſuras non habeant, circa otioſa & ſuperflua non intendant. Si quis autem presbyterorum & clericorum, & monachorum contra hoc ſalutare ſtatutum auſu temerario aliquid attentare præſumpſerit; competenti monitione præmiſſa, a ſuo epiſcopo, quouſque reſipuerit & condigne ſatisfecerit, de commiſſo excommunicetur, & a temere tentatis per cenſuram eccleſiaſticam compellatur.

XIX. *Pro matriculario habendo in parochiali eccleſia.*

Item, prout jam dudum a ſanctis patribus in generali concilio ſtatutum eſt, præcipiendo firmiter innovamus, quod quilibet presbyter paſtor, ſeu vicarius, in quacumque parochiali eccleſia divina celebrans, niſi propter paupertatem nimiam & notoriam excuſetur, clericum vel perſonam ſaltem literatam ſecum habeat, qui ſibi competenter legendo & cantando reſpondeat in divinis, quacumque contraria conſuetudine non obſtante, per quam in quampluribus locis agricolæ & alii puri laici litteras penitus ignorantes, qui ſecus altare, dum ſacra myſteria celebrantur, ſtare, vel ſedere non debent, per quos potius impediri plerumque conſueverat altaris miniſterium, quam ipſi decenter in eodem miniſterio deſervirent. Scriptum namque eſt, quod Oſias lepra percuſſus eſt a domino,

mino, eo quod uſurpare voluerit officium ſacerdotis.

### XX. *Pro Mandatis exequendis.*

Item, quia per malitiam, deſidiam, & ſubterfugia perſonarum eccleſiaſticarum & presbyterorum, qui ad ſuorum ſuperiorum mandata exequenda tenentur, plerumque effectum juſtitiæ multipliciter impeditur; ſtatuimus ut preſbyteri, quibus alicujus mandati executio a ſuo ſuperiore committitur, ſi ſuper executione hujuſmodi quidquam doloſe egerint, ſeu fuerint negligentes: illi ſeu illis pro quibus mandatum directum fuerat, etiam intereſſe teneantur, & damnis quæ ob id incurrerint coram judice a quo mandatum emanaverat declarandis. Si vero iidem presbyteri, ſeu quicumque executores alii, pro executione mandatorum hujuſmodi damna paſſi fuerint, non relaxetur ſententia, quantumcumque pars in hoc conſentiat niſi primitus eiſdem presbyteris & executoribus de damnis hujuſmodi per eum qui damna intulerit, ad arbitrium judicis fuerit ſatisfactum.

### XXI. *Contra minas inferentes eccleſiaſticis perſonis.*

Item, quæcumque perſona eccleſiaſtica vel ſæcularis perſonæ eccleſiaſticæ minas corporales intulerit, & monita a ſuo ſuperiore eam aſſecurare noluerit, ad fidelem aſſecurationem præſtandam indilate ad id per excommunicationis ſententiam compellatur.

### XXII. *De illis, qui altaribus ſerviunt.*

Item, cum is qui altario ſervit, ſecundum Apoſtolum, de altari vivere debeat, prout alias in provinciali concilio Trevirenſi fuerat inſtitutum; innovandum præcipimus, ut per locorum ordinarios deſervientibus in eccleſiis parochialibus, & præcipue perpetuis vicariis competens portio aſſignetur. Quod ſi iidem deſervientes ſeu vicarii quovis modo minorem aut minus ſufficientem acceptaverint portionem, nihilominus actionem habeant contra earumdem eccleſiarum rectores, aut alios fructuum earumdum perceptores ad augmentum portionis ejuſdem. Quod enim militantes Deo presbyteri mendicare non debeant, non ſpecialiter in favorem perſonæ inductum eſt, ſed totius ordinis clericalis. Et ſi deſervientes prædicti ſeu vicarii ad aſſignationem debitæ portionis agere non valeant; ſeu quia lites abhorrent, nolunt ſuper hoc deponere quæſtionem, locorum ordinarii ſuper hujuſmodi portione aſſignanda debita, ſuum officium de plano & abſque judiciali ſtrepitu interponant, quamprimum id advenerit ad notitiam eorumdem.

### XXIII. *Qualiter in eccleſiis parochialibus ſe eſt regendum per laicos.*

Item, in parochialibus eccleſiis cantentur, ſeu legantur, conſiderata qualitate temporis, horæ canonicæ. Impedimento ceſſante, ad parochiales matrices eccleſias parochiani de villis circumſtantibus & capellis ſeu oratoriis attingentibus ſaltem quibuſlibet diebus dominicis, in ſolemnibus feſtivitatibus, ſub pœna excommunicationis teneantur accedere, ut ibidem miſſarum ſolemnia audiant, prout in generali concilio eſt a ſanctis patribus inſtitutum, præcipue, ne honor matricis eccleſiæ pereat per capellas, niſi capella forte adeo ſit remota, vel aquarum inundatio, ſeu aliud ſubſiſtat, per quod ſuper hoc rationabiliter valeant excuſari: in eademque capella de redditibus adeo ſit proviſum, quod de auctoritate epiſcopi loci ejuſdem poſſit & debeat in diebus talibus ibidem celebrare ſacerdos.

### XXIV. *Contra decimas occupantes.*

Item, decimæ prædiales non in domibus, ſicut hactenus in pleriſque locis fieri conſuevit, ſed in agris, vineiſque, pratis & in aliis locis, ex quibus proveniunt, ſub pœna excommunicationis integraliter perſolvantur, nullis deductis expenſis quæ factæ fuerint circa rem hujuſmodi decimandam.

### XXV. *Contra decanos rurales.*

Item, cum cauſæ matrimoniales tractari debeant per diſcretos judices, qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta canonum non ignorent, firmiter inhibemus, ne decani rurales, ſeu forenſes archipresbyteri, eccleſiarum paſtores, ſeu vicarii de cauſis matrimonialibus cognoſcere, vel judicare præſumant. Si contra factum fuerit, irritum nunciantes.

### XXVI. *Contra excommunicatos, qui per annum pervicaces ſunt.*

Item, cum excommunicationis ſententia; quæ eſt eccleſiæ mucro, vilipendatur a pluribus, ſtatuimus quod ſi excommunicatus ab ordinario judice per annum in ſua pervicacia & excommunicatione ab eodem judice moneatur dominus temporalis, ut infra terminum competentem eumdem excommunicatum redire ad ſanctæ matris eccleſiæ unitatem compellat: alioquin ipſe dominus temporalis excommunicetur: quam excommunicationem ſi per menſem ſuſtinuerit, ex tunc terra ejus, ſi quam habet, prout & in quantum eidem judici videbitur, ſupponatur eccleſiaſtico interdicto.

### XXVII. *Contra illos qui obligant bona eccleſiæ.*

Item, quia quamplures eccleſiarum prælati, & potiſſime abbates, abbatiſſæ, priores, præpoſiti, & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ noſtræ civitatis, diœceſis & provinciæ Trevirenſis bona eccleſiarum, monaſteriorum & prioratuum adeo prodigaliter diſſipando refundunt, vendunt, diſtrahunt, obligant; & adeo exquiſitis conventionibus illicitis, etiam ipſis legum conditoribus incognitis, alienant, hactenuſque dilacerando & dilapidando bona eadem conſumpſerunt, quod etiam in pluribus eccleſiis, monaſteriis & prioratibus, in quibus per largitiones imperatorum, regum & principum ac erogationes fidelium ſuperabundare conſueverant poſſeſſiones & reditus, peccatis exigentibus, perſonæ clerici & monachi ac converſi locorum eorumdem in eiſdem locis & extra, cultu divino, cui aſſumpti fuerant, derelicto, in vili ac indecenti habitu uſque ad exinanitionem extremæ virtutis deducti, mendicare coguntur in locis & hujuſ-



modi clauſtris, ſeu dormitoriis ſolemnibus ab antiquo, & quæ antiquis temporibus propter eorum ſublimitatem operis ſumtuoſi alienigenis & incolis mirifici videbantur, vix eiſdem perſonis clericis, monachis & converſis patet diverſorium; ut ut ab imbribus & grandinibus protegantur: propter quod eædem perſonæ deriſioni laicorum cedunt & ſcandalo, in totius clericalis cœtus opprobrium & contemtum. Prædictis itaque diſpendiis in quantum nobis Deo auctore permiſſum eſt, obviare volentes, maxime cum ſicut anima ſine corpore corporaliter non vivit; ita ſine temporalibus ſpiritualia diu eſſe nequeunt; præſenti conſtitutione ſub interminatione divini judicii prædictis prælatis, abbatibus, prioribus, prioriſſis, & aliis perſonis eccleſiaſticis firmiter inhibemus, ne impoſterum bona eccleſiarum & locorum ſacrorum immobilia aliquatenus obligent, diſtrahant, ſeu etiam alienent per ſe vel per alium, niſi tractatu præhabito ſuper hoc cum omnibus perſonis eccleſiaſticis eorumdem locorum, requiſitoque & habito conſenſu & ſingulorum conſilio, ejuſdem loci evidens neceſſitas fieri id expoſcat. Et quia prædictis ſuis prælatis ſubditi ſuper hujuſcemodi alienationibus quandoque precum inductionibus, alias vero oppreſſionibus, formidoloſis terroribus conſentire contra proprias conſcientias ut plurimum non verentur; præſenti conſtitutioni adjicimus, ut deinceps hujuſmodi bonorum immobilium obligatio, ſeu alienatio facta in caſibus non permiſſis, ipſo facto, non valeat, niſi una cum conſenſu prædictorum authoritas dioceſani epiſcopi intervenerit. Omnes enim baſilicæ ſui territorii in ejus poteſtate conſiſtunt: quam quidem non niſi conſiderata utilitate loci cum ſolerti cauſæ cognitione idem epiſcopus impendat. Si quis autem contra hoc ſalutare conſilium quicquam attentare præſumſerit, tam alienans diſpoſitionis rei, quam recipiens reſtitutionis ejuſdem cum fructibus pœnas ſuſtineant, nec pretium hujuſmodi male recipiens ab eccleſia recipiat; ſed ad eccleſiam, monaſteria, & loca, quorum eadem bona ſunt, libere revertantur.

### XXVIII. *Contra monachos, qui vadunt per civitates.*

Item, ſub pœna excommunicationis præcipimus & inhibemus ne monachi extra clauſtrum per civitatem, caſtra, ſeu villas incedere ſeu diſcurrere de cetero præſumant, niſi ratione adminiſtrationis, ſi quam habent, hoc eis juxta regulares obſervantias ſit permiſſum, vel niſi abbatis, ſeu prioris clauſtralis ſuper hoc licentia intercedat, quam idem abbas ſeu prior ſub pœna excommunicationis eis non impendat, niſi hoc exigerit monaſterii evidens neceſſitas vel patens utilitas eorumdem, ſuper quo ipſorum abbatis & prioris conſcientias oneramus.

### XXIX. *Contra illos qui monetam falſam procurant.*

Item, quia nonnulli motu damnabili ac nefando ſcelere prout intelleximus, monetam adulterinam & falſam in ſuis prædiis & clauſtris exercere præſumant: cujuſmodi facinus ipſi etiam gentiles multipliciter damnaverunt, firmiter omnibus presbyteris injungimus, ut in omnibus locis & parochiis ſuis, in quibus hujuſmodi falſam & adulterinam monetam per quoſcumque cudi ſeu fabricari cognoverint, in continenti ceſſent, cujuſcumque ſuperioris ſui mandato minime expectato, penitus a divinis; cauſamque ceſſationis hujuſmodi & rei ſeriem dioceſano epiſcopo non differant quamprimum poterunt intimare. Qui epiſcopus extunc ad examinationem falſorum monetariorum hujuſmodi ſpiritualiter & temporaliter totis viribus totaque intentione procedat: damna ob prædictam ceſſationem eccleſiis & preſbyteris obviantia reſtitui integraliter faciens.

### XXX. *Contra canonicos.*

Item, cum in Trevirenſi provinciali concilio præſidentibus in eodem recordationum felicium *Theoderico* Trevirorum *Johanne* Metenſi, *Rogero* Tullenſi, *Radulfo* Virdunenſi Epiſcopis, propter multas abuſiones annus gratiæ fuerit alias revocatus; nos conſiderantes, quod hujuſmodi revocatio in quamdam diſſuetudinem eſt deducta, ſicque cathedralium & collegiatarum eccleſiarum quam plurimi canonici propriis commodis inhiantes, in grave præjudicium ſucceſſorum, eccleſiarum damnum, & plerumque in illuſionem proviſionum a ſede apoſtolica ſuper obtentis canonicatibus & præbendis in eiſdem eccleſiis a perſonis idoneis obtentarum, fructus præbendarum ſuarum per annum unum & poſt eorum obitum ſibi retinere & appropriare contendunt, annum talem, qui juxta hoc pro ſucceſſoribus & eccleſiis biſſextilis dici debet, annum gratiæ nuncupantes: per cujus retentionem nondum canonici quamdiu vivunt, ſuper deducendis laſciviis & prodigalitatibus ſpem aſſumunt, præſenti conſtitutione ſtatuimus, ut quacumque conſuetudine, imo verius corruptela contraria non obſtante, nulli canonico talem annum taliſque anni reditus liceat retinere; quem ſi hactenus retinuerint, vel eum deinceps retinere contingat, talis retentio qualitercumque fiat ſeu facta fuerit, nullius ſit momenti. Non teneantur etiam capitula eccleſiarum executoribus ſeu creditoribus canonicorum annum hujuſmodi retinentium, ſeu alii eorum nomine de prædicti anni fructibus & reditibus reſpondere. Sed ad inſtituendos ſucceſſores canonicos tranſeant pleno jure. Si quid in contrarium actum fuerit, irritum nunciantes, & hoc provinciale ſtatutum epiſcopi dioceſani Trevirenſis provinciæ in ſuis civitatibus & dioceſi per cenſuram eccleſiaſticam inviolabiliter a ſuis ſubditis obſervari procurent.

### XXXI. *Item, de uſurariis, quod reſtituant.*

Præcipimus diſtricte, ut omnes uſurarii reſtituant quidquid ultra ſortem perceperunt, ſub pœna contra eos in Lateranenſi concilio edita, quæ talis eſt: Statuimus ut uſurarii manifeſti, nec ad communionem admittantur altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam, nec oblationes eorum quiſquam recipiat. Qui autem acceperit, aut chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, quod acceperint, reddere compellantur, & donec ad arbitrium ſui epiſcopi ſatisfecerint, ab officii ſui maneant executione ſuſpenſi.

### XXXII. *Ut uſurarii reddant pignora.*

Item præcipimus, ut ſorte deducta reddant pignora, & remittant.

### XXXIII. *Ne committant uſuras nomine tutelæ.*

Item diſtricte præcipimus, ut nomine tutelæ vel procurationis, vel timore Domini ſui aliquas non committant uſuras: quia non ſuo nomine ſicut ita, nec alieno poteſt quis fœnus aliqualiter exercere.

### XXXIV. *Contra illos, qui pecuniam mutuant ante meſſem.*

Item præcipimus, ne ea intentione mutuent pecuniam ſuam ante meſſem vel vindemiam, recepturi in meſſe vel vindemiis bladum, vel vinum pro multo minori pretio, quam veriſimile ſcit tunc valere, ſub pœnis prædictis.

### XXXV. *Contra cogentes frangere feſta.*

Item, ſtatuimus ſub divinæ ultionis pœna, & præcipimus, ut nobiles & Domini terræ permittant homines ſuos dies feſtos obſervare, & non compellant eos evectiones publicas ſeu alias angarias præſtare.

### XXXVI. *Contra uſurarios & cauvertinos.*

Item præcipimus diſtricte, ut ſe circa cauvertinos & alios uſurarios ita ſe habeant, ſicut in generali concilio eſt ſtatutum.

### XXXVII. *Ne clerici litigare compellantur coram ſæcularibus judicibus.*

Item, cum de conſuetudine approbata & tamdiu obſervata, quam memoria non exiſtat, tam religioſi quam clerici injuriatores & moleſtatores ſuos coram ſuis judicibus, videlicet eccleſiaſticis, in cauſam traxerint, & nonnulli barones, ballivi, nobiles, præpoſiti & villici & alii laici poteſtatem ſæcularem habentes, civitatis, dioceſis, & provinciæ Trevirenſis tam religioſos quam clericos coram ſe litigare compellant ut non patiantur eos jus ſuum proſequi coram eccleſiaſticis judicibus; præcipimus vobis & univerſis presbyteris, quatenus in eccleſiis veſtris prædictas perſonas moneatis, ut ab hujuſmodi tam religioſorum, quam clericorum moleſtatione deſiſtant, nos omnes illas perſonas, quæ poſt jam dictam monitionem religioſos & clericos compulerint coram ſe litigare, excommunicationis vinculo innodamus, & præcipimus eos ſingulis diebus dominicis & feſtivis excommunicatos denunciari.

### XXXVIII. *Ne monachis duo officia aſſignentur.*

Item, nulli monacho vel moniali duo officia in eodem monaſterio, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, aſſignentur. Singula namque officia ſunt perſonis idoneis aſſignanda.

### XXXIX. *De novitiis.*

Item præcipimus ut omnes novitii poſt annos diſcretionis & probationis ſtatim faciant profeſſionem expreſſam in manu abbatis, vel alterius ſecundum conſuetudines locorum rationabiles deſcriptas.

### XL. *De monachis & monialibus.*

Item præcipimus diſtricte, ut monachi & moniales omnibus proprietatibus, quas hactenus habuerunt, ſine difficultate renuncient: ut omnia in communes uſus monaſterii redigantur. Qui vero renunciare renuerit, excommunicetur. Qui ſi nec ſic reſipuerint, per abbatem vel per abbatiſſam; aut ſi non, per epiſcopos aut eorum officiales ad id compellantur.

### XLI. *Item de monachis.*

Item, diſtricte prohibemus, ne monachi denarios quos in oblationibus miſſarum recipiunt, ſibi reſervare præſumant; Sed abbati & cui præceperit aſſignentur, in communes uſus fratrum expendendi. Item de denariis anniverſariorum & omnium quæ ad manus eorum devolvuntur, nemo ſibi quicquam appropriare præſumat, nec per monachos vel moniales dividantur, ſicut hactenus per abuſionem fieri ab aliquibus conſuevit, ſed in communes uſus omnium redigantur.

### XLII. *De abbatibus & abbatiſſis.*

Item, præcipimus abbatibus & abbatiſſis, ut ſuis ſubditis tam in victu quam in veſtitu, ſecundum monaſterii poſſibilitatem, neceſſaria adminiſtrent. Panis vero & vinum ac alia neceſſaria dentur fratribus ac ſororibus in communi ad ſufficientem neceſſitatem eorum: nec alicui ad vitam nec ad certum tempus ſpecialiter aſſignentur, & quod utriuſque in communi ſuperfuerit, iterum in communitatem reſervent, vel pauperibus diſtribuant, ad hoſpitale pauperum in omnibus monaſteriis reſtaurentur.

### XLIII. *Ne religioſi habeant ſervos.*

Item, inhibemus, ne monachi, vel moniales habeant famulos vel ſervientes utriuſque ſexus ſpeciales, niſi forſitan in talibus conſtituti ſint officiis, quod ipſis omnimodo carere non poſſint. Et tunc de conſenſu Prælatorum ſuorum aſſumant eoſdem. Si quis autem alias tales perſonas retinere præſumſerit, expelli eas de monaſterio ſub pœna excommunicationis præcipimus per prælatos.

### XLIV. *Ne monachi ludant cum iſtis.*

Item, ludos chorearum, ſcacorum, amillorum, & globorum monachis interdicimus omnino; & ne infra ſepta ſui clauſtri vel ipſum clauſtrum habere tabernas, neve infra ipſas ibi vel alibi ſedere, ludere, ſeu bibere aliquis eorum audeat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter inhibemus.

### XLV. *De abbatibus & monachis.*

Item, præcipimus diſtricte ne abbates, vel monachi, abbatiſſæ, vel moniales, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, mantella ſeu ſorcocia aperta portent de cetero, nec habeant pannos de nigra bruneta, nec de moreta; ſed quanto haberi poſſunt humilioris pretii, prout regula præcipit. Item cucullas habeant cum amplis capuciis, & latis: quando equitant cappis utantur & clauſis.

Ne



### XLVI. *Ne monachi portent bruneta.*

Item, ut dictum eſt, de brunera nigra ſive de moreta & pellicia ſeu forraturas de vario ſeu griſio & alias exquiſitas, ſive ſumtuoſas pelles diſtricte religioſis omnibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter inhibemus.

### XLVII. *Ut clauſtra ſerentur de nocte.*

Item, claves clauſtri ſint ſemper apud priorem, vel prioriſſam, vel magiſtram; nec ſine licentia aliquis monachus ſeu monialis, maxime de nocte, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ exire audeat: nec aliquam mulierem monachus, cujuſcumque conditionis ſit, in ambitu monaſterii introducere præſumat, ſine abbatis vel prælati ſui licentia ſpeciali, introducta tamen cum licentia non intus comedat.

### XLVIII. *De teſtamentis mortuorum.*

Item, cum nihil magis hominibus debeatur, quam ſupremæ voluntatis liber ſit ſtylus, & liberum quod iterum non reddit arbitrium, ſub interminatione divini judicii præcipimus, quod nullus executor ultimæ voluntatis, præſertim ad pias cauſas conſtitutus, a creditoribus vel legatariis teſtatoris audeat percipere vel exigere pecuniam pro debito ſuo, ſeu pro legato, ſeu debito eis ſolvendo, ſeu pro executione facienda. Quod ſi fecerint, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant.

### XLIX. *Contra executores teſtamentorum diu.*

Item, cum plures executores teſtamentorum defunctorum, maxime ad pias cauſas deputati, jam diu exequi ultimas voluntates eorum in ſuæ ſalutis diſpendium, & dictorum decedentium detrimentum neglexerint: monemus ipſos omnes & ſingulos primo & ſecundo præcipientes eiſdem, ut infra annum dicta teſtamenta exequantur: alioquin ad executionem eorum extunc per locorum epiſcopos procedatur, in quantum de jure fieri poterit & debebit.

### L. *Contra Begardos, ut non recipiantur.*

Item, inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne quis in noſtra civitate, dioceſi & provincia Trevirenſi aliquem vel aliquos de illis ruſticis, qui ſe Apoſtolos appellant, in domum ſuam recipiat, aut eis eleemoſynam eroget, cum, prout in antiquis ſtatutis ſynodalibus continetur, ſedes Apoſtolica tales reprobaverit, & in eorum receptores & fautores excommunicationis ſententiam tulerit ipſo facto.

### LI. *Contra Begardos laicos.*

Item, cum quidam ſint laici in civitate dioceſi & provincia Trevirenſi, qui ſub prætextu cujuſdam religionis fictæ Begardos ſe appellant, cum tabardis, & tunicis longis, & longis cappuciis cum ocio intendentes, ac labores manuum deteſtantes, conventicula inter ſe aliquibus temporibus faciunt & conſervant, ſeque fingunt coram perſonis ſimplicibus expoſitores ſacrarum ſcripturarum: nos vitam eorum, qui extra religionem approbatam validam mendicantes diſcurrunt, monemus omnes & ſingulos hujuſmodi Begardos, quos a quolibet parochiali presbytero a ſua parochia moneri volumus diligenter, ut infra quindenam a præmiſſis deſiſtant, & de laboribus ſuis vivant, circa labores ſicut ceteri homines ſe exponant: alioquin ipſos & quemlibet eorum, quos excommunicamus in his ſcriptis, denunciari in parochialibus eccleſiis excommunicatos præcipimus, mandamus ſingulis diebus dominicis.



### LII. *Contra lædentes clericos & portitores literarum.*

Item, ſtatuimus quod ſi quis cujuſcumque dignitatis ſeu conditionis exiſtat, nuncios, aut executores eccleſiaſticorum judicum, vel alias literas eorumdem actave judicialia deferentes, hac occaſione verberare, capere vel detinere, occultare, carceri mancipare, aut quod gravius eſt interficere, litteras vel acta prædicta perſonis memoratis auferre, ſeu ea rumpere, vel cancellare, ſeu alias deſtruere quoquo modo, vel ſic ablata celare præſumſerit; aut iſta fieri procuraverit, vel facientibus conſilium vel opem duxerit adhibendum; excommunicationis ſententiæ, quam ex nunc ut extunc in ipſum ferimus, ſubjaceat ipſo facto; a qua niſi prius tam judici, cujus auctoritatem contemſerat, quam paſſo injuriam & ceteris, quorum intererit, prout exceſſus poſtulaverit atrocitas, ſatisfaciat competenter, nullatenus abſolvatur.

### LIII. *Contra quæſtores & petentes ad calices ſine licentia epiſcoporum.*

Item, prohibemus ſub pœna excommunicationis, ne quis de cetero cujuſcumque conditionis exiſtat, vadat per terram cum *calicibus abſque literis epiſcopi loci ad petendam pecuniam, quia multa ex hoc truffæ & deceptiones committuntur.*

### LIV. *Contra facientes convivium in exequiis defuncti.*

Præterea cum in exequiis mortuorum lugendum ſit potius quam convivandum, inhibemus ſub pœna excommunicationis, ne convivia & commeſſationes teneantur de cetero, quæ per hæredes ſeu ſucceſſores defuncti in eiſdem exequiis fieri conſueverunt; ſed ſumtus hi in uſus pauperum & in pias cauſas in remedium animæ defuncti potius convertantur.

### LV. *Ne ſine lumine poſt campanam vadant.*

In locis in quibus poſt ſonitum campanæ, vel buccinæ & nocte laici ſine lumine ire prohibentur, clericos & monachos hujuſmodi noſtræ conſtitutionis auctoritate eamdem prohibitionem volumus obſervare: alioquin pœnæ pecuniariæ laicis propter hoc impoſitæ eos decrevimus ſubjacere, quam per Archipresbyteros noſtros, vel per capellanos locorum ipſorum, nomine epiſcoporum, ab ipſis clericis exigi, levari volumus & mandamus: quam ſi forte legitime requiſiti ſolvere renuerint, eamdem pœnam duplicatam per eos ſolvere per cenſuram eccleſiaſticam compellantur, ut per hoc laicorum vitetur ſcandalum, & clerici ab illicitis arceantur.



De

LVI. *De clericis & laicis, quod ſe habeant honeſte.*

Diſtrictius quoque inhibemus, ne clerici ſeu ſacerdotes ad anniverſaria convenientes in ſabbato carnes comedere præſumant: vinum quoque temperent, & ſe vino honeſte recreent, & ſe habeant mature & pacifice & ſine murmure, & cum gratiarum actione recipiant & comedant, quod eis fuerit appoſitum, nec ſibi parari faciant cibaria delicata, ſed ſolum pro corporis refectione neceſſaria, ne longi temporis victum brevi hora conſumat, & neque ſua, ſed quæ Chriſti ſunt, quærere videantur. A crapula & ebrietate, a plauſibus, riſibus, cachinnis inſolitis, ac inanibus fabulis, jocis & ſolatiis, ac detractionibus, de verbis otioſis atque ſuperfluis, & a rixis, contentionibus omnino ſtudeant evitare. Paulus quidem Corinthios reprehendit, quia inconvenienter conveniebant cœnam dominimanducare.

LVII. *Contra retrahentes, ne anniverſaria fiant.*

Poſtremo in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ne quiſquam verbo vel facto aliquos inducere vel retrahere præſumat, ne anniverſaria fieri ſolita fiant in eccleſiis, in quarum cimiteriis corpora defunctorum, pro quibus fiunt, ſepulta ſunt.

LVIII. *Ne clericus ludat cum taxillis.*

Item, clericus aliquis cum taxillis publice vel occulte ludere non præſumat. Clerici vero in ſacris ordinibus conſtituti, vel beneficium eccleſiaſticum habentes, qui in platea vel in loco publico publice cum taxillis ludere præſumpſerint, ipſo facto ſui ordinis ſint ſuſpenſi. Ludere in præmiſſis caſibus intelligimus ad puncta, ut ſic dicamus, ponendo eum qui tranſverſerat vel qui ludi eſt particeps, vel lucrum exinde conſequitur, ſive damnum. Præmiſſam tamen pœnam extendi nolumus ad ludentes ſocialiter & ſolatii cauſa, & in domibus honeſtis, & cum perſonis honeſtis, non ambitionis, vel avaritiæ cauſa.

LIX. *Contra clericos qui ſecuritatem faciunt coram ſæcularibus.*

Nullus clericus ſecuritatem vel fidejuſſionem præſtet vel faciat coram quacunque perſona vel curia ſæculari de ſtando vel parendo juri coram ea ſorte ratione feudorum vel poſſeſſionum, quæ, ſeu quas ab ea tenet.

LX. *Contra ſtatuentes & ſcriptores contra libertatem eccleſiaſticam.*

Sane *Honorius* Papa IV. excommunicationis ſententiam protulit contra ſtatutores, vel ſcriptores ſtatutorum contra eccleſiæ libertatem necnon & contra poteſtates, conſules, rectores, & conſiliarios locorum, ubi hujuſmodi ſtatuta fuerint obſervata, & inſuper contra eos, qui ſecundum ea præſumpſerint judicare, vel in publicam formam redigere auſi fuerint judicata. Hanc autem excommunicationis ſententiam illos incurrere decernimus, qui contra privilegia & libertates clericorum & eccleſiarum ſtatuere, ordinare, percipere & interdicere expreſſe vel indirecte per ſe vel alios præſumunt, & præcipiunt, ne quis in eccleſiarum vel clericorum clibanis panem coquat, vel in molendinis eorum molat, ne quis eis ignem det, vel aquam ferat, ne quis eorum poſſeſſiones colat, aut defendat, ſed impune deſtruat; aut ne quis cum eis commercium habeat vel quomodolibet participet, aut loquatur; aut eis de decimis, primitiis, oblationibus, vel aliis juribus ſpiritualibus non reſpondeat, aut his ſimilia agunt, & qui talia facta per alios, in quos dominium habent, ſeu officiales ſuos requiſiti non revocant cum effectu. A qua ſententia excommunicationis nullatenus abſolvantur, donec de damnis & injuriis propter hoc perſonis eccleſiaſticis & eccleſiis illatis ſatisfecerint competenter.

LXI. *Ne aliquis Conjurationes contra Eccleſiaſticas Perſonas & Libertatem facere præſumat.*

Diſtrictius ergo præcipimus, ne aliquis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, conjurationes, colligationes, confraternitates ſeu alias quaſcumque obligationes fide vel juramento ſeu qualibet alia infirmitate vallatus facere præſumat contra eccleſias vel eccleſiaſticas perſonas ſeu contra eccleſiaſticam libertatem.

LXII. *Ne aliquis de novo altare ædificet abſque licentia diœceſani.*

Prohibemus ſub pœna excommunicationis ne deinceps quiſquam eccleſias, capellas, oratoria, hoſpitalia, ſeu alia pia loca & religioſa in Trevirenſi provincia ædificet; vel altare in eadem provincia aliquod erigat, ſine noſtra vel epiſcopi loci licentia ſpeciali. Sed altaria portatilia ita lata & ſpacioſa fiant, quod calix & hoſtia poſſint ſuper illis convenienti diſtantia locari.

LXIII. *Sententia contra obligantes ornamenta eccleſiaſtica.*

Inhibemus ſub pœna excommunicationis, ut nullus clericus vel laicus calices, libros, ſacras veſtes, & alia ornamenta eccleſiaſtica, per ſe vel per alium vendere, diſtrahere, pignori obligare, vel alias quomodolibet alienare præſumat abſque noſtra vel epiſcopi loci licentia ſpeciali. Qui vero contra fecerint, clerici in ſacris ordinibus conſtituti ſuſpenſionis; laici vero & clerici in minoribus conſtituti excommunicationis ſententias incurrant, ipſo facto. Qui autem tales res in pignus ſcienter receperit, eas illi eccleſiæ cujus ſunt, libere reſtituere teneatur, nulla recuperata pecunia ab eodem. Sed & quicumque clericus regularis vel ſæcularis res hujuſmodi pro quocumque debito cujuſcumque rectoris vel capellani ſui eccleſiæ propria authoritate capere præſumſerit, præter pœnam excommunicationis, quam ipſum incurrere decernimus, ipſo facto a debito ipſo cadat.

LXIV. *Ne indecentia in Eccleſiis & cimiteriis fiant.*

Ne domini aut judices ſæculares aut ballivi aut officiales ſeu nuncii curiæ ſæcularis in eccleſiis vel cimiteriis vel eccleſiarum atriis cauſas, lites, aut contentiones, ſeu placita audiant penitus inhibemus, ſed nec ſententias ibi proferant, nec præcepta, banna edita, ſubhaſtationes, vel executiones faciant, nec aliquos ad quamcumque pœnam corporalem condemnatos per loca ipſa deducant. Tales enim ſententiæ & proceſſus reprobantur a jure. Sed nec aliqui congregationes, conſilia, parlamenta, vel choreas facere, vel cantilenas dicere, vel mercata tenere, vel merces vendere, vel aliqua ludibria vel inhoneſta agere præſumant.





LXV. *De presbyteris, ut teneant congruam hoſpitalitatem.*

Quoniam quidquid habent clerici pauperum eſt, diſtricte præcipimus omnibus presbyteris, rectoribus & vicariis, ut in ſuis eccleſiis hoſpitalitatem teneant congruentem; proviſo tamen per eccleſias ipſas, ut in prandiis, cœnis, vel herbergiis & ſimilibus, & quibuslibet aliis, gravationibus laicis quibuſcumque ſe non ſubmittant, aut de novo illis eos quocumque modo tributarios vel cenſuales faciant, ſi condignam effugere voluerint ultionem. Sed nec de eccleſiis aut rebus aut eccleſiaſticis negotiis laicorum judicio aut voluntate quomodolibet diſponant. Laici autem aut alii quilibet, qui in præmiſſis aut in talibus quæſtis indebitis ſervitiis vel ſimilibus eccleſias vel eccleſiaſtica bona quælibet gravare, aut eccleſiaſticas perſonas ad hoc quomodolibet compellere præſumpſerint, niſi legitime ab ordinariis moniti, & talibus deſtiterint, aut jam commiſſa emendare diſtulerint, excommunicationis ſententiæ extunc ipſo facto volumus ſubjacere.

LXVI. *Qualiter pecunia eccleſiæ a presbytero debet diſtribui.*

Interdicimus ne rectores vel beneficiati de pecunia ratione eccleſiarum ſuarum acquiſita emant poſſeſſiones, ſeu reditus perpetuos nomine hæredum ſuorum vel etiam alieno. Sed ad opus ſuum dumtaxat & eccleſiarum ſuarum faciant confici ſuper his inſtrumenta. Nullus laicorum ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ bona decedentium clericorum occupare aut detinere præſumat; ſed ad utilitatem ipſius eccleſiæ conſerventur.

LXVII.

Adhuc inhibemus ne rectores & beneficiati in ædificiis, reparationibus eccleſiarum & domorum, in libris quoque, & ornamentis & aliis ad divinum cultum neceſſariis, juxta facultates ipſarum eccleſiarum ſtudeant, cum opus fuerit, taliter ſe habere; quod eorum exemplo parochiani & alii merito ad hoc invitentur, præcipue cum ipſi ad talia poſſunt cogi.

LXVIII. *Ut nullus cum calice ligneo celebret.*

Omnibus ſacerdotibus noſtræ provinciæ Trevirenſis interdicimus, ne quis eorum cum calice ligneo, vel vitreo, vel ſtanneo, vel plumbeo, vel de pelte, vel de auricalco, vel de electro, infra noſtram provinciam ulterius celebrare præſumat. Igitur unaquæque eccleſia calicem ſaltem argenteum cum patena habeat.

LXIX. *Ut imagines eccleſiæ ſint ſupra altare.*

Præcipimus ut in unaquaque eccleſia ante vel poſt vel ſuper altare ſit imago, vel ſculptura, vel ſcriptura, vel pictura expreſſe deſignans, & cuilibet intuenti manifeſtans, in cujus ſancti meritum & honorem ſit ipſum altare conſtructum.

LXX. *Quod presbyteri in eccleſiis perſonalem reſidentiam faciant, niſi diſpenſentur.*

Statuimus, monemus, atque præcipimus omnibus rectoribus atque capellanis curatis eccleſiarum noſtræ civitatis, diœceſis & provinciæ Trevirenſis, ut in ſuis eccleſiis infra menſem a die recitationis præſentis conſtitutionis computandum, reſidentiam faciant perſonalem, & hoſpitalitates ibidem teneant, prout facultates eccleſiarum ſuarum commode poterunt ſupportare: alioquin præſentis conſtitutionis auctoritate ab ipſis beneficiis ſe noverint eſſe ſuſpenſos, niſi cum eis canonice fuerit diſpenſatum.

LXXI. *Ut nullus cenſui eccleſiæ ſuæ ad firmam ſine licentia epiſcopi ſui obliget.*

Cupientes hoſpitalitatem in eccleſiis obſervari, interdicimus ut nullus eccleſias ad cenſum ſeu ad firmam det vel concedat, ſeu fructus ejus obliget, abſque noſtra & epiſcoporum locorum licentia ſpeciali. Sed & ſi quis ex aliqua rationabili cauſa ad cenſum ſeu ad firmam dandi licentiam a nobis ſeu loci epiſcopo obtinuerit; non tamen alicui ſæculari perſonæ aliquod officium quocumque ſæculari regimini gerenti adcenſare, obligare, ſeu affirmare præſumat: alioquin contractum ipſum nullas vires habere decernimus, & ipſum ad firmam dantem & obligantem a beneficio ſuſpendimus. Contractus vero ad firmam contra hoc jam initos revocamus, & omnino viribus vacuamus.

LXXII. *Quod eccleſiæ non obſerentur laico.*

Diſtricte præcipimus omnibus archipresbyteris, curatis, & perpetuis vicariis, ne propter debitum proprium vel eccleſiæ propria auctoritate denegare præſumant quibuſcumque perſonis ingreſſum eccleſiæ, aut differre eccleſiaſtica ſacramenta, quæ eis ſunt abſque dilatione aliqua concedenda.

LXXIII. *Ut hæredes moneantur, ut infra xl. dies teſtamentum, ſi fuerit, epiſcopo deportetur.*

Item, ſtatuimus, ut quandocumque aliquem in parochia cujuſcumque presbyteri noſtræ civitatis, diœceſis & provinciæ Trevirenſis teſtamentum vel quamlibet aliam ultimam voluntatem ordinare vel diſponere contigerit; poſt mortem teſtatoris per ejuſdem parochiæ presbyterum moneantur hæredes vel hæres, vel ipſius ultimæ voluntatis executor vel executores, vel ille vel illi penes, quem vel quos ſcriptura ultimæ voluntatis fuerit; quod ipſam infra xl. dies a tempore obitus teſtatoris computandos, nobis vel officiali noſtro in noſtra civitate, diœceſi & provincia; epiſcopis vero locorum vel officialibus eorum in noſtra provincia apertam vel aperiendam exhibeant, ne eleemoſynæ ſeu legata ad pias cauſas remaneant inſoluta, & ut pia ultima voluntas teſtatoris debitum ſortiatur effectum. Quod ſi infra præmiſſos xl. dies id non fecerint; impedimento ceſſante, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto.

*LXXIV. Contra illos, qui tenentur ſolvere pro defuncto.*

Statuimus, ut hæredes & ſucceſſores defuncti, qui juraverat ſolvere ſeu reddere pecuniam illicite acquiſitam, vel res alias ſeu legata, moneantur per locorum ordinarios, ut ſicut ille juraverat ſolvere, ſeu reddere, ita ipſi adimpleant, & ad hæc ſi neceſſe fuerit per cenſuram eccleſiaſticam, ſicut juſtum fuerit, compellantur. Et nihil eſt quod magis debeatur hominibus, quam ut eorum ſupremæ voluntatis eulogia impleantur.

*LXXV. Ut teſtator vocet rectorem vel capellanum.*

Statuimus, atque ordinamus, ut quicumque de bonis ſuis teſtari atque de anima ſua diſponere voluerit, rectorem ſeu capellanum, ſive curatum, qui ejus debet noſcere conſcientiam & conditionem, a quo eccleſiaſtica ſacramenta recipit, vivens, advocet, per quem ſalubrius & juvari & dirigi poterit in his, quæ ad ſalutem animæ ſuæ pertinent, peragendis.

*LXXVI. Contra executores, ut moneantur ſuper teſtamentis.*

Præcipimus quoque in virtute ſanctæ obedientiæ rectoribus eccleſiarum univerſis, ut annis ſingulis in quatuor diebus dominicis, videlicet ſemel in quolibet quatuor temporum, publice infra miſſarum ſolemnia moneant generaliter omnes & ſingulos Executores teſtamentorum ſeu quarumlibet ultimarum voluntatum & diſpoſitionum, & etiam quoslibet hæredes & ſucceſſores, & generaliter qualcumque perſonas, quæ tenebantur aliqua dare, ſolvere, vel facere ad pias cauſas ſeu quoslibet pios uſus, juxta defunctorum diſpoſitiones, ut illa infra anni ſpatium, a teſtatoris obitu computandum, dare, ſolvere, & facere teneantur, niſi quod agendum eſt prolixius tempore neceſſario de ſui natura, vel ex teſtatoris diſpoſitione expoſcat. Hoc autem habere locum intelligimus in caſibus poſt præſentem conſtitutionem futuris. In caſibus vero quæ ante præſentis conſtitutionis promulgationem dari ſolvi vel fieri debuerunt; annum ipſum a revocatione præſentis conſtitutionis decernimus computandum; alioquin qui infra præmiſſum tempus hoc implere neglexerint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant. Eiſdem quoque rectoribus & capellanis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio præcipiendo mandamus, ut infra XX. dies poſt lapſum anni præmiſſum nobis vel officiali noſtro in civitate, & dioceſi noſtra & locorum epiſcopis in noſtra provincia fideliter nuntiare procurent perſonas, quas noverint in ſuis parochiis, quæ præmiſſa ſciunt, infra præmiſſum tempus non implevíſſent, ut per nos vel epiſcopos ad hoc per competentia remedia urgeantur, vel per nos ipſos, ſeu epiſcopos prout jura ſuadent piæ ipſorum decedentium voluntates executioni debitæ demandentur. Prædicta autem ad pias cauſas in extrema voluntate eorum parochiali ſacerdote ſeu curato & duobus aut tribus fide dignis teſtibus ſine quacumque ſcriptura inde confecta firma decernimus permanere.

*LXXVII. Contra illos, qui bona teſtatorum ad ſe appropriant.*

Præcipimus quoque & præceptum fuiſſe hactenus declaramus, ut teſtamentorum ſeu ultimarum voluntatum executores titulo emtionis vel quovis alio titulo nihil omnino propria auctoritate de bonis reſtituant teſtatoris, niſi forte ab illo legatum vel conceſſum ſibi expreſſe fuerit. Qui vero contra fecerint, pretium amittant, ſi ex cauſa emptionis ſe duxerint retinere. Si vero ex alia cauſa, judicis ordinarii loci arbitrio puniantur.

*LXXVIII. Ut clerici & eccleſiaſticæ perſonæ teſtari poſſint.*

Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, permittimus de gratia ſpeciali, quod clerici beneficiati noſtræ civitatis, diœceſis & provinciæ, ſolutis omnibus eccleſiarum & beneficiorum ſuorum debitis, diſponere poſſint libere & teſtari, dum mentis ſuæ compotes exiſtunt, de bonis mobilibus & ſe moventibus obtentu eccleſiarum & beneficiorum ſuorum acquiſitis: ita dumtaxat, quod eccleſias ſuas & beneficia & domos utenſilibus & animalibus, quæ agriculturæ ipſius eccleſiæ deputata ſunt, nequaquam ſpolient ſeu rapiant, & inſuper ſufficientia victualia & ſumptus neceſſarios uſque ad novos fructus colligendos pro futuri ſucceſſoris ac ſervitorum eccleſiæ ac miniſtrorum neceſſariorum congrua ſuſtentatione reſervent.

*LXXIX. Contra ſortilegos & alios, qui characteres accipiunt.*

Divinationes, ſortilegia, auguria, & quælibet alia ſimilia ſuperſtitioſa remedia, ſive in imprecationibus ac conjurationibus, ſive in votis, quas brevia ſeu characteres vocant, aut etiam in quibuſcumque rebus ad collum, vel alibi ſuſpendendis, vel ligandis conſiſtant, tamque damnata ab omnibus Chriſti fidelibus nobis ſubditis obſervari, vel fieri, eisdemque fidem adhiberi penitus prohibemus. Nullus ergo paganorum morem ſecutus ad divinos, ſorciarios, vel augures, pro vita, vel pro morte hominum, vel animalium, vel rerum amiſſione, aut contra grandines aut tempeſtates, aut ut a viro vel a muliere magis ametur, aut pro quolibet alio remedio ſuperſtitioſo, vel conſilio ab illis expectando recurrat, aut eos in domum ſuam quaſi ut malum foris mittant, vel maleficium nuncient, introducat.

*LXXX. Contra illos, qui pſalterium per ſortem inſpiciunt.*

Nullus etiam ſuper ſortes quas ſanctorum ſeu apoſtolorum, vel pſalterii vocant, aut cujuſcumque ſcripturæ inſpectione divinationis ſcientiam profiteatur, aut futura promittat, aut quælibet maleficia in tabulis, vel codicibus in aſtralabo requirat.

*LXXXI. Contra mulieres de nocte equitantes.*

Nulla mulier ſe nocturnis horis equitare cum Diana Dea paganorum vel cum Herodiana innumera mulierum multitudine profiteatur. Hæc enim dœmoniaca eſt illuſio.

*LXXXII. Ut in collectionibus herbarum incantationes non fiant.*

Nec non in herbarum collectionibus carmina, incantationes, aut alias obſervationes, præter dominicam orationem & ſymbolum adhibeat, nec in





in brevibus ſuſpendendis, vel ligandis aliquid præter illa ſcribat. Dœmonium tamen ſuſtinenti licet petras & herbas ſine incantatione habere. Dies quoque ægyptiaci, conſtellationes, lunationes, calendas Januarii, initia menſium, dies menſis, curſus ſolis, lunæ, ſyderum ſuperſtitioſe obſervari non debent, credendo in illis virtutem ſeu neceſſitatem intereſſe. Sed nec in præmiſſis diebus, ſeu temporibus, menſæ cum ampullis & lampadibus in domibus ſunt parandæ, vel per vicos & plateas cantores & chori ducendi.

*LXXXIII. Contra inſpicientes animalia.*

Nulla etiam tempora fauſta vel infauſta exiſtimanda, ut quis in eis velit aut nolit aliquid inchoare, nec ad volatum vel garritum avium vel ad motum alicujus membri, aut ad alicujus animalis aſpectum aliquid eſſe proſpere venturum, vel non, eſt pronoſticandum.

*LXXXIV. Contra illos, qui per XII. ſigna cœli eventus prædicunt.*

Interdicimus etiam, ne quis per duodecim ſigna cœli naſcentium in illis mores, actus, eventus, aut effectus prædicere præſumat; & ne homo pro domo fabricanda, aut conjugio ſociando, vel hujuſmodi illa obſervet. Quicumque autem poſt generales prohibitiones, quas in miſſarum ſolemniis diebus dominicis per ſacerdotes ſuper his fieri præcipimus, ſi contra fecerint, ingreſſus eccleſiæ & eccleſiaſtica ſacramenta eis omnino interdicantur; & ſi neceſſe fuerit, excommunicationis vinculo innodentur, aliiſque juris remediis per locorum ordinarios a talibus arceantur.

*LXXXV. Contra quæſtores ficte agentes.*

Quamplurimi dicunt ſe eſſe quæſtores hoſpitalium, eccleſiarum, & locorum religioſorum & piorum, falſo mentientes, falſas literas portant, aliqua etiam falſa & adulterina ſigna ſibi imponunt: nonnulli quoque ſanctuaria ſe deferre prætendentes, abuſiones multas in religionum & eccleſiarum & locorum, quorum nomine quæſtus exercent, infamiam & ſcandalum plurimorum faciunt. Idcirco volentes circa hoc remedium quale poſſumus adhibere, omnibus & ſingulis rectoribus & curatis noſtræ civitatis dioceſis & provinciæ in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ne de cetero ullum quæſtorem in ſuis eccleſiis ſine noſtris vel epiſcopi loci aut ſine litteris apoſtolicis admittant.

*LXXXVI. Contra extraneos presbyteros.*

Diſtrictius quoque inhibemus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne aliquis ſacerdos non habens parochiam ſive animarum curam matrimonia celebret, corpora defunctorum ſepeliat, baptizet, confeſſiones audiat, Euchariſtiam, & alia ſacramenta eccleſiaſtica miniſtret populo, ſine noſtra, aut epiſcopi loci licentia ſpeciali, aut illius, cui animarum cura in illo loco commiſſa eſt: cum conſtet abſolutiones & remiſſiones ab eo abſque licentia hujuſmodi, tanquam a non ſuo judice factas, niſi dumtaxat in caſu neceſſitatis, nullius fore momenti. Nemini etenim licet falcem ſuam mittere in meſſem alienam juxta illud; *ingreſſus es ut advena, numquid ut judices nos?* Sed nec aliquis Sacerdos in alterius eccleſia vel parochia diebus dominicis vel aliis ſolemnitatibus miſſas publicas celebrare præſumat, donec rector, vicarius, vel capellanus miſſam celebraverit, niſi de ipſius rectoris vel vicarii licentia ſpeciali: cum ſecundum canonicas ſanctiones nulli ſacerdoti liceat miſſas peculiares ſive privatas dicere, per quas populus a publicis miſſarum ſolemniis, quæ hora debita fieri conſueverunt, talibus diebus abſtrahat; nec abſque illius licentia ſaltem tacita in generali miſſas publicas celebrare vel baptizare, aut aliquid aliud quod ad rectoris ſeu vicarii ſpectat officium, agere præſumat.

*LXXXVII. Contra illegitimos filios ne adminiſtrent in divinis officiis.*

Omnibus ſacerdotibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus, ne filiis illegitimis ſibi ad altare miniſtrantibus divina officia celebrare præſumant. Omnibus inſuper curas gerentibus animarum præcipimus, ne horas canonicas, vel aliud quodcumque officium eccleſiaſticum ſine ſuperpellicio, impedimento ceſſante, in eccleſiis dicere, vel celebrare præſumant. In eccleſia conſecrata, ſanguinis vel ſeminis effuſione, aut incendio, vel violentia polluta, priuſquam canonice fuerit reconciliata, arctius inhibemus divina officia celebrari.

*LXXXVIII. Contra infideles, ne ſepeliantur.*

Sed & ſi in cimeterio conſecrato eccleſiæ contiguo hoc contigerit vel ſi excommunicatus fuerit aut infidelis ibi ſepultus ſit; tunc abſque noſtra, vel epiſcopi loci licentia ſpeciali quiſquam in cimiterio eodem non ſepelietur.

*LXXXIX. Contra ſacerdotes audientes confeſſiones.*

Nullus ſacerdos nobis ſubditus, cui animarum commiſſa non fuerit, parochianum alterius ad confeſſionem admittat, abſque noſtra vel epiſcopi loci ſeu proprii presbyteri licentia ſpeciali, niſi forte parochiali ſacerdote in graviſſima ægritudine conſtituto, vel niſi tanta fuerit multitudo, quod ad confeſſiones audiendas parochialis ſacerdos ſufficere non poſſit; in quibus caſibus concedimus, quod poſſit de licentia parochialis ſacerdotis, & etiam in gravi articulo neceſſitatis, quamvis omnes fideles in tribus anni temporibus, videlicet in Natali, in Paſcha, in Pentecoſte ad communionem corporis & ſanguinis Domini ſint monendi.

*XC. Contra illos, qui nolunt confiteri peccata ſua.*

Præcipimus tamen ut omnes ſubditi noſtri ſemel in anno capellano ſeu rectori, in cujus parochia degunt, vel aliis de ejus licentia confiteantur peccata; & ſaltem in Paſchate Euchariſtiam recipiant, niſi de licentia ſui abſtinuerint confeſſoris: alioquin a rectoribus & capellanis viventes ab ingreſſu eccleſiæ & ſacramentis eccleſiaſticis arceantur, morientibus eccleſiaſtica ſepultura denegetur.

*XCI. Contra illos, qui inconfeſſi ſunt.*

Et inſuper in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus omnibus rectoribus & curatis, capellanis curam animarum gerentibus, ſub pœna excommu-

municationis, ut clericos & laicos, qui præmiſſa facere non curaverint, ſed in peccato ſuo pertinaciter remanſerint, nobis vel locorum epiſcopis notificent, & eorum nomina in ſcriptis aſſignent, ut ex hoc canonice puniantur: quoniam circa majora majus periculum vertitur, idcirco cautius eſt agendum.

### XCII. *Ne aliquis ſe intromittat in caſibus epiſcopalibus.*

Interdicimus igitur in virtute ſanctæ obedientiæ, & præcipimus omnibus rectoribus & quibuslibet aliis ſubditis noſtris noſtræ civitatis, diœceſis & provinciæ audientibus confeſſiones, ne in caſibus epiſcopalibus de jure vel conſuetudine ad nos & ad epiſcopos pertinentibus ſe quomodolibet intromittant; ſed ad nos & ad epiſcopos, ſeu pœnitentiarios noſtros illi fideliter remittere curent, & ne aliquis prætextu ignorantiæ, ſe in talibus valeat excuſare, aliquos ex illis hic ducimus exprimendos.

### XCIII. *Illi mittendi ſunt ad dominum epiſcopum.*

Primo quidem mittendi ſunt ad nos votorum fractores, & poſt votum caſtitatis matrimonium contrahentes.

Secundo, contrahentes matrimonium prima vivente, & continens & religionem intrans & ſacrum ordinem ſuſcipiens in vita uxore propria poſt carnalem copulam ſubſecutam.

Tertio, confeſſus ſe credidiſſe hæreticam pravitatem, & ſe hæreticos recepiſſe & iis faviſſe.

Quarto, Simoniacus quocumque genere ſimoniæ præterquam mentalis.

Quinto, ab epiſcopo alieno ſine licentia proprii epiſcopi ordinatus vel tonſuratus.

Sexto, homicidium faciens facto, præcepto, conſilio, conſenſu, excitatione, vel quolibet alio modo.

Septimo, concipiens filium non a viro, quem vir credens eſſe filium, illum nutrit, vel inſtruere intendit.

Octavo, vir qui in mortem conjugis, & uxor, quæ in mortem viri cum effectu machinatur.

Nono, presbyter celebrans ſcienter in eccleſia, vel parochia interdicta, & ſacerdos nuptias benedicens.

Decimo, clericus vel laicus ſcienter corpus excommunicati vel etiam tempore interdicti non excommunicati in cimiterio ſepeliens.

Undecimo, excommunicatus a canone in illis caſibus, in quibus epiſcopus abſolvere poteſt; & etiam irregularis in illis caſibus, in quibus epiſcopus diſpenſare poteſt.

Duodecimo, matrimonium clandeſtine contrahentes, & omnes qui ſcienter interſunt, qui ſecundum antiqua ſtatuta Synodalia noſtræ provinciæ excommunicationis vinculo ſunt innodati.

Tertio-decimo, falſarius literarum apoſtolicarum, ſive epiſcopalium vel officialium, ſive publicorum inſtrumentorum.

Quarto-decimo, ſacerdos ſcienter celebrans in altari non conſecrato, vel ſine ſacris in divinis, celebrans etiam jejunus. Item non ordinatus in presbyterum miſſam celebrans, & non ordinatus in diaconum ſolemniter & publice evangelium legens, & non ordinatus in ſubdiaconum ſolemniter cum veſtimentis ſubdiaconi epiſtolam in miſſarum ſolemniis legens.

Decimo-quinto, clericus jurans tactis ſacroſanctis evangeliis & perjurans, & quando dubitatur utrum aliquid ſacrum ſit ſervandum vel non.

Sexto-decimo, ubicumque ſolemnis pœnitentia eſt injungenda, non dicimus hoc de publica.

Septimo-decimo, incendiarii, & effractores eccleſiarum & domorum eccleſiaſticorum & nocturni depopulatores agrorum, & famoſi latrones, qui in itineribus inſidiantur.

Decimo-octavo, per ſaltum aliquo ordine prætermiſſo, vel etiam furtive & contra prohibitionem promotus, & rebaptizatus, & reordinatus, & confirmatus.

Decimo-nono, excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus celebrans miſſam ſcienter, vel officium ſuum ſolemniter ſicut prius agens, & qui excommunicatus vel interdictus ordinem vel beneficium ſuſcepit.

Viceſimo, cojens cum moniali ſacra virgine vel non.

Viceſimo-primo, defloratores virginum vi, oppreſſe & rapte.

Viceſimo-ſecundo, opprimens, ſive perimens prolem ſuam ſtudioſe vel negligenter ante partum vel poſt.

Viceſimo-tertio, quomodolibet abutens chriſmate, vel hoſtia, vel alia re ſacra.

Viceſimo-quarto, rapinam vel ſacrilegium committens in eccleſia.

Viceſimo-quinto, ſcienter baptizans proprium filium, vel etiam uxoris ſuæ ex alio viro vel e converſo, præter in articulo neceſſitatis, vel etiam aliis deficientibus, vel etiam in catechiſmo, vel confirmatione tenens.

Viceſimo-ſexto, in eccleſia maxime conſecrata luxuriam committens, humanum ſemen quomodocumque ſtudioſe emittens.

Viceſimo-ſeptimo, ſcienter cojens cum Judæa vel Saracena, vel pagana, & e converſo.

Viceſimo-octavo, verberans patrem vel matrem, vel alias enormes eis injurias irrogans.

Viceſimo-nono, ſortilegi, divinatores, malefici, incantatores, augures, aruſpices, dæmones pro quacumque cauſa invocantes, vel ſimilia facientes.

Triceſimo, contrahentes matrimonium poſt ſponſalia cum aliis juramento interpoſito contracta, illis per eccleſiam non diſſolutis.

Trigeſimo-primo, violator eccleſiæ, vel cimiterii.

Trigeſimo-ſecundo, peccatum ſodomiticum committens cum quibuslibet conſanguineis vel affinibus.

Trigeſimo-tertio, ſacerdotes vel miniſtri, quorum culpa vel negligentia aliquid inhoneſtum circa ſacramentum altaris evenerit.

Trigeſimo-quarto, cognoſcentes conſanguineas ſuæ uxoris vel ſponſæ.

Trigeſimo-quinto, procurans quomodocumque ſit, ſive per ſe, ſive per alium in alio ſterilitatem.

Trigeſimo-ſexto, blaſphemans Deum publice, vel matrem ejus, vel ſanctos, vel falſum teſtimonium proferens, & laicus juramenti tranſgreſſor; qui tamen poſt tranſgreſſionem ſatisfacit de eo quod juraverat facere, vel ſervare.

Trigeſimo-ſeptimo, ſacerdos cojens cum ea quam baptizavit, vel confeſſiones audivit, vel etiam cum ea, quæ ſpeciali affinitate ſibi eſt conjuncta.

Trigeſimo-octavo, contrahens matrimonium cum ea quam cognovit per adulterium, ſuperſtite legitima uxore ſua vel e contra.

Trigeſimo-nono, mulier cujus vir diu abſuit



& de illius morte certitudo non habetur, contra prohibitionem eccleſiæ matrimonium cum alio contrahens, idem & e converſo.

### XCIV. *Contra non habentes ætatem matrimonii.*

Inhibemus rectoribus & ſacerdotibus, ne matrimonialia inter aliquos qui non ſunt ætatis nubilis, ſive ambo, ſive alter eorum tantum deficiat in ætate; vel etiam ubi dubitatur, utrum matrimonium teneat an non, vel ſi de hoc lis mota fuerit, ſolemnizare in eccleſia præſumant ſine noſtra aut epiſcoporum locorum vel officialium licentia ſpeciali.

### XCV. *Contra clandeſtina matrimonia.*

Declaramus & pronunciamus, quod quicumque clandeſtina matrimonia ſeu ſponſalia contra juris prohibitionem contrahunt, tam ipſi contrahentes, quam ipſi omnes laici & clerici ac religioſi, qui non ſunt presbyteri, qui ſcienter & ſponte non caſu fortuito tali matrimonio interſunt, per conſtitutiones tam provincialis concilii, quam prædeceſſorum noſtrorum excommunicationis; presbyteri vero ſuſpenſionis per triennium incurrunt ſententias ipſo facto.

### XCVI. *Contra non facientes proclamationes.*

Inhibemus igitur, & inhibitum eſſe declaramus de jure, ne ſponſalia, ſeu matrimonia clandeſtine contrahantur: ſed cum contrahenda fuerint matrimonia, ſacerdotes publice ter, ſcilicet, per dies dominicos, vel feſtivos proponant, & proclamationem faciant in eccleſiis competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit, legitimum impedimentum opponat; & ipſi ſacerdotes nihilominus per ſe ipſos fideliter & diligenter inveſtigent, utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Quod ſi apparuerit, vel etiam de facto ipſo ſit probabilis conjectura, contractus matrimonii interdicatur expreſſe, donec quid ſuper hoc fieri debeat per loci ordinarium declaretur. Sacerdos vero, qui tales conjunctiones ſolemnizare præſumpſerit, aut quilibet regularis, quæ in eis intereſſe præſumpſerit, per triennium ab officio ſuſpendatur; gravius nihilominus puniendus, prout culpæ ipſius gravitas poſtulabit; ſed & illis, qui taliter copulari præſumpſerint condigna pœnitentia injungatur: & ſi ſic conjuncti permanſerint, eccleſia contra eos tanquam publicos concubinarios reputabit. Verum tamen ſi clandeſtine contrahentes talia matrimonia poſtea in facie eccleſiæ publice voluerint, ab eccleſia recipienda & approbanda ſunt, tanquam a principio in conſpectu eccleſiæ contracta, niſi vel conſanguineitas, vel aliud legitimum impedimentum appareat: ita videlicet quod publice coram ſacerdote & aliis pluribus perſonis confiteantur ſe matrimonium contraxiſſe, vel de novo in eccleſia matrimonium contrahant de præſenti, eiſque ſi poſtulaverint, detur benedictio nuptialis, injuncta tamen prius eis per ſacerdotem pœnitentia competenti, pro eo, quod clandeſtine contraxerunt. Prædictæ autem proclamationes non remittantur a quoquam, niſi ſuper una, vel duabus dumtaxat ex cauſa nos, vel epiſcopi loci, velimus gratiam facere ſpecialem.

### XCVII. *De perſonis ignotis.*

Nullus autem ſacerdos perſonas ignotas de remotis partibus venientes matrimonialiter copulare præſumat, ſive ambæ ignotæ fuerint, ſive altera illarum tantum: nec tale matrimonium faciendum denunciet in eccleſia, ſine noſtra vel epiſcopi loci licentia ſpeciali.

### XCVIII. *De alieno parochiano.*

Sed nec aliquis ſacerdotum alienum parochianum ad matrimonium recipiat, ignorante proprio ſacerdote.

### XCIX. *De ſponſo & ſponſa.*

Si vero ſponſus & ſponſa de diverſis parochiis fuerint, matrimonium poſſunt contrahere, & nuptialem benedictionem recipere in quacumque eccleſia maluerint, dum tamen literas noſtras, vel certos nuncios ſuorum presbyterorum oſtendant, continentes quod in eccleſiis quorum ſunt parochiani matrimonium fuerit legitime denunciatum contrahendum, & quod ipſi presbyteri nullum ſciunt, vel audiverunt impedimentum, quominus inter eos poſſit matrimonium eſſe, licet autem aliquis tranſtulerit domicilium ſuum in parochiam alienam: nihilominus tamen denunciatio matrimonii contrahendi fiat in prima eccleſia, in cujus parochia diu morati ſunt, & etiam in illa, in qua ſuum tranſtulerint domicilium & morantur: præcipue ſi noviter ſe tranſtulerint. Eis autem, quæ rupta fide ſponſaliorum matrimonium cum aliis contrahunt, non detur nuptialis benedictio.

### C. *Contra illos qui illegitimi ſunt nati, ad primam tonſuram non accedant.*

Præcipimus, ut nullus illegitime natus ad primam tonſuram, vel aliquos eccleſiaſticos ordines, vel eccleſiaſtica beneficia ſe ingerat, ſeu præſentet, vel præſentari faciat abſque legitima diſpenſatione. Qui vero contrarium fecerit, & qui talem ſcienter præſentaverit, præter pœnam juris, ipſum excommunicationis vinculo innodamus. Illegitimi quoque beneficia eccleſiaſtica abſque ſufficienti diſpenſatione obtinentes, ipſo facto ſe noverint privatos.

### CI. *Contra excommunicatos.*

Excommunicatos, & nominatim interdictos per totam noſtram Provinciam ab omnibus regularibus & ſæcularibus exemptis & non exemptis præcipimus in divinis officiis & ſacramentis eccleſiaſticis evitari: quia nulli debent in hoc aliquibus privilegiis ſe tueri. Qui vero contra fecerint, vel tales ad ſepulturam eccleſiaſticam admiſerint, vel receperint, aut celebrare in eccleſia interdicta præſumpſerint, eccleſiæ in quibus talia fient, ſubjaceant interdicto.

### CII. *Ut præcepta eccleſiæ denuncientur.*

Præcipimus rectoribus & capellanis eccleſiarum omnibus ſub pœna excommunicationis, ut præcepta, ſententias interdicti & excommunicationis, quæ nos vel epiſcopi noſtræ provinciæ, vel officiales noſtri, vel alius authoritate mandaverimus obſervari, mandabimus in futuro, poſtpoſitis odio

odio, gratia vel timore, fideliter obſervent, & quantum in eis fuerit faciant ab aliis obſervari.

### CIII. *Contra retinentes litteras doloſe.*

Item, præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quod omnes illi qui retinent ſcienter & doloſe, contra debitorum voluntatem omnia inſtrumenta & litteras ipſorum debitorum, de quibus plane ſatisfactum eſt, quod eadem inſtrumenta eis reſtituant infra menſem, ex quo præſens ſtatutum ad eos pervenerit, & reſtituendi habuerint facultatem.

### CIV. *Contra illos, qui faciunt contra mandata eccleſiaſtica.*

Nos quoque, qui propter executionem ſtatuti & ordinationis præmiſſorum, vel alia qualibet occaſione clericos vel laicos qui aliquos ad noſtram curiam & eccleſiaſticos judices citari, vel trahi fecerint, vel interdicti, aut excommunicationis, vel alias ſententias & proceſſus contra eos obtinuerint, aut ibi in judicio contenderint, vel etiam officialium nuncios, judices noſtros & Epiſcoporum, qui hujuſmodi ſententias tulerint & proceſſus fecerint compellere per captionem perſonarum vel rerum ſuarum, vel alio quocumque modo ad deſiſtendum, vel obtinendum abſolutiones, vel revocationes hujuſmodi faciendas, eos, qui in cauſis ad forum eccleſiaſticum pertinentibus executiones aliquas contra quaſcumque perſonas fecerint capientes, & qui eos capi vel alias lædi mandaverint ſeu procuraverint, niſi infra unius menſis ſpatium cum debita ſatisfactione præmiſſa emendaverint, & cum ſteterint, in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus. Ne autem circa hæc, quæ notoria ſunt omittamus, & ne quis ignorantiam poſſit prætendere in præmiſſis, duas conſtitutiones felicis recordationis Gregorii papæ decimi præſenti conſtitutioni de verbo ad verbum duximus ſubnectendas. Quarum prima eſt.

### CV. *Contra illos qui faciunt abſolutiones per vim & metum.*

Abſolutionis beneficium, excommunicationis, vel quamcumque revocationem ipſius, aut ſuſpenſionis, ſeu etiam interdicti per vim vel per metum extortam præſentis conſtitutionis authoritate omnibus viribus vacuamus. Si autem ſive vindicta, ſive violentia creſcat malignandi audacia; eos, qui abſolutionem, ſeu revocationem hujuſmodi vi vel metu extorſerint, excommunicationis ſententiæ decrevimus ſubjacere.

### CVI. *Contra illos, qui capiunt vel interficiunt propter ſententias.*

Item alia hæc eſt: quicumque, eo quod in reges, principes, barones, nobiles, ballivos, vel quoſcumque miniſtros, aut quoſcumque alios excommunicationis ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam dederit alicui occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis aut bonis ſuis aut ſuorum gravandi: eos qui tales ſententias protulerint, ſive quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare volentes, niſi ſententiam in integram revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius ſententiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa fuerint infra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa, in excommunicationis ſententiam incidant, ipſo facto. Eadem ſint ſententia innodati omnes qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquo præmiſſorum, ad quæ committenda dari licentiam prohibemus aliaque committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio, extunc ab ea non poſſint, niſi per ſedem apoſtolicam, abſolutionis beneficium obtinere.

### CVII. *Contra ballivos & judices ſæculares.*

Illud quoque ſub excommunicationis pœna prohibemus, ne quiſquam civitatis diœceſis & provinciæ noſtræ clericos ſeu eccleſiaſticas perſonas trahere ſeu trahi facere præſumat, ſuper quibuſcumque perſonalibus actionibus, coram quocumque judice, domino, ballivo, vel alio temporali, vel ſæculari, ſeu ſæcularem juriſdictionem habente. Clerici vero hoc facientes, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto.

### CVIII. *Contra dominos temporales, qui capi faciunt clericos, vel alios propter ſententiam.*

Sed nec ipſi de facto coram talibus & ſuper talibus ſive a clericis ſive a laicis capti fuerint, in ipſis conſentiant, aut coram eis ſuper iis reſpondeant, ſub eadem excommunicationis pœna, præter alias pœnas de jure ſcriptas. Nos enim ſententias condemnationis & proceſſus quoslibet coram talibus, ſive per eos, ſive eorum auctoritate & mandato, habentes & habendos, irritos decernimus & inanes. Si autem domini temporales vel ſæculares judices, ballivi præmiſſi, & alii quicumque quomodolibet directe vel indirecte, per ſe, vel per alios tales in ſe conſentire, aut ſibi reſpondere, compellere, aut ab eis aliquid extorquere præſumpſerint; ipſi domini judices, ballivi & quilibet alii excommunicationis ſententiæ, ipſo facto, ſe noverint ſubjacere, a qua abſolvi non poſſint, niſi prius eis reſtituant, quod a talibus habuerint, nec remiſſio eorum a quibus exactum extiterit, ipſos extorquentes aliquatenus valeat excuſare.

### CIX. *Contra illos qui detinent bona & jura eccleſiarum.*

Injuncti nobis officii cura & commiſſa præterita nos compellunt, ut tam præſentis innovatione ſtatuti, quam debitarum adjectione pœnarum, noſtræ & ſubditorum noſtrorum eccleſiæ indemnitatibus conſulamus: ne nos, qui alios in ſua juſtitia fovere tenemur, jus noſtrum & eccleſiarum improvide negligere videamur. Quia igitur nonnulli bona & jura noſtra & eccleſiarum noſtrarum prædictarum ſpiritualia eccleſiaſtica & temporalia modis variis occupare, & occupata detinere, Dei timore poſtpoſito, non verentur: alii vero feuda & retro-feuda, bona & jura, quæ a nobis & eccleſiis noſtræ provinciæ tenere debent, & aliis perſonis recognoſcere, vel ſubmittere non formidant. Idcirco, præcipimus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſis occupantibus & detentoribus, ut bona & jura noſtra & eccleſiarum abſque noſtra & anteceſſorum noſtro-



ſtrorum, ſeu earumdem eccleſiarum prælatorum licentia & aſſenſu minus juſte occupata & detenta, plene, integre & effectualiter nobis & eis reſtituere & agnoſcere: ipſis vero recognitoribus ſubmiſſoribus eccleſiarum, feudorum, & retro-feudorum, ut recognitiones vel ſubmiſſiones quomodolibet factas totaliter infra menſem, ex quo præſens ſtatutum ad eos pervenerit, cum effectu revocare non omittant.

### CX. *Contra illos, qui recognitiones & ſubmiſſiones recipi demittunt.*

Requirimus inſuper & monemus eos qui recognitiones & ſubmiſſiones hujuſmodi per ſe vel per alios quomodolibet receperint, aut recipi fecerint, ut omni fraude ceſſante, infra idem tempus illa libere reſignare, remittere & repudiare, & dimittere non omittant, de quibus reſtitutione, reſignatione, remiſſione, ſeu repudiatione infra XX. dies poſt dictum menſem ſufficienter nos & eccleſiarum prælatos certificare procurent per legitima documenta.

### CXI. *Contra illos, qui alienant bona eccleſiaſtica.*

Ad hæc interdicimus omnibus & ſingulis nobis & eccleſiis ſubditis quæcumque bona eccleſiaſtica, vel mundana jura, feuda, vel retro-feuda, quomodolibet tenentibus vel poſſidentibus, ne de cetero illa in totum, vel in partem quoquomodo vel titulo alienare, transferre, recognoſcere, vel ſubmittere quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis vel mundanis, collegiis, univerſitatibus, ſeu villis, ſine noſtra aut ſucceſſorum noſtrorum ac prælatorum dictarum eccleſiarum licentia ſpeciali præſumant: & ne quiſquam recognitiones & ſubmiſſiones hujuſmodi ſcienter a modo præſumant. In contrafacientes extunc, ut exnunc in perſonas ſingulares excommunicationis; in collegia vero ſeu univerſitates interdicti, in his ſcriptis, ſententias promulgamus: & inſuper occupationes, detentiones, alienationes, recognitiones & ſubmiſſiones ipſas, irritas nunciamus, & totaliter annullamus. Eidem quoque excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere eos, qui bona mobilia, feuda, jura, juriſdictiones & libertates quarumlibet eccleſiarum noſtræ civitatis, diœceſis & provinciæ quomodolibet uſurpare, & occupata detinere præſumpſerit, niſi infra duorum menſium ſpatium a præſentis publicatione conſtitutionis connumerandum, taliter occupata, vel detenta cum omnibus fructibus & proventibus inde perceptis plene & integre reſtituerint illis eccleſiis ſeu eccleſiaſticis perſonis, ad quas pertinere noſcuntur: univerſis & ſingulis eccleſiarum rectoribus & curatis præcipientes, quod præſentem conſtitutionem parochianis ſuis ſtudeant diligenter exponere, & ſi forte quemquam hac excommunicatione ligatum noverint, illi ſepulturam in morte ſeu aliqua eccleſiaſtica ſacramenta in vita non miniſtrent, vel admittant etiam ad divina.

### CXII. *Contra indoctos medicos.*

Quia, ſicut intelleximus, plerique indocti, & quorum vita & mores incognita ſunt in civitate, caſtris, oppidis & villis noſtris, & noſtræ provinciæ in arte medicinæ & chirurgiæ & aliis artibus docere, dicere & prædicare contendunt: & circa exhibendas medicinas & collyria quamplures imperiti & inexperti ſe ingerunt, ex quibus quamplurima diſpendia provenire noſcuntur, magiſtrique eſſe cupiunt qui diſcipuli non fuerunt: diſtricte, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ inhibemus, ne quis deinceps in civitate, diœceſi noſtra & provincia artem medicinæ & chirurgiæ exercere ſeu docere præſumat, abſque noſtra licentia ſeu epiſcoporum locorum ſpeciali. Decet enim ut prius examinentur & approbentur tam in ſcientia quam moribus hi qui circa ſalutem corporum, quæ rebus quibuslibet præponenda exiſtit, ſe aſſerunt expertos; cum maxime in talibus tam periculoſis & arduis quilibet ignorans præſumi debeat, niſi probaverit ſe ſcientem.

### CXIII. *Contra clericos male ſe gerentes.*

Item, præcipimus quod unuſquiſque maxime clericus dolos & conjurationes caveat, odium & æmulationes, obtrectationes atque invidiam fugiat, non vagis oculis, non effrena lingua verborum, non petulanti fluidoque geſtu incedat, ſed pudorem & verecundiam mentis ſimplici habitu inceſſuque oſtendat, obſcœnitatem verborum etiam in membrorum, & operum penitus exſecretur. Senioribus debitam præbeat obedientiam, neque ullo jactantiæ ſtudio ſe ipſum attollat, bonis moribus ſtudeat, ab omnibus illicitis cor & linguam & corpus, Deo auctore, conſervet. Omnis enim jactantia atque immoderatio a moribus bonis eſt aliena. Curam pauperum, peregrinorum, alienarum miſerabilium perſonarum habeant, præbentes eis caritativam refectionem, prout eis a Deo fuerit inſpiratum. Viduas & orphanos & pupillos defendant, & tam in his, quam in aliis totius boni laudabile exemplum exhibeant.

### CXIV. *Qualiter pueri baptizentur.*

Item, ſi mulier in puerperio deceſſerit, & partus maternis viſceribus adhuc jacere credatur, uterus mulieris ſine mora aperiatur, & puer ſi vivus eductus fuerit baptizetur. Si vero mortuus, extra cimiterium tumuletur. Sed ſi puer mortuus probabiliter credatur, tunc ſine apertione mulier in cimiterio cum partu tumuletur. Si autem mulieve in partu laborante infans in ventre matris tantum caput emiſerit, & naſci nequeat, mox aliqua de obſtetricibus aquam ſuper caput infantis infundat, dicens: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti, amen. Et erit baptizatus.

Idemque dicendum eſt, prout quidam aſſerunt, ſi major pars corporis præter caput appareat, baptizatur; ſecus ſi minor, ſolus pes, vel ſola manus appareat, baptizari non debet, quod ſi fiat, nihil agitur. Cum enim partus tunc non naſcatur, nec tunc etiam renaſci poteſt. Ceterum ſi ſolum caput, vel ſolum major pars corporis appareat, nec diſcerni poteſt cujus ſexus ſit, tunc obſtetrix levando caput cum aqua faciendo crucem ſuper caput dicat ſic: Creatura dei, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & levando dicat & Spiritus-Sancti. Et erit baptizatus.

### CXV. *De Confirmatione.*

Confirmatio eſt ſecundum ſacramentum eccleſiaſti-

ſiaſticam ab ipſo Chriſto inſtitutum, qui apoſtolos ſuos confirmavit & per eos eorumque ſucceſſores populos confirmandos decrevit. In hoc Sacramento, ſicut in baptiſmo, compaternitas contrahitur, impediens matrimonium contrahendum & dirimens jam contractum. Nullus poteſt bis confirmari, nullus niſi ipſe baptizatus ſit alium confirmatum præſentet. Nullus proprium filium, & e converſo, nec vir nec uxor infantem aliquem ad confirmationem teneat, aut præſentet, non plures unum confirmandum, aut unus plures confirmandos præſentet, ne oblivio ex diuturnitate temporis, vel perſonarum multiplicitate proveniens, peccati occaſionem inducat. Nullus hoc ſacramentum niſi baptizatus fuerit accipiat. Confirmandus ſi adultus ſit, prius debet confiteri peccata. In confirmatione nomina poſſunt mutari. Nemo ſine hoc ſacramento debet vitam finire, ideoque ſemper dicatur laicis, ne diu expectent epiſcopi ſui adventum ad confirmandum; ſed pueros mittant ad loca proxima, ubi epiſcopum audierint adveniſſe.

### CXVI. *Contra illos, qui alieno ſacerdoti peccata confitentur.*

Nullus alieno ſacerdoti peccata ſua confiteatur, niſi prius a proprio petita licentia & obtenta: quam nullus requiſitus malitioſe dare & recuſare præſumat. In quibuſdam tamen caſibus libere poteſt quis confiteri alieno ſacerdoti, licentia non petita. Primo, ſi epiſcopus hoc alii delegaverit, ſecundo ſi in aliena parochia peccaverit, poteſt de illo peccato ſacerdoti illius parochiæ confiteri. Tertio ſi ſuum domicilium in aliam tranſtulerit parochiam. Quarto ſi eſt vagabundus. Quinto ſi mortis periculum ſibi imminet, nec habere poteſt proprium ſacerdotem: quo etiam caſu poſſet laico catholico confiteri.

Sed nec aliquis ſacerdos alterius parochianum ad confeſſionem ſine licentia ſui ſacerdotis admittat. Debet autem confitens ſe ipſum non alium accuſare, nec perſonam illius, cum qua peccavit debet nominatim exprimere. Sed nec confeſſor de illa quærere. Nec debet etiam per nuncium, vel ſcripturam, ſed ore proprio confiteri, ut qui per ſe ipſum peccavit, per ſe ipſum confiteatur & erubeſcat. Ad hoc confeſſiones mulierum in loco non occulto, ſed in patenti quis audiat, nec earum facies aſpiciat, ſed vel capucium ante oculos teneat, vel alibi faciem avertat: & ſi forte horribile peccatum audierit, non ſpuat, nec faciem ſuam torqueat, aut ſignum aliquod faciat propter quod peccatorem deterreat, vel rubore ſeu verecundia confundat: ita ut reliqua peccata ſibi timeat revelare. Sacerdos diligenter peccatorem admoneat, & directe inducat, ut omnia peccata ſua humiliter, vere, integre, ſimpliciter & fideliter confiteatur, nec verecundia vel timore aliqua celet. Oſtendens ei, quia non homini, ſed Deo, cujus perſonam repræſentat, ipſe locuturus eſt, & quod etiam ipſe ſacerdos peccator eſt, & quod beati Petrus & Paulus peccatores fuerunt, quod res pene contra naturam eſt, ut commiſſo quis ſine peccato ſit, & humanum eſt peccare; ſed diabolicum eſt in peccato perſeverare, dicens ei quod ſi ficte & palliate confiteatur, vel ſi aliquod mortale peccatum celaverit, vel ſcienter dimiſerit, vel partem peccatorum uni ſacerdoti, partem alii confiteatur, talis pœnitentia ad æternam ſalutem non ſufficit promerendam. Intelligens igitur presbyter ea, quæ confitens dicere voluerit; ſollicitando eum ſtudioſe ut cogitet, ne aliquod peccatum prætermittat, de delictorum quoque circumſtantiis prudenter & caute interroget, non tanquam ſcire appetens, ſed ut melius & ſalubrius conſulere ſciat, & utatur conſilio concilii generalis, ubi ſic dicitur; Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatorum circumſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debet illi præſtare conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere. Interroget ergo in genere & de diverſis, videlicet utrum peccaverit peccato ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ, & ſic de aliis. Unde Auguſtinus: diligens inquiſitor & ſubtilis inveſtigator ſapienter & quaſi aſtute interroget a peccatore id, quod forte ignorat vel verecundia vult occultare.

### CXVII. *Qualiter ſacerdos debet audire confeſſiones.*

Cognito ergo crimine, varietates ejus non dubitet inveſtigare, videlicet locum, tempus, ſexum, conditionem, cauſam, intentionem, perſonam, modum, & alia neceſſaria, non tamen conſpiciendo nimias circumſtantias, nec interrogando de inuſitatis, nec quærendo de illis, quæ confitens forte ignorat, vel numquam audivit. In his inſtruatur & ad peccatum declarandum inducatur. Nam & ſecundum Gregorium loquendo, ſpecificando & increpando ſæpe culpa detegitur, quam neſcit ille qui confitetur. Et nec inquirat unde perſona cum qua confitens peccavit. Quærat etiam ſacerdos a confitente, utrum doleat de commiſſis, dicens ei, quod non gaudebit ſe converſum, niſi doleat ſe fuiſſe perverſum: & an proponat ulterius non peccare, & pœnitentiam agere de commiſſis. Et ſi reſponderit, ſe a peccatis abſtinere non poſſe vel nolle, aut ab aliquibus vult abſtinere & in aliquibus remanere, nihilominus ſacerdos confeſſionem ejus debet audire & de peccatis conſilium præbere. Prius tamen quam ſibi conſulat ei, patienter dicat, quod ſi quis quæcumque habet, pauperibus erogaret, & quamdiu vixerit in pane & aqua jejunaret, & alia bona faceret, nihil ſibi proficeret ad vitam æternam obtinendam, quamdiu in peccato commiſſo remanſerit, vel propoſitum & voluntatem committendi habuerit, nec eum ab aliquo peccato abſolvat, niſi de omnibus pœnituerit, & niſi propoſitum habuerit iterum non peccandi, ad quod toto poſſe & ſtudio eum inducat. Quod ſi forte ipſum ad veram pœnitentiam & confeſſionem inducere nequiverit, præbeat ei de peccatis confeſſis conſilium dicens in hunc modum: Frater, dico tibi & conſulo, quod jejunes, ores, eleemoſynas, & alia bona facias. Hæc tamen tibi ad æternam vitam non ſufficiunt, & ad ſalutem æternam obtinendam quamdiu in peccato vel peccandi remanſeris voluntate: quia nihil prodeſt jejunare, orare, & alia opera religionis facere, niſi penitus ab iniquitate revocetur: & ſecundum Iſaiam irriſor eſt & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Opera enim ſine caritate apud Deum nec juſtitiam, nec innocentiam præſtant. Talem tamen pœnitentiam facias, ut per hæc bona & alia quæ feceris dignetur Dominus cor tuum ad veram pœnitentiam illuſtrare. Et facta generali confeſſione, ſcilicet, Confiteor Deo, &c. non abſolvat a peccatis, ſed dicat ei, quod non recipiat Corpus Chriſti, quamdiu in peccato & voluntate & propoſito iterum peccandi manebit. Provideat tamen, quantum poteſt, ne in deſperationis illum inducat periculum. Judæi Judam deſperare fecerunt.





### CXVIII. *Ut ſacerdos confitentem confortet.*

Et quia contraria contrariis curantur, ſacerdos peccatori peccata confitenti, & propoſitum ulterius non peccandi habenti ſuadeat & imponat pœnitentiam & correctionem per contrarium ſibi reſpondentem.

### CXIX. *Contra ſuperbiam, avaritiam, & gulam.*

Contra ſuperbiam enim ſuadeat humilitatem, & injungat orationem; contra avaritiam eleemoſynam effluentem, contra guloſitatem ciborum abſtinentiam & ſobrietatem; contra luxuriam, jejunium & orationes, peregrinationes diſciplinas, & alias carnis macerationes imponendo, ſemper tamen juxta perſonæ conditionem pœnitentiam quam poterit ſupportare, ne forte nimium gravetur, gravius peccat etiam injuſtam pœnitentiam imponendo & infringendo.

### CXX. *Quam debent injungere infirmis pœnitentiam.*

Nam ſecundum Johannem Chryſoſtomum, ſi erramus modicam pœnitentiam injungendo, melius eſt propter miſericordiam talem dare, quam propter crudelitatem magnam infringi. Ubi enim paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax: & ſecundum Ambroſium, melius eſt pœnitentias tales præſtare per miſericordiam, quam prætendere inclementiam. Impoſita ergo pœnitentia & facta generali confeſſione Confiteor Deo, &c. dicat ſic: injungo talem pœnitentiam tibi ſeu ſatisfactionem peccatis quæ per contritionem confeſſus es. Et imponens manus ſuper caput ejus dicat, indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, amen. Et ego auctoritate Domini noſtri *Jeſu Chriſti* & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & officii mihi commiſſi, & auctoritate qua fungor, abſolvo te ab his quæ confeſſus es & contritus. Et dicat ei quod ſi poſtmodum reduxerit ad memoriam alia peccata, quæ non ſit confeſſus, redeat ad eum, ut ea confiteatur.

### CXXI. *Contra illos, qui debent parcere infirmis.*

Infirmis autem non eſt pœnitentia injungenda, ſed ſolum innoteſcenda ſeu declaranda. Dicat enim ſacerdos infirmo, cujus peccata audivit: Frater, ſi ſanus eſſes, pro his peccatis quæ confeſſus es, deberes tot annis vel taliter pœnitere: ſed quia infirmus, nullam injungo pœnitentiam tibi ad præſens corporalem. Si tamen de iſta infirmitate te mori contigerit, facias tantum dari pauperibus, vel piis locis, vel tot miſſas celebrari; vel ſimilia loco prædictæ pecuniæ. Si vero convalueris, tamen pœnitentiam facias. Et imponens manum ſuper caput ejus, abſolvat eum de peccatis, prout jam de ſano dictum eſt. Quod ſi forte infirmus pro pœnitentia recipienda ſacerdotem petiit, vel aliqua ſigna pœnitentiæ oſtendit, & priuſquam ſacerdos veniat, ille obmuteſcat, vel amens ſit; ſacerdos poſtea veniens ſive ad nutum infirmi, ſive ad teſtimonium illorum, qui illum presbyterum vel pœnitentiam petentem, vel alia ſigna pœnitentiæ facientem audierunt, debet ei imponere quidquid humanitatis & conſolationis poteſt, abſolvendo eum, & reconciliando, & orationes dicendo, oſculum crucis ſibi dando, in cimiterio ſepeliendo, & ſimilia faciendo. Caveat enim ſacerdos omnino, ne aut verbo ſpeciali, ut dicendo, ego non ſum fur, vel adulter, quaſi dicat tu es talis; vel generali, ego ſcio qualis tu es; aut ſigno, aut quolibet alio favore, odio, vel timore prodat, vel revelet peccatorem. Sed ſi forte pro pœnitentia pro peccato injungenda dubitaverit, & epiſcopi vel alterius prudentioris conſilio indiguerit, illud caute & generaliter ſub aliis terminis abſque alicujus perſonæ expreſſione requirat. Alioquin deponatur, & in arctum monaſterium ad agendam ibi perpetuam pœnitentiam detrudi debet.

### CXXII. *Ut medici infirmos moneant de ſalute.*

Medicis corporum ſub excommunicationis pœna præcipimus, ut infirmos moneant & inducant, quod ante omnia medicos advocent animarum, ut poſtmodum ad corporalis medicinæ ſalubrius remedium procedatur. Et inſuper ſub excommunicationis pœna prohibemus, ne infirmis pro corporali ſalute ſuadeant aliquid dare quod in periculum ſit animarum.

### CXXIII. *Contra non facientes reſtitutionem.*

Illud quoque notandum eſt, quod non remittitur peccatum, niſi reſtituatur, vel emendetur ablatum, ſeu reſtituendum, ſi emendandi facultas adſit. Non enim poteſt quis vere pœnitere, nec debet aperte abſolvi, nec pœnitentia ſibi induci, niſi prius reſtituat vel emendet rapinam, furtum, ſacrilegium, incendium, uſuram, vel res ex naufragio, vel incendio habitas, ſeu quaſlibet indebitas extorſiones, vel cenſum retentum præter voluntatem domini cui debetur, vel damna cujuſcumque contra juſtitiam data, & generaliter cujuſlibet rei alienæ ſcienter contra juſtitiam debitam detentionem. In iis ſiquidem omnibus & ſingulis ſacerdos debet præcipere confitenti, ut ſtatim ſatisfaciat juxta poſſe: & ſi peccatum occultum fuerit, fieri debet occulte per ipſum ſacerdotem vel per aliam fidelem perſonam, *ſuppreſſo* nomine, confitentis reſtitutio ſeu emenda: ſi autem pœnitens non habet rem quam reſtituere debet, vel alia bona mobilia vel immobilia unde ſtatim ſatisfacere poſſit; vel habet, ſeu poteſt iſta, tamen cui reſtitutio facienda eſt præſens non eſt nec eſſe poteſt, & confitens apparet vere pœnitens & contritus proponens firmiter cum poterit ſatisfacere, ibi pœnitentia injungatur; & ſi ſit infirmus, præcipiat hæredibus, ut ſi mori eum contigerit, de iis plene ſatisfacere curent pro eodem. Omnibus autem pœnitentibus ſanis vel infirmis, qui aliis tenentur aliquid reſtituere, non excuſantur præcipiendo ſuis hæredibus quod reſtitutionem faciant vel emendam, niſi ipſimet in toto vel in parte ſtatim reſtituant vel emendent: ſi hoc commode facere poſſint. Tenetur etenim alienæ rei detentor & etiam ejus hæres ad reſtitutionem, in quantum illius hæreditas ſufficere poteſt.

CXXIV. *Contra illos quibus reſtitutio commiſſa eſt facere.*

Facienda autem eſt reſtitutio domino rei vel hæredibus ejus, ſi inveniri poſſint ab his, qui bona hujus habuerunt ſeu damna intulerunt, vel hæredibus eorum: ſed ſi diligenter inquiſiti, & congruo tempore expectati, non inveniantur, ſed qui, & ubi ſint, ignoratur: tunc conſilio ſacerdotis res illa in pias cauſas, præſertim in pauperum ſuſtentationem, diſtribuatur pro illius anima cujus fuit: ſiatque diſtributio præcipue in pias cauſas, vel in pauperes ipſius loci, territorii, in quo res reperta, vel capta ceu damnum datum fuit. Si vero ſcitur perſona, cui eſt emenda ſeu reſtitutio facienda, agit tamen in remotis partibus, nec ſperatur quod debet redire: mittatur ei ſi fieri poſſit commode & ſecure, vel pro eo reſervetur. Quod ſi non venerit, ſi mortuus fuerit, pro anima ejus cum conſilio eccleſiæ pauperibus erogetur, & hoc, ſi res reſtituenda ſit modica. Si vero magni valoris, debet mitti illi ad expenſas detentoris; vel ſi res, vel ſumma modica eſt, & debitor inops ſit, ei relinquatur, ut pro anima illius oret.

CXXV. *Contra illos, qui pecuniam inveniunt.*

Qui pecuniam vel aliam rem in via vel alibi invenit, tenetur eam reddere ei qui eam amiſit vel perdidit, ſi eum poterit invenire: ſed ſi neſcitur cujus fuerit, aut forte ſcitur, ſed inveniri non poteſt, publicetur hoc per ſacerdotes, vel præcones in eccleſia, vel in loco ubi inventa eſt: & dominus expectatus non inventus cujus fuerit, erogetur cum conſilio eccleſiæ pauperibus illius loci, pro illius anima cujus fuit: vel ſi modica ſit res, vel ſumma inventa, & inventor egenus, juxta perſonæ & rei qualitatem ſibi concedi poterit, ut eam pro eleemoſyna retineat, & pro anima ejus oret, cujus fuit.

CXXVI. *Contra raptores.*

Confeſſor vero debet ſcire & diſcernere quidquid habet judicare: quoniam nemo bene judicat qui ignorat. Noſcere debet quod quando plures in rapinis faciendis concurrunt ſimul, quilibet a ſe occupata tenetur reſtituere; dum tamen in occupationibus per alios factis culpabilis non exiſtat. Si enim culpabilis fuerit, quia forte aliis ut raperent conſuluit; tunc [illegible] & conſilio damnum datum, ſic in ſolidum, in quantum facere poteſt tenetur præcipue in foro conſcientiæ. Sed & ſi rapinam paſſus adverſus conſiliarios rapinæ & raptores accuſationes ſeu actiones ſuas ex juſta vel injuſta cauſa exercere non vult, ei tamen ſatisfaciendum eſt, niſi forte ipſe ſpoliatus raptori qui primus & principaliter tenebatur, & plures ſecum habuerit, liberaliter remiſerit: quo caſu eſt conſiliarius, qui nihil habuit liberatus. Sed ſi conſiliarius a rapinam paſſo eſt abſolutus, non ideo alii ad quos pervenerint liberantur, niſi illos expreſſe intellexerit liberare.

CXXVII. *Contra dantes conſilium raptoribus.*

Ceterum ſi non dederit quis conſilium de rapina facienda; ivit tantum cum raptore, non ut ad rapinam quam diſſuaſit juvaret, ſed ut raptorem, ne ab aliquo lædi poſſet, juvaret vel defenderet: tunc ſi nulla res ablata eſt, ad nullius rei reſtitutionem tenetur; ſed ſi raptor aliqua abſtulerit, bene tenetur: quia etſi non conſilium, opem tamen ad rapinam dedit: quod verum eſt, ſi raptor ſine eo res apportare nequiviſſet: quod ſi potuiſſet, iſte non tenetur: ſi vero raptor nihil abſtulerit, ſed aliud damnum intulerit, tunc nullo modo tenetur qui rapinam diſſuaſit, licet ad hoc ut cum raptore iverit; ſi tamen raptor nullo modo iviſſet, niſi ejus habuiſſet comitatum, bene tenetur; quia etiamſi verbo diſſuaſit, opem tamen dedit & facto conſuluit.

Generaliter autem reſtitutio facienda eſt qualitercumque in alterius cujus intereſt præjudicium acquiſitum ſit: puta quia damnum per injuriam datum eſt. Ubi vero nullius intereſt, tamen alias illicite acquiſitum eſt. Ita quod ſine peccato retineri non poteſt, ut ſicut aliqui dicunt in iis quæ excommunicatus acquirit, & etiam ubi alicujus intereſt, neſcitur tamen quis vel ubi ipſe vel ejus hæres ſit; tunc idem de conſilio confeſſoris eſt totum pauperibus erogandum, vel eidem, ſi egeat, ut præmittitur, relinquendum. Facienda eſt enim reſtitutio ejus quod quis per furtum, rapinam, oppreſſionem, dolum, vel calumniam acquiſivit; ut per hoc omnes caſus comprehendamus, in quibus ſive per accuſationes, ſive judicis officio competit repetitio. Tenetur quis etiam reſtituere quod alteri debitum eſt, ſive jure naturali & civili, ſive naturali tantum: quale eſt illud quod ſervo debetur. Si vero civili tantum debitum eſt, ut ſi hæres credens hæreditatem ſufficere, ſolvit integre legatum de quo poterat falſidiam detrahere, legatarius ei reſtituere tenetur: quamvis quidam contradicant, pro eo quod falſidiam detrahere æquum eſt, ſuper qua æquitate lex facta eſt: & idem videtur in eo qui ſcripſit ſe pecuniam ſpe futuræ numerationis debere: qui tamen nihil in veritate accepit, quia licet biennium, poſt quod exceptio pecuniæ non numeratæ non competit, lapſum ſit; non tamen tenetur in foro conſcientiæ reddere ſeu dare aliquid illi creditori, cui jure civili teneretur per exceptionem admiſſam.

CXXVIII. *Contra hypocritas.*

Item hypocrita, qui ſub ſpecie boni chriſtiani multa acquiſivit recipiendo in ſe executiones teſtamentorum, vel alia, ea reſtituere tenetur, quæ per fraudem quæſivit: ſed forte non illi qui dedit, quia mercedem ſuam jam conſecutus eſt: ſed faciat ſibi amicos de mammona iniquitatis, in pios uſus talia convertendo. Sane reſtituiſſe, ſeu ſatisfeciſſe quis videtur, qualitercumque quis ſatisfecerit, etiamſi re non reſtituta ei, cui reſtitutio, ſeu emenda facienda eſt, actionibus minime præcedentibus, ex quo ſibi donavit vel remiſit: dum tamen ſit perſona talis quæ donare vel remittere poſſit: quia ſatisfacere eſt ad voluntatem creditoris ſatisfacere.

CXXIX. *De illis qui ad reſtitutionem tenentur.*

Ceterum ſi is, qui ad reſtitutionem tenetur evidenter omnino non ſolvendo factus eſt; tunc juxta præmiſſa ſufficit contritio cum propoſito reddendi, quando commode poterit: quia ejus qui nihil habet, nihil periculo eſſe poteſt, & Deus cor interrogat: lex autem opera quærit. Si tamen confeſſor dubitat, an ille ſit adeo pauper, ut diximus, tunc conſulat ei, ut bonis cedat; quod ſi fecerit, ſatis eſt. Tunc ejus nota eſt paupertas. Sed & quamvis bonis cedat, nihilominus debet ei injungere pœnitentiam ſalutarem. Quod facere debet etiam ſi plene ſolveret ſeu ſatisfaceret. Talis namque duos offendit, ſcilicet Deum, qui præcepit: furtum non facias, in quo omnis non juſta & illicita alienæ rei occupatio ſive acquiſitio prohibetur, qui etiam dixit, diliges proximum tuum ſicut temetipſum, & iterum, non concupiſces rem proximi tui. Unde pro tranſgreſſione divini præcepti, injunget ei pœnitentiam ſalutarem, per quam Deo ſatisfaciat. Offendit etiam proximum, rem illius illicite occupando, ſeu contractando, vel ſibi quomodolibet injuriam irrogando: unde ad reſtitutionem ſeu ſatisfactionem, ſi facilitas adſit vel non adſit facultas, ſaltem ad cedendum bonis tenetur, & alter iſtorum alterum non excludit, unde non ſufficit reſtitutio, ſeu ſatisfactio, vel ceſſio, niſi pœnitentia per quam ſatisfaciat ſequatur. Si vero omnino ſolvendo non eſt, ſed vult in parte vel in toto; ſolvere poterit non tamen commode, & ſine periculo ſuſtentationis ſuæ aut uxoris & familiæ: tunc confeſſor debet illum ad veram contritionem & pœnitentiam inducere, dicens illi, fili reſtitue quod potes, ut ſic pœnam inferni evitas, & cum Deo in cœlis æternaliter glorieris, & ponat ſecundum Auguſtinum ante oculos ejus judicium Dei: terreat ejus conſcientiam, & perſuadeat pœnitentiam. Et ſi nolit reſtituere, nec converti, vel conteri non poteſt, ſibi pœnitentia, ſed ſolum conſilium juxta præmiſſa impendi debet. Si vero ad pœnitentiam & contritionem poteſt induci, tunc dicat illi, quod ſtatim vel infra certum tempus quicquid commode emendare poterit, emendet; & de veniam ab eo cui ſatisfieri debet veniam poſtulet humiliter & devote: quam ſi obtinere poteſt, bene eſt: alioquin componat, ſeu ordinet cum ipſo, ut cum ejus voluntate paulatim ſingulis annis & menſibus emendet, quod poterit, donec fuerit plene ſatisfactum, moderata tamen vitæ ſuſtentatione ſibi & familiæ reſervata.

CXXX. *De reſtitutione teſtamenti & de emendatione.*

Quod ſi forte plures ſunt, cum quibus ſatisfacere, vel emendare debet; quorum aliqui dilationem concedere, aut totum remittere voluerint, alii vero non: tunc confeſſor conſulat illi, ut ad judicem fori contentioſi accedat: qui vocatis omnibus ſtabit judicio majoris partis. Hæc autem majoritas in hoc caſu intelligitur, tam reſpectu debiti quam etiam reſpectu minorum perſonarum. Si vero omnia paria ſunt; præferenda quidem erit humanior ſententia, ſcilicet illorum qui in concedenda dilatione conſentiunt, ne quantum ad hoc intereſt inter hypothecarios & chyrographarios ſcriptores, al. creditores. Si autem nullam poteſt miſericordiam invenire, tunc tenetur ſtatim ſolvere vel bonis cedere, quia talis peccator ſemper eſt in mora, præſertim ubi is cui reſtitutio ſeu emenda fieri debet multum pericloſe eget. Jura tamen reis condemnatis etiam quadrimeſtre tempus ad ſolvendum concedunt. Ubi autem non eſt tanta & tam pericloſa creditoris egeſtas, nec ipſi induci poteſt ad dilationem aliquam concedendam, nec etiam debitorum ad ſtatim emendandum vel reſtituendum; ſunt qui dicunt quod tunc ſacerdos, poteſt ſuam conſcientiam informare ex eo quod intendit utiliter agere negotium creditoris. Si enim videt quod creditor non poteſt in promto, vel in cito, aut ita commode ſuum recuperare; poteſt pœnitenti, recepto ab eo juramento, & alia idonea cautione, ſi quam præſtare poteſt, moderatam dilationem ad ſolvendum concedere; & ſub conditione, ſcilicet ſi hoc infra diem ſtatutum adimpleverit, abſolvere: ut ſic debitor debitum ſibi recuperet, & ille in deſperationem non incidat: quamquam rigor juris poſitivi aliud ſuadeat in hoc caſu.

CXXXI. *Contra fures qui faciunt eleemoſynas.*

Nemini licet furari furi vel raptori, uſurario, vel avaro, rem furtivam vel raptam, ut ipſe ex ea eleemoſynam faciat, quia non ſunt facienda mala ut eveniant bona. Aufert enim illi facultatem reſtituendi rem, qui ad eam tenetur. Nec rapinam, ſeu furtum juſtificat, eo quod largas raptor ex invaſa re eleemoſynas facit: imo ſpecies furti eſt velle de alieno largiri, qui rem aliquam ſibi ad certum tempus recepit commodatam, eam alteri committendo, furtum committit: ſed & creditor, qui re ſibi obligata utitur, inſcio debitore, furtum committit. Quo caſu ad æſtimationem uſus, etiam re domino reſtituta, tenetur.

CXXXII. *Si circa illicite acquiſitorum reſtitutionem ambiguitas oritur, tunc erit epiſcoporum conſilium.*

Illud quoque notandum eſt, quod ſi circa illicite acquiſitorum reſtitutionem ambiguitas oritur, aut ſi res vel ſumma quæ reſtitutioni ſubjacet magna eſt: tunc erit noſtrum & epiſcoporum conſilium expectandum. Ad hoc ſtatuimus quod ſacerdos damna data ſeu fore facta ſibi a confitentibus ut aliis reſtituant aſſignata, reſtituere non differat, nec ſibi retinere præſumat.

CXXXIII. *Contra excommunicatos qui tenent beneficia, ſi ſalvari deſiderant.*

Illud quoque prætereundum non eſt, quod qui excommunicatus, vel ab homine ſuſpenſus, vel aliter abſque titulo canonico eccleſiaſticum recepit beneficium; ſi ſalvari deſiderat, omnia inde recepta eccleſiæ reſtituat, & beneficium dimittat, niſi cum eo per ſedem apoſtolicam fuerit diſpenſatum.

CXXXIV. *Contra illos qui faciunt guerras.*

Item, declaramus & denunciamus, quod quicumque dominum temporalem vel alium potentem inducit ad guerram injuſte movendam, vel prædam capiendam; in ſolidum ad reſtitutionem tenetur. Ceterum ſi duo facientes principaliter guerram pacificantur ad invicem, & damna hinc inde data remittant: talis quidem remiſſio non extenditur ad homines, & ſubditos illorum, niſi de expreſſo eorum conſenſu ſit facta remiſſio: imo eſt emenda & reſtitutio facienda. Nam & ab illis non poſſent ipſi diu, guerra non exiſtente, ſine rapina extorquere tantumdem, vel niſi pax forſan aliter fieri non poſſet. Nam tunc utiliter partis utriuſque negotium geritur.

CXXXV. *Contra illos qui judicant injuſte.*

Aſſeſſores quoque & advocati incitantes & inducentes ex certa ſcientia & contra conſcientiam judicem ad injuſte judicandum, in ſolidum ad reſtitutionem tenetur: quia ſi occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur: ſi vero Judex ſimplex eſt, & judicat ſecundum conſcientiam, deceptus tamen conſilio aſſeſſoris bona fide electi, qui communiter juſtus & peritus credebatur; excuſatus eſt, & aſſeſſor tenetur. Tenentur etiam & judex & aſſeſſor reſtitutionem, ſi ſe imperitos ſcientes de judicando vel aſſidendo intromittant: quia culpa eſt ſe immiſcere rei non ad ſe pertinentis, & talem aſſeſſorem ſcienter eligens in culpa eſt. B Rurſus aſſeſſor percipiens certum ſalarium, & ultra illud aliquid extorquens, ad reſtitutionem tenetur. Alii vero inferiores officiati & nuntii, ſive miſſi & ſimiles, & certum percipiunt ſalarium, & ultra illud aliquid extorquent, ad reſtitutionem tenentur: ſi vero certum non percipiant ſalarium, & ultra debitum modum & loci morem aliquem per vim per immoderatam improbitatem, tunc quidem licet ad reſtitutionem non teneantur, debent tamen inde tanquam de improbe acquiſito eleemoſynas facere. Prohibitus advocare, ut religioſus, beneficiatus & in ſacris conſtitutus, ſi in certis caſibus advocare præſumit, licet non cogatur ſalarium ei a quo percipit reſtituere, quia ejus non intereſt, C ex quo ille in aliqua culpa amiſſionis cauſæ non fuit: tenetur tamen juxta ſacerdotis conſilium, illud in pias cauſas elargiri. Si vero per cavillationes & malitias ſuas adverſario advocato juſtam cauſam abſtulit, vel aggravavit contra conſcientiam allegando, ſeu poſitionem duplicem, vel captioſam faciendo, vel falſum teſtem inſtruendo, vel clienculum ſuum ad vera neganda inducendo, vel litem ex induſtria protrahendo & ſimilia; tunc in ſolidum illi ad verum intereſſe tenentur. Quod ſi propter ejus negligentiam vel ignorantiam clienculus ſuus cauſam amiſerit, tenetur illi non ſolum ſalarium extortum; verum etiam damnum litis reſtituere. Nam imperitiæ culpa annullatur verum. D Quamquam liceat ei vendere juſtum patrocinium & juriſperito conſilium: pauperi tamen gratis conſulere debet, ſi abſque labore magno & ſtudio reſpondere poteſt, ut ſicut gratis accepit, ſic & gratis det.

CXXXVI. *Contra teſtem corruptum.*

Teſtis corruptus ad reſtitutionem damni ei faciendum tenetur; quia propter ejus falſum teſtimonium cauſam ſuam amiſit. Si vero recipit præmium propter verum teſtimonium dicendum; tunc quod percepit juxta ſacerdotis conſilium, in pios uſus erogare tenetur.

CXXXVII. *Contra judicem qui recipit pecuniam.*

E Idemque eſt de judice, recepta pecunia, juſtam ſententiam proferente, teſtis tamen & judex delegatus ſumtus moderatos & aſſeſſor competens ſalarium licet recipere poſſunt.

CXXXVIII. *Contra accuſatores.*

Accuſatores & denunciatores criminum hoc calumnioſe agentes ad illati damni reſtitutionem tenentur. Sed qui ex odio non ex caritate denun- A ciant, pœnitentiam inde agere debent. Tales etiam non ſolum ad reſtitutionem damni, ſeu pecuniæ tenentur, verum etiam famæ tenentur: ut ſi forte vel per ſe vel per alios cantilenas dixerint vel libellum famoſum ſcripſerint ſeu legerint, vel famam & honorem illius detraxerint in locis illis in quibus ſciunt illum ex præmiſſis fore infamatum, profiteantur publice ſe mentitos fuiſſe. Ubi autem a diverſis & ſuper diverſis infamatus eſt: tunc arbitio infamati vel ſaltem judicis ſe ſe ſuper purgent, veniam inſuper ab eo ſuper hoc poſtulantes. Deteriores ſi quidem ſunt qui aliorum vitam, mores, famamque corrumpunt; quam hi qui aliorum ſubſtantias prædiaque diripiunt.

B

CXXXIX. *Item de judice.*

Conſtitutiones contra ſalutem animæ editæ ſervandæ non ſunt: immo conditores earum & ſtatutorum iniquorum, quæ ſunt contra ejus naturales quod in evangelio continetur, & in eccleſiarum præjudicium, & contra eccleſiaſticam libertatem, & eorum conſiliarii & ſcriptores & ſecundum ea judicantes & ea obſervantes & extorquentes, ad reſtitutionem damni ex hoc ſecuti in ſolidum obligantur. Idemque eſt, ſi fiat contra jus poſitivum ad pauperes opprimendos & juſtitiam impediendam, & ſuper leges ipſi & ſtatuta ipſo jure non tenentur.

C

CXL. *Item de uſuris.*

Uſurarii inhoneſta & prohibita lucra exercentes, ad eorum reſtitutionem tenentur. Quidquid autem ſorti accidit, uſura eſt: unde ſcriptum eſt, mutuum dantes nihil inde ſperantes. Sed nec ab infideli uſuras recipere licet. Si quis tamen receperit, ſatisfaciat inde auctoritate eccleſiæ illis chriſtianis a quibus forſan ille fidelis uſuras extorſerat, vel quibus eſt alteri obligatus, vel in æde ſacra ad id faciendum deponat, & taliter liberatur. Quod ſi uſurarius multa de fœnore lucratus eſt, de rigore juris etiam talia lucra reſtituere tenetur, ſicut fur, vel raptor, inter quos nume- D ratur: quia tamen qui nimis emungit, ſanguinem elicit; videtur nobis, prout & ſapientibus viſum eſt, in hoc caſu ſufficere debitori, ſi ſortem & ſumptus & moderatum intereſſe dumtaxat, & non talia reciperet lucra, qualia hoc ſuum repetere uſuris. Cautum inde eſt, quod poſt talem reſtitutionem, remiſſionem de talibus lucris ab illo poſtulet debitore.

CXLI.

Ceterum uxor & filii & familiares uſurarii furis & raptoris de talibus licitis concedentes & inducentes, & unde vivant aliunde non habentes, excuſari videntur, ſi inde peccato non E conſentiunt; ſed potius illum ad reſtituendum & corrigendum inducunt, quod verum eſt, ſi ſit ſpecies veriſimilis de illius correctione, & utantur tali moderamine, ut ſuper hoc non ſubtrahatur illi in totum vel in magna parte reſtituendi facultas. Si enim nulla ſit ſpes de ejus correctione, tunc illi, ſi ſunt in illis eis aliqua bona ſeparata, de eis vivant: alioquin ſibi quærant victum a conſanguineis, vel amicis, & potius debent mendicare oſtiatim, quam de talibus vivant. Quia potius debent omnia mala pati, quam tali & tanto malo conſentire. Si autem vir crudelis non per-



mittit uxorem de alio comedere, nihilominus tamen vivat de dote ſua ſeu ſponſalitio, ſi quod habet, hoc denunciet amicis, vel epiſcopo, ut illum compeſcat: quod ſi nulla monitione compeſci poterit, comedat cum cordis dolore, potius quam fame moriatur. Nam talis neceſſitas pœnam furti excuſat, quam citius & commode poterit, reſtituat, & ad cautelam pœnitentiam agat.

CXLII. *De quæſtis collectis.*

Circa quæſtas, collectas, tallias, ſciendum eſt, quod ſi dominus in conceſſionem rei ſuæ retinuit, quod poſſit talliare homines, & collectiones poteſt licite facere, omnino colonus de hoc aliquis ex certa ſcientia retinens, vel ſubtrahens B vel celans, ad reſtitutionem tenetur: dum tamen antiqua & ſolita fiat tallia, & talis quæ etiam ſcitur & probatur, tradi turque ab initio quod ex juſta cauſa fuerit impoſita: verum ſi non fuit dictum quota tallia fiat, ſed in conceſſione rei fuit interminatæ, dictum eſt, quod dominus in tali homine vel caſamento poſſit talliam facere; intelligendum eſt de modica tallia, conſiderata hominis facultate & caſamenti qualitate: ſi vero dominus immoderate extorſit, debet reſtitutio per ſacerdotem induci. Si colonus non exactus tacite & expreſſe domini dolo & fraude aliquid domino offert, dominus gratis recipiens reſtituere non tenetur: ſecus tamen eſt, ſi violenter aut minis vel erroribus extorſit, C quod ſi forte ipſe & ejus prædeceſſores exegerint ab hominibus ſuis, quæ ſi venderet quidquid habet reſtituere non poſſet: tunc conſulat ei ſacerdos, ut remittat hominibus in compenſationem aliquam ſervitutem, vel aliquos cenſus, ad quos ei forte tenentur: vel concedat eis aliquam libertatem, vel conſtruat hoſpitale, vel aliquid aliud pium agat, cum conſenſu paſſorum vel ſucceſſorum illorum, certam facientes eleemoſynam de alieno, ſeu illicite acquiſito.

CXLIII.

Volumus omnes ſcire, quod ſi habens omnia aliena bona, ad reſtitutionem tenetur, D puta quod habuerit ex injuſto bello vel ex furto, vel rapina, vel ſimonia, vel uſura, vel ex naufragio, vel ex injuſto pedagio, vel ex injuſtis talliis, vel vi, vel metu extorſit, in ludo cauſa cupiditatis acquiſivit, vel judex, vel aſſeſſor ſeu officialis indebita aliqua acquiſivit: in iis quidem & ſimilibus caſibus, ſi ſunt notorii, quibus quis ad reſtitutionem non tenetur: puta quia hiſtrionatu vel ſimilibus acquiſivit, ex talibus quidem acquiſitis vel eleemoſyna vel perſonalis decima dari & recipi poſſunt. Nam licet tales turpiter agant, non tamen turpiter recipiunt. Sed & ubi aliquis ad reſtitutionem non tenetur; ſi tamen ex notorio peccato provenit, eccleſia recipere non debet, ne peccatum comprobare videatur. Secus ſi occultum ſit, E licet prælatus hoc ſciat.

CXLIV.

Regulariter autem quicumque ex illicita negotiatione, vel aliter ſine calumnia aliquid acquirit, quod cum juxta præmiſſa reſtituere non teneatur, prudenter agit, ſi illud in pios uſus eroget, de ſui confeſſoris conſilio. Non damnamus tamen eum, ſi ſuis hæredibus talia relinquit. De eo vero quod reſtitutioni ſubjacet, eleemoſyna fieri non debet. Nam ſpecies furti eſt velle, ut prædi- A ximus, de alieno largiri. Non debet quis male inquirere, ut bene diſpenſet. Nam abominabiles ſunt hoſtiæ quæ ex ſcelere offeruntur. Religioſi autem & clerici adminiſtrationem habentes, poſſunt eleemoſynam & oblationem facere: quinimo quidquid eis ſupereſt, tenentur pauperibus erogare: quoniam quidquid habent clerici, pauperum eſt. Niſi forte ſuis ſuperioribus vel eccleſiis illud ex debito reſtituere teneantur, parique ratione hoc licite facere poſſunt in ſtudio vel peregrinatione de ſuorum abbatum & prælatorum licentia exeuntes. Religioſus ſeu clauſtralis cujuſcumque religionis proprio carens, nullam adminiſtrationem vel officium habens, quia nec proprium, nec etiam voluntatem habendi habere de- B bet, eleemoſynam & oblationem facere non poteſt, niſi forte cum abbatis voluntate: de omnibus rebus hoc faciat, vel niſi forte hominem ad mortem eſurientem videat: tunc ei de licentia ſummi abbatis Dei omnia ſunt communia, id eſt communicanda, juxta illud: paſce fame morientem. Si non paveris occidiſti.

CXLV. *De Uxore, quæ poteſt facere eleemoſynam de propriis bonis.*

Uxor quoque de rebus paternalibus, id eſt ſuis propriis, poteſt etiam viro invito eleemoſynas & oblationes facere, ſed & de bonis viri, de illius licentia & permiſſione, hoc indiſtincte C facere poteſt & debet: quin imo de pane, vino, & ſimilibus, qui de laudabili & approbato more quaſi ubique ad uxoris diſpenſationem pertinere ſolent, etiam ſine illius expreſſa licentia, moderate tamen, hoc facere poteſt; informans ſibi conſcientiam, quia vir ejus hoc ratum habere debeat, etiam ſi aliquando hoc leviter ſibi, ad terrorem forte, ne immoderate det, effectum prohibuerit. Informans etiam ſibi conſcientiam ex pauperis qualitate, credens, quod ſi vir illum videret, id ipſum faceret: ſin autem creditur omnino viro diſplicere, nec aliquo modo valet ſuam conſcientiam informare, nullatenus cum alius ſcandalo det.

D

CXLVI. *De dotalibus.*

Quod vero de rebus viri diximus, idem eſt de dotalibus, quorum maritus dominus eſt, intelligi debet filius familias de caſtrenſi, & de quaſi caſtrenſi peculio. Nam quoniam ad illa pater familias cenſetur eleemoſynam & oblationem facere, poteſt de adventitio & profectitio ſine patris licentia vel permiſſione id agere.

CXLVII. *Omnes fideles flexis genibus debent adorare Corpus Chriſti.*

Quando corpus Domini fertur vel refertur ad infirmos, omnes fideles illud devote & reverenter, E flexis genibus eundo & redeundo adorent. Nos autem omnibus pœnitentibus & humiliter confeſſis ipſum Corpus Chriſti aſſequentibus XL. dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

CXLVIII. *Ne moniales pro delictis priventur præbendis.*

Item, ſub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, ne monachi ſeu moniales pro delictis ab eis commiſſis præbendis ſuis priventur: ſed in ſuis monaſteriis recipiantur; in quibus puniantur & cor-

& corrigantur, conſiderata qualitate delicti, ſecundum regulares obſervantias & alias, prout ſecundum Deum juſtitiam ſuperioribus & prælatis eorumdem monaſterii videbitur expedire.

## CXLIX. *Nullus excommunicari debet, niſi pro peccato mortali & pro contumacia.*

Item, cum nullus excommunicari debeat, niſi pro peccato mortali, & contumacia, de qua dubitandum non eſt, quin peccatum mortale exiſtat.

## CL. *Ut presbyteri moneant omnes parrochianos.*

Præcipimus ſub pœna excommunicationis, quod omnes presbyteri moneant in ſuis eccleſiis, B & inducant parochianos ſuos, ut cum ſuper excommunicationibus in eos latis fuerint per eccleſiam militantem abſoluti, nihilominus confiteantur & conterantur & de peccato contumaciæ, vel inobedientiæ, pro quo excommunicati fuerunt. Hoc enim expedit eis ad ſalutem.

## CLI. *Contra religioſos.*

Item, ſub pœna excommunicationis omnibus religioſis mendicantibus utriuſque ſexus, cujuſcumque religionis exiſtant, noſtræ civitatis, diœceſis & provinciæ, firmiter inhibemus, nec extra ſua monaſteria & clauſtra novas manſiones ſibi appropriare, ſeu nova beneficia ad ſuos uſus conſti- C tuere præſumant, ſine noſtra & epiſcoporum locorum licentia ſpeciali; niſi hoc eis a ſede apoſtolica ſpecialiter ſit indultum: ſuper quo nobis & locorum ordinariis fidem facere teneantur.

## CLII. *De decimis eccleſiarum.*

Item cum decimæ de jure communi ad parochiales eccleſias pertineant, omne dubitationis ſcrupulum amoventes, declaramus quod omnium novalium decimæ ad eaſdem eccleſias pertinent pleno jure. Nullus itaque hujuſmodi novalium decimas contra voluntatem presbyterorum parochialium ſibi appropriare præſumat, ſeu recipere, niſi ſuper hoc ſedis apoſtolicæ privilegio ſit muni- D tus. Novale vero volumus omnes ſcire agrum ſeu quodcumque prædium de novo ad culturam redactum: de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuit. Privilegiaque ſuper hujuſmodi novalibus religioſis conceſſa, non de quolibet tali novali intelligenda [illegible], ſed de illo dumtaxat, cujus decimam religioſi [illegible] convenienter abſque gravi detrimento parochialis eccleſiæ retinere: cum talis ſit ſæpe locus incultus, de quo parochialis eccleſia percepit magnos decimarum ratione proventus.

## CLIII. *Contra tabelliones.*

Item, ſub pœna excommunicationis latæ ſen- E tentiæ omnibus auctoritate imperiali notariis & tabellionibus præcipimus, ut quandocumque in cauſis ſpiritualibus & eccleſiaſticis conficere contingeret inſtrumenta, ſuper eiſdem inſtrumentis faciendis prius recipiant prothocolla, quæ penes ſe dimittant in cartis: ut ex hoc per eos in eſſentialibus nihil mutetur. Et quia qui male agit, odit lucem, ſtatuimus ut iidem tabelliones non occulte in privatis domibus, ſed publice & in loco publico hujuſmodi prothocolla & creanta ſuper conficiendis ab eis inſtrumentis recipiant, adhibitis ad minus duobus teſtibus fide dignis, niſi A contractus talis ſit, qui de conſenſu partium contrahentium uſque ad certum tempus vel ad voluntatem eorumdem contrahentium teneri debeat in ſecreto.

## CLIV. *Contra Sacerdotes qui nolunt recommendare ſtatuta.*

Item in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus ſuffraganeis noſtris & eorum vices gerentibus præcipimus, ut hæc ſtatuta ſalubria recipiant infra menſem, & ea in ſuis ſynodis epiſcopalibus, vel alias quamprimum potuerint, congregatis omnibus eccleſiarum ſibi ſubditarum prælatis, rectoribus, vicariis, & perſonis eccleſiaſticis utriuſque ſexus, & publice legere & B nuntiare procurent, ac deinceps annis ſingulis in perpetuum ſuis ſubditis & in ſuis ſynodis eadem ſtatuta provincia recommendare faciant; ea præcipientes ab omnibus obſervari & inſuper omnium eccleſiarum cathedralium, collegiatarum, & monaſteriorum, tam monachorum quam monialium abbates, abbatiſſæ, priores, nec non archipresbyteratuum, decanatuum archipresbyteri vel decani quamprimum commode potuerint, ſub pœna excommunicationis, copiam de hujuſmodi ſtatutis cum moderatis expenſis recipiant, & de eis vicariis eccleſiarum & aliis perſonis eccleſiaſticis præfati archipreſbyteri & decani in ſuis archipresbyteratibus & C decanatibus fiat copia: in tantum quod modis omnibus ſub pœna prædicta omnes perſonæ eccleſiaſticæ eadem ſtatuta penes ſe habeant infra inſtantem nativitatem Domini.

## CLV. *Ut presbyteri bis in anno ſtatuta legant.*

Et quia dilatio temporis oblivionem inducit, præcipimus ſub eadem pœna, ut illi in ſuis decanatibus congregati, omnibus presbyteris ſibi ſubditis annis ſingulis, certa die vel diebus eadem ſtatuta relegant, ut ſuper eis plenius inſtruantur. Presbyteri autem ſaltem bis in anno ſtatuta eadem legant & videant, & in D quantum parochianos ſuos tangunt, & ſuper eis inſtrui poſſunt, ipſa ſtatuta in ſuis eccleſiis ſemel in anno una die, ſi fieri poteſt, vel pluribus in vulgari publicent, & exponant, prout melius poterunt ſecundum ſententiam a Deo ſibi datam: ut nemini in noſtra civitate, diœceſi & provincia lateant ea, quæ in noſtro provinciali concilio ſunt cauſa ſalubritatis inſtituta.

## CLVI. *Ad dandam abſolutionem.*

Poſtremo venerabilibus fratribus noſtris epiſcopis ſuffraganeis noſtræ provinciæ committimus cuilibet in ſua civitate, & diœceſi plenariam poteſtatem abſolvendi ſuos ſubditos ab o- E mnibus prædictis ſententiis per nos latis, ſi quas incurrerint: ita tamen quod prius ſatisfecerint de commiſſis, eiſdem ſtatutis ſemper in ſolo robore duraturis. Item omnibus presbyteris nobis ſubditis civitatis, diœceſis, & provinciæ noſtræ Trevirenſis vere pœnitentibus & confeſſis, qui quolibet menſe vel ſæpius unam miſſam celebraverint de Sancto Spiritu, & aliis perſonis eccleſiaſticis, & ſæcularibus preces Deo devotas & orationes, & præcipue orationem dominicam cum ſalutatione beatæ Virginis, erga Deum pia devotione effuderint, pro ſtatu pacifico imperii & regni, & perſonarum





narum piiſſimi principis chariſſimi domini & fratris noſtri *Henrici*, Dei gratia Romanorum regis ſemper auguſti, & ſereniſſimæ auguſtæ dominæ, *Margaretæ*, feliciſſimæ conjugis ſuæ, quæ ſibi a Deo data eſt, & ut Deus ipſos & nos ab omnibus adverſis protegat & defendat, progreſſuſque eorum & noſtros ad laudem Dei de virtute in virtutem dirigat & proſperari faciat: quoties dictam miſſam celebraverint & prædictas preces effude- A rint, XL. dies de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Et hoc presbyteri in ſuis eccleſiis, quamprimum commode potuerint, non differant omnibus intimare. Inſuper ſcire volumus univerſos, quod nos *Balduinus* prædictus Trevirenſis Archiepiſcopus nobis ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis reſervamus poteſtatem addendi, minuendi, corrigendi, interpretandi, & declarandi quoties viſum fuerit expedire.

# CONCILIA RAVENNENSIA DUO

## IN CAUSA TEMPLARIORUM

### A Rainaldo archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebrata.

I. concilium. Hieronym. Rubeus lib. VI. hiſtoriæ Ravennatis, ad ann. MCCCX.* Per idem tempus, *inquit*, concilium provinciale habitum Ravennæ eſt, in quo de negotio Templariorum actum eſt diligentiſſime: & quæ faciebant ad morum conformationem, & catholicam fidem, decreta.

II. concil. Ceterum quoniam reſtabant adhuc nonnulla, neque fuerant abſoluta omnia, Rainaldus in proximas Kal. Junias, aliud concilium Bononiam indixit: quo omnes convenirent, Templarii præſertim fratres provinciæ Ravennatis, ut audirent ſententiam, quam de ipſis concilium ferret. Mox prudentibus etiam conſulentibus viris, eum concilii diem ad XVII. Kalend. Julias rejecit, locoque item mutato, Ravennæ in Urſiano templo habendum decrevit. Leguntur adhuc Rainaldi C hac de re litteræ, Argentæ x. Kal. Junii ſcriptæ:
,, quarum hæc inſcriptio eſt. Rainaldus permiſſione
,, Divina, & apoſtolicæ ſedis gratia, S. Ravenna-
,, tis eccleſiæ archiepiſcopus, inquiſitor contra ſin-
,, gulares perſonas, & ordinem militiæ Templi Hie-
,, roſolymitani, in Lombardiæ, Tuſciæ, Marchiæ
,, Tarviſinæ, & Hiſtriæ terris, & partibus, a ſede
,, apoſtolica deputatus, venerabilibus in Chriſto
,, patribus, & dominis, Dei gratia epiſcopis ....
,, ſanctæ Ravennatis eccleſiæ ſuffraganeis, electis,
,, abbatibus, prioribus, diaconis, archipresbyte-
,, ris, archidiaconis, capitulis cathedralium, &
,, aliarum eccleſiarum conventualium, & collegia-
,, tarum, Ravennati eccleſiæ ſubditis, ſalutem &
,, ſinceram in Domino caritatem. Monet autem, D
mandatque, ut quos in eorum diœceſi Templarios haberent, diligenti eos adhibita cuſtodia, adducerent. Petrus Cymaclienſis epiſcopus, quod ægrotaret, Armanninum Ghiſlerium Bononienſem, e Dominicana familia fratrem ſuum, eccleſiæque ſuæ procuratorem VII. Idus Junii, fecit, qui concilio intereſſet. Pari ſtudio, poſtridie ejus diei a Papiniano epiſcopo Parmenſi, Anſelmo S. Joannis Parmenſis abbate, Bernardino Avimundo, Bonifacio Arena canonicis Parmenſibus, Jacobo abbate cœnobii Brixilli, Parmenſis diœceſis, & Harmanno præpoſito Parmenſi, procuratores creantur Andreas Pelizonus S. Nicolai Parmenſis rector, epiſcopi vicarius, & Gerardus e Cornazano, præpoſitus S. Domnini, diœceſis E Parmenſis: adjectis litteris, quibus ſe apud patres concilii, quamobrem non veniſſet, accurate excuſabat, & ut excuſationem acciperent, ob ea quæ illius procuratores relaturi eſſent impedimenta, rogabat. Quoniam vero Severus abbas cœnobii D. Mariæ extra portam Faventiæ, ſacratorum virorum Faventinorum immunium procurator, una cum Fr. Matthæo epiſcopo, & Tinioſo præ- B poſito Faventino, intereſſe ob morbum non poterat: pridie Id. Junii Franciſcum ejuſdem cœnobii monachum, ſibi a cubiculo procuratorem ſubſtituit.

In concilio autem ii fuere, Ugo, Placentinus; Ubertus, Feretranus; Fridericus Ariminenſis; Ubertus Bononienſis; Henricus, Regienſis; Matthæus, Cervienſis; Petrus Foropompilienſis, epiſcopi: Ugulinus cucullatus, deſignatus Faventinus; Nicolaus, & Joannes, cucullati Dominicani; Vincentius, Franciſcanus: qui tres, in provincia Ravennate, quæſitores in hæreticos erant: Bonincontrus archipresbyter Mutinenſis, pro ſacratis viris Mutinenſibus; Gerardus Cornazanus, S. Domnini præpoſitus, pro epiſcopo, ſa- C cratiſque viris Parmenſibus; Gentilis, Ferrarienſis epiſcopi vicarius; Prevoſtinus Mutinenſis, epiſcopi Forocorneliani item vicarius; Joannes abbas Gavellianus, pariter epiſcopi Adriani vicarius; Armannus cucullatus Dominicanus, epiſcopi Cymaclienſis procurator; Guercius D. Damiani canonicus, epiſcopi Saſſinatis procurator.

Omnibus igitur, ſuo quiſque loco, in archiepiſcopatus prætorio xv. Kal. Julii conſidentibus, introducti ſunt, Raymundus Fontana, Jacobus, Albertus; Guillelmus ab Pigazano, & Petrus Cazia, Templarii ordinis equites: qui jurati, cum nihil eſſent objectis criminibus, teſtibuſque adverſis debilitati, atque abjecti, ad omnia breviter, conſtanterque, ſeorſum ſinguli reſponde- D runt.

Erant autem hæc fere quæſtionis a pontifice præſcripta capita. Cum in ordinem cooptabantur, in ipſis ſacrorum [illegible] initiis, Chriſtumne, aut Deum, aut Virginem Deiparam, aut Divos abjuraſſent vel ut abjurarent, moniti fuiſſent, alioſve ipſi ab abjurandum incitaſſent. An Chriſtum, vel Jeſum, crucive ſuffixum, verum Deum eſſe, vel paſſum, pro humano redimendo genere negaſſent: an fuiſſe pſeudoprophetam, & pro ſuis ipſis afflictum criminibus affirmaſſent. An ordinis magiſtrum, qui nullis erat ſacris initiatus, crederent, per pœnitentiæ ſacramentum, eluere animæ ſordes, & peccata poſſe: an ipſe id feciſſet. An quæ occulta habebantur in eorum legibus, ea orthodoxæ Romanæ eccleſiæ vituperationi eſſe, criminaque ac errorem fovere putarent. An ipſo ordinis ingreſſu edocerentur, poſſe inter ſe luxurioſe commiſceri, idque eſſe faciendum, neque ullum ob id perpetrari flagitium. An hæc tirones etiam docerent. An ordinis ſui amplitudini ſtudere, vel contra quam fas eſſet, juraſſent: ad idque jurandum alios induxiſſent. An qui cooptabat eos in ordinem, ne ſpem ſalutis ſuæ

ſuæ in Chriſto Deo poſitam haberent, illis edice- A ret, An conſpuiſſent crucem, imaginemve Chriſti Dei, aut pedibus protriviſſent, ac conculcaſſent, & die veneris ſancto, vel alio in eam minxiſſent. An cattum, craniumve, aut ſimulacrum quodpiam, & idolum hujuſmodi fictum & commentitium, Divina veneratione coluiſſent, in magnis comitiis, aliove fratrum loco: divitiaſque ab eo, & terrarum, arborumque uberes fructus ſperaviſſent. An quo cingulo, interulam, carnemve cingebant, eo idolum quodpiam hujuſmodi tetigiſſent. An tirones, adoleſcentulos præſertim, libidinoſe, intemperanterque atque alia, quam deceat, parte, oſculati fuiſſent. An dum rem Divinam facerent, ſacra myſteriorum & conſecrationis verba omiſiſſent. An ſceleſtum & B nefarium facinus ducerent, hæc committere. Quod cum affirmaſſent, ceteris fortiter, perpetuoque negatis, ab concilio dimiſſi ſunt.

Rainaldus concilium tunc conſuluit, de tota re quid fieri placeret. In quo cum multæ ſententiæ dicerentur, tandem interrogati primum, an judicium illud accurate & legitime conſtitutum exiſtimarent, annuerunt: deinde, an dandi eſſent in quæſtionem, reſponderunt non dandos. Nicolaus tamen, & Joannes, Dominicani, in hæreticos quæſitores, dandos eſſe dixerunt. Præterea an ad pontificem maximum deferendum eſſet judicium: negatum ab omnibus eſt, quod prope adeſſe concilium generale dicerent. Poſtremo eſſentne omnino abſolvendi, an jubendum, ut ſe de objectis purgarent: de purgatione affirmatum eſt.

Sed poſtridie cum iterum conveniſſent patres, communi ſententia decretum eſt, innocentes abſolvi, nocentes ex lege puniendos. Intelligi innocentes debere qui metu tormentorum confeſſi fuiſſent, ſi deinde eam confeſſionem revocaſſent; aut revocare, hujuſmodi tormentorum metu, ne inferrentur nova, non fuiſſent auſi: dum tamen id conſtaret. De ordine, ejuſque bonis, conſenſere omnes, ſervanda innocentibus ea fore, ſi innocentes, major pars ordinis eſſent: & nocentes, abjurata hæreſi, meritas ſceleris pœnas, ipſo in ordine dediſſent.

De Terræ ſancto ſubſidio, de quo item in eo conventu eſt actum, reges, principes, reguloſque, a pontifice inducendos ad mare trajiciendum, eamque expeditionem perſequendam conſuluerunt. Atque ita dimiſſum concilium eſt.

## ***CONCILIUM SALMANTICENSE, IN CAUSA TEMPLARIORUM

### A Gonſalvo Toletano archiepiſcopo, & multis aliis præſulibus celebratum anno Domini MCCCX.

MAriana, *hiſtoriæ Hiſpanicæ lib. xv. cap. x.* Pri- C die, *inquit*, Kalend. Auguſti, litteræ a pontifice datæ, quibus inquirendi in Caſtellæ Templarios, Compoſtellæ, & Toletano archiepiſcopis poteſtatem permittit, adjuncto America inquiſitore ex Prædicatorio ordine, (num eo a quo Directorium inquiſitorium editum extat?) aliiſque præſulibus. In Aragonia idem negotium epiſcopis Raymundo Valentino, Semeno Cæſaraugoſtano, datum eſt. Idem in reliquis provinciis toto Chriſtiano orbe factum: eo temperamento, ut inquiſitione habita, de ſumma rerum in conciliis tantum provincialibus cognoſceretur. *Et paulo poſt*: In Aragonia, correptis armis, arcium ſe munitione tueri conſtituunt. *Mox*: Victi Templarii, ferroque vincti. In Caſtella Rodericus D Ivanius ordinis promagiſter, ſociique omnes, a Gonſalvo Toletano præſule ad dicendam cauſam vocati: vincula injecta abs rege omnibus.

Salmanticæ in Vectonibus patrum concilium habitum eſt. Rodericus Compoſtellanus, Joannes Uliſiponenſis, Vaſcus Idigitanus, Gonſalvus Zamorenſis, Petrus Abulenſis, Alfonſus Civitatenſis, Dominicus Placentinus, Rodericus Mindonienſis, Alfonſus Aſturicenſis, Joannes Tudenſis, Joannes Lucenſis affuerunt: de vinctis atque ſupplicibus quæſtione habita, cauſaque cognita, pro eorum innocentia pronunciatum communi patrum ſuffragio: ad pontificem tamen Romanum rejecta totius rei ſumma deliberatio: ea contra patrum decretum valuit: deletoque ordine, bona abs rege occupata, atque oppida omnia ſunt. In Calæcis Ponsferratus, Farumque: in Legionenſi tractu Balduerna, Tavara, Almanſa, Alcanitium: Tagum inter & Anam ad Portugalliæ fines, Valentia, Alconeta, Sericium, Nertobriga, Capella, Carcuvium: in Bœtica, Palma; in Vaccæis, Villalpandum; in Conteſtanis, Caravacca; in Carpetania, Montalbanum, aliaque oppida, prædia, domus tota ditione Caſtellæ regum, quæ numerare ſingula longum eſſet.

## ***CONCILIUM PARISIENSE,

### De cauſa Templariorum, anno Dom. MCCCX. a Senonenſis provinciæ præſulibus celebratum.

GUillelmus Nangius in chronico MS. Anno, E *inquit*, MCCCX. concilium Senonenſis provinciæ, propter factum Templariorum, Philippo tunc archiepiſcopo preſidente, Pariſius celebratur. Illic ſane Templariorum ſingulis factis & ea tangentibus, diligenter inſpectis, penſatiſque eorum demeritis, judicatum eſt atque definitum, quoſdam ex ipſis ab ordine ſimpliciter abſolvi; quoſdam vero, poſt peractam eis injunctam pœnitentiam, liberos & illeſos abire permitti; alios autem ſub arcta carceris cuſtodia detineri; alioſque quamplures inciſione muri perpetuo circumcingi: ſed eorum nonnullos, tanquam relapſos in hereſim, tradi curie ſeculari, eis primitus ab epiſcopo degradatis, quod & factum eſt.

CON-



## CONCILIUM MOGUNTINUM,

### Quo ſub præſidio Petri Moguntini archiepiſcopi juſſu pontificis tractata eſt cauſa Templariorum, anno Domini MCCCX. tempore Clementis papæ V.

Q*Ua occaſione, quaque de cauſa, hac ſynodus* A *Moguntiæ congregata, & quid in ea geſtum fuerit, ex manuſcripto quodam codice Nicolaus Serarius lib. 5. in hiſtoria Petri archiepiſcopi, refert his verbis*: Anno 1310. ante Viennenſe Concilium (*in quo Clementinas edidit Clemens quintus*) Concilium habuit ſecunda, tertia & quarta feriis poſt Dominicam *Jubilate* idem dominus Petrus provinciale: in quo ſtatutorum provincialium ex antiquioribus ſynodis compendium collegit, cujus vix paucula ſuperſunt: & Romani pontificis juſſu tractata eſt Templariorum cauſa.

Comparuit autem in ſynodo, quemadmodum refert manuſcriptus liber, Hugo comes Silveſtris & Rheni, qui morabatur in Grumbach prope B Meyſenheim cum viginti fratribus, ſub habitu ordinis prope armatis. Hi omnes, non quidem vocati, ſed ultro & ſubito in conſeſſum patrum irrumpunt, omnibus attonitis. Archiepiſcopus viros conſiderans, ac violentiam timens, placide jubet, commendator ut ſedeat, & ſi quid habeat in medium afferendum, ut depromat. Qui clara & libera voce exorſus: ſe ſuoſque confratres, inquit, intellexiſſe, hanc ſynodum ſui ordinis delendi gratia potiſſimum congregatam, ex commiſſione Romani pontificis. Enormia enim quædam ſcelera, & pluſquam ethnica flagitia, illis objici, quæ in privato deſignarent, quod ipſis ſane eſſet graviſſimum & intolerabile: maxime quod C non ordinarie auditi nec convicti condemnarentur. Quare coram iſta patrum congregatione ſe appellare & provocare ad futurum pontificem, ejuſque univerſum clerum: publice quoque proteſtari, eos qui propter talia flagitia alibi igni traditi eſſent & combuſti, conſtanter pernegaſſe, ſed quidquam eorum deſignaſſe, atque in ea confeſſione tormenta & mortem perpeſſos. Immo Dei optimi maximi ſingulari judicio & miraculo eorum innocentiam comprobatam, quod albæ chlamydes, ac rubricatæ cruces, igni non potuerunt abſumi. Archiepiſcopus his auditis, ne tumultus ſuborirctur, proteſtationem eorum admiſit, ſeque cum Romano pontifice acturum reſpondit, ut quie- D ti eſſe poſſint: atque ita ad propria ſunt dimiſſi. Poſtea vero Petrus aliam commiſſionem obtinuit, juxta quam procedens, prædictos cenſuit abſolvendos, actum anno 1311. Kalendis Julii, ut Nauclerus ex quodam Jacobo Moguntino tradit. Habuiſſe autem archiepiſcopum Moguntiæ concilium provinciale 1313. refertur in manuſcripto: ſed quia idem prioris mentionem non fecit, videtur unum & idem. *Hæc Serarius.*

☞ *Acta hujus Concilii ex Lunigii Spicilegio Eccleſiaſtico Contin. II. p. 38. hæc ſunt.*

IN nomine Domini amen. Petrus Dei gratia E ſanctæ Moguntinen. ſedis archiepiſcopus ſacri imperii per Germaniam archicancellarius univerſis prælatis capitulis conventibus cleric. & clericis ac Chriſti fidelibus, ſive religioſis, ſive ſæcularibus per Mognntinen. civitatem dioceſ. ac provinciam conſtitutis, ſalutem in Domino & præſentium repetitæ lectionis notitiam & obſervantiam inconvulſam.

### *Procemium.*

Ad honorem Dei omnipotentis, glorioſiſſimæ virginis Mariæ matris ejus, beatorum Petri & Pauli apoſtolorum, beati Martini patroni noſtri ac ſanctorum omnium, pro communi eccleſiarum, ac cleri civitatis dioceſ. ac provinciæ Moguntinen. bono ſtatu, diverſas conſtitutiones a venerabilibus patribus feliciſſimæ recordationis prædeceſſoribus noſtris, quorum veſtigiis inhæremus editas, in diverſis chartulis ſeu libellis diſperſas, ita ut de quibuſdam earum an eſſent conſtitutiones provinciales aut conſtitutionum hujuſmodi omnium vim haberent, poterat veriſimiliter dubitari, in unam compilationem ſeu libellum ad tollendum hoc dubium, ex officii noſtri debito ſuperfluis reſecatis duximus redigendas, ſub certis & conſuetis titulis ordinando, quaſdam ex his obſcuras declarando, quaſdam etiam per novellas additiones noſtras innovando. Cauſa etiam brevitatis & utilitatis paucula de communi jure pro floſculis, fructu tamen non vacuis admiſcendo pro loci & præſentis temporis qualitate. Volentes igitur, ut univerſi qui nobis ſive dioceſana lege, ſive metropolitana auctoritate ſubeſſe cenſentur; hoc tantum libello pro conſtitutionibus provincialibus in futurum utantur diſtrictius inhibemus, ne quis in antea pro conſtitutionibus hujuſmodi præſumat in judicio vel extra aliis uti chartulis ſeu quaternis quos fide carere decernimus in hac parte hoc ſacro concilio cui una cum fratribus & prælatis noſtris aliis præſidemus auctore Domino approbante.

### *De ſumma Trinitate & fide catholica.*

Quæ propter ſui exquiſitam & probatiſſimam perfectionem ac clariſſimam & lucidiſſimam veritatem, adjectione vel declaratione ulla non indigent. Ad quas inprimis tanquam ad principium medium & finem ſalutis omnium corda noſtra manus & oculos elevamus devoti. Nihil aliud eſt credendum, tenendum vel docendum, niſi quod Romana credit, tenet & docet eccleſia, piiſſima, ſanctiſſima, & prudentiſſima mater noſtra. Ita tamen ut omnes prælati articulos fidei principales fideliter ſuos doceant ſubditos laicos ſimpliciter credere in eccleſia, clericos vero explicite & diſtincte.

### *De conſtitutionibus ex concilio domini Petri contra hæreticos ne quis præſumat prædicare quod ſacerdos in peccato mortali non poſſit conficere, vel ſolvere, vel ligare.*

In primis igitur ſtatuimus, ut ſi aliquis clericor. vel laicus utriuſque ſexus cujuſcumque dignitatis, religionis vel ſtatus exiſtat, auſus ſit præſumptione damnabili publice prædicare, vel occulte docere, credere, vel tenere quod ſacerdos in mortali peccato exiſtens non poſſit conficere corpus Chriſti, ſeu ſic ligatus non poſſit ſic ligare vel ſolvere ſuos ſubditos a peccatis pro hæretico & incredulo habeatur, quem errorem hujuſmodi ſacri concilii approbatione condemnamus, anathematizamus & penitus reprobamus. Cum ſacræ ſcripturæ dicat auctoritas, quod ſive bonus ſive malus ſit miniſter

per

per utrumque Deus effectum gratiæ confert, non enim quæ ſancta ſunt coinquinari poſſunt, nec ipſa ſacramenta poſſunt hominum malitia profanari. Unus ſacerdos quantumcumque pollutus exiſtat divina non poteſt polluere ſacramenta, quę purgatoria cunctarum contagionum exiſtunt. Licite ergo a quocumque ſacerdote ab eccleſia tolerato divina miſteria audiantur & alia recipiantur eccleſiaſtica ſacramenta.

*De conſtitutionibus ex concilio domini Petri archiepiſcopi Moguntinen.*

Canonum ſtatuta primum & demum conſtitutiones provinciales tam a noſtris prædeceſſoribus quam a nobis editas ab omnibus ſciri ac inviolabiliter obſervari mandamus ſub obtentu juris & honoris. Poſt præſentem enim publicationem ignorans ignorabitur, & negligens negligetur.

*De reſcriptis domini Petri archiepiſcopi Moguntinen.*

Statuimus ut præſens libellus conſtitutionum provincialium in ſingulis eccleſiis cathedralibus ſub ſigillo noſtro, ac deinde in aliis eccleſiis conventualibus infra tres menſes a publicatione præſentium computandos ſub ſigill. ordinariorum ſine excuſatione qualibet habeatur conſcriptus, & in choro jaceat ſic ut poſſit patere cuilibet legere ſeu videre volenti. Ut autem communis utilitas prædictarum conſtitutionum in notitiam luculentam cunctorum deveniat, Venerabilibus fratribus & coepiſcopis noſtris injungimus & mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, quatinus ipſas mox ſcribi faciant & procurent, ac anno quolibet in ſingulis eorum ſynodis coram toto clero ibi ſi commode fieri poterit. Alioquin alibi legi faciant & injungant ſubditis ſuis ut quilibet eas ſibi procuret, & tenorem earum memorię recommendet & maxime archidiaconis ut & ſuis ſubditis ſcilicet decanis ruralibus, camerariis, & plebanis hoc injungant. Nos inſuper de omnipotentis Dei miſericordia, beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate, nec non beati Martini patroni noſtri meritis confiſi. Quibus vere pœnitentibus & confeſſis qui eas ſibi procuraverint legerint audierint quotieſcumque fecerint quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.

*De conſuetudine & concilio Domini Petri archiepiſcopi Moguntinen.*

Cum ſecundum ſanctiones pręſes provinciæ delegatos principis ad ipſius præſidis provinciam declinantes non debeat ex officii debito ſinere amplius facere quam eorum legatio ſe extendit, Sacro approbante concilio ſtatuimus. Ut nullus plebanus ſeu quicumque alter clericus vel prælatus citationem vel proceſſum alium a judice delegato ſedis apoſtolicę vel ſubdelegato ſibi directos de citando quemcumque vel trahendo ultra unam dietam vulgarem notorie computandam a fine dioceſ. ipſorum judicum, de quorum auctoritate ante omnia conſtare debet, aliquatenus exequatur. Super forma vero reſcripti ſi aliquis dubitaverit ad officiales recurrat. Si quis autem contrarium attentare præſumpſerit cum hoc quod ipſo jure irritus eſt proceſſus per menſem ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendatur.

*De conſuetudine ex concilio domini Petri.*

Mortuo mandatore mandatum expirat ſi eo vivente non fuerit perpetuatum, fines mandati exacta diligentia ſunt ſervandi.

*Ex concilio fritzlar. domini Sifridi.*

Eccleſia Moguntina ex antiqua rationabili conſuetudine dinoſcitur obtinuiſſe, quod cauſas ad eam per appellationem delatas ſubditis ſuffraganeorum ſuorum committere valeat & compellere juriſdictionem hujuſmodi ſuſcipere detractantes, quæ ex his cauſis noſcitur introducta. Primo ut vitetur circuitus cum pro dioceſ. metropolitanus eos ad id poſſit compellere. Secundo ut propter locorum diſtantiam parcatur partium laboribus & expenſis, quia ſi non reciperentur delegationes hujuſmodi, cogerentur partes cum diſpendio apud ſedem metropolitanam litigare, hujuſmodi ſacri approbatione concilii ſtatuimus antiquam conſuetudinem declarantes ut ſedes Moguntinen. cauſas hujuſmodi ſubditis ſuffraganeorum ſuorum valeat delegare & animadvertere in rebelles.

*Ex concilio Mogun. domini Petri Arch.*

Huic ſtatuto adjicimus & obſervatum de conſuetudine declaramus ex cauſis præmiſſis idem in citationibus & aliis proceſſibus cauſarum hujuſmodi apud ſedem ipſam inantea ventilandis ac omnino decrevimus ac præcipimus obſervandum.

*Ut mala conſuetudines in eccleſia deleantur ex eodem concilio domini Petri Arch.*

Conſuetudine, quæ gravamen eccleſiis inducere dinoſcuntur, invalidas publicamus locorum ordinariis ut in omnem eventum eis reſiſtant firmiter injungentes.

*De ſcrutinio ex concilio domini Petri archiepiſcopi Moguntinen.*

Statuimus ad terrorem malefactorum, ut univerſi epiſcopi provincię Moguntinen. ac eorum vicarii quando volunt & debent ſuis temporibus ordines celebrare, committant expreſſe examinatoribus clericorum ordinandorum ſub anathematis interminatione, ut inter cetera perquirenda fideli diligentia, perquirant ſub obtentu honoris percipiendi a ſingulis ordinandis, ut ſi patres, avi, aut progenitores eorum uſque ad quartam lineam aſcendentes captivaverint, captivum detinuerint, occiderint, aut mutilaverint temere clericum aliquem in ſacris ordinibus conſtitutum, & pro clerico ſe gerentem. Eum autem quem in aliquo pręmiſſorum effectuum per aliquem progenitorum ſuorum uſque ad lineam memoratam invenerint. Si factum hujuſmodi ſit notorium non admittant. Pręlati quoque vel eorum vices gerentes quorum intereſt inveſtire, inſtituereque pręſentatos ante inveſtituram ſive inſtitutionem cum ſumma diligentia de his querant, & quos tales invenerint nullo modo inveſtiant vel inſtituant ad aliquod beneficium vel officium eccleſiaſticum juxta formam ſtatutorum a prædeceſſoribus noſtris deſuper editorum. Examinatores inſuper & pręlati ac eorum vices gerentes, qui ſecus in præmiſſis agere pręſumpſerint in futurum ſuſpenſion. ſententia percellantur, alias per locorum ordinarios graviter puniendi.

De



*De renunciatione vel permutatione beneficiorum domini Petri.*

Nullus eccleſiam vel beneficium eccleſiaſticum dimittere vel recipere præſumat ſine ſuperioris ſui auctoritate, quod ſub pœna excommunicationis omnibus firmiter inhibemus.

*De temporibus & qualitate ordinandorum ex concilio domini Gerhardi.*

Statuimus etiam quod nullus ad examinationem aliquatenus admittatur niſi recenter confeſſus fuerit ante omnia delicta ſua idoneo ſacerdoti & quia pauci ſunt, quia ſua delicta vel ſequelas intelligant delictorum, per diſcretum confeſſorem ſtudeat inſtrui ordinandus an ſi expediat ordinari vel ob irregularitatis alicujus ſequelam ei ſit potius abſtinendum. Item nullus promovendus ad ordines admittatur ad titulum vicariæ, niſi ſit perpetua vicaria, a qua non poſſit ad paſtoris ſive ordinantis placitum amoveri.

*De ætate ex concilio domini Petri ut nullus ad eccleſiam curatam inveſtiatur infra viceſimum quintum annum.*

Jus commune pene adjectione juvamus diſtrictiſſime inhibentes ne aliquis prælatus, vel ejus vicarius aut ejus vices gerens cujus intereſt inveſtire aliquem minorem annis qui videlicet non attingat viceſimum quintum annum ad parochii eccleſiam inveſtire præſumat. Alioquin factum ipſum irritum & prælatum ſeu ejus vicarium hujuſmodi inhibitionis temerarium tranſgreſſorem ex facto hujuſmodi ab ejus officio decrevimus ſuſpendendum per unum annum proximo ſubſequentem alias etiam ad arbitrium ſui ordinarii puniendum.

*De filiis presbyterorum ex concilio domini Petri: Ne illegitime natus ad ordines vel beneficium promoveatur.*

Nullus illegitime natus ad aliquem ſacrum ordinem vel beneficium aut officium curam habens animarum ſine diſpenſatione ſedis apoſtolicæ admittatur in aliqua eccleſia ſæculari. Et tales qui hactenus ſunt admiſſi, ſi de his conſtiterit, per eorum ordinarios repellantur. Alioquin ſcienter contrarium facientes per unum menſem ab ingreſſu eccleſiæ noverint ſe ſuſpenſos.

*De clericis peregrinis ex concilio domini Sifridi.*

Peregrini & ignoti clerici nullo modo recipiantur ad ordines vel officium niſi literis ſuorum epiſcoporum commendatitiis & dimiſſoriis ſint muniti.

*De officio archidiaconatus ne fiat inhibitio ab aliquibus ut non appelletur ad ſuperiores.*

Inhibemus epiſcopis, archidiaconis, & prælatis, ac eorum officialibus univerſis ſub pœna ſuſpenſionis, quam in omnes facientes contrarium promulgamus, ne in ſubditos ſuos, aut eos qui litigant, aut litigaverunt coram eis, aliquam faciant inhibitionem, ſeu impedimentum aliquod, ſub quocumque colore vel modo, publice vel occulte, quo minus cauſas ſuas appellationem, ſeu quaſcumque alias ad examen ſuperiorum poſſint deferre.

*De eodem officio archidiac.*

Felicis recordationis domini Wernheri prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhęrentes quædam ex ſtatutis ipſius pro communi bono in hoc ſacro concilio duximus innovanda cum moderatione infraſcripta de fratrum noſtrorum concilio ſtatuentes, ut archidiaconi & officiales eorum civitat. dioceſ. & provinciæ Moguntinen. ſuper cauſis decidendis per ipſos certis finibus quos præfatus dominus Wernherus archidiaconus eccleſiarum Moguntinen. & eorum officialibus poſuiſſe dinoſcitur S. ut de cauſa ſuper matrimoniis eccleſiis inveſtituris & uſuris uſque ad ſummam xx. ſolidorum Moguntinen. cognoſcentes dumtaxat ſint contenti. Cauſis aliis dioceſanorum examin. & eorum officiis reſervatis: quod ſi in contrarium facere præſumpſerint judicata per eos alias quam in dictis caſibus ſint irrita ipſo jure. Et nihilominus per ordinarios a ſuis officiis ſuſpendantur.

*De officio vicarii ex concilio domini Sifridi, Ut fiat competens præbenda vicariis.*

Et quia eccleſiarum rectores abſque vicariis nequeunt ſuſtentari, generali concilio inhærentes, ſtatuimus, ut ipſis vicariis ſufficiens & honeſta portio de proventibus eccleſiæ aſſignetur. Alioquin ipſos rectores ſuis eccleſiis decernimus ſpoliandos.

*Ex Concilio Aſchaffenburgen. domini Gerhardi, Ne amoveatur vicarius ſine cauſa legitima.*

Præterea quorundam paſtorum malitiis qui ſingulis annis vicarios a ſuis eccleſiis in quibus per conſenſum dioceſani vel archidiaconi inſtituti noſcuntur ob quendam turpem queſtum amovere ſatagunt obviare volentes, prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis duximus annectendum, ut vicarius taliter inſtitutus ab eadem vicaria ad inſtantiam veri paſtoris non aliqua ratione niſi paſtor actu ſacerdos exiſtens ſuam velit eccleſiam regere per ſeipſum, vel aliquam cauſam rationabilem amotionis contra ſuum vicarium coram dioceſano, vel loci archidiacono aſſignare velit & valeat, ac probare.

*Ex concilio fritzlar. domini Sifridi, Ne conducti ſacerdotes ponantur ad beneficia, ſed vicarii perpetui auctoritate ſuperioris.*

Quia enormis quędam conſuetudo in quibuſdam Alemaniæ partibus contra canonicas ſanctiones invaluit, ut ponantur in eccleſiis ſacerdotes conducti, vel vicarii temporales, ne id de cetero fiat auctoritate legationis, qua fungimur, modis omnibus inhibemus. Sed cum vicarius poni debet & poteſt perpetuus inſtituatur de aſſenſu & auctoritate dioceſani & archidiaconi loci. Nec epiſcopus vel archidiaconus talem inſtituat, niſi ei tantum de bonis eccleſiæ coram eorum fuerit aſſignatum, unde jura epiſcopi & archidiaconi poſſit perſolvere, & congruam, ac ſufficientem ſuſtentationem habere.

*Ex concilio domini Gerhardi de officio delegatorum.*

Ad hæc plerumque contingit, quod judices delegati, vel ſubdelegati ad quos ſimplices commiſſiones ſub forma communi impetrantur, ſeu diriguntur ultra quam patiantur fines reſcriptis proceden-

cedentes terras, civitates, oppida, & villas eccleſiaſtico ſubjiciunt interdicto. Invocantes etiam ſuper hoc brachium ſeculare. Nos igitur volentes hujuſmodi iniquis proceſſibus obviare, præſenti ſcripto declaramus de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, quod ſacerdotes noſtræ civitatis, diœceſis, ac provinciæ, ad obſervationem ſeu publicationem ſententiarum hujuſmodi interdicti minime teneantur, nec invocationi brachii ſæcularis, quam ſic faciunt aliquatenus eſt parendum. Super interdicto ponendo recurratur ad decretalem extravagantem, quæ incipit: Proinde attendentes.

*De officio ordinar. ex concilio domini Sifridi; De reverentia Euchariſtiæ, quando levatur, vel portatur.*

Sacerdos vero quilibet plebem ſuam doceat diligenter, ut cum in celebratione miſſarum elevatur hoſtia ſalutaris, quilibet devote flectat genua ſua vel ſaltem reverenter ſe inclinet. Idem faciat cum presbyter eam portat ad infirmum quam in decenti habitu ſuperpoſito mundo velamine ferat manifeſte ac honorifice ante pectus ſuum cum omni reverentia & in timore ſemper nola parvula & lumine, niſi locorum repugnet diſtantia, vel temporis qualitas, præcedente, ut ex hoc apud homines fides & devotio augeatur.

*De epiſcopis quomodo in ſummis feſtis miſſam celebrare debeant, Ex eodem concilio, & prædicare debeant.*

Antiquum ſtatutum Moguntinen. concilii renovantes præcipimus, ut epiſcopi ſummis feſtivitatibus populo verbum Dei proponant, vel ſe præſentibus per alios ad hoc idoneos proponi faciant, & indulgentiam populo faciant, miſſamque in eiſdem feſtivitatibus in eccleſiis cathedralibus celebrent, niſi magna neceſſitate fuerint impediti.

*De carceribus epiſcoporum, Ex concilio fritzlar. domini Sifridi.*

Ad hoc ſtatuimus, ut ſinguli epiſcoporum ſuos carceres habeant juxta eccleſiam cathedralem, in quibus falſarii clerici, vel monachi incorrigibiles & apoſtatæ, vel alii qui hoc meruerint recludantur. Ad quod efficacius exequendum aliæ eccleſiæ ſi opus fuerit ſubſidium conferant, & juvamen.

*De majoritate & obedientia ex concilio ejuſdem domini Sifridi, ne cappellani officient ſine licentia ſuperioris.*

Sacro etiam approbante concilio ſtatuimus, ut nulli clerici nobilium cappellani in capellis caſtrorum dominorum ſuorum celebrare præſumant, vel alia ſacramenta eccleſiaſtica conferre, niſi antea epiſcopo, vel loci archidiacono obedientiam faciant manualem, & ad ſynodos veniant, & capitula certis temporibus, & ſtatutis recepturi mandata eccleſiaſtica, & prolaturi ſuis dominis, & eorum caſtren. ſecundum quod fuerit opportunum. Cum plebani in quorum terminis caſtra conſiſtant hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem dominorum. Qui autem ante obedientiam præſtitam cappellas tales officiare præſumpſerint a prælatis ſuſpenſi, & excommunicati per vicinarum eccleſiarum plebanos tanto tempore denuncientur, quouſque ſatisfaciant & obediant, ut eſt dictum. Statuentes etiam ſub excommunicationis pœna jam latæ ſententiæ, diſtricte mandantes, ut ſi quando præda, vel ſpolium ſpiritualium perſonarum, ſeu etiam eccleſiaſticam perſonam captivam ad aliquam civitatem, villam, vel oppidum, ſive caſtrum adduci contigerit, ſacerdotes capellani civitatum, villarum, vel caſtrorum poſtquam hoc ſcivorint, non expectato ſuper eo ſuperioris mandato, abſtineant a divinis.

*Ex concilio Aſchaffenburgen. domini Gerhardi, De obedientia canonicorum, & aliorum ad ſuperiores.*

Prætorea in quibuſdam eccleſiis conventualibus talis conſuetudo invaluit ex antiquo, quod prælatis eorundem eccleſiarum in aſſurgendo, & in aliis prærogativis a canonicis exhiberi conſuevit reverentia ſpecialis, ut per hujuſmodi inſignia ipſi prælati, qui columnæ eccleſiarum cenſentur ab aliis ſimplicibus canonicis poſſint diſcerni. Sed quidam canonici immemores juramenti in eorum receptionibus præſtiti de eccleſiarum conſuetudinibus obſervandis, nec advertentes, quod ſic legum ſic antiquarum conſuetudinum tranſgreſſores juxta utriuſque juris præcepta non immerito ſunt plectendi qui contra hujuſmodi conſuetudines rationabiles juri conſonas, & præſcriptas, ex quadam arrogantia vel ſimultate motu proprio venire præſumunt. Propter quod non eſt dubium inobedientiæ notam debitam prælatis reverentiam ſubtrahendo, & perjurii reatum contra ſuarum eccleſiarum conſuetudinem veniendo prædictos incurrere præſumptores. Conſiderantes igitur, quod eccleſiaſticus ordo confunditur, cum unicuique honor debitus non ſervatur, & antiquas honeſtates, & approbatas conſuetudines, & omnia eccleſiarum jura illibata ſervare volentes prædeceſſorum noſtrorum concilio annectendum duximus ſtatuendum. Ut quicumque canonicorum reverentiam prælato ſuo debitam juxta conſuetudinem in ſua eccleſia approbatam proprio motu ſubtraxit trina vice, & de hoc per duorum de capitulo juramentum ipſi capitulo facta fuerit fides a conſortio ſui capituli, & perceptione proventuum ſuæ præbendæ, tanquam inobediens, & perjurus ad arbitrium ſui epiſcopi ipſo facto auctoritate hujus concilii ſit excluſus per ipſum epiſcopum ſi ejuſdem præſumptoris meruit pertinacia gravius puniendus. Si qui vero prælati, vel canonici præſumptores hujuſmodi diſpenſatione a ſuo epiſcopo non obtenta ad capitulares tractatus, vel ad perceptionem ſuarum admiſerint præbendarum, excommunicationis ſententia hujuſmodi ſacri concilii approbatione decernimus percellendos, quod ſi præſumptores præfati tractatibus capitularibus ſe ingerere, aut præbendarum ſuarum proventus ante diſpenſationem ſuper prædicta inobedientia, & perjurii nota ſuo diœceſano ipſis impenſam temeritate propria ipſis contingere præſumpſerint ullo modo, ex tunc in illa eccleſia cui talis contumelia fuerit irrogata octo dierum per ejuſdem eccleſiæ capitulum monitione præmiſſa ab officiis divinorum infra duos menſes uſque ad prædictorum exceſſuum ſatisfactionem condignam juxta diœceſani, & læſæ eccleſiæ capituli arbitrium imponendam. Si autem iidem præſumptores poſt ceſſationem divinorum infra duos menſes non ſatisfecerint plene de commiſſis, vel ſaltem non inceperint emendare, per ſuos diœceſanos beneficiis eccleſiaſticis ſpolientur.



*Ex concilio Moguntin. domini Petri, Ut fiat oratio a clericis pro rege & regina.*

Inſuper univerſis ſacerdotibus, & cunctis, qui chriſtiana religione cenſentur, tam religioſis quam ſæcularibus, conſtitutis per civitatem diœceſim & provinciam Moguntinam injungimus & mandamus, ut pro glorioſiſſimo rege noſtro domino N. Sereniſſimo Romanorum rege ſemper auguſto, & pro Sereniſſima domina N. regina Romanorum ſemper auguſta ejus uxore domina noſtra, nec non eorum liberis in miſſis & orationibus ſuis devotiſſime deprecentur, ut eos ſemper Deus dirigat & conſervet in bono Amen.

*De poſtulando ex concilio fritzlar. domini Sifridi.*

Item cum ſacerdotis ſit nulli nocere, omnibus velle prodeſſe, diſtricte præcipimus, ne presbyteri niſi pro ſe ipſis eccleſia ſua vel dum neceſſitas imminet pro perſonis conjunctis vel miſerabilibus vel dominis ſuis & tunc gratis & ſine quæſtu quolibet poſtulare præſumant, alias a patrocinio repellantur; quod multo fortius de eccleſiarum prælatis volumus obſervari.

*Statutum domini Wernheri de monachis, Ne advocationis exerceant officium.*

Præterea cum ſervum Dei non oporteat litigare omnibus religioſis præcipue monachis, qui non docentis ſed plangentis habent advocationis officium ſub quocunque prætextu, niſi de licentia prælatorum ſuorum literis declarata & in cauſis monaſterii ſui tantum inhibemus ſub interminatione divinæ maledictionis, & ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, quam ex nunc ferimus, exercere. Statuentes ut prælati, qui tale genus potius ranarum coaxantium quam monachorum regulari diſciplinæ vacantium neglexerint diſtrictione qua convenit coercere, ſuſpenſionem ab amminiſtratione ſpiritualium & temporalium incident ipſo facto.

*Ex concilio domini Wernheri.*

Ceterum cum dicat apoſtolus: Nemo militans Deo implicet ſe ſæcularibus negotiis. Et juxta decretum Eugenii papæ Nullus monachorum pro lucro terreno de monaſterio exire nefandiſſimo auſu præſumere debeat, ſacrorum canonum ſtatuta imitantes diſtrictius inhibemus, ne quis monachus in quocunque judicio eccleſiaſtico vel civili præſumat aliquatenus advocare, niſi forte de licentia &c. ut ſupra.

*De his quæ metus cauſa fiunt, Ex concilio fritzlar. domini Sifridi.*

Quia clerici & religioſi nonnulli non attendentes, quantum ſit obedientiæ bonum; quod victimis anteſertur & quod peccatum eſt ariolandi nolle adquieſcere & cœlus idololatriæ obedire non velle amiſſionem rerum ſuarum & corporis vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum exequi prælatorum, qui cum proſperitatis tempore multa bona receperint laute vixerint de patrimonio crucifixi, imminente eccleſiæ neceſſitatis articulo, pro honore illius adverſitates ſuſtinere detractant, qui cum foret ſumme dives ad obediendum Deo patri pro noſtra ſalute onus ſubiit voluntariæ paupertatis, ex quo propter contemptum clavium eccleſiæ nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ diſſolvitur & animas miſerabiliter periclitari contingit. Sacri hujus concilii neceſſaria deliberatione ſtatuimus, ut nulla rerum perditio, aut metus corporis legitime niſi probatus ſubditos inobedientes mandatum prælati exequi non curantes valeat excuſare, adeo quod ſi metus corporis non ſimplici proprio juramento, ſed legitimis coram eo, a quo mandatum ſubditus recepit, oſtenſus fuerit documentis, nihilominus loco cedat, ne notam tranſgreſſionis incurrere videatur. In his autem quæ in non faciendo conſiſtunt, utputa cum mandatur non communicare excommunicatis, non celebrare coram interdictis ac aliis hujuſmodi, nullus omnino nec rerum nec corporum quantumcunque probatus fuerit metus excuſet, cum pro nullo metu quis debeat peccatum mortale committere, quod ex inobedientia ſurgere ſanctorum authoritatibus comprobatur.

*Ex concilio domini Petri archiepiſcopi Moguntinen. De abſolutione & revocatione extortis vi.*

Eos qui abſolutionem vel quamcunque revocationem ab excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti ſententiis per vim vel per metum extorſerint, cum hoc quod hujuſmodi revocationes ſunt irritæ, ſtatuimus & publicamus excommunicationis ſententiæ ſubjacere.

*De alienatione judicii mutandi.*

Quia plerumque ceſſiones actionum in fraudem fiunt, aliquando vero pure & ſimpliciter ex cauſa legitima vel ex cauſis ſtatuimus, ut ceſſiones actionum, quæ juſtis cauſis vel cauſa procedant in præſentia epiſcoporum ſeu judicum vel officialium ſuorum, & de licentia eorundem, ſi ſubſunt legitimæ cauſæ, fiant; jurant etiam cedentes quod non ſimulate ſed vere cedant, alioquin ſecus factas decrevimus non tenere.

*De judiciis & citationibus, De his qui citari non poſſunt propter crudelitatem & potentiam & ex eo, quod in caſtris habitant.*

Et quia quidam per potentiam, quidam propter crudelitatem magnam perſonaliter citari non poſſunt, quidam etiam, quia in caſtris habitant; ita quod nulla ad eos citatio poteſt pervenire. Idcirco provida & neceſſaria deliberatione ſtatuimus, ut contra tales citationes edictum apud parochialem ipſorum eccleſiam publice & legitime proponatur: quod ſi parochialis ſacerdos tales citare non poſſet, coram ſuperiore non ſimplici vel proprio juramento, ſed juſtis probaverint documentis in kathedrali eccleſia tribus dominicis continuis publice citentur in ambone, dummodo citandi infra unam dietam ſint, a kathedrali eccleſia conſtituit. Alioquin ad tres quindenas ſolenniter evocentur, & ex tunc hujuſmodi, ac ſi perſonaliter citati fuerint procedatur, ne ex malitia commodum valeant reportare; ſtatutum noviſſime celebratum quantum ad hunc articulum corrigentes.

*De his qui literas judicum vel officialium vel nuntium male tractaverunt.*

Præterea quidam crudeles homines & perverſi, dum ad forum eccleſiaſticum in cauſis etiam, de quibus merito eccleſia habet cognoſcere, ab actoribus

A bus advocantur illius auctoritatis qua dicitur: Qui honorat miſſum mittentem, honorat immemores exiſtentes nuncios eccleſiaſticorum judicum citationis, excommunicationis, vel judiciales juris literas deferentes verbis probroſis, & quandoque diris verberibus quoſdam etiam captivantes. Alios interdum ſuis rebus temere, & publice ſpoliantes multipliciter afficiunt, & perturbant, & impediunt citationum, & literarum executiones in non modicam eccleſiaſticæ libertatis contumeliam, & jacturam. Conſiderantes igitur malitiis hominum obviandum, & non eſſe aliquatenus indulgendum, hoc ſacro approbante concilio duximus ſtatuendum, ut ſi reos nuncios acta judicialia deferentes per ſe, vel per alium verberans, ſpolians, vel captivans, lite etiam non conteſtata, B auctoritate hujus concilii habeatur penitus pro convicto. Actor vero in cauſa reconventionis ſimilia perpetrare per ſe, vel per alium non formidans ſuper inſtituta contra reum actione amplius nullatenus audiatur. Et inſuper uterque, ac omnes alii, qui nomine, & occaſione eorum talia facere præſumpſerint uſque ad condignam ſatisfactionem læſo, & judicibus ſummaria cognitione ſuper hujuſmodi fore facto præhabito excommunicationis ſententia percellantur.

*De foro competenti, Ex concilio Moguntinen. domini Gerhardi.*

C Ad hoc quod prælati tam regulares, quam ſæculares, & alii clerici paſſim trahuntur contra eccleſiaſticam libertatem ad judicium ſæculare, cum penitus ſit abſurdum, ſtatuimus, ut actor qui talem malitioſe attentaverit actionem, etiam coram eccleſiaſtico judice conquerens poſtmodum, nullatenus, & nihilominus ſi compertum fuerit eum de eccleſiaſtica perſona calumnioſe hujuſmodi moviſſe querelam, ipſe judex, qui ea recepta citationem emiſit, excommunicationis ſententia conſtringatur uſque ad condignam ſatisfactionem arctius evitandus.

*Ex concilio Aſchaffenburgen. ne pro aliqua re perſona eccleſiaſtica ad judicium ſæculare trahatur.*

D Præterea nullus eccleſiaſticam perſonam in criminali cauſa, vel civili queſtione, nec aliquem pro rebus, bonis, vel poſſeſſionibus eccleſiarum, ſive jure perſonali, quod vulgo libgeding dicitur, qui ex earundem eccleſiarum rebus, poſſeſſiones, vel bona poſſideat, ſive alio quocumque titulo trahere præſumat in judicium ſæculare.

*Ex eodem concilio, Ne judices eccleſiaſtici intromittant ſe de cauſis laicorum.*

Huic adjicimus ſanctioni prioris ſtatuta concilii ſectantes: Ne prælati, vel quilibet judices eccleſiaſtici de cauſis quas habent adinvicem, E laici ſe nullatenus intromittant, niſi tales ſunt cauſæ, quas ad forum eccleſiaſticum non ſit dubium pertinere. Nec ex hoc ſeculare judicium, quod eſt valde incongruum, dirimetur.

*De ſequeſtrationibus ex eodem concilio Aſchaffenburgen.*

Ad hoc quandam conſuetudinem, immo potius corruptelam, quæ in quibuſdam partibus inolevit, videlicet, quod aliqua eccleſia parochialis vacante plures ad eam clericis a diverſis patronis in diſcordia præſentantur, quibus coram dioceſano, vel loci archidiacono ſuper ipſa eccleſia contendentibus his ad quem inveſtitura, vel inſtitutio eccleſiæ talis ſpectat redditus, ſive fructus ipſius ſequeſtrat, & in ſuos uſus convertit, lite coram ipſo durante, immo quod deterius eſt, & merito deteſtandum, litem, cui juxta utriuſque juris præcepta finem imponere deberet, per diverſos circumitus ſatagit prorogare, ut ſic de prædictis redditibus magis, & magis valeat imburſare. Cum igitur hujuſmodi conſuetudo animabus pernicioſa, & ſacris canonibus ſit repugnans, hujus ſacri concilii approbatione ſtatuimus, ut non obſtante conſuetudine ſupradicta, quam penitus reprobamus, per omne illud tempus, quo parochialem eccleſiam, vel capellam vacare contigerit, is ad quem inveſtitura, vel inſtitutio ejus ſpectat, ſcilicet ejuſdem eccleſiæ, &c. per duos idoneos presbyteros, & illius capituli, in quo eccleſia, vel capella conſiſtit, univerſos redditus, ſive fructus, qui vero rectori cedere conſueverunt, faciet, procuret, & mandet colligi & fideliter conſervari; ita, quod ei, qui vicerit, totaliter aſſignentur. Alioquin ſi ille, ad quem inveſtitura pertinet, de hujuſmodi redditibus occulte, vel manifeſte aliquid ſibi ſervaverit, ac uſurpari præſumpſerit jure inveſtiendi ad aliqua beneficia obtinenda in perpetuum ſit privatus. Et tale jus ad ſuperiorem proximum devolvatur. Qui etiam duplum ejus, quod per hujuſmodi ſequeſtrationem recepit, irremiſſibiliter reſtituere teneatur.

*De jurejurando ex concilio fritzlar. domini Sifridi de juramento confœderationis.*

Excommunicamus præterea clericos, monachos, & canonicos univerſos, qui colligationes, ſive fœderationes ullas fecerint fidei, vel juramenti interpoſita cautione, ſive in electionibus faciendis, ſive pro aliis quibuſcumque negotiis contra canonicas ſanctiones. Cum ex hujuſmodi colligationibus ſuboriantur diſcordiæ, quæ eccleſiaſticam diſſolvunt diſciplinam, bona eccleſiaſtica diſſipant, & pericula pariunt animarum, volentes ex confœderatione hujuſmodi neminem obligari, eadem quoque excommunicationis ſententia innodamus eos, qui conjurationes, ſive confœderationes tales fecerint ſine difficultate, & dilatione qualibet, quouſque ad invicem ſe abſolvant. Et quicumque detecti fuerint, confœderationes hujuſmodi attentare; ſi monachi, aut canonici fuerint regulares, de ſuis monaſteriis, tanquam membra putrida excludantur. Si clerici ſæculares fuerint, officiis & beneficiis in perpetuum ſpolientur.

*De appellationibus ex concilio Moguntin. domini Petri. Regula appellantium, qui non proſequuntur appellationes interpoſitas a ſententia diffinitiva infra duos menſes.*

Quia ſæpe contingit in cauſis appellationum interpoſitarum a ſententiis diffinitivis revocari per ſuperiores ante omnia ſecundum formam juris attentata, & abſolvi appellantes, & ipſis revocatis, prædicti appellantes in eluſionem juris judicum, & partis appellatæ a proſecutione appellationis ſuæ deſiſtunt. Ne igitur proviſio facta ad remedium, ut experimento didicimus, tendat ad noxam, ſtatuimus, ut ſi infra duos menſes poſt revocationem hujuſmodi ipſi appellantes proſequi appellationes ſuas non curaverint, ex tunc per inferiores judices, a quibus appellarunt, in priſtinas ſententias retrudantur, & tamdiu eiſdem

ligati



A ligati publice denuncientur, quouſque juſta cauſa ceſſante ad appellationum ſuarum proſecutionem moram expirando redire feſtinent vel pareant judicatis.

*De vita & honeſtate clericorum.*

Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant maxime inhoneſta, proculſus tabernas evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Choreis & publicis ſpectaculis non interſint coronam & tonſuram habeant congruentem, ad quod per prælatos ſuos per ſubtractionem beneficii & officii compellantur. Et ſi prælati eorum in his deſides fuerint & remiſſi per epiſcopum ſuum vel metropolitanum, ſi epiſcopus negligens fuerit, a ſuis B dignitatibus ſuſpendantur. Et ut clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & caſte vivere ſtudeant univerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti, quatinus in conſpectu Dei omnipotentis puro corde & mundo corpore valeant miniſtrare. Quicunque autem propter vitium continentiæ a ſuo prælato ſuſpenſus præſumpſerit celebrare divina, non ſolum eccleſiaſticis ſpolietur beneficiis; verum etiam pro hac duplici culpa perpetuo deponatur. Nec credat aliquis poſſe per alium cum talibus celebrantibus, niſi per Romanum pontificem diſpenſari.

C *De clericis vagabundis.*

Clerici vagabundi, quos vulgus Eberhardinos vocat, quorum vita eſt odibilis, & laicos ſcandalizat; priori inhærentes concilio a clericis & perſonis eccleſiaſticis recipi prohibemus, firmiter ſtatuentes, ne aliquid eiſdem detur. Nolumus tamen, ut hujus occaſione ſtatuti clerici vel ſæculares pauperes, quos quanquam juſta neceſſitas peregrinari compellit, a caritatis operibus excludantur, dummodo pauperes eleemoſinam vel hoſpitium ſibi poſtulent intuitu divinæ remunerationis impendi, cum neceſſitatis tempore ſine perſonarum differentia eleemoſina ſit impendenda, adjicientes qui eberhardini privati vitam ducunt reprobam & infamem, D ne ad ſacros ordines, vel eccleſiaſtica beneficia aliquatenus admittantur, ut noſtrum non vituperetur miniſterium niſi per longam morum emendationem, ac honeſte vitæ converſationem dioceſani judicio moderandam temporis anteacti fuerint infamiam expiaſſe & tunc diſpenſative ad ſacros ordines & eccleſiaſtica beneficia eis aditus concedatur.

*De eiſdem clericis vagabundis, qui præſumunt aliquando celebrare.*

Ad huc quia clerici vagabundi qui Eberbardini dicuntur, quorum vita Deo odibilis clericos & ipſos laicos ſcandalizant, diſcurrendo per terras in E villis quæ carent propriis ſacerdotibus aliquando celebrare præſumunt, ſeu quod verius eſt, in quantum in ipſis eſt, divina officia profanare, ſtatuimus ut tales ad mandatum dioceſani, ſeu loci archidiaconi teneantur in cuſtodia carcerali, ad hoc, ſi neceſſe fuerit, invocando auxilium brachii ſæcularis, ſalvis nihilominus conſtitutionibus contra tales a noſtris prædeceſſoribus promulgatis.

*De monialibus ex concilio fritzlar. domini Sifridi.*

Clauſtra monialium nullus clericorum vel monachorum ſine cauſa honeſta & bono teſtimonio introeat. Alioquin prælatus ſuus ipſum debite ſubjiciat ultioni. Neque moniales de ſuis egrediantur monaſteriis, niſi monaſteriorum neceſſitas id expoſcat, & tunc velate incedant. Illis autem tantum ob hanc cauſam egredi liceat, quibus adminiſtratio eſt commiſſa, vel quæ a ſuperiori hoc receperunt in mandatis, hoc quidem non de illis monialibus, quæ clauſæ ſunt, volumus intelligi, cum illis exire omnino non liceat; ſed de illis, quæ ſine clauſura vitam conſueverunt ducere laxiorem. Statuimus inſuper, ut in ſingulis monaſteriis feneſtræ perlatoriæ duplicata habeant ferreamenta. Et ut moniales ſuis præpoſitis & prælatis in rebus licitis & honeſtis obediant. Nec cuiquam præter eorum licentiam ſua confiteantur peccata. Ipſi autem præpoſiti ſive prælati, clauſtra monialium nullo modo introeant, niſi magna & evidens cauſa neceſſitatis id expoſcat.

*Ne ſacerdotes in rure ſine miniſtro literato celebrent aliquatenus divina & de ſuperpelliciis campanariorum.*

Item quod ſacerdotes & campanarii, qui ſacerdotibus ad altare & ad baptiſmum, deportationem olei & corporis domini ad infirmum aſſiſtunt, & juxta quod officium eorum requirit miniſtrant, ſuper veſtimenta ſua ſuperpelliciis ſacerdotes & campanarii camiſiis albis utantur, diſtricte præcipimus obſervari. Quas quidem camiſias campanariorum & ſuperpellicia ſacerdotum populus cujuſlibet parochiæ, quando & quotiens neceſſe fuerit, de eleemoſinis quæ in parochia haberi poſſunt, procurent, alioquin de ſuis propriis ſumptibus procurabunt. Approbatione totius concilii ſtatuentes, ut ſacerdotes, qui poſt publicationem hujus ſtatuti ſuperpellicium pro ſe & camiſiam pro ſuo campanatore non habuerint infra duos menſes poſt eandem publicationem proxime ſubſequentes, tam diu ceſſet ab officiis divinorum, donec defectus hujuſmodi ſuppleatur, & damnum, quod ex tali ceſſatione in obligationibus contigerit, ſacerdotem ſuſtinere per populum ſuæ parochiæ refundatur eiſdem. Verum quia in parochiis ruralibus plurimum & maxime hoc contingit, quod propter defectum clericorum ſacerdotes ſolos oporteat celebrare contra canonicas ſanctiones, inhibemus, ne presbyter ſine miniſtri ſuffragio divina officia & maxime miſſarum ſolennia celebrare præſumat, inhærentes concilio Toletano, ubi dicitur: Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem. Provida deliberatione ſacri concilii duximus ſtatuendum, ut omnes ſacerdotes in villis extra oppida celebrantes loco campanariorum illiteratorum perſonas de cetero habeant fidedignas, legere & cantare ſcientes, quæ quidem perſonæ de ornatu parochi fideliter conſervando, ſufficienti præſtita cautione univerſos redditus participant, campanariis laicis hactenus deputatos. Nec ab illis officiis ſine archidiaconi conſenſu valeant amoveri. Alioquin contrarium facere præſumentes per dioceſanum vel loci archidiaconum ad id compelli poterunt faciendum eccleſiaſticam per cenſuram.

*Ne euchariſtia feratur in calopedibus, Ex eodem concilio Aſchaffenburgen.*

Et licet omnes chriſti fideles in deportatione euchariſtiæ ad infirmos ſequi conveniant reverenter, præcipue tamen ſacerdotes dum ipſum dominicum corpus in manibus ſuis geſtant, procedere conde-

ANNO CHRISTI 1310.

cet humiliter & devote. Obinde præcipiendo ſtatuimus, ut nullus ſacerdos in deportando hujuſmodi maximum & ſaluberrimum ſacramentum quantumcunque aura mala via lubrica vel lutoſa exiſtat, in calopedibus ire præſumat. Item præcipimus, ſtatuimus & monemus, quod nullus beneficiatus vel in ſacris ordinibus conſtitutus eccleſiam vel eorum eccleſiæ cathedralis aut aliarum eccleſiarum tempore divini officii ſine religione vel miniſtratus intrare præſumat. Contrarium facientes pœnam ſuſpenſionis incurrant per decanos ſive prælatos ſive alios ſuperiores eccleſiæ illius, quibus conſtiterit, aut per nos infligendam.

*De clericis vagabundis ex concilio domini Petri.*

Cum clerici vagabundi ſeu goliardi non modicum detrahere dinoſcantur clericalis ordinis dignitati, ſtatuimus, ut ſi per annum artem prædictam ignominioſam exercuerint, ex tunc careant omni privilegio clericali, nec ad aliquos actus canonicos & legitimos admittantur. Sicque publica reſperſi infamia & repulſa ruboreque ſuffuſi a ſtatu hujuſmodi peſtifero retrocedant.

*Ex concilio fritzlar. contra clericos militares, qui videlicet duplicem habitum portant clericalem & quandoque ſæcularem.*

Contra clericos militares, qui clericali ſcemate derelicto comam nutriunt, & geſtant habitum laicalem coram prælatis ſuis & in eccleſiis in quibus habent beneficia neque reverenter incedunt, demum poſt tirocinia & actus alios militares, quos interdum exercent, habitum priſtinum reſumentes ad beneficia ſe priora admitti impugnare deſiderant. Sic terram viis duabus ingredi non verentur. Hoc ſacro concilio approbante ſtatuimus, ut apoſtatantes hujuſmodi ſi antequam a ſuis prælatis ſive capellanis evocati, & prius habitis beneficiis fuerint ſpoliati ad ſuas eccleſias ſive præbendas redire voluerint, non aliter admittantur, niſi diſciplinæ clauſtralis carcerem tanto tempore ſuſtineant quanto a ſuis eccleſiis conſtiterit eos ſe taliter alienaſſe. Ne nimis ſatiſfactionis prolixitas quam prævaricationis diuturnitas protogetur.

*De cohabitatione clericorum & mulierum ex concilio fritzlar.*

Cohabitationis vicium publice multis ſucceſſive laboribus extirpatum quorundam negligentia prælatorum, immo quod deteſtabilius eſt, aliquorum malitia qui quæſtum æſtimant, pietatem ſentitur iterum pullulare. Quapropter prælatis univerſis archidiaconis, videlicet decanis, ac aliis, quorum intereſt, hujuſmodi exceſſus corrigere, hujus ſacri concilii authoritate diſtricte præcipimus, ut tam periculoſo recidivo pervigili ſtudio ſuccurrere non prætermittant, ne ſubditorum ſanguis de eorum manibus requiratur, ac eorum negligentia per locorum epiſcopos graviſſime puniantur. Si qui autem quod abſit ob quæſtum turpem peccatum hujuſmodi ad ſe delatum in ſubditis ſuis favere vel diſſimulare præſumpſerint, illi per ſuos prælatos ab eis dejiciantur honoribus, quos acceptione ſordium talium dehonorant. Ut autem hæc ſtatuta ſaluberrima diſtrictius & efficacius obſerventur, auctoritas hujus concilii ſancti provida deliberatione conſtituit, ut ſinguli archidiaconi in capitulo clericorum ſuorum bis vel ſaltem ſemel in anno ea publice legi faciant; & nihilominus ſemel in anno in epiſcopali ſynodo publicentur. Ne quis per ignorantiam ſe valeat excuſare. Si qui autem in publicatione horum ſtatutorum ceſſaverint temporibus prætaxatis, hujus ſacri authoritate concilii ab officiis noverint ſe ſuſpenſos.

*Ex concilio domini Sifridi fritzlar; De continentia clericorum.*

Licet multa ſuper continentia clericorum ſanctorum patrum hactenus emanarunt inſtituta; quia tamen adhuc nonnulli clerici lumbos ſuos cingulo continentiæ, ut accipimus, non accingunt, & in animæ ſuæ grave periculum & ſcandalum plurimorum non attendentes quod ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum dominus deus veſter. Nos qui ſaltem circa undecimam horam miſſi ſumus, ut nociva de vinea domini ſabaoth ex officio nobis injuncto quantum ipſe nobis dederit extirpemus, quia zœlus nos comedit domus Dei; hujus ſacri concilii approbatione duximus aliquid ſtatuendum. Propterea præcipimus, ut clerici continenter & caſte vivere ſtudeant univerſi, maxime in ſacris ordinibus conſtituti, quatinus in conſpectu omnipotentis Dei puro corde valeant miniſtrare. Si quis autem clericorum viſus fuerit deinceps incontinentiæ vicio laborare, detinendo concubinam, niſi poſt ammonitionem canonicam illam prorſus a ſe expulerit, ex tunc officio & beneficio ſpolietur. Si vero fœtorem ſuæ libidinis non curaverit evitare, quia creſcente contumacia creſcere debet & pœna, anathematis gladio feriantur. Qui vero obſcenis voluptatibus inhiantes concubinas ipſas uſque adhuc tenuerint publice, ne delictum præteritum tranſeat impunitum, eos ſub tali pœna duximus religandos, ut ſi canonici fuerint, quadraginta diebus in clauſtris ſuis quadrageſimali cibo jejunent. Si autem hoc agere contempſerint, præpoſitis decanis & capitulis eccleſiarum ſub anathemate prohibemus, ne præbendarum fructus eis miniſtrent, vel ad chorum vel ad conſortium capituli eos admittant, niſi digna penitentia incepta vel peracta & præſtito juramento, quod eas ulterius non reſumant. Qui vero ſic amotas reſumpſerint, decernimus eos beneficiis eſſe privandos. Statuentes, ut illi, ad quorum collationem beneficia pertinent, ea perſonis idoneis aſſignant infra tempus in lateran. concilio comprehenſum; alioquin proximus ſuperior ea ſtudeat aſſignare. Si vero decani vel alii eorum confratres exceſſum ſcientes diſſimulare præſumpſerint, eos excommunicationis vinculo ſubjacere denunciamus.

*Ex concilio Moguntin. domini Wernhe.*

Item ſacerdos qui concubinam in domo publice auſu ſacrilego præſumpſerit retinere ſuſpen. ab officio ſententiam canonis incidat ipſo facto, qua ſententia durante, ſi divina præſumpſerit celebrare, ſciat ſe omni miſericordia poſtpoſita de noſtra dioceſi expellendum.

*Ex concilio fritzlar. domini Sefridi, De clericis concubinariis.*

De clericis concubinariis ruralibus rigor ſuperius expreſſus ſervetur, quorum archidiaconi, ſi eos in ſuis iniquitatibus voluerit confovere, vel eorum diſſimulare exceſſus, ſciant ab officiis ſe ſuſpenſos





ANNO CHRISTI 1310.

& ſi in præſumptiones permanſerint, eos præcipimus epiſcopos ſuos a dignitatibus ſuis amoveri, quæ dignitates per eoſdem epiſcopos ſuos vel alios, ad quos donatio ſpectat, perſonis idoneis aſſignentur.

*De clericis non reſidentibus ex concilio domini Petri.*

Statuimus, ut in eccleſiis kathedralibus, & aliis collegiatis canonici & alii beneficiati nullas diſtributiones quotidianas, ſeu manualia beneficia, quæ tantum reſidentibus, & quæ divinis interſunt officiis, dari debeant, in abſentia percipiant. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperint, exceptis illis, quos corporalis neceſſitas, aut evidens utilitas eccleſiæ, ſeu ſuperioris authoritas, & diſpenſatio relevat & excuſat, ad reſtitutionem omnium, quæ receperint eccleſiæ teneantur. Nec ante reſtitutionem ad capitula ſeu tractatus capitulares aliquatenus admittantur. Et idem de diſtributionibus pro defunctorum anniverſariis largiendis decrevimus obſervandum. Contra prædicta nolumus aliquam conſuetudinem ſuffragari.

*De pluribus habentibus duo beneficia in civitate, Ex concilio fritzlar.*

Quia vero plebani civitatum locum in eccleſiis conventualibus obtinentes circa curam parochiarum frequenter occupati minus poſſunt in eccleſiis, & maxime in prælaturis, quas obtinent, prout ad eorum ſpectat officium deſervire. Statuimus ut eligant, quod in parochia vel in conventuali eccleſia reſideant, & ad dimittendam alteram compellantur, niſi utramque de gratia Archiepiſcopi vel dioceſani, qui pro tempore fuerint, valeant retinere.

*De inſtitutionibus, Ex concilio fritzlar.*

Statuimus, ut nullus clericus ad curam animarum admittatur ab epiſcopo vel archidiacono, niſi prius juraverit, quod nullam in adeptione beneficii ad cujus eſt curam præſentatus commiſerit ſimoniam.

*De præſentandis clericis ad parochiam, Ne clericus ſe de beneficio inveſtire permittat a laico.*

Quanquam antiqua prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta prohibere inveniantur, ne aliquis clericus a laico de beneficio eccleſiaſtico, in quo jus obtinet patronatus inſtitui ſe permittat, ſed potius præſentatus ab eo Epiſcopo vel loci archidiacono inveſtituram recipiat ab altero eorundem, cui id de jure vel de conſuetudine competit approbata, licet etiam templariis & hoſpitalariis, & aliis religioſis in eiſdem prohibitum ſit ſtatutis. Ne eccleſiæ parochiales, quas de conſenſu dioceſani & kathedralium eccleſiarum ſuis domibus ſeu monaſteriis uniri obtinent per ſuos confratres officiare præſumant. Sed clericos ſæculares epiſcopis ſive archidiaconis locorum præſentent, qui ipſos inveſtient tanquam perpetuos vicarios in eiſdem ordinata ipſis competenti pro ſua ſuſtentatione prebenda. Quia cum pœna ſufficiens nondum eſt prodita contra hujuſmodi tranſgreſſores. Conſiderantes, quod facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. Sacri approbatione concilii hujus hac pœna præſumptores prædictos duximus puniendos ut clericus a patrono laico vel etiam clerico in beneficio eccleſiaſtico ſine epiſcopi vel loci archidiaconi licentia vel conſenſu inſtitutus eodem beneficio in perpetuum ſit privatus, & ipſius collatio ea vice ad ſuperiorem proximum devolvatur. De quo quidem beneficio ſi temeritate propria intromiſerit ſe patronus, jure quod ſibi competebat in eo, perpetuo ſit privatus. Templarii vero & hoſpitalarii & alii religioſi contrarium facere præſumentes non ſolum eccleſias ea vice, ſed etiam alias, ſi quas habebant, ipſis unitas ſine ſpe reſtitutionis ipſo jure hujus concilii decreto amittant.

*De templariis & hoſpitalariis, Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Ad hoc quoniam templarii & hoſpitalarii & alii religioſi, qui a prælatis ordinis ſui ad regendas parochiales eccleſias deſtinantur epiſcopis dioceſis ſubjectas ſine inſtitutione ipſorum aut archidiaconorum miniſtrare præſumunt in illis ſententias eccleſiaſticas in ſe vel in eccleſias prædictas ab epiſcopo vel archidiacono ſive decano prolatas aliquotiens temeritate propria, & nonnunquam de prælatorum ſuorum conniventia vel mandato violare præſumunt, dicentes ſe ad obſervantiam ſententiarum hujuſmodi non teneri obtentu privilegii ordinis ſui ab apoſtolica ſede conceſſi, ſtatuimus hoc ſacro concilio approbante, quatinus in prædictis eccleſiis ſine inſtitutione debita dioceſani ac archidiaconi celebrantes & ſententias aut in ſe aut in eccleſias prædictas per dioceſanum vel archidiaconum, vel alios delegatos ipſorum prolatas violantes. Exceptis caſibus a jure permiſſis, nec non defendentes eos in contemptu hujuſmodi, ac in eccleſiis prædictis interdictis celebrantes aut audientes divina ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Prælati quoque eorum regulares cum ſuis conventibus ſcienter diſſimulantes exceſſus hujuſmodi poſt ammonitionem epiſcopi dioceſis corrigere infra menſem jus ſibi & ordini ſuo in prædictis eccleſiis competens ipſo facto amittant.

*De conceſſione prabendarum non vacantium, Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Item nullus in canonicum eligatur beneficio non vacante, niſi juſta neceſſitas vel utilitas id poſtulaverit, & tunc unum tantum; & non plures aſſumi permittimus & hic qui taliter aſſumptus fuerit, ſtatim ad reſidentiam compellatur. Si qui contra hoc ſtatutum aliquos vel ſucceſſive vel ſimul plures elegerint, quod factum eſt, ipſo jure non teneat. Et epiſcopus ad tot præbendas poteſtatem habeat eligendi, quot perſonæ ſic fuerint aſſumptæ, hujus authoritate concilii ſtatuentes, ut ante receptionem perſonæ in canonicum aſſumendæ perſonæ neceſſitas & utilitas ex receptione hujus ſecutura loci epiſcopo primitus exponantur, ne ſurreptionis aſtutia in fraudem hujus concilii aliquid attentetur.

*De ſede vacante aliud innovetur, Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Quoniam nonnunquam contingit, quod ad vacantem epiſcopatum, vel aliam prælaturam, duo in diſcordia eliguntur, & alter, qui minori juri innititur, ut eum, cui majus jus eſt adquiſitum, per potentiam vel per tædium fatigare & exhaurire poſſit attrahit ſibi favorem potentium laicorum, quibus

ANNO CHRISTI 1310.

A ut ei mutuent & aſſiſtant, promiſſiones facit de beneficiis filiis eorum conferendis, & de juribus & de libertatibus eccleſiaſticis remittendis. Nos huic morbo occurrere volentes remedio ſalutari preſenti ſtatuto hujuſmodi promiſſores & potentum laicorum attractores volumus ipſo facto & jure excommunicationis eſſe ſententiis innodatos, & nihilominus eum fore ineligibilem ad hujuſmodi dignitem. Mutuatores etiam pecuniarum taliter in hoc caſu volumus carere actionibus pro mutuo hujuſmodi repetendo.

*De his qui occupant bona eccleſię, ex concilio Moguntinen.*

B Quicunque autem defuncto epiſcopo relicta ab eo ac ſede vacante bona eccleſiæ occupaverit, ipſo facto quam nunc in talem ferimus ſententiam excommunicationis incurrat, quam ſucceſſor inviolabiliter faciens obſervari nullatenus relaxet ſine reſtitutione & ſatisfactione condigna de ſui capituli conſilio & conſenſu.

*Ut eccleſiaſtica beneficia in ſuo jure reſerventur conferenda clericis. Ex concilio fritzlar.*

Quoniam in quibuſdam Alamanie partibus fundatores eccleſiarum vel hæreſes ipſorum poteſtate, in qua hucuſquam eccleſia eos ſuſtinuit abutuntur
C parte decimarum vel aliarum obventionum eccleſiaſticarum, in quibus jus obtinent patronatus ſibi retinentes ex pacto cum præſentent clericos ad eaſdem, huic vulneri canceroſo & ſimoniaco cenſure ferrum apponimus decernentes, ut ex quo conſtiterit patronum hoc perpetraſſe flagitium, anathemate feriatur, & ejus terra ponatur ſub eccleſiaſtico interdicto, donec eccleſiam liberam ſub ſuo jure dimittat ſalvo jure patronatus, quod eis de jure reſervamus, quod poſſint per juris ignorantiam excuſari. Qui vero ceca cupiditate ducti taliter a patronis per præſentationem receperint, officio beneficioque priventur, nec ad beneficia vel actus eccleſiaſticos admittantur, niſi per ſedem apoſtolicam ſecum fuerit diſpenſatum. Epiſcopi vero, vel
D archidiaconi, qui talibus ſcienter curam commiſerint animarum, ab inſtitutione beneficiorum & collatione perpetuo ſint ſuſpenſi.

*De eodem concilio fritzlar.*

Cum beneficia eccleſiaſtica ſine diminutione conferri debeant, quidam eccleſiarum patroni perſonis idoneis prætermiſſis tales ad ea præſentant, qui portione quantalibet debeant eſſe contenti, reliquam totaliter uſibus ſuis applicando. Unde ad hujus mali perniciem extirpandam ſtatuimus, ut ſi tales clerici ſe portione debita ſpoliari videntes
E ad epiſcopum ſuum querelam non detulerint, authoritate hujus concilii ſint ipſo jure ſuſpenſi, & nihilominus eiſdem eccleſiis ſpolientur per epiſcopum, & plebano idoneo provideatur de ipſis. Si vero ad ſuperiorem hoc detulerint quæſtionis, ipſe patronum per cenſuram eccleſiaſticam ab hujuſmodi moleſtationis onere compeſcat. Adjicientes nihilominus, quod ſi in hoc pertinax patronus extiterit ad præſentationem talis eccleſiæ cum proximo vacaverit nullatenus admittatur.

A *De rebus eccleſiæ non alienandis, Ex concilio fritzlar.*

Interdicimus etiam prioris concilii ſtatuta ſectantes, ne amminiſtratores de rebus ad eorum amminiſtrationem pertinentibus ſine conſenſu majoris & ſanioris partis capituli quicunque penitus alienare præſumant, verbo autem alienationis, donationis, venditionis, obligationis, permutationis vel emphitheuſis ſicut in quibuſdam eccleſiis fieri conſuevit perpetuum contractum volumus comprehendi, & ſi quid contra factum fuerit, irritum decernimus & inane: foreſta quoque nemorum ſecari non faciant ſine fratrum conſilio & conſenſu, quod ſi fecerit, in uſum fratrum pretium
B convertatur. Abbas vero vel officiati cujuſcunque monaſterii ſi de rebus eccleſię ſuę quicquam citra formam canonicam alienare præſumpſerint, ipſum ſuperior cum id ei ex certis claruit argumentis a ſuo in continenti deponat officio, nec de cetero ad dignitatem aliquam vel amminiſtrationem eccleſiaſticam admittatur, niſi ſecum ſit per loci epiſcopum miſericorditer diſpenſatum, auctoritate præſentis concilii decernentes, ut in mutuo contrahendo, nec non obligatione immobilium ſacri canones obſerventur, qui eos creditores tantum appellant, qui probant mutuum in eccleſiæ utilitatem ceſſiſſe.

*Ex concilio fritzlar.*

C Item de rebus eccloſiæ & ornatu nulli private perſonæ ad obligandum aliqua concedantur, & ſi aliquibus ſunt conceſſa, illa infra menſem redimere & reſtituere compellantur.

*Ex eodem concilio fritzlar.*

Item ſtatuimus, ut proventus annui fabricę uni vel duabus perſonis fidedignis in ſingulis eccleſiis committantur qui eos ad opus eccleſiæ convertant utiliter & ſingulis annis juſtam de ipſis & certam capitulo reddant rationem, & ne idem redditus dividantur, vel ad expenſas meſſium vel autumni ſeu extraordinaria onera convertantur, quæ de
D præbendis ſuſpenſis ſunt potius facienda diſtrictiſſime prohibemus.

*Ex concilio fritzlar, ut res eccleſiæ bis vel ſemel in anno inſpiciantur.*

Statuimus etiam quod ornatus & libri eccleſiæ bis vel ſemel ad minus in anno inſpiciantur a capitulo diligenter, & ſub ſigillis prælatorum & capituli ponantur ſigillatim in ſcripto, ut ſciatur inpoſterum ſi de ipſis augmentatum ſit aliquid vel ſubtractum.

*De prædiis Eccleſiarum.*

E Et quoniam pauci ſunt in ſingulis eccleſiis, qui prædia & redditus plene cognoſcant, niſi illi officiati forſitan fuerint, & multa vel aliqua propter negligentiam officiatorum & ſtatum ipſis inequalem ex eo ſunt perdita vel diſtracta, Statuimus quod prædia & redditus eccleſiarum communes, & ſpecialiter dignitatum & officiorum, & que quali ratione cujuſlibet officii fieri debeant ſub ſigillo prælatorum & capituli pleniſſime conſcribantur.

Volumus etiam, & præſentium authoritate ſtatuimus, ut redditus, qui de proventibus annorum fabricę ex nunc inpoſterum poterunt procurari, & proventus illorum bonorum, quæ de cetoro ſine

ſpecia-



ANNO CHRISTI 1310.

ſpeciali conditione fuerint collata eccleſiis intuitu A pietatis, fratres præſentes, & qui ſunt in ſtudio per licentiam capituli integre & plene percipiant ut libentius & frequentius in choro deſerviant, & fideles quilibet ad eleemoſinas eccleſię conferendas ardentius invitentur.

*Ex concilio Moguntinen. De advocatis eccleſiarum.*

Ceterum cum nonnulli eccleſiarum advocati ſpe defenſionis eorum in advocatos ea conditione primo aſſumpti, quod de certis ſtipendiis & ſervitiis ſpontanee deputatis eiſdem ipſarum eccleſiarum jura poſſeſſiones & homines defendere debeant, facti ſunt ex defenſoribus offenſores, eo quod tam B immoderatis exactionibus & ſervitiis angarient homines, quod non propriis dominis perſolvere cenſus ſuos, aliaſque illicite dividentes advocatias in partes in inferioribus ſuis eas in grave ipſarum eccleſiarum diſpendium infeudare præſumant. Et quia privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, ſtatuimus, quod ſponte ſibi aſſignatis ſtipendiis & ſerviciis ſint contenti, prout coram imperio eſt obtentum ſententia principum approbante aliaſque eccleſiarum jura & poſſeſſiones & homines defendant & protegant nihilominus aliud pro tantis ſibi & eorum juribus poſſeſſionibus & hominibus uſurpantes reintegrent C advocatias, quas in partes dilaceraſſe, & ſuis infeudaſſe dinoſcuntur feudatarii, eos vero taliter occupantes dimittant, quod ſi non fecerint infra menſem moniti per ordinarios & per alios ſuos ſuperiores ipſe advocatus & feudatarius ad id faciendum per excommunicationis & interdicti ſententias compellantur. Demum ſtatuimus, ut ſi quis eccleſiarum vel clericorum bona vel homines temere invaſerit ſpoliis, incendiis vel rapinis, aut tollendo pignora occaſione etiam cujuſcumque quæſtionis, quam contra eccleſiæ alicujus advocatum ſe proponit habere ſecundum ſtatuta concilii Moguntinen. contra hujuſmodi temerarios invaſores edita procedatur. D

*Ex concilio Aſthaffenburgenn.*

Hac in conſtitutione ſancimus cunctos eccleſiarum advocatos infra provinciæ noſtræ terminos conſtitutos cujuſcunque præeminentis ſint ſtatus eiſdem juribus eſſe contentos, que ipſis ſeu eorum anteceſſoribus fuerint conceſſa, tempore quo advocatiam hujuſmodi acceperunt, ac eccleſias, quarum advocati exiſtunt, defenſare ſtudeant ac manutenere pro poſſe.

*De eodem concilio.*

Inſuper ſtatuimus, ne perſona quantumcunque nobilitate aut præeminentiæ ſtatu præfulgeat E eccleſias aut eccleſiaſtica bona, juriſdictiones, jura & vaſallos eorum violenter aut auctoritate propria publice occupare aut occupando invadere, vel ſcienter occupantibus eccleſias vel bona eccleſiaſtica & prædicta præſtare præſumant quomodolibet per ſe vel per alium aut alios conſilium, auxilium & favorem, & niſi requiſitus infra menſem eccleſiæ leſe aut prælato ipſius damnum illatum emendaverit, ipſo facto ſit anathematis vinculo innodatus.

*Ex concilio domini Petri.*

Hoc ſacro concilio diſtrictius approbante inhibemus, ne aliquis epiſcopus vel prælatus capitulum vel conventus aliqua bona immobilia pro ſuppignoribus, quæ vulgariter underpſant dicuntur, ponant aut obligant quibuſcunque perſonis ad contractum alienationis rerum eccleſiæ perpetuum roborandum ſine expreſſo conſenſu loci epiſcopi & juris ſolennitatibus, quæ in hujuſmodi rerum alienationibus requiruntur. Alioquin factum ipſum cernimus irritum & inane. Epiſcopos, qui hæc fecerint, ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpenſos, alios vero prælatos ab officio & beneficio, perſonas vero alias excommunicationis ſententiis ipſo facto decernimus innodandos.

*De eodem concilio.*

Inſuper inhibemus diſtricte, ne aliquis prælatus cuiquam annuam penſionem de rebus eccleſiæ conſtituat, ſe daturum, donec provideat ſibi de beneficio competenti. Alioquin factum ipſum decernimus non teneri, ac promiſſorem ſive promiſſarium ab officio & beneficio decernimus ſuſpendendos.

*De venditione & emptione rerum ſpoliatarum.*

Nullus etiam prædam aliquam ſcienter emere vel tenere præſumat, alioquin niſi ipſam ſtatim reſtituat, excommunicationis ſententia percellatur.

*De pignoribus.*

Ad omnem quoque dubitationis ſive quæſtionis materiam amputandum ſtatuimus, ut ſi quis prædium ſuum, cui jus attinet patronatus, cuiquam obligaverit indiſtricte jus præſentandi apud ipſum obligantem reſideat, cum tale jus æſtimari non poſſit & ergo in ſortem nequeat computari, cum ſemper fructus rei pignorate in ſortem debeant computari juxta canonicas & legitimas ſanctiones.

*De teſtamentis & ultima voluntate.*

Clericus de proventibus anni gratiæ vel alias de rebus eccloſiæ adquiſitis concubinę ſuæ vel filiis in fornicatione genitis quicquam penitus non relinquat, quod ſi fecerit, legatum non teneat & quod taliter eſt relictum, eccleſiæ applicetur.

*De legatione clericorum.*

Ad abolendam de domo domini conſuetudinem vel potius corruptelam ſeu temeritatem, qua clerici, qui poſiti in exemplum in argumentum ſuę finalis pœnitentię fructus præbendarum ſuarum concubinis vel ſpuriis ſuis legant in ultima voluntate rigor eccloſiaſticus debet exercere. Clerici annis gratiæ abutentes cum de rebus eccleſiæ nullum poſſint condere teſtamentum fructus beneficiorum etiam eccleſiaſticorum ſpuriis vel concubinis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire præſumpſerint, in ſignum ſuæ perditionis eccleſiaſtica careant ſepultura & quibus taliter fructus legantur eis careant ipſo jure. Qui autem teſtamentum tale poſt mortem manutenere volunt, & per quorum manus perſonis illis fructus præbendę fuerint miniſtrati, eccleſia ipſa ſuppoſita ſit interdicto.

De,

*De legatione morientium ex conc. fritzlar.*

Item legatam ſecundum diſpoſitionem morientium ordinentur collectoribus ad hoc duobus de eccleſia deputatis, ſi in vita ſua non manufideles elegerant ſuper eis.

*Ex concilio domini Eberhardi Moguntinen.*

Sunt nonnulli, qui anno gratiæ, qui pro relevatione debitorum in fructibus beneficiorum defunctis clericis eſt conceſſus damnabiliter abutuntur, fructus ipſius anni conſanguineis ſuis vel aliis quibus voluerint relinquentes, ex quo provenit duplex injuria eccleſiæ ſcilicet & perſonæ; fraudatur enim eccleſia per dictum anni ſpatium ſervitore, privatur etiam perſona ſuccedens in percipiendis fructibus jure ſuo quod de cetero fieri prohibemus; ſacri approbatione concilii ſtatuimus quod niſi pro relevatione debitorum quæ cum aliunde ſolvi non poſſunt anno gratiæ clerici non utantur vel niſi ipſius anni fructus pro aliqua pia cauſa ipſi relinquant eccleſiæ a qua idem beneficium habuiſſe noſcuntur.

*Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Ad hæc quia quædam in quibuſdam partibus conſuetudo immo corruptela deteſtabilis obſervatur, videlicet quod tam clericus quam laicus in lecto ægritudinis conſtitutus ultra v. ſolid. uſualis monetæ vel aliam ſummam juxta loci illius conſuetudinem limitatam nec piis locis nec perſonis eccleſiaſticis pro animæ ſuæ remedio & ſalute aliqua poſſit ordinare legata. Conſiderantes prædictam conſuetudinem & ſacris canonibus ſæcularibus etiam legibus obviare, cum omnia jura clamene quod ultima voluntas, & ultimum hominis teſtamentum immobile perſeveret, & nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſuperne voluntatis liber ſtilus exiſtat eandem conſuetudinem Deo odibilem animabus & moribus inimicam, auctoritate hujus ſacri concilii penitus reprobamus firmiter ſtatuentes, ut ubicunque qui jura teſtamentorum non prohibent factione & ſanitate & in lecto ægritudinis conſtituto legandi ordinandi & diſponendi de bonis ſibi collatis circa pia loca & perſonas eccleſiaſticas, dummodo contra legitimas non prætereant ſanctiones libera ſit voluntas & facultas, volentes & præcipientes diſtricte, ut per locorum epiſcopos, & ceteros prælatos juriſdictionem habentes univerſi clerici & laici impedientes defunctorum legata vel ultimas voluntates per excommunicationem in perſonas & interdicti in loca ſententias octo dierum monitione præmiſſa ferendas, ab hujuſmodi impedimentis deſiſtere compellantur, ad quarum executiones & debitas aggravationes procedente tempore faciendas epiſcopi & prælati, ad quos teſtamentorum defenſio utroque jure ſuadente dinoſcitur pertinere tam benevolos ſe exhibeant & paratos, ne hujuſmodi negligentia de eorum manibus in die diſtricti judicii requiratur.

*Sequitur de manufidelibus.*

Statuimus & a cunctis præcipimus inviolabiliter obſervari, ut manufideles, & ad exequendum ultimas decedentium voluntates electi, antequam de rebus & de bonis defuncti ſe aliquatenus intromittant, inventarium faciant ſub fidedignorum teſtimonio de eiſdem, ac infra annum cuncta diſponant ſecundum placita defunctorum ad quæ per locorum ordinarios diſtrictiſſime compellantur.

*De ſepulturis ex concilio domini Petri Moguntinen.*

Cum ſacris canonibus ſit conſonum, ubi quis vivus recepit eccleſiaſtica ſacramenta, quod ibi etiam mortuus requieſcat, omnibus chriſti fidelibus, qui ſepulti fuerint in ſuis eccleſiis parochialibus, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus, & beati Martini patroni noſtri meritis confiſi in relevamen ſuorum peccaminum xl. dies indulgentiarum de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus.

*Ex concilio Moguntinen.*

Inſuper ſtatuimus, & ſub pœna ſuſpenſionis præcipimus firmiter & mandamus, ut omnes ſacerdotes provinciæ Moguntinen. cujuſcunque dignitatis, eminentiæ, ſtatus vel religionis fuerint, infra octo dies cauſa legitima ceſſante poſtquam eis de morte archiepiſcopi vel epiſcopi cujuſcunque prædictæ provinciæ conſtiterit, miſſam pro defunctis dicat in remedium animæ epiſcopi memorati.

Sane gravis, & clamoſa querela noſtris auribus multiplicatur, quod nonnulli ſuis juribus & finibus non contenti parochianos alienos præſumunt recipere temere ad divina contra canonicas ſanctiones, & cum dictorum parochianorum judices non exiſtant, nec ligandi nec ſolvendi in eos acceperint poteſtatem, ſe tamen judices faciendo in foro pœnitentiali periculoſe abſolvunt & ligant pro ſuo libito voluntatis, ſicque ipſo qui proprios ſpernunt presbyteros minime abſolutos illud ſalutiferum noſtræ peregrinationis viaticum quod non proficit niſi prius a criminum labe mundatis in animarum ſuarum & eorum, qui non dijudicantes indiſcreto recipiunt conſerre periculum non verentur. Sicque dicti eorum ſacerdotes, qui curam recipiendo eorum ſuam pro ipſis animam obligaverunt, dum ſibi taliter ſubtrahuntur ſtatum ignorantes eorum, nec poſſunt, quod in eis ægrotum eſt, ſanare, nec conſolidare infirmum nec alligare confractum, & ſic dum curationis neceſſaria non adhibeantur remedia invaleſcentibus morbis uſque ad interemptionem læſio dilatatur, unde ſacerdotes nullam poſſunt de ſic pereuntibus animabus ſuperno judici reddere rationem.

*Hic prohibetur religioſis audire confeſſionem ſine licentia plebani etiam quocumque tempore anni, ex concilio Moguntinen. domini Petri.*

Nos ſanctorum Patrum, qui eccleſiæ ſanctæ Dei & perſonis eccleſiaſticis terminos quos non liceat tranſgredi poſuerunt, ſtatuta conſiderantes, hujus ſacri approbatione concilii univerſis ſacerdotibus tam religioſis quam ſæcularibus cujuſcunque conditionis ordinis ſive ſtatus exiſtant in civitatibus diœceſ. vel provincia de gentibus moguntina ſub debito juramenti, quod epiſcopo in receptione ſacerdotii præſtiterunt ſub interminatione divini judicii firmiter inhibemus, ne quis alienum parochianum, cujus cura per epiſcopum vel loci archidiaconum, ſeu ejus ſuper eo vicarium alii eſt commiſſa, præſumat excepta neceſſitatis cauſa, quæ legem non habet ad confeſſionem recipere vel ad porrigendum ei aliquod eccleſiaſticum ſacramentum niſi petita deſuper & obtenta licentia proprii ſacerdotis, cum certi & indubitati juris exiſtat





ſtat talem a tali crimine ſolvi non poſſe aliquatenus vel ligare & ex hoc ordinem eccleſiæ per majores & ſanctos patres divina providentia inſtitutum confundi, quod per univerſos plebanos ſingulis diebus dominicis & feſtivis coram ſuis plebibus præcipimus publicari.

*De ſtatu monachorum ex concilio fritzlar.*

Statuimus inſuper, ut in ſingulis monaſteriis feneſtræ pro latere duplicata habeant ferreamenta. Et ut moniales ſuis præpoſitis & prælatis in rebus licitis & honeſtis obediant, nec cuiquam alteri præter eorum licentiam ſua confiteantur peccata ipſi præpoſiti ſive prælati clauſtra monialium non introeant, niſi magna & evidens neceſſitas id expoſcat.

*De monachis & monialibus, de compaternitate non contrahenda ex eodem concilio.*

Compaternitatem a monachis & a monialibus contrahi diſtrictiſſime prohibemus, ſtatuentes, ut ſi aliqua clauſtra monialium ad inopiam tantam devenerint, quod ibi de proventibus monaſterii ſuſtentari non poſſunt, & ab amicis panem & vinum, denarios vel aliquod hujuſmodi tranſmittatur eiſdem, non hoc prius recipiant, quam abbatiſſæ vel magiſtræ ſuæ id ſignificent, ut ejus arbitrio quid de hoc quod miſſum eſt, fieri debeat, ſtatuatur & labores eorum veniant in commune, quod de monachis irrefragabiliter volumus obſervari.

*De veſtibus monachorum & monialium ex eodem concilio.*

Statuimus etiam ut juxta concilium proxime celebratum monachi & alii religioſi quilibet alterius coloris veſtibus, quam eorum ordini congruat, non utantur ſeu quotidianæ ſive pluviales exiſtant, ut monaſteria ſanctorum Auguſtini & Benedicti ad obſervationem ſuæ regulæ efficacius reformentur prohibemus diſtricte, ne quis abbas vel abbatiſſa duas habeat abbatias & nulli monacho vel moniali duo officia in monaſterio aſſignentur, niſi abbatis providentia de conſenſu capituli propter evidentem neceſſitatem vel utilitatem monaſterii aliter duxerit ordinandum.

*Ne quis eligatur in abbatem niſi profeſſus ex eodem concilio.*

Nullus monachus in abbatem & in aliquod officium, niſi dudum profeſſus fuerit, aſſumatur. Et ſi qui jam aliter ſunt aſſumpti, a ſuis removeantur officiis, & alii ſubſtituantur eiſdem, quod de monialibus etiam decernimus obſervandum. Hoc priori concilio in non profeſſorum odium adjungentes, ut cum juxta decretum Pelagii abbas ſit a monachis eligendus, nullus omnino non profeſſus quantacunque temporis diuturnitate in religione duraverit ad electionem abbatis aliquatenus admittatur, nec ei valeat ſuffragari ſive de facto ſive de conſuetudine, quod una cum ceteris monachis ad alios tractatus eccleſiæ antea ſit admiſſus.

*De profeſſione monachi.*

Novicii jam adulti ſi poſt annum probationis in manum abbatis facere profeſſionem recuſaverint, de monaſterio expellantur, quod etiam de monialibus obſervetur. Nullus monachus vel monialis in duobus monaſteriis locum habeat vel præbendam. Item quicquid monachus vel monialis, undecunque provenerit, adquirit, ſuis appropriare uſibus non præſumat, ſed totum in communes uſus monaſterii redigatur. Item nullus monachus vel monialis proprium quid habeat, & qui proprium habuiſſe in morte fuerint deprehenſi, eccleſiaſtica careant ſepultura, & qui ſepulti ſunt, jam exhumentur. Si quis vero ipſorum ad mandatum ſui prælati propriis renunciare noluerit, de monaſterio expellatur.

*De monachis & monialibus.*

Ludos alearum, chorearum, ſcacorum, taxillorum, annulorum & globorum monachis & monialibus prohibemus diſtricte. Item abbates & monachi mantella & chirothecas non portent, nec pannos de nigro bruneto vel alios pretioſos, ſed quanto poſſunt haberi pretii vilioris juxta quod præcipit regula eorundem: abbates & abbatiſſæ in communi dormiant dormentorio cum monachis vel monialibus ſuis, & in refectorio communi veſcantur, niſi quandoque juſta neceſſitas propter magnos & honeſtos hoſpites id minime obſervari compellat. Item tam abbatibus quam monachis vulpina pellicia & de cuniculis prohibemus ſed agninis tantum utantur. Item monachi calcios, qui ſtivales dicuntur, non habeant, ſed alios ſuæ regulæ competentes. Item abbates cappas rotundas ad modum epiſcoporum in uſu quotidiano non portent, ſed cum manicis ut eorum ordo poſtulat & requirat; nec ipſi nec monachi, qui equitant mantella deferant ſuper cappas, quas clauſas fore cenſemus. Hoc etiam ſtatutum lucidius declarantes ſtatuimus, ut tam monachi quam abbates in cappis nigris equitent & rotundis vel in habitu uſitato: inſuper inhibemus diſtricte, ne occaſione qualibet ſæculares perſonæ domos vel habitacula ſua faciant juxta monaſteria monachorum, quia frequenter ex hoc contra monachos ſiniſtra præſumtio eſt exorta, niſi forte alicui perſonæ omni ſuſpicione carenti id de conſenſu & auctoritate diœceſani epiſcopi permittatur. Abbas vero, qui contra hoc fieri conſenſerit, gravi ſubjaceat ultioni. Item abbas nullum monachum alterius monaſterii ſine literis dimiſſoriis proprii abbatis in ſuo monaſterio recipere vel tenere præſumat. Item monachi carnibus in refectorio non veſcantur niſi in infirmaria cum ægrotant. Item quicunque monachus in lapſum carnis ceciderit, de quo fuerit manifeſtum, ad nullam deinceps dignitatem, nec ad aliquod officium monaſterii aſſumatur, niſi propter manifeſtam emendationem & honeſtam ac religioſam converſationem ipſius per diœceſ. epiſcopum ſecum fuerit miſericorditer diſpenſatum: eidem quoque pœnæ ſubjaceat, ſi de hoc infamatus fuerit, nec canonice potuerit ſe purgare, & in pœnam ſui criminis, de cetero ultimus ſit in choro, & in capitulo vocem non habeat ad aliquam monaſterii ordinationem tractandam, niſi propter emendationem manifeſtam abbatis providentia de conſenſu conventus ipſum duxerit admittendum. Si vero abbas vel monachus in officio conſtitutus in ſimilem lapſum ceciderit, a ſuo ſtatim removeatur officio, quod circa præpoſitum fieri volumus, ſi de hoc infamatus fuerit, niſi canonice ſe expurget, & nihilominus pœnis illis ſubjaceat, quæ de ſimplici monacho ſuperius ſunt expreſſæ. Idem de

de abbatiſſis, & monialibus ſtatuimus obſervandum, & hæc omnia, quæ ſtatuta ſunt de monacho circa continentiam, propriorum abdicationem, & ſimilia, ad canonicos volumus regulares extendi, licet ad eſum carnium, & quædam alia regulæ inſerviant laxiori. Item præcipimus abbatibus, abbatiſſis, nec non aliis omnibus monaſteriorum rectoribus, ut ſubditis ſuis ſecundum uniuſcujuſque monaſterii facultatem tam in victu, quam in veſtitu neceſſaria amminiſtrent. Item juxta prioris ſtatuta concilii prohibemus, ne mulierculæ, quæ votum continentiæ emiſerunt, mutantes habitum ſecularem, nec tamen alicui certæ regulæ ſe adſtringentes per vicos paſſim diſcurrant. Sed ſi propriæ ſuppetant eis facultates, continenter in ſuis vivant domibus, & honeſte; Sed ſi ſunt pauperes manuum ſuarum laboribus, & honeſtis ſervitiis neceſſaria ſibi quærant, plebanis ſuis ſint ſubditæ, & eorundem conſilio reguntur.

*Ne aliqua admittatur in beginam ante quadrageſimum annum.*

Ad hoc quia juvencularum beginarum lapſus frequens & evidens ſtatum religionis deformat, & ſcandalizat plurimos: ſtatuimus, ut nulla de cetero in earum numerum admittatur, niſi quadrageſimum ætatis ſuæ annum exceſſerit, & probatæ opinionis exiſtat. Sexagenarium numerum quem ſcripſit apoſtolus talibus aſſumendis propter fragilitatem noſtri temporis ad quadragenarium numerum reſtringentes.

*De beghardis & beguttis.*

Sectam & habitum, nec non conventicula ſuſpicione mali non vacua beghardorum clamantium per vicos, & plateas civitatum, oppidorum, & villarum hoc vulgare brot durch got, nec non quaſlibet alias ſingularitates a ſancta Dei eccleſia non receptas colentium reprobamus in hoc ſacro concilio, & damnamus, mandantes ſub pœna ſuſpenſionis univerſis plebanis per civitates, diœceſ. & provinciam Moguntin. conſtitutis, ut tales beghardos, aut bikornos publice tribus dominicis diebus & feſtivis, ut hujuſmodi ſingularitates derelinquant & ſe teneant, ſicut alii chriſtiani, & quod non prædicent in cavernis, vel aliis locis publicis, vel ſecretis, & cum beginis ſe conformantibus eiſdem in moribus, habitu, & inceſſu. Alioquin ex tunc ipſos extra terminos ſuarum parochiarum per excommunicationis ſententiam auctoritate hujus concilii repellere non obmittant, denuncientque vicinis ſacerdotibus ut tales ſic repulſos in ſuis parochiis non admittant. Idem de beginis prædictis peſtiferis duximus ſtatuendum.

*Ne aliquis introeat domos beginarum.*

Sub pœna etiam anathematis prohibemus, ne clericus vel religioſus quiſpiam in domum intret earundem. Sed ſi quis ex juſta cauſa, & honeſta cuiquam earum loqui voluerit, hoc in eccleſia ſub bono teſtimonio faciat manifeſte, ne ſiniſtra contra ipſum ſuſpicio oriatur. Alioquin gravi ſubjaceat ultioni.

*Ex concilio Moguntinen.*

Plerique religioſi maximo ordinis ſancti Benedicti non verentur convivia frequentare ſæculares etiam perſonas ad ipſa cœnobia pro commeſſationibus invitantes, ex quo non ſolum ſcandalizantur extranei, ſed etiam confratres eorum, religio diſſolvitur, & honeſtas monaſtica deformatur. Cum igitur juxta ſanctorum ſtatuta canonum, & venerabilium conciliorum decreta monachorum non liceat undecumque provenerit aliquid ſuis uſibus propriare privatis, ſacri approbatione concilii talia de cetero fieri ex quacumque cauſa prohibemus. Si quis autem tranſgreſſor exiterit, pro qualibet tranſgreſſione carceralem octo dierum in graviori culpa ſubeat diſciplinam.

*Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Præterea & ſi contra monachos, & moniales de ſuis clauſtris propter aliquos enormes exceſſus, aut animi levitate temere fugientes, & in ſeculo ſeculariter per aliqua temporum ſpatia converſantes, & tandem pœnitentia ducti ad clauſtra de quibus profugere præſumpſerunt, humiliter redire volentes, certe & variæ pœnæ juxta qualitatem & quantitatem excedentium a ſanctis patribus ſunt ſtatutæ. Quidam tamen abbates & abbatiſſæ, ac ceteri magiſtratus pœnis in ſacris canonibus, ſive in ſui ordinis regula contra hujuſmodi profugas perſonas expreſſas non exiſtentes contenti, graviores & quaſi importabiles pœnas in ſui reverſione imponere non verentur. Vel quod deterius eſt, eaſdem perſonas quantumcumque humiliter poſtulantes ad ſua clauſtra, a quibus taliter exiverint, admittere inhumaniter contradicunt. Cum igitur juxta ſacrorum canonum diverſas auctoritates pœnæ non ampliandæ, ſed potius ſint laxandæ, & longe ſit ſecurius de miſericordia, quam de crudelitate reddere rationem. Cum & dominus per os prophetæ pollicitus ſit ſic dicens: Peccator in quacumque hora converſus fuerit & ingemuerit, omnium iniquitatum ſuarum amplius non recordabor. Nos advertentes, & ubi paterfamilas largus diſpenſator exiſtat, non decet familiam eſſe tenacem, ut peccandi materia & occaſio perſonis talibus præcludatur, provida deliberatione hujus ſacri concilii decrevimus ſtatuendum. Et ſub pœna ſuſpenſionis univerſis abbatibus & abbatiſſis, & ceteris monaſticis magiſtratibus, cujuſcumque ordinis aut conditionis exiſtant, aut quocumque nomine appellentur, injungimus firmiter, & diſtricte, ut ſuis fratribus & ſororibus in apoſtaſiæ labem ex quacumque cauſa prolapſis deſiderantibus, ac petentibus cum humilitate, ac devotione regreſſum ſinum miſericordiæ, quem alma mater eccleſia claudere nulli pœnitenti conſuevit more pii patrisfamilias, qui filium primo prodigum & poſtmodum pœnitentem paterne recepit liberaliter ſtudeant aperire, ita quod hujuſmodi perſonas redire ad ſua clauſtra volentes, quantumcumque graves fuerint earum exceſſus, vel enormes, juxta cujuſlibet ordinis diſciplinam ſive regulam & conſuetudinem obſervatam ſine qualibet contradictione recipiant & admittant, ita tamen quod propter eorum exceſſus, nec victus, nec veſtitus ſubtrahatur eiſdem, ſed alias ſicut prædiximus regulariter puniantur. Alioquin prædictam ſuſpenſionis ſententiam per ordinarios locorum ſeu officiales eorum in omnes contradictores procedente tempore, juxta quod eorum protervia meruit, præcipimus promulgari.

*De capitulis monachorum, Ex concilio fritzlar.*

Renovantes etiam concilium, quod noviſſime celebravimus, firmiter prohibemus, ne epiſcopi vel archidiaconi conceſſionibus eccleſiarum, quæ fiunt templariis, hoſpitalariis, vel aliis religioſis cujuſlibet approbationis conſenſum ullo modo exhibeant,





ANNO CHRISTI 1310.

niſi requiſito & habito prius conſenſu capituli eccleſiæ cathedralis aliter conceſſiones hujuſmodi ſive factas ſive de cetero faciendas vires decernimus non habere.

*De religioſis officiantibus eccleſias Ex concilio Moguntinen.*

Ad hoc cum religioſi quidam alicubi ſui ordinis per fratres officiant eccleſias ſibi unitas, & id fratribus ipſis ſit diſſolutionis occaſio, quia idem eo promptiores ſunt ad lubricum quo ex religioſo titulo ſe autumant exemptos, ac prælati eorundem per archidiaconoſtales corrigi minime patiantur. Sed quaſi pro ordinis ſcandalo evitando ipſos ad domos ſuas revocant, vel ad alias parochias mittunt illos, auctoritate hujus ſacri concilii hoc duximus annectendum, ut religioſorum eccleſiæ non per fratres eorum officientur, ſed per clericos ſæculares, ut ſaltem de reliquiis, quæ de menſa religioſorum ceciderint, ſuſtentari valeant pauperes ſacerdotes, qui in vituperium noſtri miniſterii publica egeſtate laborant, ita quod hinc ſint veriſſima illa verba dicentis in canone: Mendicat infelix clericus in plateis.

*De jure patronatus ex conc. Mogun.*

Ad extirpandam illam deteſtabilem corruptelam quorundam patronorum eccleſiarum, qui rectoribus eorum defunctis ſpoliant dotem & eccleſiam omnibus rebus mobilibus & interdum immobilibus in ſalutis propriæ diſpendium & ſcandalum plurimorum, ſtatuimus ut ſive clericus ſive laicus hoc facere præſumpſerit, ſit a jure præſentandi ea vice ſuſpenſus, & loci archidiaconus & ſi ipſe negligens fuerit, ſuperior eccleſiam conferat ipſa vice. Uterque autem excommunicetur & arctius evitetur, donec cum debita ſatisfactione reſtituat ſic ablata.

*Ex concilio Moguntinen. domini Petri.*

Quia plerique advocati eccleſiarum ſuis terminis non contenti ultra penſionem & redditus ſeu proventus ab antiquo eis deputatos diripiunt & uſurpant ſibi bona & res dictarum eccleſiarum, propter quod ſpiritualia, quæ ſine temporalibus eſſe non poſſunt conſiſtere, dictis eccleſiis ſubtrahuntur. Statuimus ut ſi plus trinam ammonitionem de reſtituendis hujuſmodi ablatis factam prædicti non reſtituant nec ſatisfaciant, ut tenentur, ex tunc ipſo facto a jure advocatiæ decernimus prædictos cecidiſſe idem contra patronos eccleſiarum, quæ bona clericorum decedentium ſibi uſurpant contra ſtatuta Lugdunen. concilii ita jure patronatus cadant ac præſentandi; & hoc ſtatutum per locorum ordinarios diſtrictiſſime, invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis, decrevimus exequendum.

*De conſecratione eccleſiæ vel altaris, Ex concilio fritzlar.*

Et quia de eccleſiarum reconciliatione dubitari conſuevit a multis præſentis ſuper auctoritate concilii declaramus, quod eccleſia violata per alium quam per epiſcopum reconciliare non poteſt, cum ea, quæ ſunt epiſcopalis ordinis, non niſi epiſcopo valeant demandari.

*De celebratione miſſarum Ex concilio fritzlar.*

Auctoritate quoque præſenti diſtrictius prohibemus, ne aliqui ſacerdotes in eccleſiis vel parochiis infra miſſam animarum ſolennem miſſam celebrent pro defunctis, niſi rogati fuerint a defuncti parentibus & amicis, & tunc unam vel plures celebrent ſubmiſſa voce ſine nota.

*Ex eodem concilio de Sacramentis conferendis.*

Ut ſacramenta eccleſiæ mundius & reverentius miniſtrentur, priori concilio inhærentes ſtatuimus ut ſacerdotes baptiſmum, oleum infirmorum, ſeu viaticum miniſtrantes camiſiis albis vel ſuperpelliciis ſint induti, quæ pœnes altare reſerventur, & in eundo & redeundo cum infirmos viſitant, pariter & in miſſa eis utantur.

*De celebratione miſſarum, Ex Concilio Domini Petri Monguntinen.*

Prædeceſſores noſtrorum ducti veſtigiis ſtatuimus inhibentes ſub pœna ſuſpenſionis, quam in omnes temerarios tranſgreſſores hujus ſacri approbatione concilii decernimus proferendam, ut nullus ſacerdotum noviciorum illa die qua celebrare debuerit primam miſſam in exordio ſacratiſſimi publicationis ſui officii oblaturus Deo primitias gratiæ ac ſalutis ſibi collatæ aliquos ad convivium invitare aut invitatos habere aut procurare per ſe vel per alium ullo modo præſumat, ſed ad ſolum Deum, cujus militiæ eſt adſcriptus, dirigat aciem ſui cordis maxime die illa devotus curis & ſollicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum diſtrahuntur exutus, remotis vanitatibus, hiſtrionum curſibus, tumultibus & inſolentiis reproborum, qui etiam ſæpe venire aſſolent non vocati. Si quis aut ante vel poſt octo pluriumve dierum ſpatio intermedio amicorum honeſtam convocationem habere voluerit, illud abſque hiſtrionum tumultibus fieri non vetamus.

*De baptiſmo & ejus effectu, Ex concilio fritzlar.*

Baptiſmus cum ſumma reverentia celebretur maxime in diſtinctione & in prolatione verborum, in quibus ſacramenti virtus conſiſtit, his ſcilicet verbis. Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Doceant etiam ſacerdotes, tam mares quam fœminas, in neceſſitate debere parvulos baptiſare eadem forma in ſuo idiomate, & quod patres & matres proprios infantes, ſi ſumma neceſſitas exigat, poterunt baptiſare. Et ſi ſacerdotes ſuper hoc diligentius requirentes debitam formam in baptiſmate obſervatam invenerint, quod factum eſt approbent, ſupplentes circa baptiſatum quoad unctionem olei in pectore & in ſcapulis & chriſmatis in vertice quod a laicis eſt obmiſſum. Si autem in baptiſmate debitam formam non invenerint obſervatam, non differant pueros baptizare.

*De cuſtodia euchariſtia ex eodem.*

Item ſtatuimus, ut in cunctis eccleſiis baptiſmus, oleum, chriſma, & euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa manus temeraria extendi: pallę quoque altaris vaſa & corporalia & veſtimenta miniſtrorum munda & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum in ſacris canonibus ſordes negligere, quę non decerent etiam in profanis.

De

*De obſervatione jejuniorum.*

Ad hoc etiam prohibemus, ne quis adultus pariter & diſcretus ordinaria & ſtatuta jejunia, ut quadrageſimale, quattuor temporum & vigiliarum præſumat infringere; nec hujuſmodi neceſſaria jejunia prætextu votivi & extraordinarii jejunii violent, cum tale damnum tali lucro Deus nolit compenſari. Inhærentes priori concilio pravam quorundam conſuetudinem reprobamus, qui ſextam feriam violant, ſabbato, quarta feria vel alia die ebdomadali jejunantes hoc decreto fieri hujus auctoritate concilii reprobamus & firmiter prohibemus.

*De eccleſiis ædificandis ex eodem.*

Prohibemus etiam, ne religioſi vel quilibet alii eccleſias de novo fundare vel fundatas transferre ſine epiſcopi diœceſani licentia, & ſine primarii lapidis benedictione præſumant, aliter fundata eccleſia diruatur, & is qui fundavit, ſi clericus exiſtat, vel monachus, ab officio ſuſpendatur, alia pœna nihilominus juxta ſuperioris arbitrium puniendus. Si laicus exiſtat, uſque ad ſatisfactionem condignam excommunicationis vinculo innodetur. Item altaria ſuperflua per eccleſias parochiales omnia tollantur, cum ſingulis eccleſiis non conventualibus ad plus tria ſufficiant; ne altare aliquod de novo fiat niſi epiſcopo permittente; nec tunc etiam niſi eidem altari tantum in proventibus aſſignetur ut ſaltem luminaria ultra victum miniſtri habeant competenter.

*Ex concilio Moguntinen.*

Inhibemus, ne religioſi vel alii quilibet eccleſias de novo fundare vel fundatas transferre, &c. Cum igitur ex hoc, quod aliqui in civitatibus, oppidis, villis, & interdum in rure vel nemore ſe paſſim receptantes eccleſias oratoria conſtituant & cappellas, quas abinde poſtmodum recedentes deſolatas dimittunt, loca ſacra contingat ſæpius profanari, auctoritate ſacri concilii duximus ſtatuendum, quod nullus ex epiſcopis iſtis, qui interdum in conſecrationibus eccleſiarum vices diœceſanorum exercent in locis de novo fundatis vel fundandis, eccleſiam, oratorium dedicent ſeu cappellam aut lapidem primarium ponant, niſi de diœceſani licentia ſpeciali, ut juxta proviſionem prioris concilii ad taxationem diœceſani ſacræ domui provideatur de dote & lumine competenti, ne talibus recedentibus ea facilitate, qua veniunt, loca ſacra deſolari & profanari contingat, & ob hoc etiam quod antequam adventantes de novo firmentur in loco diœceſani providentia præcaveat, ne parochialis eccleſiæ, infra cujus terminos ſe recipiant, ſint ſucceſſu temporis nocumento. Ad hæc illis epiſcopis, qui vices diœceſ. in conſecrationibus gerunt, prohibemus expreſſe, ne generalis promiſſionis prætextu aliquas conventuales eccleſias dedicent quoquo modo, vel in eis primarium lapidem ponant, niſi eis hoc a diœceſano ſpecialiter committatur, interpretatione congrua declarantes, quod idem epiſcopi ratione commiſſionis hujuſmodi cum diœceſanorum ſubditis diſpenſandi ligandi & ſolvendi eoſdem in manifeſtis caſibus vel occultis nullam obtineant poteſtatem, niſi diœceſanus eis hoc duxerit ſpecialiter concedendum.

*Ex concilio fritzlar.*

Hoc præſentis auctoritate concilii declarantes, quod epiſcopus primarium lapidem benedicere, & in fundamento locare in perſona propria teneatur, nec benedictionem lapidis nec poſitionem ejuſdem debeat alii quam epiſcopo demandare.

*De emunitate eccleſiæ & cimiterii, Ex concilio Moguntinen.*

Excommunicamus etiam & anathematizamus omnes, qui dedicatas Deo eccleſias auſu ſacrilego profanantes faciunt munitiones de ipſis & ad firmandum eas perfodiunt cimiterium, oſſibus mortuorum ejectis, omnes quoque adhibentes operam concilium, vel juvamen decernimus excommunicationis ſententiæ ſubjacere; Eccleſias etiam taliter profanatas, & nihilominus omnia illa loca, in quibus auctores aut opem conſilium vel operam vel juvamen præſtantes habent domicilia vel receptacula, ſubjicimus ex nunc eccleſiaſtico interdicto, in graviorem etiam pœnam ſubtrahantur, eorum familiæ eccleſiaſtica careant ſepultura, donec eum debita ſatisfactione munitio deſtruatur.

*Ex concilio Monguntinen.*

Præterea quia quidam a perſonis eccleſiaſticis contra libertatem earum & approbatam conſuetudinem ex antiquis obtentam temporibus ab eis pedagia & thelonea interdum extorquent injuſte, tales ad abſtinendum ab hujuſmodi earum angariis, & ad reſtituendum ſic extorta injuſte per ordinarios ſuos monitione præmiſſa per eccleſiaſticam cogantur cenſuram.

*Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Ad hoc ſacro approbante concilio irritamus & irrita nunciamus omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ civitates vel loca, poteſtates conſules vel quæcunque aliæ perſonæ contra libertates eccleſiæ aut perſonas eccleſiaſticas edere vel ſervare contra canonicas ſanctiones præſumpſerint, & eaſdem a ſuis capitulariis mandamus infra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem ſtatuti penitus aboleri & ſi ſimilia de cetero attentaverint, ipſo jure decernimus eſſe nulla. Poteſtas vero & omnes ſtatuarii ipſorum locorum, & qui ſecundum ſtatuta & conſuetudines memoratas judicaverint, ex tunc inhabiles ad omnem in eccleſia legitimum actum, ſalvis nihilominus pœnis aliis contra tales in generali concilio promulgatis.

*Privilegium de exactionibus factis.*

Item ſtatuimus, ut quæcunque civitas vel communitas, perſona publica vel privata collectas ſive actiones angarias ſive per angarias eccleſiis vel aliis piis locis aut eccleſiaſticis perſonis imponant, vel bona eccleſiaſtica invadere præſumant, quadruplum refundant, ſi requiſiti contempſerint emendare.

*De emunitatibus ſervandis de juriſdictione eccleſiaſtica.*

Juriſdictionem eccleſiaſticam præterquam per vias a canonibus indultas nullus attentet aliquatenus impedire, & eccleſiarum vel aliorum locorum emunitatem hactenus de jure vel de conſuetudine obtentam infringere aut aliqualiter violare.

*Privilegia.*

Novas etiam exactiones, quæ vulgo ungelt di-





cuntur nulla civitatum imponat, & ab inſtitutis poſt hujuſmodi edicti publicationem infra menſem deſiſtant, nec menſuras rerum venalium ab antiquo ſervatas, & a fidelibus approbatas minuere, vel immutare præſumat de ſervis, & mancipiis eccleſiarum in civitatibus reſidentibus poſt eorum ſervorum mortem eccleſiæ debita jura quorum ſervi, & mancipia fuerint recipere minime prohibeantur.

*De occupatione bonorum eccleſiarum, & eis attinentium.*

Inſuper ſtatuimus, ut perſona quacumque nobilitate, aut præeminentiæ ſtatu præfulgeat, eccleſias, aut eccleſiaſtica bona, jura, juriſdictiones, & vaſſallos eorum violaverit, aut auctoritate propria publice occupare, aut occupando invadere, vel ſcienter occupantibus eccleſias, & bona prædicta præſtare præſumat quomodolibet per ſe, vel per alium, aut alios conſilium, auxilium, vel favorem, & niſi infra menſem eccleſiæ læſæ, vel prælato ipſius damnum illatum emendaverit, ipſo facto ſit anathematis vinculo innodatus. Decedentium etiam clericorum peculium occupare, vel occupando detinere omnibus laicis, ſub anathematis pœna ex nunc prout ex tunc in ipſos lata diſtrictius inhibemus, de iſta materia habeatur recurſus ad VI. li. ti. in eodem.

*De ſponſalibus, & matrimonialibus ex concilio [illegible]*

Matrimonium ſecundum quod in concilio noviſſime celebrato ſtatuimus, ut cum omni reverentia, & honore in conſpectu eccleſiæ celebretur. Et cum matrimonium fuerit contrahendum per presbyteros in eccleſiis tribus diebus dominicis, & feſtivis a ſe diſtantibus publice proponatur, ut ſi quoddam impedimentum contrahendi matrimonium noverint aliqui illud infra terminum competentem ab ipſis presbyteris præfigendum in facie eccleſiæ ſine difficultate revelent: excommunicationis quoque ſententia in genere proferatur in omnes hujuſmodi impedimentum celantes a qua ſine ſatisfactione debita nullatenus abſolvantur. Et ſi qui tempore hujuſmodi denunciationis præſentes fuerint, & impedimentum celaverint poſtmodum, nec ad accuſationem, nec ad teſtimonium contra ipſum matrimonium admittantur.

*Ex eodem concilio fritzlar.*

Cauſas matrimoniales nullus ſacerdos, archipreſbyter, vel plebanus ſine ſpeciali mandato epiſcopi audire præſumat, aliter ejus ſententia, vel proceſſus, nullam obtineat firmitatem, & ipſe tranſgreſſor duriſſime puniatur.

*De cognatione ſpirituali.*

Item ſtatuta canonum, in quibus eſt provide ordinatum, ut nullus baptizatus a ſacerdote cum eiſdem ſacerdotis filia audeat matrimonium contrahere, cum inter talem baptizatum, & ſacerdotis filiam ſpiritualis fraternitas generetur, firmiter præcipimus obſervari.

*Ut tantum unus patrinus aſſumatur.*

Statuimus, ut unus tantum ſumatur patrinus in ſacramento baptiſmatis, & confirmationis ad impedimenta matrimonii præcavenda.

*Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Nullus quoque ordinandus de non petendo beneficio ab ordinatore, ſive præſentatore ipſius cautionem, vel promiſſionem aliquam interponat: quia hoc ſimoniacum eſt, & contra canonicas ſanctiones.

*De ſimonia, & ne aliquid pro ſacramentis exigatur, Ex eodem.*

Verum quia aliqui ſacerdotes ex ſimplicitate ſui juris ignorantiam quid ex avaritiæ vitio, quæ fere omnium oculos exæcavit, dum euchariſtiam, oleum ſanctum, ſepulturam, aut alia ſacramenta eccleſiaſtica ſuis ſubditis amminiſtrant pretium extorquent ab ipſis pro ſui erroris, & reatus defenſione longam illius loci conſuetudinem prætendentes, nec advertentes, quod diuturnitas temporis peccatum non diminuit, ſed augmentat, nos inhærentes concilio Turonenſi, quod hujuſmodi conſuetudinem maxime deteſtatur, ne pro hujuſmodi, aut aliquibus ſacramentis conferendis aliqua de cetero munera quantumcumque modica per prælatos vel ſacerdotes a ſuis ſubditis tanquam debitum exigantur ſub pœna excommunicationis ſententiæ tam latæ, de approbatione hujus ſacri concilii diſtrictiſſime prohibemus, niſi munera hujuſmodi ſponte, & caritative a Chriſti fidelibus offerantur, archidiaconis, & eorum officialibus ſub eadem pœna firmiter injungentes, ut in ſingulis ſynodis, ſive capitulis quibus ſolent clerici convenire, de hujuſmodi vitio inquiſitionem faciant ſpecialem, & quos in eodem per probationes legitimas invenerint laborare, ſi vicarii fuerint, ipſos ſine omni ſpe reſtitutionis a ſuis archidiaconibus amoveant. Paſtores vero ab officiis, & beneficiis tamdiu ſubpendere non obmittant, donec ſuper hujuſmodi ſimoniaca pravitate cum ipſis per ſuos epiſcopos fuerit diſpenſatum. Prædicta vero ſuſpenſione paſtorum durante archidiaconis de redditibus beneficiorum nihil percipiant eorum. Sed Sacerdotes idoneos in eccleſias conſtituant taliter ſuſpenſorum, qui per omne tempus ſuſpenſionis percipiant, & in ſuos uſus convertant univerſos redditus eccleſiaſticos ipſis paſtoribus competentes: dignum enim eſt, ut qui altari ſervit, vivere debeat de altari. Sed illi proventus eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui eccleſiæ communio denegatur.

*De Judæis ex eodem concilio.*

Licet olim in generali concilio provide fuerit inſtitutum, ut uterque ſexus de gente Judæorum in omni chriſtianorum provincia ſignum, vel habitum publice deferre debeant, & frequenter, quo a populo chriſtiano manifeſte diſtingui valeat, & diſcerni, fuitque adjectum, & ſalubriter proviſum in concilio memorato, ut in diebus dominicæ paſſionis in publicum prodire non debeat gens prædicta, ſed in ſuis ſe continere domibus clauſis domorum oſtiis, & feneſtris, ne ſicut in eodem concilio tangitur chriſtianis, qui ſacratiſſimæ paſſionis memoriam exhibentes lamentationis ſigna prætendant illis diebus ab eodem Judæorum populo illudatur. Licet etiam in aliis ſacris canonibus prohibitum inveniatur expreſſe, ut Judæi, nec publica officia, nec aliquas ſæculares dignitates habeant, aut in ſuis domibus, & ſervitiis mancipia teneant chriſtiana. Quia tamen nec contra Judæos in prædictis prohibitis caſibus contrarium facientes, nec contra chriſtianos potentes ipſos ſine diſtinctionis ſigno, vel habitu in ſuis terminis tolerantes, aut publicis officiis, vel ſæcularibus dignitatibus præficientes eoſdem certa, & ſufficiens pœna in canonibus reperitur. Conſiderantes prout facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, & plus ſolet timeri, quod generaliter imperatur de multa deliberatione, & unanimi approbatione hujus concilii irrefragabiliter duximus ſtatuendum, ut in univerſis civitatibus, oppidis, caſtris & villis civitatis, diœceſ. & provinciæ Moguntinen. gens Judæorum utriuſque ſexus infra duos menſes poſt publicationem hujus ſtatuti talia ſigna, & habitum, quibus ſine qualibet ambiguitate a chriſtiano populo diſtinguatur ſibi eligat, & deferat manifeſte, dignitateſque ſæculares, & officia publica, ſi quibus de gente præfata forte aliquis præeſt, & mancipia chriſtiana prorſus dimit-

ANNO CHRISTI 1310.

dimittant. Alioquin in omnibus locis ubi Judæi huic ſacro, & ſalubri concilio in hac parte obedire nolentes habitare, vel domicilia obtinere noſcuntur, in pœna chriſtianorum potentum tamdiu ceſſetur ab officiis divinorum, donec per principes, & nobiles, ac poteſtates chriſtianos, in quorum territorio prædicta gens miſera conſervatur, ad obſervationem præmiſſorum omnium compellatur, ipſi autem per locorum dioceſ. indirecte per ſubtractionem communionis fidelium excommunicationis ſententia percellantur. Si quis vero de gente præfata in die paraſceves viſus fuerit in plateis, vel per oſtium ſuæ domus proſpicere, ad quod probandum duorum chriſtianorum ſtabilitatem in juramento ſtabilitur, idem loci dioceſano in marca argenti pœnæ nomine teneatur ad ejus ſolutionem reus, & omnes defendentes eundem per excommunicationis ſententiam compellantur. Et ne quis chriſtianus, aut Judæus hujus ſtatuti ignorantiam valeat allegare, univerſis parochiarum rectoribus per Moguntinen. civitatem, dioceſ. & provinciam conſtitutis, in quorum parochiis Judæi morantur ſub pœna excommunicationis in quoſlibet tranſgreſſores, auctoritate præſentis concilii ex nunc latæ præcipimus firmiter, & diſtricte, ut quilibet in ſua parochia ſingulis dominicis diebus ſingula quatuor tempora ipſa immediate ſubſequentibus infra miſſarum ſolemnia præfatum ſtatutum lingua materna exponere non obmittat.

*De ſervitiis Judæorum ex concilio domini Petri Moguntinen.*

Item cum in ſacro concilio olim ſacratiſſime ſit ſtatutum, ne Judæi ſub alendo puerorum obtentu, nec pro ſervitio, nec pro qualibet alia cauſa chriſtiana mancipia habere permittatur in domibus ſuis. Et quod excommunicentur chriſtiani, qui cum ipſis præſumpſerint habitare, cum ipſi propter continuam converſationem, & aſſiduam familiaritatem ad ſuam ſuperſtitionem, & perfidiam execrabilem incontinentium poſſint ſimplicium chriſtianorum animos de facili inclinare; nos qui Dei injurias graviter portamus, hujus canonis auctoritate ſtatuimus, ut omnes chriſtiani noſtræ provinciæ ſub quocumque prætextu domibus Judæorum inhabitantes infra duos menſes poſt publicationem hujus ſtatuti de Judæorum domibus nunquam poſtmodum reverſuri recedant. Alioquin chriſtiani contrarium facientes, per ſententiam excommunicationis percellantur. Et alii chriſtiani tamdiu a Judæorum familiaritate & commercio coerceantur, quamdiu Judæi hujuſmodi chriſtianos in domibus ſuis præſumpſerint retinere.

*De hæreticis ex concilio Fritzlar.*

Excommunicamus, & anathematizamus omnes hæreticos quibuſcumque nominibus cenſeantur, facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipſum. Damnati vero per eccleſiam ſæculari judicio relinquantur, animadverſione debite puniendo, clericis vero a ſuis ordinibus degradatis.

*De redeuntibus ad ritum Judæorum.*

Statuimus, immo ſtatutum Bonifacii publicamus, ut chriſtianos, qui ad ritum tranſierint, vel redierint Judæorum, etiam ſi hujuſmodi redeuntes dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen præciſe, ſed coacti baptizati fuerint tanquam contra hæreticos, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut per chriſtianos, vel Judæos convicti: & ſicut contra fautores, receptores, & defenſores hæreticorum, ita contra fautores, receptores, & defenſores talium per locorum ordinarios procedatur.

*De raptoribus, & ſpoliator. clericorum.*

Alexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis capitulo, & clericis civitatis, & dioceſ. Moguntinen. ſalutem, & apoſtolicam benedictionem; His qui ab eccleſiarum prælatis pro ipſorum utilitatibus, & defenſione libertatis eccleſiaſticæ provide ſtatuuntur digne adjicimus apoſtolice muniminis firmitatem, ut intemerata conſiſtant cum noſtro fuerint munimine communita. Significaſtis quidem nobis, quod bonæ memoriæ Gerhardus archiepiſcopus Moguntinenſ. prædeceſſor ſuus, auctoritate apoſtolica edidit, contra illos, qui prælatos, & canonicos Moguntinen. civitatis, & dioceſ. auſu ſacrilego capere, & detinere captivos contra libertatem eccleſiaſticam præſumebant, non fuerat ſufficienter eorum malitiis obviatum, & volens contra tantæ iniquitatis malum ſalubriter providere, diligenti meditatione præhabita ſui capituli, nec non archidiaconorum, aliorumque prælatorum eorumdem civitatum, & dioceſ. concilio, & aſſenſu ſtatuit, & ordinavit, ut in terminis archidiaconi illius, ubi prælatum, vel religioſum aliquem, ſeu clericum ſacris ordinibus conſtitutum, & pro clerico ſe gerentem capi, vel detineri conſtiterit, eo ipſo ceſſetur ab officio divinorum. Statuit inſuper, & etiam ordinavit, ut in omnibus locis, in quibus clericorum captivatores, & eorum complices, qui eis in hujuſmodi maleficio, conſilium, vel auxilium præſtiterint, domicilium, ſeu juriſdictionem de facto, vel de jure obtinerent, in illis quoque locis ubi tales receptacula habuerint, infra eaſdem civitates dioceſ. ſervetur diſtrictiſſime interdictum, ita videlicet, ut corpora mortuorum ad ſepulturam eccleſiaſticam nullatenus admittantur. Et ſi forte in eccleſiis, vel cimiteriis per abuſum laicalis potentiæ hujuſmodi corpora tumulata fuerint, in eis præfatum interdictum, niſi prius ejectis exinde prædictis corporibus nullatenus relaxetur. Alia etiam ſtatuta ſalubria, & honeſta contra præſumptores eoſdem in favorem ejuſdem libertatis eccleſiaſticæ archiepiſcopus edidit ſupradictus, prout in eiſdem literis confectis exinde plenius continetur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc ab eodem archiepiſcopo provide factum eſt, ratum habentes, & ratum illud auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenorem literarum ipſarum de verbo ad verbum inſeri facientes præſentibus, qui eſt talis.

*Confirmatio hujus, & aliorum ſtatutorum. De captivatoribus clericorum, Ex concilio Moguntinen.*

In nomine Domini amen. Gerhardus Dei gratia ſanctæ Moguntinen. ſedis archiepiſcopus, ſacri Imperii per Germaniam archicancellarius, univerſis per Moguntinen. dioc. conſtitutis ſalutem in Domino. Cum per illud ſtatutum, quod dominus Sifridus piæ memoriæ prædeceſſor noſter olim contra captivatores clericorum edidit auctoritate ſedis catholicæ ſuper hoc ſtatuendo ſpecialiter ſibi data non ſit adhuc ſufficienter proviſum; aliaſque prælati, & clerus noſtræ dioc. a nonnullis perditionis filiis multipliciter aggraventur contra eccleſiaſticam libertatem, quia nova contra novos morbos oportet antidota præparari, multa deliberatione præhabita, de conſilio, & conſenſu archidiaconi, prælatorum, & capellani noſtri, ſtatuimus, & ideo nunc in quoſlibet tranſgreſſores excommunicationis ſententiam promulgamus, ut non ſolum in terminis illius archidiaconatus, in quo prælatum, vel religioſum aliquem, ſeu clericum habentem ſacros ordines, & pro clerico ſe gerentem temere captivari. Sed in terminis archidiaconi,



ANNO CHRISTI 1310.

in quo quempiam clericum detineri conſtiterit, ipſo facto ceſſetur ab officiis divinorum, ut ſic tam nobiles, quam magnates, quam etiam populares cum plebe contra malefactores hujuſmodi ex divinorum carentia provocati conſurgant ad liberationem illius, qui auſu ſacrilego detinetur, captivo auxilium præſtaturi. Specialiter autem in omnibus locis illis, in quibus captivatores, & eorum complices noſtræ dioceſ. in maleficio ipſis conſilium, auxilium, aut juvamen præſtantes domicilium obtinent, & ſive de facto, ſive de jure juriſdictionem exercent, aut ubi habent receptaculum obſervetur diſtrictiſſime interdictum. Ita videlicet, quod corpora mortuorum ad eccleſiaſticam ſepulturam nullatenus admittantur, quinimmo ſi per violentam laicalem in eccleſiis, vel cimiteriis fuerint tumulata; ibi enim relaxetur aliquo modo ſententia interdicti, niſi prius ejectis illis corporibus ſic per laicalem potentiam tumulatis. Durante etiam hujuſmodi interdicto ſacerdotes aliud facere non præſumant, niſi quod in diebus dominicis propoſito ſuis plebibus verbo Dei, pronunciatis quoque diebus feſtivis, quæ in illa ſeptimana occurrunt, eos aqua benedicta aſpergant, nullum omnino dicant officium in aperto (Hic ſervatur decretalis alma) ſemel in hebdomada, abſque ſigno campanarum clauſis oſtiis cum ſuo tantum miniſtro pro conficiendo viatico ſub ſilentio Miſſam dicant, præfatum interdictum juxta modum, & formam præſcriptam reverenter, & fideliter ſervaturi. Archidiaconi quoque, & eorum officiales in aliis locis noſtræ dioceſ. requiſiti, prædictos ſacrilegos ab omnibus ſuis ſubditis excommunicatos denunciare faciant publice ſingulis diebus dominicis & feſtivis, donec captivatus liber & indemnis cum ſatisfactione debita dimittatur.

*Etiam contra captivatores clericorum, ex eodem concilio Aſchaffenburgen.*

Nos igitur ſtatuta ipſa non ſolum approbamus, verum etiam duximus adjungendum, firmiter ſtatuentes, quod ſi temerarii captivatores clericorum aliquos de familia ſua habuerint utputa Capellanos, conſules, & ſcriptores, idem ſe ſtatim retrahant a communione eorum, non ſolum in divinis, ſed etiam in menſa, & aliis quibus excommunicato quomodolibet communicatur illicite. Item nec conſiliis eorum interſint, niſi forte tractatum haberent cum eis de procuranda liberatione eorum, quam ſi infra duos menſes procurare non potuerint, ſub pœna excommunicationis jam latæ ſententiæ præcipimus, quod ex tunc non ſolum a conſilio, & ſcribendo ſe abſtrahant, ſed omnino recedant ab eis, quam ſi idem clerici per unum menſem ſuſtinuerunt ex tunc periculum ſuorum beneficiorum incurrant; ita quod ipſorum beneficia aliis conferri valeant, nec non inhabiles ad alia capienda ex tali mora reddantur, ad hoc ſtatuimus, ut advocatus qui patrocinium, vel defenſionem aſſumpſerit quorumlibet clericorum detentorum, ac eos qui eis occultum dederint conſilium, vel litteras excuſationis dictaverint, vel ſcripſerint, vel litteras quaſcumque a ſuperiore impetraverint, quibus a liberatione clerici, vel refuſione damnorum, vel de ſatisfactione eccleſiæ ſe quoquo modo de facto valeat colorare, niſi prius clericum dimiſerit ablata reſtituerit, ac eccleſiæ ſatisfecerit de offenſa, excommunicationis ſententiæ innodamus.

*Alia pœna ut captivatores eccleſiarum feudis ſint privati.*

Statuimus etiam, ut manufidelis amicus, vel aliquis habens poteſtatem rerum captivati permittat, vel det aliquid pro liberatione ipſius, vel de dando interponat ſe, vel alias aliquam cautionem, quod ſi contra ſtatutum hujus ſacri concilii quiſquam in caſu hujuſmodi inventus fuerit aliquid dediſſe, vel promiſiſſe in tanto dioceſano pene nomine teneatur. Adjicientes, quod ſi detentor clerici per unum menſem clericum detinuerit captivatum, aut eo dimiſſo infra annum a tempore captivitatis clerici computandum ſatisfactione neglecta non obtinuerit ſe abſolvi, ex tunc ab omnibus feudis cadat ipſo jure, quæ a quibuſcumque eccleſiis dinoſcitur obtinere. Hæc omnia contra captivatores epiſcoporum multo fortius volumus obſervari, eo adjecto, quod epiſcopo captivato, clerici, & familia captivatoris ſtatim recedere teneantur, quod quæ tales captivatores ipſo facto non ſolum a jure cadant perpetuo feudorum, quæ captivitatis tempore a quibuſcumque eccleſiis detinebant, verum etiam ipſo facto cum omni ſua poſteritate fiat inhabilis in æternum ad feuda quælibet, quæ habebat captivitatis tempore, proprietati eccleſiæ applicentur. Et hi qui feuda ejus duxerint concedenda, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Quod ſi proximi domini feudorum feuda illa, in quibus caſibus præmiſſis epiſcoporum, vel clericorum captivatores ceciderint, infra menſem unum, vel aliis concedere, vel ad ſe neglexerint revocare, ex tunc feudorum ipſorum collatio ad ſuperiorem proximum devolvatur, quod de occiſoribus, & mutilatoribus clericorum multo fortius volumus obſervari.

*De concilio Aſchaffenburgen.*

Præterea cum in prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis per pœnas contra captivatores clericorum proditas adhuc non eccleſiis, nec eccleſiaſticis perſonis ſufficienter proviſum exiſtat. Conſiderantes, quod pro unius delicto ſacri canones interdum puniri præcipiunt totam terram, & nonnunquam propter parentum peccata in tertiam, vel quartam generationem filii puniuntur. Nos de ſimilibus ad ſimilia procedere cupientes provida deliberatione hujus ſacri concilii prædeceſſorum noſtrorum ſtatutis duximus annectendum, irrefragabiliter ſtatuentes, ut non ſolum eorum filii, qui canonicos etiam in minoribus ordinibus conſtitutos, & ceteros clericos etiam pro clericis ſe gerentes, ac alias perſonas eccleſiaſticas captivare, vel captivos detinere, occidere, mutilare, aut letalibus, ſive nimis atrocibus vulneribus, quibus per medicorum induſtriam nequit ſubveniri vulnerare præſumunt. Sed & omnes eorundem ſacrilegorum utriuſque ſexus ab ipſis deſcendens poſteritas uſque ad quartam generationem, nec ad ſacros ordines, nec ad aliqua eccleſiaſtica beneficia, nec in clauſtris, nec cœnobiis cujuſcumque ordinis admittantur. Quod ſi contrarium factum fuerit ex malitia, vel ex ignorantia, ordinatos ab executione ordinum perpetuo volumus eſſe ſuſpenſos. Receptos vero ad beneficia eccleſiaſtica ſecularium eccleſiarum pro non receptis haberi decernimus ipſo facto. Sed ne perſonis in monaſteriis ſive clauſtris receptis detur materia ad ſæculum redeundi, eas in ipſis monaſteriis quidem volumus remanere; ita quod in conventu ſint, & ultimæ reputentur, & nunquam ad beneficia, ſeu dignitates aliquas aſſumantur. De illis autem perſonis, quæ in eccleſiis conventualibus, aut monaſteriis ante hoc noſtrum ſtatutum inveniuntur promotæ, auctoritate hujus ſacri concilii hoc diſtrictiſſime præcipimus obſervari, ut ſi parentes ipſorum aliquid commiſerint præmiſſorum, prædictæ perſonæ ob hujuſmodi parentum ſuorum delictum, nunquam ad perſonatus, vel dignitates aliquas aſſumantur, ſed in ſuis

Anno Christi 1310.

ſuis gradibus perſiſtentes ad ulteriores officiantur inelegibiles ipſo facto omnibus aliis pœnis contra ordinantes, præſentantes, & recipientes perſonas hujuſmodi in priori concilio conſtitutis in ſuo robore duraturis.

*Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Item a nonnullis in dubium revocantur quælibet ſtatuta contra eccleſiaſticarum perſonarum ſpoliatores a noſtris prædeceſſoribus edita intelligi debeant & ſervari præſertim, cum ſpoliator infra octo dierum ſpatium, non quod ſuper reſtitutionem ſpolii faciendam concilium ſtatuit Moguncin. coram judice a quo emanavit, monitionis edictum comparuit, & ſe juri obtulerit pariturum, dummodo juxta ſpolium ſibi impoſitum ordo judiciarius obſervetur. Nos hujuſmodi ambiguitatem approbatione hujus ſacri concilii taliter duximus declarandam, ut ſi conquerens de ſpolio, ipſum ſpolium eſſe notorium aſſeruit coram judice, & ſuper tali ſpolio notorio monitionis litteras impetraverit actor poſt lapſum in ipſorum octo dierum ad probandum hujuſmodi notorium admittatur, ſive reus abſens fuerit per contumaciam, ſive præſens; Quo probato reus ad reſtituendum ea quæ actor ſe per ipſius violentiam amiſiſſe declaravit, cum expenſis obinde factis, & ſatisfactione condigna ſententialiter compellatur. Si vero in probatione defecerit notorii reo condemnabitur in expenſis, & ex tunc lite quaſi conteſtata ſuper ſpolio probando obſervabitur debitus ordo juris, quod ſi is cui impoſitum eſt ſpolium, infra terminum monitionis comparens, ſe juri obtulerit pariturum, libellumque & inducias deliberatorias petierit ſibi dari; in hoc caſu dicimus taliter diſtinguendum: aut actor, tanquam ſuper notorio contra reum: aut in ſimplicitationis forma litteras impetravit. In primo caſu ad probandum notorium lite etiam non conteſtata ſine prorogatione qualibet admittatur, & hoc probato rem ablatam juxta legitimam declarationem ipſius cum expenſis legitimis & ſatisfactione debita per condemnationem judicis conſequetur. Alioquin reus ab actoris inſtantia quantum ad ſpolium ſibi impoſitum totaliter abſolvetur cum refuſione legitima expenſarum. Et hunc modum, & proceſſum ſimiliter circa eum, qui infra monitionis terminum, juſto impedimento detentus venire non poterit, & hoc legitime probaverit, per omnia volumus obſervari literas autem ſuper ſpolio a ſolis dioceſanis locorum, & eorum officialibus præcipimus impetrari, alias ab aliis judicibus impetratas carere viribus decernentes.

Inſuper ſtatuimus, ne perſona quantacumque nobilitate, aut præeminentia ſtatus præfulgeat, eccleſias, aut eccleſiaſtica bona, juriſdictiones, & vaſſallos eorum, violenter, aut auctoritate propria publice occupare, aut occupando invadere, vel ſcienter occupatoribus eccleſias, aut prædicta bona præſtare præſumat quomodolibet per ſe, vel per alium, aut alios conſilium, auxilium, vel favorem, & niſi requiſitus per eccleſiæ læſæ, aut prælato ipſius damnum illarum emendaverit, ipſo facto ſit anathematis vinculo innodatus, decedentium etiam clericorum peculium occupare, vel occupatum detinere omnibus laicis ſub anathematis pœna ex nunc, prout ex tunc in ipſos lata diſtrictius inhibemus.

*Contra captivatores clericorum ex concilio Domini Petri Moguntinen. & eſt hoc capitulum omnium præcedentium, & ſequentium approbatio, & innovatio.*

Sacri hujus approbatione concilii ſtatuta prædeceſſorum noſtrorum contra captivatores, detentores, occiſores, mutilatores, vulneratores, & ſpoliatores clericorum, nec non multo fortius epiſcoporum edita ſpecialiter innovamus, approbamus, & per totam provinciam Moguntinen. præcipimus, ut pupillam oculi cuſtodiri ab omnibus, & cum ſumma diligentia obſervari etiam contra incendiarios, effractores, & deſtructores temerarios eccleſiarum Dei, contra quos ſimiliter ſtatuta hujuſmodi provide ſtatuentes, ut in omnibus caſibus, in quibus abſolutio vel diſpenſatio eſt petenda in cauſa vel cauſis in conciliorum ſtatutis quomodolibet comprehenſis, & maxime in præſcriptis, ut clerus, & eccleſiæ conſerventur in pace, poſt ſatisfactionem debitam, & condignam, Metropolitanus qui pro tempore fuerit Moguntinen. valeat diſpenſare, prævia ratione. Ita ſi ei per epiſcopum loci, vel offic. ſuum ſupra ſatisfactione hujuſmodi patentibus literis, & bonis nunciis deſtinatis fuerit facta fides.

*De uſuris, & uſurariis ex concil. Aſchaff.*

Contra uſurarios juxta ſtatutum Lateranen. concilii procedatur, ut ſi notorius fuerit ipſorum exceſſus, ſine diſtinctione qualibet eccleſiaſtica careant ſepultura, nihilominus eorum hæredibus ad reſtituendum uſuras per cenſuram eccleſiaſticam compellendis. Si quis autem tales ſepelire præſumpſerit, ſuis beneficiis ſpolietur, excommunicationis ſententia ſingulis diebus ſolemnibus proferatur in omnes quicumque uſuras de cetero præſumpſerint exercere, hoc priori concilio adjungentes, ut ſi notorii uſurarii demum in ægritudine conſtituti abſolvi deſiderent, nullatenus audiantur, niſi primitus ſatisfaciant, vel hæredes ſuos tales habeant, quod pro eis ſatisfaciant in quantum poſſibile fuerit de uſuris.

*Ex concilio Moguntinenſ. domini Petri. Alias habetur ex concilio domini Gerhardi de uſurariis.*

Statuit & hoc dominus Gerhardus, ut in uſurarios omnes cunctis diebus dominicis, & feſtivis per locorum plebanos, & eorum vicarios auctoritate noſtra excommunicationis ſententia proferatur. Ita ut qui publice exercent uſuras, aut qui coram eccleſia de uſura convicti fuerint, vel confeſſi, aut qui per juratos villarum pro uſurariis ſunt publice proclamati, excommunicentur ſolemniter nominatim. Qui vero de uſuræ vitio ſola ſunt ſuſpicione notabiles, niſi data ſibi ſuper hoc a prælatis, plebanis, ſive vicariis, certis terminis ſe de hujuſmodi vitio legitime coram eccleſia expurgaverint, & debitores uſurarum, & fidejuſſores datos forſitan ſuper eis abſolverint ſimpliciter, vel publice ab uſuris excommunicentur ſimiliter nominatim cum eis qui ſolvunt uſuras, nec accuſant eos poſt monitionem factam eiſdem infra menſem ab uſurariis autem manifeſtis juxta Lateranenſ. concilium nullus omnino oblationes recipiat, nec ad communionem admittantur altaris. Nec ſi in hoc deceſſerint peccato recipiantur ad eccleſiaſticam ſepulturam. Qui autem contra præmiſſa fecerint, ea quæ acceperint, reſtituere compellantur, & donec ſecundum noſtrum arbitrium ſatisfecerint, ab officii maneant executione ſuſpenſi. Tales autem ſi reſipiſcere non curaverint a peccato, deinde poſt reſtitutionem, quæ male extorſerunt per uſurariam pravitatem, ſi ad reſtitutionem omnium eorum ſuffecerint facultates, vel ſi in totum ſolvendo non fuerint prius reſtituta ea ad quam ſufficerent portionem de reddendo reſiduo fortuito tempore ſufficientem cautionem adhibeant eis, vel eorum hæredibus, ſi exiſtant a quibus extorſerunt uſuras. Alioquin pau-

peri-



Anno Christi 1310.

peribus, vel piis locis juxta ordinationem judicum ſedis noſtræ, aut archidiac. Satisfactione idonea præſtita cautione ab eiſdem judicibus, aut archidiac. abſolutionis beneficium conſequantur. Nos enim ſolum eis abſolutionem talium duximus committendam, ne per quorundam ſacerdotum ſimplicitatem, & per malitiam aliorum, qui contra reſtitutionem hujuſmodi proprium quæſtum quærunt, non ſalutem animarum, vel commodum proximorum, quibus eſt merito reſtitutio facienda contra uſurarios aliquid incongruum ſtatuatur; quod ſi uſurarii præſcripti ſub ſpe finalis pœnitentiæ & abſolutionis extremæ claves eccleſiæ ſane contempſerint, & temere ſuſtinuerint anathema, ſeque in extremis abſolvi petierint juxta proviſionem fritzlar. concilii, non ſtatim ſub proprio juramento eſt eis abſolutio imponenda, niſi prius cuncta male extorta reſtituant, dummodo tantum in bonis mobilibus & immobilibus habeant, quod reſtituere valeant univerſa, vel ſaltem refundant in quantum eorum facultates ſe extendunt, & de reliquo refundendo, & ſatisfaciendo eccleſiæ ſanitate recepta, & copia rerum nacta dederint fidejuſſores idoneos, conſanguineoſque, ac affines, quod fidejuſſores tales non extiterint, & in eis appareant vera ſigna pœnitentiæ recepta ſub forma præſcripta propr[illegible]antur ad pœnitentiæ, & euchariſtiæ ſacramentum. Sed in pœnam tam diuturni contemptus clavium eccleſiæ ad terrorem aliorum negetur eis extrema unctio & eccleſiaſtica ſepultura, niſi forte ſuadente cauſa legitima. Hoc a nobis ex gratia contigerit indulgeri. Ad quæ etiam duo ultima conſequenda non ſufficiant proprium juramentum, & pœnitentiæ ſigna præmiſſa cum pater, & mater male adquiſita reſtituere ſint parati. Sed forſitan filii contradicunt, & pro parentibus nolunt præmiſſas exponere cautiones. Vel cum uxor pro marito, vel e converſo maritus pro uxore ſimilia facere detrectaverit. Adjicientes quod ſi uſurarii manifeſti per menſem unum temere in excommunicatione duraverint; ex tunc uxoribus, & filiis, ac propriis ipſorum mancipiis divina ſacramenta, & euchariſtia ſubtrahantur, baptiſmate parvulorum, & pœnitentia morientium exceptis. Servientibus aliis, & ancillis, & conductitiis, & colonis eorum excommunicationis gladio feriendis.

Præterea cum delictum privilegium emunitatis non habeat, & delinquenti pœna non dignitas merito communicetur, ſtatuimus, ut quilibet, ſive miles, ſive miniſterialis noſter exiſtat, ſeu quocumque privilegio fori præſcriptione præfulſerit ſuper uſuris ceſſante in hoc crimine omni privilegio a noſtris judicibus valeat conveniri, cum privilegium meretur amittere, qui ſui fori & honoris tam utiliter abutitur poteſtate. Nihilominus, & hoc contra captivatores ſpoliatores eccleſiarum, ſive clericorum, ſive miniſteriales ſint, vel alias gaudeant privilegio, & contra fidejuſſores datos ab uſurariis volumus obſervari, videlicet quod per noſtros judices valeant de talibus inſolentiis coartari.

*De crimine falſi ex concilio fritzlar.*

Et quia plerique falſarii litteris apoſtolicis, & aliorum prælatorum teſtimoniis aſſerunt ſe munitos, hoc ſanctum decrevit concilium, ne tales qualiacumque ſcripta deferant a clericis, vel a cujuſlibet aliis perſonis eccleſiaſticis recipiantur in eccleſiis vel in domo, niſi prius ipſorum litteræ per epiſcopum dioceſis, ſi ejus copia poſſit haberi; alioquin per capellanum eccleſiæ cathedralis examinatæ fuerint diligenter, & niſi ipſius epiſcopi, vel capellani litteris teſtimonialibus ſint muniti. Et hoc ideo quia per ſacerdotes ſimplices non poteſt de facili litterarum veritas, vel facultas indagari ſane quæcumque perſona eccleſiaſtica citra hanc formam tales receperit, ipſo jure ab officio & beneficio per triennium ſit ſuſpenſa, alia pœna nihilominus juxta ſuperioris arbitrio punienda. Illud quoque præſentis auctoritate concilii huic capellano duximus annectendum, ut ſi tales ſine dictis litteris teſtimonialibus petitiones ſuas præſumpſerint promovere, plebani civitatis, & villarum, ac alii ad quos veniunt, eos cum rebus eorum per ſeculare judicium, ſi alias detineri non poſſint, non dubitent occupare, dioceſano ſeu archidiac. præſentandos.

*De ſortilegiis.*

Excommunicamus, & anathematizamus omnes ſortilegos, firmiter prohibentes, ne ab alio, niſi a ſuo epiſcopo, niſi forte in mortis articulo abſolvantur; & hanc excommunicationis ſententiam ſingulis diebus dominicis & feſtivis per ſacerdotes in eorum eccleſiis & capellis præcipimus publicari.

*De clerico excommunicato miniſtrante ex concilio fritzlar.*

Cum ſcriptum ſit in lege Domini, quod quicumque non obtemperaſſent ſacerdotibus, ut extra caſtra poſitus dilapidabatur a populo, aut gladio cervice ſubjecta expiabant contemptum, & in primitiva eccleſia inobedientes ejecti de eccleſia rabido ore dæmonum trahebantur multi nomine ſacerdotes cenſuram eccleſiæ contemnentes excommunicati, vel ſuſpenſi a prælatis ſuis exigentibus culpis eorum, & immemores, quod epiſcopis, & prælatis clavium cœlorum ſit collata poteſtas attentare ſibi interdicta miniſteria non verentur. Contra quos volumus rigorem eccleſiaſticum exercere. Statuimus igitur, ut tales ſine ſpe reſtitutionis ab officio deponantur, & infames, ac deteſtabiles facti de cetero ad beneficia eccleſiaſtica nullatenus admittantur, niſi per pœnitentiam approbatam, & converſationem laudabilem ſedis apoſtolicæ gratia meruerint obtinere.

*De privilegiis, & exceſſibus privilegiatorum.*

Præterea ſtatuimus, ne religioſi cujuſcumque religionis, vel ordinis exiſtant privilegiati fines ſuorum excedant privilegiorum, cum privilegium mereatur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate. Si qui etiam religioſorum per donationem, vel alium legitimum titulum jura patronatus aliquorum beneficiorum eccleſiaſticorum adquiſierint talia beneficia propria temeritate ſuis uſibus non uſurpent, ſed eis vacantibus ad ea ſacerdotes idoneos præſentent, alioquin elapſo tempore a jure ſtatuto ordinarius loci, prout eccleſiæ expediat, providum inſtituat vicarium. Si quas etiam eccleſias parochiales, infra quarum limites religioſi, & monaſteria haberent, terras, agros, prata, vel vineas, aut alia bona, de quibus jure decimam ſolvere tenentur in decimatione defraudaverint, omnes ipſis ad hoc opem, vel operam dantes, & ipſorum ſervitiis intendentes, decernimus ipſo facto excommunicationis ſententiam incurriſſe. Quicumque vero auſu temerario contra prædictam conſtitutionem venerit, cujuſcumque ſtatus fuerit vel conditionis, ipſo facto ſit anathematis vinculo innodatus. Et ſi clericus fuerit qui talia commiſerit, aut opem vel operam, conſilium, aut auxilium prædicta, vel aliquod prædictorum adhibuerit perpetrandi, omnibus ſit beneficiis eccleſiaſticis, & dignitatibus privatus, & ad ulteriora percipienda ſit omnino inhabilis, & indignus, laicorum etiam contra præſentem noſtram conſtitutionem in aliquo venien-

nientium filii & nepotes uſque in quartam generationem, niſi ſufficienter injuriam paſſis ſatisfactum fuerit, ad omnem honorem & dignitatem eccleſiaſticam inhabiles decernimus eſſe, & etiam inhibemus ſub anathematis pena, quam ex nunc in omnes contrarium facientes ferimus eoſdem in eccleſia Dei ulterius promoveri.

*De injuriis & conviciatoribus, Ex concilio Aſchaffenburgen.*

Et quia de canonicis, & ceteris clericis, & aliis conviciatoribus, & percuſſoribus per prædeceſſorum noſtrorum concilia, ſeu ſtatuta nulla certa forma, & pena præter eam quæ jure communi comprehenditur invenitur expreſſa. Nos attendentes quod plus timeri ſolet, quod ſpecialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur; approbatione totius concilii neceſſario duximus ſtatuendum, ut canonicus qui ſuæ vel alterius eccleſiæ canonicum verbis probroſis affecerit per quartam. Si vero convicia manifeſta dixerit in prælatum per mediam partem anni a tractatu, & conſortio ſui capituli, necnon a perceptione fructuum ſuæ præbendæ penitus ſit excluſus. Si quis autem canonicorum in prædictas perſonas etiam citra ſanguinis effuſionem manus injecerit temere violentas, penas prædictas dupliciter patiatur: pro vulnere vero hujus perſonæ ab aliquo canonicorum illato, ſi etiam nulla membri mutilatio ex tali vulnere fuerit ſubſecuta, ſine omni remiſſione per præmiſſas pœnas quadrupliciter puniatur. Et inſuper in utroque caſu juxta ſuæ dioceſis arbitrio leſo ſatisfaciat competenter antequam reſtitutionis beneficium aſſequatur. Sed pro temeraria membri mutilatione omni beneficio eccleſiaſtico ipſo jure privatus. Quæ omnia & ſingula circa alios clericos beneficiatos ſi perſonas eccleſiaſticas prædictis modis ledant, vel ledantur ab ipſis juxta prædictam formam, & ordinem ſub pœnis ejuſdem præcipimus obſervari. Salvis tamen aliis pœnis in ſacris canonibus contra temerarios violentarum manuum in clericos injectores expreſſis. Salvis etiam aliis juribus quæ vim vi repellere permittunt,

*De pœnis qui epiſcopum percuſſerit.*

Hoc ſacro approbante concilio ſtatuimus, ut ſi quis in hoc ſacrilegii genus irrepſerit, quod archiepiſcopum, vel epiſcopum fuerit hoſtiliter inſecutus, vel percuſſerit, aut ceperit, vel fieri juſſerit, vel factum ratum habuerit, vel conſilium dederit aut favorem; aut poſtea receptaverit, vel defenſaverit eundem, ſicut reus criminis leſæ majeſtatis perpetuo ſit infamis diffidatus, nihilominus bannitus ſit inteſtabilis, & dentur cuncta ejus ædificia in ruinam. Et ut perpetua notam infamiæ perpetua ruina teſtetur nullo tempore reparentur, nullus ei debita reddere, nullus ei in judicio reſpondere teneatur. Quid quod etiam in bonis ipſius inveniatur ipſi eccleſiæ cujus eſt epiſcopus applicetur, & ex illis nihil tranſmittat ad poſteros. Sed potius cum ipſis quodammodo damnentur, & ſua ſi qua vero feuda officium, vel beneficium ſpirituale, ſeu temporale ab aliquibus eccleſiis obtinet, ſit ipſis ipſo jure privatus, quæ ſic libere ad eccleſias convertantur, quod eccleſiarum rectores cum ipſis pro ſua voluntate diſponant, quod ſi quis prædictorum filios habeat vel nepotes per rectam lineam deſcendentes beneficiatos quovis beneficio, ſint eis ipſo jure privati. Nulli præterea talium filiorum vel nepotum per virilem ſexum deſcendentium ab eiſdem alicujus aperiatur janua dignitatis, aut honoris eccleſiaſtici vel mundani. Et ut magis famoſa ſit ejus infamia ab omnibus actibus legitimis repellatur, Volumus etiam & ſtatuto præſenti adjicimus, ut in executione prædicta, ut ex injectione manuum violenta ipſo facto excommunicationis ſententiam quis incurrat, & tam inſecutor, quam alii ſupradicti tanti mali participes, quamdiu in ſua contumacia perſeveraverint, ſingulis diebus dominicis & feſtivis, pulſatis campanis, & candelis accenſis per omnes illius eccleſias locis in quibus tantum fuerit facinus perpetratum, nec non civitatum & dioceſ. vicinarum excommunicati publice denuncientur, Nec ab alio quam a provinciali concilio vel a ſummo pontifice poſſunt abſolutionem præter quam in mortis articulo obtinere. Cum autem fuerint abſolvendi, primo ſufficienter, & idonee caveant quod inferendæ pœnæ peribunt, & auxiliante domino pœnitentiam peragent. Injungendum deinde per omnes illius loci eccleſias principales vicinorumque locorum diebus dominicis & ſolemnibus incedant nudi coram populo, femoralia tantum habentes, & virgas ſeu ferulas ferentes in manibus, cum quibus per eaſdem eccleſias publice fuſtientur. Ituri poſtmodum ad ſedem apoſtolicam, & ibidem acturi pœnitentiam per annum integrum, nec inde poſtmodum reverſuri abſque dicti archiepiſcopi, vel epiſcopi leſi, ſeu ſic offenſi, & eccleſiæ ſuæ licentia ſpeciali. Ceterum cum tales gratiam reconciliationis meruerint, beneficio abſolutionis obtento indulgeatur eis licentia, ut ſua & ſuorum injuriam perſequantur, & debitorum illorum quæ contracta fuerint de poſtmodum adquiſitis repetitio non negetur. Præterea præcipimus, ut ſi præſides provinciarum domini, ſeu rectores ſculteti, ac alii domini temporales civitatum, oppidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum contra præſumptores prædictos præſentis ſtatuti tenorem diſtricti obſervent, & faciant obſervari, quod ſi non fecerint tam ipſi, quam officiales eorum infra menſem, poſtquam res ad notitiam eorum pervenerit, eo facto ſententiam excommunicationis incurrant. Civitates vero, & univerſitates aliæ, quæ talia præſumentes receptaverint, vel quæ in his conſilium, vel auxilium dederint, vel infra menſem ſaltem taliter delinquentes, prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas eis affuerit non duxerint puniendos, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.

*De pœnitentia, & de pœna confeſſorum revelantium confeſſiones. Ex concilio fritzlar.*

In confeſſionibus audiendis maximam adhibeant diligentiam ſacerdotes. Ita ut pœnitentibus uſitata peccata, & communia ſingulatim; inuſitata vero tantum per quaſdam circumlocutiones caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante neſcierant perpetrandi. Caveat autem omnino ſacerdos, ne verbo, vel ſigno, vel aliquo modo prodat aliqualiter peccatorem. Sed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque omni perſonæ expreſſione caute perquirat, quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum. Verum quia quidam confeſſores etſi perſonam confitentis non exprimant circumlocutionibus confitentium, & peccati confitentis circumſtantiis ſub quodam generalitatis involucro indirecte publicant confitentem, Concilium proxime celebratum clarius elucidando, ſtatuimus, ut nullus ſacerdos expreſſa religione, conditione, ſeu ſtatu alicujus peccatum recitet confitentis, immo nec peccati qualitas, locus, ſeu vicinia perpetrati facinoris ſpecificetur ullo modo, cum ex hujuſmodi circumlocutionum indiciis auditoris induſtria perſonam interdum eliciat peccatoris, & ex ſpecificatione

pecca-





peccati, humana fragilitas ad perpetrandum ſimilia, forſitan provocetur.

*De viſitatione infirmorum & confeſſione eorumdem.*

Et quia plerumque infirmus confiteri ſua peccata, propter multorum præſentiam erubeſcit, id a ſacerdotibus præcipimus diſtrictiſſime obſervari, ut prius familiariter & ſecrete audiant confeſſionem ipſius. Si mortis periculum non exiſtat, & poſtea ad eum cum devotione deferant, & reverentia cum habitu condecenti euchariſtiam ſalutarem,

*De reconciliationibus pœnitentium.*

Quia reconciliationis miniſterium vilipenditur a pleriſque eo quod ad reconciliationem paſſim quilibet admittatur, niſi literas plebani ſui, vel ſacerdotis exhibeat continentes utrum pœnitentiam injunctam ſibi vel ſaltem partem peregerit, & utrum vere penitens videatur. Nec ad reconciliationem recipiantur aliqui, niſi veſtem, & tonſuram habeant ſolenniter penitentis, ut ex his utrum vere & perfecte peniteant, vel non, cognoſcantur.

Prohibemus etiam ne quis ſacerdos ab uno ſibi confitente de aliorum peccatis nominibus, ſibi expreſſis inquirat. Et ne miſſas quas penitentibus procurandas injunxerit ipſemet celebrare preſumat, & pro vivis ne fiat aliquod tricenarium vel annuale,

*De confeſſionibus audiendis [illegible]*

Quamvis eccleſia toleret quod cum conniventia proprii ſacerdotis ſubditi plebanorum pro maturiori conſilio adipiſcendo, religioſis quibuſdam confiteantur interdum, nolumus tamen, immo ſacri concilii auctoritate ſub pœna excommunicationis, jam latæ ſententiæ vetamus omnibus religioſis, ne ſubditos plebanorum maxime autem beginas, & beckardos aut incluſas ac alias perſonas hujuſmodi communicent corpore domini, aut alia porrigant eccleſiaſtica ſacramenta parvulis, vel adultis, Hoc etiam ſub eadem pœna omnibus religioſis firmiter inhibentes, ut cum ſtationes & proceſſiones ſolennes quas obſervat eccleſia generalis ex inſtitutione eccleſiæ & magnæ auctoritatis, & multæ opitulationis exiſtant: utpote in quibus dominus honoratur vocibus communibus, & placatur, ne populum abſtrahant ab eiſdem prædicatione, tunc temporis inſtaurando immo in prædicationibus ſuis ſedule proponant eiſdem quod talibus tenentur intereſſe & quod peccant ſe amplius ab hoc abſtrahendo. Et idem etiam populo frequentius exponant quod ad matricem eccleſiam in præcipuis feſtivitatibus tenentur accedere ac illam ſui præſentia honorare a qua ſacramentorum gratia in eo quaſi ex fontali gurgite influit, & deſcendit. Ipſique tunc abſtineant ab omnibus allectivis, quibus abſtrahi poſſet populus, quo minus ad ſolennitatem veniat ſuæ matris.

*De indulgentiis in dedicationibus, Ex eodem concilio.*

Præterea cum indulgentiarum nimietas claves eccleſiæ contemptibiles reddat, pœnitentialem ſatisfactionem enervet, pontificalem auctoritatem annihilet; generali concilio inherendo ſtatuimus quod nullus in dedicatione cujuſlibet baſilicæ det indulgentiam ultra annum ſeu ab uno epiſcopo ſive a pluribus dedicetur. Et in anniverſario xl. dies. In dedicationibus autem talium ac ordinum temporibus relaxare catenas ac penitentes introduci omnino vetamus. Sed hoc fiet tantummodo in feſto cœnæ domini ad hoc ordinato,

*Ex conci. Aſchaffemburgen. alias fritz,*

Sacerdotes frequenter moneant plebem ſuam, ut in initio xl. ad confeſſionem veniant & ſaltem in reſurrectione Chriſti accipiant corpus dominicum, ſi velint inter catholicos reputari.

*Ex concilio fritzlar.*

Quia frequenter in penitentiis injungendis quidam caſus emergunt qui propter ſacerdotum ignorantiam expediri non poſſunt, & qui etiam diſpenſationem epiſcopalem requirunt, ideo ſalubriter duximus ſtatuendum, quod quilibet epiſcopus eo quod propter occupationes multiplices ejus copia quandoque haberi non poteſt, unum penitentiarium juxta ſe habeat honeſtum, providum, & diſcretum, & nihilominus alium inſtituat in eccleſia ſua cathedrali, ut ſaltem ad ipſorum alterum recurſus in hujuſmodi caſibus habeatur qui etiam in illis caſibus in quibus epiſcopi diſpenſandi obtinent facultatem, ipſorum auctoritate diſpenſent Archidiaconi quoque archipresbyteri & plebani ſuis ſubditis plebanis in penitentiali judicio diſcrete injungant, ut in caſibus memoratis ſive occulti ſive manifeſti exiſtant recurſum habeant ad pœnitentiarios ſupradictos, opportunum ab eis conſilium requirentes.

In furtu, rapina, uſura, fraude ante omnia injungant pœnitentibus, ut ſi poſſint ablata reſtituant; alias nulla valebit eis ſatisfactio ad ſalutem, cum non dimittatur peccatum niſi reſtituatur ablatum.

*De caſibus apoſtolicæ ſedi reſervatis.*

Sunt autem tria peccata que injungendis in ſatisfactionibus ſunt domino apoſtolico reſervanda, ſcilicet in clericos vel quoſcumque religioſos injectio manuum violenta eccleſiarum, vel religioſorum locorum incendia & ſimonia in ordine perpetrata. In aliis vero peccatis minoribus ſecundum quantitatem culpe, & pluralitatem confitentis poſſibilitatem ſatisfactionem temperent ſacerdotes.

*De caſibus epiſcopo reſervatis.*

Statuimus quod ſacerdotes in ſatisfactionibus injungendis in religione ſedeant, majora majoribus reſervent, utpote homicidia ſacrilegia, incendia, peccata contra naturam, concubitum perſonarum conventualium in ſacris ordinibus conſtitutarum. Inceſtus videlicet cum conſanguinea vel affini, vel cum ea quæ votum caſtitatis emiſit, publicæ injectiones manuum in parentes, oppreſſiones parvulorum, negligentia pereuntium in igne, vel in aqua natos amittentium, veneficia, perjuria ſolennia, fidei fractores, votorum tranſgreſſores, ſimonia, adulteria, hæreſes, apoſtaſias, Maleficia eorum qui maleficiunt conjuges ne poſſent coire, vel qui procurant ſterilitatem mulierum, vel abortum, falſarios qui ſigilla litere, vel monetam falſificant in hujuſmodi peccatis, vel ſimilibus detentos, mittant ſacerdotes ad epiſcopos abſolvendos, nec abſolvant preterquam in mortis articulo abſque loci epiſcopi licentia ſpeciali. Declarantes quod illi quibus hoc duxerimus committendum, poteſtatem illud aliis perſonis non habeant committendi: in dubio autem conſulent epiſcopum, vel ejus vices gerentes vel alios ſapientes quorum conſilio penitentem abſolvant, vel tranſmittant ad alium abſolvendum.

*De ſententia excommunicationis.*

Quia clerici & quidam laici vinculo excommunicationis aſtricti fiducia finalis pœnitentiæ & abſolutionis extremæ claves eccleſiæ contemnunt tempore ſanitatis hujus ſancti concilii auctoritate ſtatuimus, ut tales in extremis ad reconciliationis beneficium nullatenus admittantur. Duntaxat ſub proprio juramento niſi idoneam cautionem præſtent quod ſive moriantur ſive convaleſcant per ſe, vel per ſuos, in quantum eſt ipſis poſſibile, ſatisfaciant de commiſſo.

*Ex eodem concilio.*

Plerique clerici ac etiam alii cum excommunicationis publice communicaſſe contra conſcientiam arguuntur, eo ſe prætextu malitioſe ſe excu-

ſant

ANNO CHRISTI 1310.

ſant quod excommunicatio talium eis ſpecialiter non fuerit nunciata. Unde neceſſario ſancti approbatione concilii ſtatuimus decernendo, ut poſtquam excommunicationis, vel interdicti ſententiæ publice proferantur, & in cathedrali eccleſia ſynodo vel capitulo, vel alias in locis debitis ſolenniter promulgantur, non ſit neceſſarium eas diverſorum auribus inculcari, immo poſt publicationem hujuſmodi ſinguli ad vitandum taliter excommunicatos etiam ſi ſpecialiter eis denunciati non fuerint dummodo qualitercumque eis excommunicatio innotuerit teneantur, cum talis ignorantia craſſa ſit penitus, & ſupina.

*De injuſta excommunicatione.*

Quantæ præſumptionis & temeritatis exiſtat quod qui ſervare debent canonicas ſanctiones in quibus apertius continetur quod nullus aliquem ſine rationabili cauſa excommunicare præſumat, eas frangere non formidant; pluresque non animo juſtitiæ ſed livore odii vel favore adverſariorum excommunicationis vinculo innodantes nullus peritus ignorat: quare firmiter prohibemus ne quis excommunicationis ſententiam in aliquem niſi competenti ammonitione præmiſſa & præſentibus perſonis idoneis, per quas ſi neceſſe fuerit poſſet probari ammonitio, promulgare præſumat. Et ſi prælatus contra hoc fecerit & ammonitus errorem ſuum non revocaverit, per menſem ab ingreſſu eccleſiæ ſit excluſus.

*De excommunicatione.*

Si epiſcopus aliquem excommunicaverit certa de cauſa, denunciat viciniſ epiſcopis per ſuas patentes literas ut excommunicatum faciant denunciari & vitari. Et tunc ſine difficultate aliqua vicini epiſcopi excommunicatum faciant publice denunciari & vitari, & in diœceſibus ſuis arctius evitari. Si vero epiſcopi in hoc fuerint negligentes, vel excommunicatis communicaverint tamdiu cathedralium eccleſiarum canonici ſibi non communicent, quamdiu huic ſalubri ſtatuto præſumpſerint obviare.

*De his qui corpora mortuorum ſepeliunt tempore interdicti ex concilio aſchaffenburg.*

Item in quibuſdam locis, ut accepimus, in tantum excrevit temeritas, & præſumptio laicorum, quod ſi quando auctoritate ordinaria ſeu delegata in terram, villam aut caſtrum interdictum generale ponatur, idem laici officium ſacerdotum, immo quod tunc temporis ipſis ſacerdotibus eſt prohibitum, uſurpare conantes ut eccleſiaſticam per hoc cenſuram magis elidant, apud loca taliter interdicta ſepelire præſumunt in cimiterio corpora mortuorum licet autem jam pridem contra præſumptiones hujuſmodi inter alia ſit proviſum, ut non prius reſumantur divina quam tumulata ſic corpora fuerint exhumata. Quia tamen per illos contra quos interdictum ponitur, antequam ſatisfaciant frequenter in pactum deducitur, ut exhumationis pœna ab ordinario ſeu delegato ante omnia ſimpliciter dimittatur, ne forte hujuſmodi delinquentium temeritas hac occaſione impunita remaneat, & per hoc ceteris detur audacia ſimilia præſumendi, ſacri approbatione concilii ſtatuimus, & mandamus ut quicumque ammodo intra cimiterium loci interdicti aliquod corpus ſeu corpora defunctorum ſepelire præſumpſerit, ac qui talia præſumentibus opem vel operam quocumque modo exhibuerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, a quo niſi per ſolum metropolitanum vel diœceſanum, aut cui ſuper hoc vices ſuas ſpecialiter commiſerint, abſolvantur: metropolitanus vero vel diœceſanus, vel eorum in hac parte vicarius nequaquam ad impendendum talibus beneficium abſolutionis procedant niſi prius ſepultis taliter corporibus exhumatis eccleſiæ & perſonis quibus ex hoc injuria dinoſcitur irrogata ſatisfactum fuerit competenter, & niſi ſuper facta exhumatione & ſatisfactione præſtita ordinarii, aut ſi copia ipſorum haberi non poterit officialium ſuorum literas abſolvendi, ipſi pro teſtimonio exhibeant & oſtendant.

*Ex concilio Moguntinen. domini Petri.*

Juxta ſanctorum patrum ſtatuta excommunicatis nec vivis, nec defunctis communicare licet, & ſtatim cum in ſuis eccleſiis parochialibus, vel in aliis prout jura permittunt, denunciati fuerint, nominatim mox ab omnibus, tam ab exemptis quam non exemptis debent vitari. Nec ex tunc aliquis, qui ſcire tenetur, credat ſe per ignorantiam excuſari cum talis denunciatio publica neque poſſit, neque debeat ſingulorum auribus inculcari.

*De verborum ſignificationibus.*

Intelligentia verborum ex cauſis dicendi, aſſumenda eſt; verba, quæ intentioni deſerviunt, ea etiam quę in voce earum, quę in anima paſſionum notæ ſunt, in omni ſermone ad communem verbi intelligentiam recurrendum eſt.

*De regulis juris.*

Sanctorum patrum regulis, & ſtatutis quilibet chriſtianus regatur in vita verbis, & factis ut ſciat & faciat quod acceptum eſt omnipotenti Deo, qui vivit, & regna per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Felicis recordationis domini Wernheri prædeceſſoris noſtri veſtigiis inherentes quædam ex ſtatutis ipſius per quam bona, in hoc ſacro concilio duximus innovanda, cum moderatione infraſcripta, de fratrum noſtrorum conſilio ſtatuentes, ut archidiaconi & officiales eorum civitatum diœceſ. & provinciæ Mogunt. ſuper cauſis decidendis per ipſos certis finibus, quos præfatus dominus Wernherus archidiaconus, eccleſiarum Mogunt. & eorum officialibus poſuiſſe dinoſcitur ſc. ut de cauſis ſuper matrimoniis, eccleſiæ inveſtituris & uſuris, uſque ad ſummam viginti ſolidorum Mogunt. dumtaxat contra delinquentes ſtatuere ſint contenti, cauſis aliis diœceſanorum vicarii examini, & eorum officialium reſervatis. Quod ſi contrarium facere præſumpſerint judicata, per eos aliis quam in dictis caſibus ſint irrita ipſo jure, & nihilominus per ordinarios ipſorum a ſuis officiis ſuſpendantur.

Hoc ſacrum concilium domini Archiepiſcopi Petri Moguntin. habitum eſt Moguntiæ, anno domini milleſimo, trecenteſimo decimo feria ſecunda, feria tertia, & feria quarta poſt dominicam, qua cantatur Jubilate deo.

# CONCILIUM PROVINCIALE

## Biterris celebratum ſub Ægidio Narbonenſi archiepiſcopo.

*Ex duobus MSS. codicibus illuſtriſſimi epiſcopi Biterrenſis, altero illuſtriſſimi Marchionis Daubais.*

Sanctorum patrum & canonicarum ſanctionum inſtitutionibus & præceptionibus informati, nos ÆGIDIUS permiſſione divina ſanctę Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopus in concilio provinciali noſtro



ANNO CHRISTI 1310.

noſtro Biterris conſtituti, venerabilibus fratribus ſuffraganeis noſtris præſentibus, &c. Cupientes aliqua propter trangreſſorum audaciam reformare, & mores prout poſſibilitas aderit reformare, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, infraſcripta duximus diſponenda, & etiam declaranda.

### I. *Tonſura qualiter conferri debeat.*

In primis quia vigilanti ſtudio eſt ſollicite præcavendum, quod ad ſortem Domini tales aſſumantur, & clericali militiæ adſcribantur, qui veriſimiliter velint & valeant Dei ſervitio applicari, ſollicite provideant ordinantes, quod ad promovendum ad primam clericalem tonſuram conſtitutio domini Bonifacii papæ VIII. ſuper tonſurandis ad clericatum edita irrefragabiliter obſervetur, & diligentem cautelam adhibeat ordinator, ut talem ad clericatum aſſumat, qui clericatum ex devotione cupiat, non ex fraude: & quod non ſit expers ſcientiæ, aut legendi pſalterium, & ea ſciendi quæ in tali promotione viderit expedire, & quod nullo irregularitatis vinculo ſeu juris impedimento, propter quod tonſurari non debeat, ſit detentus.

### II. *De quatuor minoribus ordinibus.*

De promovendis ad quatuor minores ordines ordinator provideat, quod ſciant pſalterium legere, ſpecialiter epiſtolas & lectiones, & exorciſmos, & cantare antiphonas & reſponſa.

### III. *De ſubdiaconatu.*

Porro quia mittentem manum ad aratrum ſic coaptari oportet, ne cum retro reſpicere non poſſit, ſit inhabilis regno Dei, magnopere provideri oportet, quod ad ſubdiaconatus ordinem promovendi ſciant in legendo & cantando in eccleſia officiare, & ſaltem in grammaticalibus aliqualiter ſint inſtructi: & tam illi quam alii ad alios ordines promovendi ſuæ promotionis receptæ litteras ordinatoribus adhibeant & oſtendant, ut provideat ne per ſaltum eos promoveri contingat.

### IV. *De diaconatu.*

Et quia diaconatus ordo frequenter ſupplere & coadjuvare in aliquibus poteſt officia ſacerdotis; cum cautelæ ſtudio eſt agendum, ut ordinator provideat quod ad diaconatus ordinem promovendi, ultra prædicta, ſciant intelligibiliter legere epiſtolas, homilias & evangelia, & conſtruere competenter.

### V. *De ſacerdotio.*

Sane quia in ſacerdotalis officii miniſterio, in quo majus periculum vertitur, cautius eſt agendum, ſummo ſtudio eſt cavendum, quod tales ad ſacerdotium aſſumantur, qui ex morum gravitate, & literarum ſcientia alios valeant erudire: & ſecundum canones deberent ſcire ſaltem [a] ſacramentorum librum, lectionarium, antiphonarium, [b] baptiſmum, canones pœnitentiales, & alia multa in canonibus contenta: alias nomen ſacerdotis ſeu presbyteri non merentur habere: ordinator tamen in promotione ad ſacerdotium proſpiciat & advertat, quod promovendus ſciat evangelia, ſeptemque peccata mortalia; articulos fidei, & decem præcepta legis deſignare; prout promotori rationabiliter videbitur faciendum.

### VI. *De interſtitiis.*

Quia vero inexpertos & non probatos difficile eſt Dei ſervitio applicari, & periculoſum eſt ſic milites ſeu tirones ſtigma non habentes ad certamen mittere bellicoſum, ſolemniter provideri oportet, quod in ordinatis & promotis ad ſacros ordines competentis temporis interſtitia obſerventur: ne uno ſuſcepto ordine ad alium proximis & ſucceſſivis quatuor ordinibus quaſi ſub quodam impetu, . . . cauſæ neceſſitatis expoſcat.

### VII.

Provideatur inſuper, ne aliquis tonſurandus ad clericatum, vel ad ordines promovendus, mittatur ab uno epiſcopo ad alium, niſi fuerit per ſuum ordinarium examinatus, & ut dignus approbatus, de quibus in litera quam ad ordinatorem diriget, expreſſa mentio habeatur.

### VIII. *De clandeſtino matrimonio.*

Quia per multorum fraudes & malitias nedum ea non ſervando ludibrio fiunt, expedit circa ea de competenti remedio provideri; hinc eſt quod ſicut clamor validus noſtris auribus inſonuit, multi ſuum affectum ſequentes, & Deum ac ordinationem eccleſiaſticam aſpernentes, clandeſtina matrimonia contrahunt, & frequenter lite pendente coram eccleſiaſtico judice, etiam contra interdictum eccleſiæ, & eccleſiaſtici judicis officium, ſeu binas nuptias ſeu matrimonia de facto contrahunt, in eorum animarum periculum & ſcandalum plurimorum. Quod autem ſit prius & quod poſterius vix aut nunquam poterit haberi certitudo; non attendentes quod per legem notantur infamia, & per canones proles ex tali conjugio clandeſtino ſuſcepta nonnunquam legitimo impedimento detenta illegitima cenſeatur, & quod nihilominus excommunicationis ſententia valeant innodari: propter quod exacta diligentia per officiales & eccleſiaſticos judices contra tales procedatur, & aliter ſecundum jura puniantur, quod per pœnam ſe deliquiſſe cognoſcant, & de commiſſo pœniteant; ut ſint aliis in exemplum. Ad hoc vero cum nonnulli clandeſtina matrimonia, & quandoque nefarias nuptias perficere nequeant juxta votum, fraudes excogitant per quas venire valeant ad intentum: ita quod occulte & ſub dolo vadunt ad aliquas domos religioſorum quorumdam, vel ad alias eccleſias ſeu capellas parochialium ſacerdotum, vel ſuorum ordinariorum non petita licentia, nec obtenta, ſed ſuos parochiales fugientes, ad alienos divertunt ſacerdotes pro benedictione nuptiali habenda, quæ potius maledictio dici debet: contra quos, cum tantam malitiam, eccleſiæ contemptum, ſine noſtro & eorum animarum periculo impune ſub quodam velamine pertranſire, ſeu connivere aliqualiter nequeamus; dignum duximus animadverſione condigna procedere, ut in eo in quo gravius delinquunt, gravius puniantur. Et ideo ipſos taliter omiſſis ſuis parochialibus ſacerdotibus, eorum ſeu ordinariorum ſuorum licentia non obtenta, pro prædictis ad alios recurrentes, ipſos quoque taliter ſub tali fraude conjungentes, ſeu talem benedictionem ſive ſolemnizationem matrimonialem impendentes, eoſdem eorumque conſiliarios, & fautores, conſilium & auxilium ad prædicta fraudulenter impendentes, eoſdem poſt publicationem præſentis conſtitutionis in eccleſiis noſtræ Narbonenſis provinciæ, ſolemniter factam excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto.

### IX. *Contra teſtimonium falſum.*

Recolentes quod teſtis falſidicus Deo, parti & judici obnoxius exiſtit: quia præſentiam Dei ſpernit, & judicem elidit, & graviter partem lædit; com-

a Sacramentorum liber eſt codex orationes & preces ad ſacram liturgiam ſpectantes continens, qualem ſcripſere Gelaſius, & Gregorius magnus ſummi pontifices.

b Baptiſmi nomine hic intelligi videtur liber Ritualis continens ordinem conferendi baptiſmatis & alia hujuſmodi.

comperto quod juramenti religio ſic tranſacta, proh dolor! contemnitur, & perjurii reatus in his partibus nimirum inolevit: licet contra tales perjuros jura inſurgant, & per ſtatuta provincialia prædeceſſorum noſtrorum alias ſit proviſum: quia tamen non releguntur frequenter, quaſi in oblivione ſunt deducta non ſine gravi periculo animarum: volumus & mandamus, quod contra tales juramenti tranſgreſſores, ſecundum tenorem ſtatuti provincialis concilii per bonæ memoriæ dominum PETRUM prædeceſſorem noſtrum editi procedatur. Cujus ſtatuti capitulum ſequitur in hæc verba. Item cum juramenti religio peccatis exigentibus, fere ab omnibus in iſtis partibus contemnatur, contra hujuſmodi contemptores aliquid ſeveritatis pro ſalute animarum ipſorum duxit concilium ſtatuendum: videlicet ut quicumque in tranſgreſſione juramenti de cetero manifeſte deprehenſus fuerit, in eccleſia publice denuncietur eſſe perjurus. Quod ſi admonitus ſatisfacere noluerit, tunc excommunicetur, & excommunicatus nuncietur accenſis candelis & pulſatis campanis ſingulis diebus dominicis & feſtivis, & denuncietur inteſtabilis & infamis, & nec ad teſtificandum vel ad teſtimonium vel ad alios actus legitimos admittatur. Et idem de falſis teſtibus obſervetur, nos vero verbum præmiſſum *inteſtabilis*, non ad teſtamentum, ſed ad teſtimonium dumtaxat referri & intelligi declaramus.

X. *Contra pactum pro ſepulturis & benedictionibus nubentium.*

Item cum a fide dignorum relatione audiverimus, quod in multis locis noſtræ provinciæ rectores & ſacerdotes eccleſiarum in exequiis & ſepulturis defunctorum, & benedictionibus nubentium, fraudem committunt, quæ labem continet ſimoniæ: videlicet quod divinum officium celebrare & obſequium impendere in prædictis omnino recuſant, donec per pactum & juramentum vel per fidejuſſores, vel alias eis tantum fuerit in ſolutione eorum, quæ ſibi dari volunt, facienda, eiſdem in ſuæ perverſitatis pallium conſuetudinem allegantibus, contra prohibitionem expreſſam concilii generalis. Cum vero dicta conſuetudo dicenda ſit potius corruptela, dictam fraudem penitus fieri prohibemus; ſed impenſo pure divino obſequio, laudabiles conſuetudines obſervare volentes, per cenſuram eccleſiaſticam compelli volumus & aliis remediis opportunis.

XI.

Item provideatur quod nulli ſacerdoti alterius diœceſis ſine literis commendatitiis ſeu dimiſſoriis proprii epiſcopi ſeu vicariorum ſuorum generalium cura parochialis eccleſiæ committatur; ne aliquis ſacerdos advena & ignotus, ſine literis proprii epiſcopi vel vicariorum ſuorum teſtimonialibus, permittatur miſſam publice celebrare.

XII. *De reſidentia rectorum in ſuis eccleſiis.*

Item ſuper reſidentia in parochialibus eccleſiis facienda provideatur ſollicite, ut rectores earum gregis ſibi commiſſi diligenter gerere curam poſſint, & eccleſiæ hoſpitalitate & aliis neceſſariis & divinis obſequiis non fraudentur: & rectores ipſarum domos in ſuis eccleſiis & adminiſtrationibus habeant competentes, in quibus eorum prælati honeſte & benigne recipi valeant, ut melius & plenius poſſint viſitationis officium exercere. [a]

XIII. *Contra exercentes officium chirurgiæ.*

Cum propter pericula quæ in practica ſive exercitio artis phyſicæ frequenter occurrunt; religioſi vel presbyteri, præſertim eccleſiaſtica beneficia obtinentes non debeant ſe ingerere ad exercitium ſeu practicam dictæ artis, nec publice exercere officium medicorum, nec ſæcularibus negotiis ſe immiſcere; idcirco ſtatuimus & mandamus ſub pœna interdicti, quam in contrarium facientes, monitione præmiſſa, in his ſcriptis, quod nullus presbyter nulluſve religioſus a modo ſe ingerat ad exercitium ſive practicam dictæ artis, nec officium exerceat medicorum, abſque ſpeciali licentia a nobis petita & obtenta, niſi quatenus hoc eiſdem permittitur per canonicas ſanctiones.

XIV. *Quod nullus vendat reditus eccleſiæ.*

Item ſtatuimus monendo, omnes rectores ſeu priores cum cura vel ſine cura, quod nullus vendat reditus eccleſiæ ſuæ ad pecuniam abſque noſtra licentia ſpeciali petita & obtenta, exceptis carnalagiis, alioquin contra inobedientes tulimus ſententiam interdicti, propter damnificantes, quæ dictis eccleſiis propter prædicta inferuntur.

XV. *De feſtivis diebus.*

Item mandamus, quod nullus cujuſcumque conditionis exiſtat, in diebus feſtis, dominicis, vel aliis feſtivitatibus, quæ ob reverentiam Dei & ſanctorum cenſentur eſſe inſtituta, natalis Domini ſcilicet, S. Stephani, S. Johannis evangeliſtæ, Innocentium, S. Silveſtri, Circumciſionis, Epiphaniarum, die Veneris ſancta, Reſurrectionis Domini cum duobus ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus, duodecim apoſtolorum, feſti B. Johannis Baptiſtæ, feſtivitatum omnium B. Virginis glorioſæ, & præcipue B. Petri & Pauli, B. Laurentii; Dedicationis B. Michaelis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, B. Nazarii & Celſi, ceteriſque ſolemnitatibus, quas nos cum clero ſolemniter duximus celebrandas, res ſuas venales exponat non comeſtibiles palam & publice, niſi neceſſitas hoc requirat; & ſi quis contrarium attentaverit, ſententiam interdicti in his ſcriptis, ipſo jure, incurrat, & alias tanquam contra tranſgreſſorem procedemus, juſtitia mediante.

XVI. *Literis monitoriis.*

Officialis Biterr. capellano curato B. Mariæ ſedis Biterrenſis, ceteriſque cappellanis curatis & non curatis civitatis & diœceſis Biterrenſis, ad quos præſentes pervenerint, vel eorum loca tenentibus ſalutem.

Datum eſt nobis intelligi, quod nonnulli ſemellatores, mercerii, fuſterii & alii alterius miſterii civitatis & diœceſis Biterrenſis, ſotulares & alias res ſuas incomeſtibiles contra ſtatuta ſynodalia & canonicas ſanctiones in eorum operatoriis, quæ operta tenent, atque tabulariis publicis, diebus dominicis & aliis feſtivitatibus venales exponunt atque tenent, ſicut aliis diebus forenſibus & diurnis teneri conſueverunt, & exponunt in animarum ſuarum detrimentum non modicum & ſcandalum plurimorum, ſententias excommunicationis latas in tales contemnendo. Quocirca mandamus, quatenus diebus dominicis & feſtivis publice in generalibus veſtris eccleſiis, cum populus ad divina convenerit, veſtris parochianis interdicatis, cujuſcumque conditionis exiſtant, nec non & ipſos canonice & peremptorie moneatis, ex parte noſtra & ſub pœna excommunicationis, ne aliquis de parochianis veſtris, cujuſcumque miſterii, vel ſtatus, ſeu conditionis exiſtat, ſotulares & alias res incomeſtibiles diebus Dominicis & feſtivis in noſtro ſtatuto ſynodali contentis, publice res venales incomeſtibiles exponat, nec ſua teneat operatoria aperta ad vendendum eaſdem nullo modo, niſi

a Hic deſinit codex illuſtriſſimi Marchionis Daubais.





niſi caſus urgentis neceſſitatis hoc requirat, nec etiam diebus prædictis aliqua operentur ſervilia; alioquin contra omnes parochianos veſtros, & eorum quemlibet contra dictam hujuſmodi inhibitionem facientes, ad denunciationem ſententiarum in eos latarum ſuper his & alias gravius & arctius procedemus, & procedi faciemus, juſtitia mediante.

XVII. *De illis qui perſiſtunt per multum tempus in excommunicatione.*

Quoniam diu perſiſtere in excommunicatione periculoſum eſt excommunicatis, & participantibus cum ipſis, cum ex hoc creſcat indevotio, errores pullulent, & multa pericula animarum inſurgant. Idcirco nos cupientes hujuſmodi periculis obviare, volumus, & mandamus, ut ſacerdotes parochiales ex parte noſtra omnes parochianos ſuos excommunicatos, maxime illos qui ultra annum excommunicationis ſententiam ſuſtinuerunt animis induratis, canonice moneant, & inducant, ut infra XV. dies, vel unum menſem ad tardius redeant ad eccleſiæ unitatem: intimantes eiſdem quod aliter contra ipſos induratos, tanquam contra ſuſpectos de fide catholica, prout juſtum fuerit, procedemus. Alioquin ſacerdotes nos vel officialem noſtrum per literas ſuas certificent de nominibus eorumdem, & de tempore quo fuerint in dicta ſententia, & de cauſa, propter quam non fuerunt abſoluti.

XVIII. *Contra non ſolventes pia legata.*

Item, volumus & mandamus quod ſacerdotes vacent in divinis, & expellant publice ab eccleſia parochianos ſuos, quos pro certo, alias quam per confeſſionem ſacramentalem, ſciverint legata pia non ſolviſſe infra annum & menſem, juxta ſtatutum & formam per nos ſuperius ordinatam, vel excommunicationis ſententiam incurriſſe, ut ſaltē ... rubore verecundiæ temporalis, ad ſatisfaciendum & petendum abſolutionis beneficium inducantur.

XIX. *Contra illum qui non vult exire de eccleſia.*

Item, ad hoc autem ſi excommunicatus publice majori excommunicatione in eccleſia intereſt, dum divinum officium celebratur publice, moneatur per celebrantem quod exeat; & ſi exire noluerit, officium dimittatur, niſi ſacerdos canonem incœperit; quia tunc perficere debet canonem jam inceptum; ſed omnes alii qui tunc in eccleſia fuerint, debent exire de eccleſia, præter ipſum presbyterum celebrantem, & unum aut duos clericos, qui pro ſerviendo eidem presbytero poſſunt & debent in eccleſia remanere. Completo autem canone, & ſumpto Corpore & Sanguine JESU-CHRISTI, excommunicato præſente, non eſt amplius in miſſa procedendum: & ſi eccleſia in loco juriſdictionem habet temporalem, poteſt ipſum violenter compellere, ut exeat: ſi vero non habet juriſdictionem temporalem, & excommunicatus noluerit exire de eccleſias, poteſt eccleſia requirere dominum temporalem quod ipſum compellat. Et hæc ſervanda ſunt in illo qui nominatim & publice eſt excommunicatus. Verum ſi occultum eſt, illum eſſe excommunicatum majori excommunicatione, qui intrat eccleſiam, & eſt ibi aliquis qui ſecrete ſciat eſſe eum excommunicatum, moneatur ab eo ſecrete, ut exeat de eccleſia: & ſi monitus exire noluerit, exeat caute de eccleſia ille qui ſcit eum ſecrete excommunicatum: ita quod alii qui eum excommunicatum ignorant, non poſſunt hoc cognoſcere: quia cum occulte ſciat eum excommunicatum eſſe, in occulto vitandus eſt ab eo, ut ſaltem verecundiæ rubore confuſus pro labente exceſſu ſatisfacere compellatur; ſed publice & manifeſte talis vitari non debet excommunicatus, ne propter hoc ipſius peccatum excommunicati reveletur. Eodem modo ſi ſacerdos pro certo ſciat aliquem excommunicatum majori excommunicatione, non debet eum vitare publice ... licet idem excommunicatus non ſit per eccleſiam publicatus. Sed ſi per teſtes vel alio modo non poteſt probare eum excommunicatum, non debet eum vitare ſacerdos publice, videlicet quod ipſe ſolus vidit, vel cum uno teſte tantum, ſed ipſe in ſecreto hoc ſibi dicere debet, & monere eum in ſecreto; ita quod minime cognoſcatur, ſicut ſupra eſt dictum.

XX. *Qualiter vitari debet excommunicatus.*

Item, ſi dicatur alicui ſacerdoti in eccleſia vel extra, quod aliquis parochianus ſuus ſit excommunicatus, quia percuſſit clericum, vel alia de cauſa, & plures aſſerunt; non tamen ſacerdos debet evitare excommunicatum in eccleſia vel extra, niſi coram eo & coram teſtibus hoc confeſſus fuerit, vel niſi publica fama fuerit ipſum eſſe excommunicatum, vel ipſe ſacerdos hoc viderit, & probare poſſit, vel niſi aliquis judex eccleſiaſticus hoc ſibi mandaverit, quod eum tanquam excommunicatum faciat evitare: quamvis enim aliqui vellent coram ſacerdote probare talem excommunicatum eſſe, non debet ſua propria auctoritate teſtes ſuper hoc recipere, cum ad id non habeat poteſtatē [a]. Et ut ſciatur pœna excommunicatorum & interdictorum & illorum, quos vocat excommunicatos vel interdictos, dum miſſarum ſolemnia celebrantur, legitur decretalis domini Clementis P. V. ut ſequitur.

XXI. *Decretalis Clementis de pœna excommunicatorum.*

Gravis ad nos prælatorum querela perduxit, quod nobiles & domini temporales, terris eorum eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto, nedum in ſuorum locorum capellis, ſed etiam in collegiatis & aliis inſignium locorum eccleſiis, miſſas & alia divina officia publice & ſolemniter faciunt celebrare; & ad officia eadem celebranda nunc hos, nunc illos vocantes, & interdum, quod deterius eſt, compellentes: iiſque non contenti exceſſibus per campanarum non ſolum pulſationem, ſed etiam voce præconis plures interdictos & interdicti non obſtante ſententia, ad audiendas hujuſmodi miſſas faciunt evocari: nonnulli quoque ipſorum ſuis plerumque ſubjectis, ne licet excommunicationis ſententia vel interdicti publice ſint notati, de eccleſiis dum miſſarum celebrantur ſolemnia, inſtantibus etiam celebrantibus exeant, præcipere non verentur. Ex quo frequenter contingit, quod non ſine Dei offenſa, clerique ac populi ſcandalo ipſarum miſſarum ſolemnia remaneant inexpleta. Ne igitur exceſſus graves excidentium in gravitate trahatur ab aliis in exemplum: præſumptores præfatos qui in locis interdicto ſuppoſitis quemquam de cetero divina celebrare officia quomodolibet cogere; aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda aliquos excommunicationis præſertim vel interdicti ligatos ſententia evocare, ſeu qui ne excommunicati publice, aut interdicti de eccleſiis, dum in ipſis aguntur miſſarum ſolemnia, a celebrantibus moniti exeant, prohibere, nec non excommunicatos publice & interdictos, qui in eccleſiis nominatim a celebrantibus moniti ut exeant, remanere præſumpſerint; ſententia excommunicationis, a qua non niſi per ſedem apoſtolicam dumtaxat poſſunt abſolvi, ſacro approbante concilio, innodamus.

CON-

a Quæ ſequuntur explicationis gratia ab aliquo haud dubio ſunt addita. Nam quæ ſequitur Clementis V. papæ decretalis in concilio Viennenſi 1311. celebrato edita eſt; quo tempore Ægidius (ſub hoc habitum fuit concilium) jam Narbonæ non erat archiepiſcopus, anno 1310. translatus ad ſedem Rotomagenſem.

ANNO CHRISTI 1284. **CONCILIUM PARISIENSE** ANNO CHRISTI 1284.

Anno Domini MCCLXXXIV.

*CHronicon Dionyſianum ab optimo & eruditiſſimo viro Luca Dacherio editum, tomo II. Spicilegii, hæc habet ad annum MCCLXXXIV.* Eodem anno, tertia die octavæ B. Virginis Aſſumptionis, Joannes Cholet apoſtolicæ ſedis legatus, apud Pariſius congregavit concilium: & advenit ibi maxima multitudo prælatorum. *Hoc tantum.*

ANNO CHRISTI 1286. **HÆRETICÆ QUÆDAM OPINIONES** ANNO CHRISTI 1284.

Per dominum " archiepiſcopum Cantuarienſem declaratæ & damnatæ.

" Joannem

Ex MS. in regiſtro principali archiepiſc. Cantuar. nuncupato Peckam edidit collector Anglicanus tomo II.

IN nomine Domini, amen. Anno ejuſdem MCCLXXXVI. Indictione quartadecima, ultimo die menſis Aprilis. Reverendus in Chriſto pater dominus Joannes, Dei gratia Cantuarienſis archiepiſcopus, totius Angliæ primas, pro tribunali ſedens in eccleſia B. Mariæ de Arcubus Londini, aſſidentibus ſibi venerabilibus patribus, dominis, Olivero Lincolniæ, Godefrido Wigornienſi, & Richardo Herefordienſi, epiſcopis; præſentibus etiam venerabilibus viris magiſtris, Gilberto de ſancto Leofardo officiali curiæ Cantuarienſis, Herveo de Saham cancellario univerſitatis Oxonii, Petro de ſancta Maria archidiacono Surreyæ, Henrico de Naſſington officiali Lincolniæ, Rogero de Seranak officiali Herefordienſi, Roberto de Lacy juris civilis profeſſore, Jacobo de Moun, & aliis pluribus ſolennibus & venerabilibus perſonis, in multitudine copioſa: infra ſcriptos errores, quos de novo audierat in ſua provincia ſuſcitatos, tanquam hæreſes declaravit, & pronunciavit eſſe damnatos, in ſcriptis proferens ſub hac forma.

Hi ſunt articuli noviter divulgati, quos inter hæreſes, damnatas in ſe vel in ſuis ſimilibus, numerandos eſſe credimus: & hæreticos eſſe cenſemus, pertinaces, eorum omnium & cujuſlibet defenſores, tanquam falſarum & novarum opinionum cauſa inanis gloriæ ſectatores.

Primus articulus eſt, quod corpus Chriſti mortuum [a] nullam habuit formam ſubſtantialem, eamdem quam habuit vivum.

a Forte, non illam. II.

Secundus eſt, quod in morte fuit introducta nova forma ſubſtantialis & nova ſpecies, vel natura, quamvis non nova aſſumptione vel unione Verbo copulata: ex quo ſequit[ur] quod filius Dei non fuerit tantum homo, ſed alterius ſpeciei [illegible]

Tertius eſt, quod in illam formam vel naturam de novo introductam per mortem facta fuiſſet tranſſubſtantiatio panis, virtute verborum ſacramentalium; ſcilicet, Hoc eſt corpus meum, ſi in triduo mortis fuiſſet facta conſecratio.

Quartus articulus eſt, quod modo, ſcilicet poſt reſurrectionem Chriſti, virtute verborum ſacramentalium convertitur totus panis in totum corpus Chriſti vivum, ita quod materia panis convertitur in materiam corporis Chriſti, & forma panis convertitur in formam corporis, ſcilicet in id quod eſt anima intellectiva, ſecundum quod forma corporis eſt, & dat eſſe corporeum, & hoc virtute verborum ſacramentalium.

Quintus eſt, identitatem fuiſſe numeralem corporis Chriſti mortui, cum ejus corpore vivo, tantummodo propter identitatem materiæ, & dimenſionum interminatarum, & habitudinis ipſarum ad animam intellectivam quæ immortalis eſt. Eſſe in inſuper identitatem numeralem corporis vivi & mortui, ratione exiſtentiæ utriuſque in eadem hypoſtaſi Verbi.

Sextus eſt, corpus cujuſcumque ſancti vel hominis mortuum, antequam ſit per putrefactionem mutatum in auras vel elementa, non eſſe idem numero cum corpore ejus vivo, niſi ſecundum quid, ſcilicet ratione materiæ communis, ſicut ſunt unum quæ invicem tranſmutantur, ut caro & vermis, & ratione accidentis communis, ſcilicet quantitatis: ſimpliciter autem eſſe diverſum corpus mortuum a vivo, ſpecie & numero.

Septimus eſt, quod qui vult iſta docere, non tenetur in talibus fidem adhibere auctoritati papæ, vel Gregorii, vel Auguſtini, & ſimilium, aut cujuſcumque magiſtri: ſed tantum auctoritati Bibliæ, & neceſſariæ rationi.

Octavus eſt, quod in homine eſt tantum una forma, ſcilicet anima rationalis, & nulla alia forma ſubſtantialis: ex qua opinione ſequi videntur omnes hæreſes ſupradictæ.

Iſtos igitur octo articulos, hæreſes eſſe damnatas, in ſe vel ſuis ſimilibus, & blaſphemias, firmiter agnoſcentes: omnes eorum affirmatores pertinaces, publice vel occulte, ſub quocumque verborum pallio, excommunicatos eſſe & anathematizatos denunciamus: & præcipimus, tam in actibus ſcholaſticis, quam in aliis, ab omnibus actius evitari, ſub interminatione anathematis, quod poterunt formidare non immerito ex certa ſcientia contrarium facientes.

Illos inſuper, qui contra inhibitionem prædeceſſoris noſtri & noſtram, ac venerabilis fratris Lincolnienſis epiſcopi, de conſilio Oxonienſium magiſtrorum, ſpretis inhibitionibus noſtris opinionem de unitate formarum defendere præſumpſerunt, pronunciamus incidiſſe in pœnas, a prædeceſſore noſtro hujuſmodi præſumptoribus impoſitas, & a nobis poſtea confirmatas; quas pœnas iiſdem imponi volumus indilate. Et nihilo minus illos, qui ſuper talia fundamenta, prædictas hæreſes ſeminarunt, ut dicitur, cum convicti fuerint vel confeſſi, volumus, prout juſtum fuerit, in forma canonica ſubjici eccleſiaſticæ diſciplinæ.

a Sequentia Operarum incuria prætermiſſa, ſuis proinde locis inſerenda, hic dare coacti ſumus, ne quid editionis Labbeanæ in hac noſtra intercidat.

*Finis Tomi Decimiquarti.*